



CARITAS OMNIA SUSTINET
Per Gloriam et Ignobilitatem: per Infamiam et Bonam Famam
EX-LIBRIS ANDRE BOYER-MAS

D.
IVONIS
CARNOTENSIS
EPISCOPI.
OPERA OMNIA:

D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI OPERA OMNIA:

IN DVAS PARTES DISTRIBVTA,

PRIOR CONTINET EXIMIVM ILLVD DECRETORVM opus quod DECRETVM IVONIS vulgò nuncupatur, ad exemplar Manuſcriptum inſignis Bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis reuiſum, & ab infinitis quibus ſcatebat mendis repurgatum. Additis quibuſdam notulis & Indice locupletiſſimo.

POSTERIOR COMPLECTITVR EPISTOLAS CVM NOTIS Doctiſſimorum virorum Iureti & Soucheti Canonic. SERMONES quibus additi duo ex MSS. Bibliothecæ Regiæ & Petauianæ: Et breue CHRONICON de Regibus Francorum. Ad hæc omnia Index copioſiſſimus.

PRÆFIXA EST HVIC OPERI VITA AVTHORIS à multis iamdiu deſiderata.



PARISIIS,
Apud LAVRENTIVM COTTEREAV, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Montis Carmeli.

M. DC. XLVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOQVE

D. D. IACOBO LESCOT

CARNVTVM EPISCOPO.



LAMINVM, *Sacerdotum, Druidum, & si quod aliud nomen priscis sacrorum præfectis, hoc moris fuit & potestatis* (Præsul Illustrissime) *vbique terrarum ac gentium Deûm & hominum iura componere: atque inter vtrosque ita contemperato versari consortio, vt modò cœlitum instar terreant, detonent, eminentur: modò verò* ἐπιχθονίοις, *accensiti, apud aras suplices orent, gemant, aduoluantur. Nempe qui Sacerdotem agit, Deum quadantenus induit & hominem,* μεσίτης *vtrimque factus, vt nihil magnum, quod non audeat; nihil infimum, quod defugiat. Quamobrem ad id muneris euectos diuinarum humanarumque rerum peritissimos oportuit, vt superûm inferûmque procliue dignoscentes, & illorum placita, horum commoda prospicientes, ijs prompto sese obsequio aptare, & facili in vtramque partem flexu conformare possint. Et quidem apud veteres, Ægyptios maximè, quorum* ἐφείθη σχολάζειν τὸ τῶν ἱερέων ἔθνος, *Sacerdotes scientias accersebant, & illustrabant. Nunc verò qui Sacerdotijs diuinitùs destinantur, scientiarum priùs Antistites quam sacrorum esse debent. Illic teste Philosopho, Sacerdotes scientiarũ parentes: hic scientiæ ad Sacerdotia sunt* προόδια *quædam, & quasi certa* πρόκλησις. *Et quod Gallos attinet,* (Præsul Illustrissime) *non nuperus est amor quo reipublicæ litterariæ ciues ac senatores persequuntur, sacrisque præficiunt. Diu est cum ipsis* φιλόσοφοί τε τινες εἰσὶ καὶ θεολόγοι περιττῶς τιμώμενοι. *Et quod non possum non mirari, quondam* ἔθος αὐτοῖς μηδένα θυσίαν ποιεῖν ἄνευ φιλοσόφου· *addo & Theologum, sequentia enim fauent:* διὰ γὰρ τῶν ἐμπείρων τῆς θείας φύσεως, ὡσπερεί τινων ὁμοφόνων, τὰ χαριστήρια τοῖς θεοῖς φασὶ δεῖν προσφέρειν, καὶ διὰ τούτων οἴονται δεῖν τἀγαθὰ αἰτεῖσθαι.

Arist. 1. Metaph.

1. Metaph.

Diodor. lib. 5.

Sacerdotes itaque Gallorum , atque adeo Carnutum ſapientiæ Magiſtri, *inquit vetus author : & quia cœlorum contemplationi incumbunt,*quid Dij velint, ſcire ſe profitentur. *Ex quo non miramur ſi quam promittunt ſydera, futuram adorant : aut ſi dum aſtra ſollicito venantur intuitu ,* Virginem *inueniunt , non ſpicam tantum , vt vulgus Aſtrologorum , ſed* Panem *ipſum mundo proferentem. Tanti eſt ſacrificos ſapientiam colere, & cœlos intendere ! Hi Druidæ appellati ſunt, dubio procul* ἀπὸ τῆς δρυὸς: *quia eius viſco nihil ſacratius habuere , ſine cuius fronde nulla ſacra conficiebant. Et quia conceptum fœminarum adiuuat & partum, diceres ea vſos , maturando illius partui, quam parituram coluere. Et vnde porro Laërtio* Σεμνόθεοι *dicuntur ? niſi quia & apud ipſos erat* Σεμνὴ θεά. Σεμνὰ *namque ,* τὰ τῆς παρθένου μυστήρια. *Et* Σεμνὴ, *pudicam ac caſtam natiuo ſignificatu habet. Aut vero dum* Virginem *colunt* Parituram, *quod humanæ rationi imperuium ,* τὰ Σεμνὰ, *hoc eſt,* τὰ ἄρρητα καὶ ἀνεξήγητα μυστήρια: *vel vt alius ,* θαυμαστὰ καὶ ἀνεξιχνίαστα *celebrare ac venerari dicuntur. Et quidem de ipſis ſcriptum , quod clam, & in ſpecu , aut in abditis ſaltibus multa docerent. Hoc Numen ipſorum fecit* σιωπηλὸν *quod idem ac* Σεμνὸν, *proindéque & ipſos* Σεμνοθέους. *Theologi ergo Gallorum Sacerdotes. A quo nec Eccleſiæ veteris mores abiere. Vt enim iidem olim populis Iudices qui Reges , ſic in primoribus Eccleſiæ annis iidem* ἐπίσκοποι καὶ διδάσκαλοι· *nec maiori frequentiorique* ἐπικλήσει *Os aureum Antiochenum ſuum Patriarcham vocat quam* διδασκάλου. *Vnde fit autem , vt inter paucos qui ſuo in genere primas habent, ſint & præſules* σκηπτοῦχοι? *ex eo eſt profectò, quod* σημεῖον βασιλείας καὶ λόγων καὶ δίκης κατὰ τοὺς παλαιοὺς τὸ σκῆπτρον ἦν. *quæ tria vtcumque licet Epiſcopo conueniant , medium tamen maximè & propriè eius eſt , à quo ius habet baculum ferendi. Et ſi rerum primordia relegimus , inauguratio Epiſcoporum in Eccleſia ſucceſſit illi, quæ apud Hebræos ad Magiſterium promouebantur initiationi. Hæc enim gradibus quibuſdam fiebat , &* χειροθεσίᾳ *tandem ac verbis conceptis peragebatur , qua nihil poſtea ſublimius habuere. Quamobrem eſt vnde Galliæ gratulemur, quod diuino prorſus inſpirata Genio fecit , vt Academiarum Principes, eſſent Præſules Eccleſiarum. Redeunt priſtina tempora: æmulamur veterum mores : & grande poſteris relinquimus exemplum quod aut imitentur, aut mirentur. Thales Pythagoram ſibi operam dantem ,* προετρέψατο εἰς Αἴγυπτον διαπλεῦσαι, καὶ τοῖς ἐν Μέμφει, καὶ Διὸς μάλιστα συμβαλεῖν ἱερεῦσι : *quod vetuſtiſſimum ſacerdotum decus eſt. Fortunatior Gallia quæ non ad exteros ablegat quos ſacris vult imbui : ſed habet Hierarchas tanta eruditione refertos , vt eorum domûs* διδασκαλεῖα *eſſe poſſint. Verum enim vero ſuperat omnes hac laude , vltraque Memphim ipſam eſt Carnutum ciuitas , ſeu* τὰ πάλαι, *ſeu ſeriora tempora conſideremus. Illic ſedes quondam* ἱεροθεολόγων: *illic floruere*

Pomponius Mela lib. 3 cap. 2.

Plin. lib. 16. c. 44.

Plin. lib. 24. c. 4. Mathiol. in Dioſcor.

In Prologo.

Heſychius.

Gloſſarium vetus. Heſych.

Etymolog. Magnum.

Pompo. Mela lib. 3. c. 1. antiquæ recenſionis.

Scholiaſtes gr. Ariſtoph. in nubibus.

Chryſoſt. in Homiliis ad populum Antioch.

Euſtath. Ιλ. α.

Iamblicus de vita Pytag. lib. 1, c. 2.

Præsules, pietate, & doctrina longe maximi. Testes huius rei Fulbertus, Gauffridus, & Ioannes Saresberiensis, aliique quibus, vel opera edita, vel obita munia, vel authores celeberrimi fidem faciunt. Testis es ipse, (Præsul sapientissime) *postremus omnium, & tamen æqualis; omnes vt Maiores tuos reueritus, nec illis minor; multùm ante Episcopatu dignus, quàm Episcopus. Literarum omnia decora habens, & ipsarum decus; sacræ ac venerandæ Theologiæ alumnus, & Parens.* TE *multæ optarunt Ecclesiæ, sed ea vicit quæ vincere debuit: & cum vnum ac eundem plures habere non possint, quod possunt, optant similem. Fœlices Academiæ, quæ Ecclesijs principes conferunt! Fœlices Ecclesiæ quæ ab Academijs Patres accipiunt! An tantis Carnutum Pontificibus, à me accenseri, ijsque comparari, ægre tibi est? Modestiæ tuæ morem geram: venio ad alterum: vereor tamen ne adhuc de* TE *loqui videar. Testis est, sed omni exceptione maior,* IVO *quem hîc exhibemus: cuius doctrina nihil solidius: cuius pietate nihil sincerius: cujus animo nihil majus ac fortius esse potuit. Quærat fortè aliquis, quid nouerit? Omnia quæ Pontificem scire oportuit. Ita Patrum, Conciliorum, Canonum, Consuetudinum peritus, vt his vnis pugnet, hæc sola fere loquatur & scribat. Quærat, cuius virtutis? Antiquæ prorsus, & Canonicæ, quam cum maximo candore coluit, & candidatis eius efficacissimè persuasit. Quærat, cujus fortitudinis? quâ crimina debellaret, etiam regia; quâ homines ad meliora cogeret, etiam Principes, quâ imbelles ac meticulosos animaret, etiam Pontifices. Hunc virum à suis tandem &* TVIS *simul, rediuiuum effectum, cuinam dicatum oportuit, quam Illi qui authoritatem eius & mores per sese reuiuiscere facit? Munus hoc, opinor, non despicies: quia continet, & quo alijs præcellis, summam eruditionem; & quod plurimùm diligis, Canonum obseruationem; & quod seriò amplecteris, Ecclesiarum curam & sollicitudinem; & quod omnibus quà verbo, quà opere suades, pietatem, & amplissimæ virtutis vsum. Medium* TE *inter Deum & homines constitutum agnoscimus, illorum* ὁμόφωνον*; & idcirco per* TE χαριστήρια *nostra Deo offerimus,* Iuonis *nempe sudores, vigilias, labores pridem Deo deditos, & quos nunc à nobis suo iure reposcit. Habes quod inuitet nos & alliciat, vt hanc à* TE *operam exoptemus. Solenne fuit Sacerdotibus antiquis, Deorum suorum insignia sibi vindicare, arcus, vittas, sceptra, frameas, radios, & si quæ alia, quibus venerationem populorum sibi conciliarent. Dei Magni, nascentis ex Virgine Sacerdos factus, quodnam ab ipso habebis insigne? Non illic fulmina, non frameæ, non spicula, quæ* TIBI *assumas. Lac tantum est quod ab filio sugitur, à matre sufficitur. Symboli illius partem in nobis confirmauit* IVO, *nempe candorem. Confirmasti &* TV *ipse etiam Canonicorum re-*

gularium Abbas : Obſeruatio enim Canonica Catalaunenſi omnium Sanctorum Monaſterio reſtituta, Tibi *&* *ſollicitationi* Tuæ *omnia debet, ne vel hac in re* Te Iuoni *abſimilem dicere poſſimus. Dulcedinem vero lactis ſibi reſeruarunt Epiſcopi. Hac vna nixus*, (Præſul Illuſtriſſime) *auſus ſum* Tua *limina accedere, & Canonicorum regularium qui* Tua *in ditione ſunt, nomine, Nomini* Tuo *hoc operis conſecrare.*

Illuſtriſsimæ Dominationis TVÆ,

Humillimus & addictiſſimus
F. J. FRONTO,
Canonicus Regul. S. Genouefæ Pariſ.



VITA D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI.

INTER eos qui Iuonis nomine in Gallia appellati ſunt, longè omnibus excelluit Iuo Carnotenſis. Hic in agro Bellouacenſi natus, nobili à ſanguine nobilem animum traxit. Patrem habuit Hugonem de Altoylo, & matrem Hilemburgim dictam. Adoleſcens litteris humanioribus imbutus, atque in Philoſophia verſatus, Lanfranco Doctore Abbate Beccenſi Theologiæ ſacræ operam dedit in Monaſterio Beccenſi, quam & ipſe docuit, ætate factus prouectior. Cum autem ſeriò Patrum Conciliorumque lectioni incumberet, & è diuerſis decreta Eccleſiaſtica congereret, indignanti quod tantis interuallis obeſſent à Canone ſuo Canonici, commodum affuit Guido Bellouacenſis. Hic quondam Auguſtæ Veromanduorum in Eccleſia S. Quintini Decanus, Cæſaromagi Bellouacorum factus Epiſcopus, in memoriam ſancti Quintini Monaſterium conſtruxit, conceſſiſque prædiis Canonicos illic conſtituit an. ML. XXVIII. His præfectus Iuo Monaſterium paternis poſſeſſionibus auxit, & quo illud omni ope iuuaret ſecum, legibus ad id conditis, vitam regularem intulit, vir Canonum peritiſſimus, & eorum obſeruationis ſtudio flagrantiſſimus. Erant quidem iam olim Canonici regulares paſſim in Gallia, atque in aliis Prouinciis. Diu eſt cùm Chrodegangus peculiarem Metenſibus ſuis Canonicis regulam conſcripſit. In Concilio autem Aquiſgranenſi omnibus regulam Ludouicus pius edendam curauit, opera Amalarij Diaconi, miſitque in ſingulas prouincias obſeruandam. In qua, maximam partem, Chrodegangi regula continetur. Verùm lapſu temporis cum relaxata eſſet diſciplina, ei denuò inſtaurandæ multi laborarunt, in quibus Iuonis opera præ cunctis excelluit. In Monaſterio prædicto pręfuit annos plus minus xiiij. modò Prælatus eius, vt in Priuilegio Philippi Regis: modò Præpoſitus, vt in Bulla Gregorij VII. modò Abbas, vt ſæpius dictus: hìc procul dubio dum ſancto otio fruitur Collectionem Canonum fecit, quam poſtea in Compendium Hugo Catalaunenſis contulit, & Pannomiam ſiue Pannormiam vocauit. Præterea Theologiam docuit: moris enim fuit tunc vt ſacræ Theologiæ ſtudia in Monaſteriis maximè vigerent: neque id oneris Abbates ipſi Monaſteriorum defugerunt, vt ante vidimus in Lanfranco, hìc in Iuone noſtro. Hoc autem muneris quo defunctus eſt Iuo in cauſa fuit cur in antiquiſſimis monumentis magiſter & doctor appelletur. Tanta fuit autem Monaſterij illius & Iuonis ipſius pietatis ac Canonicæ obſeruationis fama vt multa Monaſteria accitis inde Canonicis aut ædificata, aut inſtaurata fuerint, & ex ijs celebres aliqui ad Epiſcopatum peruenerint. Interea rerum ſedebat id temporis Aictrici Carnutum Gaufridus, quem cùm pridem Gregorius VII. Romam ſimoniæ accerſiuiſſet, quòd deeſſent teſtes ad tantam rem comprobandam, remiſſum ſedem obtinere permiſit. Verùm Vrbanus II. hunc iterum ſibi delatum, tandem multis criminibus conuictum ſede ſua mouit, & apud Clerum Populumque Carnutum, vt ſibi Iuonem noſtrum doctrina & pietate inſignem deligerent, ſuis (vt ait ipſemet) monitis effecit. Votis ipſorum non illico ceſſit Iuo, quietis amans, nec inhians dignitatibus: ſed iubente Philippo Rege, parere coactus eſt. Verùm Richerius Senonenſis Archiepiſcopus, aſſentientibus ei è ſuffraganeis nonnullis, nec electioni ſubſcribe-

In inſtrumento antiquo S. Quintini Bellouac.

Magiſter Petrus Cantor in ſumma ſua manuſcr. in Monaſterio S. Ioannis de Iardo canonic. reg.

Fuit Pepini regis ex ſorore nepos. Sigeb.

Hæc ſcribuntur ab Ademaro monacho.

Authoris huius compēdij nomen inueni in hiſtoria Monaſ. Herivallenſis ad an. 1091.

Vide S. Anſelmum l. 3. epiſt. 106.

Sic ſcribit Ioſephus Scaliger bis. Alij tamen ſcribunt Auctricum.

Epiſt. 1 & 2.
Ep. 8. & 40.

re, nec electo manus imponere voluit: ob id quod in depositione Gauffridi contra ius suum actum diceret, quo ad se pertinuit tanquam ad proximum Iudicem, causam eius dignoscere & iudicare. Egit diu precibus & solicitationibus apud ipsum Clerus Populusque Carnutum, sed frustra se esse videns, facit vt Iuo Vrbanum conueniat: & ille in Italiam profectus animo se ab illis difficultatibus liberandi, volens nolens ab eo χειροθεσίαν Capuæ finiente anno M. XCII. recepit.

Vide Sirmundum in epist. Gaufridi Vindocinensis. Epist. 8 & 12.

Inde graues discordiæ ipsum inter & prædictos Episcopos, qui factam majestati Regis iniuriam, & iura Galliæ ab Iuone violata contendentes Stampis collecti Iuonem reiicere & Gauffridum sedi restituere aggrediuntur, zelo procul dubio in insontem Iuonem exerto, minimè tamen nouo & multis tum ante, tum post exemplis confirmato. Contra autem Iuo sedem Apostolicam appellare, spretam temeratamque eius authoritatem altè conqueri, vir cæteroqui minimè seruilis, nec potestatum adulator etiam summarum. Verùm cum ei quod summum est, & ipsum nomen Religionis accedit, cedant omnia necesse est: quare Richerius ipse vsu pallij interdictus, Gauffridus iterum pulsus & sedi suæ Iuo constitutus est. Hic quidnam egerit narrant eius Epistolæ ad summos Pontifices, ad Reges, ad Cardinales, Legatos, Primates, Episcopos, virosque Primarios; narrant quotquot ab illo vsque exaratæ fuerunt historiæ.

Vide glabrum Rodulphum L. 1 c. 4. & Abbatem Stadensem in chronico. Imò ipsum Iuonem passim in epistolis.

Dum verò inde authoritatem tuetur, inde virtutem colit sese non modo Galliæ, sed Ecclesiæ toti conspicuum reddidit, & sane vtraque hac opus habuit cum primis, tum ad obsistendum vitiis, nusquam non grassantibus; tum ad perferendum mala, quæ ipsemet zelo suo vehementi, & publicorum erratorum (si grauia sunt) minimè toleranti in caput suum accersiuit. Philippus tunc Galliæ Rex Bertradæ amore captus eam Fulconi Andium Comiti eius marito abstulit, vel sane illam à Fulcone tacitè se subducentem sibi matrimonio coniunxit: aliis ex Episcopis Galliæ conniuentibus, silentibus aliis: adeo procliue est majestati obsequi, quocunque inclinet; aliis denique Episcopatu cedentibus, quod nollent vel amicum vel iratum habere Regem contra fas agentem.

Vide Paulum Æmilium in Philippo 1.

Mandatur Iuoni vt Parisios se recipiat celebritati nuptiarum adfuturus: sed ire detrectat, & quà voce quà literis Regi ipsi, summo Pontifici ac Præsulibus Galliæ scriptis illicitum hoc coniugium constanter occlamat: quæ sibi Philippi & Bertradæ infensissimum odium pepererunt. Sed huius odium insuper habuit, à qua nec amari vellet: aduersùs illum autem ita feruorem animi temperauit, vt licet illius libidinem acriter coërcuerit, majestati tamen Regiæ cætera obsequibilē se præstiterit, & rerum illius, atque adeo totius regni amantissimum. Fugit diu Regis conspectum, & in Aulam aduentare, etiam vocatus renuit, ne si adsit & taceat, fauere; sin verò obloquatur, regem offendere videretur. Haud quidem impunè tulit magna illa eius παῤῥησία. Non defuere etiam inter Præsules qui *abruptæ contumaciæ* eum accusarent, dum ipsi sese *deformi obsequio* dedunt. Ministri verò regis, per fas & nefas ei addicti, bona Iuonis diripere, Ecclesiæ reditus intercipere, eum modis omnibus, & omnibus exemplis affligere, vt ne panis quidem ei esset, quo vesceretur. Sed inter alios hac in re primas tulit Hugo Puteacensis Dominus, Carnutum Vicecomes, qui dum regi morigeratur, & adulteris vel etiam incestis abblanditur, Iuonem nostrum carceri impingit, ac in quodam castello diu detinet, quo frangat animum ni Saxo fortior esset. Perstat enim vbique inuictus. Cúmque ad aures eius peruenisset, Primates vrbis Carnutum ac ciues armis eum liberare velle, prohibuit, noluitque libertate potiri sanguine, & detrimento suorum redempta: patientia prorsus omni laude digna, & antiquorum deffensorum Ecclesiæ, ac sanctissimorum virorum nulla in re absimili.

Epist. 20.

Et quidni illis parem fecerim cùm cum Guillelmus Fiscanensis Abbas ὁμῆλιξ, Ioanni & Eliæ comparauerit? Non omni prorsus caruisset ope, si alter in Gallia fuisset Iuo, qui erga se ageret aduersus Hugonem Vicecomitem, quod ipsemet aliquanto pòst egit Iuo pro Hildeberto Cenomanensi contra Rotrocum Comitem, qui hunc etiam carcere incluserat.

Hildebert. epist. 39.

Post enim quàm frustra preces adhibuit, dicto anathemate, diris eum deuouit. Hæc agens vir magnus μεγάλων ψυχῶν inimicam, & perpetuo illas insectantem τὴν διαβολὴν vitare non potuit. Atque in primis non desit fortè aliquis, qui eum iræ & suspicioni nimio plus indulgentem fuisse existimet, qui contra regem indignationem summi Pontificis & fulmen prouocauerit. Verùm licet mihi de regibus benè mereri videatur qui maculas eorũ nomini temerè impressas vel minuere, vel eluere conantur: tamē nec Philippum vndequaque innoxium quisquam affirmare audeat: nec satis rationum habere possit, vt ostendat Iuonem parum illi aut regno eius fuisse fauentem. Quod ad Philippum adtinet, factum eius præcessere exempla secutaque sunt, multa quidem, non tamen similia omnino, & quæ peccatum eius magis obruunt quàm excusant. Nam vt

concedatur quod à Berta diuortium nulli reprehensioni sit obnoxium, (quod tamen constare debuit & Iuoni & aliis, vt illud in dubium non reuocarent) at certè initum cum Bertrada matrimonium, quæ nullo Ecclesiæ iudicio se à Fulcone subtraxerat, quæque eodem consanguinitatis nexu, quem cum Fulcone prætexere potuisset, à Philippo absterreri debuit, nullo modo excusari potest. Et vt omittam autores συγχρόνους, viros magnos, rerum testes oculatos, qui Iuonem mirum in modum celebrant ac laudant, vt nemo quisquam sit contra illum hac de re obloquutus, licet inimicis non caruerit, & criminatoribus, ipsi Philippus & Bertrada, quando absolutionem excommunicationis à Lamberto Atrebatensi Episcopo Romani Pontificis vices agente receperunt, reos se esse fassi sunt, & nunquam deinceps conuenturo coram præsentibus Episcopis promiserunt, sicut legi ego ipse in Epistola manuscripta eiusdem Lamberti ad Paschalem II. summum Pontificem. Non defuere inter Principes & Præsules qui regi assentarentur nempe de genere eorum, *quibus omnia Principum, honesta atque inhonesta laudare mos est.* Nam si quid rationis in eis, quid, ni reclamant, dum ista & tot alia fiunt in testificationem nuptiarum illicitarum? Cur non aut manu aut voce Regis innocentiam tutantur? Inuitant omnia, Rex, vexata innocentia, exempla, Iuonis feruor immodicus, eius criminandi licentia. Et tamen silent, neque quicquam contra Iuonem pronuntiant: tot verò & toties collecti Episcopi, Cardinales, Legati, Principes, nihil-ne vident, qui vna voce regis peccatum condemnant; excusant autem nunquam aut minuunt aut tegunt? Cùm autem Iuo dicat Philippum Richardo Albanensi S. Pontificis Legato promisisse à Bertrada se discessurum, vsque ad dispensationem Romani Pontificis quod contigit an. Dom. M C II. & ipse roget summum Pontificem vt cum Rege temperet & dispenset; & aliunde certum sit nullam dispensationem intercessisse ex laudata Lamberti Epistola, signum est in nuptias illas inquisitum fuisse iterum, neque dispensationi locum vllum inuentum esse. Addo neque Iuonem habuisse vnde Regi Philippo minus bene vellet, cùm multis beneficiis sese ei obstrictum sciret, nec verò diffitetur. Episcopi dignitatem ei fert acceptam non semel, propter quam, si quid humani pateretur, & vulgo similem gereret animum, Regi præ cæteris eiusque libidini assentiri debuit. Sed & antequam ad Episcopatum perueniret, Regi maxima debebat. Constructo S. Quintini Monasterio, atque inibi collocatis religiosis Canonicis, Rex priuilegio concesso & institutionem & largitiones ei factas regia autoritate communiuit. Deinde rogatus ab Iuone, Canonicis S. Quintini apud Veromanduos misit Epistolam, qua petit vt cognomini Ecclesiæ Belloua censi præbendam concedant. Vtrumque monumentum regium, quia ineditum est, ne desideretur hic apponendum censui. Prioris igitur hæc verba sunt: *Instituta regia & rebus Ecclesiasticis aut secularibus publica vel priuata sine vlla iuris controuersia priorum Regum iussu & authoritate firmata non violare, sed inconcussa seruare, nostra quoque nulla iuris parte reclamante præsentibus ac posteris seruanda mandare, Regij culminis est opus implere. Vnde notum volumus esse cunctis orthodoxis Ecclesiæ filijs tam præsentibus quàm longè positis, viuentibusque & nasciturus, quod sanctæ Beluacensis Ecclesiæ Guido reuerendus antistes, orator aures adierit nostræ pietatis, suppliciter nobis intimans, decentissimam Basilicam se fundasse in honore & memoria gloriosissimi Quintini Martyris; à qua nostræ sublimitatis decreto ita dominium postulat vniuersæ potestatis exterminari, vt grex dominicus in eadem Basilica Deo seruiens nullius extraneæ potestatis ibidem sæuientis possit infestatione turbari. Cuius petitioni libenter assensum præbemus, & Regiæ Majestatis authoritate sancimus, vt deinceps in prædicta Basilica, vel in vico eidem adiacente non Episcopus, non aliqua quæcunque potestas aliquid sibi iuris vsurpet, præter eiusdem loci Prælatum, aut eos qui ab eo potestatem acceperint; excepto quòd Beluacensis sedis antistes, defuncto eiusdem loci Prælato, electione fratrum alium ibidem substituet, qui res Ecclesiæ strenuè & fideliter administret. Ea quoque quæ eidem Ecclesiæ à prædicto Episcopo, vel ceteris fidelibus donata sunt, vel quandoque donanda, præsenti testamento Deo & Ecclesiis debita libertate donamus, & irreuocabiliter de cetero possidenda qua præcellimus potestate mandamus: quod si quis contra hoc authoritatis nostræ decretum quidquam moliri præsumpserit, quodque pro reuerentia tanti Martyris, tam piè sancitum est violare tentauerit, Regiæ Majestatis reus iudicabitur, & sacrilega eius peruasio irrita penitus habeatur. Vt autem testatior authoritas huius nostri possit esse præcepti, sigillo nostro subter illud fecimus sigillari, & nomina sublimium personarum, in quarum præsentia confirmatum est, cum nota cuiusque pariter assignari.*

Ego Philippus mea manu sub ✠ scripsi. Rex Francorum — *Ego Guillelmus mea manu sub ✠ scripsi. Rex Anglorum*

S. Roberti Regis Dapiferi. S. Galerandi Camerarij. S. Heruei Buticularij. S. Adami Constabularij.

Hildebertus, Goffridus Abbas, Anselmus, Lisiardus, Gaufridus Malaterra, Ganfridus Grossus, Sugerius, Author historiæ Eccles. quæ in Monast. Heriuall. vocat Iuonem sanctum.

Ea est in manibus R. P. Sirmondi.

Epist. 144.

Ex antiquo codice MS. S. Quintini Bellou.

De his literis quas Pragmaticam sanctionem vocat, mentionē facit Iuo in epist. 193. ad Gaufridum Beluacensem Episc. Et hoc tenore in peruetusta mēbrana concepta leguntur.

S. Anſelmi Beccenſis Abbatis. S. Rodulfi Beluacenſis Eccleſiæ Theſaurarij. S. Comitis Hugonis, fratris Regis. S.

Interfuerunt autem & alij, quorum nomina ſubſcripta ſunt, Iuo eiuſdem Eccleſiæ Prælatus. Alulfus Monachus. Comes Iuo de Belmonte. Albericus de Cociaco. Gaufridus de Calmonte. Lanſcelinus Caſatus Eccleſiæ Beluacenſis. Rodulfus Caſatus Beluacenſis Eccleſiæ. Anſoldus Meldenſis. Aſcelinus de Bullis.

S. † Manaſſe Rhemorum Archiepiſcopi.
† Thetboldi Sueſſorum Epiſcopi.
† Vuidonis Beluacenſis Epiſcopi.
† Gerardi Cameracenſis Epiſcopi.
† Rotgeri Catalaunenſis Epiſcopi.
† Ratbodi Nouiomenſis Epiſcopi.
† Iuonis Siluanectenſis Epiſcopi.
† Huberti Taruanenſis Epiſcopi.

S. Gaudefridi Cancellarij. S. Vuarini Archidiaconi. S. Arnulfi Archidiaconi. Actum publicè in obſidione prædictorum Regum videlicet Philippi Francorum, & Guilelmi Anglorum Regis circa Gerborredum, anno Incarnati Verbi milleſimo ſeptuageſimo nono, anno verò regni Philippi Regis Franc. nono decimo. Recitatum verò & confirmatum eſt ſub præſentia prædicti venerabilis Manaſſe Remorum Archiepiſcopi, & plurimorum ſanctorum Patrum, Sueſſionis in Concilio, quod ſub eodem Epiſcopo celebratum eſt in Eccleſia ſanctorum Martyrum Geruaſij & Prothaſij 16. Kalend. Maij.

† Ego Manaſſes Rhemenſis Archiepiſcopus mea manu ſubſcripſi. Quicumque hoc firmamentum de cetero violare præſumpſerit Chriſti Martyris Quintini accuſationem apud diſtrictum iudicem incurrat & noſtra authoritate noſtræque Congregationis in idipſum tandiu anathema ſit donec dignè ſatisfaciat. Ego Gillebertus ad vicem Rogerij Cancellarij Regis relegendo ſubſcripſi.

Poſterius ſic habet.

Reſcriptum Philippi Regis ad Capitulum Eccleſiæ S. Quintini Veromanduorum pro præbenda quam Quintiniani Beluacenſes in dicta Eccleſia, conceſſione eiuſdem Philippi poſſident. Datum, vt creditur, an. 1089.

Philippus Dei Gratia Francorum Rex; O. Decano & ceteris Canonicis noſtris Eccleſiæ ſancti Quintini, ſalutem & gratiam noſtram. Notum facimus vobis quod Iuo Abbas Beluacenſis Eccleſiæ B. Quintini noſtræ manſuetudinis aures adierit, ſupplicans nobis tam per ſe quam per fideles noſtros, vt Eccleſiæ ſibi commiſſæ Præbendam vnam in veſtra Eccleſia pro remedio animæ patris mei & matris meæ perpetuò habendam concederemus. Cuius petitioni ideo libenter aſſenſum præbuimus: quia vos id in Capitulo veſtro iam collaudaſſe per quoſdam ex vobis audiuimus. Quapropter mandamus vobis vt ſicut inter vos determinatum eſt, inueſtituram; quæ ad vos pertinet, prædictæ Eccleſiæ per prædictum Abbatem faciatis. Valete.

Ex his nemo non videt Iuonem Philippum præ cunctis obſeruare debuiſſe, niſi ab eo quod humano ſenſu & Regia dignitate altius eſt, reuocaretur. Multos exinde ſibi fecit inimicos, qui nomini ſuo tum apud Regem tum apud ſummos Pontifices detractum iuere. Apud Vrbanum πνευματικὸν αὐτοῦ πατέρα calumniis appetitus, non aliis argumentis ijs obuiam ire voluit quàm abdicato Epiſcopatu: ſed prohibuit ſummus Pontifex: quippe Iuone ἡ ἐπισκοπὴ non Iuo τῆς ἐπισκοπῆς indiguit. At cum Vrbanus diem ſuum vltimum obiiſſet; reſque ſemper in peius ruerent, Romam Iuo ſe conferre ſtatuit, animo ſe omni onere exuendi: ſed inſidias inter Alpes ſibi ſtructas intelligens pedem retraxit. Paſchalis autem ſummus Pontifex ſciens quid illi eſſet animi, in præſidio manere iuſſit. Haud tamen euitare potuit, quin etiam eius indignationem incurreret, quia cùm probe ſciret quid diſcrepent obſeruantia & adulatio, dum illam exhibet, iſtam amandat, non ſemper placet. Delatos Richardo Albanenſi Epiſcopo S. R. E. Legato ſimoniæ nomine Canonicos ſuos, ita crimen illud repulit, vt oſtenderit ſimul taxandos eodem crimine ſummi Pontificis miniſtros, qui ab Epiſcopis, Abbatibus, & aliis pretia exigunt ſanè immenſa, ſpecie chartulas & alias id genus minutias repenſandi. Fatendum ſanè tunc temporis, & paulò antè, adeo crimen ſimoniæ in clericis inoleuiſſe, tantumque ei extirpando ſummos Pontifices inſudaſſe, vt quicquid vel vmbram illius præ ſe ferebat in ſuſpicionem veniret. Verùm nemo telum contorquet qui contra ſe idem retorqueri libenter patiatur: atque infirmum ſemper excuſationis genus viſum eſt, crimen regerere. Neque Iuo id fecit, ſed quid Canonici reſponderent ingenuè retulit. Agnoſcunt plerique omnes, ſolum propè Iuonem ea tempeſtate contra exundantium vitiorum torrentem ſe obtuliſſe. Ipſe eſt qui ne malæ famæ homo Ioannes Archidiaconus, Aurelianorum fieret Epiſcopus, apud Hugonem Lugdunenſem, Pontificis Romani Legatum pro virili laborat. Ipſe eſt qui Stephano Galardenſi, ne in ſedem Bellouacenſem euehatur obſiſtit. Et ne Gallia virtuti eius ſatis ampla ſit, ipſe eſt qui apud Paſchalem II. & Robertum

Vide epiſtolas Gaufridi Vindocinenſis lib. 2.

Ep. 133.

Epiſt. 66.

Epiſt. 87.

Robertum Comitem Mellentinum conqueritur, quod Ranulfus Dunelmensis Epis- *Epist. 154.*
copus Lexouiensem Ecclesiam nouo genere inuasionis occupat, ei filios præponens *157.*
adhuc pueros more Iudaïco alterum alteri successurum. Ipse est qui Henrico Regi *Ep. 55. 60. 87.*
Angliæ semel ac iterum scripsit, tum ob multa alia, tum etiam ne incestis nuptiis *109. & 110*
filiam suam alligaret. Ipse est qui cum Pontificibus summis, modestè tamen, Lega-
torum qui dicuntur à latere auaritiam, importunasque ad sedem Apostolicam ap-
pellationes eorum qui propriorum Pastorum sententia constringuntur, expostulauit.
Nempe sedis illius obseruantissimus ægrè ferebat passim ipsi detrahi: vnde abscissas *Ep 46. 250.*
voluit detractionum ansas quoad fieri posset. Florebat tunc temporis Gauffridus Ab- *259.*
bas Vindocinensis, vir sanè simplex & bonus, quem inter & Iuonem amicitia nexa *Vide epistolas*
est. Scribit tamen hic Paschali II. se multa pati ab Episcopo Carnutum, Iuone nem- *Gaufridi*
pe nostro: & ex vtriusque Epistolis simultatem quandam inter illos natam videre est *Vindocin. lib. 1. & 2.*
ob exemptũ Vindocinense Monasterium ab Episcoporum potestate. Hæc enim est ra- *Ep 195.*
dix similium discordiarum ab antiquo feracissima, etiam inter quoscunque sanctita-
te & doctrina claros. Et sicut illi nulla virorum etiam piissimorum authoritas hacte-
nus finem facere potuit; ita nec illa integritati ac sanctitati vtriusque partis disce-
ptantis quicquam officere visa est. Dum autem vndequaque Iuo in vitia omnium in- *Ep. 11. 25. 80.*
uehitur, quid mirum si aliis oneri, aliis odio sit? quis obstrepentem perpetuò tu-
bam illam æquo animo audire possit? & si quosdam fecit gradus atque ἡ ἐξουσία supe-
riores, quis non irascatur, aut toties lancinatam non vindicet dignitatem? Profectò
qui ad mores hominum illius æui animum aduerterit, mirabitur non quod clamaue-
rit Iuo, sed quòd solus exclamauerit, & tot alij silere potuerint: cùm opus fuisset cla-
more valido ad veternum hominum excitandum. Ne mihi tamen fingas Iuonem vi-
rum austerum, ac ferreum qui *Contumaciâ ac inani iactatione libertatis famam fatum-
que prouocaret.* Qui legerit eius epistolas, moderatum agnoscet. Sæpe namque cano- *Epist. 23.*
num rigorem temperauit, aut alios temperare monuit. Sæpe Pontifices aut Legatos
eorum, aliosque Præsules à pronuntiando anathemate dehortatus est. Denique mul-
to plura tolerauit, quam increpauit: vt de ipso dicere possimus quod olim de Pontifice
sed profano dictum *nullius seruilis sententiæ sponte auctor, & quoties necessitas ingrueret
sapienter moderans.* Dictum ab Vrbano II. anathema contra Philippum, diu celatum
detineri voluit, beneuolentia ac propensione quadam erga principem, nec quid in re-
gno tumultus fieret. Bellouacensi Clero, sciscitanti vtrum reum quendam Canoni-
cum tribunali Ecclesiastico, vt fert Canonica lex, an ciuili vel regio, vt Rex ipse
imperabat, sisteret: illud quidem melius & ex iure; istud tamen faciendum censuit,
ob ea quæ imminebant mala, nisi patientiam ad omnia duratam paratamque habe-
rent. Similia ferescribit Turgedo ingenæ Abrincantorum Episcopo, dubio senten-
tiæ, num Legato summi Pontificis aut Regi obtemperaret. Illi quidem morem ge-
stum oportere dicit: at si non satis ei sit animi, neque iratum Regem habere velit,
mittat ad summum Pontificem qui factum contra eius voluntatem excusant. Apud
Canonem autem Prænestinum Episcopum, sanctæ Sedis Apostolicæ Legatum, orat vt
Episcopus Baiocensis censura Ecclesiastica non inuratur, quippe qui sub alieno iure,
cui seruiat necesse est, distinetur. Sed inter moderationis, & erga suos superiores
propensionis argumenta non omittendum, quod ait Ordricus de illo verba eius of-
feram. An. M. C. III. Paschalis Papa in Gallias venit, &c. Tunc venerabilis Iuo
Carnotenæ vrbis Episcopus inter præcipuos Franciæ Doctores eruditione literarum
tam diuinarum quam sæcularium floruit. A quo inuitatus Papa solennitatem Paschæ
apud Carnotum celebrauit. Porro autem dum iis sedulus vacat, inde disciplinæ Ec-
clesiasticæ assertor, inde eiusdem cum id exigit locus, temperator maximus, non
prætermittit ea quæ & Regi & Patriæ debet: & licet sacrorum sedis Apostolicæ iurium
defensor fuerit acerrimus, nihil tamen contra Gallicanæ Ecclesiæ iura commisit vn-
quam aut committi passus est, in vtrisque seruandis ac propugnandis mirum quantum
prudens & circumspectus. Id sensit Ludouicus VI. statim ab eo quo regnare cœpit.
Post enim aliquot dies quàm fato Philippus functus est, suboluit Iuoni, multos sacræ
Regis vnctioni moram nectere velle nouandarum rerum studio. Quamobrem in- *Epist. 189.*
stitit vt quam primum ea Genabi Aurelianorum perageretur, reclamantibus nec-
quicquam Rhemorum Clericis: qua in re haud dubium, & Regi & regno consul-
tum iuit. Quid referam curam eius, qua egit ne Rex Ludouicus parum honestis se
nuptiis commacularet, quas illi Hugo Trecensis Comes suadebat, & destinatam *Sugerius in vita Ludouici VI. c. 13.*
sponsam sine mora sibi copularet vt successoris spes impendentes regni scissuras reti- *Epist. 209.*
neret? Certè magni à Rege æstimatus est, ita vt præ cunctis illi esset à consiliis. Ho- *Ep. 239.*
minem anathemate percussum, & mensæ Regis participem effectum, ab Episcopo

Epist. 190. recipiendum censuit, & recepit ipse: tanti fecit Regi acceptum esse. Cùm mandasset Paschalis II. Radulfo sedi Rhemensium designato, ne se Regi vllo sacramento obligaret, scripsit minimè obtemperatum fuisse, quòd hoc mandatum & contra consuetudinem Episcoporum Galliæ, & contra ius Regis esset; neque aliunde profectum, quàm ab eo quod in hominibus σαρκικὸν, & quod quærit τὰ σαρκὸς non quæ Dei sunt. Eidem summo Pontifici scribens rogat vt nunquam ab amicitia Regis Galliæ, temerè discedat, ne Galliæ alioqui religiosissimæ, & Rom. Pontif. amantissimæ, dissidij ac schismatis, quo tunc germania miserè lacerabatur, causam det. *Epist. 6.* Quare sensit res humanas incolumes, & tutas esse non posse, nisi consenserint inter se Regnũ & Sacerdotium: cui rei alterum alteri de suo nonnunquã cedat necesse est. Sed nulla res est, in qua ingenium ac sapientia Iuonis magis emicuerit, quàm in quæstione de inuestituris vt appellant. Ea hoc temporis agitata est cum tanto calore inter Imperatores, Reges, Pontifices, vt qua parte steterit victoria neque nunc, neque tunc dicere possis. Iuo de his pronuntians licet modò Baronio placeat, modò displiceat, ita tamen disseruit, vt nec Pontifici Romano, nec Regibus ac Imperatoribus notam vllam hæreseos, aut erroris, aut schismatis, aut ignauiæ inuri passus sit: cum nec hęreseon errorumque ea sit materia, & cætera si nulla sit diuisio, pro loco, tempore, ac aliis circonstantiis minui, augeri, tolli, apponi possint, quæ varias deinde acceptiones & appellationes subire queant. Itaque censuit factas à principibus non continuo damnandas; eisdem à Pontificibus summis permissas minime reiiciendas; ex natura rei, si id fert bonum pacis, ab solo summo Pontifice accipiendas, antehac autem sæpe non sine Regibus datas acceptasve. Hoc inquam censuit & magno conatu affirmauit, atque si tempora nostra consulis non pœnitendo. Noluit libertatem Ecclesiasticam sæcularibus potestatibus subiici: vti nec se ita attollere, vt has despiceret, aut offenderet. Diceres ex his alium esse Iuonem ab eo quem ante descripsi increpantem ac detonantem. Tamen is ipse est, æqualis erga omnes, si æquales erga se habuisset: moderatus sanè, si eo tempore luxuriæ, ambitioni, auaritiæ modus vllus fuisset. Ludouicum Regem eiusque Aulicos à direptione bonorum Ecclesiæ seu minis, seu censuris audacter deterruit: ab his tamen abstinuit, quando illas satis esse existimauit: mansuetudinem ergo seueritate temperauit, nisi fortè cum Ludouicum ipsum, vile nescio quid à se petentem, ita seuerè coërcuit, quod futilia ab Episcopo requireret, vt diceres regium induisse animum, quia regem alloqueretur. Maximis his distentus minora non neglexit, atque inprimis vt fratres suos secum semper haberet, eorumque frueretur consortio, ecclesiam sancti Vincentij, propè vrbem Carnutum à Realdo quodam presbytero An. Dom. M. XXXVIII. circiter ædificatam, in qua Canonicorum cœtus degebat, eis tribuit, addito sancti Stephani collegio; & his An. D. M. XCIX. cum consensu Canonicorum suorum claustrum, templumque extruxit sancto Ioanni præcursori sacrum; ex quo Monasterium nomen sancti Ioannis Varliacensis traxit. Stetit id ad annum vsque 1568. quo sortem multis aliis parem, segregum & hæreticorum furore expertum est: quamobrem religiosi Canonici sese in vrbem recipientes in prædicti S. Stephani ædibus habitarunt; ni malis dicere in ruderibus, adeo omnia vetustate & squalore confracta ruinæ appetebant, donec An. Dom. M. DC. XXIV. Illustrissimi Domini Destampes tunc Carnutum Præsulis opera, illuc acciti Canonici regulares, qui recens Siluanecti Consilio & autoritate Eminentissimi Cardinalis de la Rochefoucauld eiusdem vrbis Episcopi se meliori vitæ ac santiori reformauerant, domum eandem à fundamentis ædificarunt. Præterea ecclesię S. Andreæ eiusdem vrbis Decanum de Capituli sui consensu Collegio Præposuit, dominum nempe Odonem virum venerabilem, in ecclesiasticis & sæcularibus bene eruditum, qui suas ipsius vices obiret. Abbatem antiqua acta vocant, quod nomen quia olim Canonicis & Monachis commune fuit etiam post diuisionem sæcularium Canonicorum à regularibus his vtrisque aliquando attribuitur. Amicos habuit dum vixit Robertum de Abressello B. Mariæ de Recti Ordinis sanctimonialium Fontis Ebrardi auctorem, & Bernardum S. Cypriani Quinciasensis ad Augustoritum Pictonum Monachorum etiam quorundam Institutorem & Abbatem. His sua in diocesi Monasteria ædificasse dicitur. Monachis quidem Bernardi Tironum Monasterium. Mulieribus autem Roberti hoc quod vocatur Altabruyeria. Leprosis domum magni Belliloci extruxit. Cluniacensibus Magdalenæ parui Belliloci Prioratum dedit, Caritatemque (Antissiodorensis diocesis est oppidum) Monasterio eorum addixit. Ambonem Ecclesiæ Carnutum veteris nouique Testamenti historiis eleganter pro tempore illo exornari fecit. Tandem de Ecclesia optime meritus supremo fato fungitur X. Kalend. Ianu. An. Dom. M. C. XV. contra quam sensit Matthęus Paris, aut

Sirmondus in Notis ad serm. 1. Gaufridi Vindocin. scribit Valiacensis.


Etiam antequam Canonici in occidente dicerentur legimus Abbates Clericorum.

Sed incerta sunt hac omnia, nisi ipsius fundationum inspectio ac collatio constet.

Papirius Massonius: sed huius fidem faciunt Necrologia tum Ecclesiæ Carnutum, tum Monasterij sancti Ioannis, quorum elogia intra descripta habes. Non me fugit aliquos Iuonem nostrum purpuratorum numero accensuisse, sed decepti sunt ex eo quod eodem ferè tempore vigeret Iuo Cardinalis, qui & in Gallia Legatus fuit Innocentij II. S. P. An. Dom. M. C. XLII. Hæc de Iuone dicenda habui: qui epistolas eius legerit, plura deprehendet. Ampliores eius laudes nemo hic requirat. Viam institit quâ itur ad cœlos. Vir illis quibuscum vixit magnus; posteris tamen maior, quia his nihil oblocutus est. Stirpe & dignitate æqualis multis, inferior nonnullis, at virtute & doctrina omnium maximus. Conditione quidem & obedientia Principibus & Pontificibus summis subiectus: at animi celsitudine & constantia ne suppar quidem, sed si quid vltra. Ad summa natus & qui summus esset dignus, nisi cum summis tractare difficilius aliquid esset. Regum fauorem nec spreuit nec quæsiuit: beneuolentiam illorum æstimauit propter hoc quod ipsis bene vellet. Nobilis, Theologus, Canonicus, Abbas, Episcopus: vt quodam modo omnium sit qui tantus est, nec vllus vlli propter ipsum quicquam inuideat. Natiuitati eius locum dedit Belgica, dignitati Celtica, virtuti tota Gallia, Italia, Anglia Regibus ac Principibus fidus & vtilis, non tamen semper placens quia vtrunque difficile. Pontificum summorum filius addictissimus: sed aliquando eorum vt hominum quasi pater: adeo cum res exigeret altos induebat spiritus. Denique sic in terris versatus est, vt cœlum proximè attigerit: & corpore solutus dubio procul, consecutus sit. Memoriam eius semper quidem venerati sunt Christiani, haud vero vllo die festo celebrarunt per multos annos. Post mortem tamen eius in ipsum ossaque illius grassati sunt hæretici, quod non solent nisi in Sanctos. Et Pius V. fœlicissimæ memoriæ Pontifex Canonicis regularibus Lateranensis Congregationis diem eius festum celebrare permisit XX. Maij, Bulla data xviij. Decembris MDLXX. Pontificatus V.

Obituarium S. Quintini Bellou. ponit eius mortem an. 1116 quia Ianuarius mensis erat eius anni sed quia 10. Kal. Ianuar. recidit in 23 Decemb. Idcirco propriè de natus an. 1115.





TESTIMONIA VETERVM DE IVONE CARNOTENSI EPISCOPO.

Glorioso & sapienti Iuoni Carnotensi Episcopo, frater Hugo Monachus S. Benedicti Floriacensis Cœnobij sempiterna pace & felicitate perfrui.

Ex vet. chro. P. Petauij Senat. Parif.

ECCE tibi, præcellentissime Pater & domne duo humilitatis meæ opuscula transmitto, vt si quid ibi videris indecens & incultum, lima prudentiæ tuæ corrigas, & exornes, & quod tibi placuit corrobores, & confirmes arma mea aduersus otium. sunt hæc opuscula quæ nunc vides. nam malo studio vacare, quàm in ocio & torpore sicut pecus inutile vitam exigere. Sed hæc omnia vestro desidero iudicio discuti & vestra sapientia condiri, quoniam vacillare non poterit quod semel auctoritatis vestræ nodus corroborauerit. At mihi forsitan aliquis dicet; tam vilia & inutilia cur viro prudenti, & in summa arce Philosophiæ sedenti mittere non erubuisti? cum scias scriptum quia orationi & carmini est parua gratia nisi eloquentia sit summa. Ego verò ad hæc respondeo, quoniam malo iusto sapientis iudicio comprobari, quàm arrogantium sententia condemnari. laboriosum tamen est, Pater honestissime, tuæ integritatis adiectiones & detractiones huic adhibere volumini: sed fructus laboris preciosior auro caritas est. Vale.

Sugerius Abbas S. Dionysij in lib. de vita Ludouici Grossi, Regis Francorum.

*Consultè ergo agitur, & potissimum dictante venerabili & sapientissimo viro Iuone Carnotensi Episcopo, vt ad refellendam impiorum machinationem citissimè Aurelianis conueniant, eiusque exaltationi operam dare maturè festinent. Senonensis igitur Archiepiscopus Daimbertus inuitatus cum comprouincialibus videlicet * Galone Parisiensi Episcopo, Manasse Meldensi, Ioanne Aurelianensi, Iuone Carnotensi, Hugone Niuernensi, Humbaldo * Autissiodorensi accessit.*

* al. Vvalone.

* al. Altissiodorensi.

Idem paullopost.

Recedentibus Prælatis Ecclesiæ, Archiepiscopo Senonensi Episcopo Aurelianensi, Carnotensi venerabili Iuone, qui tentus fuerat carcere, quem coactus fecerat pingi in eodem castello multis diebus.

Andreas vetus scriptor lib. 3. hist. Francorum ad P. Atrebatensis Ecclesiæ Episcopum.

Ex prisco codice manuscripto.

Anno Domini M. C. IX. *Episcopi qui ad exequias Philippi Regis conuenerant, post exequias statim Aurelianis conuenerunt, & propter turbatores regni, salubri accepto consilio, Ludouicum iuuenem, religionis amatorem, moribus mansuetum, armis strenuum, bello acerrimum, in die inuentionis Protomartyris Stephani, in Regem vnxerunt, ante altare S. Crucis, & coronam regni capiti eius imposuerunt Daimbertus Senonensis Archiepiscopus, Iuo Carnotensis, Ioannes Aurelianensis, Hubertus Siluanectensis, Vualo Paris. Manasses Meldensis, Hugo Niuernensis Episcopi, & Episcopus Autissiodorensis.*

Eadem verba extant in manuscripto exemplari alterius veteris auctoris qui sequentia adiicit. *Prouocati plurimis exemplis aliorum Regum, qui diuersis in locis propter imminentes turbas à diuersis Episcopis consecrati sunt.*

Sigebertus in Chronico sub anno 1078.

Ab hoc tempore cœpit reflorere in Ecclesia B. Quintini Beluacensis canonicus ordo, primùm ab Apostolis, posteà à B. Augustino Episcopo regulariter institutus, sub magistro Iuone venerabili eiusdem Ecclesiæ Præposito, postea Carnotensium Episcopo.

Idem sub anno 1092.

Dominus Iuo S. Quintini Beluacensis Præpositus à Papa Vrbano consecratus, fit Carnotensis Episcopus.

Idem lib. de illustribus Ecclesiæ scriptoribus, Cap. CLXVIII.

*Iuo Carnotensis Episcopus scripsit ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum & Apostolicæ Ecclesiæ Legatum, epistolam * non multum prolixam, sed multum Canonicis & Ca-*

* Intelligit epist. 60.

tholicis testimoniis auctorizatam, pro dissidio regni & sacerdotij, & pro inusitatis Ecclesiæ Romanæ decretis. Scripsit & ad diuersos amicos vtiles valdè epistolas; composuit etiam insigne volumen Canonum.

Mattheus Paris hist. Angl. in Vuilielmo sec. sub ann. Dom. M.XCIII.

Hoc quoque anno Iuo Beluacensis Præpositus, à Papa Vrbano consecratus est Episcopus Carnotensis.

Idem in Henrico primo.

Anno Dom. M. C. XVII. venerabilis vir Iuo Carnotensis antistes, & in scripturis sacris ad plenum eruditus, diem clausit extremum.

Robertus de monte in supplemento Sigeberti sub anno 1114.

Post Iuonem qui vita atque doctrina sua Carnotensem Ecclesiam illustrauit, quique inter cætera opera sua illud volumen quod decreta Iuonis dicunt, vtiliter compilauit, Gaufridus vitæ merito ac prudentia venerabilis Carnotensem Ecclesiam rexit.

Guillermus de Nangis in gestis Philippi tertij audacis ad annum M. CC. LXXV.

* Epist. 189. *Quia sicut legitur in quadam * epistola Iuonis quondam Episcopi Carnotensis.*

Vetus & anonymus scriptor chronologiæ Autissiodorensis ad an. Dom. 1154.

* Ibid. *Quodquidem Iuo Carnotensis, decretorum ac legum peritissimus * in epistolis suis tam rationibus astruit quàm exemplis.*

Ex antiquo manuscripto codice Ecclesiæ Laudunensis.

In vigilia Natiuitatis sanctæ Mariæ ante vesperas Carnotum venerunt, & honorificentissimè suscepti sunt à domno Iuone Carnotensi Episcopo, totaque Canonicorum processione extra vrbem vsque ad vineas eis occurrente, feretrumque positum est in maiori Ecclesia super altare sanctæ Mariæ.

Priscus Monachus maioris Monasterij agens de priuilegio concesso ab Vrbano Papa II. in Concilio Claromontano M. XCIII.

*Præter hos assidebant domnus Hugo Legatus & Primas Galliarum idem ipse Lugdunensis Archiepiscopus, & domnus Amatus Legatus, & Burdegalensis Archiepiscopus, Rainaldus Remensis Archiepiscopus, Richerius Senonensis Archiepiscopus, Hildebertus Bituricensis Archiepiscopus, Rollandus Dolensis Archiepiscopus, Narbonensis Archiepiscopus, Axiensis Archiepiscopus, Toletensis Archiepiscopus & Legatus Hispaniarum, Hoëllus Cenomanensis Episcopus, Gaufredus Andegauensis Episcopus, Nannetensis Episcopus, * Pitauensis Episcopus, Iuo Carnotensis Episcopus, Ioannes Aurelianensis Episcopus, Rogerius Beluacensis Episcopus. Episcoporum quoque & Abbatum procerumque & diuersarum dignitatum maxima multitudo, quorum incertus numerus; omnibus his ad auctoritatem & confirmationem priuilegij nostri, fiat, fiat, acclamantibus.* * Pictauensis.

Ex Martyrologio Ecclesiæ Carnotensis.

*Idibus Decembris anno Incarnationis Domini M. C. XV. obijt Pater Iuo huius sacratissimæ sedis antistes, vir magnæ religionis, ecclesiasticorum & sæcularium negotiorum prudentissimus; mitis affatu, patientia insignis, castitate pollens, & tam in diuinis quam in philosophia eruditissimus. Qui sex pallia bona, & septem cappas, & infulas tres, & tapetia tria decori huius Ecclesiæ contulit: librum Missarum, & epistolarum, & textum euangeliorum, & vnum lectionarium matutinalem dedit, & omnes argento parauit. Pulpitum miri decoris construxit, scholas fecit: domum episcopalem, quam vilem & ligneam (quam in obitu Episcoporum vel discessu * quibusdam prauis consuetudinibus per violentiam Carnotensium Comitum inductis ancillatam inuenerat) speciosam & lapideam à fundamento refecit, & cum omnibus ad ipsam pertinentibus siue mobilibus siue immobilibus ex ancilla liberam reddidit, libertatemque ipsam adstipulatione priuilegiorum & Romanæ sedis, & Regis, & Comitis, quæ in archiuis huius Ecclesiæ habentur, confirmauit. Terram etiam quandam contiguam eidem domui ad amplitudinem ipsius domus à Vicedomino adquisiuit, & muro clausit. Apud Pontem Gaudinum alias domos ad vsus episcopales ædificauit: eandemque villam in multis meliorauit. Abbatiam S. Ioannis ex sæculari in regularem conuertit, instituit & auxit: consilio & auxilio ipsius monasterium infirmorum apud Bellum locum constitutum fuit. Minoratas omnes huius ecclesiæ, & præcarias in communes redegit vsus, & eas in posterum personis * distribui tam suo, quàm Apostolico priuilegio vetuit. Angarias, & iniustas exactiones, & prauas seruientium distensiones fieri per præposituras ijsdem priuilegiis prohibuit. Ad augmentandam tabulam altaris idem moriens centum modios vini reliquit, & in aliis pluribus suæ Ecclesiæ & Clericis suis multa bona fecit.*

* Vide epist. 94.

* Mentio fit epist. 271.

Ex prisco Kal. S. Quintini Beluacensis.

Kalend. Ianuarij obiit venerandæ memoriæ magister Iuo, præ alijs sui temporis doctor insignis, primus Abbas huius Ecclesiæ, postea Carnotensis Episcopus. Dedit nobis triginta volumina, calices quatuor, textum aureum, crucem auream, phylacteria quatuor, cruces argenteas, & auratas quatuor, dexteram beati Callixti Papæ, thuribula duo argentea. Obiit autem tantus vir iste anno Incarnationis Christi 1116. pro cuius anima damus ad eleemosynam vnum frumenti modium.

Ex Kalendario Ecclesiæ S. Ioannis Carnotensis in Valle.

Decimo Kal. Ianuarias anno ab Incarnatione millesimo, centesimo decimo quinto obiit bonæ memoriæ Iuo Carnotensis Episcopus, qui Canonicorum regularium ordinem in hac ecclesia constituit, & eandem rebus suis ampliauit, dans fratrum vsibus Ecclesiam† sanctæ Fidis, Ecclesiam sancti Stephani cum rebus ad eam pertinentibus, Ecclesiam de Luciaco, Ecclesiam de Pontegodano, & terram vltrà stagnum, triginta quoque volumina librorum suorum, & multa alia.

† vide epist. 286.

Ex eodem Kalendario.

Centum mille minus vno currentibus annis
Floruit hic primum locus ordine canonicali.

Epitaphium Iuonis Carnot. ex vetere membrana B. Brissonij.

Mente, manu, linguâ, doctrinâ, corporis vsu,
Prudens, munificus, affabilis, vtilis, insons,
Prima columna domus Domini quā iure salubri
Fouit, muniuit, instruxit, iugiter auxit
Consilio scriptis, quo viueret ordine, rebus
Cuius opem gratis æger, rem sensit egenus
Istius vrbis apex memorandus Episcopus Iuo
Hac situs expectat aduentum Iudicis vrna.

Nic. de Clamengiis Cantor Baiocensis, epist. ad Galiotum de Petramala Cardinalem, quæ incipit: Quod in superiore: qua contra Petrarchæ dictum probare vult, nunquam caruisse Galliam eloquentibus viris.

Si rerum gestarum scriptores postulant, Gregorium Turonensem accipe, Seuerumque Sulpitium gestorum beatissimi Martini luculenta descriptione relatorem. Possem alios permultos & antiquos & recentiores commemorare: ex antiquioribus Irenæum Lugdunensem, Hilarium Arelatensem, Gennadium Massiliensem, Radulphum Flauiacensem, Prosperum & Cassianum. Ex recentioribus autem primò Bernardus occurrit, deinde Ildebertus Cœnomanensis, Iuo Carnotensis, Odilo, Hugo, & Petrus venerabilis Abbates Cluniacenses, Hugo denique & Ricardus canonici sancti Augustini regulæ sectatores.

Tritemius Abbas libro de scriptoribus Ecclesiasticis.

Iuo Episcopus Carnotensis ex Præposito sancti Quintini Beluacensis, ordinis Canonicorum regularium diui Patris Augustini, vir in diuinis scripturis exercitatus, & Canonum sanctorum Patrum, ac generalium Conciliorum cautissimus interpres: nec minùs sanctitate quàm scientia reuerendus, ordinem suum diu collapsum magnificè reformauit. Scripsit post Burchardum Vuormaciensem Episcopum, ex canonibus sanctorum compendiosum Decretum, quo ante Gratiani tempora vtebantur iuristæ, quod prænotauit Pannoniam † lib. 10. epistolarum ad diuersos lib. 1. & alia quædam. Claruit sub Henrico IV. an. Dom. M.XC.

† pannomiā al. pannormiam.

Ex aliis quæ Iuo scripsit hæc reperimus, de ecclesiasticis sacramentis ac officiis, & præcipuis per annum festis Sermones XXI. De Regibus Francorum breue Chronicon, quod Epistolis subiecimus ex P. Massoni I C. libro.

Superioribus videntur etiam adiiciendi loci Hildeberti de Lauardino, Cenomanensis Episcopi, qui Carnotensis Episcopi meminit: quem licet non nominet, tamen probabile est de Iuone intelligi, cuius epistolæ ad ipsum Hildebertum extant in hoc libro.

Hildebertus epist. 26. ad Comitissam.

Episcopo Carnotensi conductum, sicut fertur, prouidisti ad concilium profecturo, quod si ita est, præfatæ gratiæ beneficium mihi communices, exoro.

Idem epist. 39. ad Clerum, cum in carcerem detrusus esset ab Huberto Comite.

In turre Cenomanensi Comes † Rotrocus tenebatur in vinculis: mater Comitis in osculo me suscepit, applausit testamento. Et paulopost: *Porro in illo castello in quo hæc acta sunt, Carnotensis erat Episcopus, venerandæ vir auctoritatis: sed apud sceleris auctores sine auctoritate fuit auctoritas. Is in spiritu Hubertum conueniens (hoc enim Pharisæorum*

† huius meminit Iuo epist. 168. & conseqq.

principi nomen est) primò blanditus illi bestiæ: sed bestia rationem non admittit. Dehinc illum sacrilegij liberè arguit, obsecrauit opportunè, importunè increpauit. Postremo tradidit eum sathanæ in interitum carnis, anathematis vinculo quo debuit alligatum.

Idem Epist. 61. ad Monachos.

Errastis & vos foris, cum fores vestras Carnotensi Episcopo clausistis, cùm exclusistis Christum Iesu Christi, obliti pariter bonum hospitalitatis & præmium. Hunc & per vos via transire coëgerat, & apud vos hospitari temporis articulus. Nox imminens & aëris intemperies Pontificem hospitio instare perurgebant.

Ex veteri membrana S. Quintini Beluac. nunc primùm prodit.

Præclarum Elogium ex litteris societatis cuiusdam seu confraternitatis quam Canonici Regul. S. Ioannis in Valle apud Carnotenses cum Canonicis itidem Regul. S. Quintini Beluacensis ante annos 400. contraxere, excerptum.

Vniuersis Christi fidelibus & præsentem paginam inspecturis, Guarinus Ecclesiæ B. Ioannis de Valleia Carnotensis Abbas, totusque eiusdem loci conuentus, Salutem in Domino. Cùm secundum Apostolum omnes simus vnum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra, sicut nec corpus à capite, ita nec membra corporis censeri debent à membris capitis aliena. Cum igitur à longè retroactis temporibus à visceribus matris nostræ Ecclesiæ B. Quintini Beluacensis fuimus propagati, & ab ipsa tanquam à fonte sacræ religionis fluenta sumpserimus per venerabilem Patrem ac venerandæ memoriæ Iuonem; qui cùm floreret in eadem Ecclesia religionis nouella plantatio sub B. Augustini regula, dignè omnipotenti militans, fratribus ibidem Deo seruientibus Abbas præfuit. Sed tanti patris sanctitas eminens tanquam ciuitas in virtutum cacumine constituta diu latere non potuit: Quinimò eius religionis celebri fama longè lateque diffusa, Dei voluntate præambula, adeptus est cathedram Ecclesiæ Carnotensis, qui Ecclesiæ nostræ patronus & fundator extitit. Et inter alia beneficia quæ nobis paterna pietate contulit, ad vltimum in signum dilectionis & perpetui fœderis thesauro sui corporis ac suæ sepulturæ præsentia nostram Ecclesiam illustrauit. Vnde cum internæ dilectionis affectu nos pius pater, opifex, & patronus dilexerit, sicut in fine patuit, dignum fuit vt Canonici S. Quintini eius spirituales filij à patris actibus non degenerent, &c. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo octauo.

Epitaphium Iuonis à Philippo Bon-Spei Abbate, scriptum.

Reddidit affectus Patrē, Doctrina Magistrum
Regula Canonicum, Pontificemque gradus.
Famosum probitas, humilem natura, verendum
Vita serena, senem longa, pudica sacrum.
Præsule defuncto sua tollere mos erat olim
Principis, hunc morem Principis, emit Iuo.
Huius opem læsus, plebs dogmata, fræna malus Rex
Sensit, egenus opes, pro grege vota Deus.

Aliud Epitaphium quod Seuertius ex Tauelli manuscripto sumpsit, & in sua Chronologia descripsit.

Mente, manu, linguâ, doctrinâ, corporis vsu,
Prudens munificus, præstabilis, vtilis, insons,
Firma columna domus Domini quā iure salubri
Fouit, muniuit, instruxit, iugiter auxit
Consilio scriptis, quo viueret ordine, rebus
Cuius opem gratis æger, rem sensit egenus
Istius vrbis apex memorandus Episcopus Yuo
Hâc situs expectat aduentum iudiciorum.



REVERENDO ADMODVM IN CHRISTO ET DEI AMANTISSIMO PATRI ET DOMINO, F. BERNARDO A FRESNEDA

ab arcanis confessionibus Regiæ Catholicæ Majestati, Domino & Mecœnati suo colendissimo, Ioannes Molinæus, eiusdem Decretorum Louanij Professor.

S. D. P.



VOTIES calamitosissimum catholicæ ecclesiæ statum, eaque tempora quæ religionis Christianæ necdum compositis dissidiis, cùm ortum tum progressum præbuere, memoria repeto, Reuerende ac Religiosissime pater Confessor: tanta me corripit admiratio, tantus incessit stupor, vt existimem fidem olim defuturam, etiam iis rebus gestis, quarum non tam lectores, auditorésue, quam spectatores hodiè omnes constituimur. Non quidem quòd in summa hominum, ac naturali propè ad dissentiendum propensione & facultate, hæreseos schismatísue nomen, sit, vnquámue fuerit, nouum inter nos, proh dolor, aut insolens, quæ etiam non modò familiaria aut domestica Dei ecclesiæ fore mala, sed necessaria, vt credi possint prorsus ineuitabilia, Paulus electionis ille vas prædixerat ac præsenserat: verùm quòd nullius vnquam sectæ quàm Lutheranæ, cùm difficilior origo, tum grandior successus extiterit. Equidem si condita primum Religione, ac præsertim Apostolis primísque Christi discipulis, puta τοῖς αὐτόπταις καὶ αὐτηκόοις τοῦ λόγου *in cœlum sublatis, omnia fuerint errorum ac contentionum plena, nemini ni fallor admodum mirum videri debet, quisquis imprimis secum reputauerit, quàm sint omnium rerum ingentium ac memorabilium primordia operosa ac difficilia. deinde quantæ molis fuerit, inter tot vanas, peruersas & falsas quidem, sed à multis retro sæculis receptissimas Deastrorum superstitiones & cultus, vnam veram illam quidem veri Dei notitiam & religionem, sed ignotam & inauditam, omnésque notas religiones euertentem (ne dicam vel ob solam crucis ac Crucifixi ignominiam parùm credibilem ac verosimilem) fundare ac stabilire. Mitto quòd eius primi præcones & architecti iudicio humano, nec celebres, nec illustres, nec verò potentes sapientésue fuerint, sed obscuri omnino homines, viles & abiecti, sed Philosophiæ, eloquentiæ, vrbanitatis, externarúmque omnium ac communium literarum planè rudes & imperiti, sed vt vno verbo dicam, planè, vt inquit Paulus* περικαθάρματα καὶ περιψήματα τοῦ κόσμου. *Neque enim multos sapientes secundùm carnem, neque multos potentes, neque multos nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vtique vt confunderet sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia & nobilia mundi: & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt idem ait ad Corinthios scribens, & rectè. scriptum enim erat, Perdat sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Quid dicam obstante seuissima persecutione, Episcoporum conuentus (in quibus maximum præcidendarum fidei litium & controuersiarum præsidium positum semper fuit) commodè tùm haberi non potuisse? Quid denique, quòd Romani principes, quorum tum amplissimum erat imperium, & si qui præterea erant reges alij, omnes suas vires ac vniuersam potentiam in exitium Christiani nominis conuerterent? Nec mirum: ecquis enim indulgeret, parcerétue, & non exscinderet* ἀθεότητος, θυεστείων δειπνῶν, καὶ οἰδιποδείων μίξεων *reos?*

quæ

quæ tria atrocissima scelera, nostræ genti, id temporis, quanquam falsò & iniuria, impingebantur. Iam verò quas post Constantinum Magnum hæreses, perpetuus humanæ salutis hostis, Diabolus, ad turbandam Ecclesiæ, iam tum ab externis bellis respirantis, pacem & concordiam, immisit: omnes vel ab Imperatoribus, vel à præcipui aliquot nominis Episcopis, coortas defensásue reperies: quorum potentia & conatus etsi ad veritatem opprimendam extinguendámque fuerit inualidus & inefficax, tamen facilè perfecit, vt decretis Synodicis, sin minus vis & authoritas, saltem iusta ac legitima executio defuerit. Quod si iam ad nostræ tempestatis hæresiarchen te animo conuerteris, omnia inuenies fuisse, cùm impietatis suæ scholam aperiret Lutherus, diuersissima. Summa erat imprimis per vniuersum orbem Christianum in doctrina fidei consensio. Incredibile quoque principum omnium & populi, ad seruandam ac defendandam auitam religionem, quam quisque à maioribus suis perpetua serie acceperat, studium. Mitto quòd nulla vnquam natio, antiquitatis priscorúmque institutorum amantior fuerit, quàm vbi hic Satanæ antesignanus primùm virus suum disseminauit, Germanica. Quod amplius est, huius dogmata Leo decimus id temporis Pont. Max. non solùm impietatis protinus damnauit, verumetiam diro anathematis mucrone, quotquot ea amplecterentur, cum ipso authore iugulauit. Cuius sententiæ nequaquam inuiti subscripserunt, quotquot vbique terrarum exstabant studiorum Rectores & Academiæ, vnà cum religiosissimis ciuitatum Episcopis. Imperator verò, qui tum erat faustissimæ memoriæ Carolus quintus, Regis nostri Philippi parens, pontificia decreta in constitutiones retulisse, vt legum etiam vim habere inciperent, exemplo piissimorum principum Constantini, Theodosij, Iustiniani aliorúmque non contentus: insuper grauissimas pœnas in præuaricatores adjecit, quem imitati sunt Germaniæ, Galliæ, Poloniæ, Pannoniæ, Britanniæ, & ad vnum omnes Christianorum reges ac principes. Quas quidem pœnas ne quis fortè constitutionibus additas esse, metus incutiendi duntaxat causâ suspicaretur, (vti olim Theodosio Augusto maiori seu seniori factum fuisse Ecclesiastica prodit historia) crebra mox, nec minus atrocia supplicia de reis sumpta, satis supérque edocuerunt: quinimo tantum pœnis recipiendis indultum est, vt diu, damnatis quanquam resipiscentibus, & ad pristinam fidem reuersis, nec vitæ, nec bonorum, venia gratiáque facta sit. Vnde certissimum euadebat, maiorem omnino esse iram & odium Christianorum principum in hæreticos, quam vnquam fuisset Paganorum in Christianos & catholicos: quippe quos deprehensos conuictos & condemnatos, quin ad supplicij etiam locum abductos, huiusmodi verbis demulcere consueuisse, legimus, τί γὰρ κακόν ἐστιν εἰπεῖν, κύριε καῖσαρ, καὶ θῦσαι, καὶ σώζεσθαι. *itaque illos sola inficiatio ac abnegatio Christi, quanquam simulata, discrimini eripiebat: cùm tamen his erroris ac seductionis pœnitudo, etiam vera ac sincera, eò non profuerit, non magis quàm parricidis, sacrilegis, veneficis, raptoribus, latronibus, aliísue facinorosis hominibus. Quid iam dicam Episcoporum, fideique Quæstorum, ciuilísque Magistratus, vbique in perquirendis reis diligentiam? Quid doctorum virorum non minùs multa, quàm docta, tam in defensionem & demonstrationem orthodoxæ fidei, quàm in confutationem & redargutionem adulterinæ perfidiæ, diabolicæque fraudis, scripta? Quid denique totius Imperij ordinum, de religione comitia, nec minus rara virorum eruditorum, vtrinque instituta colloquia? Adeo nihil omissum est eorum omnium, quæ ad hanc pestem eruditionis, animarúmque profligandam coërcendámue aliquid præsidij conferre posse videbantur: & tamen tam abest quòd extincta abolitáque sit, vt vires perpetuò assumpserit, ac in immensum excreuerit. Sanè vti exitus rerum edocuit, nihil ad deletionem excidiúmque exitialis doctrinæ valuisse: ita an in medijs fuerint, quæ hactenus excogitata sunt remedia, non perinde omnibus fortasse est exploratum. Est certè compertissimum in magna Christianarum prouinciarũ paucitate, nullam esse quæ ab hac contagione prorsus intacta ac immunis perseuerauerit, ne quid dicã amplissima regna & populos, quos hęc animarum lues ita ademit nobis: vt de recipiendis iterum*

aliquando, vix vlla ſpes ſuperſit. quin magis formidandum cenſeo, ne tandem inteſtinis inter ſeſe tumultibus ac diſſenſionibus (quæ inter eos qui à nobis defecerunt ſunt grauiſſimæ) agitati, mutuum conficiant: quàm ſperandum, vt è diuerticulis vnquam in viam reuocentur, vtue eiuratis omnibus erroribus catholicam veritatem tandem amplectantur: vt nemo non poſſit meritò vnà cum Polycarpo martyre exclamare, O bone Deus, in quæ me tempora ſeruaſti, vt hæc feram, hæc patiar, hæc ſinam. Dixerit aliquis, nihil ne ſupereſt igitur aduersùs hanc (quam extrema tempora pepererunt) ſectam opprimendam conſilij? nunquid nullum eſt antidotum? ſiccine fatale & incurabile malum eſt, vt nullis machinis, nulla vi, nulla denique ratione queat ſuperari? Abſit profectò. Portæ inferorum, quarum voce proculdubio hæreſes & ſchiſmata ſignificantur, nunquam vincent Eccleſiam Dei. Nauicula Petri non mergitur fluctibus. Neque verò deſunt auxilia, eáque non minus præſentia, quam olim vſitata, & frequentata. Quin cogitur Epiſcoporum œcumenica ſynodus? Quin imitamur Apoſtolos, quin priſcos Patres, quos ſcimus de controuerſiis religionis, conuentu habito, ſemper ſtatuiſſe? Quonam enim alio modo, Arrij, Macedonij, Ennomij, Eutychetis, aliorúmque hæreticorum fraudes, impoſturæ, impietatéſque retectæ damnatæque ſunt? Cæterum vti certiſſimum exploratiſſimúmque eſt, concilijs ac præſertim vniuerſalibus ſeu plenarijs, vt vocant, nihil vnquam habitum fuiſſe, ad diſcutiendas hæreticorum nubes & caligines, opportunius ac potentius: ita quia illius conuocatio omnium non eſt, nec vnquam fuit: ſed ſingulari iure hodiè ad Romanum Pontificem pertinet, ſempérque ſaltem à tranſlatione, ſiue veriùs ſectione Imperij Romani (quod extra omnem controuerſiæ eſt aleam) pertinuit, conſequens eſt, non eſſe cuiuſuis concilij habendi, exercendiue poteſtatem facere, ſed ſolius Romani Pontificis. Idcirco non iniuria ſciſcitabitur quiſpiam, nunquid aliud nullum ſuperſit finiendis religionis tumultibus remedium, cuius facultas pluribus communis ſit, ab vnius ſedis Apoſtolicæ arbitratu neutiquam dependens? ſiquidem omnium eſt rectè (ni fallor) nedum ſapere, rectámque in Deum fidem profiteri, verumetiam pro virili tueri ac defendere, ſaluámque & incolumem præſtare. Equidem parum eſt, imò planè nihil, veterum aduerſus nouos religionis morbos, commonſtraſſe curationem, ſi ea in præſens comparabilis non ſit: paria quippe ſunt, non eſſe quid, & non apparere, iuxta tritum Iureconſultorum prouerbium. Ad quam quidem quæſtionem difficilis admodum non eſt reſponſio: neque enim deeſt cùm ad hæreſium proſcriptionem, tum ad fidei orthodoxæ munitionem remedium alterum, quod vt promptum eſt atque expeditum, ita priore fortaſſe nihilo eſt inferius. Neque enim tam neceſſariæ ſunt nouæ Epiſcoporum ſynodi & comitia, ad conſtituendam religionem, quàm priſcarum & hactenus habitarum obſeruatio diligens, quarum nunquam maior (ni fallor) quàm nunc neglectus contemptúſque (quod ſine graui dolore dicere non poſſum) extitit: atque hinc fit, vt nullibi vel ſimulachrum quodpiam germanæ ac vernaculæ Eccleſiæ appareat. Itaque qui rerum humanarum diuinarúmq; paulò peritiores ſunt, deſperato, deploratóq; ſynodicorum conuentuum penè auxilio, omnem ſpem inſtaurandæ ordinandæq; Eccleſiæ, iamdudum in veteris diſciplinæ eccleſiaſticæ ſanctione collocarunt. Quos ſi opinio non fallit (vt certè nequaquam fallere poteſt) incredibile, Religioſiſſime pater Confeſſor, quantùm tibi debeat, perpetuóque debitura ſit, vniuerſa Chriſtiana Reſpublica, puta cuius hortatione & auſpicijs perfectum ſit, vt ampliſſimus eccleſiaſticæ diſciplinæ theſaurus, iam quadringentis ampliùs annis abditus ac ſepultus, nunc demum in tempore quàm maximè neceſſario, omnibus vtendus, fruendus, proponatur. Nemo ſanè ſiue præcedentium, ſiue ſequentium ſcriptorum, ſiue Græcorum, ſiue noſtrorum, aut fuſiùs, aut concinniùs, aut meliùs pertractauit hanc eruditionis pontificiæ portionẽ, quam hodie Decretorum vulgò appellitant, quàm fecerit IVO noſter, dum vixit, Eccleſiæ Carnotenſis in Gallia antiſtes, cuius huc pertinentes lucubrationes, hactenus magno Eccleſiæ malo ignoratas, hodie primi, quod fœlix fauſtúmque ſit, diuulgamus. Plures, ſcio, in hac ſtudiorum palæſtra decertarunt: at qui gloriæ palmam meruerint, de noſtris loquor,

citra omnem controuersiam, & sunt, & creduntur hi quatuor, Isidorus Hispalensis, Burchardus (qui Italis ac Gallis non rectè est Brocardus) VVormatiensis, Iuo Carnotensis, & Gratianus, quorum tres priores à ciuitatibus quibus præerant Episcopi, cognomina sortiti sunt: at extremus caret cognomine: Isidorus autem epistolas Canonicas Romanorum Pontificum, conciliorumque acta & Canones, initio ab Apostolorum constitutionibus facto, Latinorum omnium primus, consarcinauit, & veluti in vnum corpus vniuersum ius pontificium compegit, nullum in texendo, digerendóq; ordinem secutus, quàm temporum, rerúmq; gestarum, vt ipse de se locupletissimus est testis: quanquam interdum veluti sui oblitus, non tam ad diem & Consulem quàm ad regiones & loca in quibus patres coijssent, instar Appiani Alexandrini rerum Romanarum scriptoris, operis in progressu respexerit. Hunc igitur historiam iuris pontificij conscripsisse meritò quispiam dixerit, quam etiam ad sua vsque tempora nempè ad Honorium Papam eius nominis primum perduxit, vt potuerit ad sextam Synodum œcumenicam, quæ aduersùs Monothelitas habita est Constantinopoli, in Trullo palatio Cæsaris, spiritum ducere: & proinde liquet eum hinc, licet laboris ac diligentiæ aliquam laudem tulerit, nullam tamen ingenij eruditionísue habere posse, quanquam alioqui fuerit sæculi sui longè doctissimus, cui rei eius varia opuscula argumento esse debent. Annis inde fermè quadringentis Burchardus VVormatiensis Præsul, Othonis tertij ac Henrici Secundi Bauari Imperatorum temporibus hanc ὕλην & molem canonum Isidori, sub idoneos locos sedésque proprias singulas materias conuehens, adscriptis etiam Orthodoxorum Patrum, veluti Basilij, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Gregoriíque Romani sententijs, in venustiorem & œconomicam formam ius omne Pontificiũ composuit. Cui hoc nomine parem proculdubio gratiam refert catholica Ecclesia, atque Iustiniano Augusto Romana Respublica. Equidem vt hic ius omne Quiritum, primum in libros, deinde in titulos & tandem in capita digessit: ita & ille vniuersi iuris pontificij quo vtimur, artem, Iustinianæam methodum quàm proximè imitatus, duodecim libris, tomísue elegantissimè exarauit. Dixi duodecim, nam quod extat opusculum huius nomine, nihil est quàm authoris quem præfert epitome, quæ quanquam numero libellorum superet archetypum: sui tamen amplitudine ac mole, vix sextam illius portionem attingit. Quapropter idem Burchardo quod & Iuoni vsu venit, siquidem vtriusque compendia pro primis scriptoribus passim habentur & frequentantur, quippè Burchardus ipse nullius typographi literarum formis subactus est, quem etiam propediem edere decreuimus, modò præsentis in Iuone Carnotensi castigando laboris aliqua, penes huius scientiæ cultores fuerit gratia reposita, ne quod desit Spartæ, quam nactus sum, fortè ornamentum. Hic igitur primus totum ius pontificium in artem redegit, cui argumentum & materiam commentandi, Isidori credo promptuaria suppeditauerant: ordinem verò tradendi siue œconomiam, eorum quæ apud Isidorum rudia, indigesta, ac confusa iacebant, ipse de suo contulit, & adjecit: quippe qui omnia certis classibus ac locis distinxerit ac separauerit. Quod quidem perfecit tam fœliciter, vt non existimem quenquam cooriturum fuisse, qui idem argumentum retexeret, nisi hæreses postmodùm enatæ, aliquam accessionem operis fieri postulassent, quam etiam solam causam fuisse arbitror, quæ Iuonem nostrum ad nouam Canonum rapsodiam incitarit. Siquidem medio tempore quum Berengarius Ecclesiarum omnium pacem, nouis quibusdam & peregrinis opinionum commentis turbasset, accidit vt Decretorum Burchardi opus, mancum ac mutilum videretur, quoad priscorum catholicorum scriptorum testimonia, nouatorum paradoxis opposita, commodis locis insererentur. Neque (vt ingenuè fatear) video, quid post Burchardum IVO Pontificiæ scientiæ præstiterit prætereà. cæteroqui enim omnia (si hanc dogmatum appendicem exceperis) totidem verbis, ne ordine quidem tradendi admodum diuerso, penes Burchardum reperias. Nam quæ penultimo libro, qui de laicorum causis siue negotijs, ad Ecclesiam tamen pertinentibus inscribitur, multa sanè adfert IVO è iure Romano

testimonia, idque ex omnibus omnino totius Iuris ciuilis libris, tam ex Pandectis quàm Codice, tam ex Institutionibus, quàm Nouellis Iustiniani principis constitutionibus, (quorum in Burchardo, nulla memoria extat) vel ob id ab eo omnia omissa sunt, quòd parum ad præsens institutum pertinere (vti verè non pertinent) iudicaret, vel quòd tunc maior esset vsus legum Caroli magni, quàm Romanarum, vel quòd non modò vis & authoritas, verumetiam libri omnes Iuris Romani, in occidente, id temporis, intercidissent: vtique huius iuris Burchardus ne meminit quidem, nisi quòd semel iterúmue Codicis Theodosiani testimonium protulerit. Cui coniecturæ accedit & hoc, quod Lotharius II. Cæsar, quem ferunt leges ac instituta Romanorum propè ab inferis exciuisse, fuerit aliquot sæculis Burchardo posterior. Causa igitur locupletioris canonum compilationis, vt vocant, quam IVO Carnotensis Beato Bernardo σύγχρονος, antè annos ampliùs quadringentos, dum coniurationis Berengaricæ reliquias persequeretur, emisit, hæc fuit, quam attigimus: nimirum vt hæreticorum nouæ nebulæ per Ecclesiæ solem discussæ procul facesserent, vnde accidit vt in hanc quam nunc cernere est vastitatem, Decretorum arx tandem surrexerit. Vincit enim libri magnitudine, omnes aliorum rapsodias, & centones, non Burchardi tantum, verumetiam Gratiani, & si qui sunt prętereà Decretorum concinnatores alij: quod ex pura puta, nudáque omnium inspectione, detractis glossematum exuuijs perspicit poterit liquidissimè. Quod verò ad methodum pertinet, eadem planè hîc est quæ in Burchardo, quo ne prolixior quidem copiosiórque sit futurus, modo dogmatum corollarium ademeris. Cæterùm quum librorum prolixitate ac magnitudine, non omnes perinde (vt fit) afficerentur, non defuit qui in arctiorem formulam protinus vniuersum authorem contraheret, quo compendiolo cùm studiosi plurimùm vterentur, facilè accidit, vt Iuonis labores in obliuionem venerint, & tantùm non interciderint, adeo vt in hanc horam omnibus creditum sit, exiguum illum libellum, qui titulo Pannormiæ Iuonis, incerto authore (nisi quod quidam Hugonem Cathalanum fuisse suspicantur) passim circumfertur, esse ipsum autographum: quod hactenus omnes latuit, & etiamnum lateret, nisi tu Reuerende pater Confessor id è tenebris in lucem, omnium mortalium primus, vindicasses. Porro quod huius authoris vita ac memoria, omnium opinione breuior fuerit, etiam vt omnis alia deesset probatio, fidei faciendæ vel id suffecerit, quod Gratianus annis circiter quinquaginta insecutus, qui extremam huic canonicæ scientiæ manum admouit, Iuonis Decretorum synopsin (vt nec Burchardi) nunquam viderit: quanquam vtriusque compendijs adiutum fuisse, nemo possit ire inficias. Equidem si de sacris fontibus ipsis canonum, primísue riuis eorum, & minimè de compendiariorum fęce hausisset, hic non hospes, at contubernalis meus Gratianus, profectò purius meraciúsque bibissemus omnes: aut si omnino aditus patebat ad Burchardi Iuonísue limpidissimos canonum fluuios, mirum quod huiusmodi potus auidos ac sitibundos, eo non perduxerit, vnde etiam ipse biberet longè purius & suauius. Planè id credibile nequaquam est, Gratianum eo vecordiæ vnquam processisse, vt existimarit suorum centonum & farragiuum aliquod operæpretium futurum, quoad alterutrius horum Burchardi inquam aut Iuonis volumina superessent. Etsi altera pręterea Gratiano exceptio competit, quæ omni criminatione eum facilè liberauerit. Illi enim simplicissimam eámque optimam discendi docendique Iuris pontificij viam ac rationem callentes, sub conuenientes singula titulos sedésque, comportarant: nihil de suo narrationi interjiciendo, nihil item altercationibus indulgendo. At mox recentiore Academia (disputatrice, illa nimirum) instaurata, pulchrum sibi Gratianus duxit, si eam in Canonum sacrosanctas possessiones inferret primus: ac proinde videmus non hoc ei studio fuisse in tractatione, vt methodum aliquam sectaretur, siue vt artem quampiam iuris pontificij daret, (qui fuerat priorum tractatorum omnium vnicus scopus) quin totus in eo versatur, vt constitutionum ecclesiasticarum diuersitatem, ac antinomiam (quàm potest commodissimè) componat ac conciliet. Itaque non tam selectorem siue compilatorem, (vt aiunt) canonum, vbique agit, quàm disceptatorem & cognitorem,

ſeu iudicem: vtique ſine exemplo etiam id, quod vetuſtioribus religio erat, canonum texturam, proprijs ſententijs interiectis abrumpere. Quò ad extremum pertinet, quod nec aliud, nec amplius primæua Gratianici codicis inſcriptio pollicetur, quæ eſt: Canonum diſſidentium concordia. Tunc enim dialecticæ argutiæ & captiunculæ, omne doctrinarum genus inuaſerant, cœperúntque omnes artes liberaliores eſſe digladiatoriæ: quum maioribus methodo, facilitate, ac ſimplicitate tradendi, nihil fuiſſet antiquius. Quamobrem qui in Gratiani volumine methodum (ſine qua διδακτικὸς eſſe nemo poteſt) veſtigant, videntur mihi non abſimiles iis, qui delphini in ſyluis, aut in fluctibus apri venationem inſtituunt: aut vt propius eloquar, quod ſentio, qui ea quærunt, quæ nuſquam ſunt: quòd manifeſtiſſimum ſit Gratianum nullam artis rationem obſeruaſſe: vt ſubinde me non potuerit non pigere præceptoris, quanquam non omnino peſſimi: tamen confuſi valdè, impediti & inconditi, omníque tractandi docendíque dexteritate & Venere vt ſic dicam, carentis. Quemadmodũ ſatis demirari nequeo, quo fato, iudiciorúmue peruerſitate acciderit, vt hoc vno in ſcholis retento, alij omnes ita exulent, vt ne priuatim quidem legantur: quum tamen certò certiùs ſit rerum docendarum rationem & viam (quam methodum vocant) vt taceam reliqua omnia, in his duobus (Burchardo inquam & Iuone) quàm Gratiano meliùs conſtare. Nihilominus ſi qui erunt qui ita Gratiani lectioni inſueuerint, vt alium magiſtrum admittere recuſent, vti non deſunt fortaſſe, qui glandes non reliquerint etiam repertis frugibus) ne cum hiſce quidem quidquam contendendum duximus, dum agnoſcant maximum, quod ipſorum præceptori hinc acceſſurum eſt, beneficium ac commodum: quod infinita ſint apud eum vitia ac menda, ne quid lacunas dicam, falsáſque authorum inſcriptiones, quæ aliundè reſtitui ac ſuppleri nequeunt. Quid aliis acciderit neſcio, quid mihi, paucis referam. Cùm primùm huic diſciplinæ operam darem, nec alium præceptorem quàm communem omnium Gratianum haberem, tantum inueni vbique ſentium ac tenebrarum, vt omnino diffiderem me aliquando ad optatam ſtudiorum metam tali duce pertingere poſſe: nec deſtiti de harum rerum cognitione adipiſcenda deſperare, quoad huic σκοτεινῷ ἡγεμόνι Delij natatores, quos ſuperius commemoraui, & in ijs imprimis Iuo noſter, acceſſiſſent. Quinetiam auſim affirmare, inter omnes eos qui in Gratianum extant commentarios, nullum eſſe qui plus illi lucis ac fidei conferre poſsit, quàm hæ Iuonis Decretorum Pandectæ. Tam igitur abeſt, quod Gratianum, qui vnus totius iuris pontificij, alteram prope paginam conficit, aut Gymnaſijs aut Bibliothecis exigi velimus: vt inſtauratores verius, per hanc Iuonis Carnotenſis editionem, dici mereamur; vt nullo pacto opera noſtra in reprehenſionem venire poſsit, ne apud illos quidem, qui in vnius Gratiani magiſtri verba iurarunt. Verum enimuero vti compertum habeo huic Pontificiæ profeſsioni, noſtro hoc munere nullum edi potuiſſe majus aut præſtantius, nullum item exulceratæ eccleſiæ vtilius, nullum denique his extremis miſerrimíſque temporibus ſalutarius, morbi grauitate faciente vt omnes huius medicinæ egeamus: ita vt gratum iucundúmque pleriſque futurum ſit, vehementer ambigo. Nam vti proculdubio τὰ δογματικὰ, cuiuſmodi hîc ſunt ſanè quàm multa, veluti de euchariſtia, baptiſmo, pœnitentia, purgatorio, ieiunijs, miſſa, Romanæ ſedis primatu, &c. hæreticis noſtræ tempeſtatis, qui hiſce omnibus obſiſtunt, non probabuntur: ita magnopere vereor vt in hac morum non minore licentia, quàm corruptione, τὰ ἠθικὰ, noſtris hominibus, catholicis inquam, nihilominus diſpliceant. Neque enim video nóſue à priſtina virtute, quod diſpudeat, an illi à fide longius receſſerint & degenerarint, adeo vt ne veſtigium quidem vetuſtatis alicubi appareat. De fide vtrimque acerrima contentio eſt, ſed operibus nuda & vacua, metuo, quam beatus Iacobus mortuam non ineleganter, quod ſit ad ſalutem ſola inutilis, appellauit: adeo vt ſubinde mecum cogitem, ſimile omnino inter Chriſtianos certamen exarſiſſe nunc, quale olim Troianis ac Græcis, de Patroclo, ſed mortuo, nimirum de eius cadauere digladiantibus, Homerus adfinxerat. Cæterum nemo hic à me expectet, vt quicquid vbique peccatur, ſiue intus ſiue foris percenſeam, ſiue vt

cuiusquam opprobria vitiáque, instar diri Chami, eliminem. Vnum interim reticere nequaquam possum, vnde veluti è fonte, quicquid est malorum, putatur scaturire. quanquam id notius omnibus sit, quàm vt quisquam dissimulare possit. Inter religionis presides Episcopos, quotus quisque ac presertim per Galliam, ac Germaniam vicinas nobis prouincias, quotus quisque obsecro vnquam vel portiunculam aliquam officij attigit sui? ecquis altaria vnxit, Ecclesias dedicauit, virgines sacrauit, pœnitentibus illustratísue manum imposuit? ecquis vnquam parœciam visit ac lustrauit suam? denique quis vnquam suggestum ad populum clerúmue verba diuina facturus, conscendit? An non omnia quanquam sui natura ferè huiusmodi sint, vt mandari nequeant, nouo inauditóque more, ac citra vllum maiorum exemplum, in aliorum ferè humeros rejiciunt? quorum vsus adeo vetustus non est, vt huiusmodi τοποτηρήται, in toto iure Pontificio vix dum nomen inuenerint. Si enim Episcopos, Coepiscopósue, vocare tentaueris, ilico in Canonem Nicænum impinges, qui non patitur eidem ciuitati plures præfici antistites. Sin Chorepiscopos malis, nihilo poteris rectius: quod manifestissimum sit horum olim fuisse multò arctiorem, quàm sit hodie istorum propontificum potestatem: Et tamen hos ipsos Chorepiscopos ἀπὸ τῆς χώρας, quasi vicanos villanósue Episcopos dictos, Damasus Papa sustulit, ne Pontifices ocio ac quieti dediti, aliquam quámuis non omnem muneris sui partem in has veluti vicarias operas auerterent, quos etiam infami fœdáque similitudine, meretricibus quæ enixæ partus alendos aliò amandare consueuerunt, exæquauit. Sic & isti (inquit) infantes suos, id est, populos sibi commissos alijs educandos tradunt, vt suas libidines expleant, id est, vt pro suo libitu sæcularibus curis inhient, & quod vnicuique visum fuerit liberiùs agant, & subdit idem continuò. Pro talibus enim animæ negliguntur, oues pereunt, morbi crescunt, hæreses & schismata prodeunt, Ecclesiæ destruuntur, sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proueniunt. Vbi beatissimus idémque doctißimus Papa Damasus, apertißimè ostendit hæreses, schismata, cleri, populíq; corruptionem, denique totius Ecclesiæ desolationem ac deformationem, nec non vniuersam quæ nos circumstat, malorum Iliadem, non aliàs quàm ex antistitum socordia, negligentia ac supina ignauia, veluti ex equo quodam Troiano prosilire. Sed ad rem: ne Chorepiscopi igitur quidem nomen, his Vicarijs Episcoporum accommodari poterit: quòd Chorepiscopis fas non fuerit sacerdotes, Diaconos, Virginésue consecrare: qui etiam aras non erigebant, Ecclesias non dedicabant, chrisma non conficiebant, nec eo baptizatorum frontes ab Episcopo forte confecto, signabant: denique nullum ferè pontificium munus exercebant; quum tamen titulares seu Vtopienses nostri, procurent omnia. Vulgus Latinorum suffragatores seu suffraganeos appellitat: sed ineptiùs, quàm vt confutationem mereatur: quod intelligentes fortasse Galli alia voce conficta, crediderunt rectiùs portatiuos, & per ludibrium omisso R. nonnunquam potatiuos Episcopos posse nuncupari, quòd cùm sint ἀπόλιδες, tabulas pontificias, quas solas habent, quocunque commeant, sine incommodo secum gestent & circumferant, (ni fallor.) quod nomen etsi veriùs poßit his Episcoporum Vicarijs attribui quàm Suffraganeorum: tamen apparet magis iocosum esse quàm serium. Mihi sanè placet vt ἀνώνυμοι maneant qui sunt ἀνόμιμοι: quibusque saluis, si Damaso Papæ creditur, Ecclesia satis salua esse non poterit. Atque vtinam nulla grauior in Episcoporum plerosque accusatio competat, quàm hæc sit quam nunc inceßimus inertiæ ac ignauiæ. quanquam hæc sit longè grauißima, vtcunque consuetudine longa effectum sit, vt vitij grauitas minùs fortasse sentiatur. Petrus Apostolorum coripheus apud Clementem scitè Ecclesiam naui comparauit, cuius magister sit Episcopus: nautæ, clerici: vectores, populus: Deus bone, quomodo poterit hæc nauis naufragium vitare, & non in scopulos, vadáque impingere, ijs in puppi sedentibus, clauúmq; tenentibus, quibus ne in sentina debuit esse locus? Imò quod deterius est, qui ne conscendunt quidem nauim vnquam? profectò perquàm ridiculum est, vt aliquando portum inueniat sperare, nisi aut alij gubernacula susceperint, aut qui præficiuntur naucleri, alium prorsus animum curámque induerint. Neque tamen communis est aduersùs omnes

huius ordinis viros hæc quærimonia. Siquidem vti inprimis ad eos qui verè ἐπισκοποῦντες, id est inspectores & superintendentes sunt, non pertinet: ita ne eos quidem contingit, qui operam nauant, aut Pontifici maximò, aut Reipublicæ, aut quibus aliqua alia iusta vacationis excusatio competit. quin tantùm eos pétere intelligitor, qui ocij sui àc temporis nullam necessariam imò ne honestam quidem rationem probare possint: & vix aliud sunt, si dicere fas est, ne quid grauiùs, quàm ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, quales si nulli reperiuntur, placet vt temerè accusantium querentiúmue pœnas subeam. Jam verò nemo mihi dixerit id facile emendatum iri, quùm nihil prohibeat eos ecclesiis regendis admoueri, quorum eruditio ac virtus antè perspecta probatáq; sit. Est quidem id omnibus vehementer exoptandum, at quantopere sperandum sit, alij viderint. Illud vnum scio difficilius id esse quàm multorum ferat opinio. Vetus est sanè quod Romanis Cannæ: id Hannibali Capua. Vnde intelligitur summos viros magis fatigari ac frangi rebus prosperis, quàm aduersis. Fingamus igitur iam Episcopos candidatum ad vnguem factum, sit honestis, pijs, sanctísq; moribus, sit insigni rerum diuinarum humanarúmq; prędítus eruditione, sit matura ætate, sit ciuibus alijsq; omnibus Reipublicæ ordinibus, comprimis gratus & acceptus, sit denique omnibus numeris absolutus, & ad Paulinam ideam planè fabrefactus, (cuiusmodi in hac bonorum virorum orbitate, morúmque dissolutione aut nulli sunt: aut si qui sint, vix perquiruntur) is igitur vbi iam omnia in sua voluntate, ne dicam libidine, posita esse perspexerit, vbi nemini vnquam rationem quicquid gesserit, vel non gesserit, reddendam esse scierit, vbi denique solum se ἀνυπεύθυνον ἐξουσίαν, eámque perpetuam, consecutum esse animaduerterit, quî poterit quæso in hac humanæ naturæ fragilitate, in tanta vitæ voluptatúmq; omnium licentia & impunitate, assentatorum ad hęc grege perpetuo stipatus, quî poterit inquam non insolescere, moderationisque prioris non protinus obliuisci? Hæc sanè aliáq; complura sunt, quæ de ecclesia formanda nos sperare nequaquam sinunt, quin magis ruinam & exitium impendere (vtinam sim falsus vates) portendunt. Quæ omnia quisquis per Synodum œcumenicam, cuius ipsius necdum satis certa signa sunt, curata ac emendata iri confidit, pręterquam quod miserè fallitur, etiam antiquitatis ecclesiasticæ ignorationem turpissimè (meo quidem iudicio) prodit. Non quin synodus habenda non sit, quam consultissimum erat nascenti morbo, priusquàm tam altas radices ageret, ac tam longè latéque diffunderetur opponere: Sed quod sperandum non sit, vt factionum principes, eorúmq; sequaces aliquando eò vnde deflexerunt, reuertantur: quin magis metuendum, ne plures indies à nobis deficiant, & aduersariorum castris sese jungant: nisi alia fuerit Episcoporum cura, alia mens, alius animus. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum, & totius familiæ domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite, vt inquit eleganter Leo Magnus. Nam quales principes ciuitatum sunt, tales consequens est & reliquos esse ciues: quemadmodum è diuerso, nihil potest esse verius, vetere Hebræorum verbo פעם כפתן, *id est, qualis populus talis & sacerdos. Quapropter imprimis necessarium est ad Ecclesiam (quæ nunquam adeo afflicta corruptáque eheù exiśtit) sarciendam restituendámque, diligentissimum omnino delectum, in ijs qui dominicis castris preficiendi sunt, haberi. Nemo iuxta sanctorum Patrum venerabiles sanctiones, ad hoc honorum ecclesiasticorum fastigium idoneus censeatur, nisi cuius ætas omnis à puerilibus exordijs, vsque ad prouectiores annos, per disciplinæ ecclesiasticæ stipendia cucurrerit, vt vnicuique testimonium anteacta vita prębeat, néue possit de eius integritate ac fide à quoquam dubitari, quippè qui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuus celsioris loci pręmium quodammodò debeatur. Nam, vt elegantissimè ratiocinatur idem Leo primus, Si ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est peruenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adiuuant: quàm diligens & quàm prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum & cœlestium dignitatum, ne in aliquo Apostolica & canonica decreta violentur, & his Ecclesia Domini regenda credatur, qui*

legitimarum institutionum nescij, & totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed à summis volunt habere principium? cùm valdè iniquum sit & absurdum, vt imperiti magistris, noui antiquis, & rudes præferantur emeritis? Quapropter quum plurimùm referat quales constituantur ecclesiarum antistites, nemo non videt nunquam nimis exactam in his legendis cautionem esse posse. Cui proximum est vt Synodorum prouincialium iamdudum obliteratus mos, iterum in vsum reuocetur, alioqui enim (vt reliquas ecclesiæ necessitates, quæ quotidiè emergunt taceam) officium facturi non sunt Episcopi, minus sanè cogentur in ordinem, quotquot illud aliqua ex parte fortè deseruerint. Quibus addam & tertium, nimirum vt ordo hierarchicus pristinæ suæ integritati aliquando restituatur. Sic enim & confusio vbique cessabit, & inter ecclesias earúmque præsides summa futura est pax atque tranquillitas, qua in re optarim Pontificem Maximum perpetuò cogitare, se huius ordinis defensorem ac tutorem esse constitutum, & ad ipsius religionem pertinere, ne à quoquam termini & cancelli patrum perturbentur: quemadmodum certissimum est ad eiusdem tendere reatum, si à quoquam paternarùm regulas sanctionum, violari contingat; alioqui enim ecclesia Dei Penelopeæ telæ non erit absimilis, siquidem quicquid alij omnes ædificauerint, fas sit vni diruere & euertere, quod est vehementer (ni fallor) ridiculum, nec minus absurdum. Non sum nescius infinita esse alia in hac morum corruptela ac abusuum fœcunditate, & paternarum constitutionum sopore, emendationis reformationísue indiga, sed quæ prouisis prioribus, non inuita omnia sequentur, quæ quidem hîc vel ideo repetenda non sunt, quòd in his decretorum libris, cuilibet in medio futura sint. Accipe igitur tandem Iuonem tuum, quem non sine fœnore remittimus, habiturus es enim nitidiorem habitiorémque multò, Reuerende pater Confessor, quàm dum à Barbaris (scis quos velim) primùm redimeres. Quicquid sanè operæ in castigando, corrigendóque impensum est, id omne tuæ Reuerendæ paternitati, cui iamdudum sum deuotus, lubens consecro. Quin si aliquid aliud à me voles: tuum erit explorare quid optes, meum perpetuo iussa capescere. Valere te opto diu in Christo Iesu Domino nostro beatum & incolumem: cuius dilectioni me totum dedo dedicóque.

Datum Louanio, Calendis Augusti, Anno M. D. LXI.



D. IVONIS



D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI PROLOGVS,

IN DECRETVM A SE CONCINNATVM, ET PARTIBVS seu libris septem ac decem digestum



XCERPTIONES Ecclesiasticarum regularum partim ex epistolis Romanorum Pontificum, partim ex gestis Conciliorum Catholicorum Episcoporum, partim ex tractatibus orthodoxorum patrum, partim ex institutionibus Catholicorum Regum, nonnullo labore in vnum * corpus adunare curaui: vt qui scripta illa, ex quibus ista excerpta sunt, ad manum habere non poterit, hinc saltem accipiat, quód ad commodum causæ suæ valere perspexerit. A fundamento itaque Christianæ religionis, id est fide inchoantes, sic ea quæ ad sacramenta ecclesiastica, sic ea quæ ad * instruendos vel corrigendos mores, sic ea quæ ad quæque negotia discutienda vel definienda pertinent, sub generalibus titulis distincta congessimus, vt non sit quærenti necesse totum volumen euoluere, sed tantùm titulum generalem suæ quæstioni congruentem notare, & ei subiecta capitula sine interpolatione transcurrere. In quo prudentem lectorem præmonere congruum duximus, vt si fortè quæ legerit, non ad plenum intellexerit, vel sibi inuicem aduersari existimauerit, non statim reprehendat: sed quid secundùm rigorem, quid secundùm moderationem, quid secundùm iudicium, quid secundùm misericordiam dicatur, diligenter attendat: quæ inter se dissentire non sentiebat, qui dicebat: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Et alibi: Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas. Habet enim omnis Ecclesiastica disciplina principaliter hanc intentionem, vel omnem ædificationem aduersus scientiam Christi se erigentem destruere: vel ædificationem Dei, fidei veritate, & morum honestate constantem construere: vel eandem si contaminata fuerit, pœnitentiæ remediis emundare. Huius ædificationis magistra est Charitas, quæ saluti proximorum consulens, id præcipit aliis fieri, quod sibi quisque vult ab aliis impendi. Quicunque ergo Ecclesiasticus doctor ecclesiasticas regulas ita interpretatur aut moderatur, vt ad regnum Charitatis cuncta quæ docuerit, vel exposuerit, referat, nec peccat, nec errat: cùm saluti proximorum consulens, ad finem sacris institutionibus debitum peruenire intendat. Vnde dicit beatus Augustinus de disciplina ecclesiastica tractans: Habe charitatem, & fac quicquid vis. Si corripis, corripe cum charitate. Si parcis, parce cum charitate. sed in his adhibenda est summa diligentia, & mundandus oculus cordis, quatenus in puniendo, vel parcendo, sanandis morbis charitas sincera subueniat: & nemo ibi vænalium medicorum more, quod suum est quærat: & Propheticam illam reprehensionem incurrat: Mortificabant animas quæ non moriebantur: & viuificabant animas quæ non viuebant. Sicut enim ratio corporalis medicinæ vel depellere morbos, vel curare vulnera, salutem seruare, vel augere intendit: nec medicus contrarius sibi videtur esse, cùm pro qualitate vel quantitate ægritudinis, vel ægrotantis, nunc mordentia, nunc mollientia ægrotanti medicamina apponit: & nunc ferro secat, cui fomento subuenire non poterat: & econuersò ei nunc subuenit fomento, quem ferro secare non audebat; Ita spirituales medici, doctores videlicet sanctæ Ecclesiæ, nec à se, nec inter se dissentiunt, cũ illicita prohibent necessaria iubent, summa suadent, venialia indulgent: cùm secundùm duritiam cordis delinquentium pro correctione eorum, vel cautela cæterorum seueras pœnitentiæ leges imponunt: vel cùm secundùm deuotionem dolentium & resurgere volentium, considerata fragilitate vasis quod portant, indulgentiæ malagma superponunt. Nam qui indulgent, maioribus morbis amouendis prouident: & qui illicita prohibent, à morte deterrent: qui verò necessaria iubent, salutem cupiunt conseruare: qui autem summa suadent, salutem student augere. Hoc attendens diligens lector intelliget vnam faciem esse eloquiorum sacrorum, cùm distinctè considerabit, quid sit admonitio, quid sit præceptum, quid prohibitio, quid remissio: & hæc nec se inuicem impugnare, nec à seipsis distare, sed omnibus sanitatis remedium pro sua moderatione dispensare. Sed hæc singula quid ponderis habeant, quibúsve conueniant, quæ sint remissibilia, quæ irremissibilia, & quando, vel quibus de causis sint remittenda, paulò latiùs est distinguendum. Et prima quidem admonitio pœnam non intentat, si quis post eam non eat; sed præmium sibi adquiescentibus pollicetur. Vnde Dominus dicit in

Marginal notes: * opus. — * instituendos. — *Psal. 100.* — *Psal. 24.* — *Augustin.* — *Ezech. 13.* — *Admonitio.* — *Matth. 19.*

Matth. 19. euangelio, Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes,& da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Ecce lectio ista Euangelica in voluntate hominis perfectionem ponens non cogit, non minas intentat: sicut nec illa quæ spadones laudans, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, subinfert: Qui po- *Ibid. suprà.* test capere, capiat. Attamen cùm ad perfectionem voto se quis adstrinxerit: vel gradum, quem nullus absque continentiæ virtute ascendere debet, ascenderit, iam fit necessarium & pœnale, si non teneatur, quod ante hanc ascensionem fuerat voluntarium. Vnde & Dominus *Luc. 9.* dicit: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & retrò aspiciens, aptus est regno Dei. Poterat enim ante Ascensionem esse inferior, non tamen deterior: post Ascensionem verò inferior est, & deterior. Hæc de admonitione. *Indulgentia.* Indulgentia verò (quantùm nobis videtur) quia meliora non eligit, remedium quidem habet, non præmium: sed ab hoc si quis declinauerit, *1. Cor. 7.* meretur exitiale iudicium. Verbi gratiâ: Scimus, sicut ab Apostolo didicimus, humano generi propter vitandam fornicationem indultum esse coniugium: cuius violator meretur æternum (eodem Apostolo testante) suppli- *Hebr. 13.* cium. Dicit enim: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Et hic gradus, sicut de admonitione diximus, nullum cogit, nisi eum qui se ei primitus alligauerit. Voluntarius enim est, non necessarius. Alioquin transgressor esset, quicunque vxorem non duceret. Postquàm *1 Cor. 7.* verò se alligauerit, audiat Apostolum dicen- *ibid.* tem: Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Idem quoque Apostolus cùm de nuptiis loqueretur, non dixit, mulier si nupserit, præmium meretur: sed tantùm dixit, non peccat, si nubat. Ita quoque si quis aliquem ad quotidiana ieiunia inuitet, rem quidem remuneratione dignam adquiescenti & perseueranti suadet: sed qui non adquieuerit, non fit seipso melior: sed licet maneat faciente inferior, non fit tamen seipso peior. Sed si à voto * ceciderit, [* excide- rit.] fit seipso inferior & peior. Si verò intra metas sobrietatis & mensæ frugalis se cohibuerit, summorum præmia non assequitur: sed si ad comessationes & ebrietates prolapsus fuerit, rem reprehensione & confusione dignam fecisse perhibetur. Isti itaque duo status, vnus superior, alter inferior, qui ante votum sunt voluntarij, post votum verò necessarij, habent modos & institutiones suas, quæ obseruatæ, sicut iam dictum est, aliis remedium, aliis adquirunt præmium, non obseruatæ verò æternum merentur supplicium. In his itaque ante susceptionem est deliberandum, post susceptionem verò perseuerandum. His ita breuiter prælibatis, de præceptione & prohibitione ali- *Præceptio.* qua nobis dicenda sunt. Præceptiones itaque & prohibitiones, aliæ sunt mobiles, aliæ immo- *Immobilis.* biles. Præceptiones immobiles sunt, quas lex æterna sanxit: quæ obseruatæ salutem conferunt: non obseruatæ, eandem auferunt: Qua- *Deut. 6. Leuit. 19. Exod. 20.* lia sunt, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum: & honora patrem tuum & matrem tuam: & si *Præceptio mobilis.* qua sunt his similia. Mobiles verò sunt, quas lex æterna non sanxit, sed posteriorum diligentia ratione vtilitatis inuenit: non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutiùs *ad Tit. 3.* muniendam: Quale est illud Apostoli: Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita: non quòd eorum colloquium per se saluti obesset: sed quòd frequentatum ex obliquo quorundam simplicitatem corrumpere posset. Et multa reperies in Canonicis institutionibus in hunc modum. Similiter immo- *Prohibitio immobilis.* biles prohibitiones sunt, quæ aduersus vitia lo- *Exod. 20.* quuntur; qualia sunt: Non occides: Non mœchaberis: & cætera. Hæc sunt illa minima præcepta, de quibus Dominus dicit: quia qui ea soluerit, & sic docuerit, in regno cœlorum *Matth. 5.* minimus erit: Qui verò obseruauerit, non statim regno Dei dignus erit, quia inchoantia sunt hæc, non perficientia. Sunt alia interdicta, *Prohibitio mobilis.* in quibus si interdicta non fuissent, nec mors operaretur, nec salus periclitaretur. Sed ad hoc ea sanctorum patrum authoritas reuerenda ita decreuit, vt & præsentibus non obesset, & compescendis maioribus malis vel cauendis, charitas sincera prouideret; Quale est illud: Clericus post actam de crimine * damnali pœnitentiam, [* damnabili.] clericus non maneat, vel ad clericatum non accedat. Quod, vt ait beatus Augustinus, *Dist. 50. c. vt constituentur.* dictum est rigore disciplinæ, non desperatione indulgentiæ. Alioquin contra claues Ecclesiæ *Ep. 50. ad bonifac.* disputaretur, de quibus dictum est: Quæ soluer- *Matth. 16.* itis in terra, soluta erunt & in cœlo. Sed ne forsitan spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbè ageret pœnitentiam, seuerissimè placuit, vt post actam pœnitentiã nemo fiat clericus, vel maneat clericus. Quæ posteriorũ non est superuacua putanda diligentia; qui vbi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderũt, quo salus tutiùs muniretur, experti credo aliquorũ fictas pœnitẽtias, per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas inueniri medicinas multorũ experimenta morborũ. Tale est & illud in Euãgelio: Sit sermo vester, est, est, non, non; Quod autem amplius est, à malo est, *Matth. 5.* non iurantis, sed iurare cogentis. Non quòd malum sit in contractibus humanis ex necessitate iurare: sed quòd longius sit à periurio, qui nunquam iurat, quàm ille qui qualicumque occasione iurat. Nam & de Domino dicitur: *Psalm. 109.* Iurauit Dominus. Et Apostolus dicit: Omnis *Heb. 6.* controuersiæ eorum finis est iuramentum. Et *2. Cor. 11.* idem Apostolus iurans ita dicit: Est veritas *1. Cor. 15.* Christi in me. Et alibi: Quotidie morior per *In immobilibus.* vestram gratiam fratres. In his igitur, in quibus obseruatis salus acquiritur vel in quibus neglectis mors indubitata consequitur, nulla est admittenda dispensatio: sed ita sunt omnia mandata, vel interdicta seruanda, sicut sunt æterna lege sancita. In his verò quæ propter ri- *In mobilibus.* gorem disciplinæ, vel muniendam salutem, posteriorum sanxit diligentia, si honesta vel vtilis sequatur compensatio, potest præcedere authoritate præsidentium diligenter deliberata dispensatio. Multa enim talia in Euangelica historia, in Actibus Apostolorum, in gestis Conciliorum & contigisse legimus, & postmodum Apostolicorum virorum authoritate roborata cognouimus. Assumamus itaque primum *Exemplum dispensationis de Euangelio.* exemplum de Euangelio. Dominus quippe mittens discipulos ad prædicandum, interdixit eis & peram & sacculum. Et quia vita Domi- *Lucæ 10.* ni IESV in terris disciplina est morum, instan- *Lucæ 22.* te tempore passionis suæ & peram reddit & sacculum: in seipso primo dans exemplum, quòd in huiusmodi traditionibus necessitati temporis sit cedendum. Similiter Paulus quum per Corinthios se transiturum promisisset in Mace- *De actibus Apostolorũ.* doniam: & præsensisset hoc eis minimè profu-

rum, mutauit dispositionem suam, non tamen
2. Cor. 1. sententiam. Vnde se ita excusat dicens: Cùm ergo hoc voluissem, nunquid leuitate vsus sum? aut quod cogito, secundùm carnem cogito; vt sit apud me, est, & non? Non enim sententiam suam se mutasse intelligebat, qui in veniendo ad eos, & non veniendo salutem eorum quærebat. Vnde & in sequentibus dicit: Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens vobis vltrà non veni Corinthum. Secundùm carnem quoque dispositionem suam se mutasse non putabat, quoniam qui secundùm carnem cogitat, tunc non implet quod disponit, quando personis maioribus defert, aut certè lucris, aut apparatibus vincitur. Spiritualis autem tunc dispositum non implet, quando consultiùs aliquid pro salute eorum quibus prodesse vult, prouidet. Per Apostolos etiam communi sententia Hierosolymis confirmatum est, & per Paulum & Barnabam fratribus per Asiam destinatum: ne quisquam ad fidem veniens, circuncisioni legis haberetur obnoxius. *Act. 15.* Ipse etiam Apostolus ad Galatas scribens, ita dicit: Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. *Galat. 5.* *Galat. 2.* Et idem Paulus cum Petro restitisset in faciem, quòd simulationi quorundam Iudæorum consensisset, qui circuncisionem saluti putabant esse necessariam, tamen necessitati temporis cedens, Timotheum Lystris circuncidit, *Act. 16.* vt scandalum Iudæorum ibi commorantium deuitaret, ostendens actu quod alibi de se testatur: *1. Cor. 9.* Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem. Quod dixisse intelligendum est, non astu mentientis, sed affectu compatientis: cuique ita cupiens subuenire, quemadmodum sibi subueniri voluisset, si ita affectus esset. *De institutione patrū.* Multa quoque Principes Ecclesiarum pro tenore Canonum districtiùs iudicant: multa pro temporum necessitate tolerant: multa pro personarum vtilitate, vel strage populorum vitanda dispensant. Multa etiam à Sanctis Patribus imminuta scripturarum testimoniis comprobantur. Sicut sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sanctus Pontifex Leo neophytos ad summum sacerdotium permisit ascendere: *1. Tim. 3.* quos Paulus publica prædicatione ab eodem officio studuit remouere. Sicut etiam Arrianos, postquàm conuersi fuerunt, legimus in suis officiis fuisse susceptos. Inde etiam prætaxatus Papa Leo de stabilitate non mutandorum, & discretione temperandorum, ita scribit Rustico Episcopo Narbonensi: Sicut quædam sunt, quæ nulla ratione possunt conuelli, ita multa sunt quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oportet temperari: illa semper consideratione seruata, vt in his quæ dubia fuerint, aut obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inueniatur aduersum. *Augustinus.* Vnde & Augustinus in Epistola ad Bonifacium: In huiusmodi causis vbi per graues dissensionum scissuras non huius aut illius hominis est periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis, charitas sincera subueniat. Idem in eadem aduersus Hæreticos: Si, inquiunt, oportet, vt nos extra Ecclesiam fuisse pœniteat, vt salui esse possimus, quomodo post istam pœnitentiam apud vos Clerici, vel etiam Episcopi permanemus? Hoc non fieret, quoniam reuera (quod fatendum est) fieri non deberet, nisi pacis ipsius compassione sanaretur. Sed sibi hoc dicant, & multò maximè humiliter doleant, qui in tanta morte præcisionis iacent; vt isto quodam vulnere matris Catholicæ reuiuiscant. Cùm enim præcisus ramus inseritur, fit aliud vulnus in arbore, quo possit recipi vt viuat, qui sine vita radicis peribat. Sed cùm receptus recipienti coaluerit, & vigor consequitur & fructus; Si autem non coaluerit, ille quidem arescit, sed vita arboris permanebit. Est enim & tale inserendi genus, vt nullo præciso ramo qui intus est, ille qui foris est inseratur: non tamen nullo, sed vel leuissimo arboris vulnere. Ita ergo & isti cùm ad radicem Catholicam veniunt, nec eis quamuis post erroris sui pœnitentiam honor clericatus, aut Episcopatus aufertur: fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris, contra integritatem seueritatis. Verumtamen quia neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, ad Dei misericordiam precibus fusis, coalescente insitorum pace ramorum, charitas cooperit multitudinem peccatorum. De hac eadem dispensatione corripiendorum & temperandorum dicit idem Augustinus in secundo libro contra epistolam *Augustinus.* Parmeniani. Cùm quisque fratrum & Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur, fiat, hoc vbi periculum schismatis nullum est. Infrà idem: Quando cuiusquam crimen notum est, & omnibus execrabilis apparet: vt vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ. Infrà: Neque enim potest esse salubris à multis correctio, nisi cùm ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat, quàm dolor & gemitus: vt per illud signum, quod Ezechieli sancto reuelatur, illæsi euadere ab illorum vastatione mereantur. Infrà: Reuera cùm contagio peccādi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est: nam consilia separationis & inania sunt & perniciosa, atque sacrilega, quia & impia & superba fiunt: & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos. Infrà: Turba autem iniquorum, cùm facultas est populorum promendi sermonem, generali obiurgatione ferienda est, & maximè si occasionem atque opportunitatem præbuerit aliquod flagellum desuper domini, quo eos appareat pro suis meritis vapulare. Item in Epistola ad Marcellinum: Soleo audire, in potestate esse iudicis, mollire sententiam, & mitiùs vindicare, quàm leges. Inde Innocentius Ru- *Innocentius.* fo & Eusebio & cæteris episcopis Macedonibus: Nostræ lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantùm tribuere communionem: nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare. Peruideat ergo dilectio vestra hactenus talia transisse: & aduertite quòd vtique vt dicitis necessitas imperauit, in pace iam ecclesias constitutas non præsumere. Sed vt sæpe accidit, quoties à populis aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum soleat transire. Idem eisdem: Sacerdotum summa deliberatio hæc fuit, vt quos Bonosus ordinauerat, ne cùm eodem re-

manerent; ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. Vidimus, vt opinor, ambigua. Iam ergo quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse: ac fuisse regulas veteres, quas ab Apostolis, aut ab Apostolicis * traditas Ecclesia Romana custodit, custodiendásque mandat his qui eam audire consueuerunt. Sed necessitas temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio reperit, cessante necessitate, debet vtique cessare pariter quod vrgebat. Quia alius est ordo legitimus, alia vsurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit. Sed hoc Canones apud Niceam constituti de Nouatianis fieri permiserunt. Priùs ille Canon à patribus institutus ponendus est, vt possimus aduertere, vel quid vel qualiter ab eisdem sensum sit, vel præceptum. De his, (inquit) qui nominant seipsos catharos, id est, mundos, & aliquando veniunt ad Catholicam Ecclesiam: placuit sanctæ & magnæ synodo, vt accepta manus impositione, sic maneant in clero. Simili dispensatione beatus Papa Gregorius à Nestoriana hæresi reuertentes in suis gradibus recipi iubet, ita scribens ad Episcopos in Hibernia Catholicæ Ecclesiæ: Igitur veritatem natiuitatis Christi quicumque à peruerso errore Nestorij reuertuntur, coram sancta fraternitatis vestræ congregatione fateantur, eundem Nestorium cum omnibus suis sequacibus, ac reliquas hæreses anathematizantes. Venerandas quoque synodos, quas vniuersalis Ecclesia recipit, se recipere & venerari promittant: & absque vlla dubitatione sanctitas vestra eos, seruatis eis proprijs ordinibus, in suo cœtu recipiat: vt dum & per sollicitudinem occulta mentis eorum discutitis, atque eos per scientiam veram recta quæ tenere debeant, docetis, & per mansuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de proprijs suis ordinibus facitis, eos ab antiqui hostis ore rapiatis. Habemus simile quid ex epistola Cyrilli missa Maximo Diacono Antiocheno: Didici à diligendo mihi Paulo Monacho, quia recusat pietas tua vsque hodie communionem reuerendissimi Episcopi Ioannis amplecti, pro eo quòd quidam in Antiochena Ecclesia malè adhuc cum Nestorio vel sentiant, vel iam senserint quidem, sed forsitan resipuerint. Probet igitur tua modestia, vtrum aliquando colligi nudè ac irreuerenter cum Nestorio sentiant, & inuicem colloquantur, licet aliquando cauteriatam habuerint conscientiam: colligantur autem * nec acta pœnitentia super iis in quibus surrepti sunt, quamuis confiteri fortasse reuereantur excessum. Infrà: Vt autem non æstimemur amare contentionem, amplectamur Episcopi reuerendissimi Ioannis communionem, indulgentes ei, & causâ dispensationis, eius negotium non subtilius vel districtius, siue vehementius erga se recognoscentis agatur. Dispensationis enim gratiâ, sicut dixi, eget negotium multum. Eiusdem ad Gennadium presbyterum & Archimandritam: Dispensationes rerum nonnunquam cogunt parùm quid à debito quosdam foras exire, vt maius aliquid lucrifaciant. Sicut enim ij qui mare nauigant tempestate vrgente, nauique periclitante anxiati quædam exonerant, vt cætera salua permaneant; ita & nos cùm non habemus saluandorum omnium negotiorum penitus certitudinem,

viris.

Conc. Nicenum. Can. 8.

Cyrillus Alexand.

* meliùs, nũc, quia in Græco [illegible]

I. q. 7. c. Dispensationes.

despicimus ex his quædam, ne cunctorum patiamur dispendia. Et infrà: Et hoc scribo cognoscens quòd pietas tua tristetur in sanctissimum & Dei cultorem fratrem & comministrum nostrum Proculum Episcopum, eò quòd admiserit Heliensium Eguminum, quem quidem Ecclesiæ leges Palestinæ præpositum non nouerunt. Et infrà: Igitur ne refugiat pietas tua sanctissimi & Deo amicissimi Proculi Episcopi communionem. Vna enim fuit cura mihi & sanctitatis eius, & dispensationis modus, nulli sapientium displicuit. Eadem discretionis moderatione Romani Pontifices, qui translationes Episcoporum, quæ districtè Apostolicis & Canonicis sanctionibus prohibitæ antè fuerant, maiori Ecclesiæ vtilitati consulentes fieri permiserunt. Alij etiam quosdam Episcopos à prædecessoribus suis depositos, propter honestatem personarum & necessitatem populorum in suis officijs reconciliauerunt: quorum nomina inferiùs annotata reperientur. Quidam quoque Romani Pontifices decreuerunt, ne filij presbyterorum assumerentur ad presbyteratum; non quòd personarum acceptio apud Deum alicuius sit momenti; vel natura, quæ omnium par est genitrix, ab aliquo possit reprehendi; vel filij pro iniquitate parentum condemnari, dicente Propheta: Filius non portabit iniquitatem patris: Et Apostolo: Si Deus iustificat, quis est qui condemnet? Et beato Augustino: Vndecunque nascantur homines si vitia parentum non sequantur, honesti & salui erunt. Sed ad reprimendam quorundam presbyterorum incontinentiam, vel tutiùs muniendam aliorum continentiam. Sed quia ex ijs quasdam personas, non tantùm religiosas, sed etiam Ecclesiæ Dei necessarias esse cognouerunt, decretum temperauerunt: & ita genitos, quorum conuersatio in monasterijs vel religiosis Ecclesijs probata fuerit, non solùm ad presbyteratum, sed etiam ad summum sacerdotium promoueri permiserunt. Et vt de nostris temporibus taceamus, sicut legitur in gestis Romanorum Pontificum, Felix tertius, natione Romanus, ex patre Felice presbytero fuit à temporibus Odoacri Regis vsque ad tempora Theodorici Regis. Item Agapitus natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero summus Pontifex fuit. Gelasius, natione Afer, ex patre Valerio Episcopo sedit annos iij. menses octo, dies xviii. Siluerius natione Campanus, ex patre Ormisda Romano episcopo sedit annum vnum, menses v. dies xxi. Deusdedit natione Romanus ex patre Stephano subdiacono, sedit annos iij. dies xxiij. Theodorus natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo, sedit annos vj. menses v. dies xxiiij. Quia verò Episcoporum plurimi ex alijs ciuitatibus ad alias propter necessitatem seu vtilitatem temporum sunt transmutati, ex subiectis manifestum est. Perigenes in Petris est ordinatus Episcopus: sed quoniam ciues eius ciuitatis eum suscipere noluerunt, Romanæ ciuitatis Episcopus iussit eum intronizari in Corintho metropoli, defuncto eius Episcopo: eique donec aduixit, Ecclesiæ præfuit. Dosideum Seleuciæ Episcopum Alexander Antiochenus Episcopus in Tharsum Ciliciæ transmutauit. Reuerentius ab Archis Phœniciæ in Tyrum transmutatus est. Ioannes de Gordolinia, mutatus est in Prochonixum, & ei præsedit Ecclesiæ. Palladius ab Helinopoli, mutatus est in Asponam. Alexander ab alia Helinopoli, in

Ezech. 18.

Rom. 8.

Augustinus.

In quibusdam personis decretum temperatum.

Qui Episcopi translati.

Adrianopolim mutatus est. Gregorius Nazianzenus priùs ciuitatis Cappadociæ fuit Episcopus, quæ Sasima dicitur; deinde à beato Basilio & aliorũ Episcoporũ consensu, in Nazianzo cõstitutus est. Melenus, priùs Sebastiæ Ecclesiæ præfuit, & postea Antiochiæ præsul est constitutus. Theusebius ab Apamia Asiæ transfertur in Eudoxiopolim, quæ dudũ Salabria vocabatur. Polycarpus de vrbe Antapristena Mysiæ in Nicopolim Thraciæ, mutatus est. Hierophilus de Trapezopoli Phrygiæ, transmutatus est in Platinopolim Thraciæ. Optimus ab Agadarmia Phrygiæ, in Antiochiam Pisidiæ transmutatus est. Sistuanus à Philiopoli Thraciæ, mutatus est in Troadam. Plurimos etiam Episcopos depositos, à sede Apostolica restitutos exempla subiecta declarant. Ioannes Chrysostomus à duabus Synodis orthodoxorum Episcoporum fuit diiudicatus, sed iterum fuit restitutus. Marcellus Episcopus Anchiræ Galatiæ depositus fuit, sed postmodum proprium recepit Episcopatũ. Asclepius diiudicatus est à synodo, Ecclesiam suam posteà recepit. Lucianus Episcopus Adrianopolites damnatus à Papa Iulio, recepit ecclesiam sui episcopatus. Cyrillus Ierosolymitanus Episcopus depositus fuit, posteà reconciliatus est ecclesiæ suæ. Simili modo & Polycronium eiusdem Ierosolymitanæ ecclesiæ Pontificem Sixtus Papa damnauit, & iterum ipse cum reconciliauit. Innocentius Papa Photinum damnauit Episcopum; sed ipse posteà eum in proprium restituit locum ecclesiæ suæ. Misenum Episcopũ à Felice Papa damnatum, Gelasius Papa successor illius & communicauit, & ecclesiæ suæ restituit. Leontius dum esset presbyter, depositus fuit: sed posteà in Antiochia patriarcha extitit. Gregorius verò quartus Papa, Theodosium quem Eugenius eius antecessor presbyterij honore priuauerat, sanctæ ecclesiæ Signinę consecrauit Episcopum. Ybas quoque Episcopus diiudicatus fuit, sed sancta synodus canonicè suam illi restituit ecclesiam. Rhotadũ verò Episcopum sanctæ Suessionis ecclesiæ à Synodo, cui Carolus interfuit Rex, condemnatum: & Sofrenum Placentinum Episcopum meritò reprobatum, Nicolaus Papa ambos reconciliauit. Sic Ioannes Papa VIII. Photium Neophytum, à Papa Nicolao depositũ, Augustorũ interuentu Basilij, Leonis, Alexãdri, in Patriarchatu Cõstantinopolitano restituit, scribens prædictis Augustis in hæc verba: Scripsistis nobis dilectissimi filij, vt Apostolica & compassionis viscera aperientes, omnes qui in ecclesia quæ apud vos est correptionibus subiacent, recipiamus: pacique & vnanimitati studentes, ipsum dominũ Photium Archiepiscopum communicantem nobis, in summam sacerdotum dignitatem & honorẽ Patriarchatus restituamus: ne diutiùs ecclesia Dei vt schismate & scandalo conturbata permaneat. Nos ergo petitionẽ vestrã, vt iustã & Deo placentem amplexi, & opportunũ tempus quòd diu desiderauim⁹, nos inuenisse gauisi, misimus apocrisiarios nostros voluntatẽ vestrã implere: quãuis pietas vestra antequã aduenirent, ipsum virũ præoccupauerit violenter restituere. Quod tamen & nos libenter recipimus. Et quãuis hoc faciendi potestatẽ habentes, non tamen ex potestate nostra eũ restituere volumus, sed ex apostolicis decretis & paternis constitutionibus testimonia proferimus, non leges ecclesiæ antiquitus datas soluentes: sed in quibus gratiarũ diligentia inconuertibiliter obseruata, ecclesiæ corpus euellit ac dissipat, ad vtilitatem eius omnia reducere cupientes. Synodus enim Nicena secundo capitulo dicit, quoniã frequenter siue ex necessitate, siue alio quolibet modo trãsgredi cõtingit homines Ecclesiasticos Canones. Et Papa Gelasius dicit, quoniã vbi necessitas nõ est, inconuertibilia maneant sanctorũ patrum decreta. Et sanctissimus Papa Leo in eodẽ spiritu præcepit dicens: Vbi necessitas non est, nullo modo violentur sanctorũ patrũ statuta. Vbi verò necessitas fuerit, ad vtilitatẽ Ecclesiæ qui potestatẽ habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis. Et Felix Papa: Cõtẽplari oportet, quòd vbi occurrit necessitas, sæpe cõstitutiones Patrũ transgredimur. Et Carthaginẽsis Synodus xxxv. capitulo dicit: Præcipim⁹ vt clerici rursus in Ecclesiã recipiantur, quãuis primũ in synodo depositi fuerint. Synodus etiam synodũ soluit propter vnitatem & pacem Ecclesiæ. Et Innocẽtius Papa V. Capitulo dicit; Qui promoti sunt à Bonoso hæretico, recipiantur iterum, ne scandala in Ecclesia pullulent. Non solùm autem pro hæresi depositis apostolica sedes hęc paci Ecclesiasticæ studens, adiutorij manũ porrexit: sed & orthodoxis sacerdotibus & patriarchis ad eam confugientibus, sicut & nunc Photio fecit, visitata miseratione subuenit. Nostis enim quòd magnũ Athanasiũ Alexandrinum Episcopum, & Cyrillũ, & Polycroniũ Ierosolymitanos, & Ioannem, quẽ charitas vestra Chrysostomum vocat, & Flauianũ, à synodo depositos Apostolica sedes in pristinũ honorem restituit. Si igitur qui à Donatistis & Bonoso ordinati, & à liminibus orthodoxæ Ecclesiæ à synodo plenaria sequestrati, ab alia synodo recipiuntur, & in Catalogo sacerdotũ habentur: ne Ecclesia diminutionẽ vel diuisionem patiatur; quantò magis orthodoxæ fidei viros, & immaculatæ vitæ non oportet contemnere, sed ad pristinũ honorẽ reuocare? Sicut enim Apostolica sedes hæc, semel accipiens claues regni cœlorũ, à primo & magno Pontifice Iesu per principem Apostolorum Petrum, dicente ad eum: Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris super terrã, erit ligatũ & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutũ & in cælis; habet potestatem vniuersaliter ligandi & soluendi, & secundùm Ieremiam, euellendi & plantandi: Et propter hoc & nos eiusdem potestate principis Apostolorum Petri vtentes, cum omni Ecclesia nostra mãdamus vobis, & sanctissimis fratribus nostris Patriarchis Alexandriæ, Antiochiæ, & Ierosolymorũ, & cæteris episcopis, & omni plenitudini Constantinopolitanæ Ecclesiæ, secundùm petitionem vestram Photiũ Patriarcham fratrem & consacerdotẽ nostrũ nos in communionem recipere. Item: Recipite eum sine excusatione: nullus excuset pro synodis contra eũ peractis, nullùs sanctorum prædecessorum meorum Nicolai & Adriani. sententias contra eum causetur. De ipso enim subreptum est illis, nullus contra eum subscriptiones vestras occasionem schismatis habeat: omnia enim vt infecta & irrita facimus, & quæcunque sunt contra eũ in manibus principis Apostolorum ponimus: & per eum in humeris Iesu Christi agni Dei, qui tollit peccata mundi. Item: Et hoc confirmare vos volumus, vt post mortem Photij fratris nostri, nullus ex dignitate mundana ad Pontificalem honorẽ ascendat: sed ex presbyteris Cardinalibus eiusdem Ecclesiæ, vel ex diaconibus, aut ex alijs sacerdotibus, qui sub Ecclesia Constantinopolitana consistunt. Item: Et quoniã nos pro pace Ecclesiæ solliciti, Photium fratrem no-

Qui restituti.

Synodus synodum soluit.

Matth. 16.

Ier. 1.

strũ recipimus, sicut & Adrianus Papa Tharasium, nullus cõputet Canonicũ vsum. Priuilegia enim paucorum cõmunem legẽ non faciũt. Si quis verò tale quid amodo facere præsumpserit, sine venia erit. Ita quoque cùm esset antiquis regulis præfinitum, vt nullus qui esset in clero, extraneatum consortiũ haberet mulierũ: sed earum tantùm quę omnẽ suspicionẽ excluderẽt: Beatus Papa Gregorius hunc rigorem ita modificauit clericis Anglorum, vt si qui essent extra sacros ordines constituti, qui se continere non possent, vxores sortirentur, & stipendia sua foris acciperent: intelligens leuiorẽ esse casum, si ruentes coniugali vinculo exciperentur, quã si vago cõcubitu interminatæ libidinis voragine absorberentur. Sic aliæ dispensationes salubri deliberatione admissæ, cessante necessitate, debent & ipsæ cessare: nec est pro lege habendũ quod aut vtilitas suasit, aut necessitas imperauit. Vnde legitur in epistola beati Papæ Leonis ad Episcopos Africæ: Superest fratres, vt concorditer salubres suscipiatis hortatus: & nihil per contentionẽ agentes, sed ad omne studium deuotionis vnanimes diuinis & Apostolicis cõstitutionibus pareatis: & in nullo patiamini prouidentissima Canonum decreta violari. Quę enim hactenus certarum remisimus consideratione causarũ, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quòd ad tẽpus pia lenitate concessimus, iusta pòst vltione plectamus. Nec tantùm hoc in Ecclesiasticis obseruandum est regulis, sed etiam in ipsis legibus. De venerandis legibus legitur Romanis. Quodcũq; Imperator per epistolã constituit, vel cognoscens decreuit, vel edicto præcepit, legẽ esse constat. Hæ sunt, quæ Constitutiones appellantur. Planè ex his quædam sunt quæ personales appellantur, quæ nec ad exemplũ trahuntur, quoniam nec hoc princeps vult. Nã quod alicui ob merita indulsit, vel si cui pœnam irrogauit, vel si cui sine exẽplo subuenit, personã non transgreditur. Possemus de huiusmodi plurimas rationes, plurima exẽpla colligere, sed prudẽti lectori, & ei qui nouit de paucis plurima intelligere, debent prædicta sufficere. Quod tamen iam monuimus, iterũ monemus: vt si quis quod legerit de sanctionibus siue dispensationibus Ecclesiasticis, ad charitatẽ, quæ est plenitudo legis, referat, non errabit, non peccabit: & quando aliqua probabili ratione à summo rigore declinabit, charitas excusabit: si tamen nihil contra Euangelium, nihil cõtra Apostolos vsurpauerit. Si quæ verò sentẽtiæ de forensibus legibus insertæ sunt, quæ iudiciũ sanguinis contineant, non ad hoc insertæ sunt, vt Ecclesiasticus Iudex per eas aliquem debeat condẽnare: sed vt ex eis assertionẽ canonicorũ faciat decretorum. Hinc attẽdens quãta pœnitentia puniendum sit facinus illud vel flagitium, quod iudicant iudices sæculi, morte, vel membrorum mutilatione mulctandum. Hanc enim rationem Romani Pontifices in assertione decretorum suorum frequenter interponunt. Nam si hoc leges sæculi continent, quantò magis diuinæ? Hæc hactenus. Deinceps singularum partium titulos totius voluminis intentionem continentes breuiter perstringẽmus; vt hinc prudens lector aduertat, quid in vnaquaque parte sibi necessarium quærere debeat.

De clericis vt qui se cõtinere non possunt stipendia foris accipiant.



ARGVMENTA SINGVLARVM PARTIVM TOTIVS VOLVMINIS.

PRIMA PARS continet de fide & ſacramento fidei, id eſt, Baptiſmate, & miniſterio baptizandorum & baptizatorũ: Conſignandorum & conſignatorum: & de obſeruatione ſingulorum: Et quid conferat Baptiſma, quid Confirmatio.

Secunda pars continet de ſacramento Corporis & Sanguinis Domini, & de perceptione & obſeruatione: & de Miſſa, & aliorum ſacramentorum ſanctitate.

Tertia pars continet de Eccleſia, & de rebus eccleſiaſticis, & earundem reuerentia & obſeruatione.

Quarta pars continet de obſeruandis Feſtiuitatibus, & Ieiuniis legitimis: de Scripturis canonicis, & conſuetudinibus: & de celebratione Concilij.

Quinta pars continet de primatu Romanæ eccleſiæ, & de iure Primatum & Metropolitanorum atque Epiſcoporum, & de ordinatione eorum, & de ſublimitate Epiſcopali.

Sexta pars continet de Clericorum conuerſatione, et ordinatione, et correptione, et cauſsis.

Septima pars continet de Monachorum & Monacharum ſingularitate & quiete: & de reuocatione & pœnitentia eorum, qui continentiæ propoſitum tranſgrediuntur.

Octaua pars continet de legitimis Coniugijs: de Virginibus & viduis non velatis; de raptoribus earum: & de ſeparatione eorum: de concubinis, &

transgressione coniugij, & pœnitentia singulorum.

Nona pars continet de incesta Copulatione, & fornicatione diuersi generis : & in qua linea fideles coniungi et separari debeant : et de correctione, et pœnitentia singulorum.

Decima pars continet de Homicidijs spontaneis et non spontaneis, de Parricidijs, et fratricidijs; et de occisione legitimarum vxorum, et seniorum, et clericorum: & quòd non omnis hominem occidens homicida sit: et de eorum pœnitentia.

Vndecima pars continet de Incantatoribus, de auguribus, de diuinis, de sortilegis, de sortiarijs, et variis illusionibus diaboli, et de singulorum pœnitentia.

Duodecima pars continet de mendacio et periurio : de accusatoribus, de iudicibus, de defensoribus, de falsis testibus, et de singulorum pœnitentia.

Tertia decima pars continet de raptoribus, de furibus, de venatoribus, de maledicis et contentiosis, de comessationibus et ebrietatibus, de furiosis, de Iudæis, et eorum correctione.

Quarta decima pars continet de Excommunicatione iusta vel iniusta : et quibus de causis, et quo ordine facienda sit excommunicatio.

Quinta decima pars continet de Pœnitentia sanorum & infirmorum: Et qua commutatione leuiari possit eorum pœnitentia.

Sexta decima pars continet de officiis Laïcorum, et caussis eorumdem.

Septima decima pars continet speculatiuas sanctorum Patrum sententias de Fide, Spe et Charitate.



D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI
DECRETI PARS PRIMA:

DE FIDE, ET SACRAMENTO FIdei, ideſt, Baptiſmate, et Miniſterio baptizandorum et baptizatorum: Conſignandorum et conſignatorum: et de obſeruatione ſingulorum. Et quid conferat Baptiſma, quid Confirmatio.

Quædam in ſcripturis ſanctis ſic eſſe poſita, vt ſcirentur & crederentur: quædam ſic iuſſa, vt obſeruarentur: quædam prohibita, ne fierent. De ſpeculo Auguſtini.

¶ CAPVT PRIMVM.



QVIS ignorat in ſcripturis ſanctis, id eſt, legitimis, Propheticis, Euangelicis, & Apoſtolicis, auctoritate canonica præditis, quædā ſic eſſe poſita, vt tantùm ſcirentur &
Geneſ. 1. crederentur: vt eſt, quòd, In principio fecit Deus
Ioan 1. cœlum & terrā. Et quòd, In principio erat verbum; & quæcūque facta diuina vel humana tātummodo cognoſcenda narrantur. Quædā verò ſic eſſe iuſſa, vt obſeruarentur, prohibita ne
Exod. 20. fierent. Vt eſt: Honora patrem & matrem: Et,
Ephes. 6. Non mœchaberis. Horum autem quæ iubendo & vetando ſcripta ſunt, alia ſunt ſacramentorum velata myſteriis: quæ multa veteris teſtamenti populo illi facienda mandata ſunt: neque à populo Chriſtiano nunc fiunt: ſed tantummodo intelligenda requiruntur atque tractantur: ſicut eſt Sabbatum ad viſibilem vacationem: ſicut eſt Azyma in pane ſine fermento: Paſcha in ouis occiſione: ſic tot genera ſacrificiorum ciborúmque vetandorum, & neomeniæ, & annuæ ſolemnitates, quas obſeruant nuncuſque Iudæi: & illæ iuſtificationes, quæ non ad opera iuſtitiæ propriè pertinent, ſed aliquid ſignificare
Exod. 21. intelliguntur. Quis enim Chriſtianus ſeptimo anno cogitur ſeruum reddere libertati, & ſi diſcedere ille noluerit, eius auriculam ſubula pertundere ad poſtem, & cætera huiuſmodi? Alia verò etiam nunc facienda ſunt, ſi facienda præcepta ſunt: nec faciēda, ſi prohibita, qualia ſunt illa, quæ dixi: Honora patrem & matrem, &, Non mœchaberis. De his igitur quæ ita ſunt poſita in literis ſacris, vel iubendo, vel vetando, vel ſinendo, vt etiam nunc, id eſt, tempore noui teſtamenti ad vitam piam exercendam moréſque pertineant, hoc opus quod in manus ſumpſi, componere aggreſſus ſum: vt quantum me Deus adiuuat, omnia talia de Canonicis libris colligam: atque vt facilè inſpici poſſint, in vnum tanquam ſpeculum congeram. Oportuit enim ſic ea poni ab authoribus noſtris, quemadmodum poſita ſunt; Vt præcepta narrationibus vel diſputationibus propriis figurata, & figuratis propria miſcerentur, dum rerum geſtarum ordo ſeruatur, aut reſpondetur aduerſis: aut qui docendi ſunt inſtruuntur, aut occultorum inuentione quodammodo renouantur hi qui prompta & aperta faſtidiunt.

Quæ eſſe propria diuinæ Trinitatis ſenſerunt Catholici tractatores. Auguſt. l. 1. de Trin. c. 4.

¶ CAP. 2.

OMnes quos legere potui, qui antè me ſcripſerunt de Trinitate, quæ Deus eſt, diuinorum librorum veterum, & nouorum catholici tractatores hoc intenderunt ſecundùm ſcripturas docere, quòd Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, vnius eiuſdémque ſubſtantiæ inſeparabili æqualitate diuinā inſinuent vnitatem. Ideoque non ſint tres dij, ſed vnus Deus. Quamuis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non ſit qui Pater eſt: Filiúſque à Patre ſit genitus, & ideo Pater non ſit qui Filius eſt: Spiritúſque ſanctus nec Pater ſit nec Filius, ſed tantummodo Patris & Filij ſpiritus, & Patri & Filio etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem. Non tamen eandem Trinitatem natam de virgine Maria, & ſub Pontio Pilato crucifixam & ſepultam, & tertia die reſurrexiſſe, & in cœlum aſcendiſſe, ſed tantummodo filium. Nec eandē Trinitatem deſcendiſſe in ſpecie colūbæ ſuper Ieſum baptizatum, aut die Pentecoſtes poſt Aſcenſionem Domini ſonitu facto de cœlo, quaſi ferretur flatus vehemens, & linguis diuiſis velut ignis ſediſſe ſuper vnumquemque eorum.

De cōſecrat. diſt. 3 c. omnes quos.
Matth 3. Act. 2.

sed tantummodo Spiritum sanctum. Nec eandem Trinitatem dixisse de cœlo, Tu es Filius meus, siue cùm baptizatus est à Ioanne: siue in monte quando cum illo erant tres discipuli: aut quando sonuit vox dicens, Et clarificaui, & iterum clarificabo: sed tantummodo Patris vocem fuisse ad Filium factam. Quamuis Pater & Filius & Spiritus sanctus sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operentur. Nam quo intellectu homo Deum capit, qui ipsum intellectum suũ, quo eum vult capere, nondum capit? Si autem hunc iam capit, attendat diligenter, nihil in eo esse in sua natura melius, & videat vtrum ibi videat vlla lineamenta formarum, nitores colorum, spaciosam granditatem, partium distantiam, molis distensionem, aliquas per locorum interualla motiones, vel aliquid huiusmodi. Nihil istorum inuenimus certè in eo, quo in natura nostra nihil melius inuenimus, id est, in nostro intellectu, quo sapientiam capimus, quãtò capaces sumus. Quod ergo non inuenimus in meliore nostro, non debemus in illo quærere quod longè melius est meliore nostro. Vt sic intelligamus Deum, si possumus quantùm possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine vlla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, & nondum potest omnimodo inuenire quid sit, piè tamen cauet quantùm potest aliquid de eo sentire quod non sit. Est tamen sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur, essentia quam Græci οὐσίαν vocant.

Marc. 1. Matth. 3. Matth. 17. Ioan. 12.

Symbolum Ephesini Concilij ducentorum Episcoporum. ¶ Cap. 3.

CRedimus in vnum Deum, Patrem, omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium conditorem, & in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei, natum de Patre, vnigenitum, hoc est, de substantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, ὁμοούσιον Patri, hoc est, vnius cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt in cœlo & in terra: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus passus est, & resurgens tertia die, ascendit in cœlos: inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt, erat tempus quando non erat: & antequam nasceretur non erat: & quia ex nullis existentibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia esse dicunt, aut τρεπτὸν, hoc est conuertibilem, seu commutabilem Dei filium: anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia. Sequẽtes itaque omnium per omnia sanctorum patrum confessiones, quas loquẽte in eis sancto Spiritu protulerunt, & intẽtioni, quæ est in eorum intellectibus, æquis vestigiis inhærentes: atque iter ambulantes regium, profitemur quòd ipsum vnigenitum Dei verbum, natum ex ipsa Patris essentia, de Deo vero Deus verus: lumen de lumine, per quem omnia facta sunt, siue in cœlis, siue in terra, salutis nostræ causâ descendens ad exinanitionẽ sese dignatus est inclinare. Natus autem & homo factus, id est, carnem de Virgine sancta suscipiens, eamque propriam faciens, natiuitatem nostram ex vulua sustinuit homo de muliere procedens, non quod erat abijciens. Nam licet factus sit in assumptione carnis & sanguinis; tamen seruauit quod erat, Deus scilicet natura & veritate persistens. Nec carnẽ itaque dicimus in naturã deitatis esse conuersam, nec in substantiã carnis ineffabilẽ Dei verbi essentiã cõmutatam. Incõuertibilis enim est incõmutabilis, idémque ipse iuxta scripturas iugiter permanens. Visus est autem & paruulus, positus adhuc in cunabulis. Et in finibus genitricis virginis constitutus vniuersam creaturã replebat, vt Deus genitori suo indiuisus existens. Quod diuinum est enim, sine quantitate & sine mole cognoscitur, nec vllis terminis continetur. Vnitum ergo carni verbum Dei, secundùm substãtiam confitentes, vnum adoramus Filium & Dominum Iesum Christum, non seorsum ponentes & determinantes hominem & Deum, velut inuicem sibi dignitatis & authoritatis vnitate coniunctum. Hoc enim nouitas vocis est, & aliud nihil. Nec item Christum specialiter nominantes Deum verbum quod ex Deo est: nec alterum similiter Christũ qui specialiter de muliere natus est: sed vnum solummodo Christum Dei patris verbum cum propria carne cognoscimus. Tunc enim iuxta nos vnctus est, quamuis spiritum ipse dignis contulerit; & non ad mensuram, sicut beatus Euangelista Ioannes asseruit. Ioan. 3. Sed nec illud dicimus, quòd Dei verbũ, velut in homine cõmuni, qui de sancta Virgine natus est, habitauerit, ne Deum homo Christus habitatorem possidere credatur. Quãuis enim verbum habitauerit in nobis, & dictũ sit in Christo habitare omnem plenitudinem Coloss. 2. deitatis corporaliter: tamen intelligimus verbum quod caro factum est: non sicut in sanctis habitare dicitur: nec talem in ipso habitationẽ factam definire tentabimus. Sed vnitus iuxta naturam, nec in carnem penitus commutatus, talem sibi fecit habitationem, qualem & anima hominis habere creditur ad proprium corpus. Vnus igitur est Christus filius & Dominus, non velut coniunctionem quamlibet in vnitatem dignitatis & authoritatis hominis habens ad Deum. Non enim potest vnire naturas sola dignitatis æqualitas. Denique Petrus & Ioannes æqualis sunt ad alterutrum dignitatis, propter quod & Apostoli & sancti, discipuli esse monstrantur. Verumtamen vterque non vnus est. Nec iuxta collationem vel connexionem, modum coniunctionis aduertimus. Hoc enim ad vnitatem non sufficit naturalem, nec secundùm participationis effectum: sicut nos etiam adhærentes Deo, vnus cum eo spiritus sumus, 1. Cor. 6. immo potius coniunctionis nomen euitamus, tanquam non existens idoneum quod significet vnitatis arcanum. Sed neque Deum aut Dominum Christi, verbum Dei patris asserimus, ne iterum manifestius in duos diuidamus vnum Christum Filium & Dominum, & in crimen sacrilegij decidamus, Deum illi seipsum facientes & Dominum. Vnitus quippe, sicut superiùs diximus Deus verbum carni secundùm subsistentiam, Deus quidem est omnium & dominator vniuersitatis: Verumtamen nec seruus est sibi ipse nec dominus: quia ineptum est, vel potius impium hoc sentire vel dicere. Quamuis enim Deum suũ patrem dixerit: cùm Deus sit etiam ipse naturâ, & de illius essentia: tamen nullatenus ignoramus quòd manẽs Deus homo quoq; factus sit, qui sub Deo iuxta debitã legẽ naturę humanitatis existeret. Ipse verò, sibi

quomodo vel Deus poterit esse, vel dominus? Ergo sicut homo quantùm decenter exinanitionis mensuræ congruit, sub Deo se nobiscum esse asseruit. Hoc etiam modo sub lege factus est, quamuis ipse promulgauerit legem, & legislator vt Deus extiterit. Caueamus de Christo dicere: Propter assumentem veneror assumptum, & propter inuisibilem adoro visibilem. Horrendum verò super hoc, etiam illud dicere: Is qui susceptus est, cum eo qui suscepit, connuncupatur Deus. Qui enim hoc dicit, diuidit iterum in duos Christos eum qui vnus est, hominem seorsum in parte, & Deum similiter in parte constituens. Euidenter enim denegat vnitatem, secundùm quam non alter cum altero coadoratur, aut connuncupatur Deus, sed vnus intelligitur Christus Iesus Filius Dei vnigenitus, vna seruitute cum propria carne venerandus. Confitemur etiam quòd idem ipse qui ex Deo patre natus est, Filius vnigenitus Deus, licet iuxta naturam suam expers omnis passionis extiterit, pro nobis tamen secundùm scripturas carne passus sit. Et erat in crucifixo corpore, propriæ carnis impassibiliter ad se referens passiones. Gratiâ enim Dei pro omnibus gustauit mortem: tradens proprium corpus, quamuis naturaliter ipse vita sit, & resurrectio mortuorum. Nam vt mortem ineffabili potentia proculcaret, ac priùs in sua carne primogenitus ex mortuis fieret, & primitiæ dormientium, viámque faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recursum: gratiâ Dei, sicut supradictum est, pro omnibus gustauit mortem, & tertia die resurgens exspoliauit infernum. Idcirco quamuis dicatur quòd per hominem facta sit resurrectio mortuorum, tamen intelligimus hominem factum verbum quod ex Deo est: & per ipsum mortis imperium fuisse destructum. Veniet autem temporibus præfinitis, sicut est vnus Filius, & dominus in gloria patris, vt iudicet orbem terrarum in æquitate, sicut scriptura testatur. Necessariò igitur & hoc adijcimus. Annuntiantes enim secundùm carnem mortem vnigeniti Filij Dei, id est, Iesu Christi & resurrectionem eius, & in cœlos ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in ecclesijs sacrificij seruitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrorum redemptoris effecti; non vt communem carnem percipientes, quod absit, nec vt viri sanctificati & verbo coniuncti secundùm dignitatis vnitatem, aut sicut diuinæ possidentis habitationem: sed verè viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus existens, quia propriè carni vnitus est, viuificatricem eam esse professus est. Et ideo quamuis dicat ad nos: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem; non tamen eam vt hominis vnius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim iuxta naturam suam viuificatrix esse caro hominis poterit? Sed vt verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis est factus & vocatus. Eas autem voces, quas Saluator noster in Euangeliis protulit, non in duabus subsistentiis, aut personis omnino partimur. Non est enim duplex, vnus Christus & solus, quamuis ex duabus diuersisque rebus ad vnitatem cognoscitur indiuiduam conuenisse. Sicut homo quoque ex anima constans & corpore, non duplex potius, sed vnus est ex vtroque. Humanas ergo & diuinas insuper voces ab vno Christo dictas animaduertentes, rectè sentimus. Cùm enim hæc duo dignissimè loquitur de se ipso, Qui me videt, videt & patrem, & Ego & pater vnum sumus: diuinam eius intelligimus ineffabilémque naturam, secundùm quam vnum est cum patre suo, propter vnam, eandémque substantiam, imago & character splendórque eius gloriæ existens. Cùm verò humanæ naturæ mensuram nullatenus ignorans, Iudæos alloquitur, Nunc me quæritis occidere hominem, qui veritatem vobis locutus sum: item non minus eum qui in similitudinem & æqualitatem patris est, Deum verum etiam in mensuris humanitatis eius agnoscimus. Si enim necessariò creditur, quòd naturâ Deus existens factus sit caro, immo potius homo animatus anima rationali: quæ causa est, vt in eius vocibus quilibet erubescat, si eas homine dignas effatus est? Quod si sermones homini congruentes abijcit, iuxta nos hominem fieri quid coegit? Cùm verò se propter nos ad exinanitionem spontaneam misericorditer inclinauerit, quam ob causam dignos exinanitione sermones effugeret? Vni igitur personæ cuncta eius in Euangelio adscribimus, vni hypostasi seu subsistentiæ verbi scilicet incarnati, quia vnus est Dominus Iesus Christus, vt scriptum est. Appellatum verò ab Apostolo Pontificem confessionis nostræ tanquam sacrificantem Deo & Patri fidei nostræ confessionem, quæ à nobis ipsis per ipsum Deo & Patri incessanter offertur: iterum eum dicimus, qui ex Deo secundùm naturam filius est vnigenitus, nec homini præter eum alteri, sacerdotij nomen & officium deputamus. Factus est enim mediator Dei & hominum, & reconciliator ad pacem, semetipsum Deo & Patri pro nobis offerens in odorem suauitatis. Ideóque dicebat: Sacrificium & oblationem noluisti, holocausta pro peccato non tibi placuerunt, corpus autem perfecisti mihi. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Obtulit enim proprium corpus non pro se, sed pro nobis, in odorem suauitatis. Nam qua pro se oblatione vel sacrificio indigeret, ab omni peccato liber vt Deus existens: Quod si omnes peccauerunt & egent gratia Dei, secundùm hoc quod sumus ad mutabilitatis excessum proniores effecti, peccatis ægrotauit humana natura, ipse verò non ita; ideóque nos gloria eius eguimus: cur erit vltrà iam dubium quòd agnus verus pro nobis sit immolatus? Qui dicit autem, quia seipsum tam pro se, quàm pro nobis obtulerit: nullatenus impietatis crimen effugiet, cùm nihil prorsus iste deliquerit, nec vllum fecerit omnino peccatum. Qua igitur eguerat oblatione: nullo suo extante facinore, pro quo si esset, satis admodum conuenienter offerret. De spiritu quoque cùm dicit: ille me clarificabit, hoc rectissimè sentientes, vnum Christum & filium, non velut alterius egentem gloria, confitemur à Spiritu sancto gloriam consecutum: quia Spiritus eius nec melior, nec superior ipso est. Sed quia humana opera faciens, ad demonstrationem suæ deitatis virtute proprij Spiritus vtebatur, ab ipso glorificari dicitur, quòd virtus sua vel disciplina quælibet vnumquemque clarificet. Quamuis enim in sua sit substantia spiritus eius, & intelligatur in persona proprietas iuxta id quod Spiritus est, & non filius, attamen

Heb. 2. *1. Corin. 15.* *1 Corint. 15.* *Heb 2.* *Psal. 95.* *Ioannis 6.* *Ioan. 14.* *Ioan. 10.* *Ioan. 8.* *1. Cor. 8.* *Psal 39.* *Rom. 3.* *Esaiæ 53.* *Ioan. 16.*

alienus non est ab illo. Nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est. Vnde & ab isto similiter, sicut ex Deo patre procedit. Denique hic ipse spiritus etiam per sanctorum manus Apostolorum miracula gloriosa perficiens, Dominum glorificauit Iesum Christum, postquam ascendit in cœlum. Nam creditus est Christus naturâ Deus existens, per suum spiritum virtutes efficiens: Ideóque dicebat: De meo accipiet, & annuntiabit vobis. Nequaquam verò participatione alterius, idem spiritus sapiens aut potens dicitur, quia per omnia perfectus est, & nullo prorsus indigens bono. Nam paternæ virtutis & sapientiæ, id est filij Spiritus creditur: & ideo ipsa re & subsistentia virtus & sapientia comprobatur. Igitur quia Deum carni vnitum iuxta subsistentiam sancta virgo corporaliter peperit, idcirco eam Dei genitricem esse profitemur. Non quòd verbi natura existendi principium de carne sortita sit: Erat enim in principio verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & ipse est conditor sæculorum, patri coæternus, & vniuersitatis creator. Sed quòd, vt superiùs diximus, iuxta subsistentiam sibimet vniens humanam naturam, natiuitatem sustinuerit ex ipsa vulua corporea. Non quòd eguerit necessariò ea propter suam naturam natiuitate quæ est in extremis sæculi facta temporibus, sed vt ipsas benediceret substantiæ nostræ primitias: & dum Deum carni vnitum mulier edidisset, illa quæ aduersus omne genus humanũ maledictio fuerat prolata desineret, neciam morti nostra corpora destinaret. Illud quoque quod dictũ est: In tristitia paries filios, ipse dissoluens, verum esse monstraret quod Prophetæ voce prædixerat: Absorpta est mors in victoria. Et iterũ: Abstulit Deus omnem lachrymam ab omni facie. Propter hanc enim causam dicimus eum dispensatoriè, & ipsis benedixisse tunc nuptiis, cũ in Cana Galileæ cum sanctis vocatus Apostolis adesse dignatus est. Hæc sapere sumus edocti à sanctis Apostolis & Euangelistis, & ab omni scriptura diuinitus inspirata, nec non & à beatis patrum confessionibus veritate subnixis. His omnibus etiam religionem tuam concordare, & præter aliquem dolum consentire iam conuenit. Quæ verò religioni tuæ anathematizare necesse est, huic Epistolæ nostræ subiecta sunt.

Ioan. 14. *Ioan. 16.* *Ioan. 1.* *Gen. 3.* *1 Corint. 15.* *Esaiæ 25.* *Apoc. 7.* *Ibidem 21.* *Ioannis 2.*

I. Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, & propter hoc ipsam Dei genitricem sanctam Virginem (peperit enim secundùm carnem, carnem factum Dei verbum, secundùm quod scriptum est: Et verbum caro factum est) anathema sit. *Ioan. 1.*

II. Si quis non confitetur carni, secundùm substantiam vnitum Dei Patris verbum, vnum quoque esse Christum cum propria carne, & eundem ipsum sine dubio Deum simul & hominem, anathema sit.

III. Si quis in vno Christo diuidit subsistentias post vnitionem, sola societate contingens ea, quæ secundùm dignitatem est, vel etiam authoritatem aut potestatem, & non magis conuentu, qui per vnitatem factus est naturalem, anathema sit.

IV. Si quis in duabus personis vel subsistentiis diuidat eas voces, quæ tam in Euangelicis, quàm Apostolicis literis continentur: vel etiam eas, quæ de Christo à sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de seipso: & aliquas quidem ex his tanquam homini, qui præter Dei verbum specialiter intelligatur, applicandas crediderit: aliquas verò tanquam Deo dignas, soli verbo Dei Patris deputauerit, anathema sit.

V. Si quis audet dicere Christum hominem θεόφορον id est, deiferum, & non potius Deum esse veraciter dixerit, tanquam vnicum filium per naturam, secundùm quod Verbum caro factum est, & participauit nobis similiter carne & sanguine, anathema sit.

VI. Si quis Deum vel Dominum esse Christi Dei Patris verbum, & non magis eundem ipsum confitetur Deum & hominem simul, propterea quod verbum caro factum est, secundũ scripturas, anathema sit.

VII. Si quis tanquam hominem Iesum operante Deo verbo dicit adiutum, & vnigeniti dignitatem, tanquam alteri præter ipsum existenti, tribuit, anathema sit.

VIII. Si quis audet dicere adsumptum hominem coadorari cũ Deo verbo oportere, & connuncupari Deum tanquam alterum cum altero, (adiectio enim vnius syllabæ con, hoc cogit intelligi) & non magis vna reuerentia veneratur Emmanuelem, vnámque ei glorificationem dependit, iuxta quod verbum caro factum sit, anathema sit.

IX. Si quis vnum dominum Iesum Christum glorificatum dicit à Spiritu sancto, tanquam ab aliena virtute, qua per eum vteretur, & ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus, & per eum implesse diuina signa, & non magis proprium eius esse spiritum dicit, sicut & patrem, per quem signa operatus est, anathema sit.

X. Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum, diuina scriptura cõmemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis Deo Patri in odorem suauitatis. Si quis ergo Pontificem & Apostolum nostrum alium dixerit esse factum, præterquam ipsum Deum Dei verbum, quando factum est caro, & secundùm nos homo, sed quasi alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere; & si quis dicit, quia propter se obtulit seipsum in oblationem, & non magis pro nobis solis (Non enim indiguit oblatione, qui peccatum nesciuit) anathema sit. *Ephes. 5.*

XI. Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricem esse, tanquam propriam ipsius verbi Dei Patris, sed quasi alterius cuiuspiam, præter ipsum, coniuncti eidem secundùm dignitatem, aut secundùm quod solam diuinam habitationem habuerit, & non potius, vt diximus, viuificatricem esse, quia facta est propria verbo Dei, cui omnia viuificare possibile est, anathema sit.

XII. Si quis non confitetur Dei verbum carne passum esse, & carne crucifixum, & mortem carne gustasse, factúmque primogenitum ex mortuis, secundùm quod est & vita & viuificator, vt Deus, anathema sit.

Augustinus in libro de Fide ad Petrum Diaconum.

Vnus Deus. ¶ CAPVT 4.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Patrem & Filium, & Spiritũ sanctum, vnũ esse naturaliter Deũ, in cuius nomine baptizati sumus: cũ enim aliud nomen sit pater, aliud filius aliud Spiritus sanctus: hoc est vtique vnũ naturæ nomẽ horum triũ quod dicitur Deus, qui dicit in Deuteronomio: Videte, videte, quoniam ego sum Deus, & non est alius præter me; Et de quo *Deuter. 32.* *Matth. 4.*

dicitur: Audi Israel, dominus Deus tuus, Deus vnus est: Et, dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

Dominus. ¶ CAPVT 5.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, id est, sanctam Trinitatem, esse solum naturaliter verum Deum Dominum: quia quum tres deos nobis colere non liceat, nisi vnum solum verum Deum: tamen sicut Pater verus Deus dicitur, *1.Thess 1.* testante Apostolo, qui ait: Conuersi estis ad Deum à simulachris, seruire Deo viuo, & vero, & expectare Filium eius de cœlis, quem suscitauit à mortuis Iesum: ita quoque Filium verum Deum Ioannes commendat Apostolus, di- *1.Ioan. 5.* cens: Scimus, quia filius Dei venit, & dedit nobis intellectum, vt cognoscamus verum Deum: Et scimus in vero Filio eius Iesu Christo, hic est verus Deus, & vita æterna. Qui vtique quoniam verus Deus est, etiam veritas est, sicut ipse nos edocet, dicens: Ego sum via, veri- *Ioan. 14.* tas & vita. De Spiritu quoque sancto Ioannes Apostolus ait: Quia Spiritus est veritas. Et vtique non potest naturaliter verus Deus non esse, qui veritas est. Quem etiam Deum Paulus *1.Corint 5.* Apostolus confitetur dicens: Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, *1.Corint. 6.* quem habetis à Deo, & non estis vestri. Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.

Sempiternus. ¶ CAPVT 6.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, id est, sanctam Trinitatem vnum verum Deum sine initio sempiternum esse, propter quod Scriptũ *Ioan. 1.* est: In principio erat verbum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Hæc denuò sempiternitas intimatur in Psalmo, vbi *Psalm. 73.* dicitur: Deus autem Rex noster ante sæcula. *Rom. 1.* Et alio loco: Sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.

Incommutabilis. ¶ CAP. 7.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, sanctam Trinitatem, solum verum Deum, sicut æternum, ita solum naturaliter incommutabilem esse. Hoc enim significat, cùm dicit famulo *Exod 3.* suo Moysi: Ego sum qui sum. Huic in Psalmo *Psalm. 101.* dicitur: In principio domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnia sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es.

Omnium Creator. ¶ CAP. 8.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, sanctam Trinitatem solum verum Deum, rerum omnium esse visibilium & inuisibilium *Psalm. 145.* creatorem. De quo in Psalmis dicitur: Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in domino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. De quo etiam Apostolus dicit, quoniam ex ipso, & per ipsum, *Rom. 11.* & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum.

Tres personæ. ¶ CAP. 9.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Patris & Filij & Spiritus sancti, vnam quidem esse naturam, tres verò esse personas. Patremque solum esse, qui dixit: Hic est filius meus *Matth. 17.* dilectus, in quo mihi complacui; & filium solũ esse, super quem illa vox solius patris sonuit, quando in Iordane secundùm hominem baptizatus est, & hunc esse vnigenitum, qui carnem solus accepit, & Spiritum sanctum Patris & Filij, solum esse qui in specie columbæ super Christum baptizatum, & ascendentem de aqua, *Matth. 3.* descendit: & quinquagesimo die post resurre- *Act. 1.* ctionem Christi fideles in vno loco positos, in linguarum ignearum visione adueniens repleuit. Illam verò vocem, quam solus locutus est Deus Pater: & illam carnem, qua solus homo factus est, vnigenitus Deus: & illam columbã, in cuius specie Spiritus sanctus super Christum descendit: illásque linguas igneas, in quarum visione fideles vno loco constitutos repleuit, opera esse totius Trinitatis, id est, vnius Dei, qui fecit omnia in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia.

Filius solius Patris, Spiritus amborum. ¶ CAP. 10.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites solum Deum Filium, id est, vnam ex Trinitate personam, solius Dei Patris esse filium. Spiritum verò sanctum, ipsum quoque vnam ex Trinitate personam, non solius patris, sed simul & Patris & Filij esse Spiritũ. Ostendẽs enim Deus filiũ solũ esse de Patre genitũ, ait: Sic enim Deus dilexit *Ioan. 3.* mundũ, vt Filium suum vnigenitũ daret: Et paulò pòst: Qui autem nõ credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Spiritum verò sanctum & Patris & Filij esse Spiritum Apostolus docet, qui ait: Vos autem *Rom. 8.* non estis in carne, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Et sequitur: Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.

Semper procedens ab vtroque. ¶ CAP. 11.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, eundem Spiritum sanctum qui Patris & Filij *Ioan. 15.* vnus Spiritus est, de Patre & filio procedere. Dicit enim Filius: Cum venerit Spiritus veritatis, qui à patre procedit, vbi suum Spiritum esse docuit, quia ipse est veritas. De Filio quoque procedere Spiritum sanctum, prophetica atque Apostolica nobis doctrina commendat. Isaias *Isaiæ 11.* enim dicit de Filio: Percutiet terrã virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium. De quo & Apostolus ait: Quem interficiet Dominus Iesus spiritu oris sui. Quem etiam ipse vni- *2.Thess 2.* genitus Dei filius spiritum oris sui esse significans, post resurrectionem suam insufflans in di- *Ioan. 20.* scipulos, ait: Accipite Spiritum sanctum. De ore verò Domini Iesu ait Ioannes in Apocalypsi: *Apocal. 1.* quia gladius vtraque parte acutus procedebat. Ipse verò Spiritus oris eius, ipse est gladius qui de ore eius procedit.

Deus immensus virtute non mole. CAP. 12.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum, immensum esse, virtute non mole, & omnem creaturam spiritualem atque corporalem virtute eius & præsentia contineri. Dicit enim Deus pater: Cœlum & terram ego *Ierem. 23.* impleo. Dicitur ergo de sapientia Dei, qui Filius *Sapient. 8.* eius est: quia attingit à fine vsque ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter. De Spiritu quoque sancto legimus: quia Spiritus Domini re- *Sapient 1.* pleuit orbem terrarum. Et Dauid Propheta di- *Psalm. 131.*

cit: Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, & si descendero in infernum, ades.

Solus Filius incarnatus. ¶ CAP. 13.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, vnam ex Trinitate personam, id est, Deum filium, qui de natura Dei patris solus natus est: & vnius eiusdémque naturæ cum Patre est, ipsum
Galat. 4. in Spiritu, in plenitudine temporis secundùm susceptionem formæ seruilis: voluntariè, in virgine conceptum: & de virgine natum: verbum carnem factum: ipsúmque esse, qui essentialiter natus est de Patre, & essentialiter conceptus natúsque est de Virgine: Ipsúmque vnum esse, & vnius naturæ cum Patre, & vnius naturæ cum
Prouerb. 8. Virgine, qui ait de Deo Patre: Ante sæcula fundauit me, & ante omnes colles genuit me. De
Galat 4. quo etiam dixit Apostolus, quia quum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, natum ex muliere, factum sub lege.

Verus Deus, Verus homo. ¶ CAP. 14.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, Iesum Christum Filium Dei, sicut de Deo Patre, plenum perfectúmque Dominum, sic de Maria Virgine, plenum perfectúmque hominem genitum, id est, Verbum Dominum, habentem scilicet sine peccato veram nostri generis carnem, & animam rationabilem. Quod ipse Dei filius euidenter ostendit, dicens de carne sua:
Lucæ 24. Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Animam
Ioan. 10. quoque se habere, his verbis ostendit: Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meã, & iterum sumam eam. Intellectum quoque animæ se habere ostendit in eo quod dicit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Et de ipso
Matth. 11. Deus per Prophetam dicit: Ecce intelliget puer
Isa. 52. meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. Nam & beatus Petrus secundum sãcti Dauid Prophetiam in Christo carnem atque animam confitetur. De ipso enim loquens bea-
Act. 2. tus Petrus ait. Propheta igitur cum esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens
Psal. 15. locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelicta est anima eius in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.

Vnum verbum fecit omnia tempora, dedit legem, factus sub lege. ¶ CAP. 15.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, vnum atque ipsum esse Deum verum verbum, qui cum patre Deo & Spiritu sancto Deo fecit om-
Exod. 20. nia tempora, & in monte Sina legem dedit Moysi ordinatam per Angelos, & ipsum verbum Deũ carnem factum, qui veniente plenitudine temporis missus à Patre & Spiritu sancto, solus fa-
Galat. 4. ctus est ex muliere quam fecit: solus factus est sub lege, quam dedit.

Vnus inconfusus & inseparabilis. ¶ CAP. 16.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites Dei verbi quod caro factum est, duas naturas inconfusibiliter atque inseparabiliter permanere: vnam veram diuinam quam habet communem cum patre, secundùm quam dicit, Ego & pater
Ioan. 10. vnum sumus: Et qui videt me, videt & patrem:
Ioan. 14. Et, ego in patre, & pater in me est; secundùm
Ibidem. quam eum Apostolus dixit, splendorem gloriæ
Hebræ 1. & figuram substantiæ Dei: alteram veram humanam, secundùm quam ipse Deus incarnatus *Ioan 14.*
dicit, Pater maior me est.

Vna Persona. ¶ CAP. 17.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, Deũ verbum carnem factum: vnam habere diuinitatis suæ carnísque personam. Deus enim verbum plenam naturam humanam ita sibi veraciter vnire dignatus est: & permanente diuinitate sua, ita verbum caro factum est, vt quamuis naturaliter non hoc sit verbum quod caro, quia duarum naturarum veritas manet in Christo: secundùm vnam tamen personam idem verbum caro abipso fieret maternæ conceptionis initio. Deus enim verbum, non accepit personã hominis, sed naturam: & in æternam personam diuinitatis, accepit temporalem substantiam carnis. Vnus est ergo Christus verbum caro factum: qui & ex patribus secundùm carnem, & super omnia Deus benedictus in sæcula vnus est Iesus. Cui & pater dicit: Ex vtero ante lucife- *Psal. 9.*
rum genuite. Vbi significatur ante omne tempus sine initio æterna natiuitas. De quo & Euãgelista dicit, Quia vocatum est nomen eius Ie- *Lucæ 2.*
sus: quod dictum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur.

Verbum Conceptum. ¶ CAP. 18.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate conceptam in vtero Virginis, priusquam susciperetur à verbo: sed ipsum verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem verbi Dei incarnatione conceptam.

Dei verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium. ¶ CAP. 19.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, ipsum vnigenitum Deum verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium, & hostiam Deo in odorem suauitatis: cui cum patre & Spiritu sancto, à Patriarchis & Prophetis, & Sacerdotibus tempore veteris testamenti animalia sacrificabantur: & cui nunc, id est, tempore noui testamenti cum patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est vna diuinitas, sacrificium & panis & vini in fide & charitate sancta Catholica Ecclesia per vniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis significatio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit. De quo beatus Paulus dicit in Actibus Apostolorum: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spi- *Act. 20.*
ritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam adquisiuit sanguine suo. In illis ergo sacrificiis quid nobis esset donandum, figuratè significabatur: in hoc sacrificio quid nobis iam donatum sit, euidenter ostenditur. In illis sacrificijs prænuntiabatur Filius Dei, pro impijs occidendus: in hoc autem pro impijs annuntiatur occisus. Testante Apostolo, quia Christus, *Rom 5.*
dum adhuc essemus infirmi secundùm tempus, pro impijs mortuus est. Et quia cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filij eius.

Verbum semper habet veram carnem. ¶ CAP. 20.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, verbum carnem factum, eandē humanam carnem semper verā habere, qua de Virgine verbū Deus natus est, qua crucifixus & mortuus est, qua resurrexit, & in cœlum ascendit, & in dextera Dei sedet, in qua etiam venturus est iudicare viuos & mortuos. Propter quod ab Angelis Apostoli audierunt: Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. *Act. 1.* Et beatus Ioannes ait: Ecce veniet cum nubibus, *Apoc. 1.* & videbit eum omnis oculus, & qui eum crucifixerunt, & videbit eum omnis tribus terræ.

Ad cuncta creatura bona. ¶ CAP. 21.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse naturaliter summum atque incommutabile bonum, & ab ipso creatas esse omnes naturas. Bonas quidem, quia à summo bono factæ sunt: sed mutabiles, quia de nihilo factæ sunt. Nullamque esse malam naturā, quia omnis natura, inquantum natura est, bona est. Sed quia in ea bonum & minui & augeri potest: in tantum mala dicitur, in quantum bonum eius minuitur. Malum enim nihil aliud est, nisi priuatio boni. Vnde constat geminum esse creaturæ rationalis malum, id est, vnum, quo voluntariè ipsa deficit à summo bono creatore suo: alterum quo inuita punietur ignis æterni supplicio. Illud passura iustè, quia hoc admisit iniustè. Et quæ ordinem in se non seruauit diuinæ institutionis, ordinem non effugiet diuinæ vltionis.

Nihil præter Deum eiusdem esse naturæ. ¶ CAP. 22.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, neq; angelos, neque quamlibet aliam creaturam eiusdem naturæ esse, cuius est secundùm naturalem diuinitatem suam, summa Trinitas, qui est vnus naturaliter Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Neque enim vnius naturæ esse poterant, ille qui fecit, & ea quæ fecit.

De immutabili & mutabili. ¶ CAP. 23.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabili factam: nec tamen posse iā quamlibet Angelorum sanctorum creaturam in deterius commutari, quia sic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruūtur, vt ea carere non possint. Sed hoc ipsum quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt beati, mutari in deterius nullatenus possunt, non eis naturaliter insitū: sed postquam creati sunt, gratiæ diuinæ largitate collatum. Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent: nunquam de eorum consortio diabolus & eius Angeli cecidissent.

De differentia rationalis & irrationalis. ¶ CAP. 24.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, in omni creatura, quam spiritualem atq; corporeā summa Trinitas fecit, solos spiritus Angelicos & humanos intelligendi facultatem diuinitus accepisse. Cæteros verò spiritus brutorum animalium rationalem intelligentiam non accepisse: & ob hoc omnino habere nō posse. Propter quod dicitur hominibus: *Psal. 31.* Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Et ideo nec animas pecorum in homines, nec animas hominum in pecora posse aliquando transire.

De libero arbitrio. ¶ CAP. 25.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, primos homines, id est, Adā & mulierē eius, bonos & rectos, & sine peccato creatos esse cū libero arbitrio, quo possent si vellent, Deo semper humili & bona voluntate seruire, atque obedire: quo arbitrio etiam possent si vellent, propria voluntate peccare: eosque non necessitate, sed propria voluntate peccasse: Illoque peccato sic in deterius mutatam humanam naturā, vt non solùm in ipsis primis hominibus per peccatum mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines transiret peccatū, mortisque dominium. *Rom. 5.*

De originali peccato, eiusque remedio. ¶ CAP. 26.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites omnē hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subiectū, & ob hoc naturâ iræ filium nasci, de quo dicit Apostolus: Eramus enim & nos naturâ filij iræ, sicut & cæteri. A qua ira nullus liberatur, nisi fide mediatoris Dei & hominū, hominis Iesu Christi, qui sine peccato conceptus sine peccato natus, sine peccato mortuus, peccatum pro nobis factum est, id est, sacrificium factus est pro peccatis nostris. In veteri quippe testamento peccata dicebantur sacrificia, quæ pro peccatis offerebantur. In quibus omnibus fuit significatio Christi, quia ipse est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *de cons. dist. 4. c firmissimè.* *Ephes. 2.* *Ioan. 1.*

De Baptismo. ¶ CAP. 27.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, non solùm homines iam ratione vtentes, verumetiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur: siue iam de matribus nati, sine Sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni supplicio sempiterno puniendos; quia etsi peccatum propriæ actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & natiuitate traxerunt. *de cons. dist. 4. c firmissimè.*

De Iudicio. ¶ CAP. 28.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, ideo Christum ad iudicandos viuos mortuosque venturum, vt homines quos hic dono gratię suę gratis iustificat per fidem, & eisdem iustificatis in fide & charitate sanctę matris Ecclesiæ vsque in finem perseuerantiam donat, in suo aduentu resuscitet, glorificet, & secundùm promissionem suam æquales sanctis angelis faciat, & ad eum statum perducat, in quo perfectè, quantùm vnicuique donat, boni sunt: & ab ipsa perfectione mutari deinceps non possunt: vbi diuersa erit sanctorum gloria, sed vna erit omnium vita æterna. Diabolum verò & angelos eius in ignem æternum à Christo esse mittendos: vbi nunquā carebunt pœna, quam eis praeparauit diuina iustitia. Cum ipso diabolo impios & iniquos homines, de quibus scriptura dicit: imitantur autem eum qui sunt ex parte illius, *Sap. 2.* pro eo quod eum in malis operibus imitati sunt, & ante finem præsentis vitæ congruam pœnitentiam non egerunt: resumptis corporibus supplicio æternæ combustionis arsuros.

Ante finem præsentis vitæ pœnitentiam agendam.
¶ CAP. 29.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnibus hominibus, & bonis & malis resurrectionem carnis in aduentu Domini futuram esse communem: retributionẽ verò iustitiæ Dei esse bonis malisque dissimilem: secundũ quod Apostolus ait, (1. Cor. 15.) Quia omnes resurgemus, sed nõ omnes immutabimur. Mutabuntur autem iusti, qui ibunt in vitam æternã. Quod Apostolus ostendit dicens: Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Et ostendens quæ erit ipsa immutatio, adiecit: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatẽ. In eorũ corporibus fiet, quod ipse Apostolus ait: (Ibidem.) Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Quod propterea dixit, non quia ipsum corpus spiritus erit, sed quia viuificante spiritu immortale, atque incorruptibile permanebit. Sic autem tunc dicitur spirituale corpus, cùm nõ spiritus sit, sed permaneat corpus, sicut nunc animale dicitur, cùm tamen inueniatur anima non esse, sed corpus.

De Martyrio, & Pœnitentia, & Baptismo.
¶ CAP. 30.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, exceptis illis qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum accepturũ vitam æternam, qui non hîc à malis suis fuerit per pœnitẽtiam fidémque conuersus. Et per Sacramentum fidei & pœnitentiæ, id est, per baptismum liberatus. Et maioribus quidem necessarium est, & pœnitentiã de malis suis agere, & fidem catholicam secundùm regulam veritatis tenere, & Sacramentũ baptismatis accipere. Paruulis verò qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato quod originaliter trahunt, agere possunt, Sacramentum fidei, quod est Sanctum baptisma, quamdiu rationis ætas eorum capax esse non potest, sufficere ad salutem.

De gratia pœnitentiæ. ¶ CAP. 31.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, neminem hîc hominum posse pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita miseratione conuerterit. Apostolus enim dicit: (2. Tim. 2.) Ne forte det Deus illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis.

De gratia obedientiæ. ¶ CAP. 32.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, vel aduersitas, verba sancta legis & Euangelij siue legere, siue ex ore cuiusquam prædicatoris audire, sed diuinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratiã suã præuenerit: vt quod audit corpore, etiam corde percipiat, & accepta diuinitus bona voluntate, atque virtute, mandata Dei facere & velit & possit. Neque (1 Corint. 3.) enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, (Philip. 2.) sed qui incrementum dat, Deus: quia etiam operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.

Deum incommutabiliter omnia nosse. ¶ CAP. 33.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Deo incommutabili non solùm præterita, sed etiam futura omnia incommutabiliter esse notissima, cui dicitur: (Daniel 13.) Qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant.

De scientia. ¶ CAPVT 34.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum incommutabilem, rerum omnium, atque operum tam suorum quàm humanorum certissimum cognitorem: & ante omnia sæcula scire quibus esset per fidem gratiam largiturus, sine qua nemo potuit ab initio mundi, vsque in finem à reatu peccati tam originalis quàm actualis absolui. (Rom. 8.) Quos enim Deus præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius.

De prædestinatione. ¶ CAP. 35.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo: neque perire posse aliquem eorũ quos Deus prędestinauit ad regnum cœlorum: nec quem quã eorum quos Deus non prædestinauit ad vitam vlla posse ratione saluari. Prædestinatio enim illa gratuita donationis est præparatio, qua nos Apostolus ait (Ephe. 1.) prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum.

Extra Ecclesiam non prodesse baptisma.
¶ CAP. 36.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Sacramentum baptismatis, non solùm intra Ecclesiam Catholicam, sed etiam apud hæreticos qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizant, esse posse: sed extra Ecclesiam Catholicam prodesse non posse. Immò sicut intra Ecclesiam rectè credentibus per Sacramentum baptismi conferri salutem: sic extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, eodem baptismate cumulari perniciem. Tantum enim valet ecclesiasticæ societatis vnitas ad salutem, vt baptismo non saluetur, cui non ibi datur, vbi oportuit vt detur. Inesse tamen homini baptismum etiam extra Ecclesiam baptizato, sed ad iudicium inesse separato. Sed quia manifestum est vbicunque datum fuerit hoc baptisma semel esse dandum, ideo etsi ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fuerit datum, venerabiliter agnoscendum, & ob hoc nullatenus iterandum. (Ioan. 13.) Saluator enim ait: Qui semel lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.

De eodem. ¶ CAP. 37.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem extra Ecclesiã Catholicam baptizatum participem fieri non posse vitæ æternæ, si ante finẽ vitæ huius catholicæ non fuerit redditus atque incorporatus Ecclesiæ. (1 Corint. 13.) Quia si habeam, inquit Apostolus, omnem fidem, & nouerim omnia sacramenta, charitatem autem non habeã, nihil sum. (Gen. 7.) Nam in diebus diluuij, neminem legimus extra arcam potuisse saluari.

De hæreticis & schismaticis. ¶ CAP. 38.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solùm omnes paganos, sed & omnes Iudæos, hæreticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam finiunt vitam, in ignem

æternum ituros, qui paratus est diabolo & angelis eius.

De eodem. ¶ CAP. 39.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quẽlibet hereticum siue schismaticũ, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quãtascunque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari. Omni enim homini, qui Ecclesiæ non tenet vnitatem, neque baptismus, neque eleemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem, quando in eo vel hæretica vel schismatica prauitas perseuerat, quæ ducit ad mortem.

De Catholicis criminosis. ¶ CAP. 40.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non omnes qui intra Ecclesiã Catholicam baptizantur, accepturos esse vitam æternam, sed eos qui percepto baptismate rectè viuunt: id est, qui se abstinuerunt à vitiis & concupiscentiis carnis. Regnum enim cœlorum sicut infideles hæretici atque schismatici non habebunt: sic Catholici criminosi possidere non poterunt.

De necessitate Remissionis. ¶ CAP. 41.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, etiam iustos atque sanctos homines, exceptis his qui baptizati paruuli mortui sunt, sine peccato hîc neminem viuere posse: sempérque omni homini esse necessarium, & peccata sua vsque in finem vitæ præsentis eleemosynis diluere, & remissionem humiliter à Deo ac veraciter postulare.

De Escis & Nuptijs. ¶ CAPVT 42.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnẽ creaturam Dei bonam esse, & nihil rei jciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Et Dei seruos qui à carnibus aut vino se abstinent, non tanquam immunda, quia à Deo facta sunt, respuere, sed à fortiori cibo & potu pro sola castigatione corporis abstinere. Nuptias quoque diuinitus institutas & benedictas. Et melius quidem esse, si quisquam sine coniugio sit, vt liberiùs atque pleniùs cogitet, quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo. Tamen illis qui continentiam non vouerunt, nullum esse peccatum, si vel mulier nubat, vel vir vxorem ducat. Nec solas primas nuptias à Deo institutas, sed etiã secundas & tertias pro eorum qui se continere nõ possunt, infirmitate concessas. Verum qui siue coniugati, siue à coniugio liberi continentiam Deo vouerũt, admodũ esse damnabiles, si vel illi coniugale opus voluerint appetere, quo se non accessuros, vel illi repetere, à quo se recessuros, illi libera, hi communi professi sunt voluntate.

1. Timot 4.

1. Cor. 7.

¶ CAP. 43.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, areã Dei esse Catholicam Ecclesiam, & inter eam vsq; in finem sæculi frumento mixtas paleas cõtineri: hoc est, bonos ac malos sub sacramentorum communione misceri, & in omni professiono siue monachorum, clericorum, siue laicorum esse bonos, esse simul malos. Nec pro malis bonos deserendos, sed pro bonis malos, inquantum fides exigit & charitatis ratio, tolerandos: Id est, si vel in Ecclesia nullius perfidiæ semen aspergunt, vel fratres ad aliquod malum mortifera imitatione nõ ducunt. Nec posse aliquẽ intra Ecclesiam Catholicã rectè credentem, benéque viuentẽ alieno vnquam maculari peccato, si cuiusquã peccatis nec consensionem præbeat, nec fauorem. Vtilitérque malos à bonis intra Ecclesiam tolerari, si hoc cũ eis benè viuendo, & benè manẽdo agatur: Vt & videntes & audientes quę bona sunt, mala sua respuant, & iudicandos se à Deo pro suis malis operibus scientes resipiscãt. Atque ita præuenti dono gratiæ de suis iniquitatibus cõfundantur, & ad bonã vitam per Dei misericordiã conuertantur. Bonos verò à malis intra Ecclesiã duntaxat Catholicã constitutos, non debere nisi operũ dissimilitudine separari: vt cum quibus diuina cõmunicant Sacramenta, non habeant mala opera, quibus illi sunt criminosi, cõmunia. In fine verò sęculi bonos à malis etiã corpore separandos, quando veniet Christus habens ventilabrũ in manu sua, & permundabit areã suã, & congregabit triticum suum in horreũ: paleas autẽ cõburet igni inextinguibili, quando per iudicium iustũ segregabit iustos ab iniustis, bonos à malis, rectos à peruersis: bonos cõstituet à dextris, malos à sinistris: Et eius ore iusti æternique iudicij sempiterna atque incommutabili prolata sententia, iniqui omnes ibunt in combustionem æternam: iusti autem in vitam æternam: iniqui semper arsuri cum diabolo, iusti autem regnaturi cum Christo.

Matth. 3.

Capitula veræ fidei firmißimè tenenda. ¶ CAP. 44.

Hæc interim quadraginta Capitula ad regulã veræ fidei firmissimè pertinentia fideliter credẽ, fortiter tene, veraciter patientérq; defende. Et si quẽ contraria his dogmatizare cognoueris, tanquam pestem fuge & tanquã hæreticum abijce. Ita enim ista quæ posuimus fidei Catholicæ cõgruunt, vt si quis non solum omnibus, sed etiam singulis voluerit contraire, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat, & his contraria docere non dubitat, hæreticus & fidei Christianæ inimicus: atque ex omnibus catholicis anathematizandus appareat.

Leo vniuersis Episcopis per Siciliam de Baptismo. *Epistola 4.*
¶ CAP. 45.

Propriè in morte Crucifixi, & in resurrectione ex mortuis potentia baptismatis nouã creaturã condit ex vetere, vt in renascentibus & mors Christi operetur & vita, dicẽte Apostolo: An ignoratis quia quicũque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Cõsepulti enim sumus cum illo, per baptismũ in morte, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriã Patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus. Si enim cõplatati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Et cætera quæ latius magister Gentiũ ad cõmendandum Sacramentũ baptismatis disputauit, vt appareret ex huius doctrinæ spiritu regenerandis filijs hominũ, & in Dei filio adoptandis, illũ diem, & illud tempus electũ, in quo per similitudinẽ formámq; mysterij ea quæ gerũtur in membris iis quæ in ipso sunt capite gesta, congruerent, dum in baptismatis regula, & mors interuenit interfectione peccati, & sepulturã triduanam imitatur trina dimersio, & ab aquis eleuatio resurgẽtis instar est de sepulchro. Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ diẽ legitimũ eum esse, in quo orta est & virtus muneris, & species actionis. Ad cuius rei con-

Rom. 6.

firmationẽ plurimum valet, quòd ipse Dominus Iesus Christus posteaquã resurrexit à mortuis, discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarũ præsules docebãtur, & formã & potestatem tradidit baptizandi, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. De quo vtique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi propriè voluisset intelligi regenerationis gratiã ex sua resurrectione cœpisse. Additur sanè huic obseruantiæ etiã Pentecostes ex aduentu sancti Spiritus sacrata solennitas, quæ de Paschalis festi pendet articulo. Et cùm ad alios dies alia festa pertineant, hæc semper ad eum diem, qui in resurrectione Domini est, insignis occurrit, porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum, & eos quos à die Paschæ, aut molestia infirmitatis aut longinquitas itineris, aut nauigationis difficultas interclusit, inuitans vt quibuslibet necessitatibus impediti, desiderij sui effectum dono sancti Spiritus consequantur.

Matth 28.

Idem de eodem. ead. epist. iij. ¶ Cap. 46.

Hoc autem nos non ex nostra persuasione defendere, sed ex Apostolica authoritate seruare, satis idoneo probamus exemplo, sequentes beatum Apostolum Petrum, qui in ipso die, quo omnẽ credentium numerum promissus sancti Spiritus repleuit aduentus, triũ millium populũ sua prædicatione conuersum lauacro baptismatis consecrauit. Quod sancta scriptura, quæ Apostolorum actus continet, fideli historia docet dicens: His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrũ & reliquos Apostolos, Quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos, Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum, in nomine Domini nostri Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum sancti Spiritus.

Act. 2.

Idem non esse celebrandũ Baptismum in Epiphania. Leo vniuersis Episcopis per Siciliam. * *epist. iiij.*
¶ Cap. 47.

* ead. epist. c. vi.

Si quis autem Epiphaniæ festiuitatem, quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat priuilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quòd in eadẽ die dominus ad baptimum sancti Ioannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eandem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex volũtate viri, sed ex Deo nati sunt. Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec quærens remedium renascendi, sic voluit baptizari quomodo & voluit circuncidi, hostiámque pro se emundationis offerri: Vt qui factus fuerat ex muliere, sicut Apostolus ait, fieret & sub lege, quam non venerat soluere, sed implere, & implendo finire, sicut beatus Apostolus prædicat, dicens: Finis autem legis Christus, ad iustitiã omni credenti. Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenens, se docuit esse principium. Et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua Baptismatis.

De cons. dist. 4. c. si quis autem.
Ioan. 1.
Galat 4.
Rom 10.

Idem Leo primus Leoni Episcopo Rauennati, Epist. xxxvij. c. i.
De his qui vtrum baptizati sunt nescitur.
¶ Cap. 48.

Cùm itaque Baptismi sui nihil recordetur qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit qui sciat consecratum, nihil est in quo peccatum possit obrepere, cùm in hac parte cõscientiæ suæ nec ille reus sit qui consecratur, nec ille qui cõsecrat: scimus quidem inexpiabile esse facinus, quoties iuxta hæreticorum dogma, contra sanctorum patrum instituta, cogitur aliquis lauacrum quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante sententia, qui nobis vnam prędicat in trinitate Deitatẽ: vnã in fide confessionem, vnũ in baptismate Sacramentum. Sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod factum esse omnino nescitur. Atq; ideo quoties persona talis inciderit, solicita primum examinatione discutite, & longo tẽpore, nisi fortè supremus finis immineat, indagate, vtrũ nemo penitus sit, qui testimonio suo iuuare possit ignorantiam nescientis. Et cùm constiterit hunc qui baptismatis indiget Sacramẽto, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendã gratiam, cuius in se nullum scit esse vestigium. Nec vereamur huic ianuam salutis aperire, quam nunquam docetur ingressus.

Decons. dist. 4. c. cũ itaq.
Ephes. 4.

Gregorius in Moralibus lib. 4. cap. 2.
Quòd apud veteres idem fides, virtus sacrificij, mysterium circuncisionis, quod apud nos baptisma, valebat. ¶ Cap. 49.

Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circuncisionis.

de cons. dist. 4. c. quod autem.

De eodem. August. ad Valerium contra Iulianum, De nuptijs & concup. l. ij c. xi. ¶ Cap. 50.

Ex quo instituta est circuncisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ad significationem purgationis, valebat & paruulis originalis veterisque peccati, sicut & Baptismus ex illo valere cœpit, ad innouationem hominis, ex quo institutus est.

August de nuptijs & concupiscentia, l. 2. c. 11. Gra. de cons. dist 4. c. ex quo.

Bracarense concilium j cap. xxiij. ¶ Cap. 51.

Placuit vt nullus eum baptizandi ordinem prætermittat quem & antea tenuit Metropolitana Bracarensis Ecclesia, & pro amputanda aliquorum dubietate profuturus Episcopus, scriptum sibi & directum à sede beatissimi Petri Apostoli suscepit.

De eadem re, Victor Papa Theophilo Episcopo, cap. j.
Quòd gentiles ad fidem venientes à quocunque, quacunque hora, in quocũnque flumine baptizandi sunt.
¶ Cap. 52.

Si necesse fuerit, aut mortis periculũ ingruerit, gentiles ad fidem venientes, quocunque loco vel momento, vbicunque euenerit, siue in flumine, siue in mari, siue in fontibus, tantùm Christianæ confession's credulitate clarificata baptizentur. Ipsum quoque quod in Baptismo polliciti sunt, summopere est attendendum, ne infideles, sed fideles inueniantur. Ipsi verò qui infidelitatis nota asperguntur, infames efficiuntur, atque inter fideles minimè reputantur.

Augustinus de lxx. Hæresibus. ¶ Cap. 53.

* Lectiani hæretici negant esse visibilem paradisum, & baptismum in aqua non accipiunt.

* Seleestiani.

Haymo super primam epistolam ad Romanos.
¶ Cap. 54.

Fortassis quæret aliquis quare in aqua solum-

modo,& non aliquando in vino baptiſmus conſecretur. Cui reſpondit beatus Ambroſius: Idcirco vniformiter hoc fieri in aqua,vt intelligatur quòd ſicut aqua ſordes corporis, aut veſtimenti abluit,ita illud Baptiſma animæ maculas ſordéſque vitiorum emundando abſtergit.

Gregorius Fortunato Epiſcopo Neapolis. ¶ CAP. 55.

Secundino Taurominitano Epiſcopo. Gratianus 18 q. 2 c. pridem; hoc caput Gelaſio attribuit.

Pridem præcepimus, vt de Monaſterio ſancti Andreæ, quod eſt ſuper Maſcalas,baptiſterium propter Monachorum inſolentias debuiſſet auferri atque in eodē loco,quo fontes ſunt,altaria fundari.Cuius rei perfectio hactenus eſt protracta. Admonemus itaque fraternitatē tuā,vt nullam iam moram pòſt ſuſceptas præſentes literas noſtras inferas:ſed repleto loco ipſorum fontium, altare ad ſacra celebranda myſtica, illic ſine aliqua dilatione fundetur.

Gelaſius ſabino Epiſcopo. ¶ CAP. 56.

Nec enim numerus baptizandis iuſtè creditur imponendus, cùm quanti fortè petierint,vel ad regenerationem feſtinauerint, non ſint pro alterius voluntate pellendi. Et ideo ſuperfluam conſtitutionem modis omnibus refutantes, volumus vt vnuſquiſque aut in vicina ſibi Eccleſia, aut in electa, pro ſuæ mentis baptizetur arbitrio.

Ex libro Pontificali. ¶ CAP. 57.

Marcellus xxv. titulos in vrbe Roma conſtituit,quaſi diœceſes propter Baptiſmum, & pœnitentiam multorum.

Siricius Papa Himerio Tarraconenſi Epiſcopo, cap. ij. ¶ CAP. 58.

De conſe- diſt. 4. c. non ratione.

Non ratione authoritatis alicuius,ſed ſola temeritate præſumitur, vt paſſim & liberè natalitio Chriſti,ſeu apparitione,nec non Apoſtolorum ſeu Martyrum feſtiuitatibus, innumeræ (vt aſſeris) plebes baptiſmi myſterium conſequantur: cùm hoc ſibi priuilegium apud nos, & apud omnes Eccleſias, dominicum Paſcha ſpecialiter cum ſancta Pentecoſte defendat. Item: Infantibus qui necdum loqui poſſunt per ætatem, uel his qui ſunt in qualibet neceſſitate, ſi opus fuerit, ſacri baptiſmatis vnda, omni volumus celeritate ſuccurri.

Leo Papa Epiſcopis per ſiciliam, Epiſt iiij cap. vj. ¶ CAP. 59.

De con. diſt. 4 c. duo tempora & c. non poteſt.

Euidenter agnoſcitis in baptizandis electis, qui ſecūdùm Apoſtolicam regulam & exorciſmis ſcrutandi, & Ieiuniis ſanctificandi, & frequentibus prædicationibus imbuendi, duo tantùm tempora, id eſt,Paſcha & Pentecoſten eſſe ſeruanda.

Gerundenſe concilium, cap. iij. ¶ CAP. 60.

De conſ diſt. 4. c de catechumenis.

De Catechumenis baptizandis id decretum eſt, vt in Paſchæ,ſolennitate vel Pentecoſtes ad baptizandum veniant. Cæteris ſolennitatibus infirmi tantummodò debeant baptizari.

Gregorius Fantino defenſori. ¶ CAP. 61.

Si Iudæis baptizandis longum vel triſte videtur ſolennitatem ſuſtinere Paſchalem: & eos nunc ad baptiſma feſtinare cognoſcis, ne, quod abſit, longa dilatio retrò poſſit eorum animos reuocare, cum fratre noſtro Epiſcopo loci illius loquere, vt pœnitentia ac abſtinentia xl. diebus indicta, aut die dominico, aut ſi celeberrima feſtiuitas fortaſſis occurrerit, eos omnipotentis Dei miſericordia protegente baptizet.

Gregorius reſpondens Auguſtino. ¶ CAP. 62. *Ep. xxxj.*

diſt 5 parte prima. c. Baptizari

Baptizari, vel enixam ipſam mulierem, vel hoc quod genuerit, ſi mortis periculo vrgetur, vel ipſam hora eadem qua gignit, vel hoc quod gignitur eadem hora qua natum eſt,nullo modo prohibetur.

Gregorius clero & plebi Tarenſi. ¶ CAP. 63.

*Generalis baptiſmi Sacramentum, niſi in feſtiuitate Paſchali & Pentecoſtes tradere non præſumat Epiſcopus, exceptis ægritudine laborantibus, quibus mortis vrgente periculo, talibus oportet ne in æternum pereant, remediis ſubueniri.

** Venerabilis. De con diſt. 4 c. venerabilis.*

Gelaſius Epiſcopis per Lucaniam, Brutios & Siciliam, cap. ix. ¶ CAP. 64.

Laicis Chriſtianis baptizare plerunque conceditur.

De con. diſt. 4 c. in neceſſitate.

Concilium Carthaginenſe iiij. cap. c. ¶ CAP. 65.

Mulier baptizare non præſumat.

Iſidorus de officijs, lib. ij. cap. xxiiij. ¶ CAP. 66. c. xxiij.

Illud quod nec priuatis, nec clericis * baptizare liceat, niſi tantùm ſacerdotibus in Euangelio legimus Apoſtolis tantùm permiſſum.

** adde ſine gradu. Ioan. 20.*

Ibidem. ¶ CAP. 67.

Item. Conſtat baptiſma ſolis ſacerdotibus *traditum,eiúſque miniſterium nec ipſis diaconibus explere eſt licitum abſque Epiſcopo vel preſbytero, niſi his procul abſentibus vltima languoris cogat * neceſſitudo: quod & laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſæculo euocetur.

** adde eſſe.*
** neceſſitas.*

Rabanus de Inſtitutione clericorum, lib. i. cap. vij. ¶ CAP. 68.

Apoſtoli ſeptem diacones propter Sacramentum eiuſdem numeri ordinauerunt ad miniſterium, & ad officium altaris, qui leguntur etiam & prædicaſſe & baptizaſſe non paucos.

Quod Acolytus non baptizet: ¶ CAP. 69.

Ex libro Pontificali. Bonifacius tertius conſtituit,vt Lateranus Acolytus non baptizet,ſed diaconus & ſubdiaconus ſequentes.

Ambroſius ſuper 1. Epiſt. ad Corinthios. cap. j. ¶ CAP. 70.

Maius eſt euangelizare quàm baptizare, ideo Apoſtolus non ſe miſſum baptizare dicit, ſed euangelizare,quia in Epiſcopo omnium ordinationum dignitas eſt. Caput eſt enim cæterorum membrorum. Per quod & illos humiliat, quibus Corinthij multum dabant, propterea quòd ab illis fuerant baptizati, vt ex eo ſcirent non magnum eſſe baptizare, quia non omnis qui baptizat, idoneus eſt & euangelizare. Verba enim ſolemnia ſunt,quæ dicuntur in baptiſmate. Denique Petrus Apoſtolus credentem Cornelium cum ſuis iuſſit baptizari, nec dignatus eſt miniſtris aſtantibus hoc opus facere. Si enim defuiſſent, ipſe hoc ageret neceſſitate compulſus.

Leo Nonus in synodo habita Remis, cap. iij.
¶ Cap. 71.

Ne quis pro sepultura vel baptismo, seu pro Eucharistia, aut infirmorum visitatione quicquam exigat.

Gelasius Episcopis per Campaniam & Brutios constitutis. ¶ Cap. 72.

Baptizandis consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant aliqui: nec illationibus quibuslibet impositis, exagitare cupiant renascentes.

Toletanum concilium xj. cap. viij.
¶ Cap. 73.

1 q. 1. c. quicquid. Quicunque in ecclesiastico ordine constituitur, aut pro baptizandis, consignandisque fidelibus, aut pro collatione Chrismatis, aut promotionibus graduum pretia quælibet vel præmia nisi voluntariè oblata, pro huiusmodi ambitione susceperit; equidem si sciente loci Episcopo tale quicquam à subditis perpetratur, idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subiaceat, pro eo quod & scita mala contexit, & correctionem necessariam non adhibuit. Sin autem eorum quispiam eodem nesciente quodcunque pro supradictis capitulis accipiendum sibi esse crediderit, si Presbyter, trium mensium excommunicatione plectatur. Si Diaconus, quatuor; Subdiaconus verò vel clericus his cupiditatibus seruiens, & competenti pœna, & debita excommunicatione plectendus est.

Bracarense concilium ij. cap. vij. ¶ Cap. 74.

Si qui infantes suos ad baptismum offerunt, suscipiantur à clericis.

Ibidem, cap. j. ¶ Cap. 75.

10. q. 1. c. placuit omnibus Episcopis. Per singulas Ecclesias Episcopi, & per diœceses ambulantes, primùm discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi vel missarum teneant, & qualiter quæcunque officia in Ecclesia peragunt, & si rectum quid inuenerint, Deo gratias agant. Si autem minimè, docere debent ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, sicut antiqui Canones iubent, vt ante xx. dies baptismi ad purgationem exorcismi catechumeni curant, in quibus xx. diebus omnino symbolum, quod est, Credo in Deum patrem omnipotentem, specialiter doceatur. (de consecr. dist. 4 c ante 20. dies.)

Augustinus de pœnitentia c. 11.
¶ Cap. 76.

l. 1. c. 1. Gra. de consec. dist. 4. c. Omnis qui. Omnis qui iam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cùm accedit ad Sacramentum fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, nouam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia cùm baptisantur soli paruuli immunes sunt: nondum enim vti possunt libero arbitrio.

*Augustinus ad * Seleutianam, Epist. c. viij.* (*Solestianum.)
¶ Cap. 77.

de con. dist. 4. c Agunt. Agunt homines ante baptismum pœnitentiam de prioribus peccatis, ita tamen vt etiam baptizentur sicut scriptum est in actibus Apostolorum loquente Petro ad Iudæos, ac dicente: Agite pœnitentiam & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini Iesu Christi. (Act. 2.)

Rabanus de institutione clericorum. lib. i. cap xxvij.
¶ Cap. 78.

Primùm interrogetur paganus, si abrenunciet diabolo & omnibus damnosis eius operibus, atque fallaciis cunctis, vt primùm respuat errorem, sic appropinquet ad veritatem, possitque iuxta Apostolum deponere veterem hominem secundùm veterem conuersationem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris, abnegans impietatem, & sæcularia desideria. (De consec. dist. 4. c. primum. Ephes. 4. Ad Tit. 2.)

Ambrosius de Sacramentis l. 1. c. 11. ¶ Cap. 79.

Quando te interrogauit Leuita, abrenuntias diabolo & omnibus operibus eius: quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo, & omnibus: voluptatibus eius: quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis.

Gregorius i. Homilia xxiiij. de eod. ¶ Cap. 80.

In die baptismatis omnibus nos actibus antiqui hostis, atque omnibus pompis abrenuntiare promisimus. Itaque vnusquisque vestrum ad considerationem suam mentis oculos reducat: consideret si seruet post baptismum, quod ante baptismum spopondit.

Rabanus, de inst. cler. ¶ Cap. 81.

Post abrenuntiationem Apostolicæ fidei, ostenditur ei symbolum, & exquiritur ab eo, si credat in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum vnum Deum in trinitate & vnitate: si confiteatur vnam esse sanctam Ecclesiam Catholicam, & si credat remissionem peccatorum & vitam æternam. Hæc ergo omnia si se verè profitetur credere, iam incipit per fidem induere nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis, quo tamen plenè imbuitur, quando per baptismi lauacrum regeneratur. (Ephes. 4.)

Cap. xxv. lib. i. ¶ Cap. 82.

Ante baptismum cathechisandi debet * hominem præuenire officium, vt fidei primum catechumenus accipiat rudimentum. (* al. in hominem peruenire off.)

¶ Cap. 83.

Item. Priùs ipse Iesus cæci nati oculos luto, ex sputo facto superliuit, & sic ad aquas Siloë misit, quia priùs debet baptizandus fide incarnationis Christi instrui, & sic ad baptismum iam credulus admitti, vt sciat cuius gratiæ in eo est particeps, & cui iam debitor fiat deinceps. (c. ante baptismum de consec. dist. 4. Ioan. 9.)

Cap. xxvj. ¶ Cap. 84.

Baptizandis traditur salutare symbolum, quasi commonitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant quales iam ad gratiam Christi exhibere se debeant.

Beda super Esdram. lib. ij. ¶ Cap. 85.

Pulchrè in Ecclesia hic salubris mos doctrina patrum inoleuit, vt his qui catechisantur, quatuor Euangeliorum sacramentum explanetur, ac recitentur exordia.

¶ Cap. 86.

Item nouæ vitæ auditoribus symbolum fidei tradimus, quod per xij. Apostolos ordinatum est, & totidem sententiis comprehensum.

Nicolaus Papa Ioanni Archiepiscopo Rauennæ. ¶ Cap. 87.

De conf. dist. 4. c. catechismi. Catechismi baptizandorum à sacerdotibus vniuscuiusque Ecclesiæ possunt fieri, sicut in sancta hac Romana (cui deo auctore ministerium famulatus nostri exhibemus) Ecclesia, solenniter fieri comprobatur.

Isidorus de officijs lib. ij. cap. xj. ¶ Cap. 88.

Competentibus Salutare symbolum traditur quasi commonitorium fidei & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant, quales iam ad gratiam Christi exhibere se debeant.

Augustinus de symbolo lib. i. cap. i. ¶ Cap. 89.

Accipite regulam fidei, quod symbolum dicitur, & cùm acceperitis, in corde scribite, & quotidie dicite apud vos: antequam dormiatis, antequam procedatis, symbolo vestro vos munite.

Rabanus de institutione clericorum lib. i. cap. xxvij. ¶ Cap. 90.

De conf. dist. 4. c. postquã. Postquam se baptizandus per confessionem veræ fidei in alterius commendauerit dominium, & per abrenuntiationem à prioris possessoris se alienauerit seruitio, exsufflatur ab eo sæua potestas, vt per pium sacerdotis ministerium Spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus.

Beda super Regum. lib. iiij. ¶ Cap. 91.

Recti ordinis est, vt doctores veritatis priùs ab auditorum præcordijs omnem spiritum immundum exsufflando, & catechizando abigant: & sic eos qui fuerant castra dæmonum, sed facti iam possessio spiritualis Israël, societati fortis sanctorum, mysterijs salutaribus imbuendo aggregent.

Augustinus contra Iulianum, lib. iij. ¶ Cap. 92.

Aug. de ecclesiast. dog. cap. 31. Exsufflantur paruuli in exorcismo, priusquàm baptizentur.

Lib. iiij. ¶ Cap. 93.

Ab eis qui renascuntur in Christo, princeps mundi mittitur foras, quod mysteria significant, quando paruuli baptizandi exorcizantur, & exsufflantur.

Augustinus de symbolo lib. i. cap. i. ¶ Cap. 94.

De conf. dist. 4. c. sicut nostis. Sicut nostis, Paruuli & exsufflantur & exorcizantur, vt pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, vt possideret homines. Non ergo creatura Dei in infantibus exorcizatur, aut exsufflatur, sed ille, sub quo sunt qui sub peccato nascuntur.

Rabanus de instit. clericorum. lib. i. cap. xxvij. ¶ Cap. 95.

De conf. dist. 4. c. postea. Postea signatur baptizandus signaculo sanctæ crucis, tam in fronte, quàm in corde, vt ipse apostata diabolus in vase suo pristino suæ interemptionis cognoscens signũ, iam sibi deinceps sciat illud esse alienum.

Augustinus de symbolo. lib. ij. cap. i. ¶ Cap. 96.

Nondum adhuc per sacrum baptisma renati estis, sed per crucis signum in vtero sanctæ matris Ecclesiæ iam concepti estis.

Rabanus Ibidem. ¶ Caput 97.

Exin iam dicuntur super eum orationes, vt fiat Catechumenus.

August. de symbolo. lib iiij. cap. i. ¶ Cap. 98.

Omnia Sacramenta quæ acta sunt & aguntur in vobis per ministerium seruorum Dei exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione ceruicum, humilitate pedum, pauor ipse omni securitate appetendus. Hæc omnia, vt dixi, escæ sunt quæ nos reficiunt in vtero, vt renatos ex baptismo hilares vos mater exhibeat Christo.

Rabanus Ibid. ¶ Caput 99.

Tunc datur baptizando sal benedictum in os: vt per sal typicum sapientiæ sale conditus, fœtore careat iniquitatis, & nec à vermibus peccatorum vltrà putrefiat, sed magis illæsus seruetur ad maiorem gratiam percipiendam.

Beda super Regum, lib. ij. c. ix.* ¶ Cap. 100. * Esdram.

Sal cœlestis sapientiæ quo initiantur Catechumeni, in cunctis operum nostrorum sacrificijs offerre iubemur. Lib. 1. c. 27. de conf. dist. 4. c. Sal cœlestis.

Isidorus de officijs. lib ij. cap. xix. ¶ Cap. 101.

Sales in ministerio Catechumenis dandos à patribus ideo est institutum, vt eorum gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque desipiant à sapore Christi, nec sint fatui, vt retrò respiciant sicut vxor Loth. Gen. 19.

Rabanus Ibid. ¶ Cap. 102.

De hinc iterum exorcizatur diabolus, vt suam nequitiam cognoscens, & iustum super se Dei iudicium timens recedat ab homine, nec iam contendat eum arte sua subuertere, ne baptismum consequatur, sed magis honorem Deo creatori suo exhibens reddat opus Deo factori suo. De conf. dist. 4. c. dehinc.

Gregorius homilia xxiv. ¶ Cap. 103. Greg. hom. 19. sup. euangelia de conf. dist. 4. c. sacerdotes.

Sacerdotes cùm per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dæmonia eijciunt?

Rabanus, Ibid. ¶ Cap. 104.

Postea tanguntur ei nares, & aures cum saliua, & dicitur ei verbum euangelicum, quod Iesus quando surdum & mutum sanauit, tangens cum sputo linguam eius, & mittens digitos in auriculas eius, dixit: Effeta quod est, adaperire. Hoc enim Sacramentum hic agitur, vt per saliuam typicam, & sacerdotis tactum sapientia, & virtus diuina salutem eiusdem catechumeni operetur: vt aperiantur ei nares ad accipiendum odorem notitiæ Dei, vt aperiantur illi aures, ad audiendum mandata Dei, sensuque intimo cordis reponendum. De conf. dist. 4. c. postea. Marci 7.

Beda in libro primo homilia xix. ¶ Cap. 105. * homilia

Mos increbuit Ecclesiæ, vt sacerdotes illius in his quos percipiendis baptismi sacramentis præparant, priùs inter cætera consecrationis exordia, de saliua oris sui nares tangant & aures, dicentes, Effeta. Per saliuam quidem oris sui gustum, quo initiãdi sunt, supernæ sapientiæ Domin. XII post. Trinit.

designantes: per tactum verò narium, vt abiectis delectationibus noxijs, solum Christi semper amplectantur odorem.

Ambrosius de Sacramentis l. I. c. I. ¶ Cap. 106.

Quid egimus in sabbatho? Nempe apertionem, quia mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures sacerdos tetigit & nares: Quod significauit in Euangelio Dominus noster Iesus Christus, cùm ei oblatus esset surdus & mutus, tetigitque aures & os eius. Aures, quia surdus erat. Os, quia mutus erat, & ait Effeta hebraïcum verbum, quod latinè dicitur, adaperire. Ideo igitur tibi sacerdos tetigit aures, vt aperirentur aures tuæ ad sermonem, & ad eloquium sacerdotis. Item. Propter gloriam muneris & operis non os tangit Episcopus, sed nares, vt bonum odorem accipias pietatis æternæ.

Marci 7.

Nicenum concilium, cap. xiij. ¶ Cap. 107.

De Catechumenis lapsis sancto & magno concilio placuit, vt tribus annis sint inter audientes: post hæc autem cum catechumenis orent.

Pro Catechumenis. Rabanus Ibid. ¶ Cap. 108.

Deinde à sacerdote inungitur, vt sacrum baptisma cum fide accepta custodiatur. Vngitur illius tunc pectus de oleo sanctificato, cum inuocatione sanctæ trinitatis mens eius confortetur. Vngitur & inter scapulas de eodem oleo, vt vndique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.

de conf. dist. 4. c. deinde.

Ambrosius de sacramentis l. i. c. ij. ¶ Cap. 109.

Venisti ad fontem, ingressus es, considera quos videris, quid locutus sis, repete diligenter. Occurrit tibi Leuita: occurrit tibi Presbyter: vnctus es quasi athleta Christi, vt ad baptismum cathecumenus accedas.

Lib. I. c. 2. de conf. dist. 4. c. venisti.

Rabanus eod. l. c. xxviij. ¶ Cap. 110.

Consecratur fons, & ad ipsum baptismum cathecumenus accedit.

Ambrosius de Sacramentis, tract. ij cap. v. ¶ Cap. III.

Venit sacerdos ad fontem, dicit precem, inuocat patris nomen, præsentiam filij & spiritus sancti: vtitur verbis cœlestibus, quæ Christi sunt, quod baptizetur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

de conf. dist. 4. c. venit.

Capitularium. lib. vi. cap lxxvij. ¶ Cap. 112.

In sabbatho sancto Paschæ vel Pentecostes, si quis velit aquam consacratam ad aspersionem in domo sua recipere, ante Chrismatis infusionem accipiat.

Augustinus de symbolo, l. j. c. j. ¶ Cap. 113.

Hac nocte circa nos actum est, quod cæteris noctibus actum non est, vt ex locis secretis singuli produceremini in conspectu totius Ecclesiæ. Ibique ceruice humiliata, quæ malè fuerat antè exaltata, in humilitate pedum Cilicio substrato in vobis celebraretur examen, atque ex vobis extirparetur diabolus superbus, dum * humilis super nos inuocatus est * humiliter altissimus Christus.

Lib. 2. c. I.

Stephanus v. Stiliano Archiepiscopo. ¶ Cap. 114.

Nunquid non omnia Charismata sacerdotalis ministerij crucis figurâ perficiuntur? Nunquid ne baptismatis vnda nisi cruce sanctificata peccata relaxat? Et vt cætera prætereamus, sine crucis signaculo quis sacerdotij gradus ascendit.

Augustinus de vnico baptismo, lib vi. ¶ Cap. 115.

De baptismo contra Donatistas l vi. c. xxv. de conf dist. 4. si non sanctificatur.

Si non sanctificatur aqua, cùm aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit, multi non solùm mali sed etiam boni fratres in ipsa ecclesia non sanctificant aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie, si doctoribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur cōtra Catholicā fidem. Nunquid si manifestetur aliquos baptizatos, cùm illæ preces dictæ super aquam fuissent, iubebuntur denuo baptizari? Quid ita? Quia plerumque precis vitium superat precantis affectus, & quia certa illa verba euangelica, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantùm valent, vt per illa sic euacuentur, quæcunque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium nomine Christi excluditur. Nam vtique hæreticus si afferat precem vitiosam, nec bonum habeat charitatis affectum, quo possit illa imperitia superari, & ideo similis est ei quicunque in ipsa catholica inuidus & maleuolus quales illic arguit Cyprianus. Afferat etiam vt fieri solet, aliquam precem, in qua loquatur contra regulam fidei: multi quippe irruunt in preces, non solùm ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas, & per ignorantiæ simplicitatem non eas valentes discernere vtuntur eis, arbitrantes quòd bonæ sint, nec tamen quod in eis peruersum est, euacuat illa quæ ibi recta sunt, sed ab eis potius euacuatur.

Libro iij. ¶ Cap. 116.

Non est aqua prophana & adultera, super quam Dei nomen inuocatur, etiamsi à profanis & adulteris inuocetur, quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est.

Cap. 10. de conf. dist. 4. c. non est aqua.

Libro v. ¶ Cap. 117.

Quomodo aquam mundat, & sanctificat homicida? quomodo oleum benedicunt tenebræ? Si autem Sacramentis adest & verbis suis, per quoslibet administrentur, & sacramenta Dei vbique recta sunt, & mali homines, quibus nihil prosunt, vbique peruersi sunt.

Cap. 19.

Augustinus contra Iulianum. lib. iij. ¶ Cap. 118.

Recole quemadmodum in Ecclesia Christi baptismatis mysteria celebrentur, & inuenies, quod abrenuncient & paruuli per ora gestantium, sicut per ora gestantium credunt. Item.

¶ Cap. 119.

Quisquis negat Paruulos credere per ora gestantium, neget eos & accipere baptismum, quia in manibus gestantium reluctantur.

Augustinus de libero arbitrio. lib. iij. cap. xxiij. ¶ Cap. 120.

Illud perscrutari homines solent, Sacramentum baptismi Christi quid paruulis prosit, cùm eo accepto, plerumque moriantur, priusquam

de conf. dist. 4. c. illud perscrutari.

ex eo quicquam cognoscere potuerint. Quia in re, satis piè rectéque creditur prodesse paruulo eorum fidem, à quibus consecrandus offertur; Et hoc ecclesiæ commendat saluberrima authoritas, vt ex eo quisque sentiat, quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficio, qui propriam nondum habent potestatem, commoda sit.

Augustinus de pœnitentiæ medicina cap. 11.
¶ CAP. 121.

Paruulis ad consecrationem remissionemque originalis peccati prodest eorum fides à quibus offeruntur, vt quascunque maculas delictorum per alios ex quibus nati sunt, contraxerunt, aliorum etiam interrogatione purgentur.

Augustinus super Ioannem. tract. lxxx.
¶ CAP. 122.

Verbum fidei tantùm valet in ecclesia Dei, vt per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, vngentem, etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem.

Isidorus de officijs libro ij. cap. xxiij.
¶ CAP. 123.

de consecr. dist. 4 c Aegrotantes. Ægrotantes si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum.

Augustinus de baptismo vnico. ¶ CAP. 124.

Contra Donat l. iij. c. xxiij. de con dist. 4. c. cum pro paruulis. Si pro eo qui respondere potest in Baptismo alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes, cùm legitur, naturaliter mouet, Ætatem habet ipse, pro se loquatur.

Augustinus de adulterinis coniugijs ad Pollentium libro 1. cap. 28. tomo 6. operum. ¶ CAP. 125.

Ego non solùm alios catechumenos, verùm etiam ipsos, qui viuentium coniugijs copulati retinent adulterina consortia, cùm saluos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum, tamen si desperati, & intra se pœnitentes iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos esse puto, vt etiam hoc peccatum cum cæteris lauacro regenerationis abluatur. Quis enim nouit, vtrùm fortassis adulterinæ carnis illecebra vsque ad Baptismum statuerant detineri? Si autem ab illa desperatione recreati potuerint viuere, aut facient quod statuerant, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de Baptizatis talibus solet. Quæ autem Baptismatis, eadem & reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit. Nec enim ipsos ex hac vita sine arra suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.

Ambrosius de Sacramentis Tract. ij. cap. vij.
¶ CAP. 126.

Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti, Credo, & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis & in Deum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius? Dixisti, Credo: & mersisti. Ideo &
Rom. 6. Christo es consepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertiò, interrogatus es; Credis & in Spiritum sanctum? Credo, & tertiò mersisti, vt multiplicem lapsum superioris ætatis absolueret trina confessio.

Gregorius iij. Papa Bonifacio. ¶ CAP. 127. *Epistola 3*

Quosdam Baptizatos absque interrogatione symboli, ab adulteris & indignis Presbyteris fassus es. In his tua dilectio teneat antiquum morem Ecclesiæ: quia quisquis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatus est, *Matth. 28.* eum rebaptizari minimè liceat. Non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis huius gratiæ donum percepit.

Canones Apostolorum Capitulo L. ¶ CAP. 128.

Si quis presbyter trinam mersionem vnius *de consec. dist. 4. c. si quis.* mysterij non celebret, sed semel mergat in baptismate quod dare iubetur in Domini mortem, deponatur. Non dixit Dominus, in morte mea baptizate, sed, euntes docete omnes gentes, *Mat 28.* baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.

Toletanum Concilium iiij. cap. v. ¶ CAP. 129.

Propter vitandum schismatis scandalum, vel *De cons. dist. 4 c propter.* hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismi mersionem.

Gregorius Leandro Episcopo. ¶ CAP. 130. *Lib 1. c. 41.*

De trina mersione Baptismatis nihil respon- *De consec. dist 4. c. de trina.* deri verius potest, quàm ipsi sensistis, quia in vna fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus: vt dum tertiò ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd si quis fortè, etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque hoc aliquid obsistit Baptizandum semel in aquis mergere. Quia dum tribus subsistentiis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in Baptismate, vel ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari.

Rabanus super Epist. ad Ephes. Lib. ij.
¶ CAP. 131.

Eodem modo in Patrem & Filium & Spiritum sanctum baptizamur, & ter mergimus. vt Trinitatis vnum appareat Sacramentum. *Item.* Licet ter baptizemus propter mysterium Trinitatis, tamen vnum Baptisma reputatur.

Antissiodorense Concilium, cap. xxv.
¶ CAP. 132.

Non licet Abbati, nec monachis de Baptis- *de cons. dist. 4. c. non licet* mo suscipere filios, nec commatres habere.

Capitulatium, libro vj. cap. cccexxiij.
¶ CAP. 133.

Monachi sibi compatres commatrésue non faciant, nec osculentur fœminas.

Augustinus dominica prima post Pascha, qui sic incipit, hodiernus dies. ¶ CAPVT 134.

Vos ante omnia tam viros quàm fœminas, qui filios in Baptismo suscepistis moneo, vt vos *de cons. dist. 4 c vos ante omnia.* cognoscatis fideiussores apud Deum extitisse,

pro illis quos visi estis de sacro fonte suscipere, ideo semper eos admonete, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant, hoc omnib⁹ faciāt quod sibi fieri volūt, auguria non seruent, & ad arbores, & ad fontes vota non reddant, incantatores, aut caragios, sacrilegia, phylacteria, velut diaboli venena fugiant, nec furtum faciant, nec falsum testimonium dicant. Ante omnia symbolum & orationem dominicam & vos ipsi tenete, & illis quos excepistis ostendite.

Nicolaus ad Consulta Burgarorum. ¶ CAP. 135.

Ita diligere debet homo eum, qui se suscepit ex sacro fonte, sicut patrem. *Item.* Est inter patres & filios spirituales gratuita & sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritualis proximitas. Vnde inter eos nō arbitramur fieri *posse quodlibet cōiugale connubiū, quodoquidem nec inter eos qui natura, & eos qui in adoptione filij sunt venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt. *Item.* Si inter eos contrahitur matrimonium quos adoptio iungit: quātò potius à carnali oportet inter se cōtubernio cessare, quos per cœleste Sacramentum regeneratio sancti Spiritus iunxit. Longè igitur congruentiùs filius patris mei vel frater meus appellatur is quem gratia diuina, quàm quem humana voluntas, vt filius vel frater meus esset, elegit: prudentiúsque ab alterna corporis commixtione secernimur.

* aliàs esse.

Idem Salemonio Episcopo. ¶ CAP. 136.

Nosse desideras vtrum mulier quæ viri filium ex alia filia genitum de sacro fonte leuauerit, postmodum possit eum eodem viro copulari? Quos ideo iungi posse decernimus, quia secundùm sacros Canones nisi amborum consensu nullius religionis obtentu debet coniunx dimittere coniugem. Pertinet autem ad ingens vxoris exitium, quæ habens odio virum vel infirmitatem eius non considerans, quasi causâ pietatis operatur impietatem: maximè cùm præcipiat Apostolus, Nolite, inquiens, fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus vt vacetis orationi. Et iterum: Reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram. Ergò si non ex consensu vtriusque coniugis hoc esse factum probatur, non fraudentur inuicem, sed reuertantur in idipsum: præsertim cùm dicat Apostolus, vxor sui corporis potestatem non habet, sed vir: sic vir potestatem non habet sui corporis, sed mulier.

1. Corint. 7.

Idem Salamoni Constantiensi Episcopo. ¶ CAP. 137.

Sciscitatur à nobis sanctitas vestra, si aliquis homo duas spirituales commatres habere valeat, vnam post alteram. In quo fraternitas tua meminisse debet scriptum esse, Erunt duo in carne vna. Itaque cùm constet quia vir & vxor vna caro per connubium efficiuntur: restat nimirum virum compatrem constitui illi mulieri cui in matrimonio assumpta vxor commater esse videbatur: & idcirco liquet virum illi fœminæ non posse iungi in copula quæ commater erat eius, cum qua idem vna fuerat caro effectus.

Gen. 2.

Idem Carolo Archiepiscopo & eius suffraganeis. ¶ CAPVT 138.

Si quis cum commatre spirituali fuerit fornicatus, anathematis vt scitis percutitur* ictibus. Similiter autem & illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante Episcopum tenuerit cùm sacro chrismate fuerit vncta, fornicationis perpetrauerit scelus: legitimam tamen si habuerit vxorem, non dimittit.

* iaculis.

Ex decretis Gregorij iunioris. ¶ CAP. 139.

Si quis spiritualem commatrem in coniugium duxerit, anathema sit.

Rabanus eodem libro capit. xxviij. ¶ CAP. 140.

Postquam ascenderit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro à presbytero cum sacro chrismate, sequente simul & oratione, vt Christi regni particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari.

de cons. dist. 4. c. postquam.

Ambrosius de Sacramentis, tractatu ij. cap. 7. ¶ CAP. 141.

Emersisti, venisti ad sacerdotem; quid tibi dixit? Deus, inquit, pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua & spiritu, concessitque tibi peccata tua, ipse te vngat in vitam æternam. Vide vbi vnctus es, in vitam, inquit, æternam.

de cons. dist. 4. c. Emersisti.

Tractatu iij. eiusdem. c. 1. ¶ CAP. 142.

Accipis mysterium, hoc est, vnguentum super caput. Quare super caput? quia sensus sapientis in capite eius. Sequitur spirituale signaculum, quod post fontem superest, quo perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.

Ambr. de ijs qui mysterijs initiantur. Cap. 6. de cons. dist. 4. c. accipis.

Rabanus eodem libro, cap. xxix. ¶ CAP. 143.

Post baptismum traditur Christiano vestis candida, quæ significat innocētiam, & puritatem Christianam, quam post ablutas veteres maculas, studio sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet, ad præsentandum ante tribunal Christi. Cuncti verò renati albis induuntur vestibus, ad mysterium resurgentis Ecclesiæ. *Item.* Vtuntur baptizati albis vestibus, vt quorum primæ natiuitatis faciem vetusti erroris pannus fuscauerat, habitus secundæ generationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur enim post sacram vnctionem caput eius mystico velamine, vt intelligat se diademate regni, & sacerdotali dignitate potiri.

de cons. dist. 4. c. post baptismum.

Ambrosius de mysterijs initiandis. cap. vij. ¶ CAP. 144.

Accepisti post baptismum vestimenta candida, vt esset indicium quòd exueris inuolucrum peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina.

Sanctus August. in octauis Paschæ, qui sic incipit. ¶ CAP. 145.

Paschalis festiuitas hodierna festiuitate concluditur, & ideo hodie neophytorum habitus commutatur; ita tamen, vt candor qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.

Gregorius iij. Bonifacio. ¶ CAP. 146.

Paruulos qui à parentibus subtracti sunt, & an baptizati sint, an non, ignoratur, vt hos baptizare debeas, secundùm patrum traditionem, si non fuerit qui testificetur, ratio poscit.

de cons. dist. 4. c. paruulos.

Carthaginense Concilium, Capitulo vj.

¶ Cap. 147.

Gratian. dist. pl. ...

Placuit de infantibus quotiens non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque vllo scrupulo eos esse baptizandos. Similiter & de Ecclesijs, quoties super earum hæsitatur consecratione, agendum est, id est, vt sine trepidatione consecrentur.

Nicolaus ad Consulta Bulgarorum, cap. ciiij.

¶ Cap. 148.

De conse. dist. 4. c. à quodam. — *Actor. 2. & 10.*

A quodam Iudæo, nescitis vtrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid inde sit consulitis agendum. Hi profectò, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, vnum quippe, idémque est, vt sanctus exponit Ambrosius, constat non esse denuò baptizandos.

Gregorius iij. Bonifacio, Epistola iiij.

¶ Cap. 148.

Illi qui baptizati sunt per diuersitatem, & declinationem linguarum gentilitatis, tamen quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per manus impositionem, & sacri Chrismatis vnctionem confirmari.

Idem Bonifacio. ¶ Cap. 150.

De illo falso Episcopo, quem dixisti quòd adulterati clerici & homicidæ filius in adulterio natus, & absque disciplina nutritus esset, & cætera mala horribilia, quæ per singula enarrasti, ac per hoc sui similes sacerdotes consecrauit, de hoc meminit tua reuerenda fraternitas, quia tribus iam vicibus scripsimus, vt nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicator sacrum ministerium debeat attrectare. De baptizatis verò ab illo seu Ecclesijs consecratis, quod requirit tua fraternitas, scito Ecclesias, quas in nomine sanctæ Trinitatis consecrauit, & paruulos similiter quos baptizauit, qualiscunque sit qui sacerdotio fungebatur, non esse denuò eas per alium consecrandas, aut hos paruulos baptizandos.

In decr. ... Sancta ecclesia catholicæ dist 19. par prima.

Anastasius Papa ij. Anastasio. ¶ Cap. 151.

Sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quòd nullum de his vel quos baptizauit Acatius, vel quos sacerdotes vel Leuitas secundùm Canones ordinauit, vlla ex nomine Acatij portio læsionis attingat, quod forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minùs firma videatur. Nam & baptisma, quod procul sit ab Ecclesia, siue ab adultero, vel à fure fuerit datum, ad percipientem munus peruenit illibatum.

Concilium iiij. Carthaginense. cap. xli.

¶ Cap. 152.

De cons. dist. 4 c. nō liceat.

Non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel translationes Episcoporum.

Gregorius Quirino Episcopo in Hibernia, libro ix. epist. lxj. ¶ Cap. 153.

De cons. dist. 4 c. ab antiqua.

Antiqua patrum institutione didicimus, vt qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut vnctione Chrismatis, aut manus impositione, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ reuocetur. Vnde Arrianos per manus impositionē occidens, per vnctionem verò sancti Chrismatis, ad ingressum sanctæ Catholicæ Ecclesiæ oriens reformat: *Monophysitas verò & alios ex sola vera confessione recipit, quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis accipit, cùm vel illi per manus impositionem Spiritum sanctum acceperint: vel isti per confessionem veræ fidei sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ visceribus fuerint vniti. Hi verò hæretici qui in Trinitatis nomine baptizantur, sicut sunt Bonosiaci & Cataphrygæ, quia & illi Christum Dominum non credunt, & isti Spiritum sanctum peruerso sensu esse quendam prauum hominem Montanum credunt, quorum similes multi sunt alij, cùm ad sanctam Ecclesiam veniunt baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi, in sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt; nec potest ipsum baptismum dici iteratum, quod (sicut dictum est) in Trinitatis nomine non erat datum.

*Monothelitas.

De cons. dist. 4. c. hi verò.

Augustinus de verbis Domini, tractatu ix.

¶ Cap. 154.

Sap. 1. — *Gen. 21.*

Ille non est dicendus esse in Ecclesia, id est, ad societatem spiritus pertinere, qui ouibus Christi corporali tantùm commixtione ficto corde miscetur. Spiritus enim disciplinæ effugiet fictum. Quapropter quotquot in schismaticis vel hæreticis congregationibus, vel potiùs segregationibus baptizantur: quamuis non sint renati spiritu, tanquam Ismaëli similes, qui secundùm carnem natus est Abrahæ, non sicut Isaac, qui secundùm spiritum, quia per repromissionem; tamen cùm ad catholicam veniunt, & societati spiritus aggregantur, quem foris proculdubio non habebant, non eis repetitur lauacrum carnis. Non enim defuit etiam foris positis ista forma pietatis, sed abfuit eis, quæ nisi intus non potest dari vnitas spiritus, in vinculo pacis.

Tractatu eiusdem lxiij. ¶ Cap. 155.

Hæretici & schismatici de fiscis Dominicis peculia sibi fecerunt, & greges non Christi, sed suos contra Christum pascere voluerunt. Planè in ipsis *damnationibus suis, titulum illius posuerunt. Vt prædæ illorum defenderentur quasi per titulum potentis. Quid facit Christus, quando tales conuertuntur, qui foris ab Ecclesia titulum eius baptismatis acceperunt? Eijcit prædatorem, & titulum non deponit. Sed possidet domum, quia inuenit ibi titulum quid opus est, vt mutet nomen suum?

*dominationibus.

Augustinus super Ioannem parte i. tract. v.

¶ Cap. 156.

De cons. dis. 4 c. baptismus.

Baptismus talis est, qualis est ille, in cuius potestatem datur; non qualis ille est per cuius ministerium datur.

Item in eodem. ¶ Cap. 157.

Quid nouerat Ioannes Baptista? Dominum. Quid non nouerat? Potestatem Baptismi dominici in nullum hominem à Domino transituram, sed ministerium planè transiturum. Potestatem à Domino in neminem, sed ministerium in bonos & in malos. Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat domini potestatem. Quid tibi facit minister malus, vbi bonus est Dominus? Quid te impedit

malitiosus præco, si beneuolus est iudex?

Item, in eodem tractatu. ¶ CAP. 158.

1. Cor. 3. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Qui verò superbus fuerit minister, cũ diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit, purum est, quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram. Puta quia iste lapideus est, quia ex aqua fructum ferre non potest, sed per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generat, sed hortus fructus plurimos affert. *Item in eodem.* Ego dico, & nos dicimus omnes, quia iustos oportet esse, per quos baptizatur, quia iustos oportet esse tanti iudicis ministros. Sint ministri iusti si volunt. Si autem noluerint esse iusti qui in cathedra Moysi sedent, securum me fecit Magister meus, de quo spiritus eius dicit, Hic est qui baptizat. Matth. 15.

Item in eodem. ¶ CAP. 159.

De conf. dist. 4. c. cum baptismus. Quos baptizauit Iudas, Christus baptizauit. Si ergo quos baptizauit ebriosus, quos baptizauit homicida, quos baptizauit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizauit: Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat. Ioan. 1. *Item.* Homicida dedit baptismum Christi, quod sacramentum tam sanctum est, vt nec homicida ministrante polluatur.

i. Tract. vi. ¶ CAP. 160.

de conf. dist. 4. c. cum baptizat. Dum baptizat malus ex aliqua vel ignorantia ecclesiæ vel tolerantia: aut enim ignorantur mali aut toleratur palea, quousq; in vltimo ventiletur area. Illud quod datũ est, vnũ est, nec impar propter impar es ministros, sed par & æquale propter hũc qui baptizat. *Augustinus de Ecclesiasticis regulis.* Hi qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis cõfessione baptizantur, & veniunt ad catholicam, recipiantur quidem vt baptizati, ne sanctæ Trinitatis inuocatio vel confessio annulletur. Sed doceantur integrè & instruantur, quo sensu sanctæ Trinitatis mysterium in Ecclesia teneatur: & si consentiunt credere, vel adquiescunt confiteri, purgati fidei integritate, firmentur manus impositione. Si verò paruuli sunt, & hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui eos offerunt iuxta morem baptizandi, & sic per manus impositionem chrismate communiti, cũ Eucharistiæ mysterijs admittantur. *Solutio Augustini ad quæstionem Orosij.* Quamuis vnum baptisma sit hæreticorum, eorum scilicet qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizant, & ecclesiæ Catholicæ: tamen quia foris ecclesiam baptizantur, non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem: habentes nimirum formam sacramenti, virtutem autem eius abnegantes. Et ideo eos Ecclesia non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt: ipsa est profectò forma sacramenti. Ideo dum reuersi fuerint, accipient virtutem Spiritus sancti, quam hi qui foris ecclesiam baptizantur, nondum habent. *Augustinus contra Cresconium grammaticum. l. xi.* Hoc est verũ, hoc sanum, hoc catholicum, quod Christus mundet accipientiũ conscientias, siue per bonos ministros baptismi sui siue per malos. *Item cap. ij.* Si quæris quomodo baptizent quos damnauit Ecclesia: Respondeo sic eos baptizare, quomodo baptizant, quos damnauit Deus, antequam de illis quicquam iudicaret Ecclesia. *Lib. iij. cap. vi.* Si inter bonos ministros, cùm sit alius alio melior, non est melior Baptismus, qui per meliorẽ datur: nullò modo est malus, qui etiam per malum datur, quando idem baptismus datur; & ideo per ministros dispares Dei munus æquale est, quia non illorum, sed eius est.

Auguſt. de Eccle. dog. cap. 52.

L. 1. quæst. 65. in dialogo. De conf. dist. 4. c. baptismus.

de conf. dist. 4. c. si inter.

Pelagius PP. Gaudentio Episcopo. ¶ CAP. 161.

De hæreticis, ex quibus per Paulinum filium tuum virum clarissimum nos consulendos esse duxisti: vt si quidam ex ijs reuerti volunt ad Catholicam fidem, vtrum baptizandi sint, an tantummodo reconciliandi, hæc tuam volumus fraternitatem custodire, quæ circa Sirmiæ & Simgidunæ aliáque vicina loca (vbi istius hæresis homines multi sunt) nouimus custodiri, vt quia in nomine solummodo Christi, vna etiã mersione se asserunt baptizari. Euangelicum verò præceptum (ipso Deo Domino, & Saluatore nostro Iesu Christo tradente) nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam mersione baptisma vnicuique tribuere: dicente Domino nostro discipulis suis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Mat. 28. Si reuera hi de præfatis hæreticis, qui in locis dilectioni tuæ destinatis vicinis commorari dicuntur: solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cuiusdam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes, sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Sin verò apud dilectionẽ tuam eorum qui conuerti volunt, manifesta confessione claruerit, quod in Trinitatis nomine fuerint baptizati, solâ conciliationis gratiâ impensâ, catholicæ reconciliare fidei maturabis, vt tali dispositione seruata, nihil aliter quàm quod euangelica iubet authoritas, temeritatis cuiusdam spiritu videatur effectum.

Augustinus de baptismo libro vj. ¶ CAP. 162.

Aug. de baptismo contra Donatistas l. 7. c. 53. de conf. dist. 4. c. solet etiam quæri.

Solet etiam quæri vtrum approbandum sit baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur: si fortè hoc curiositate aliqua didicit * quomodo dandum sit: Et vtrum nihil interſit, quo animo accipiat ille, cui datur cum simulatione, an sine simulatione. Si cum simulatione, vtrum fallens, sicut in Ecclesia, vel in ea quæ putatur Ecclesia, an iocans sicut in mimo. Et quid sit sceleratius in Ecclesia fallaciter accipere, an in hæresi vel schismate sine fallacia, id est, animo non simulato. Et vtrum in hæresi fallaciter, an in mimo cum fide: si quisquam inter agendum repentina pietate moueatur. Quamquam talem, si etiam illi conferamus, qui in ipsa Catholica fallaciter accipit, mirũ si dubitatur quis cui præferendus sit. Quid enim prosit animus veraciter dantis fallaciter accipienti, non video. Sed arbitremur aliquem etiam fallaciter dantem: cùm & tradens & accipiens, fallaciter agant in ipsa vnitate Catholica, vtrum hoc magis baptisma sit acceptandum, an illud quod in mimo datur: si quis existat, fideliter, subitò commotus accipiens: an quantùm ad ipsos quidem homines attinet plurimùm distat inter credentem in mimo, & in Ecclesia irridentem: ad ipsius autem sacramenti integritatem nihil interſit. Si enim nihil interest ad integritatem sacra-

* quemadmodũ.

ſacramenti in ipſa Catholica, vtrum id aliqui fallaciter an veraciter agant: cũ tamen hoc idẽ vtrique agãt: cur extra interſit non video: quãdo ille qui accipit, non ſimulatione palliatus, ſed religione mutatus eſt. An plus valent ad confirmandum ſacramentum illi veraces inter quos agitur, quàm ad fruſtrandum illi fallaces à quibus agitur, & in quibus agitur. Et tamen ſi poſtea prodatur, nemo repetit, ſed aut excommunicando punitur illa ſimulatio, aut pœnitendo ſanatur. Sed nobis tutum eſt in ea nõ progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario terminata ſunt. Id autem * fiducia ſecuræ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini noſtri Ieſu Chriſti vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt. Verumtamen ſi quis me fortè in illo concilio conſtitutum, vbi talium rerũ quæſtio verſaretur, non procedentibus talibus, quorum ſententias ſequi mallem, vrgeret vt dicerẽ, quid ipſe ſentirem, ſi eo modo affectus eſſem, quo eram, cùm ea dictarem, nequaquam dubitarem habere baptiſmum eos, qui vbicunque & à quibuſcunque illud verbis Euangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent: quanquam eis ad ſalutem ſpiritualem non prodeſſet, ſi Charitate caruiſſent, qua catholicæ insererentur Eccleſiæ. Si enim, inquit, habeam fidem, vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Sicut iam præteritis maiorum ſtatutis, non dubito etiam illos habere baptiſmum, qui quamuis id fallaciter accipiant in Eccleſia, tamen id accipiunt vel vbi eſſe putatur Eccleſia ab eis in quorum ſocietate id accipitur, de quibus dictum eſt: Ex nobis exierunt. Vbi autem neque ſocietas vlla eſſet ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, ſed totum ludicrè & mimicè & ioculariter ageretur, vtrum approbandus eſſet baptiſmus qui ſic daretur, diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum concordi oratione gemitibus implorandum eſſe cenſerem. Ita ſanè vt poſt me dicturos ſententias, ſi quid iam exploratum & cognitum afferrent, humiliter expectarem. *Lib. i. Cap. i.* Oſtenditur illos impiè facere, qui rebaptizare conantur orbis vnitatem: & nos rectè facere, qui Dei ſacramenta improbare, nec in ipſo ſchiſmate audemus. In quo enim nobis conſentiunt, in eo etiam nobiſcum ſunt. In eo autem à nobis receſſerunt, in quo à nobis diſſentiunt. *Item Ibidem.* Sacramentum baptiſmi eſt, quod habet qui baptizatur: & ſacramentum dandi baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur. Sicut enim baptizatus ſi ab vnitate receſſerit, ſacramentum baptiſmi non amittit: ſic etiam ordinatus, ſi ab vnitate receſſerit, ſacramentum dandi baptiſmi non amittit. Nulli enim Sacramento iniuria facienda eſt: ſi diſcedit à malis, vtrumque diſcedit: ſi permanet in malis, vtrumque permanet. Si ergo acceptatur baptiſmus, quem non potuit amittere qui ab vnitate diſceſſerat, ſic acceptãdus eſt baptiſmus, quem dedit ille qui ſacramentum dandi cùm diſcederet, non amiſerat. *Item cap. xij. eiuſd. libri.* Si ad baptiſmum fictus acceſſit, dimiſſa ſunt ei peccata, an non dimiſſa? Eligant quod volunt, vtrumlibet elegerint, ſufficiet nobis. Si dimiſſa dixerint, quomodo ergo Spiritus ſanctus diſciplinæ effugit fictum, ſi in iſto ficto remiſſionem operatus eſt peccatorum? Si dixerint non eſſe dimiſſa, quæro, ſi poſtea fictionem ſuam corde concuſſo & [illegible] dolore fateretur, denuo baptizandus iudicaretur. Quod ſi dementiſſimum eſt dicere, fateatur vero baptiſmo Chriſti baptizari poſſe hominem, & tamen cor eius in malitia vel ſacrilegio perſeuerans peccatorum abſolutionem non ſinere fieri, atque ita intelligant in communionibus ab Eccleſia ſeparatis poſſe hominem baptizari, vbi Chriſti baptiſmus eadem ſacramenti celebratione datur & ſumitur: qui tamen tunc proſit ad remiſſionem peccatorum, cùm quiſque reconciliatus vnitati ſacrilegio diſſenſionis exuitur, quo eius peccata tenebantur, & dimitti non ſinebantur.

** ſit cura*

1. Corint. 13.

1. Ioan. 2.

de conſ. diſt. 4. c. oſtenditur.

Sap. 1.

Item ibidem. ¶ CAP. 163.

Nam impeditur baptiſmi gratia, quo minus omnia peccata dimittat, etiam ſi odium fraternum in eius cui dimittuntur, animo perſeuerat. Soluitur enim heſternus dies, & quidquid ſupereſt, ſoluitur etiam ipſa hora momentúmque ante baptiſmum & in baptiſmo. Deinceps autem continuò reus eſſe incipit, non ſolùm conſequentium, ſed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimiſſa ſunt. *Item cap 13. eiuſd lib* Illa quæ ſchiſmatici vel hæretici non aliter habent, non aliter agunt, quàm vera Eccleſia, cùm ad nos veniunt non emendamus, ſed potius approbamus. In quibus enim non diſſentiunt à nobis, in eis non diſiunguntur à nobis. Sed tamen quia nihil eis proſunt, quamdiu ſchiſmatici vel hæretici ſunt: propter alia, in quibus à veritate diſſentiunt, & propter ipſum ſeparationis immaniſſimum ſcelus, ſiue permanſerint in eis peccata, ſiue continuò dimiſſa redierint, vt ad ſalutem pacis atque charitatis veniant adhortamur.

de conſ. diſt. 4. c. quomodo exaudit Deus & P. Lom l. 4. d. 4 c. qui verò.

Lib. iij. cap. x. ¶ CAP. 164.

Baptiſmus verò Chriſti verbis euangelicis conſecratus, & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quamuis illi ſint impudici & immundi, quia & ipſa eius ſanctitas polluì non poteſt, & ſacramento ſuo diuina virtus aſſiſtit, ſiue ad ſalutem benè vtentium, ſiue ad perniciem malè vtentium. *Item.* Catholica verò propterea non debet iterare Baptiſmum, qui apud hæreticos datus eſt, ne iudicare videatur ipſorum eſſe quod Chriſti eſt, aut eos non habere, quod intus cùm acciperent amittere vtique foras exeundo non poſſent. *Item.* Non autem ſicut hæreſis hæreticorum eſt, ſicut error ipſorum eſt, ſicut ſacrilegium diſſenſionis ipſorum eſt: Sic etiam baptiſmus qui Chriſti eſt, debet dici ipſorum. *Item.* Nos hæreticorum eſſe baptiſmum dicimus verbis Euangelicis conſecratum, commoti factis eorum etiam quæ Dei ſunt, eis tribuere volumus quaſi ea contaminare potuerint, aut propterea ſua facere quæ Dei ſunt, quia ipſi Dei eſſe noluerunt.

de conſecr. diſt 4. c. non eſt aqua. Aug. li 3. contra epiſtolam Parmeniani cap 11. 1. q. 1. c. quod quidam. Ibid Aug. de conſ. diſt. 4 c non autem. Ca 13 eiuſdem libri Auguſt.

Libro iiij de baptiſmo cap. iiij. ¶ CAP. 165.

Sicut vrgeri videor cùm mihi dicitur, Ergo hæreticus dimittit peccata? ſic & ego vrgeo cùm dico, Ergo qui cœleſtia mandata non ſeruat, auarus, raptor, fœnerator, inuidus, verbis ſæculo non factis renuncians, dimittit peccata? Si per vim ſacramenti Dei, ſicut ille, ita & ille. Si per meritum ſuum, nec ille, nec ille. Illud enim ſacramentum & in malis hominibus Chriſti eſſe cognoſcitur. *Item.* Si in hæreſi baptizatus in nomine ſanctæ Trinitatis, non fit

Eod. cap.

tamen templum Dei, si ab hæresi non recesserit, quomodo neque in auaritia, in eodem nomine baptizatus sit templum Dei, si ab auaritia non recedat, quæ est idolorum seruitus. *Item.* Sed si possunt (vt dixi) amborum peccata æqualiter appendantur, ignorantis blasphemia & scientis idololatria,& eadem sententia iudicentur, ille qui Christum quæren do in verisimilem sermonem falsitatis incurrit, et ille qui sciens Christo resistit loquenti per Apostolum: quoniam omnis fornicator,aut immundus,aut auarus,quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Cur in illo baptismus & euangelica verba improbantur, in isto autem approbantur,cùm ab illius columbæ membris vterque inueniatur alienus? *Item c. xi.* Perfidus autem & blaphemus, si in perfidia & blasphemia permanserit:nec extra Ecclesiam, nec intra ecclesiam remissionem accipit peccatorum. Aut si propter vim sacramenti ad punctum temporis accipit, & foris & intus eadem vis operatur: sicut vis nominis Christi expulsionem dæmoniorum etiam foris operabatur. *Item c. xv.* Satis ostendimus ad baptismum,qui verbis Euangelicis consecratur, non pertinere cuiusquam vel dantis vel accipientis errorem, siue de Patre, siue de Filio,siue de Spiritu sancto aliter sentiat, quàm doctrina cœlestis insinuat. *Item c. xvi.* Constituamus ergo duos aliquos isto modo. Vnum eorum verbi gratiâ id sentire de Christo quod Photinus opinatus est, & in eius hæresi baptizari extra Ecclesiæ catholicæ communionem. Alium verò hoc idem sentire, sed in catholica baptizari, existimantem ipsam esse catholicam fidem. Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina catholicæ fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit. Quod antequam fiat, manifestum est illum qui foris baptizatus est, esse peiorem. Itaque in hoc sola falsa opinio, in illo autem etiam ipsa diuisio corrigenda est: sed in neutro ipsorum sacramenti veritas repetenda.

Ephes. 5. Capite 5. eiusdem lib. — *Ephes. 5.* — *De conf. dist. 4. c. nullus autem.* — *de conf. dist. 4. c satis ostendimus.*

Cap. 17. *Item.* ¶ CAPVT 166.

Potest nobis & hæreticis Baptisma esse commune, cum quibus potest & Euangelium esse commune,quamuis à fide nostra error distet illorum, siue aliud de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto sentiant quàm veritas habet, siue ab vnitate præcisi non colligant cum Christo,sed spargant.

Matth. 12.

Libro v. cap. xiij. ¶ CAP. 167.

Cùm tantùm valet baptismus per hominem contemptibilem, quantùm per Apostolum datus, ita nec illius, nec illius,sed Christi esse cognoscitur. *Item.* Inuenimus dictum ab Apostolo,& gloriam meam,quamuis vtique in Domino, & ministerium meum, & prudentiam meã, & euangelium meum,quamuis vtique à Domino impertitum atque donatum. Baptismum autem meum, nemo eorum dixit omnino. Neque enim omnium æqualis est gloria,nec ministrant omnes æqualiter, nec æquali prudentia sunt omnes præditi, & in euangelizando alius alio meliùs operatur. Et ideo dici potest alius alio doctior,& ipsa doctrina *spirituali, alius autem alio maiùs minúsue baptizatus dici non potest, siue ab inferiore,siue à maiore baptizetur. *Item* Si ius baptizandi non habuit qui baptizat, tamen Christi est quod dedit, & ille Christi est qui accepit. Multa enim contra ius dantur, nec tamen ideo vel nulla, vel non data dicuntur. *Item.* Cum ergò & intus sint mortui,neque latentes, nam non de illis tanta diceret Cyprianus, qui vel non pertineant ad illam viuam columbam, (vel nondum pertineant) & foris sint mortui, qui manifestiùs ad eam vel non pertineant, vel nondum pertineant: verúmque sit, non posse ab eo viuificari alterum, qui ipse non viuit:manifestum est eos qui intus à talibus baptizantur, si vera conuersione cordis accedunt, ab eo viuificari, cuius est baptismus. *Item.* Illud autẽ quale est, vt ideo putetur hæreticus nõ habere baptismũ, quia non habet Ecclesiam? Et vtique cùm baptizatur, etiam de sancta Ecclesia interrogatur. Quasi verò ille qui intus nõ factis, sed verbis sæculo renuntiat, non hoc in baptismo interrogetur. Sicut ergo huius falsa responsio non efficit, vt baptismus non sit quem percipit: Et sicut ille si postea quod fallaciter responderat, veraciter impleat, non ei baptismus repetitur, sed vita corrigitur: Sic & ille si postea veniat ad Ecclesiam, de qua interrogatus falsum responderat, quia eam se habere, dum non haberet, putabat, ipsa,quam non habebat, ei datur, non quod acceperat, iteratur. Cur autem ad verba quæ procedunt ex ore homicidæ possit Deus tamen oleum sanctificare,& in altari quod hæretici posuerunt non possit, nescio.

Aug. de baptismo lib. 5. ca. 13. — *de conf. dist. 4. c. cum tantùm.* — *Cap. 14. li. 5. contra Donatistas.* — *1. Tessal. 2. Rom. 11.* — * Salutari — *Aug lib. 5. de baptismo contra Donatistas c. 15.* — *ca. 18 eiusdem.* — *Ca. 20. eiusdem.*

Libro vi. cap. v. ¶ CAP. 168.

In homine iusto & in homine iniusto semper sanctum est Baptisma, quod neque alicuius æquitate augetur, neque alicuius iniquitate minuitur.

Zacharias Bonifacio Episcopo. ¶ CAP. 169.

In synodo Anglorum decretum & iudicium firmissimè præceptum & diligenter demonstratum esse dinoscitur, vt quicũque sine inuocatione Trinitatis mersus fuisset, quòd sacramentũ regenerationis non haberet, quod omnino verũ est,quia si mersus in fonte baptismatis quisfuerit sine inuocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fuerit baptizatus. De Presbyteris scripsisti, qui tauros vel hircos diis Paganorum immolabant, manducantes sacrificia mortuorum,habentes & pollutum ministerium: ipsique adulteri esse inuenti sunt postea, & defuncti. Modò verò incognitum est, vtrum baptizantes Trinitatem dixissent,an non: & timent illi qui viui sunt, quòd in tali ministerio non sunt baptizati: quibus respondens, iussisti omnes baptizare. Hoc quoque obseruari in supradicta synodo sacerdotes voluerunt: vt qui vel vnam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptisma verum esse non posset, quod pro certo verum est, quia qui vnum ex sancta Trinitate confessus non fuerit nomen, perfectus Christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem & Filium, si confessus non fuerit & Spiritum sanctum,nec patrem habet nec Filium. Et qui confessus fuerit Patrem & Spiritum sanctũ, & Filium non fuerit confessus, nec Patrem habet nec Spiritum sanctum, sed vacuus est à diuina gratia. Interea scripsit reuerenda fraternitas tua reperisse te quendam presbyterum genere Scotum, nomine Sampson, errantem à via veritatis, dicentem & affirmantem, quòd sine

de conf dist 4. c. in Synodo.

mystica inuocatione, aut lauacro regenerationis posset fieri catholicus Christianus per episcopalis manus impositionem. Hic autem qui hoc dicit, vacuus est Spiritu sancto, & alienus à gratia Christi, atque à consortio sacerdotali abijciendus. Quis enim nisi baptizetur iuxta præceptum Domini, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & sic per manus impositionem consecretur, potest esse catholicus? Hunc nequissimum virum, talia prædicantem ab Ecclesia Dei sancta condemnatum expelle: in illos autem qui ab hæreticis baptizati sunt, hoc sine dubio iuxta prædecessoris nostri beatæ memoriæ Gregorij Papæ, & sacrorum Canonum traditum tibi mandatum implere non omittas, ne in æternum pereant, sed potius euangelica consecratione saluentur.

Matth. 28.

Augustinus de Baptismo Vnico, Libro j.
¶ CAP. 170.

De Bap contra Donat. lib 1. cap 2. 24 q. 1 6 Si quem forte.

Si quem fortè extrema coëgerit necessitas, vbi Catholicum, per quem accipiat, non inuenerit: & in animo pace catholica constituta per aliquem extra vnitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica vnitate percepturus, si statim etiam de hac vita migrauerit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cùm se catholicæ congregationi etiam corporali præsentia reddiderit, vnde nunquàm corde discesserat, non solùm non improbamus quod fecit, sed etiam securrissimè verissiméque laudamus: quia præsentē Deum cordi suo vnitate ibi seruabat, & sine sancti baptismi sacramento, (quod vbicunque inuenit, non hominū, sed Dei esse cognouit) noluit ex hac vita migrare. Si quis autem cùm possit in ipsa catholica accipere, aliqua mentis peruersitate eligit in schismate baptizari, etiam si postea venerit ad catholicam, quia certus est ibi prodesse sacramentum, quod alibi accipi potest, prodesse non potest, proculdubio peruersus & iniquus est & tantò perniciosior, quantò scientior.

Epistola Augustini ad Bonifacium. ¶ CAP. 171.

Epi. Au 23. De consf dist. 4 c no illud.

Non illud te moueat, quòd quidam non ea fide ad baptismum percipiendum paruulos ferunt, vt gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam: sed eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur.

Epistola Augustini ad Maximinum.
¶ CAP. 172.

Epist. 203. De consf dist. 4. c. Rebaptizare.

Rebaptizare hæreticum hominem qui hæc sanctitatis signa perceperit quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est. Rebaptizare autem catholicum, immanissimum scelus est.

Beda in Libro Homiliarum, Homilia xxxvj.
¶ CAP. 173.

In caput 3. Ioannis. De cons. dis 4. c sine hæreticus.

Siue hæreticus, siue schismaticus, siue facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille qui baptizatus est, à bonis catholicis rebaptizari, ne confessio, vel inuocatio tanti nominis videatur adnullari.

Haymo super primam epistolam ad Corinthios.
¶ CAP. 174.

In tantùm retinuit sibi Christus potestatem baptizandi, vt sicut dimittuntur ei peccata omnia, qui à sancto & innocente viro tingitur in aqua: ita illi qui à peccatore & scelerato, tantùm, vt in nomine sanctæ Trinitatis illud fiat. Meritum enim vitæ baptizantis siue agentis nec prodest, nec obest in hac parte illi qui baptizatur.

Capitulorum Libri v. Capitulo vj. ¶ CAP. 175.

Si quis baptizatus fuerit à presbytero non baptizato, & sancta Trinitas in ipso baptismo inuocata fuit, baptizatus est, sicut Sergius papa dixit, impositione verò manus indiget.

Augustinus super primam epist. ad Corinthios.
¶ CAP. 176.

Scimus Spiritum sanctum sine manus impositione datum à Deo, & non baptizatum consecutum remissionem peccatorum. Nunquid non Cornelius inuisibiliter baptizatus est, quando donum baptismatis consecutus est?

Augustinus de Vnico baptismo, libro iiij.
¶ CAP. 177.

Aug de baptismo contra Donat. li 4. cap. 22. De consec. dist. 4. c. baptismi.

Baptismi vicem aliquando implere passionē, de latrone illo, cui non baptizato dictum est, hodie mecum eris in paradiso, Beatus Cyprianus non leue documentum assumit. Quod etiam atque etiam considerans inuenio non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem, conuersionémque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi, in angustiis temporum, succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum, nec quia credidit, passus est, sed dum patitur, credit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili baptismi Sacramento quod ait Apostolus, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur inuisibiliter, cùm mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Et sicut in illo latrone quod de baptismi sacramento defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non superbia, vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic infantibus qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis explere credenda est, quòd non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo cùm pro eis oratur, vt impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet vtique ad eorum celebrationem, quia ipsi respondere non possunt. Alienum quippe opus est, cùm credit per alterum, sicut alienum opus fuit, cùm peccauit in altero.

Rom. 10.

ca. 23. eiusdem lib.

Item Augustinus. ¶ CAP. 178. Eodem c. 23.

Si autem in latrone * per necessitatem corporaliter baptismus defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritualiter affuit: Sic & cùm ipse præsto est, si per necessitatem desit, quod latroni affuit, perficitur salus, quod traditum tenet vniuersitas Ecclesiæ, cùm paruuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt credere ad iustitiam & ore confiteri ad salutem quod latro potuit: quin etiam flendo, & vagiendo cùm in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, & nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. *Item.* Quibus omnibus rebus ostenditur aliud esse sacramentum

* quia.

baptismi, aliud conuersionem cordis, sed salutem hominis ex vtroque compleri: nec si vnum horum defuerit, ideo putare debemus, consequens esse, vt & alterum desit, quia & illud sine isto potest esse vt in infante: & illud sine illo potuit esse, vt in latrone, complente Deo, siue in illo, siue in isto, quod non voluntate defuisset. Cùm verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem inuolui, & baptismus quidem potest inesse, vbi conuersio cordis defuerit. Conuersio autem cordis potest quidem inesse, non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest. Neque vllo modo dicenda est conuersio cordis ad Deum, cùm Dei sacramentum contemnitur.

Gregorius Landulpho principi Salernitano.
¶ Cap. 179.

Licet ex deuotionis studio non dubitamus procedere, quòd nobilitas tua Iudæos ad Christianum cultum disponit adducere, tamen quia id inordinato videris studio agere, necessarium duximus admonendo tibi literas nostras dirigere. Dominus enim noster Iesvs Christus nullum legitur ad sui seruitium violenter coëgisse, sed humili exhortatione reseruata vnicuique proprij arbitrij libertate, quoscunque ad vitã prædestinauit æternam non vindicando, sed proprium sanguinem fundendo ab errore reuocasse. *Item.* Beatus Gregorius ne eadem gens ad fidem violentia traheretur, in quadam sua epistola contradicit.

*Virgilio & Theodoro * Episcopo Massiliæ.* [* Episcopis. Lib. 1. registri epistolarum cap. 45.]
¶ Cap. 180.

Plurimi Iudaïcæ religionis viri in hac prouincia commorantes, ac subinde ad Massiliæ partes pro diuersis negotiis ambulantes, ad vestram produxere notitiam, multos consistentium in illis partibus Iudæorum, vi magis quã prædicatione ad fontem baptismatis perductos. Nam intentionem quidem huiuscemodi, & laude dignam censeo, & de Domini nostri dilectione descendere profiteor. Sed * in hac eadem intentione nisi competens scripturæ sacræ comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proueniat, aut iuxta aliquid animorum, quædam dispendia (quod absit) consequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non prædicationis suauitate, sed necessitate peruenerit, ad pristinam superstitionem remeans, inde deteriùs moritur, vnde renatus esse videbatur. [* hanc eand. intent.]

Nicolaus Papa ad Consulta Bulgarorum, cap. xlj.
¶ Cap. 181.

De his qui Christianitatis bonum suscipere renuunt, & idolis immolant, vel genua curuant, nihil aliud possumus scribere vobis, nisi vt ad fidem rectam monitis & hortationibus, & ratione eos potius quàm vi quod vanè sapiunt, conuincatis.

Item. ¶ Cap. 182.

Nulla cum his, qui non credunt, idoláque adorant, miscenda communio est. Porrò illis vt credant, violentia nulla inferenda est; Nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest. *Capitulo secundo.* Non esse inferendam pagano violentiam, vt Christianus fiat, suprà docuimus.

In vita beati Gregorij, lib. iij. cap. xlj.
¶ Cap. 183.

Quemadmodum Iudæos baptizari violenter Gregorius denegabat, ita Christianos eis quoquo modo subijci nullatenus permittebat.

Augustinus contra Iulianum. ¶ Cap. 184. [Lib. 6. ca. 5.]

Si ad matris corpus id quod in ea concipitur, pertineret, ita vt eius pars deputaretur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata est, aliquo mortis vrgente periculo, cùm eum gestaret in vtero. Nunc verò cùm etiam ipse baptizaretur, non vtique bis baptizatus habebitur. Non vtique ad maternum corpus cùm esset in vtero, pertinebat. *Item.* Si quicquid est in homine quando baptizatur & sanctificatur, baptizari & sanctificari putandum est. Dicturus es & ipsa in illo baptizari & sanctificari, quę in intestinis & vesica, per digestiones corporis diguntur. Dicturus es baptizari & sanctificari hominem in matris vtero constitutum, si ad hoc Sacramentum accipiendum necessitas cogat grauidam, & ideo baptizari iam qui nascitur non debere. Postremò dicturus es baptizari & sanctificari febres, quando baptizantur ægroti. [De conf. dist. 4. c. Si ad matris.] [Eiusdem lib. cap. 6.]

Isidorus Sententiarum lib. I. cap. xviij. * [* c 21.]
¶ Cap. 185.

Qui in maternis vteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundùm Adam non est, secundùm Christum non potest renasci: neque enim dici regeneratio in eum potest, quem generatio non præcessit. Qui scelerate viuunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant nihil ad emundationem proficere sibi. [Isidor. li. I. de summo bono c. 25. de conf. dist. 4 c. qui in maternis.]

Gregorius respondens Augustino. ¶ Cap. 186. [Cap. 10.]

Mulier prægnans cur non debeat baptizari ignoro, cùm ante omnipotentis Dei oculos non sit culpa aliqua fœcunditas carnis. [De conf. dist. 4 c. Si quæ mulier.]

Augustinus. ¶ Cap. 187.

Nihil est aliud credere quàm fidem habere: ac per hoc cùm respondetur credere paruulus, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei Sacramentum, & conuertere se ad Deum propter conuersionis Sacramentum: quia & ipsa responsio ad celebrationem pertinet Sacramenti. *Item.* Paruulum & si nondum fides illa quę in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei Sacramentum fidelem facit, sicut credere respondetur: ita etenim fideles vocantur, non rem ipsam mente abnuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo. [Aug. Bonifacio epist. 23 de conf. dist. 4 c. nihil est.]

Augustinus ad Renatum de Anima. ¶ Cap. 188.

Mysterium credulitatis in paruulis per eorum responsionem à quibus gestantur, impletur. [Aug. de anima & eius origine lib. 2. ca. 12.]

Augustinus de Symbolo, libro ij. cap. j.
¶ Cap. 189.

Vos professi estis renuntiare diabolo, pompis & angelis eius. Videte dilectissimi quia hanc professionem vestram in curiam profertis angelicam, nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non à quolibet homine, sed à superiore cœlitus potestate.

Cap. 88.

Ambrosius super Lucam, libro decimo.
¶ CAP. 190.

Si catechumenum quis vel hæreticus, vel schismaticus, tanquam de vtero vel animæ vel Ecclesiæ parturientis, excusserit: leuiùs punitur, si fidelem, grauiùs.

Augustinus in libro ad Fortunatum.
¶ CAP. 191.

de consf. dist. 4. c. Sanctum est. Sanctum est baptismum per se ipsum quod datum est, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: ita vt in eodem Sacramento sit etiam authoritas traditionis per dominum nostrum ad Apostolos, per illos autem in Episcopos & alios sacerdotes, vel etiam laicos Christianos ab eadem origine ac stirpe venientes. *De conf. dist. 4. c. in necessitate.* Namque in necessitate cùm episcopi, aut presbyteri, aut quilibet ministrorum non inueniuntur, & vrget periculum eius qui petit, ne sine isto sacramento hanc vitam finiat, etiam laicos dare solere, sacramentum quod acceperunt, solemus audire. Nam cùm illa historia narratur, omnes qui audiunt propè ad lachrymas mouet. Cùm in naui quadam fidelis nullus esset, præter vnum pœnitentem, cœpit imminere naufragium. Erat ibi quidam salutis suæ non immemor, & sacramēti vehementissimus flagitator, nec erat aliquis qui dare posset, nisi pœnitens ille: acceperat enim de peccato de quo agebat pœnitentiam Amiserat de senioribus sanctitatem, sed non amiserat sacramentum. Nam si hoc amittunt peccantes cùm reconciliantur post pœnitentiam, quare non iterum baptizantur? Dedit ergo quod acceperat, & ne periculosè vitam finiret non reconciliatus, petit ab ipso quem baptizauerat, vt eum reconciliaret. Et factum est, euaserunt naufragium. Cognitum habes quod fecerant, nemo extitit eorum, qui non pium animum ita crederet, vt consiliis eorum in illo periculo dominum crederet abfuisse. Motus enim animus religiosus & supplex ab homine exegit Sacramentum, à Deo impetrat sanctitatem. Quod si fortè hoc quod narraui qui naufragio imminente periclitabantur, non vult aliquis credere: non enim hoc scripturarum diuinarum authoritas, sed incerto authore fama commendat, non repugnabo: sed interrogo si tale aliquid contingat, quid futurum est? Non enim potest quisquam dicere, relinquendum illum esse, qui morte imminente baptizari desiderat, quem baptizatum à pœnitente quisquis non credit contigisse, oportet vt credat, posse contingere.

Augustinus de animæ origine, ad Victorem lib j.
¶ CAP. 192.

August. de anima & eius origine ad Renat. lib. 1. cap 9. Latro quamuis poterit diuino iudicio inter eos deputari, qui martyrij confessione purgantur: tamen etiam vtrum non fuerit baptizatus ignoras. Nam vt omittam quod creditur, aqua simul cum sanguine exiliente de latere Domini iuxta confixus potuisse perfundi, atque huiusmodi sanctissimo baptismate dilui. Quid si in carcere fuerat baptizatus? quod & postea persecutionis tempore nonnulli clanculo impetrare potuerunt. Quid si antequàm teneretur? neque enim propterea illi publicæ leges parcere poterant, quantùm attinet ad corporis mortem, quoniam diuinitus remissionem acceperat peccatorum.

Augustinus homilia ad Neophytos. quæ sic incipit: Omnis quidem de hu sermo. ¶ CAP. 193.

Recordetur ergo vnusquisque vestrûm singulas mysteriorum species, quas per nostrum, donante Domino, estis ministerium consecuti, & ea quæ tunc suppliciter ac fideliter suscepistis, nunc intelligite prudenter, vt meliùs possitis intellectu seruare. In primis certè aures vestras oleo benedictionis oblinimus. Sed ob quam causam secundùm Ecclesiasticam traditionem ab omnibus catholicis Christi sacerdotibus fiat agnoscite. Introitus fidei & totius sanctæ doctrinæ ad animum per aures admittitur: & de auditu intellectus exoritur. Neque enim potest aliquis fidei Sacramenta cognoscere, nisi audiat prædicantem. *Item.* Ergo adhibita auribus vnctio sancta significat, vt omnes extra disciplinam sermones, quasi doctrinæ Christi obloquentes aduersentur ac fugiant: sed ad sola Dei verba audienda conuertant, quia illito illo oleo, auditum suum Christi eloquiis consecrarunt. *Item.* Vos autem postquam vestræ aures oleo benedicto sunt illitæ, designati estis in numero auditorum sapientium, vt rectè retinentes Dei verba, id est, quæ auditis implentes, in die iudicij audiatis vobis Christum dicentem: Venite benedicti Patris mei, suscipite paratum vobis Regnum à constitutione mundi. *Matth. 25.* Illud autem non ociosè, nec absque certa ratione mysterij factum putetis, quod nares quoque vestras oleo benedictionis vnximus. Quod iccirco fieri intelligitur, vt ij qui ad baptismum veniunt, admoneantur tanti mysterij sacramentum vsque ad mortem inuiolatum atque integrum custodire, vt quamdiu spiritum vitæ huius naribus suis attrahunt, à Christi Domini nostri cultura & seruitio non recedant. *Item.* Sed adhuc subtilior intellectus in narium vnctione signatur. Illius enim olei odor, quod in Christi nomine & virtute benedictum est, ad odoratum vos prouocat spiritualem, vt non corporis, sed mentis sensibus Christum inæstimabili suauitate sentire possitis, & delectati notitia odoris eius ipsius vestigia subsequentes dicere valeatis illud quod ad Deum credentium chorus loquitur. Post te in odorem vnguentorum tuorum currimus. *Cantic. 1.*

Homilia 14. ¶ CAPVT 194.

Prima ergo & secunda prædicatione de ijs tantùm locuti sumus, quæ vobis priusquam ad fontem sanctum veniretis, iuxta catholicæ regulæ instituta tradidimus, & quid significaret vnctio, quæ diuersis corporis nostri adhibita partibus diuersum intellectum designat, prout dominus donare dignatus est, interpretati sumus, cùm ostenderemus vos per oleum sanctificationis ad auditum plenæ fidei præparatos, & bonum Christi odorem vocatos ex toto corde ad abrenuntiandum diabolo esse commonitos. *De conf dist. 4. c. prima igitur.* Nunc verò de interioribus iam mysteriis locuturi sumus, quæ in ipso sancto fonte celebrata sunt. Emissa enim certissima cautione, quā vos abrenuntiare omnibus pompis, & operibus eius, & omni fornicationi diabolicæ spopondistis descendentes in fontem, fontem sacrum, fontem redemptionis, fontem sanctificatum virtute cœlesti. *Item.* In hoc ergo fonte antequā vos toto corpore tingeremus, interrogauimus: Credis in Deum patrem omnipotentem. Res-

pondistis, Credo. Rursum interrogauimus, Credis & in Iesum Christum, Filium eius, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. Respondistis singuli, Credo. Iterum interrogauimus, & in Spiritum sanctum? Respondistis similiter, Credo. Hoc autem fecimus secundùm Domini nostri Iesu Christi Saluatoris imperium. Qui cùm ad Patrem in cœlos ascenderet, discipulis suis, id est, Apostolis mandauit, dicens: Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Item.* Quod autem interrogauimus, Credis sanctam Ecclesiam & remissionem peccatorum, & carnis resurrectionem, non eo modo interrogauimus: vt quomodo in Deum creditur, sic & in Ecclesiam sanctam & catholicam. Propterea sancta & catholica est, quia rectè credit in Deum. Non ergo diximus, vt in Ecclesiam, quasi in Deum crederetis: sed intelligite vos dicere, & dixisse vt in Ecclesia & sancta & catholica cōuersantes in Deum crederetis, crederetis etiā resurrectionē carnis quæ futura est. *Item.* Postquā vos credere promisistis, tertiò capita vestra in sacro fonte demersimus. Qui ordo baptismatis duplici mysterij significatione celebratur. Rectè enim tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Trinitatis. Rectè tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Iesu Christi, qui tertia die resurrexit à mortuis. Ita enim tertiò repetita demersio typum dominicæ exprimit sepulturæ, per quam Christo consepulti estis in baptismo, & cùm Christo resurrexistis in fide, vt peccatis abluti in sanctitate virtutum, Christum imitando viuatis.

Matth. 28. — *de consecr. dist. 4. c. postquam.* — *Rom. 6.*

Homilia iiij. ¶ CAP. 195.

Hucusque de mysterijs locuti sumus quę per sacramentum in ipso baptismate celebrantur. Nunc verò de his acturi sumus quæ iam de baptizatis sancta institutione complentur. Impleto enim baptismate, caput vestrum chrismate, id est, oleo sanctificationis infundimus: per quod ostenditur baptizatis regalem & sacerdotalem conferri à domino dignitatem. Nam in veteri testamento hi qui eligebantur in sacerdotio, vel in regno, sancto vngebantur oleo: & vnctione capitis, alij regnandi in populum Dei, alij sacrificia offerendi Deo, accipiebant à domino potestatem. *Item.* Completis autem omnibus sacramentis, etiam mandatum vobis & exemplo, & sermone tradimus. Lauimus enim singulorum pedes, ad imitationem vos nostram, imo ipsius Domini & Saluatoris nostri prouocantes, vt quemadmodum nos vestros pedes lauimus, ita etiam vos pedes fratrum & hospitum lauare debeatis.

Anastasius Epitecto Episcopo. ¶ CAP. 196.

Gabriel mittitur ad Mariam, non transitoriè virginem, sed ad virginem desponsatam viro; vt sponso ostenderet Mariam verè hominem fuisse, & partus meminit scriptura, & dicit: Inuoluit puerum, & beata sunt vbera quæ suxit, & oblatum est sacrificium, quoniam aperuit qui natus est vuluam. Hæc autem omnia parturientis virginis erant indicia.

Lucæ 2. — *Ibidem 11.*

Leo primus. *Vt præter Pascha & Pentecosten, nisi morte periclitantibus baptisma non fiat. Ex epistola Leonis Papæ. cap. xj.* ¶ CAP. 197.

Vnde quia manifestissimè patet baptizandis in ecclesia electis, hæc duo tempora, id est Pascha & Pentecosten esse legitima: dilectionem vestram monemus, vt nullos alios dies huic obseruationi misceatis, quia etsi sunt alia quæque festa quibus in honore Dei multa reuerentia debeatur, principalis tamen & maximi sacramenti custodienda nobis est mystica & rationabilis exemplatio: non interdicta licentia, qua in baptismo tribuendo, quolibet tempore periclitantibus subuenitur; ita enim ab his duabus festiuitatibus connexis sibimet atque cognatis incolumium, & pacis securitate degentium libera vota differimus: vt in mortis periculo, in obsidionis discrimine, aut persecutionis angustia, in timore naufragij, nullo tempore hoc veræ salutis singulare præsidium cuiquam denegemus.

Quo tempore baptisma celebrandum sit. Ex decretis Victoris Papæ, fratribus per Alexandriam constitutis. ¶ CAP. 198.

In Paschali verò tempore & Pentecostes baptisma celebrandum est Catholicum: sed si necesse fuerit aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem veniētes quocunque loco, vel momento, vbicunque euenerit, siue in flumine, siue in mari, siue in fontibus, tantùm Christianæ confessionis credulitate clarificata baptizentur. Ipsum quoque quod in Baptismo polliciti sunt, summopere attendendum est ne infideles, sed fideles inueniantur. Ipsi verò qui infidelitatis nota adsperguntur infames efficiuntur, atque inter fideles minimè reputantur.

Victor papa epist. 1 ad Theophilū, de cons. dist. 3. c. celebritatem.

De duobus temporibus baptismatis. Ex decretis Gelasij Papæ x. ¶ CAP. 199.

Baptizandi sibi quispiam passim quocunque tempore nullam credat inesse fiduciam, præter Paschalis festi & Pentecostes venerabile sacramentum, excepto duntaxat grauissimi languoris incursu, in quo verendum ne morbi crescente periculo sine remedio salutari fortassis ægrotans exitio præuentus excedat.

Gelasius papa 1. epistola ad episcopos Lucaniæ & Brutios, &c. de cons. dist. 4. c baptizandi.

De eodem. Ex decretis Siricij Papæ. cap. ij. ¶ CAP. 200.

Sequitur de diuersis baptizandorum prout cuique libitum fuerit improbabilis & emendanda confusio, quæ à nostris consacerdotibus quod commoti dicimus, non ratione authoritatis vllius, sed sola temeritate præsumitur, vt passim ac liberè natalitijs Christi seu apparitionis, nec non apostolorum seu martyrum festiuitatibus innumeræ, vt asseris, plebes baptismi mysterium consequantur, cùm hoc priuilegium sibi apud nos & apud omnes Ecclesias, dominicum specialiter Pascha cum sua Pentecoste defendat.

Syricius papa epistola 1. ad Himerium Terraconeum episcopum De cōs. dist. 4. c. non ratione authoritatis.

De eodem. Ex concil. apud compendium. cap. iiij. ¶ CAP. 201.

Vt extra statuta tempora canonum id est in Pascha & Pentecoste baptisma non celebretur: quia sancti canones hoc modis omnibus, nisi aliquod periculum institerit fieri prohibent; in tantum vt etiam eos qui alio tempore baptizant, à gradibus ecclesiasticis abstineant, nec ad clerum admittantur.

Item de eodem. Ex concilio VVormatiensi. cap. x.
¶ CAP. 202.

Sacrosancti baptismi sacramentum non nisi in Paschali festiuitate & Pentecoste vnusquisque fidelium nouerit esse præbendum, excepto quod his qui mortis periculo vrgente, ne in æternum pereant talibus oportet remediis subuenire.

Vt xx. dies ante baptismum ad purgationem exorcismi Catechumeni veniant. Ex concilio Bracarensi. cap. iiij. ¶ CAP. 203.

Conc. Braca. 2. cap. 1. de cons. dist. 4. c. ante dies 20. Hoc omnibus modis præcipimus, & antiqui Canones iubent, vt ante baptismum xx. dies ad purgationem exorcismi catechumeni veniant, & in illis xx. diebus iuxta canonicum præceptum & erudiantur & consecrentur.

Quod omnes ad baptismũ venientes v. feria maioris hebdomadæ, fidem episcopo vel presbytero reddere debeant. Ex concilio Laodicensi. cap. xlvi.
¶ CAP. 204.

Quod oporteat eos qui ad baptisma veniunt, fidem discere, & quinta feria septimanæ maioris, episcopo vel presbyteris reddere.

Vt omnes baptizandi prius sint exorcizandi. Ex decretis Celestini PP. Galliarum episcopis missis. cap. xij. ¶ CAP. 205.

Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta ecclesia vniformiter agit, non ocioso contemplamur intuitu: cùm siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non priùs fontem vitæ adeant, quàm exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, vt tunc verè appareat, quomodo princeps huius mundi mittatur foras.

Vt baptizandi nomine dato à carne & vino abstineant. Ex concilio Carthaginensi. 4. cap. lxxv.
¶ CAP. 206.

de cons. dist 4 c. baptizandi. Baptizandi nomen suum dent sub abstinentia vini & carnium, ac manus impositione crebrò examinent baptismum.

Quod neophyti à lautioribus cibis ad aliquod tempus & à coniugibus abstinere se debeant. Ex eodem concilio, cap. lxxvj. ¶ CAP. 207.

de cons. dist. 5 c neophyti. Neophyti aliquandiu à lautioribus epulis & spectaculis & coniugibus abstineant.

Vt omnis presbyter vas baptismale habeat. Ex concilio Meldensi. cap. vij.
¶ CAP. 208.

de cons. dist. 4 c omnis presbyter. Omnis presbyter qui fontẽ lapideum habere nequiuerit, vas conueniens ad hoc, solummodo baptizandi officium habeat, quod extra ecclesiam non deportetur. Similiter ad corporale lauandum, & ad pallas altaris propria habeantur vasa, in quibus nihil aliud fiat.

Vt nullus presbyter nisi in ciuitatibus baptizare debeat, excepta causa infirmitatis. Ex concilio eod. cap. xlviij. ¶ CAP. 209.

Nemo presbyterorum baptizare præsumat, nisi in ciuitatibus atque temporibus constitutis, nisi caussa ægritudinis, aut certè necessitatis & in illis locis quæ authoritatem & priuilegia debita retineant.

Qualiter ei qui fidelis existere voluerit, baptismum sit tribuendum. Ex decretis Clementis Papæ, cunctis fidelibus missis. ¶ CAP. 210. *Epistola 3.*

Si quis ergo fidelis existere voluerit, & desiderat baptizari, vt exutus prioribus malis, de reliquo pro bonis actibus hæres bonorum cœlestium fiat, accedat ad sacerdotem suum, & ipsi det nomen suum, atque ab eo audiat mysteria regni cœlorum. Ieiuniis frequentibus operam impendat, ac semetipsum in omnibus probet, vt tres menses iam consummando, in die festo possit baptizari. Baptizetur vnusquisque in aquis perennibus nomine trinæ beatitudinis inuocato super se, perunctus primò oleo per orationem sanctificato, vt ita demum per hæc consecratus percipere possit locum cum sanctis.

De martyribus, qui sine batismo martyrium susceperunt. Ex dictis Augustini Episcopi. *Aug. de ecclesiast. dog. cap. 74. de cons. dist. 4. c. Catechumenum.*
¶ CAP. 211.

Catechumenum quamuis in bonis operibus defunctum, vitam habere non credimus, excepto duntaxat, nisi martyrij sacramentum compleat. Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, & interrogatus respondet. Hoc idem martyr coram persecutore suo facit, qui & confitetur fidem, & interrogatus respondet. Ille post confessionem aspergitur aqua, hic verò aspergitur sanguine, vel tingitur igne. Ille manus impositione pontificis accipit Spiritum sanctum, hic habitaculum efficitur Spiritus sancti, dum non est ipse qui loquitur, sed Spiritus sanctus qui in illo loquitur. Ille communicat Eucharistiæ in commemoratione mortis domini, hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur se mundi actibus renunciare, hic ipse renuntiat & vitæ. Illi omnia peccata remittuntur, isti extinguuntur.

Quod Catechumenis sacramentum in pascha non liceat dari. Ex concilio Carthaginensi. cap. v.
¶ CAP. 212.

Item placuit vt per solemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal, quia fideles per illos dies sacramentum non mutant, nec catechumenis oportet mutari.

De catechumenis à baptisterio remouendis. Ex concilio Arausico i. cap. xij.
¶ CAPVT 213.

Ad baptisterium catechumeni nunquam admittendi sunt, nisi priùs baptizentur.

De catechumenis segregandis & informandis. Ex eodem concilio. cap. xiiij.
¶ CAP. 214.

A fidelium benedictione catechumeni etiam inter domesticos ordines, inquantum caueri potest, segregandi sunt, informandique sunt, vt se signandos vel benedicendos semotim offerant.

De catechumenis peccantibus. Ex concilio Neocæsariensi. cap. v. ¶ CAP. 215.

Catechumenus si ingrediatur ad Ecclesiam, in ordine eorum qui verbo instruuntur, assistat. Hic deprehensus peccans, siquidem genu fle-

ctit, audiat, vt non delinquat vlteriùs. Si verò & audiens peccauerit, expellatur.

De his qui nuper sunt baptizati quòd promoueri non debeant. Ex concilio Laodicensi. cap. iij. ¶ Cap. 216.

De his qui nuper sunt illuminati baptismate, quòd eos in sacerdotali non conueniat ordine promoueri.

Canon. 49. *De presbyteris, si in Trinitate iuxta præceptum Domini non baptizauerit. Ex canone Apostolorum.* ¶ Cap. 217.

Si quis Episcopus aut presbyter iuxta præceptum Domini non baptizauerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sed in tribus sine initio principiis, aut in tribus filijs, aut in tribus paracletis, abijciatur.

Quod in baptismo & in confirmatione, si necesse fuerit, vnus patrinus possit esse. Ex decretis Hygini PP. cap. x. ¶ Cap. 218.

de conf. dist. 4. c. in catechismo. In catechismo & baptismo, & in confirmatione vnus patrinus potest fieri, si necessitas cogit: non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt.

Vt vnus patrinus vel patrina ad suscipiendum infantem accedat. Ex decretis Leonis PP. apud sanctum Medardum. ¶ Cap. 219.

De consec. dist. 4. c. non plures. Vt non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant quàm vnus, siue vir siue mulier. In Confirmationibus quoque id ipsum fiat.

Vt ille qui non est Confirmatus, ad baptismum nulllum recipiat. Ex concilio Mogontiensi. cap. ij. ¶ Cap. 220.

de consec. dist. 4. c. in baptismo. In baptismo vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.

Vt nullus fiat patrinus, nisi rectè credat. Ex concilio Parisiensi. ¶ Cap. 221.

Vt nemo à sacro fonte aliquem suscipiat, nisi orationem dominicam, & symbolum iuxta linguam suam, & intellectum teneat, & coram presbytero decantet, & vt intelligant omnes pactum, quod cum Deo pepigerunt.

Vt Presbyteri à patrinis requirant, si symbolum sapiant. Ex concilio VVormatiensi. cap. i. ¶ Cap. 222.

Caueant presbyteri, vt neque viri neque fœminæ de sacro fonte filiolos vel filiolas suscipiant, nisi memoriter symbolum & orationem dominicam tenuerint.

Cap. 13. *De Symbolo octo dies ante pascha publicè in omnibus ecclesiis recitando. Ex concilio Agathensi. cap xij.* ¶ Cap. 223.

de conf. dist. 4. c. symbolum. Symbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesijs vna die, id est, octauo die ante dominicam resurrectionis publicè in Ecclesia competentibus * tradi. (* al. prædicari.)

De Gentilibus infirmis, si baptismum desiderant. Item ex eodem. cap. iij. ¶ Cap. 224.

Gentiles si in Trinitate desiderauerint sibi manum imponi, si fuerint ex aliqua parte honestæ vitæ, placuit eis manum imponi, & fieri Christianos.

De grauida Baptizanda. Ex concilio Neocæsariensi. cap. vi. ¶ Cap. 225.

Grauidam baptizari oportet quando voluerit. Nihil enim in hoc quæ parit nascenti communicat, proptèrea quòd vniuscuiusque propositum in confessione declaretur. de conf. dist. 4. c. si qua mulier.

De paruulis infirmis baptizandis. Ex concilio Gerundensi. cap. v. ¶ Cap. 226.

De paruulis verò qui nuper materno vtero editi sunt, placuit constitui: vt si infirmi (vt assolent) fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadem die qua nati sunt, si allati fuerint, baptizentur.

De illis qui in ægritudine baptizantur. Ex concilio Neocæsariensi. cap. xij. ¶ Cap. 227.

Si quis ergo in ægritudine fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius est voluntaria, sed ex necessitate descendit, nisi fortè pòstea ipsius studium & fides probari videatur, aut hominum paucitas cogat.

De illis qui paruulos recentes negant esse baptizandos. Ex concilio Africano. cap. lxxvij. ¶ Cap. 228.

Item placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem peccatorum eos non baptizari, sed & nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur: vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniã aliter intelligendum non est, quod ait Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransijt in quo omnes peccauerunt, nisi quẽadmodum Ecclesia Catholica vbique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam paruuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt: ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt. de conf. dist. 4. c. placuit. Rom. 5.

De infirmis baptizatis, ex concilio Laodicensi, cap lxxij. ¶ Cap. 229.

Quòd oporteat eos qui in ægritudine percipiunt baptisma, postquam conualuerint fidem discere & scire, cuius muneris participes facti sunt. Cap. 47.

De illis ægrotantibus qui baptismum desiderant, & post obmutescunt. Ex concilio Africano. cap. xij. ¶ Cap. 230.

Vt ægrotantes si pro se respondere non possunt, cùm voluntati eorum testimonium respondeat, qui si ex periculo proprio esse dixerint, baptizentur: & vt scenicis & histrionibus cæterisque huiusmodi personis reconciliatio non negetur.

De mortuis non baptizandis. Ex concilio Carthaginensi. iii. cap. vi. ¶ Cap. 231.

Cauendum est etiam ne mortuos baptizari posse, fratrum infirmitas credat, quibus nec Eucharistiam dari animaduertat.

De subitò obmutescente, si testes habuerit, baptizando. Ex concilio Arausica. cap. xi.
¶ Cap. 232.

27 q. 6. c qui recedunt. Subitò obmutescens prout statutum est, baptizari, & pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.

De his qui apud hæreticos baptizantur in nomine sanctæ Trinitatis. Ex concilio Rotomagensi. cap. v.
¶ Cap. 233.

Baptisma vnum est in Ecclesia Catholica, cuius nos membra effecti sumus, vbi vna fides est, vbi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti datur. Et ideo qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad nos, recipiantur quidem quasi baptizati, ne sanctæ Trinitatis inuocatio & confessio annulletur: sed doceantur integrè, & instruantur sensu sanctæ Trinitatis & mysterio, quod in sancta Ecclesia tenetur. Et si consentiunt credere, vel acquiescunt confiteri purgatæ fidei integritatem, manus impositione firmentur. Si verò paruuli sunt hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui eos offerunt iuxta morem baptizandi, & ita interrogentur vt sciant quid respondere debeant, & sic manus impositionem accipiant.

De eadem re. Ex concilio VVormatiensi. cap. v.
¶ Cap. 234.

Quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debet, sed per solam manus impositionem purgandus est.

Vt baptismus in Trinitate susceptus non iteretur. Ex concilio Carthaginiensi. i. cap. i.
¶ Cap. 235.

Vt baptisma in Trinitate susceptum non iteretur. Ergo si vobis placet, considerentes primitus titulum de rebaptizatis, & sanctitatem vestram postulo, vt mentis vestræ intuitum placidè, producatis ad descendentem in aquam, & interrogatum in Trinitate secundùm Euangelij fidem, & Apostolorum doctrinam, & confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Iesu Christi, an liceat iterùm interrogari in eadem fide, & in aquam iterum tingi. Vniuersi Episcopi dixerunt, Absit, absit; illicitam sancimus esse rebaptizationem, & satis esse alienam à sincera fide, & à Catholica disciplina.

Leo primus Epist. 92. ad Rusticum, ca. 15. *De illis qui nesciunt qua fide baptizati sunt. Ex decretis Leonis Papæ, Episcopis per Siciliam constitutis missis, cap. xxix.*
¶ Capvt 236.

de conf. dist. 4. c. hi de quibus. Hi autem de quibus scripsisti qui se baptizatos sciunt, sed cuius fidei fuerint qui eos baptizauerũt se nescire profitentur, quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, rebaptizandi non sunt: sed per manus impositionem, virtutem Spiritus sancti accipientes, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.

De Presbytero qui grammaticam ignorabat, & tamen in Trinitate baptizabat. Epistola Zachariæ ad Bonifacium Magontiensem Archiepiscopum.
¶ Cap. 237.

Virgilius & Sedulius, religiosi viri apud Baioariorum prouinciam degentes, suis apud nos literis vsi sunt, per quas intimauerunt, quòd tua reuerenda fraternitas iniungeret Christianos rebaptizare. Quod audientes nimis sumus conturbati & in admirationem quandam incidimus si haberetur vt dictũ est. Retulerũt quippe quòd fuerit in eadem prouincia Sacerdos, qui Latinam linguam ignorabat penitus; & dũ baptizaret nesciens Latino eloquio infringere linguam, diceret, baptizo te in nomine patria, & filia & spiritu sancta, ac per hoc tua reuerenda fraternitas considerauit rebaptizare. Scias sanctissime frater, si ille qui baptizauit non introducens errorem aut hæresim: sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt suprà fati sumus baptizans dixisset, non possumus consentire vt denuo baptizentur, (quia quod benè compertum habet fraternitas tua) quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debet, sed per solam manus impositionem purgari debet. Nam, sanctissime frater, si ita est vt nobis relatum est, non ampliùs à te illud prædicetur, nec aliquid huiusmodi, sed vt sancti patres docent & prædicant, tua fraternitas studeat seruare. de conf. dist. 4. c. retulerunt.

De illis qui aliquam habent dubitationem baptismatis vt rebaptizentur. Ex decretis Leonis Papæ ad Rusticum Narbonensem episcopum, cap. xxviij. Epist. 92. cap. 15.
¶ Cap. 238.

Si nulla extant indicia inter propinquos & familiares, nulla inter clericos aut vicinos quibus, hi de quibus quæritur baptizati fuisse doceantur, agendum est vt renascantur ne manifestè pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit iteratum. Qui autem possunt meminisse quod ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari an quod parentibus eorum dabatur, acceperint. Sed si hoc etiam ab ipsa memoria alienum est, conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur, quia non temeritas interuenit præsumptionis, vbi est diligentia pietatis. De conf. dist. 4. c. Si nulla.

Quid agendum sit de infantibus de quibus non inueniuntur certissimi testes vtrum baptizati sint. Ex concilio Africano, cap. xxxix. Concil. Carthag. 5. cap. 6.
¶ Cap. 239.

Item placuit de infantibus quotiens non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi sacramentis idonei respondere, absque vllo scrupulo esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione priuari. Hinc enim legati * Vestrorum, fratres nostros consuluerunt, qui tales multos à barbaris redimunt. De conf. dist. 4. c. placuit. * Maurorum.

De Presbyteris per quorum negligentiam sine baptismo aliquis mortuus fuerit. Ex decretis Xisti papæ cap. v.
¶ Cap. 240.

Perpendant Presbyteri, quanti discriminis

ſit animas innocentium per eorum negligentiam perire, ianuáſque paradiſi innocentibus claudi. Et ideo preſbyteri ſumma diligentia caueant, ne animas pro quibus ſanguis Christi effuſus eſt, per ſuam incuriam à cœleſti beatitudine ſeparent; Et ſi (quod abſit) euenerit, graui pœnitentiæ luctui diebus vitæ ſuæ ſe ſubmittat per cuius euenerit neglectum.

Vt nullus Preſbyter cuiquam infirmo in propria prouincia vel alicubi baptiſmum denegare præſumat. Ex decretis Martiani Papæ, cap. iij. ¶ CAP. 241.

Quicunque Preſbyter in prouincia propria, aut in alia, vel vbicunque inuentus fuerit, commendatum ſibi infirmum baptizare noluerit, vel in profectione itineris de aliqua excuſatione, & ſic ſine baptiſmo moritur, deponatur.

De his qui ad iterandum baptiſmum vel metu coacti vel errore traducti ſunt. Ex decretis Leonis Papæ ad Nicetam epiſcopum Aquilienſem. cap. xlvij. ¶ CAP. 242.

His verò de quibus ſimiliter dilectio tua nos credit conſulendos, qui ad iterandum baptiſma vel metu coacti vel errore traducti ſunt, & nunc ſe contra catholicæ fidei Sacramentum egiſſe cognoſcunt, ea eſt cuſtodienda moderatio, qua in ſocietatem noſtram, non niſi per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem epiſcopalis manus communionis recipiant vnitatem. Temporis autem pœnitudinis habita moderatione tuo cuſtodienda iudicio, prout conuerſorum animos inſpexeris eſſe deuotos, paritérque etiam habens ſenilis ætatis intuitum, & periculorum quorumcunque autem ægritudinum diſpicientur neceſſitates. In quibus ſi quis ita grauiter vrgeatur, vt dum adhuc pœnitet de ſalute ipſius deſperetur, oportet ei per ſacerdotalem ſolicitudinem communi gratia ſubuenire.

Non eſſe negandum baptiſmum paruo ægroto etiam de alterius parochia allato. Ex decretis Eugenij papæ cap. vj. ¶ CAP. 243.

Si paruus ægrotans ad quemlibet Preſbyterum baptiſmi gratiâ de cuiuſlibet parochia allatus fuerit, ei baptiſmi Sacramentum nullo modo denegetur. Si quis hoc munus petenti concedere detractauerit, nouerit ſe ille qui eum non baptizauerit, pro eius anima rationem redditurum, & apud ſynodum acérrimè corrigendum.

Non eſſe iterandam Confirmationem. Ex concilio Taraconenſi, cap. vi. ¶ CAP. 244.

de conſ diſt. 5. c. Dictum eſt. Dictum eſt nobis quòd quidam de plebe bis vel ter aut eo amplius ab Epiſcopis confirmantur. Vnde nobis viſum eſt eandem Confirmationem, ſicut nec Baptiſmum iterari minimè debere, quia bis vel amplius baptizatos aut confirmatos non ſæculo, ſed ſoli Deo ſub habitu regulari vel clericali religioſiſſimè famulari decretum eſt.

Quod ignoranter rebaptizati abſque magna neceſſitate ordinari non poſſunt. Ex pœnitent. Theodo. cap. xiij. ¶ CAP. 245.

de conſ diſt. 4. c. qui bis. Qui bis ignoranter baptizati ſunt non indigent pro eo pœnitere, niſi quòd ſecundùm canones ordinari non poſſunt, niſi magna aliqua neceſſitas cogat. Qui autem non ignari baptizati ſunt, quaſi iterum Chriſtum crucifixerunt, per annos ſeptem pœniteant quarta feria & ſexta, & tres quadrageſimas pœniteant. Si pro vitio aliquo * fuerit, ſimiliter. Si pro munditia putauerint, tribus annis ſimiliter pœniteant. *fecerint

De paruulorum animabus qui ſine baptiſmo moriuntur. Ex Epiſtola Gregorij Papæ ad Secundinum Seruum Dei incluſum. ¶ CAP. 246. *In regiſtro li. 7. ep. 53.*

In extremo verò epiſtolæ requiſiſti, quid eis reſpondendum ſit qui dilectionem tuam de paruulorum animabus requirunt, qui ſine gratia baptiſmatis moriuntur, dicentes ſi corpus originali culpa tenetur, vnde anima quæ à Deo datur rea erit, quæ adhuc in actuali delicto non conſentit corpori. Sed de hac re dulciſſima fraternitas ſciat, quia de origine animæ inter ſanctos patres requiſitio non parua verſata eſt. Sed vtrum ab Adam deſcenderit, an rectè ſingulis detur incertum remanſit, eámque in hac vita inſolubilem faſſi ſunt eſſe quæſtionem. Grauis eſt enim quæſtio nec valet ab homine comprehendi, quia ſi de eadem ſubſtantia anima cum carne naſcitur, cur etiam non cum carne moritur? Si verò cum carne quæ ab Adam prolata eſt obligata peccato, peccatis tenetur. Sed cùm hoc ſit: incertum non eſt, quia niſi ſacra baptiſmatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati eſt vinculis obſtricta. Hinc enim ſcriptum eſt: Non eſt mundus in conſpectu eius, nec vnius diei infans ſuper terram. *Iob. 14 iuxta 70. interp.* Hinc Dauid ait: In iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. *Pſal. 50.* Hinc ipſa veritas dicit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum cœlorum. *Ioan. 3.* Hinc Paulus Apoſtolus ait: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. *1. Cor. 15.* Cur ergo infans qui nihil peccauit in conſpectu Dei omnipotentis, eſſe mundus non valet? Cur pſalmiſta ex legitimo coniugio prolatus in iniquitate conceptus eſt? Cur hæc? niſi quia quis aqua baptiſmatis mundatus non fuerit, mundus non eſt. Cur in Adam omnis homo moritur, ſi originalis peccati vinculis non tenetur? Sed quia genus humanum in parente primo velut in radice patrum ariditatem erexit in ramis, & inde omnis homo cum peccatis naſcitur, vnde primus homo permanere voluit in peccato. De his autem ſubtilius ac latius loqui debueram: ſed dum & curarum cumulus premit, & earum portitor vt laxaretur importunus extitit, vnde multa debui, pauca loquutus ſum.

De Energumenis baptizandis. Ex concilio Arauſicano, cap. xij. ¶ CAP. 247. *Cap. 14.*

Energumeni iam baptizati de purgatione ſua curantes, ſi ſe ſollicitudini clericorum tradunt, monitiſque obtemperant, omnimodis communicent, ſacramenti ipſius virtute, vel muniendi ab incurſu dæmonis, quo infeſtantur, vel purgandi quorum iam oſtenditur vita purgatior.

De eodem. Ex eodem capite xxij. ¶ CAP. 248. *Cap. 15.*

In Energumenis catechumenis, in quantum

vel necessitas exegerit vel oportunitas permiserit de baptismate consulendum.

Quod rebaptizatis non sit communicandum. Ex concilio Ilerdensi, cap xiiij. ¶ CAP. 249.

Cur rebaptizatis fideles religiosi participent?

De Presbytero qui rectè baptizatum denuo baptizauerit, & non rectè baptizatum ab hæreticis non baptizauerit. Ex concilio Lugdunensi, cap. xlvij. ¶ CAP. 250.

Episcopus autem vel presbyter si eum qui secundùm veritatem habuerit baptisma, denuò baptizauerit, aut si pollutum ab impiis & non rectè baptizatum non baptizauerit, deponatur, tanquam deridens crucem & mortem Domini, nec sacerdotes veros à falsis sacerdotibus verè discernens.

Vt non ordinatus temerè baptizare non præsumat. Ex decretis Hormisdæ papæ, cap. iiij. ¶ CAP. 251.

Si quis baptizat, aut aliquid diuinum per temeritatem exercuerit non ordinatus, abijciatur ab Ecclesia & nunquam ordinetur.

Quod Diaconi officium presbyterorum non vsurpent. Ex decretis Gelasii papæ, cap. vi. ¶ CAP. 252.

Part. 1. dist 93. diaconos, p. prima. Diacones quoque propriam constituimus obseruare mensuram, nec vltra tenorem paternis canonibus deputatum, quippiam attentare permittimus, nihilque eorum suo ministerio penitus applicare quæ primis ordinibus propriè decreuit antiquitas, absque Episcopo & presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortassis officiis longiùs constitutis necessitas extrema compellat, quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur.

Vt Presbyteri populum admoneant, vt suos infantulos ad Confirmationem Episcopo præsentent. Ex concilio VVormaciensi, cap. ij. ¶ CAP. 253.

Annuncient Presbyteri populis, vt quàm citiùs potuerint suos infantulos ad Confirmandum suo Episcopo præsentari faciant. Quod si neglexerint, & presbyter & populus canonicis disciplinis subiaceant.

Cap 3. *Vt omnes perfectæ ætatis ieiuni ad Confirmationem veniant. Ex concilio Aurelianensi, cap. vi.* ¶ CAP. 254.

De consf dist. 5. c. vt ieiuni. Vt ieiuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, vt moneantur confessiones facere priùs, vt mundi donum sancti Spiritus valeant accipere, & quia nunquam erit Christianus, nisi in confirmatione Episcopali fuerit chrismatus.

De Sacramento Baptismatis & Confirmationis vtrum maius sit, Melchiades Papa Hispanorum Episcopis, cap. vi. ¶ CAP. 255.

de consf dis. 4. c de his. De his verò super quibus rogatis vos informari, id est, vtrum maius sit sacramentum manus impositionis episcoporum, aut baptismus, scitote vtrumque magnum esse sacramentum, & sicut vnum à maioribus est, id est summis pontificibus, quod à minoribus perfici non potest, ita & maiori veneratione venerandum & tenendum est. Sed ita coniuncta sunt hæc duo sacramenta, vt ab inuicem nisi morte præueniente nullatenus possint segregari: & vnum sine altero ritè perfici non potest.

Vt omnes Christiani ad Confirmationem veniant. Ex concilio VVormaciensi cap. ij. ¶ CAP. 256.

Ad prædicationem & ad Confirmationem episcopi, omnes deuotè conueniant, eique fideliter ministrent & obediant.

Item de Manus impositione. Eusebius Papa fratribus per Campaniam & Tusciam constitutis. cap. xxij. ¶ CAP. 257. *Epist. 3.*

Manus quoque impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab alijs quàm ab ipsis apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab alijs quàm qui eorum locum tenent, vnquam perfici potest aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, nec inter ecclesiastica vnquam reputabitur sacramenta. *de consf dist. 5. c. manus.*

Item de Confirmatione. Ex concil. Mogontiensi. cap. ij. ¶ CAP. 258.

Præcipimus vt ad accipiendum per manus impositionem Pontificis, Spiritus sancti donum sollicitè & deuotè omnes concurrant, & Episcopo quæ necessaria sunt fideliter ministrent, eique in omnibus & per omnia obediant.

Quod omnes fideles accepto baptismate, chrisma cœleste accipere debeant. Ex concilio Laodicensi. cap. xlviij. ¶ CAP. 259.

Quòd oporteat eos qui baptizantur post lauacrum cœleste chrisma percipere, & regni Christi participes inueniri.

Vt omnes renati fonte baptismatis, donum Spiritus sancti, per manus impositionem accipere debeant. Ex epistola Antheri Papæ, cap. xv. ¶ CAP. 260. *Ex epistola 2. Vrbani primi papæ. de consf. dist. 5 c omnes fideles.*

Omnes fideles per manus impositionem episcoporum, post baptismum accipere debent Spiritum sanctum, vt pleni Christiani inueniantur. De spiritu accipimus, vt spirituales efficiamur, quia animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus sancti Dei, quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur. De Spiritu sancto accipimus, vt sapiamus, inter bonum & malum discernere, iusta diligere, iniusta respuere, vt inuidiæ ac superbiæ repugnemus, vt luxuriæ ac diuersis illecebris & fœdis indignísque cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto accipimus, vt amore æternæ gloriæ & ardore succensi, erigere à terrenis mentem ad superna & diuina valeamus.

Vt Episcopi nonnisi ieiuni Confirmationem faciant. Ex concilio Meldensi. cap. ij. ¶ CAP. 261.

Vt Episcopi non nisi ieiuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant, exceptis *de consf dist. 5. c. vt episcopi.*

infirmis & morte periclitantibus. Sicut autem duobus temporibus Pascha videlicet & Pentecoste à ieiunis celebrari debet baptismus, ita etiam traditionem Spiritus sancti à ieiunis pontificibus conuenit celebrari.

Quod Episcopis liceat, si necesse sit in campo Confirmare. Ex concilio Remensi. cap. x.

¶ Cap. 262.

Episcopo liceat in campo sit necesse si confirmare.

Quod à solis Episcopis baptizati sint consignandi. Ex decretis Innocentij Papæ missis. cap ij.

¶ Cap. 263.

De consignandis verò infantibus manifestum est non ab alioquàm ab Episcopo fieri licere. Nã Presbyteri, licet sint secundi sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem solis Pontificibus debetur: vt vel consignent, vel Paraclitum Spiritum sanctum tradant. Non solùm consuetudo Ecclesiastica monstrat, verùm illa lectio actuum apostolorum quæ asserit Petrum & Ioannem esse directos, quòd iam baptizatis tradant Spiritum sanctũ. Nam presbyteris seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo, cùm baptizant, chrismate baptizatos vngere liceat: sed quod ab episcopo consecratũm, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cùm tradunt Paracletum.

Act. 8. De consec. dist. 4. c. Presbyteris.

Vt Presbyteri baptizatos in frontibus chrismate non debeant signare. Ex registro Gregorij ad Ianuarium Episcopum Caralitanum. cap. xc.

lib. 3. cap. 9.

¶ Cap. 264.

Presbyteri baptizatos infantes signare in frontibus non præsumant sancto chrismate, sed presbyteri baptizatos tangant in pectore, vt Episcopi postmodum confirment in fronte.

de consec. dist. 4. c. presbyteri.

De Presbyteris qui de baptismate pretium quærunt. Ex Epistola Gelasij PP. cap. v.

Cap. 7. 1. q. 1. c. baptizandis.

¶ Cap. 265.

Baptizandis consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant, nec alligationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes, quomodo quod gratis accepimus gratis dare mandamur. Et ideo nihil à prædictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate agente deterriti, vel indignatione reuocati redemptionis suæ causas adire despiciant, certum habentes quòd qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, vel commissa sponte non correxerint, periculum subituri proprij sunt honoris.

De Presbyteris qui de veteri Chrismate baptizare præsumunt. Ex concilio Lugdunensi. cap. ij.

¶ Cap. 266.

Si quis ab alio chrismate quàm de illo nouo quod proprij Episcopi largitione vel confessione accepit, baptizare non præoccupante morte, tentauerit, pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.

de cons. dist. 4. c. si quis de alio.

Quod Presbyter in sua plebe sine Chrismate non debeat ire. Ex concilio Vasensi. cap. v.

¶ Cap. 267.

Nullum Presbyterorum in plebe sibi commissa sine chrismate vnquam debere progredi, quia inter nos placuit semel in baptismate quacunque necessitate faciente, qui non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdotis perficiatur.

De Presbytero qui se deprehenderit non esse baptizatum. Ex concilio apud Compendium. cap. v.

¶ Cap. 268.

Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non baptizatum esse, baptizetur & ordinetur iterum, & omnes quos prius baptizauit.

Ad marginem codicis regij vetustissima litera adscribitur hic dubitatur.

De Presbyteris quomodo in cœna domini de chrismate, de oleo sanctificato, de oleo infirmorum, facere debeant. Ex Meldensi concilio. cap. i.

¶ Capvt 269.

Presbyter in cœna Domini ampullas tres secum deferat, vnam ad chrisma, alteram ad oleum ad catechumenos inungendos, tertiam ad infirmos iuxta sententiam apostolicam, vt quando quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ, &c.

Iac. 5.

De eodem. Ex concilio apud Valentias, cap. ij.

¶ Cap. 270.

Presbyteri qui diœcesanas Ecclesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suo, nec per iuniorem clericum, sed per seipsos, aut per illum qui eiusdem ordinis sit, ante Paschæ solemnitatem chrisma petant.

de cons. dist. 4. c. presbyteri.

Item de eodem. Ex Meldensi concilio. cap. v.

¶ Cap. 271.

Nemo Episcoporum vel quilibet ministrorum Ecclesiasticus propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat denarium, vel quælibet munuscula, quæ per ministros episcoporum à presbyteris inordinabiliter exiguntur.

Item de eodem. Ex concilio Vasensi. cap. x.

¶ Cap. 272.

Per singula territoria Presbyteri vel ministri ab Episcopis, non prout libitum fuerit à vicinioribus, sed à suis proprijs per annos singulos petant Chrisma, appropinquante solemnitate Paschali, nec per quemquam alium quàm per seipsos aut per vicarios eiusdem ordinis, quia inhonorum est inferioribus summa committi. Optimum est autem, vt ipse accipiat qui in tradendo vsurus est.

De Presbyteris qui pro accipiendo Chrismate ad ciuitates venire solent. Ex concilio Meldensi. cap. vi.

¶ Cap. 273.

De Presbyteris qui accipiẽdi chrismatis gratiâ ad ciuitates in cœna Domini venire soliti sunt, sancitum est, vt de his qui longè positi sunt de octo vel decem millibus, vnus ab archidiacono eligatur, qui acceptum chrisma sibi & socijs diligenter perferat. Hi verò qui non longiùs à ciuitate quàm quatuor aut quinque millibus habitant, more solito ad accipiendum chrisma per se veniant. Discendi verò gratiâ aliò non quadragesimali tempore ad ciuitatem conuocentur, propter plebes sibi commissas.

De Chrismate quod semper sub sera esse debeat. Ex concilio Turonensi. cap. ij. ¶ Cap. 274.

Præterea & illud omnimodis obseruandum est, vt sacrum Chrisma, & oleum consecratum semper

ſemper ſub ſera ſit,ne illud vnde Chriſto incorporamur, & vnde omnes fideles ſanctificantur, vnde Reges & Sacerdotes inunguntur, aliquis infidelis aut immundus tangat, aut aliquis perfidus ad Dei iudicium ſubuertendum ſubripiat, quod experimento didicimus.

De Iudæis quomodo examinari debeant ante baptiſma. Ex concilio Agathenſi, cap. xxxv.

¶ CAP. 275.

de conſ. diſt. 4. c. Iudæi. Iudæi (quorum perfidia frequenter ad vomitum redit,) ſi ad leges Catholicas venire voluerint, ſeptem menſes inter catechumenos Eccleſiæ limen introeant, & ſi pura fide venire noſcũtur, tunc demum baptiſmatis gratiam mereantur. Quod ſi caſu aliquod periculum infirmitatis intra ſcriptum tempus incurrerint, & deſperati fuerint, baptizentur.

Conc. Tol 4. c. 5. *De Iudæis, quòd nullus eis vim ad credendum inferre debeat. Ex concilio Toletano v. cap. vij.*

¶ CAP. 276.

diſt 45 c. de Iudæis. Rom. 9. De Iudæis autem hæc præcepit ſancta ſynodus nemini deinceps vim credendi inferri; Cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat. Non enim inuiti tales ſaluandi ſunt, ſed volentes, vt integra ſit forma iuſtitiæ: Sicut homo propria voluntate arbitrij ſerpenti obediens perijt, ſic vocante ſe gratia Dei, propriæ mentis conuerſione homo quiſque ſaluatur credendo. Ergo non vi, ſed libera arbitrij facultate, vt cõuertantur qui ſaluandi ſunt, non potius impellendi. Qui autem iam pridem ad Chriſtianitatem coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi principis Siſemandi, quia iam conſtat eos ſacramentis diuinis aſſociatos, & baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, & chriſmate vnctos eſſe, & corporis & ſanguinis Domini extitiſſe participes, oportet vt fidem etiã quam vi vel neceſſitate ſuſceperunt tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphemetur, fidéſque quam ſuſceperunt vilis & contemptibilis habeatur.

Eod. conc 4. c. 59. *Vt Iudæorum filij baptizati ab eorum conſortio ſeparari debeant. Ex eodem concilio v. cap. xl.*

¶ CAP. 277.

28. q. 1. c. Iudæorum. Iudæorum filios vel filias baptizatos, ne parentum vltra inuoluantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus, tradique aut monaſterijs, aut chriſtianis viris, aut mulieribus dominum timentibus, vt ſub eorum cura & conuerſatione cultum fidei diſcant, atque in melius conſtituti, tam in moribus, quàm in fide proficiant.

Vt nulla communio ſit Hebræis ad fidem chriſtianam tranſlatis, cum alijs nondum baptizatis. Ex eodem conc. v. cap. lxij.

Conc. Tolet. 4. cap 61.

¶ CAP. 278.

28. q. 1 c. Sæpe malorum. Sæpe malorum conſortia etiam bonos corrumpunt, quantò magis eos qui ad vitia proni ſunt? Nulla igitur communio vltra ſit Hebræis ad fidem Chriſtianam tranſlatis cum his qui adhuc in veteri ritu conſiſtunt, ne fortè eorum participatione ſubuertantur. Quicunque igitur amodò ex his qui baptizati ſunt, infidelium conſortia non vitauerit, & hi Chriſtianis donentur, & illi publicis ſedibus deputentur.

De Iudæis qui apoſtatauerint. Ex eod. conc. v cap. lxix.

¶ CAP. 279.

Plerique qui ex Iudæis dudum ad chriſtianam fidem promoti ſunt, nunc blaſphemantes Chriſtum, non ſolũm Iudaicos ritus perpetraſſe noſcuntur, ſed etiam abominandas circunciſiones exercere. De quibus conſultum ipi ſſimi ac religioſiſſimi Domini noſtri Siſemandi regis, hoc ſanctum decreuit Concilium, vt huiuſmodi tranſgreſſores Pontificali authoritate correcti, ad cultum Chriſtiani dogmatis reuocentur, vt quos voluntas propria non emendat, animaduerſio ſacerdotalis coërceat. Eos autem quos circunciderunt, ſi filij eorum ſunt, à parentibus ſeparentur, ſi ſerui, pro iniuria corporis ſui, libertati tradantur. Conc. Tolet. 4 c. 58. de conſecr. diſt 4. c. plerique.

De Iudæorum ſeruis. Ex eodem. cap. ix.

¶ CAP. 280.

Item vt ſi Iudæorum ſerui necdum conuerſi, ad Chriſti gratiam conuolauerint, libertati donentur. diſt. 54. c. ciſi.

De Iudæorum mancipijs qui ad baptiſmum confugiunt. Ex concilio apud Auernas. cap. lxxx.

¶ CAP. 281.

Licet, prioribus canonibus iam fuerit definitum, vt de mancipiis paganis quæ apud Iudæos ſunt, ſi ad Eccleſiam confugerint, & baptiſmum petierint, etiam ad quoſcumque Chriſtianos confugerint, taxato & oblato à fidelibus iuſto pretio ab eorum Domino liberentur: Ideò ſtatuimus hæc vt tam iuſta conſtitutio ab omnibus Catholicis conſeruetur.

Item de mancipijs Iudæorum aut Chriſtianis aut ad fidem Chriſtianam venire deſiderantibus. Ex concilio Matiſconenſi, cap. xvj.

¶ CAP. 282.

Præſenti concilio, Deo authore, ſancimus, vt nullum Chriſtianum mancipium Iudæo deinceps ſeruiat, ſed datis pro quolibet bono mancipio xij. ſolidis ipſum mancipium quicũque ſeu ad ingenuitatem, ſeu ad ſeruitium licentiã habeat redimendi; & ſi Chriſtianus fieri deſiderat, & non permittitur, ſimiliter faciat, quia nefas eſt quem Chriſtus Dominus ſanguinis ſui effuſione redemit, blaſphemum Chriſtianæ religionis in vinculis tenere. Quod ſi adquieſcere his quæ ſtatuimus quicumque Iudæus noluerit, quandiu ad pecuniam ſtatutam venire diſtulerit, liceat mancipium ipſum cum Chriſtianis vbicumque voluerit habitare. diſt. 54. c. præcipi.

De illis qui ad fidem Chriſtianam de hæreſi venire deſiderant. Ex concilio Arelatenſi. cap. 9.

¶ CAP. 283.

Si ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum de Symbolo, & ſi viderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto eſſe baptizatum, manus ei imponatur tantùm, vt accipiat Spiritum ſanctum.

De Iudæis ſi mancipium circunciderint. Ex concilio apud Theodonis villam habito. cap. iiij.

¶ CAP. 284.

Si quis Iudæorum Chriſtianum mancipium, vel cuiuſlibet ſectæ alterius emerit, & circunciderit, à Iudæi ipſius poteſtate ſublatus, in libertate permaneat.

lib. 1. epistola 34.

Quid sanctus Gregorius de Iudæis præcipiat. Ex registro Gregorij ad Ioannem Terracinensem Episcopum. ¶ CAP. 285.

Ioseph præsentium lator, Iudæus, insinuauit nobis de loco quodam quo ad celebrandas festiuitates suas Iudæi in Terracinensi castro consistentes conuenire consueuerant, quòd tua eos fraternitas expulisset, & in alium locum pro colendis similiter festiuitatibus suis, te quoque noscente & consentiente migrauerint, & nunc de eodem loco etiam expulisse denuò conqueruntur. Quod si ita est, volumus vt tua fraternitas ab huiusmodi se querela suspendat, & loco quem sicut prædiximus cum tua conscientia quo congregentur adepti sunt eos (sicut mos fuit) liceat conuenire: Hos enim qui à Christiana religione discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad vnitatem fidei necesse est congregare, ne quos dulcedo prædicationis, & præuentus futuri iudicis terror ad credendum inuitare poterat, minis & terroribus repellantur. Oportet ergo vt ad audiendum de te Verbum Dei benignè conueniant, quàm austeritate quæ suprámodum extenditur, expauescant.

De illis qui pro periculo mortis à Diaconibus baptizati fuerint Ex concilio Turonensi, cap. iij.

¶ CAP. 286.

Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo vel Presbytero aliquos pro mortis occursu baptizauerit, Episcopus eos per benedictionem & confirmationem perficere debebit, sub fide, qua quisque credendo poterit esse iustus.

De his qui cogunt Presbyteros denarios pro balsamo dare. Ex concilio Cabilonensi, cap. v.

Con. Cabilon. 2. cap. 16.

¶ CAP. 287.

Quidam fratres dixerunt consuetudinis antiquæ fuisse in eorum Ecclesijs, vt pro balsamo emendo ad chrisma faciendum, siue pro luminaribus Ecclesiæ concinnandis, binos vel quaternos denarios Presbyteri darent. Vnde omnes vno consensu statuimus, vt sicut pro dedicandis Basilicis, & dandis Ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro Balsamo siue pro luminaribus emendis, nihil Presbyteri chrisma accepturi dent. Episcopi itaque Ecclesiasticis facultatibus balsamum emant, & luminaria singuli in Ecclesijs suis.

1. q. c. statuimus.

De Chrismatis panno. Ex concilio apud Beluacum, cap. viij. ¶ CAP. 288.

de cons. dist. 4. c. si quis.

Si quis voluerit Chrismatis pannum iterum linire, & super alium baptizatum mittere, non est absurdum.

Quod Catechumeni cum baptizatis manducare non debeant. Ex concilio Magontinensi, cap. v.

¶ CAPVT 289.

Catechumeni manducare non debent cum baptizatis, neque eis osculum dare, quàntò magis gentiles?

De Scrutinio faciendo. Ex concilio Romano, cap. xv. ¶ CAP. 290.

De Scrutinio faciendo decreuimus, vt Episcopus & vbi conuentus est populi & cleri, & possibilitas permittit ibi celebretur.

De Baptisterio. Ex concilio Magontinensi, cap. ix.

¶ CAP. 291.

Baptisterij & catechumenorum ventilata est ratio, vt Sacerdotes pleniùs intelligant, qualiter cum dignis ordinibus efficiant Christianum.

Quod bigamus vocetur qui ante baptismum vxorem vnam, & post baptismum aliam habuerit. Ex decreto Innocentij Papæ, cap. ij.

Epist Inn. 22. ad Episcopos Macedoniæ. Dist 26 c. deinde opponitur.

¶ CAP. 292.

Deinde ponitur non dici digamum oportere eum, qui catechumenus habuerit atque amiserit vxorem, si post baptismum aliam sortitus est, quia illud coniugium per baptismi sacramentũ cum cæteris criminibus sit ablutum. Quod cum de vna vtique dicitur, certè si tres habuerit in veteri positus homine vxores, erit ea quæ post baptismum quarta est, sic interpretantibus, prima. Virginis æquè nomen accipiet, quæ quarto ducta est loco. Quis oro istud non videat contra Apostoli esse præceptum, qui ait, vnius vxoris virum oportere fieri sacerdotem? Sed obijcitur, quod in baptismo totum quicquid in veteri homine gestum est sit solutum. Dicite mihi (cum pace vestra loquar) crimina tantùm in baptismo dimittuntur, an & illa quæ secundùm Domini præcepta ac Domini instituta complentur? Vxorem ducere crimen est? an non est crimen? Si crimen est, ergo author erit in culpa, qui vt crimina committerentur, in paradiso cùm ipse eos iungeret, benedixit. Si verò non est crimen, quia quod Deus iunxit, nefas sit crimen appellari, & Salomon addidit, etenim à Deo præparatur viro vxor: quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod Deo authore legitur consummatum? Quid de filiis talium percensetur? Nunquid non erunt admittendi in hæreditatis consortium, qui ex ea suscepti sunt, quæ ante baptismum fuit vxor? eruntque appellandi, vel naturales, vel spurij, quia non est legitimum matrimonium, nisi illud, vt vobis videtur, quod post baptismum assumitur? Ipse Dominus cùm interrogaretur à Iudæis, si licere dimittere vxorem, atque exponeret fieri non debere, addidit, Quod verò Deus coniunxit, homo non separet. Ac ne de his locutus esse credatur quæ post baptismum sortiuntur, meminerit hoc verè & à Iudæis interrogatum esse, & Iudæis esse responsum. Quæro verò, & sollicitus quæro, si vna eademque sit vxor eius qui ante catechumenus, postea fidelis sit, filiósque ex ea cum esset catechumenus susceperit, ac postea alios cùm fidelis, vtrum sint fratres appellandi, an nõ? Habebunt postea defuncto patre cum cæteris hæreditatis hercifcundæ consortium, quibus filiorum nomen regeneratio spiritualis creditur abstulisse. Quod cùm ita sentire atque iudicare absurdum est, quæ ratio est, hoc malum defendi, & vacua magis opinione iactari, quàm aliqua authoritate roborari? cùm non possit inter peccata deputari, quod lex præcepit & Deus coniunxit. Nunquid si quis catechumenus virtutibus studuerit, humilitatem secutus fuerit, patientiam tenuerit, eleemosynas fecerit, morti destinatos qualibet ratione eripuerit, castitatem seruauerit, quæro si hæc (cùm factus fuerit fidelis) amittit, quia per baptismum totum quod vetus homo gesserit

1. Tim. 3. ad Tit. 1.

Gene. 1. Gene. 2. Prouerb. 19.

Matth. 19.

putatur auferri? Aspiciamus gentilem hominem Cornelium orationibus & eleemosynis Petrum ipsum reuelatione vidisse. Nunquid per baptismum hæc illi ablata sunt, propter quæ ei baptisma concessum esse videtur? Si ita creditur, mihi credite non modicùm erratur; quia quicquid benè gestum fuerit, & secundùm præcepta legalia custoditum, non potest facientibus deperire. Nuptiarum ergo copula quia Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum, & quod peccatum non est, inter peccata omnino credi non debet dimissum.

Actor. 10

Fœlix 3. Epist. 3.

De Episcopis & Presbyteris & Diaconibus rebaptizatis. Ex decretis Fœlicis Papæ, cap. 3.

¶ CAP. 293.

Communis dolor & generalis est gemitus, quod intra Africam rebaptizatos etiam Episcopos vel Presbyteros, Diaconósque cognouimus: quæ res sine dubio ad vestræ quoque peruenit notitiam sanctitatis, qualiter in Africanis regionibus astutia diaboli sæuierit in populum Christianum, atque in id multiplici deceptione proruperit, vt non modò vulgus incautum, sed etiam ipsos in mortis profunda demerserit Sacerdotes: vt nullus orbis non ingemuerit, nulla terra nesciuerit. Vnde in grandi mœrore positi, dissimulare non possumus pereuntium, atque nobis exigendarum discrimen animarum. Quapropter competens adhibenda est talibus medela vulneribus, ne curandi immatura facilitas, mortifera captis peste nihil prosit: sed segniùs tracta pernicies reatu non legitimæ curationis inuoluat sauciatos pariter & medentes. Inprimis itaque venientis ad nos & remedium postulantis, sollicitè discutienda est professio & persona decepti, vt medela possit congruens exhiberi, & qui satisfacturus Deo per pœnitentiam rebaptizatum se legitimè doluerit, vtrum ad hoc facinus concurrerit, an impulsus accesserit requiratur: sciens quòd se decipiat ipse qui fallit: nihílque per nostram facilitatem tribunalis excelsi iudicio derogari cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ iusta sunt: & aliter necessitas, aliter tractanda est ratio voluntatis: deterior est autem causa illius, qui fortè pretio sollicitatus est vt periret. Nihil intentatum enim reliquit inimicus, cui ne de sua liceat gaudere captura, succurrendum est irretitis, & conterendus est venantis laqueus, vt infucatum sine dolo lamentantibus lapsum tam iustitiæ moderatione, quàm compunctione pietatis ad aulam quam reliquerant, sit ingressus. Nec pudeat forsitan aut pigeat, in dictis ieiuniorum gemituúmque temporibus obedire, aut aliis obseruantiæ salubrioris obtemperare præceptis, quia humilibus datur gratia, non superbis. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis in Christo fieri quærit electus: & per dispensationis nostræ ministerium quod vestram sequi conuenit charitatem, nec alicui fas est vel velle, vel posse transcendere causam eius, qui contra Apostolicam doctrinam, iterationem infaustā baptismatis dedit: vel eius qui aliquibus argumentis excusandum callidè proprium putauerit esse consensum: sacerdotali vigore & humanitate tractemus, vt eius fides, quæ nisi vna, nulla est, adiutorio Domini iudicis, ad salutem sine nostræ properationis offensione, reparetur, quia cùm peccatoris à nobis satisfactio protrahitur: non præter nostram laudem atque lætitiam mens eius ad veniam purgatior inuenitur, & ideo memineritis hanc super his nos habere sententiam, vt seruata discretione peccantium non eadem cuncti qui lapsi sunt lance pensentur: quod maiori castigatione est exigendum: nostra cui in Domino commissa fuerit disciplina. Vt ergo ab Ecclesiæ summitatibus inchoëmus, eos quos Episcopos, vel Presbyteros, aut Diaconos fuisse constiterit, & seu optantes forsitan, seu coactos lauacri illius vnici salutarísque claruerit fecisse iacturam, & Christum, quem non solum dono regenerationis, verumetiam gratiâ percepti honoris induerant, exuisse: cùm constet neminem ad secundam tinctionem venire posse, nisi se palàm Christianum negauerit, & professus fuerit esse paganum, quod cùm generaliter in omnibus sit execrandum, multò magis in Episcopis, presbyteris & diaconibus auditu saltem, dictúque probatur horrendum: Sed quia idem Dominus atque Saluator clementissimus est, & neminem vult perire, vsque ad exitus sui diem in pœnitentia, (si resipiscant) iacere conueniet: nec orationi non modò fidelium, sed nec catechumenorum quidem omnimodis interesse. Quibus communio laica in morte reddenda est. Quam rem diligentius explorare vel facere, probatissimi sacerdotis cura debebit. De monachis autem & clericis, & puellis Dei aut sæcularibus seruari præcipimus hunc tenorem, quem Nicena synodus circa eos qui lapsi sunt, vel fuerint seruandum esse constituit, vt scilicet qui nulla necessitate, nullius rei timore atque periculo, se hæreticis vt rebaptizentur impiè dediderunt, si tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter audientes sint, septem verò annis subiaceant inter pœnitentes manibus sacerdotum, duobus etiam annis oblationes omnibus modis non sinantur offerre, sed tantummodo *popularibus in oratione socientur: nec confundatur Deo colla submittere, qui eum non timuit abnegare. Quòd si vtpotè mortales inter metas præscripti temporis cœperit vitæ finis vrgere, subueniendum est imploranti, & seu ab Episcopo qui pœnitentiam dederit, seu ab alio qui tamen datam esse probauerit, aut similiter presbytero, viaticum abeunti de sæculo non negetur. Pueris autem quibus quòd adhuc in veste sunt à puritate vocabulum est, seu clericis, seu laicis, aut etiam similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquandiu sub manus impositione detentis, reddenda communio est, nec eorum expectanda pœnitentia, quos excipit à coërtione censura. Quod est à nobis prouidè constitutum: ne hi quibus in terreni labe contagij plus minúsue restat ad vitam, dum adhuc in pœnitentia sunt, pœnitentiam committant. Quod si ante præfinitum tempus pœnitentiæ desperatus à medicis ob euidentia mortis indicia, recepta quisquam communionis gratia conualescit, seruemus in eo quod Niceni canones ordinauerunt, vt habeatur inter illos qui oratione sola communicant, donec impleatur spacium temporis eidem præstitutum. Nec catechumenos nostros qui sub tali confessione baptizati sunt præterimus: quia nō est causa dissimilis, sicut iidem sancti canones ordinarunt, eius qui quolibet modo Christum, quem semel confessus est, abiurarit, Tribus

De consf dist. 4. c. eos quos

* *sæcularibus.*

annis inter audiẽtes sint, & posteà cum catechumenis permittantur orare, per manus impositionem, communionis Catholicæ gratiam recepturi: exceptis tantummodo Episcopis presbyteris & diaconibus, quos solo mortis suę tempore reconciliandos esse iam diximus: cæteros, id est siue clericos, siue laicos, vel monachos sexus vtriusque personas, quos violentia & periculo coactos iterationem baptismatis subisse constiterit, vel qui aliquo *modo huius se facinoris piaculis dixerint non teneri, in pœnitentia per triennium durare decernimus, & per manus impositionem ad societatem recipi sacramenti, illo per omnia custodito, ne ex his vnquam qui in qualibet ætate alibi quàm in Ecclesia catholica baptizati aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus permittantur accedere. Quibus satis esse non debet, quòd in catholicorum numero sunt recepti: quomodo de suo ordine & communione videbitur ferre iudicium, quisquis hæc violauerit antistitum: vel qui non remouerit eum, quem ex his ad ministerium clericale obrepsisse cognouerit. Curandum verò maximè, & omni cautela est prouidendum, ne quis fratrum coepiscoporúmque nostrorum, aut etiam presbyterorum in alterius ciuitate, vel diœcesi pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se esse dixerit, sine Episcopi, vel presbyteri testimonio & literis, aut in parochia presbyter, aut Episcopus in ciuitate suscipiat. Quod aliqua simulatione neglectum, culpam tangit etiam clericorum, qui in locis in quibus hoc minus curatum fuerit, commorantur. His itaque ritè dispositis, & ad Ecclesiarum nostrarum notitiam nostra deliberatione perlatis parere vos conuenit. Quibus licet ad animarum reparationem nihil deesse videatur, tamen si cui aliquid noui & quod præterire nos potuit, reuelatum fuerit, secundùm beatum Paulum Apostolum tacente priore fideliter insinuet, quia spiritus vbi vult spirat, maximè cùm eius causa tractatur: nec nos pigebit audire, & si qua sunt omissa non arroganter abnuere, sed rationabiliter ordinare. Data est Iduum Martiarum die, Dinanuo, & Sibidio iiij. Coss.

*commento

1. q. 7. c. qui in qualibet ætate.

1. Cor. 14. Io. 3.

De eo qui per ignorantiam ordinatur antequàm baptizetur. Ex dictis Isidori Episcopi.

§ Cap. 294.

1 q. 1. si quis per ignorantiam, vide Ib. annotationem. Item de consd. dis. 4. c. romanus.

Si quis per ignorantiam ordinatur antequàm baptizetur, debent ab eo baptizati rebaptizari, & ipse non ordinetur, sed Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam credit baptismi, licet paganus sit qui baptizat.

De illis qui gratiam Sancti Spiritus vendere conantur. Ex Concilio Triburensi, cap. xxij. cui interfuit Arnulphus Rex. § Cap. 295.

1. q. 1. c. dictum est.

Dictum est solere in quibusdam locis pro perceptione chrismatis nummos dari, pro baptismo quoque & communione, hoc Simoniacæ hæresis semen est detestata sancta synodus, & anathematizauit, & vt de cætero nec pro ordinatione, nec pro chrismate, vel baptismo, vel pro balsamo, nec pro sepultura vel communione quicquam exigatur, sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur.

A quibus manus impositio perfici debeat. Vrbanus Papa omnibus Christianis, cap. vij.

§ Cap. 296.

Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.

De eadem, Eusebius Papa Episcopis per Campaniam & Tusciam, cap. ij. epistola iij.

§ Cap. 297.

Manus impositionis sacramentum magna authoritate tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab aliis quàm ab ipsis Apostolis legitur ac scitur peractũ esse, nec ab aliis, sicut iam dictum est, quàm ab ipsis qui eorum locum tenent, vnquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur ac vacuum, nec inter Ecclesiastica vnquam reputabitur sacramenta.

De cons. dis. 5. c. manus.

Item de eodem. Beda super Actus Apostolorum.

§ Cap. 298.

In cap. 8.

Philippus qui Samariæ euangelium prædicabat, vnus de septem diaconibus fuit. Si enim Apostolus esset, ipse vtique manum imponere potuisset, vt acciperent Spiritum sanctum. Hoc enim solis pontificibus debetur. Nam presbyteris siue extra Episcopum, seu præsente Episcopo, cum chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontes ex eodem oleo signare, quod solis Episcopis debetur, cùm tradunt Spiritum sanctum paracletum baptizatis.

De eodem Isidorus Etymologiarum, lib. vij. cap. xx.

§ Cap. 299.

Presbyteri licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent: quia nec chrismate frontem signant, nec Spiritum sanctum dant: quod solis Episcopis deberi, lectio Actus Apostolorum indicat.

Item de eodem: Rabanus de institut. cleric. lib. 1. cap. xxx. § Cap. 300.

Nouissimè à summo sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur baptizatis, vt roborentur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis, idem donum, quod ipsi in baptismate consecuti sunt, per gratiam, vitæ donati æternæ. Signatur enim cum chrismate baptizatus per Sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem verò in fronte: vt in priori vnctione significetur super ipsum Spiritus sancti descensio, ad habitationem Deo consecrandam. In secunda quoque vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis, & sciẽtiæ, & virtutis venire in hominem declaretur.

De cons. dis. 5. c. nouissimè.

Quid liceat Episcopo alterius Ecclesiam ingresso. Haimo super Deuteronomium.

§ Cap. 301.

Ingressus Episcopus alicuius Ecclesiam, potest ibi aliquos corrigere, vel etiam confirmare, totam autem plebem non licet ei disponere.

Ab uxore sua separari debere eum qui filiastrum suum, vel filiastram suam ante Episcopum ad confirmationem tenuerit. Capitularium libro v. cap. vij. ❡ Cap. 302.

Si quis filiastrum vel filiastram suam ante Episcopum ad confirmationem tenuerit, ab uxore sua separetur, & alteram non accipiat.

Non licet Confirmatum denuò confirmari. Gregorius ij. Bonifacio. ❡ Cap. 303.

Homini qui à Pontifice confirmatus fuerit: denuo talis rei iteratio prohibenda est.

Utrum separandus sit ab uxore sua qui filiastrum suum, vel filiastram suam coram Episcopo ad Confirmationem inscienter tenuerit. Nicolaus Papa Rudolpho Biturensi Episcopo.
❡ Caput 304.

30.q.1.c. de his qui. De his quis filiastros suos ad confirmationem coram Episcopo tenent, id est, qui filios uxoris suæ de priori marito dum chrismantur ab Episcopis super se sustinent, si inscienter ut asseritur fit, licet sit peccatum, tamen non usque ad separationem conjugij puniendum est. Lugeant tamen & digna pœnitentia hoc diluentes Domino dicant, Delicta ignorantiæ nostræ ne memineris.

Utrum separari debeant ab uxoribus suis, qui filios suos ex lauacro sancto suscipiunt. Ex decreto Desiderij Papæ, Deusdedit Gordiano episcopo. ❡ Cap. 305.

30 q.1.c. peruenit ad nos. Deusdedit sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedis Episcopus Gordiano Hispalensis Ecclesiæ coepiscopo & fratri charissimo. Peruenit ad nos Diaconus sanctitatis vestræ epistolam deferens, quòd quidam viri & mulieres præterito sabbato Paschali die præ magno populorum incursu nescientes filios suos suscepissent ex lauacro sancto. Cupis ergo scire si pro tali ratione accidenti debeant viri ac mulieres ad proprium usum redire, an non. Nos verò ex hac re mœsti, inquisiuimus priorum dicta. Inuenimus autem in archiuis huius apostolicæ sedis iam talia cõtigisse in Ecclesia Hisauriæ, Ephesiorum, simúlque Hierosolymæ, aliarum etiam Ecclesiarum Episcopis, & earum ciuitatum, ab hac Apostolica sede scire volentibus, vtrum viri ac mulieres redirent ad proprium thorum. Beatæ memoriæ sanctissimi patres Iulius, Innocentius, & Cælestinus cum Episcoporum plurimorum & sacerdotum consensu in Ecclesia beati Apostolorum principis, prohibentes talia perscripserunt & confirmauerunt, vt nullo modo coniugio se reciperent mulieres ac viri quicunque aliqua ratione susceperint natos suos, sed separarent se, ne suadente diabolo tale vitium inolescat per mundum. Scitis quia quomodo sunt septem dona Spiritus sancti: ita sunt septem dona baptismi. A primo ergo pabulo salis sacramenti & ingressu Ecclesiæ, vsque ad confirmationem per chrisma, hoc est à primo vsque ad septimum, nullus Christianus suam commatrem in coniugium suscipere debet, & qui præsumpserit, tandiu anathematis vinculo religetur, donec pœnitentiam dignè egerit.

Item de eodem Ioannes Anselmo Lemozinæ Ecclesiæ Episcopo. ❡ Cap. 306.

Ad limina beatorum Petri & Pauli apostolorum principum, hic præsens homo nomine Stephanus orationis causâ veniens, nostro Præsulatui suggerendo innotuit: quòd filium suum in extremo vitæ positum, nec baptismatis vnda lotum, absentia scilicet sacerdotum necessitate cogente baptizasset, eúmque proprijs manibus retinendo susceptisset. Atque pro huius rei negotio notitiæ tuæ patefacto reuerentia tua quasi zelo rectitudinis flagrans præfatum hominem à sua iudicauerit coniuge separandum, quod fieri nullatenus debet, dicente scriptura: à Deo iunctam esse viro uxorem: & quod Deus iunxit, homo non separet. Vnde & Dominus in Euangelio ait: Nemo dimittere potest vxorem suam, nisi causâ fornicationis. Quaprópter & nos tantæ authoritatis iussione præcipuè freti, dicimus omittendum esse & inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit. Nam baptizandi hoc opus etiam laicis fidelibus iuxta canonicam sanctionem, si necesse fuerit facere liberè conceditur. Vnde si supradictus genitor filium suum corpore morientem adspiciens, ne animam morte perpetua pereuntem dimitteret, sacri vndâ baptismatis lauit, & eum de potestate authoris mortis & tenebrarum eripuit, & in regnum Christi iam regeneratum indubitanter misit, benè fecisse laudatur: & idcirco suam vxorem sibi iam olim optimè sociatam, impunè quamdiu vixerint iudicamus manere coniunctam: neque ob hoc contra præfatas authoritates diuinas aliquatenus separari debuisset.

30.q.1.c ad limina.

Prou. 19. iuxta 70.

Matth. 19.

Non licere aliquem filiastram patris sui in matrimonium ducere, & si duxerit separari debere. Zacharias Papa Theodoro Ticinensi Episcopo.
❡ Cap. 307.

Zacharias Episcopus seruus seruorum Dei, reuerendissimo & sanctissimo fratri Theodoro Episcopo Ecclesiæ Ticinensi. Pytacium nobis tua reuerenda fraternitas obtulit, per quod nos sciscitari curasti, si liceat filium, cuius pater alterius filiam ex sacro fonte susceptam, id est spiritualem eiusdem patris filiam, (quod dici crudele est) in matrimonio accipere, quod apud te enormiter asseruisti contigisse. Sed benè tua sancta fraternitas compertum habet, quòd Dominus Moysi præcepit dicens: Turpitudinem patris tui ne reueles: & turpitudinem matris tuæ non reuelabis: turpitudinem sororis tuæ non reuelabis, turpitudo enim tua est. Turpitudinem enim non reuelare dicitur: dum à propria consanguinitate præcipimur abstinere: multò magis à spirituali patris nostri filia omni occasione, aut argumento seposito sub nimia districtione nos cauere conuenit, ne iram diuini examinis incidat, si quis tali facinori mixtus minimè restrinxerit fræna luxuriæ. Vnde & omnes omnino cauendi sunt à talis sceleris commixtione, ne in æternum pereant. Sed hunc qui huius perniciosæ temeritatis animæ suæ salutem despicientes impio se miscuerunt matrimonio, per omnia tua fraternitas studeat separare, & pœnitentiæ dignè submittere, quatenus ab æterna eruti damnatione animas eorum lucreris præstante Domino. De filijs autem qui ex eis nati esse probantur retulisti si liceat eos coniugio copulari. Sed hi cur prohibeantur à coniugio, aut pro huiusmodi pœnitentiam agere compellantur, dum ex hoc absque damnatione esse perhibentur: quia non pater pro filio, neque filius pro patre sustinebit tormenta, dicente Do-

30. q. 3. c. Pytacium.

Leui. 18.

mino per prophetam: Anima patris mea est, & anima filij mea est, anima quæ peccauerit ipsa morietur. Sed & frater charissime de his dixisse sufficiat. Caue autem ne aliter agere subiectis concedas; ne à recto tramite inueniaris deuiare. *Ezech. 18.*

Quod in baptismo non aqua mundat, sed verbum. Augustinus super Ioannem, homilia xxvj.

§ CAP. 308. *Tract 80.*

Dominus dixit discipulis suis: Iam vos mundi estis, propter verbum quod locutus sum vobis. Quare non ait mundi estis propter baptismum, quo abluti estis, sed ait propter quod locutus sum vobis, nisi quia & in aqua verbum mundat. *Ioan. 13.*

Apostolos baptizatos fuisse. Augustinus in epistola ad Seleucium. cviij. § CAP. 309. *De cons. dist. 4. c. quando.*

Quando ab Hierosolymis exiit Dominus Iesus, cum discipulis suis in Iudæam terram, & ibi morabatur cum eis, baptizabat non per seipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus iam fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis sicut nonnulli arbitrantur: siue (quod magis credibile est) baptismo Christi. Item respondit Dominus Petro: Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Vnde intelligitur quod iam fuerit baptizatus Petrus. *Ioan. 13.*

De eodem. Augustinus ad Vincentium victorem. *Lib. 3. de anima & eius origine cap. 9. de cons. dist. 4. c. si eos.*

§ CAP. 310.

Si eos de quibus scriptum non est vtrum fuerint baptizati, sine baptismo de hac vita recessisse contendimus, ipsis calumniamur Apostolis: qui præter Paulum apostolum, quando baptizati fuerint ignoramus. Sed ipsos baptizatos esse per hoc nobis innotescere potuit, quod beato Petro Dominus ait: Qui locus est, non indiget nisi vt pedes lauet.

Diuites baptizatos non priuari regno Dei. Augustinus ad Paulinum Nolanum episcopum de Pelagio. § CAP. 311. *Epist. 106.*

Confiteatur Pelagius diuites baptizatos, etiamsi diuitiis suis non careant, & sint tales, quales ad Timotheum scribit Apostolus dicens: Præcipe diuitibus huius sæculi non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Domino viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: vt sint diuites in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futuro, vt apprehendant vitam æternam, nec eos regno Dei posse priuari. *1. Tim. 6.*





D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI,

DECRETI PARS SECVNDA.

DE SACRAMENTO CORPORIS & sanguinis Domini: & de perceptione, & obseruatione: De Missa, & aliorum Sacramentorum sanctitate.

L. 20. contra Faustum c. 13.

QVOD PANIS ET CALIX NON QVALIBET SED CERTA consecratione fit corpus Christi. Augustinus in libro de Catechizandis rudibus. cap. 1.

CAPVT PRIMVM.

Grat. de consecr. dist. 2. cap. panis & calix.



ANIS & Calix, non qualibet sed certà consecratione, mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit nobis, quamuis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis, nisi quòd benedicimus gratiásque agimus Domino, in omni eius munere, non tantùm spiritali, verùm etiam corporali. *Item ex sermone de sacramentis.* Quia passus est pro nobis commendauit nobis in isto sacramento sanguinem suum & corpus, quod etiam fecit nosmetipsos. Nam & nos corpus ipsius facti sumus, & per misericordiam ipsius, quod accepimus, nos sumus. Recordamini, & vos non fuistis, & creati estis, ad aream Dominicam comportati estis, laboribus boum, id est annuntiantium Euangelium, triturati estis. Quando Catechumeni deferebamini, in horreo seruabamini, nomina vestra dedistis, cœpistis moli ieiuniis, & exorcismis: postea ad aquam venistis, & conspersi estis, & panis dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. Quomodo ergo vnum videtis esse quod factum est, sic & vos vnum estote diligentes vos, tenendo vnam fidem, vnam spem, indiuiduam charitatem. Hæretici quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt: quia illi quærunt diuisionem, cùm panis iste indicet vnitatem. Sic & vinum in multis racemis fuit, & modò vnum est. Vnum est in sua natiuitate, calix post pressuram torcularis; & vos post illa ieiunia, post labores, post humilitatem & contritionem, iam in nomine Christi tanquam ad calicem venistis, & ibi vos estis in mensa, & in calice nobiscum vos estis, simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul viuimus. *Item in sermone de infantibus.*

de cons. dist. 2. c. quia passus est.

Ibidem. Gratianus.

Ita Dominus noster IESVS CHRISTVS nos significauit, nos ad se pertinere voluit. Mysterium pacis & vnitatis nostræ in mensa sua consecrauit. Qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Nulli est ambigendum aliquatenus, vnumquemque fidelium corporis sanguinísque Dominici tunc esse participem, quando in baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis, calicísque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat calicémque bibat, de hoc sæculo migrauerit, in vnitate corporis Christi constitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando in se hoc, quod illud sacramentum significat, inuenitur.

Petr. Lom. li. 4. dist. 9. §. 4.

Cap. 20. *Item ex libro de ciuitate Dei x.* In forma serui maluit Dominus esse sacrificium quàm sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ, per hoc, & sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum voluit Ecclesiæ esse sacrificium, quæ cum capitis ipsius sit corpus, se ipsam per ipsum discit offerre.

Quod manna à patribus sumptum non liberauit à morte, sed qui figurabatur in manna: in sermone de vtilitate agendæ pœnitentiæ. cap. j.

¶ Cap. 2.

Manna de cœlo (inquit) apertè ab ipso Domino exponitur: Patres vestri (inquit) mannũ manducauerat in deserto & mortui sunt. Quando enim viuerent, figura prænunciare vitam posset, vita esse non posset. Mauducauerunt (inquit) manna & mortui sunt: id est, manna quod manducauerunt, non eos potuit de morte liberare, non quia manna ipsum mors illis fuit, sed quia à morte eos non liberauit. Ille autem à morte eos liberaturus erat, qui per manna figurabatur. Breuiter ergo dixerim, quicunque in manna Christum intellexerunt, eundem quem nos, cibum spiritualem manducauerunt.

Ioan. 6. Exod. 16. Num. 11.

Quamuis res visibiles Sacramentorum corrumpantur, non tamen id quod per eas agitur, corrumpi posse. In libro de vnico baptismo.

¶ Cap. 3.

An verò (inquit) solis, vel etiam lucernæ lux cùm per cœnosa diffunditur, nihil inde sordidum attrahit, & baptismus Christi potest cuiusquam sceleribus inquinari? Si enim ad res ipsas visibiles quibus ipsa sacramenta tractantur animũ conferamus, quis nesciat eas esse corruptibiles? Si autem ad id quod per eas agitur, quis non videat non posse corrumpi? quamuis homines per quos agitur, pro suis moribus vel præmia percipiant vel pœnas luant.

Non mentiri eum qui dicit Christum impaßibilem & immortalem quotidie in sacramento immolari, & quomodo intelligendum sit sacramentum corporis Christi, corpus Christi esse. In Epistola Augustini ad Bonifacium Episcopum.

Epistola 23. ¶ Cap. 4.

De consf. dist. 4 c queris, sub finem. Ecce facio (inquit post multa) quantùm possum. Dominus adiuuet, vt quod postulas possim. Nempe sæpe ita loquimur, vt Pascha appropinquante dicamus crastinam vel perendinam Domini esse passionem, cùm ille ante multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe ipso die dominico dicimus, Dominus hodie surrexit, cùm ex quo resurrexit tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est, vt nos ita loquentes arguat esse mentitos? nisi quia dies istos secundùm illorum quibus hæc gesta sunt similitudinem nuncupamus, vt dicatur ipse est dies, qui non est ipse, sed reuolutione temporis similis ei, vt dicatur illo die fieri propter sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed olim factum est. Nonne semel immolatus est Christus in semetipso, & tamen in sacramento non solùm per omnes paschæ solennitates, sed omni die populo immolatur, nec vtique mentitur, qui interrogatus eum respondet immolari. Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque iam sacramenta ipsarum rerum nomina accipiunt. Sic ergo secundùm quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est, ita sacramentum fidei, fides est.

In libro de pœnitentiæ remedio. Hoc (inquit) Cap. 7. altare quod nunc in Ecclesia est in terra positũ, terrenis oculis expositum, ad mysteriorum diuinorum signacula celebranda, ad hoc multi etiã scelerati possunt accedere, cùm Deus commendat in hoc tempore patientiam suam, vt in futuro exerat seueritatem suam. Vt quid paras Tract 26. in Ioannem (inquit beatus Augustinus in expositione Euan- de consf. dist. 2. c. vt quid gelistæ) dentes & ventrem? Credere in eum, paras, & hoc est manducare panem viuum, qui credit in P. Lom. lib. eum, manducat eum. Inuisibiliter saginatur, 4. dist. 9. § a quia inuisibiliter renascitur. Infans intus est, Ioan. 13. nouus est intus, vbi nouellatur, ibi satiatur. Non enim buccella Domini, venenum fuit Iudæ, quam cùm accepit, inimicus in eum intrauit, non quia malum accepit, sed quia bonum malus malè accepit. Videte ergo fratres panem cœlestem, spiritualiter manducate, innocentiã ad altare apportate: peccata & si sunt quotidiana, non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis attendite quid dicatis: Dimitte nobis Matth. 6. debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Dimittas dimittetur tibi. Securus accede, panis est non venenum. Hic panis est, qui descendit de cœlo. Hunc panem significat manna: hunc panem significat altare Domini. Sacramenta illa fuerunt, in signis diuersa sunt, in re quæ significatur paria sunt. Omnes (inquit) eandem escam spiritualem manducauerunt, spiritualem vtique eandem. Nam corporalem aliam, quia illi manna, nos aliud, spiritualem verò eandem, quam nos, adiungit. Et omnes eundem potum spiritualem biberunt: aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen hoc idem est virtute spirituali. Quomodo Num. 9. enim eundem potum? bibebant, inquit, de spi- Exod. 13. 14. 16. 17. rituali consequente eos petra, petra autem erat Num. 20. Christus, idem potus, idem panis. Petra Chri- 1. Cor. 10. stus in signo, verus Christus in carne & verbo. Ioan. 6. Hic est ergo panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur, quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum: qui manducat intus, non foris: qui manducat corde, non qui premit dente. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Hanc ergo non habet qui istum panem non mãducat, nec istum sanguinem bibit. Nam temporalem vitam sine illo, homines habere possunt. Qui ergo eius non manducat carnem, nec bibit eius sanguinem, non habet in se vitam: & qui manducat eius carnem, & bibit eius sanguinem, habet vitam æternam. Ad vtrumque autẽ respondet, quod dixit æternam. Hunc ergo cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est Ecclesiã sancta. Huius rei sacramentum, id est vnitatis, corporis Christi & sanguinis, alicubi quotidie alicubi certis interuallis dierum, in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur: aliquibus ad vitam, aliquibus ad exitium. Res verò ipsa cuius sacramentum, omni homini ad vitam, nulli homini ad exitium, qui-

Ex epistola conc. Ephesini ad Nestorium.

cunque participes eius fuerint. *In symbolo Ephesini Concilij* Necessariò, inquiunt, & hoc adijcimus, annunciantes enim secundùm carnem mortem vnigeniti filij Dei, & resurrectionem, incruentam celebremus sacri officij seruitutem. Sic enim ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes, quod absit, nec viri sanctificati, & verbo coniuncti, secundùm dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem, sed verè viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus existens, qua propriæ carni vnitus, & viuificatricem professus est, & ideò quamuis dicat: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non tamen vt hominis cuiusquam existimare debemus. Quomodo enim iuxta naturam suam viuificatrix esse poterit caro hominis? Sed vt verè eius propriam factam, qui propter nos filius hominis factus est, & vocatus. In actione pœnitentiæ vbi tale commissum est, vt is qui commisit à Christi etiam corpore separetur: non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum non despicit Deus. *Hilarius in libro de Trinitate.* Eos inquiens qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt vnitatem, nec interrogo vtrúmne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit: an per concordiam voluntatis. Si enim verè verbum caro factum est, & verè verbum carnem cibo Dominico sumimus: quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est: qui & naturam carnis nostræ, iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis nostræ ad naturam æternitatis, sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes vnum sumus: quia & in Christo pater est, & Christus in nobis, vnum in his esse nos faciunt. Si verè ergo carnem corporis nostri Christus assumpsit: & verè homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nósque verè sub mysterio carnem corporis sumimus, & per hoc vnum sumus, quia pater in eo est, & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas asseritur, cùm naturalis per sacramentum proprietas, perfectæ sacramentum sit vnitatis? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus agendum, neque per violentiam, atque imprudentem prædicationem cœlestium dictorum, sanitati alienæ, atque impiæ intelligentiæ, extorquenda peruersitas est. Quæ scripta sunt legamus, quæ legimus intelligamus: & tunc perfectè fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stultè atque impiè dicemus. Ipse enim ait: Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis, non est relictus ambigendi locus. Nunc enim ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis est, & hæc accepta, atque hausta id efficiunt, vt nos in Christo, & Christus in nobis sit. An ne hæc veritas non est? Contingat planè iis verum non esse, qui Christum IESVM verum Deum esse negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eo, dum secundùm hoc quod nos sumus, in Deo est. Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quòd in nobis carnalibus manentem, per carnem Christum habemus, victuris

Ioan. 6. — Aug. in Enchiridio. ca. 65. Gra. de pœni. dist. 1. cap. in actione. P. Lomb. l. 4. dist. 20. §. c. — Psal. 50. — Ioan. 1. — Ioan. 6.

nobis per eum, ea conditione qua viuit ipse per patrem. Si ergo nos naturaliter secundùm carnem per eum viuimus, id est, naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundùm spiritum in se patrem habeat, cùm viuat ipse per patrem? *Eusebius Emisenus. Ex sermone de corpore, & sanguine Domini.* Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis & illaturus sideribus, necessarium erat, vt die cœnæ sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret: vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretiũ, vt quia quotidiana, & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset redemptionis oblatio, & perennis victima illa viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Verè vnica & perfecta hostia fide æstimanda, non specie, neque exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Vnde cœlestis confirmat authoritas: quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum: quandoquidem qui author est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam & inuisibilis sacerdos, visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens. Accipite & comedite. HOC EST CORPVS MEVM: & sanctificatione repetita, Accipite & bibite; Hic est sanguis meus. Ergo ad nutum præcipientis Domini, repentè, ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum. Pari potentia in spiritualibus sacramentis vbi præcipit virtus, seruit effectus. Quanta itaque, & quàm celebranda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur: & quomodo tibi nouum & impossibile esse non debeat, quòd in Christi substantiam terrena & mortalia conuertuntur, teipsum qui in Christo es regeneratus interroga. Dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via, intrinsecus mortuus, exulabas: subitò initiatus Christi legibus, & salutaribus mysteriis innouatus, in corpus Ecclesiæ non videndo, sed credendo transisti: & de filio perditionis adoptiuus Dei fieri occulta puritate meruisti. In mensura visibili permanens, maior factus es te ipso inuisibiliter, sine quantitatis augmento. Cùm idem atque ipse esses, multò aliter fidei processibus extitisti. In exteriore nihil additum est, & totum in interiore mutatum est: ac sic homo Christi filius effectus, & Christus in hominis mente formatus est. Sicut ergo sine corporali sensu præterita vilitate deposita, subitò nouam indutus es dignitatem: & sicut hoc quòd Deus læsa vitæ curauit, infecta diluit, maculata detersit, non oculis tuis, sed sensibus tuis sunt credita: ita & cùm reuerendum altare cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus, & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè totum haustu interioris hominis assume.

De cons. dist. 2. c. quia corpus, & lib. 4. sententiarum. dist. 8. §. 6. — Gen. 1.

Panem quem Dominus fregit, & dedit discipulis suis, esse corpus Domini saluatoris: & calicem quem porrexit eis, esse sanguinem eius, & quomodo intelligi debeat Caro & sanguis Christi. Hieronymus ad Edibiam.

§ CAP. 5. — Quæst. 2.

Nos autem audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis suis, esse corpus Domini saluatoris: ipso dicente ad eos, Accipite

Matth. 26. Mar. 14.

& comedite, Hoc est corpus meum, & calicem illum esse, de quo loquutus est iterum: Bibite ex hoc omnes; Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hic est calix de quo in Propheta legimus, Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Et alibi: Et calix meus inebrians, quàm præclarus est. Si ergo panis qui de cœlo descendit corpus Domini est, & vinum quod discipulis dedit, sanguis est illius noui testamenti, qui effusus est in remissionem peccatorum, Iudaicas fabulas repellamus, & ascendamus cum Domino cœnaculum magnum stratum atque mundatum, & accipiamus ab eo sursùm calicem noui testamenti, ibique cum eo Pascha celebrantes, inebriemur vino sobrietatis. Non enim est regnum Dei esca & potus: sed iustitia, & gaudium, & pax in Spiritu sancto. Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus IESVS ipse conuiua, & conuiuium est: ipse comedens, & qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus: & quotidie in sacrificiis eius de germine vitis veræ, & vineæ Sorech, quæ interpretatur electa, rubentia musta calcamus, & nouum ex his vinum bibimus in regno patris: non in vetustate literæ, sed in nouitate spiritus, canentes canticum nouum, quod nemo potest canere, nisi in regno Ecclesiæ, quod est regnum patris. *Item in Epistolam ad Ephesios.* Dupliciter (inquit) intelligitur caro Christi, & sanguis in Ecclesia, vel spiritualis illa atque diuina, de qua ipse ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: & nisi manducaueritis carnem meam, & sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam æternam, vel caro quæ crucifixa est, & sanguis qui militis effusus est lancea. *Item in Esaiam. in ca. 66.* Secundùm Tropologiam possumus dicere, omnes voluptatum amatores magis quam Dei sanctificari in hortis & liminibus, quia mysteria veritatis non valent introire: & comedunt cibos pietatis, dum non sunt sancti & corpore & spiritu; nec comedunt carnem Iesu, nec bibunt sanguinem eius, de quo ipse loquitur: Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Etenim pascha nostrum immolatus est, Christus qui non foris sed in domo vna & intus comeditur. *Item in quadam homilia super Leuiticum. cap. xiij.* His ex authoritate Euangelica atque Apostolica comprobatis, vide quomodo vnusquisque vel mundus, vel immundus possit ostendi. Omnis homo habet in se aliquem cibum, quem accedenti ad se proximo suo præbeat. Non enim fieri potest, vt cùm accesserimus ad inuicem nos homines, & conseuerimus sermonem, non aliquem ex interrogatione vel ex responsione, velut ex aliquo gustu, aut capiamus, aut præbeamus cibum: & siquidem quem bonæ mentis gustu capimus, mundum sumimus cibum, si verò immundus est quem contingimus, immundum. Vnde Apostolus de talibus dicit: cum huiusmodi nec cibum sumere. Et vt tibi euidentius hæc patescant, de maiori sumamus exemplum, vt inde ad inferiora veniamus. Dominus ait: Nisi manducaueritis carnem meā, & sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam: Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, quia omne opus eius sanctum est, & omnis sermo eius verus. Carnibus enim, & sanguine agni tanquam cibo mūdo & potu, potatur & reficitur omne hominum genus. Secundo loco post illius carnem mundus cibus est Petrus & Paulus, & omnes Apostoli. Tertiò Discipuli eorum, & sic vnusquisque pro meritorum puritate proximo mundus fit cibus. Hoc qui audire nescit, auertit forsitan auditum secundùm eos qui dicebant: Quis potest eum audire? Sed si filij estis Ecclesiæ, si Euangelicis imbuti mysterijs, si Verbum caro factum, habitat in vobis, agnoscite quæ dicimus quia Domini sunt: ne qui ignorat ignoretur. Agnoscite quia figuræ sunt, quæ in diuinis voluminibus scriptæ sunt: ideo tanquam spirituales, & non carnales, intelligite quę dicuntur. Si enim tanquam carnalia ista suscipitis, lædunt vos non alunt. Est enim & in Euangelijs litera quæ occidat. Non solùm in veteri testamento litera occidens deprehenditur, est & in nouo testamento litera quæ occidat eum, qui non spiritualiter aduertit. Si enim secundùm literam sequaris hoc ipsum quod scriptum est: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem: occidit hęc litera. Vis & tibi aliam proferri de Euangelio literam quæ occidit? Qui nō habet gladium (inquit) vendat tunicam suam, & emat gladium. Ecce hæc litera euangelium est: sed occidit. Si verò eam spiritualiter intelligas, non occidit, sed spiritus viuificans est in ea: & ideo siue in lege, siue in Euangelijs, quæ dicuntur spiritualiter suscipe, spiritualiter diiudica. Vt ergo diximus, omnis homo aliquem habet in se cibum, ex quo qui sumpserit siquidem bonus est, & de bono thesauro profert bonum, mundum cibum prębet proximo suo. Potest enim quis innocens & rectus corde, mūdum videri animal, & præbere audienti se mundum cibum, tanquam ouis, quæ est animal mundum, similiter & in cæteris. Et ideo omnis homo cùm loquitur proximo suo, siue prodest ei ex sermonibus, siue nocet, mundum ei aut immundum efficitur animal, ex quibus vel mundis vtendum est, vel immundis præcipitur abstinendum. Si secundùm hunc intellectum dicamus summum Deum leges hominibus promulgasse, digna videbitur humana maiestate legislatio. Si verò assideamus literæ, & secundùm quod vel Iudæis, vel vulgò dicitur, accipiamus quæ scripta sunt, erubesco confiteri Deum tales leges dedisse. Videbuntur enim magis elegantes leges hominum, verbi gratiâ, Romanorum, Atheniensium, Lacedæmoniorum.

Psal. 115. Psalm. 22. Rom. 14. Rom. 7. Apoc. 14. De consf dist. 2. c. dupliciter, & P. Lom. lib. 4. dist. 8. c. Ioan. 6. 1. Corint. 5. 1. Cor. 5. Ioan. 6. Ioan. 1. 1. Corinth. 14. 2. Corinth. 3. Ioan. 6. Lucæ 22.

Quod in lege fuerit vmbra, in Euangelio veritas: & quòd deuoto animo, & cum timore ad communionem sit accedendum. Ambrosius in libro de Officiis. cap. 14. ¶ CAP. 6.

Illa igitur sunt nobis expetēda, in quibus veritas est. Hîc vmbra, hîc imago est, illic veritas, vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cælestibus. Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nūc offertur Christus, sed quasi homo offertur: quasi recipiens passionē: & offert se ipse quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat, hîc in imagine, ibi in veritate. Ibi apud patrem quasi aduocatus pro nobis interuenit. *Item in Epistolam ad Corinthios* Deuoto animo, & cum timore accedendum ad communionem docet, vt sciant omnes se reuerentiam debere ei, ad cuius corpus sumendum accedunt. Hoc enim debent apud se iudicare, quia Dominus est cuius in ministerio sanguinem potant. *Item in Epistolam ad Hebræos.* Sed in ista carne ac sanguine nil cruen-

In priorem ad Corinth. cap. 59. In 5. caput.

tum, nil corruptibile mens humana concipiat: sed viuificatricem substantiam, atque saluatricem in pane & vino, per quæ si dignè sumuntur, nobis est remissio peccatorum collata. *Item in eandem.* Vna est Ecclesiæ hostia, illi autem multæ sunt. Propter hoc enim nec fortes erant quia multæ. Quid autem opus erat multis dic mihi, vna sufficiente? Proinde quòd multæ offerebātur, ostendit eos nunquam purgari, sicut medicamentum forte, & valens, & efficax, cunctam repellit valetudinem. Si ergo semel impositum totum operatum fuerit, ostendit virtutem, vt non vlteriùs apponatur. Si verò semper apponitur, manifestum indicium est, minùs illud præualuisse medicamentum, virtus quippe illius est, vt semel apponatur & non frequenter, sicut etiam hîc. Si enim ab omnibus essent liberati peccatis, nequaquam per singulos dies offerret quis sacrificia. Proinde peccati commemoratio fuit, non absolutio, quia quotidie eisdem purgantur hostijs, etiam ipsi sacerdotes, & populus pariter. In Christo è contrario semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus, sed ad recordationē mortis eius, & vna est hostia, non multæ. Quomodo vna & non multæ? Quia semel oblatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius, idipsum semper idipsum, proinde vnū hoc est sacrificium, alioquin, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi? Nequaquam sed vnus vbique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus. Sicut enim quod vbique offertur, vnum corpus est, & non multa corpora: ita & vnum sacrificium. Pontifex autem ille est, qui hostiam obtulit nos inundantem. Ipsam verò offerimus etiam nunc, quæ tunc oblata cōsumi non potest. Quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum est. Hoc enim facite (ait) in meam commemorationem, non aliud sacrificium, sed ipsum semper offerimus, magis autem sacrificij recordationē operamur. Vnde etiam beatus Augustinus in decimo libro de ciuitate Dei eisdem verbis penè inquit. Dona eius in nobis, nosque ipsos vouemus, & reddimus, & beneficiorum eius solemnitatibus, festis, & diebus statutis dicamus, sacramúsque memoriam ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio. Vnde etiam in Psalmo 80. fratribus ait: Ecce innouauit nos Christus, donauit omnia peccata, cùm non obliuiscimur munus saluatoris. Nonne Christus quotidie immolatur? & semel pro peccatis immolatus est. Cum credimus, ecce cogitatio. Ex ipsius reliquijs cogitationis quotidie nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innouet, quia primâ gratiâ suâ nos innouauit.

In 10 cap. — *De cons. dist. 2. c. in Christ. P. Lom l. 4. sen. dist. 12. §. g.* — *August.*

Quod Christum lapidat, qui audire non potest, Ego & pater vnum sumus: sicut Iudæi hoc audientes tulerunt lapides, vt lapidarent eum. Et quod diuinitas in suæ veritatis claritate videri non potest. Ambrosius in ij. de Spiritu sancto.

Cap. 18.

¶ CAP. 7.

Iudæi audientes: Ego & Pater vnum sumus, tulerunt lapides, vt lapidarent eum. Qui hoc audire non potest Iudæus est: qui hoc audire non potest lapidat Christum omni caute asperioribus perfidiæ suæ saxis, & si mihi creditis, vulnerat Christum. Nam etsi ille vulnus iam sentire non possit, nunc enim secundùm carnem iam non nouimus Christum, tamen Arrianorū impietate lapidatur, qui Ecclesiæ pietate litatur. De hac litatione sanctus Ioannes in Epistola: Et misit (inquit) filium suum litatorem pro peccatis nostris. *Item in sermone de Abel & Cain.* Denique Spiritus sanctus in specie colūbæ visus est, quia videri diuinitas in suæ veritatis claritate non poterat. Noli igitur, & tu secundùm naturam interpretari, quod præter naturam diuinitatis est. Nam & si credas, à Christo carnem fuisse susceptam, & offeras transfiguratum corpus altaribus, non distinguas tamē naturam verbi & corporis, & tibi dicitur: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. *Item in libro de Mysterijs initiandis.* Vera autem caro Christi, quę crucifixa, quæ sepulta est, verè illius carnis sacramentum verum est. *Item in eodem.* Ante benedictionem alia species nominatur, post benedictionem corpus significatur. *Item.* In illo sacramento Christus est. *Item.* Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum. *Item.* Non est esca ista corporalis. *Item.* Non est iste panis qui in corpus vadit. *Item.* Esca ista vitæ æternę substantiam subministrat. *Item.* Talibus Ecclesiam pascit, quibus animę firmatur substantia. *Item.* Denique cor nostrum esca ista confirmat, & vinum hæc lætificat cor. *Item.* Vidisti sacramenta super altare posita, & ipsam miratus es creaturā, creatura tamen solennis & nota. *Item* Si tanta vis est in sermone Christi, vt inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur. *Item.* Sicut similitudinem mortis bibisti, ita similitudinē pretiosi sanguinis bibis. *Item.* Fac nobis hanc oblationem acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini. *Item.* Figura corporis, altare est. *Item.* Ne horror cruoris esset, ideo in similitudinem accipis sacramentum. *Item.* Offerimus tibi immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum. *Item.* Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quia iam corpus Christi est. *Item.* Præueni in maturitate. Plures filios habuit Abraham, nullum alium ablactauit, in hoc solo dicitur fecisse epulum magnum, & benè magnum, quia tempus erat eius, quem semper epulantur corda sanctorum. *In libro de Trinitate ad Gratianum.* Absit vt se quisque tali impietate maculet, vt dicat frequenter creari Spiritum sanctum, aut vnquàm creari. Cur enim creari videatur frequenter non intelligo, & nisi eum mori credam frequenter, & frequenter recreari. *Item in Epistolam ad Corinthios.* Quia morte Domini liberati sumus. Huius rei memores, in edendo & potando carnem & sanguinem Domini quæ pro nobis oblata sunt, significamus. *Item in eodem cap.* Beneficij diuini sanguis testis est, in cuius typum nos calicem mysticūm ad tuitionem corporis & animæ percipimus. *Dominica quinta post Theophaniam.* Singuli accipiunt Christum dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis. *Beatus Hilarius.* Corpus Domini Christi quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum extra videtur: veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate interiùs creditur. *Ambrosius de sacramentis.* Non igitur humani sed diuini est muneris sacramentum quod acci-

Ioan. 10. — *2. Corinth. 5.* — *1. Ioan. 4.* — *Cap. 9. de cons. dist. 2. c. ante benedictionem de sacramentis li. 4. c. 5.* — *De myster. initian. c. 9. lib. 4 cap. 3.* — *lib. 4. de sacra. cap 4. cap. 5.* — *lib. 4. de sacra. cap 1. lib. 4 cap. 6.* — *lib. 4. cap. 5.* — *Item Ambr. l. 2. de spiritu sancto cap. 7. cap. 58. de consecr. dist. 4. c. quia morte.* — *de cons. dist. 2. c. Singuli P. Lomb. li 4. d. 12. §. e. de cons. dist. 2 c. corpus Christi.* — *De Mysterijs initiandis cap. 8.*

pis, ab eo prolatum, qui benedixit fidei patrem
Abraham illum, cuius gratiam, & gesta miraris.
Probatum est antiquiora esse Ecclesiæ sacramē-
ta, nunc cognosce potiora. Reuera mirabile
quòd manna Deus plueri t patribus, & quoti-
Psal.77. diano cœli pascebantur alimento. Vnde dictū
Exod. 16. est: Panem angelorum manducauit homo; sed
Numer. 10. tamen panem illum qui manducauerunt, omnes
Ioan. 6. Cap. 9. in deserto mortui sunt. Ista autem esca quam
accipis, iste panis viuus, qui de cœlo descendit,
vitæ æternæ subministrat substantiam: & qui-
cunque hunc manducauerit non morietur in-
æternum, & corpus est Christi. Considera nunc
vtrum præstantior sit panis angelorum, an caro
Christi, quæ vtique corpus est vitæ. Manna il-
lud de cœlo, hoc supra cœlum. Illud cœli hoc
Exod. 16. Domini cœlorum: illud corruptioni obnoxium,
si in diem alterum seruaretur, hoc alienum ab
omni corruptione. Quod quicumque religiosè
gustauerit, corruptionem sentire non poterit.
Exod. 17. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis ex Chri-
sto. Illos ad horam satiauit aqua, te sanguis di-
luit in æternum. Iudæus bibit & sitit, tu cum
biberis sitire non poteris: & illud in vmbra, hoc
in veritate. Si illud quod miraris vmbra est, quā-
tum istud est, cuius & vmbram miraris? Audi
quia vmbra est, quæ apud veteres facta est.
1. Corinth. 10 Bibebant, inquit, de consequente petra, petra
autem erat Christus. Sed non in pluribus bene-
placitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto.
Hæc autem in figura facta sunt nostri. Cogno-
uisti præstantiora. Potior est lux quàm vmbra,
veritas quàm figura, corpus authoris, quā man-
na de cœlo. Fortè dicas, aliud video, quomodo
tu mihi asseris quod corpus Christi accipiam?
Et hoc nobis adhuc superest, vt probemus.
Quantis igitur vtimur exemplis vt probemus
hoc non esse, quod natura formauit, sed quod
benedictio consecrauit, maiorémque vim esse
benedictionis, quàm naturæ: quia benedictione
Exod. 7. etiam ipsa natura mutatur. Virgam tenebat
Moyses, proiecit eam & facta est serpens. Rur-
sus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ
naturam reuertitur. Vides propheticā gratiā
bis mutatam esse naturam, & serpentis, & vir-
gæ? Currebant Ægypti flumina puro aquarum
meatu, subitò de fontium venis sanguis cœpit
erumpere: non erat potus in fluuijs. Rursus
ad Prophetæ preces cruor cessauit fluminum,
aquarum natura remeauit. Circumclusus erat
vndique populus Hebræorum, hinc Ægyptijs
vallatus, inde mari conclusus. Virgam leuauit
Moyses, separauit se aqua, & in murorum specie
congelauit, atque inter vndas via pedestris ap-
paruit. Iordanis retrorsum conuersus, contra
naturam in sui fontis conuertitur exordium.
Nonne claret naturam vel maritimorum flu-
ctuum, vel fluuialis cursus esse mutatam? Sitie-
bat populus patrum, tetigit Moyses petram, &
aqua de petra fluxit. Nunquid non præter na-
turam operata est gratia, vt aquam vomeret
Exod. 15. quam non habebat natura? Mara fluuius erat
amarissimus, vt sitiens populus bibere non pos-
set. Misit Moyses lignum in aquam, & amari-
tudinem suam aquarum natura deposuit, quam
4 Reg. 6. infusa subitò gratia temperauit. Sub Elisæo san-
cto Propheta, vni ex filijs prophetarum excussū
est ferrum de securi, & statim mersum est: ro-
gauit Elisæum qui amiserat ferrum, & misit E-
lisæus lignum in aquam, & ferrum natauit. Vti-
que & hoc præter naturam factum agnoscimus:
grauior est enim ferri species, quàm aquarum
liquor. Aduertimus igitur maiorem esse gratiā
quàm naturam: & adhuc Propheticæ benedi-
ctionis gratias numeramus. Quòd si tantùm 4 Reg. 1.
valuit humana benedictio, vt naturam verteret: lib. 4. [illegible]
quid dicimus de ipsa consideratione diuina, vbi dis. 10. §.d. Psal 148.
verba ipsa Domini saluatoris operātur? Nam Gene. 1.
sacramentum istud quod accipis, Christi sermo-
ne conficitur. Quòd si tantùm valuit sermo E-
liæ, vt ignem de cœlo depromeret, non valebit
Christi sermo, vt species mutet elementorum?
De totius mundi operibus legistis: quia ipse di-
xit & facta sunt: Ipse mandauit & creata sunt.
Sermo igitur Christi qui potuit ex nihilo facere
quod non erat: non potest ea quæ sunt in id mu-
tare quod non erant? Non enim minus est nouas
res dare, quàm mutare naturas. Sed quid argu-
mentis vtimur? Suis vtamur exemplis, Incar-
nationísque nouitate astruamus mysterij veri-
tatem. Nunquid naturę vsus præcessit cùm
Dominus Iesus de Maria nasceretur. Si ordi- 4. Reg. 9.
nem quærimus, viro mixta fœmina generare Gene. 1.
consueuit. Liquet igitur quòd præter ordinem Psal. 22. Lucæ 1.
naturæ virgo generauit, & hoc quod confici-
mus, corpus ex virgine est. Quid hic quæris na-
turæ ordinem in Christi corpore, cùm præter na-
turam sit ipse Dominus partus de virgine? Vera
vtique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ se-
pulta est, verè carnis illius sacramentum est.
Ipse clamat Dominus Iesus, Hoc est corpus
meum. Ante benedictionem verborum cœle-
stium alia species nominatur, post consecratio-
nem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem
suum. Ante consecrationem aliud dicitur: post
consecrationem sanguis nuncupatur. Tu dicis
Amen, hoc est, verum est. Quod sermo sonat,
affectus sentiat. *Item.* Sicut verus est Deus, Amb. lib. 6.
Dei filius, Dominus noster Iesus Christus non de Sacramen cap. 1.
quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Ioan. 6.
filius ex substantia patris, ita vera caro Christi,
(sicut ipse dixit) quam accipimus, & sanguis,
quo potamur. Sed fortasse dicas, quod dixerunt
tunc temporis discipuli Christi audientes dicē-
tem, Nisi quis manducauerit carnem meam, & Ioan. 6.
biberit sanguinem meum, non manebit in me,
nec habebit vitam æternam, fortè dicas? Quo- c for:è] dicas
modo vera caro, quomodo verus sanguis, qui si- De cons dist 2.
militudinem non video carnis, non video san-
guinis veritatem? Primò omnium dixi tibi de
sermone Christi, qui operatur vt possit muta-
re, & conuertere genera, & instituta naturæ.
Deinde vbi non tulerunt sermonem Christi dis-
cipuli eius, sed audientes quòd carnem suam da-
ret manducare, & sanguinem suum daret bi-
bendum, recedebant: solus tunc Petrus dixit:
Verba vitæ æternæ habes, & ego quomodo à te Ioan 6.
recedam? Ne igitur plures hoc dicerent, & ne li 4 sentēn. dist. 11. §. e.
veluti quidam esset cruoris horror, sed maneret
gratia redemptionis, ideo in similitudinem qui- Ioan. 6.
dem accipis sacramentum, sed veræ naturæ * *gratiam
gloriam virtutémque consequeris. Ego sum, in-
quit, panis qui de cœlo descendi.

Hierusalem captiuam ab huius sæculi Babylonia debere liberari, & signacula rerum diuinarum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari, & plurima in hunc modum. Augustinus de Catechizandis rudibus.

¶ CAP. 8. Cap. 11.

Nonnunquam etiam, cùm rectè omnia verè
dicantur: aut non intellectum aliquid, aut
contra

contra opinionem, aut consuetudinem veteris erroris ipsa nouitate asperum offendit & perturbat audientem. Quòd si apparuerit & sanabilē se prębet authoritatum rationúmque copia, sine vlla dilatione sanandus est. Si autem occulta offensio est, Dei medicina opitulari potest. At si resilierit & curari recusauerit, consoletur nos Dominus illo exemplo, qui offensis hominibus ex verbo suo, & tanquam durum refugientibus, etiam his qui remanserant ait: Nunquid & vos vultis abire? Satis enim fixum, & immobile decet corde retineri, Hierusalem captiuam ab huius sęculi Babylonia decursis temporibus liberari: nullúmque esse ex illa periturum, quia qui perierit non ex illa erat. *Item.* De sacramēto quod accepit, cum benè ei commendatum fuerit, signacula quidem rerū diuinarum esse visibilia: sed res ipsas inuisibiles in eis honorari, nec sic habendā esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in vsu quolibet: dicendum etiam quid significet, & sermo quē audiuit quid in illo condatur, cuius illa res similitudinē gerit: Deinde monendus est ex hac occasione, vt si quid etiam in scripturis audiat, quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligat, credat tamen spirituale aliquid significari, quod ad sanctos mores, futurámque vitā pertineat. Hoc autē ita breuiter discat, vt quicquid audierit ex libris canonicis, quod ad dilectionem æternitatis & sanctitatis, & ad dilectionem proximi referri non possit figuratè dictum vel gestum credat, atque ita conetur intelligere, vt ad illam geminam referat dilectionem. *Item de catechizandis rudibus, cap. ix.* De sacramento autem sufficit prudentioribus audire, quid res illa significet, cum tardioribus autem, aliquanto pluribus verbis, & similitudinibus agendum est, ne contemnant quod vident. *Item contra Faustum, libro xix. cap. xvj.* Quid enim sunt aliud quæque sacramenta corporalia, nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, verùm tamen mutabilia & temporalia. *Item in libro decimo de ciuitate Dei.* Qui autem putant hæc visibilia sacrificia diis alienis congruere, illi verò tanquàm inuisibili inuisibilia, & maiora maiori, melioríque meliora, qualia sunt purę mentis, bonæque voluntatis officia: profectò nesciunt hæc ita signa esse illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes atque laudantes, ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde quas significamus, offerimus: ita sacrificantes, non alteri sacrificium visibile offerendū esse nouerimus, quā illi cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificiū, nos ipsi esse debemus. *Item in libro decimo de ciuitate Dei.* Sacrificium visibile, inuisibilie sacrificij sacramentum, id est sacrum signum est. *Et alibi:* Sacramentum inuisibilis gratiæ visibilis forma. *Item libro secundo de doctrina Christiana.* Signum est res pręter speciem, quam ingerit sensibus aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire. *Ibidem libro tertio.* Christiana libertas eos, quos inuenit sub signis vtilibus, tanquam propè inuentos, interpretatis signis quibus subditi erant, eleuatos ad eas res quarum illa signa sunt, liberauit. Ex his factæ sunt Ecclesiæ sanctorum Israëlitarum. Quos autem inuenit sub signis inutilibus, non solùm seruilem in operationem sub talibus signis, sed etiam ipsa signa frustrauit, remouítque omnia, vt à corruptione multitudinis simulatorum deorum, (quā sæpe ac propriè scriptura fornicationem vocat)

Cap. 11.
Ibid. cap. 26.
Cap. 19.
cap. 5.
De consf. dist. 2. c. sacrificium. & li. 4. sent. dist. 1. §. 1.
Cap. 1.
Cap. 8. & 9.

ad vnius Dei cultum gentes conuerterentur: nec sub ipsis iam signis vtilibus seruituræ, sed excitaturæ potiùs animum in eorum intelligentia spirituali. Sub signo enim seruit, qui operatur, ait veneratur aliquam rem nesciens quid significet. Qui verò operatur aliquod signum diuinitus institutum, cuius vim significationémque intelligit, non veneratur quod videtur & transit, sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo & spiritualis, & liber est tempore seruitutis, quo carnalibus animis, nondum oportet signa illa reuelari, quorum iugo edomandi sunt. Tales spirituales ĕrant Patriarchæ ac Prophetæ omnésque in populo Israel, per quos nobis ipsa scripturarum solatia & auxilia ministrauit. Hoc verò tempore postea quàm resurrectio Domini nostri, manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum quæ iam intelligimus, operatione graui onerati sumus, sed quædam pauca pro multis eadémque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina. Sicut est baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini, quæ vnusquisque cùm perceperit, quò referantur imbutus agnoscit, vt ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate veneretur. *Et paulo inferiùs.* Seruabitur, inquit, in locutionibus figuratis regula huiusmodi, vt tamdiu versetur diligenti ratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc iam propriè sonat, nulla putetur figurata locutio. Si præceptiua locutio est, aut flagitium aut facinus vetans: aut vtilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam vetare; figurata est. Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus videtur aut flagitium iubere. Figura ergo est, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa est, & vulnerata. Ait scriptura: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hic nullo dubitante beneficentiam præcipit. Sed quòd sequitur: Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius: maliuolentiæ facinus putes iuberi. Ne igitur dubitaueris figuratè dictum: & cùm possit dupliciter interpretari, vno modo ad nocendum, altero ad præstandum, ad beneficentiam charitas te potius reuocet, vt intelligas carbones ignis, esse vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo miserię eius subuenitur. Item cùm ait Dominus: Qui amat animam suā perdet eam: non vtilitatem vetare putandus est, qua debet quisque conseruare animam suam, sed figurè dictum: perdat, id est, perimat atque amittat eius vsum quem nunc hąbet, peruersū scilicet atque præposterum, quo inclinatur temporalibus vt æterna non quærat. Scriptum est: Da misericordi, & ne suscipias peccatorem. Posterior pars huius sententiæ videtur vetare beneficentiam. Ait enim: Ne suscipias peccatorem. Intelligas peccatorem figuratè dictum, pro peccato, vt peccatum eius non suscipias. *Item in Psal. 3. tractans de Iuda tradiore Domini.* Eum, inquit, adhibuit ad conuiuium, in quo corporis,

Cap 15.
Ca. 16. eiusdem lib.
Ioan. 6.
Prouer. 25.
Rom. 12.
Ioan. 12.
Eccles. 12.
de cons. dist 2. c semel. lib. 4. senten.

diſt.12 §.g.
1.Pet.3.
Rom.6.

& ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendauit & tradidit. *Item in præf. 2. in Pſal 21* Semel Chriſtus mortuus eſt iuſtus pro iniuſtis, & ſcimus, & certum habemus, & ſpe immobili retinemus, quia Chriſtus reſurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Verba iſta Apoſtoli ſunt, tamen ne obliuiſcamur quod ſemel factum eſt, in memoria noſtra omni anno fit. Quotiens Paſcha celebratur, nũquid totiẽs Chriſtus occiditur? Sed tamen anniuerſaria recordatio repræſentat quod olim factũ eſt, & ſic nos facit moueri, tanquam videamus præſentem dominum in cruce. *Item in expoſ. priori, Pſal. xxj.* Vota mea reddam. Sacramenta corporis & ſanguinis Domini mei reddam. Edent pauperes & ſaturabuntur. Edent contẽptores ſæculi, & mutabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Laus Domini eructatio ſaturitatis eius, viuent corda eorum in ſæculum ſæculi, nam cibus ille eſt cordis. *In expoſitione Pſalmi liij. & xcviij.*

De conſ. diſt. 2. c prima & lib. 4. ſentent. diſt. 10. §.a.

Prima, inquit, hæreſis in diſcipulis Chriſti, velut à duritia ſermonis eius facta eſt. Cùm enim diceret: Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit vitam æternam: illi non intelligentes, dixerunt ad inuicem, Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire: Dicentes quia durus eſt hic ſermo, ſeparauerunt ſe ab illo, remanſit cum duodecim, diſcedentibus illis inſtruxit eos qui remanſerant. Spiritus eſt, inquit, qui viuificat, caro nihil prodeſt. Verba quæ locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt, id eſt ſpiritualiter intelligenda ſunt. Intellexiſti ſpiritualiter? Spiritus & vita ſunt: intellexiſti carnaliter? etiam ſic illa Spiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt. Spiritualiter intelligite quæ locutus ſum.

eod. c. & de conſ diſt. 2. c. nõ hoc.

Non hoc corpus quod videtis mãducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos, caro autem non prodeſt quicquam. Sed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere venditur, aut in macello dilaniatur. *Auguſtinus tract. 27. in Ioannem.* Sciens autem Ieſus ait: Hoc vos ſcandalizat, quia dixi vobis, do vobis carnem meam manducare, & ſanguinem meum potare? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi priùs erat. Quid eſt hoc? Hinc ſoluit quod illos mouerat, hinc aperuit vnde fuerant ſcandalizati. Hinc planè, ſi intelligerent. Illi autem putabant erogaturum corpus ſuum, ille dixit ſe aſcenſurum in cœlum, vtique integrum. Cùm videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius, certè vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis erogat corpus ſuum, vel tunc intelligetis, quia gratia eius non conſumitur morſibus.

L. 4 ſentent diſt. 10. §.a.

Item tractatu 50. in Ioannem. Dum finiatur ſæculum ſurſum eſt Dominus, ſed tamen hic etiam nobiſcum eſt veritas Dominus. Corpus enim in quo reſurrexit, vno loco eſſe oportet, veritas autem eius vbique diffuſa eſt.

Ioan. 20.
Huius ſermonis Aug. initium eſt. Veritas quæ eſt Chriſtus Sed necdum typis excuſus eſt.

Item tractatu 121. in Ioannem. Quia tetigit hominem, confeſſus eſt Deum, & Dominus conſolans nos, qui in cœlo iam Chriſtum ſedentem manibus contractare non poſſumus, ſed fide contingere, ait illi, Quia vidiſti me Thoma credidiſti, beati qui non viderunt & crediderunt. *Item in ſermone quodam de verbis Euangelij.* Inuitat Dominus ſeruos, præparauit ſeipſum cibum. Quis audeat manducare Dominum ſuum? Et tamen ait, qui manducat me viuit propter me. Quando Chriſtus manducatur, vita manducatur, nec occiditur vt manducetur, ſed mortuos viuificat quando manducatur, quia reſurrexit occiſus: nec quando manducatur, partes de illo facimus, & quidem in ſacramento. ſic fit. Norunt fideles, quemadmodum manducent carnem Chriſti, vnuſquiſque partem ſuam accipit, per partes manducatur, & manet integer totus. Per partes manducatur in ſacramento, manet integer totus in cœlo, manet interger totus in corde tuo. *Item.* Quod videtis in altari panis eſt & calix, quod etiam oculi veſtri vobis renunciant: quod autem fides poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus, calix eſt ſanguis. Breuiter quidem hoc dictum eſt, quod fidei forſitan ſufficere debeat, ſed fides inſtructionem deſiderat Dicit enim Propheta, Niſi credideritis, non intelligetis. *Eſaiæ 6.*

Poteſtis ergo dicere mihi: Præcepiſti vt credamus, expone vt intelligamus. Poteſt enim animo cuiuſpiam cogitatio talis oboriri. Dominus Ieſus Chirſtus noaimus vnde accepit carnem, de virgine ſcilicet Maria: infans lactatus eſt, nutritus eſt, creuit, ad iuuenilem ætatem perductus eſt, ligno ſuſpenſus eſt, interfectus, de ligno depoſitus, ſepultus eſt, tertia die reſurrexit, quo die voluit aſcendit in cœlum. Illuc leuauit corpus ſuum, vnde venturus eſt iudicare viuos & mortuos, ibi eſt modò ſedens ad dexteram patris. Quomodo ergo panis eſt corpus eius & calix, vel quod habet calix, quomodo eſt ſanguis eius? Iſta fratres, ideò dicuntur ſacramenta, quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur. Quod videtur ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet ſpiritualem. *Item lib. viij. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 50. Inducit autem B. Cyprianum ſic dicentem.* Nam quando Dominus vocat corpus ſuum panem, de multorum granorum adunatione congeſtum, populum noſtrum quem portabat de gentibus indicat adunatum: & quando ſanguinem ſuum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expreſſum, atque in vnum coactum, gregem item noſtrum ſignificat commixtione adunatæ multitudinis copulatum. *Ioan. 6.*

Item. In præſenti per fidem, in præſenti per ſignum, in præſenti per baptiſmatis ſacramentum, in præſenti per altaris cibum & potum. *Item in eodem Euangelio.* De his ſermo erat, inquit cum hoc Apoſtolus diceret, qui Domini corpus velut alium quemlibet cibum indiſcretè negligentérque ſumebant, & quid dixerit corpus Domini in ſequentibus manifeſtans, intelligendum eſt, inquit, quod eis iam omnibus diſtribuerat ſacramentum corporis & ſanguinis ſui. *Et alibi*: Videte fide manente ſigna variata. Ibi petra Chriſtus, nobis Chriſtus quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno ſacramento eiuſdem Chriſti biberunt aquam fluentem de petra, nos quid bibamus norunt fideles. Si ſpeciem viſibilem attendas, aliud eſt: ſi intelligibilem ſignificationem, eundem potum ſpiritualem biberunt. *Item in ſermone de verbis Euangelij. Tract. 26. in Ioannem.*

De cõſ. diſt. 2. c. quid eſt li 4 ſentent. diſt. 9. §.a.

Quid eſt Chriſtum manducare? Non eſt hoc ſolùm in ſacramento corpus eius accipere. Multi enim indignè accipiunt, de quibus ait Apoſtolus, qui manducat & bibit calicem Domini indignè, iudicium ſibi mandu- *1. Corinth. 11*

cat & bibit. Sed quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Si in me manet & ego in eo, tunc bibit: qui autem in me non manet, nec ego in illo, & si accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum. *Item ex tractatu Euangelij secundùm Ioannem.* Talis erat Iudas, & tamen cum sanctis Apostolis vndecim intrabat, & exibat, ad ipsam cœnam Dominicam pariter accessit. Conuersari cum illis potuit, eos inquinare non potuit. De vno pane accepit & Iudas, accepit & Petrus, & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, & Iudas accepit ad mortem. *Item in libro sententiarum Prosperi.* Escam vitæ accepit, æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus inhabitator est. Nam qui discordat à Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidiè indifferenter accipiat.

Ioan. 6.

Sentent. 339.

Sicut in sermone Domini, ea quæ non erant esse cœperunt, sic operatione eius, ea quæ sunt in aliud commutari: præterea sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, id est, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. Lanfrancus.

De sacramento corp. cap. 5. cum sequentibus.

¶ CAP. 9.

Si tanta vis est in sermone Domini, vt inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Esse quidem quæ erant, testatur secundùm visibilem speciem: commutari verò, secundùm interiorem essentiam, in naturam illarum rerum quæ antè non erant. Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, sacramento, & re sacramenti, id est corpore Christi: sicut Christi persona constat & conficitur Deo & homine, cùm ipse Christus verus sit Deus, & verus homo? quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ duobus, sacramento, & re sacramenti, id est, corpore Christi. Est igitur sacramentum, & res sacramenti, id est, corpus Christi. Christus enim resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Sed sicut dicit Andreas Apostolus: Cùm verè carnes eius in terris sint comestæ, & verè sanguis eius sit bibitus, ipse tamen vsque in tempora restitutionis omnium, in cœlestibus ad dexteram patris, integer perseuerat & viuus. Si quæris modum quo id fieri possit, breuiter ad præsens respondeo. Mysterium fidei credi salubriter potest, vestigari vtiliter non potest: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo: nec quando manducamus, partes de illo facimus. Absit enim vt sic intelligamus Christum manducare, quemadmodum illi intellexerunt, qui cùm audirent Dominum dicentem: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: continuò responderunt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire.

De consf. dist. 2. c. hoc est quod dicimus. & sententiarum lib 4. dist. 10. §. b.

Ioan. 6.

Putauerunt namque sicut beatus Augustinus dicit in multis locis, quod in terris degentem Dominum in frusta essent concisuri, & sic carnes eius, aut elixas in lebetibus, aut assas in verubus essent commesturi: aut si hoc nollent, non possent eius esse discipuli, propterea elegerunt abire, & iam amplius cum eo non ire. Procul auertat Deus ab Ecclesia sua talem sententiam. Sic nempe in terris immolatum Christum manducamus & bibimus, vt in cœlestibus ad dexteram patris integer semper existat & viuus. Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur: quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio eiúsque sanguinis de latere effusio designatur? Nos autem in specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est Christi carnem, & sanguinem honoramus, nec similiter pendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem pendebamus: cùm fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formauit, post consecrationem verò carnem Christi, & sanguinem esse, quod benedictio consecrauit. Sacramentum ergo corporis Christi quantùm ad id spectat, quòd in cruce immolatus est, Ipse Dominus Iesus Christus, Caro eius est, quam formâ panis opertam accipimus in sacramento, & sanguis eius quem sub vini specie ac sapore pôtamus: caro videlicet carnis, & sanguis sacramentum est sanguinis. Carne & sanguine vtroque inuisibili, intelligibili, spirituali significatur corpus visibile Domini nostri & palpabile, plenum omnium gratia virtutum, & diuina maiestate. Quorum alterum dum frangitur, & in populi salutem diuiditur, alterum verò effusum de calice ab ore fidelium sumitur, mors eius in cruce, & sanguinis eius de latere emanatio figuratur. Vtrumque beatus Gregorius solerter attendit, & enucleatè in quarto libro dialogorum exponit dicens. Eius quippe caro ibi sumitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Pensandum ergo est quale hoc sacrificium sit, quod pro absolutione nostra mortem vnigeniti filij Dei, semper imitatur. Imitatur dixit, non operatur, quia resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Caro ergo & sanguis, quibus ad impetrandam pro peccatis nostris misericordiam quotidie alimur, Christi corpus & sanguis vocantur, non solùm quia essentialiter id sunt qualitalibus multùm discrepantes, verùm etiam eo locutiotionis modo, quo res significans significatæ rei vocabulo solet nuncupari. Nec iustè quisquam mouebitur, si eadem caro, idémque sanguis sui ipsorum sacramenta existant, secundùm aliud atque aliud accepta, cùm ipse Dominus Iesus post resurrectionem suam sui ipsius diuersa temporum ratione, typum gesserit, & figuram. Apparens enim duobus discipulis locutúsque eis quantùm satis esse iudicauit, dùm finxit se longius ire, sicut beatus Augustinus dicit, significauit se post paucos dies in cœlum ascensurum. Quod iter longè remotum est à communi hominum vita, quæ ipsis est duobus discipulis euidentissimè figurata. Christus ergo Christi est sacramentum longiùs videlicet ire se fingens, longiùs suo tempore ascendétis in cœlum: idem eiusdem, nec tamen vsquequaque eiusdem. Verus namque Deus, & verus homo, & fingens & ascendens. Veruntamen aliud est figmentũ ter-

de consf. dist 2. c. cum frangitur.

de consf. dist. 2. c. nos aut. & l b. 4. sent. dist. 10 §. d.

Greg lib. 4. dialogorum cap. 58.

Rom. 1.

Lucæ 24.

reni itineris, aliud in cœlum ascendentis veritas. Nec aliquis ita desipuerit, vt propterea abnegare præsumat fingentem se longius ire, esse verum Christum quia figmento longioris itineris significauit verum Christum ascensurum in cælum. Porrò sacramentum fidei in ipsa ad Bonifacium epistola beatus Augustinus baptismum vocat. Verus autem baptismus constat, non tam ablutione corporis quàm fide cordis: quemadmodum Apostolica doctrina tradit dicens, fide mundans corda eorum. Et alibi. Saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio ad Deum, alterùm tamen significatur per alterum. Nam per ablutionem qua corpori extrinsecus adhibetur, purgatio animæ exprimitur, quam fides interior operatur, vocatúrque fides baptismus, secundùm eam locutionis figuram, qua mysterium eius rei, cuius mysterium est, censeri nomine consueuit. Huius rei causa est similitudo, quam in sacramento & in re sacramenti reperiri semper necesse est, sicut in baptismo & in fide; vtrumque enim lauat, purgat, purificat, illud carnem, istud mentem. Sicut ergo cœlestis panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum reuera sit sacramentũ corporis Christi, illius videlicet quod visibile, palpabile, mortale, in cruce positum est, vocatúrque ipsa carnis immolatio, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significanti mysterio, sic sacramentum fidei quod baptisma intelligit, fides est. Semel immolatus est Christus in semetipso, & tamen quotidie immolatur in sacramento, quod ita intelligendum est, quia manifestatione sui corporis in distinctione membrorum suorũ omnium, verus Deus, & verus homo, semel tantũ in cruce pependit, offerens patri seipsum hostiam viuam, passibilem, mortalem, viuorum & mortuorum redemptionis efficacem, eorum scilicet quos altitudo diuini consilij redimendos iudicauit, prædestinauit, vocauit modis atque temporibus, quibus id fieri congruebat. Quonã modo panis efficiatur caro, vinúmque conuertatur in sanguinẽ, vtriusque essentialiter mutatâ naturâ, vel vtrum in secessum vadant more ciborum communium, iustus qui ex fide viuit, scrutari argumentis, & concipere ratione non quærit. Mauult enim cœlestibus mysteriis nunc fidem adhibere, vt ad fidei præmia valeat quandoque peruenire, quàm in his quæ comprehendi non possunt, superuacuè laborare, sciens scriptum: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Si credimus verò salubritérque manducari in terris à dignè percipientibus dominum IesumChristum, vt certissimè teneamus existere illum in cœlestibus incorruptum. Ineptis enim, si dicas propterea Sareptanam viduam non potuisse comedere oleũ, quo plenus erat lechyus suus, quia sacra testante historia lechyus olei imminutus non est, cum eadem scriptura dicat: Abiit & fecit iuxta verbũ Heliæ, & comedit ipse & illa, & domus eius. Non dissimili grauaris vecordia, si idcirco moliaris astruere, non posse ab ecclesia sumi carnem & sanguinem redemptoris, quia Apostolus dicit: Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Corporali quidem ore manducamus & bibimus, quotiens de altari Dominico, ipsum dominicum corpus per manum sacerdotis accipimus. Spirituali verò ore cordis spiritualiter comeditur & hauritur, quando suauiter & vtiliter, sicut beatus Augustinus dicit, in memoria reconditur, quòd vnigenitus filius Dei pro salute mundi carnẽ accepit, in cruce pependit, resurrexit, apparuit, ascendit. Ego sum, inquit, panis viuus qui de cœlo descendi: sed caro non descendit de cœlo, hoc est carnem assumpsit in terris ex virgine. Quomodo ergo panis descendit de cœlo, & panis viuus? Quia idem Dominus noster Iesus Christus consors est diuinitatis & corporis: & tu qui accipis carnẽ diuinæ illius substantiæ, in illo participaris alimento. *Ambrosius epist. 62. lib. 8. ad Irenæum.* Quæris à me cur Dominus Deus pluerit manna populo patrũ, & nunc non pluat. Si cognoscis, pluit, & quotidie pluit manna de cœlo seruientibus sibi. Et corporeũ illud manna hodie plerisque in locis inuenitur: sed nunc non est tanti res miraculi quia venit quod perfectũ est perfectũ autẽ panis de cœlo, corpus ex virgine, de quo satis Euangeliũ te docet, quantò præstantiora hæc superioribus. *Item in homilia vndecima Psalmi xxxiij.* Accesserunt Iudæi vt Christum crucifigerent, nos ad eum accedamus, vt corpus & sanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum & bibendo, illuminamur. *Et post pauca.* Verè magnus Deus, & magna misericordia eius, verè qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, & sanguinem suum bibere. *Item in homilia Psalmi lxv.* Modò homicidis donatus est fusus sanguis innocentis, & ipsum sanguinem quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt. *Item in homilia Psalmi xxviij.* Suscepit Christus dè terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ virginis carnẽ accepit, & quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem ad manducandũ ad salutẽ dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit. *Item in eadem.* Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent, ipsum quidem & non ipsum, ipsum inuisibiliter, non ipsum visibiliter. *Vnde subditur.* Et si necesse est illud visibiliter celebrari, necesse est tamen inuisibiliter intelligi. *In sermone ad Neophytos.* Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, & hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere. Erit enim illi mors non vita, qui æstimauerit mendacem vitam. *Leo Papa in sermone de ieiunio septimi mensis.* Hanc confessionem dilectissimi toto corde promentes, impia hęreticorum commenta respuite, vt ieiunia vestra & eleemosynæ nulla cogitatione erroris polluãtur. Tunc etenim sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando si qui ista dependunt, quod operantur intelligunt. Nã dicente Domino, nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitã in vobis, sic sacræ missæ cõmunicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis, hoc enim ore sumitur quod fide creditur, & frustrà ab illis Amẽ dicitur, à quibus contra id quod accipitur disputatur. *Item in Epistola Anatholio Episcopo missa.* Aliter enim in Ecclesia Dei quę corpus est Christi, nec rata sũt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostrę proprietate naturę verus nos Pontifex recõciliet, verus immaculati agni sanguis emũdet. Qui licet in patris dextera cõstitutus, in eadẽ

August. ad Bonifacium epist. 23. — *de consec. dist. 2. c. semel. & lib. 4. Sentent. dist. 12. § g.* — *Abacuc. 2.* — *Eccles. 3.* — *3. Reg. 17.* — *Rom. 6.* — *Ioan. 6.* — *de consec. dist. 2. c. non hoc corpus.* — *Ioan. 6.* — *Leo primus epistola 40. 1. q. 1. in Ecclesia Dei.*

tamen carne quam assumpsit ex Virgine, sacramentum propitiationis exequitur. *Item in* Leo serm. 11. *sermone de passione Domini.* Fefellit ergo illum malignitas sua, intulit supplicium filio Dei, quod cunctis filijs hominum remedium verteretur, fudit sanguinem iustum, qui reconciliando mundo & præmium esset & poculum. *Sanctus Gregorius in homilia paschali.* Greg. hom. 22 in euangelia. Quidnam sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis. Exod. 12. Qui sanguis super vtrumque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Dicet aliquis: Quod tu asseris verum corpus Christi, in sacris litteris appellatur species, similitudo, figura, signum, mysterium, sacramentum. Hæc autem vocabula ad aliquid sunt. Nulla verò quæ ad aliquid sunt possunt esse id quod sunt ea, ad quæ referuntur: non est ergo corpus Christi. Verùm his vocabulis in nullo præscribitur fidei, qua credimus, & veritati quam defendimus. De cons. dist. 2. c. species. Species namque & similitudo illarum rerum vocabula sunt, quæ ante fuerunt panis & vini. Vnde in fine lib. 4. Sent. dist. 9. §. c. cuiusdam Missæ, oratur & dicitur. Perficiant in nobis Domine, quæsumus, tua sacramenta quod continent, vt, quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Postulat quippe sacerdos, vt corpus Christi, quod sub specie panis ac vini nunc geritur, manifesta visione sicuti reuera est, quandoque capiatur. De qua visione Dominus in Euangelio secundùm Ioannem ait: Ioan. 14. Qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligã eum, & manifestabo ei meipsum. Quamuis non improbabiliter quidem exponant hoc loco, carnis & sanguinis veritatem, ipsam eorundem efficientiam, id est peccatorum remissionem. Greg li. 4. dialo. ca. 59. Illis namque modis omnibus vera caro & sanguis existit, qui dignè percipiunt. Au. lib. 5. de baptismo cõtra Donatistas cap. 8. Vnde Sanctus Gregorius in quarto dialogorum libro: Tunc vera pro nobis Deo hostia erit, cum nosmetipsos hostiam ferimus. De cons. dist. 2. c. sicut Iudas & li. 4. sent. dist. 9. §. b. Est quidem etiam peccatoribus, & indignè percipiẽtibus vera Christi caro, verúsque sanguis, sed essentia non salubri efficientia. Huius rei testis beatus Augustinus in quinto libro de baptismo dicens: Sicut enim Iudas cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locũ in se diabolo præbuit, sic indignè quisque sumens dominicum sacramentum non efficit, vt quia ipse malus est, ipsum malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus etenim Domini erat nihilominus his quibus dicebat Apostolus: 1. Corinth. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Inuenitur etiam species, similitudo, & figura pro veritate. Vnde Apostolus ad Corinthios: 2. Corinth 5. Per fidẽ ambulamus, & non per speciem. Ambrosius in libro de sacramentis: Speciem autem & pro veritate intelligendam inuenimus, & de Christo, specie inuentus vt homo, & de patre Deo, neque speciem eius vidistis. Apostolus ad Philippenses. ad Philip. cap. 2. In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Idem ad Hebræos: Hebræ. 1. Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius. Porro hæc nomina, Dominicæ passionis designatiua sunt, si tamen sacramentum sacrum signum accipimus. Greg lib. 4. dial. cap. 58. idem c. 59. Vnde beatus Gregorius in quarto dialogorum libro: Hæc namque singularis hostia, ab interitu æterno animam saluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti reparat, per sacramentum. Et post aliqua: Qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod colimus. Quod verò panis dicitur consueto sacræ scripturæ more id fit, quæ res quaslibet vocat nominibus illarum rerum, ex quibus seu quæ esse putantur, & non sunt, seu quibus similes aliquomodo existunt. Vnde beatus Hieronymus in secundo explanationum libro super Oseæ: Post quam reuersa fuerit terra in terram In cap. 5. suam. Et superbo homini à sapiente dicitur. ecclesiast. 10. Quid superbis terra & cinis? Et Abraham tres Gen 18. viros vidisse legitur, cùm essent Angeli. Ibidem. Et beatus Hieronymus in supradicto explanationum libro Oseæ. Quasi tinea efficitur & putredo, non quòd Deus tinea sit aut putredo, sed sustinentibus pœnas, hæc vniuersa videantur. Et in Euangelio secundùm Matthæum: Math. 7. Si ergo cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris. De qua sententia beatus Augustinus in secundo libro de sermone in monte sic disputat: Quomodò mali dant bona? Sed malos vocat mundi amatores. Bona verò quæ dant, secundũ sensum eorum bona dicenda sunt: qui hæc pro bonis habent. Adhuc instat aliquis & dicit: Ambrosius de sacramentis dicit. Ambr. li 4. de sacramentis c 4. Sicut similitudine mortis sumpsisti, ita similitudinem pretiosi sanguinis bibis. Vnde infert & dicit, non esse verum sanguinem in sacramento, cùm non sit vera mors in baptismo. Sed fallitur. Neque enim similitudinis aduerbia, identitatem semper significant, aut æqualitatem. In Euangelio Lucæ 6. namque Saluator ait: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Non tamen eadẽ siue æqualis Deo & hominibus potest inesse misericordia. Et in Euangelio secundùm Ioannẽ: Ioan. 17. Ego, inquit, charitatem quam dedisti mihi dedi eis, vt sint vnum sicut & nos. Et alibi: Dilexisti eos, sicut me dilexisti. Ioan. 17. *Vnde beatus Augustinus in expositione eiusdem Euangelij ait.* Tract. 110. Neque enim semper æqualitatem significat, qui dicit sicut illud, ita & illud. Sed aliquando tantum quia est illud, est & illud: aut quia est illud, vt sit & illud. Est adhuc aliud, quod obijcitur. Si panis in veram Christi carnem conuertitur, aut panis sustollitur in cœlum, vt illic in Christi carnem transferatur, aut Christi caro ad terram defertur, vt hîc in eam panis commutetur, aut nec panis sustollitur, nec caro defertur. Non est igitur vera caro in quam panis conuertitur. Hoc colligitur secundùm humanam sapientiã, & non secundùm diuinam. Humana autem sapientia opera diuina perquiri prohibet Apostolus ad Romanos dicens: Rom. 12. Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et ad Corinthios: 1. Cor. 2. Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Et ad Colossenses: Colos. 2. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi. *Et beatus Gregorius homilia in octauis paschæ.* Li. quadraginta homiliarum homilia 26. Sciendum, inquit, nobis est, quòd diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Faciendum est, quod legislator agi oportere ostendit dicens: Prou 22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. *Et beatus Augustinus in primo libro de sermone Domini in mõte.* Quod verò aut obscurum aut absurdum illic sonat, non inde concitet contradictionum certamina, sed oret vt intelligat. *Et in libro iij. de Trinitate.* Cap. 10. Mihi autem, ait, vtile est, vt meminerim virium mearum, fratrésque meos ad-

Aug. lib. de vnitate Trinitatis ad Optatum cõtra Fœlicianum Arrianum cap. 2. moneam, vt meminerint suarum, ne vltrâ quàm tutum est humana progrediatur infirmitas. *Et in libro contra Fœlicianum hæreticum.* Scripturarum authoritate contentus, simplicitati potius obedire studeo, quàm tumori. *Et paulò post.* Quam rationem afferre potes, si partum prædicas virginis? si redditos oculos non negas cæcis? si sepultos ostendas redisse à mortuis? Si ergo horum & incomprehensibilis est ratio, & veritas prompta, faciliùs in negotiis fidei testimoniis creditur, quàm ratione vestigatur. His præmissis, videamus nunc quid consequitur errorẽ illorum, qui credunt panem & vinum Dominicæ mensæ inter sacrandum, quantùm ad substantiam immobilia permanere. Quòd si ita est, præstantiora & diuiniora fuerunt sacramenta Iudæorum, sacramentis Christianorum. Quis enim nesciat manna quod de cœlo pluebat Dominus, seu animatas sẽsibiléſq; creaturas, quas populus ille consecrare consueuerat, parua buccella panis, modicóque vini præstantiores extitisse? Rursus quis non intelligat diuinius fuisse futura prænunciare, quàm narrare præterita? cùm illud non possit nisi spiritu Dei plenus, hoc autem faciat etiam idiota, vel quilibet imperitus. Sed absit hoc à fidelium corde & Christiana intelligentia. Christi namque miles Ambrosius, *De myster. initiandis. cap. 8.* illa inferiora, hæc potiora, & digniora esse in libro de mysteriis confirmat dicens: Summo studio comprobare volumus, quia antiquiora sunt sacramenta Ecclesiæ quàm synagogæ & præstantiora quàm manna. *Cap. 3.* *Et iterum in quarto de sacramentis.* Accipe quæ dico, diuiniora esse sacramenta Christianorum, quàm Iudæorum. Ergo falsa sunt quæ proponis. Amplius autem si verum est quod isti de corpore, & sanguine Domini credunt, & astruunt, falsum est quod ab Ecclesia vbique gentium, de eadem re creditur & astruitur. Omnes enim qui Christianos se esse, & dici lætantur, veram Christi carnem, verúmque eius sanguinem vtraque sumpta de virgine, in hoc sacramento percipere lætantur. Interroga omnes qui Latinæ linguæ nostrarúmue literarũ notitiã perceperunt. Interroga Græcos & Armenos, seu cuiuslibet nationis quoscunque Christianos, vno ore hanc se fidem habere testantur. Porrò si vniuersalis Ecclesiæ fides falsa extitit, aut nunquam fuit catholica Ecclesia, aut periit. Nihil namque efficacius ad interitum animarum, quàm perniciosus error. Si autem non fuisse, aut periisset catholicus nemo consenserit: alioquin non est quod Abrahæ promisit veritas: In semine tuo benedicentur omnes gentes. *Item in Psal. 2.* Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. *Item Psal. 21.* Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. *Et alibi.* Quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos, à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari. *Item beatus Augustinus in prima expositionis psalmorum parte.* Ecclesia magna, quid est fratres? nunquid exigua pars orbis terrarum? Ecclesia magna totus orbis est. *Item in eadem.* *Psalm. 39.* Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna. Quàm magna? Toto orbe terrarum. Quàm magna? In omnibus gentibus. Cur in omnibus gentibus? Quia in omnem terram exiuit sonus eorum. *Item in tertia eiusdem operis parte.* Corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum. *Item in eodem.* Tabernaculum Domini est ipsa Ecclesia in toto orbe terrarum diffusa. *Et alibi.* Corpus Christi iam totus mundus est. Corpus Christi ab oriente in occidentem consonat. *Item in libro de agone Christiano.* *Cap. 29.* Nec eos audiamus qui sanctam Ecclesiam, quæ vna catholica est, negant per orbem terrarum esse diffusam. Et Dominus in Euangelio: *Matth. 13.* Ager est hic mundus. Et paulò post: Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Aduersus tam præclara Spiritus sancti testimonia, *Obiectio.* obijciunt isti tales: Prædicatũm est euangelium in omnibus gentibus, credidit mundus, facta est Ecclesia, creuit, fructificauit, sed imperitiã malè intelligentium peribit. Hanc sacrilegam vanitatem euertit Euangelica veritas, *Solutio.* & prophetarum non violanda authoritas. Pollicetur enim Dominus Ecclesiæ suæ dicens. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad, *Matt. vlt.* consummationem sæculi. *Augustinus in secunda parte expositionis psalmorum.* *In Psal. 54.* Spes omnium finium terræ. Non vnius anguli, non Pannoniæ, aut Iudææ, aut Africæ, non orientis aut occidentis, sed omnium finium terræ. *Item in eadem.* *In Psal. 71.* Hæc prophetia propter eos promissa est, qui putant religionem nominis Christiani vsque ad certum tempus in hoc mundo victuram, & postea non futuram. Permanebit autem cum sole, id est, quandiu sol oritur & occidit. Falsum est igitur quod ab istis de corpore Christi creditur & astruitur. Ergo vera caro eius est quam accipimus, & verus sanguis quem potamus.

Professio Berengarij quomodo consentiat sanctæ Romanæ Ecclesiæ de corpore & sanguine Domini. Berengarius. ¶ CAP. 10.

De cõs. dist. 2. c. ego Berengarius. Ego Berengarius indignus Ecclesiæ sancti Mauricij Andegauensis Diaconus, cognoscens veram, catholicam, & apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur, panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodò sacramentũ, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor, de sacramentis dominicæ mensæ eam fidem tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta synodus authoritate Euangelica & Apostolica, tenendam tradidit, mihique firmauit, scilicet panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solùm sacramento, sed in veritate manibus sacerdotũ tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri, iurãs per sanctam & omousion Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Euangelia. Eos verò qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quòd si ego ipse aliquando aliquid contra hoc sentire ac prædicare præsumpsero, canonum seueritati subiaceam. Lecto & perlecto sponte subscripsi. Hanc confessionem suæ fidei de corpore & sanguine Domini à Berengario Romę corã centũ viginti Episcopis factã, misit Papa Nicolaus per vrbes Italiæ, Galliæ, & Germaniæ, & ad quæcũq; loca fama prauitatis eius antea peruenire potuit, vt Ecclesiæ

quæ priùs doluerant de aduerso, atque peruerso, postea gauderent de reuerso atque conuerso, *Aug in expo. psal. 45.* *Item in Homilia Psalmi xlv. ad Iudæos loquens.* En illius nomine quem occidistis baptizamini, & dimittuntur vobis peccata vestra, modicum vel postea cognouistis, securi iam bibite sanguinem quem fudistis. Videtur sanctus ille panis quo corpus Domini consecratur, & visibiliter ore percipitur: sed virtus verbi Dei vel diuinitas quâ anima percipientis sanctificatur, videri non potest. Elementum panis videtur, sed verissimè corpus Christi est? Inde Paulus *1. Cor. 11.* Apostolus: Panis quem frangimus nónne corpus Domini est, & calix cui benedicimus, nónne sanguis Domini est. Nos perendiè accipimus *Aug tract. 26. in Ioan. c. 16.* visibilem cibum, sed aliud est sacramentũ, aliud virtus sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo indignè *Aug. tract. 27. in Ioan. Ioan. 6.* moriuntur. Ipsa Veritas dicit: Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo. Signum quia manducat & bibit, hoc est, si manet, & manetur, si habitat & inhabitatur, si hæret vt non deseratur. Verba Christi si spiritualiter intelligantur, spiritus & vita sunt: si verò carnaliter accipiantur, sunt quidem in seipsis spiritus & vita, sed illis non sunt qui carnaliter intelligunt, & ex fide non venerantur. Nam sicut spiritus hominis, id est anima, non viuificat, nisi ea membra quæ vnitate corporis continentur, recisa verò membra non viuificat: sic nisi eos qui in corpore Christi, hoc est in vnitate consistunt Ecclesiæ. Sciendum est enim, valdéque timendum, quòd quicunque fuerit superbus minister cum Zabulo computatur, sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit purum, quod per illum *Lib. 4. sent. di. 11. §. b. Aug. ser. 28. ad fratres in eremo.* transit liquidum, venit ad fertilem terram. Spiritualis verò virtus sacramenti ità est, quæ ab illuminandis pura excipitur, & si per immundos transeat, tamen non inquinatur.

Quod omne crimen sacrificijs Deo oblatis expiatur. Ex decreto Iulij Papæ, Episcopis per Ægyptum missis. ¶ CAP. II.

De consec. dist. 4. c. cum omne crimen. Concilij Braccar. 3. cap. 1. Cùm omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificij oblatione erratur? Audiuimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, contra diuinos ordines & Apostolicas institutiones lac pro vino in diuinis sacrificiis dedicare, alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro complemento Communionis porrigere, quosdam etiã expressum vinum in sacramento Dominici Calicis offerre: alios verò pannum lineum musto intinctum per totum annum reseruare, & in tẽpore sacrificij aquâ partem eius lauare, & sic offerre. Quod quàm sit Euangelicæ atque Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum, non difficilè ab ipso fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Cùm enim magister veritatis verum salutis nostræ Sacrificium suis commendaret discipulis, nulli lac, sed panem tantùm & calicem sub hoc sacramento cognoscimus dedisse. *Matth 26. 1 Corinth. 11 Ioan. 13.* Legitur enim in Euangelica veritate: Accepit Iesus panem & calicem, & benedicens, dedit discipulis suis. Cesset ergo lac sacrificando offerri, quia manifestum & euidens exemplum Euangelicæ veritatis illuxit, quòd præter panem & vinum aliud offerri non liceat. Illud verò quòd pro complemento communionis intinctã tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Euangelio testimonium receperunt, vbi Apostolis corpus suum & sanguinem commendauit. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus, *Ioan. 13.* excepto illi tantùm discipulo, quem intinctâ buccella magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti huius institutionem signaret. Nam quòd de expresso botro, id est de vuarum granis populus communicat, valdè est omninò confusum, sed si necesse fuerit botrus in calice comprimatur: & aqua misceatur, quia Calix Dominicus iuxta canonum pręcepta vino & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Ergo cùm in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentiũ plebs ei in quem credidit copulatur, & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, vt mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi esse incipit sine nobis, si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergo botrus solus offertur, in quo vini efficientia tantùm demonstratur, salutis nostrę sacramentum negligitur, quod aquâ significatur. Non enim potest Calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque misceatur. Et ideò quia iam ex hoc plurima & multiplex maiorum manauit sententia, deinceps omnis talis error atque præsumptio cessare debet, ne peruersorum inordinata compago, statutum veritatis eneruet. Et ideò nulli deinceps licitum erit aliud in diuinis sacrificiis offerre, nisi iuxta antiquorum sententiam conciliorum panem tantũ, & calicem vino & aqua permixtum. De cætero aliter quàm pręceptum est faciens tamdiu à sacrificando cessabit, quàmdiu legitima pœnitentię satisfactione correptus, ad gradus sui officium redeat, quod amisit.

Quod in Eucharistia, nec pura aqua, nec purum vinum, offerri debeat. Ex concilio Vvormatiensi, cap. ij. ¶ CAP. 12.

In Eucharistia non debet pura aqua offerri, vt quidàm sobrietatis causâ falluntur, sed vinum *Côcil. Vvormat. cap. 4.* cum aqua mixtum, quia & vinum fuit in redemptionis nostrę mysterio cùm dicit, Non bibam *Matth. 26.* de genimine vitis, & aqua mixtum quod post cœnam dabat. Sed de latere eius aqua cum sanguine egressa, vinum de vera carnis eius vita cum aqua expressum, ostendit. Cùm igitur veritas verum salutis nostrę sacrificium suis commendaret discipulis, panem tantùm, & calicem sub hoc sacramento prębuisse cognoscimus. Ideóque pręter panem, & vinum cum aqua mixtum, aliud non debet offerri. Calix enim *Idem habetus supra cap. 11.* Dominicus vino & aqua commixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi, Ergo quando in calice vinum, & aqua miscetur, Christus populúsque adunatur: & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & iungitur. Quę copulatio & coniunctio aquę & vini sic miscetur in calice Domini, vt commixto illa non possit separari, Nam si vinum tantùm, quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: Si verò aqua sit sola, plebs esse incipit

ſine Chriſto. Non poteſt calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi vtrumque ſibi miſceatur.

De eodem. Ex concilio Carthaginenſi, iij. cap. xxiij.

¶ Cap. 13.

De conſ. diſt. 2. c. vt in ſacramentis. Vt in ſacramentis corporis & ſanguinis Domini, nihil ampliùs offeratur, quàm quod ipſe Dominus dicit: hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum, nec ampliùs in primitiis offeratur Deo, vino & frumento.

Item de eodem. Ex concilio Africano iij. cap. iiij.

¶ Cap. 14.

de conſecr. diſt. 2. c. vt in ſacramentis. Vt in ſacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum. Primitiæ verò ceu mel, & lac quod vno die ſolenniſſimo infantum myſterio ſolet offerri, quamuis in altari offerantur, ſuam tamen habeant propriam benedictionem: vt à ſacramento Dominici corporis & ſanguinis diſtinguantur, nec ampliùs in primitiis offeratur, quàm de vuis & frumentis.

De Paſsione Domini in conſecratione corporis miſcenda. Ex decretis Alexandri Papæ, c. v.

¶ Cap. 15.

de conſ. diſt. 2. c in ſacramentorum. In Sacramẽtorum quoque oblationibus quæ inter Miſſarum ſolennia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt, vt vbi corpus eius & ſanguis cõficitur, paſſio celebretur: *Lucæ 22.* ita vt repulſis opinionibus ſuperſtitionũ, panis tantũ & vinũ aquâ mixtum in ſacrificio offerantur. Non debet, vt à patribus accepimus, & ipſa ratio docet, in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius in ſua paſſione proflu- *Matth. 26.* xiſſe legitur. Ipſa verò veritas nos inſtruit, calicem & panem in ſacramento offerre, quando ait: Accepit Ieſus panem, & benedixit, deditque *1. Corinth. 11* diſcipulis ſuis dicens: Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter poſtquàm cœnauit, accepit calicem, deditque diſcipulis ſuis dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes, quia hic eſt calix ſanguinis mei qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Crimina enim atque peccata, oblatis his Domino ſacrificiis delentur: Idcirco, & paſſio eius in his commemoranda eſt: qua redempti ſumus, & ſæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus hoſtiis delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ** ingentia* * indulgentia. *de conſ. diſt. 2. c nihil in ſacrificijs.* Nihil enim in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed omnes præcellit, quæ pura conſcientia Domino offerenda eſt, & pura mente conſummanda eſt. Et ſicut potior eſt cæteris, ita potiùs excoli & venerari debet.

Quæ ſpecies ad altare non ad ſacrificium, ſed ad benedictionem ſimplicem offerantur. Ex canone Apoſtolorum, cap iiij.

¶ Cap. 16.

Offerre non licet aliquid ad altare præter nouas ſpicas, & vuas, & oleum ad luminaria, & fabas, & thymiamata ad incenſum, tempore quo ſacra celebratur oblatio.

De eodem. Ex decreto Melchiadis papæ, cap j.

¶ Cap. 17.

Hæ ſpecies quas non licet offerre ſuper altare, iuxta conſtitutionem Apoſtolorum, eorúmque ſucceſſorum: ad domum ſacerdotum deferantur, & à ſacerdotibus benedicantur, & ſimplici benedictione benedicta, demùm à populis ſumantur. Fabæ tantùm & vuæ, ſpicę nouæ, oleũ, & odoramenta ad incenſum, & cætera quæ Apoſtoli conſtituerunt, ſuper altare offerantur.

Nihil in ſacrificio præter quæ Dominus ſtatuit, offerendum. Ex Canone Apoſtolorum cap. iij.

¶ Cap. 18.

Si quis Epiſcopus aut Preſbyter præter ordinationem Domini alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare, id eſt mel aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra conſtitutionem faciens, deponatur.

Vt Presbyteri vas mundum habeant, vbi corpus Dominicum diligentia recondatur. Ex concilio Turonico, cap. iij.

¶ Cap. 19.

Omnis Preſbyter habeat pyxidem, aut vas tanto ſacramento dignum, vbi corpus Domini cum diligentia recondatur, ad viaticum recedentibus de ſæculo. Quæ tantum ſacra oblatio intincta debet eſſe in ſanguine Chriſti, vt veraciter Preſbyter poſſit dicere infirmo, Corpus, & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti proficiat tibi in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam. Sempérque ſit ſuper altare obſerata, propter mures & nefarios homines, & de ſeptimo in ſeptimum mutetur ſemper, id eſt à Preſbytero illa ſumatur, & alia quæ eadem die conſecrata eſt in loco eius ſubrogetur, ne fortè diutiùs obſeruata, mucida (quod abſit) fiat.

Vt Presbyter ſemper Euchariſtiam propter infirmos habeat paratam. Ex concilio VVormatienſi, cap. v.

¶ Cap. 20.

Preſbyter ſemper Euchariſtiam habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, aut paruulus infirmus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur. *de conſ. diſt. 2 c. Presbyter.*

Tanta in altari holocauſta offerenda, quanta populo ſufficere poſsint, & quod remanſerit, cum timore, & tremore, magna diligentia clericorum ſumendum. Ex epiſtola Clementis papæ. *Epiſt. 2. ad Iacob. fratrẽ Domini.*

¶ Cap. 21.

Tanta in altari holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant. Quod remanſerit, in craſtinum non reſeruetur, ſed cum timore, & tremore, clericorum diligentia conſumatur. *De conſ. diſt. 2. c. tribus gradibus.* Qui autem reſidua corporis Domini, quæ in ſacrario relicta ſunt ſumunt, non ſtatim ad communes cibos ſumendos conueniant, ne putent ſanctæ portioni commiſcere cibum, qui per aqualiculos digeſtus in ſeceſſum emittitur. Si ergo mane dominica portio editur, vſque ad ſextã

ieiunent ministri qui eam sumpserunt, & si tertiâ vel quartâ horâ acceperint ieiunent vsque ad vesperam. Sic secreta sanctificatione æterna custodienda sunt sacramenta.

De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap. iij.

¶ CAPVT 22.

Illud etiam annectendum videtur, vt oblata quæ in altari offeruntur, de sabbato in sabbatũ semper innouentur: quia panes propositionis, qui super mensam Domini ponebantur à sabbato in sabbatum semper mutabantur, ne diu seruati mucidi fiant, & vt quidam * sæuiunt, igni concrementur. Quod si aliquis Diabolo instigante hoc facere præsumpserit, anathema sit.

* sentiũt

Vt præsente & præcipiente Presbytero, Diaconus populum communicet. Ex concilio Carthaginensi, iiij. cap. xxxviij.

¶ CAP. 23.

Distinct. 93. c. diaconi.

Vt Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi, populo, si necessitas cogit, iussus eroget.

Quod discretio magna esse debeat in perceptione corporis & sanguinis Domini. Ex epistola Clementis Papæ. ¶ CAP. 24.

Epist 2 ad Iacob fratrẽ Domini.

In perceptione corporis & sanguinis Dominici magna discretio adhibenda est. Cauendum est enim, ne si nimium in longum differatur, ad pernitiem animæ pertineat, dicente Domino: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Si verò indiscretè accipiatur, timendũ est illud, quod ait Apostolus: Qui manducat, & bibit corpus & sanguinem Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Iuxta eiusdem verò Apostoli vocem: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: vt videlicet abstinens aliquantis diebus ab operibus carnis, & purificans corpus animámque suam, præparet se ad percipiendum tantum sacramentum, exemplo Dauid, qui nisi confessus fuisset se abstinuisse ab opere coniugali ab heri, & nudius tertius, nequaquam panes Propositionum à sacerdote accepisset.

Ioan. 6. — 1. Corinth. 11. — 1. Reg 21.

De quotidiana perceptione corporis & sanguis Domini. Ex dictis Augustini.

L. de Eccles. dogm. c 53. de cons. dist. 2. c. quotidie

¶ CAP. 25.

Quotidie Eucharistiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen diebus Dominicis communicandum hortor. Si tamen mens in affectu peccandi est, grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. Et ideò quamuis quis peccato mordeatur, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini misericordia accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quem mortalia peccata non grauant.

Lib. 4. sententiarum, dist 12. § b.

De eadem re. Ex dictis eiusdem. Ad Ianuarium.

Aug. epist. 118 ead. dist. 2.

¶ CAP. 26.

Dixerit quispiam non quotidie accipiendam Eucharistiam, alius affirmet quotidie. Faciat vnusquisque quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neque enim litigauerunt inter se, aut quisquam se alteri præposuit Zachæus & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domo sua susceperit Dominum: alter dixerit, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. Ambo saluatorem honorificantes, quamuis non vno modo: ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consequuti. Valet etiam ad hanc similitudinem quòd in primo populo vnicuique manna secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat: sic in ore cuiusque Christiani sacramentum illud quomodo sumatur æstimandum.

Lucæ 19. Matth. 8.

De laicis, vt si non amplius, saltem ter in anno communicent. Ex epistola Fabiani papæ, cap. iij. ¶ CAP. 27.

Vt si non frequentiùs saltem in anno ter homines communicent, (nisi fortè quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur) in Pascha videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini.

de consec. dist. 2. c etsi non frequentius.

De Eucharistia, vt qui semper peccant, semper accipere debeant. Ex dictis Cypriani & aliorum sanctorum Patrum.

¶ CAP. 28.

Sanctus Cyprianus dixit, Eucharistia quotidiè ad cibum salutis accipitur. *Sanctus Ambrosius dixit*, Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco, debeo semper accipere medicinam. *Sanctus Hilarius dixit.* Si non tanta sunt peccata, vt excommunicetur quis, non debet à medicina corporis Domini separari: Vnde timendum est ne diu abstractus à Christi corpore alienus remaneat à salute. Nam manifestum est viuere, qui corpus attingunt Christi, ipso Domino dicente: Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui enim iam peccare quieuit, communicare non desinat.

In serm cœnæ Domini. Lib. 4. de sacram. cap. 6.

Quòd in singulis diebus dominicis in Quadragesima fideles communicandi sint. Ex decretis Silueri Papæ, cap. iij.

¶ CAP. 29.

Singulis diebus Dominicis in Quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, & præter illos qui in publica pœnitentia sunt, sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt: & in Cœna Domini: in vigilia Paschæ: & in die Resurrectionis Domini & in Pentecoste: & in Natali Domini, pœnitus ab omnibus communicandum est.

Vt in Cœna Domini Eucharistiæ perceptio non negligatur. Ex decretis Soteris Papæ, cap. v.

¶ CAP. 30.

In Cœna Domini à quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur. Quæ quoniam in eadẽ die ab omnibus fidelibus, exceptis his quibus pro grauibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, ecclesiasticus vsus demonstrat: cùm etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis dominici sacramenta, reconcilietur

de const dist. 2. c. in cœna.

De histrionibus, si communionem cum cæteris fidelibus accipere debeant. Ex Epistola Sancti Cypriani ad Eucratium.

20 lib. 1 epistolarum.

¶ CAP. 31.

de consecr. dist. 2. c. Cyprianus.

Cyprianus Eucratio confratri salutem. Pro dilectione tua verecundia mutua consulendum me existimasti frater charissime, quid mihi videatur de histrione illo, qui apud vos constitutus, in eiusdem adhuc artis suæ dedecore perseuerat, & magister, & doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod malè didicit, cæteris quoque insinuat: an talis debeat communicare nobiscum. Puto ego nec Maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.

Quamdiu vnusquisque ante sacram communionem ab vxore abstinere debeat. Ex concilio Eliberitano.

¶ CAP. 32.

De consecr. dist. 2. c. omnis homo.

Omnis homo ante sacram communionem à propria vxore abstinere debet tres, aut quatuor, aut septem dies.

Vt inter Catholicos non connumeretur qui in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini non communicauerit. Ex concilio Agathensi. cap. xviij.

¶ CAP. 33.

de consecr. dist. 2. c. Seculares.

Sæculares qui Natali Domini, Pascha & Pentecoste non communicauerint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.

Vt oblatio altaris singulis diebus dominicis fiat. Ex decretis Fabiani Papæ. cap. v.

¶ CAP. 34.

Decreuimus, vt in omnibus Dominicis diebus, oblatio altaris ab omnibus viris vel mulieribus fiat, tam panis quàm vini, vt per has immolationes à peccatorum suorum fascibus liberentur.

De eodem. Ex decretis eiusdem, cap x.

¶ CAP. 35.

Oblationem quoque & panem in Ecclesia facere iugiter admoneatur populus Christianus, quia in ipsa oblatione sibi & suis magnum remedium est animarum, & ipsa vera pace, vnanimitas & concordia demonstratur.

De Diaconibus quòd Presbyteris Communionem dare non debent. Ex concilio Niceno. cap. xviii.

¶ CAP. 36.

Dist. 93. c. peruenit ad sanctum.

Peruenit ad sanctum magnúmque Concilium, quod in quibusdam locis & ciuitatibus Diaconi Presbyteris gratiam sacræ communionis porrigant, quod nulla regula tradidit, vt ab his qu[i] potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt [C]hristi corpus accipiant. Nec non & illud innotuit, quod quidam Diaconi ante Episcopos sacram oblationem contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in sua Diaconi mensura permaneant: scientes quòd Episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem Presbyteris habeantur. Per ordinem ergo post Presbyteros gratiam sacræ communionis accipiant, aut Episcopo aut Presbytero eis porrigente. Sed nec sedere in medio presbyterorum Diacono liceat, quia si hoc fiat, præter regulam & ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, à ministerio cessare debebit.

De Eulogijs populo à Presbyteris dandis. Ex decretis Pij Papæ, cap. iiij.

¶ CAP. 37.

Vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis, Presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase nitido, vt post Missarum solennia qui communicare non fuerunt parati, Eulogias omni dominico die, & in diebus festis inde accipiant, & illa vnde Eulogias Presbyter daturus est, antea his verbis benedicat. *Oratio simplex Eulogiæ.* Domine sancte, Pater omnipotēs, æterne Deus benedicere digneris hunc panem, tua sancta & spirituali benedictione: vt sit omnibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & vniuersas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum panem vitæ, qui de cœlo descendit, & dat vitam & salutem mundo, & tecum viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

De Pane qui offerendus est. Ex decretis Aniceti Papæ, cap. iij. ¶ CAP. 38.

Panes quos Deo sacrificium offertis, aut à vobismetipsis, aut à vestris pueris coram vobis, nitidè ac studiosè fiant, & diligenter obseruentur: vt panis, & vinum, & aqua sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissimè atque studiosè tractentur, & nihil in eis vile, nihil non probatum inueniatur, iuxta illud quod ait scriptura: Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. 2. Paral 19

De Presbyteris qui corpus dominicum ad deferendum infirmis, Mulieribus tradunt. Ex concilio Remensi, cap. ij.

¶ CAP. 39.

de consecr. dist. 2. c. peruenit.

Peruenit ad notitiam nostram, quòd quidam Presbyteri in tantum paruipendunt diuina mysteria, vt laico aut fœminæ sacrum corpus Domini tradant ad deferendū infirmis: & quibus prohibetur ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum cōmittuntur. Quod quàm sit horribile, quamque detestabile, omnium religiosorum animaduertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio vlteriùs fiat, sed omnimodis Presbyter per semetipsum infirmum communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit.

Vt Defunctis Eucharistia non detur. Ex concilio Carthaginensi iij. cap. vj.

¶ CAP. 40.

Item placuit, vt corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Scriptum est enim: Accipite & comedite. Cadauera autem nec accipere pos- Matth. 26.

ſunt, nec edere. Et nec iam mortuos homines baptizari faciat Preſbyterorum ignauia.

Vt Oblationes in maioribus feſtis æquanimiter fiant. Ex concilio Matſconenſi ij. cap. iiij.

¶ Cap. 41.

In ſynodo Matiſconenſi decretum eſt: vt in omnibus diebus Dominicis, aliiſque feſtiuitatibus, ab omnibus oblatio qui ad miſſam conuenerint vtriuſque ſexus, offeratur in Eccleſia, ſingulis ſingulas oblationes offerentibus, finitâ miſsâ à Preſbytero oblationes accipiantur. Omnis autem qui hanc diffinitionem per inobedientiam euacuare præſumpſerit, anathemate percellatur.

Vt ſolis miniſtris altaris ſuper altare communicare liceat. Ex concilio Laodicenſi, cap. xix.

¶ Cap. 42.

Solis autem miniſtris ſacro ordini debitis ad altare accedere & communicare liceat.

Vt nullus infra Presbyterum ordinatus, rem à Presbytero conſecratam in altari porrigat. Ex decretis Silueſtri Papæ, cap. vij.

¶ Cap. 43.

Nullus Acoluthorum, vel Subdiaconorũ rem conſecratam à Preſbytero iam aliis porrigat, quia aliud eſt miniſter, aliud aſſiſtens: niſi tantùm ſupportet quod ei ſacerdos impoſuerit ore ſuo benedictum.

Vt Presbyter illiteratus Miſſam non celebret. Ex decretis Fabiani Papæ, cap. x.

¶ Cap. 44.

Sacrificium non eſt accipiendum de manu ſacerdotis, qui orationes, vel lectiones, & reliquas obſeruationes in miſſa ſecundùm ritum implere non poteſt.

De illis qui poſt aliquam deguſtationem, ſacrificium acceperint. Ex decretis Eutychiani Papæ, cap. ij.

¶ Cap. 45.

Qui acceperint Sacrificium poſt cibum, aut poſt paruiſſimam aliquam refectionem, niſi pro viatico, pueri tres dies, maiores ſeptimanam, clerici viginti dies pœniteant.

Pro vnius oblatione alterius non ſpernendam. Ex decretis Eugenij Papæ, cap. xvij.

¶ Cap. 46.

Preſbyter pro vnius oblatione alterius non ſpernat.

Vt diſsidentium fratrum oblationes non recipiantur. Ex concilio Carthaginenſi iiij. cap. xciij.

¶ Cap. 47.

dif. 90. c. oblationes. Oblationes diſſidentium fratrum neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiantur.

Quod refutanda ſunt dona eorum qui pauperam opprimunt. Ex eodem concilio, cap. xciiij.

¶ Cap. 48.

dif. 90 c. eorum qui. Eorum qui pauperes opprimunt dona à Sacerdotibus refutanda ſunt.

De Presbyteris immolantibus. Ex concilio Ancyrano. cap. i.

¶ Cap. 49.

Preſbyteros immolantes, & iterum luctamen adeuntes, ſi hoc non per illuſionem aliquam, ſed ex veritate fecerunt nec ante parentes & affectantes atque ſuadentes vt æſtimarent quidem tormentis aptari: ſed his tantùm viſu & habitu ſubijci: hos placuit quidem honorem retinere propriæ ſedis: offerre autem, aut alloqui populum, aut omnino ſacerdotalibus fungi officiis, non licere. dif. 50. c. presbyteros qui.

De Diaconibus immolantibus. Ex eodem concilio, cap. ij.

¶ Cap. 50.

Diaconi ſimiliter qui immolauerunt, honorem quidem habeant: ceſſent verò ab omni ſacro miniſterio, ſiue à pane ſiue à calice offerendo. Quod ſi quidam Epiſcoporum, conſcij ſunt laboris eorum & humilitatis, & manſuetudinis, & voluerint eis aliquid ampliùs tribuere vel adimere penes ipſos erit poteſtas, dif. 50. c. presbyteros qui.

Interrogatio Auguſtini Anglorum Epiſcopi de Presbyteris, quibus dormientibus ſolet nonnunquam ſemen effluere.

¶ Cap. 51.

Si poſt illuſionem quæ per ſomnium ſolet contingere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat, vel ſi ſacerdos ſit, ſacra myſteria celebrare. diſt 6. c. teſtamentum. Lib. epiſt. 11 cap. 11.

Reſponſio Gregorij Papæ de eadem re.

¶ Cap. 52.

Hunc quidem, teſtamentum veteris legis, ſicut ſuperiori capitulo iam diximus, pollutum dicit, & niſi lotum aquâ etiam vſque ad veſperam, intrare Eccleſiam non concedit. Quod tamen aliter populus ſpiritualis, intelligens, ſub eodem intellectu accipiet, quem præfati ſumus: quia quaſi per ſomnium illuditur, qui tentatus immunditia vanis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lauandus eſt aquâ, vt culpas cogitationis lachrymis ablaut, & niſi priùs tentiones receſſerint, reum ſe quaſi vſque ad veſperum cognoſcat. Sed eſt in eadem illuſione neceſſaria valdè diſcretio, qua ſubtiliter penſari debeat, ex qua re accidat menti dormientis. Nã aliquando ex crapula, aliquando ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cùm ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate euenerit, omnino hæc illuſio timenda non eſt, quia hanc animus neſciens pertuliſſe magis dolendus eſt, quàm feciſſe. Cùm verò vltra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula grauantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen vſque ad prohibitionem percipiendi corporis Chriſti, vel miſſarum ſolennia celebrandi. Et cùm fortaſſe aut feſtus dies exigit exhiberi myſterium, pro eo quod ſacerdos alius in loco eodem deeſt, ipſe ſi neceſſitas compulit, mutatis veſtibus cantet. Nam ſi adſunt alij qui implere miniſterium valeant, illuſio per crapulam facta, à perceptione ſacri myſterij prohiberi non debet, ſed ab immolatione ſacri myſterij abſtinere vt arbitror, humiliter debet; ſi tamen dormientis

mentem turpitudo non concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur, vt eorum animus etiā in somno corporis positus, turpibus *imaginibus non fœdetur. Qua in re ostenditur mens rea non tuo, vel suo iudicio libera, cùm se etsi dormienti corpore nihil meminit vidisse, tamē in vigiliis corporis meminit in ingluuiē cecidisse. Si verò ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo suus reatus. Videt enim à qua radice inquinatio illa processerit, qui quod cogitauit sciens, hoc pertulit nesciens: propter tale in pollutionem sacro mysterio eo die abstinere oportet. Sed pensandum est, ipsa cogitatio vtrum in suggestione, an delectatione, vel quod maius est peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippè fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum: quia cùm primam culpam serpens suggessit, Eua velut caro delectata est, Adam velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio, vt inter suggestionem, delectationem atque consensum, iudex sui animus præsideat. Cùm enim malignus Spiritus peccatum suggesserit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur peccatum omnino perpetratum non est. Cùm verò delectari caro cœperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensum ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione ergo peccati *initiū, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sæpe contingit, vt hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat: & cùm caro delectari sine animo nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibuss reluctans in delectatione carnali aliquomodo ligatur inuitus, vt ei ex ratione contradicat nec consentiat: & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Vnde & ille cœlestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Si autem captiuus erat minimè pugnabat: Quapropter & captiuus erat & captiuus non erat, & * pugnabat. Igitur legi mentis eius, lex quæ in membris est repugnabat. Si autem pugnabat, captiuus non erat. Itaque est homo (vt ita dixerim) & captiuus & liber: liber ex iustitia quam diligit, captiuus ex delectatione, quam portat inuitus.

*imaginationibus

Ead. dist. c. sed pensandum est.

* semen

Rom. 7.

*repugnabat

De Presbyteris villanis ne in ciuitate offerre audeant. Ex concilio Neocæsariensi, cap. xiij.

¶ Cap. 53.

Presbyteri ruris in Ecclesia ciuitatis, Episcopo præsente vel Presbyteris vrbis ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare calicemque porrigere. Si verò absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt.

De eadem re. Ex decretis Soteris papæ, cap. xiij.

¶ Caput 54.

Presbyteri qui conregionales non sunt, in Ecclesiis præsentibus Episcopis, vel Presbyteris ciuitatis, offerre non poterunt: nec panem dare in oratione, aut calicem bibere. Quòd si absentes sunt ciuitatis sacerdotes, & fuerint imitati in orationem, soli possunt dare.

De illo qui per ebrietatem Eucharistiam euomuerit. Ex pœnitentiali Bedæ Presbyteri.

¶ Cap. 55.

Si quis per ebrietatem vel voracitatem, Eucharistiam euomuerit, quadraginta dies pœniteat, si laicus est. Clerici vel monachi, seu diaconi & Presbyteri septuaginta. Episcopi nonaginta. Si pro infirmitatis causa euomuerint septem dies pœniteant.

de consf. dist. 2. c. si per ebriet.

De hoc, si aliquid de Calice sacri sanguinis stillauerit. Ex decretis Pij Papæ, cap. ij.

¶ Cap. 56.

Si verò per negligentiam de calice Domini aliquid stillauerit in terram, linguâ lambetur, & tabula radetur. Si non fuerit tabula, vt non conculcetur locus, corradetur, & igne consumetur, & cinis intra altare condatur, & Sacerdos quadraginta dies pœniteat. Si super altare stillauerit Calix, sorbeat minister stillam, & tres dies pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuor dies pœniteat: si vsque ad tertium, nouem dies pœniteat, si vsque ad quartum viginti dies pœniteat: & linteamina quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.

De consf. dist. 2. c. Si per negligentiam.

De illo qui vomuerit sacrificium & à canibus consumitur Ex pœnitent. Theodori.

¶ Cap. 57.

Qui euomuerit sacrificium, & à canibus consumitur, annum vnum pœniteat: sin autem, quadraginta dies pœniteat. Si in die quando communicauerit sacrificium euomuerit si ante mediam noctem, tres superpositiones faciat, si post mediam noctem, duas, si post matutinum, vnam.

de consf. dist. 2. c. qui non bene.

De eodem. Ex pœnitentiali Romano.

¶ Cap. 58.

Si verò sacrificium euomuerit, quadraginta dies pœniteat: Si in ignem proiecit, centum psalmos cantet: Si verò canes lambuerint talem vomitum, centum dies qui euomuit, pœniteat.

De Eucharistia inueterata. Ex ij. concilio Arelatensi cap. v.

¶ Cap. 59.

Omne sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburendum est: & cinis iuxta altare sepeliendus.

De illis qui non benè custodiunt Corpus & sanguinem Domini. Ex eodem cap. vi.

¶ Cap. 60.

Qui non benè custodierit Sacrificium, & mus vel aliquod aliud animal comederit illud, quadraginta dies pœniteat, Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit & inuenta non fuerit, triginta dies pœniteat. Perfundens aliquid super altare de Calice, quando offertur, sex dies pœniteat: aut si abundantiùs, septem dies pœniteat: Qui autem perfuderit dum solennitas Missæ celebratur, quadraginta dies pœniteat. Si verò celebratâ missâ, Presbyter negle-

neglexerit accipere sacrificium, similiter quadraginta dies pœniteat. Et qui accipit sacrificiū pollutus nocturno tempore, septem dies pœniteat. Diaconus si obliuiscens * orationem offerre, donec offeratur linteamen, quando recitantur nomina pausantium, similiter pœniteat. Qui negligentiam erga sacrificium fecerit, vt in eo vermis consumptus sit, & ad nihilum deuenerit, tres quadragesimas cum pane & aqua pœniteat. Si integrum inuentum fuerit, in eo vermis comburatur: & cinis sub altare recondatur: & qui neglexerit, quaternis diebus suam negligentiam soluat. Si cum amissione saporis decoloratur sacrificium, viginti dies expleantur ieiunio, conglutinatum verò septem dies qui merserit, pœniteat.

* oblationem

De eadem re. Ex pœnitentiali Romano.

¶ CAP. 61.

Si ceciderit sacrificium de manibus offerentis terra tenus vt non conculcetur, omne quodcunque inuentum fuerit in loco in quo ceciderit comburatur, & cinis, vt suprà, abscondatur, & cui acciderit medium annum pœniteat: Si verò sacrificium inuentum fuerit, locus scopis mundetur, & stramen, vt suprà, igni detur, & cinis, vt suprà, recondatur, & Sacerdos viginti dies pœniteat.

De muliere quæ peperit, vt communicet si voluerit. Ex concilio Carthaginensi. ¶ CAP. 62.

Mulier enixa, si voluerit Communionem percipiat.

Qui Passionem Domini in precatione sacerdotum miscuerint. Ex Pontificum decretis.

¶ CAP. 63.

Alexander Passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum, quando missæ celebrantur. Siricius constituit, vt nullus Presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. Leo primus constituit, vt intra actionem sacrificij diceretur, Sanctum sacrificium, & cæt.

De custodibus sacramentorum. Clemens in secunda ad Iacobum Epistola. ¶ CAP. 64.

De consf dist. 2. c. tribus.

Tribus gradibus commissa sunt sacramenta diuinorum secretorum, id est Presbytero, Diacono, & ministro, qui cum timore & tremore clericorum reliquias corporis Domini debent custodire fragmentorum.

Sindonem sacram non esse vendendam. Item in eadem Epist. ¶ CAP. 65.

17 q. 4. c. Si fortè.

Si fortè quispiam Presbyter siue Diaconus sacrarij sindonem vel velum subtracta vendiderit, Iudæi Iscariotis similis æstimabitur.

Quid faciendum sit de vestibus altaris inueteratis. Ibidem. ¶ CAP. 66.

de consf dist. 1. c. altaris palla.

Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur.

Quòd Deo perfectè sacrificantes, testes secum habere debent dum sacrificant: Episcopus verò plures quàm alij. Anacletus Papa tertius à Petro in primo decretali suo.

¶ CAP. 67.

de consf dist. 1. c. Episcopus Deo sacrificans.

Deo perfectè sacrificantes, quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, vt Domino perfectè in locis Deo sacratis, sacrificare probentur. Ait namque authoritas legis diuinæ: Vide ne offeras holocausta tua, in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus. Episcopus Deo sacrificans testes, (vt præfixum est) secum habeat, & plures quàm alius sacerdos. Sicut enim maioris honoris gradu fruitur, sic maioris testimonij * incremento indiget. In solennioribus verò diebus, aut quatuor, aut quinque, aut tres Diaconos, qui eius oculi dicuntur, & subdiaconos, atque reliquos ministros secū habeat, qui sacris induti vestimentis à fronte & à tergo, & Presbyteri è regione dextra læuáque contrito corde, & humiliato spiritu, ac prono stēt vultu, custodientes eum à malis hominibus, & consensum eius præbeant sacrificio. Peracta autem consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.

Deuter. 12.

* incrementatione

Quòd aqua cum vino misceri debeat in Calice. Ex epistola j. decretali Alexandri primi.

¶ CAP. 68.

Non debet, vt à patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in Calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum: quia vtrūque ex latere eius in sua passione profluxisse legitur. *Item* Nihil enim in sacrificiis maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi. Nec vlla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit. Quæ purâ conscientiâ Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda, & sicut potior est cæteris, ita potiùs excoli & venerari debet. Aquam sale conspersam populis benedicimus: vt ea cuncti aspersi sanctificentur, ac purificentur, quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat: multò magis aqua sale aspersa, diuinísque precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat. Et si sale asperso per Eliseum prophetam sterilitas aquę sanata est: quātò magis diuinis precibus sacratus, sterilitatem aufert humanarum rerum, & coinquinatos sanctificat atque purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit & à phantasmatis versutiis homines defendit?

de consf. dist. 2. c. nihil in sacrificiis.

de consf. dist. 3. c. aquam sale.

Hebr. 9.

2. Reg. 4.

Sacerdotes suis precibus peccata populi delere atque consumere. Ex secunda eiusdem decretali.

¶ CAP. 69.

Ipsi sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus ea delent, atque consumunt: qui quantò digniores fuerint, tantò faciliùs in necessitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur.

1. q c. ipsi sacerdotes. Oseæ 4.

Sacra vasa non ab alijs, quàm à consecratis Domino hominibus esse tractanda. Sixtus à Petro papa vj. in primo decretorum suorum. Omnibus in Christo dilectis fratribus.

¶ CAP. 70.

A nobis & reliquis Episcopis, cæterísque Domini sacerdotibus statutū est, vt sacra vasa non ab aliis, quàm à sacratis Dominóque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valdè est, vt sacra Domini vasa, quæcunque sint, humanis vsibus seruiant, & ab aliis quàm à Domino famulantibus eique dicatis tractentur viris, ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus plagam imponat populo suo.

de consf. dist. 1. c. in sancta hac Apost.

Nullis aliis temporibus, nisi in Natiuitate Domini, Missam nocte celebrandam. Telesphorus septimus à Petro in decretali sua epistola.

¶ CAP. 71.

de consec. dist. 1. c. nocte sancta.

Nocte verò sancta Natiuitatis Domini saluatoris missas celebrent, & hymnum Angelicũ in eis solenniter decantent: quoniam & eadem nocte ab Angelo enunciatus est pastoribus. *Et infrà.* Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentiũ, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Reliquis verò temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiã, minimè sunt celebrandæ, quia in eadem hora, & dominus crucifixus est, & Spiritus sanctus super Apostolos legitur descendisse.

Lucæ 2. Lucæ 15. Act. 2.

Sacratas Deo fœminas, vel monachas sacra vasa vel pallas altaris non debere contingere. Soterus Papa vndecimus à Petro, in secunda decretali sua epist. ¶ CAP. 72.

23. dist. c. sacratas. Item infrà 3. c. 265.

Sacratas Deo fœminas vel monachas, sacra vasa vel sacratas pallas penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre, perlatum est ad Apostolicam sedem. Quæ omnia reprehensione & vituperatione plena esse, nulli rectè sapientium dubium est. Quapropter huius sanctæ sedis authoritate hæc omnia vobis resecare funditus, quantò citiùs poteritis, censemus.

Singulis annis in cœna Domini Chrisma conficiendum esse. Fabianus Papa 18. à Petro in secundo suo decreto. ¶ CAP. 73.

de consecr. dist. 3. c. literis vestris.

Literis vestris inter cætera insertum inuenimus, quosdam regionis vestræ Episcopos à vestro nostróque ordine discrepare, & non per singulos annos in cœna Domini Chrisma conficere. *Infrà.* Errant verò qui talia excogitant, & mente vesana potius quàm recta sentientes, hæc audent. *Item.* Sicut ipsius diei solennitas per singulos annos celebranda est, ita ipsius sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus tradenda: quia nouum sacramentum est per singulos annos in iam dicta die innouandum, & vetus in sanctis Ecclesiis cremandum. Ita à sanctis Apostolis & successoribus eorum accepimus, vobísque tenenda mandamus.

Vestimenta Ecclesiastica quibus Domino seruitur sacra debere esse & honesta Stephanus papa. xxij. à Petro, in decimo decreto suo.

¶ CAP. 74.

Ep. 1. c. 3. De consf. dist. 1. c. vestimenta.

Vestimenta Ecclesiastica quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse, & honesta: quibus in aliis vsibus non debet frui, quàm Ecclesiasticis & Deo dignis officiis. Quæ nec ab aliis debent contingi aut ferri, nisi à sacratis hominibus, ne vltio quæ Balthasar percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes veniat diuina, & corruere eos faciat ad imum.

Daniel. 5.

Quòd non solùm Episcopis sed etiam Presbyteris liceat infirmos oleo sancto inungere. Innocentius primus in prima sua decretali epist. cap. viij. ¶ CAP. 75.

Dist. 95. c. illud superfluum.

Illud superfluum videmus adiectum, vt de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco Presbyteris dictũ est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquẽ à se visitandum, & benedicere & tangere Chrismate sine cunctatione potest, cuius est ipsum Chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi?

Missam nunquam nisi pro magna necessitate in locis non sacratis cantandam. Fœlix Papa omnibus Episcopis.

Fœlix 4. ep. 1.

¶ CAP. 76.

Satius est Missam non cantare aut non audire, quàm in his locis vbi fieri non oportet, nisi (vt sæpe dictum est) pro summa contingat necessitate, quando necessitas legem non habet. Vnde scriptum est: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit dominus Deus tuus.

De consf dist. 1. c. sicut non alij. Deuter. 12.

De ordine Præfationum secundùm Romanam Ecclesiam. Pelagius ij. Papa, epist. iiij.

¶ CAP. 77.

Pelagius 2. Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedis Episcopus, vniuersis Galliarum atque Germaniarum Episcopis. Cùm in Dei nomine in Romana Ecclesia Synodum Episcoporum siue cæterorum consacerdotum Dei fidelium congregatam habuissemus, & de Ecclesiasticis statutis, vt sunt ab Apostolis & à sanctis patribus tradita, diligentiùs tractaremus: superuenere literæ vestræ, & vt magis essent authoritatiuæ, etiam viuæ voces processerũt rogantes, vt ordinem Præfationum quem sancta Romana Ecclesia hactenus haberet, nostris literis vobis mandaremus. Tunc de vestra voluntate, & studio tam bono multùm gauisi sumus, sacrum ordinẽ Romanum, sacráque constituta nostrorum antecessorum solerter relegentes, inuenimus has nouem Præfationes in sacro catalogo tantummodo * receptas, quas longa retrò vetustas in Romana Ecclesia hactenus seruauit; Id est, vnã in albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de natali Domini, quintam de apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de sancta Trinitate, octauam de sancta Cruce, nonam de Ieiunio in quadragesima tantùm dicendam. Has Præfationes tenet & custodit sancta Romana Ecclesia, has tenendas vobis mandamus.

* recipiendas. De conf. dist. 1. c. inuenimus has. Sed titulo Gelasii.

Epistola Gregorij ad Ianuarium Episcopum de messe cuiusdam exarata. ¶ CAP. 78.

Li. 7 registri. indictione 2. epist. 1. Distin. 86. c. tanta.

Tanta autem nequitia ad aures meas de tua senectute peruenit, vt eam nisi adhuc humanitus pensaremus, fixa iam maledictione ferire mus. Dictum quippe mihi est, quòd Dominico die, priusquàm missarum solennia celebrares, ad exarandam messem latoris præsentiũ perrexisti, & post exarationem eius, missarum solennia celebrasti. Post solennia etiam terminos possessionis illius eradicare minimè timuisti. Quod factum quæ pœna debuit insequi, omnes qui audiunt sciunt. *Item infrà.* Et quidem pœnæ sententia in te fuerat iaculanda, sed quia simplicitatem tuam cum senectute nouimus, interim tacemus. Eos uerò, quorum consilio hæc egisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus, ita vt si quid eis intra duorum mensium spatium humanitus euenerit, benedictione

viatici non priuentur. Deinceps autem ab eorum consiliis cautus existe, te quoque sollicitè custodi, ne si eis in malo discipulus fueris, quibus magister in bono esse debuisti, nec simplicitati tuæ vlterius, nec senectuti parcamus.

Li. 4 regist. cap 88. siue epist 44. Dist 92. In sancta.

Quòd Diaconi non debeant seruire modulationi vocis. Item. ¶ CAP. 79.

In hac sancta Romana Ecclesia cui diuina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est valdè reprehensibilis exorta, vt quidam ad sacrum altaris ministerium cantatores eligantur, & in Diaconatus ordine constituti, modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, & eleemosynarum studium vacare congruebat. Vnde fit plerumque vt ad sacrum ministerium, dum vox blanda quæritur, quæri congrua vita negligatur, & cantor minister Domini,* moribus stimulet, cùm populum vocibus delectat. Qua de re præsenti decreto constituo, vt in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solúque Euangelicæ lectionis officium inter missarum solennia exoluāt. Psalmos verò ac reliquas lectiones censeo per Subdiaconos, vel si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentauerit, anathema sit.

* Deum

Gregorius ad interrogat. Aug. Anglorum Episc. ca. 3. dist. 12. c. nouit.

Quòd potior vsus Ecclesiæ sit tenendus. Gregorius Augustino. ¶ CAP. 80.

Nouit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit esse nutritā. Sed mihi placet, vt siue in Romana, siue in Gallicana, seu in qualibet Ecclesia aliquid inuenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas: & in Anglorum Ecclesia quæ adhuc in fide noua est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere poteris infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, & hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.

De numero Missarum. Alexander Papa.

¶ CAP. 81.

Sufficit sacerdoti Missam vnam in die vna celebrare, quia Christus semel passus est, & totū mūdum redemit. Non modica res est vnam Missam facere, & valde fœlix est qui vnam dignè celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis vnam faciūt, & alteram de die, si necesse sit. Nam quicumque pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium, vna die præsumunt plures facere Missas, non existimo euadere condemnationem.

De non abijciendis à populo Presbyteris coniugatis. Responsio Nicolai j Papæ ad consulta Bulgarorum ad fidem conuersorum, cap. lxx.

¶ CAP. 82.

dist. 28 c. consulendū.

Consulendum decernitis vtrum Presbyterū habentem vxorem debeatis sustentare, & honorare, an à vobis proiicere. In quo respondemus, quoniam licet ipsi sint valde reprehensibiles, vos tamen Deum conuenit imitari, qui solem suum (vt Euangelium testatur) oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Deijcere verò eum à vobis ideo non debetis: quoniam nec Iudam Dominus, cùm esset mendax discipulus, de numero Apostolorum deiecit. Verùm de Presbyteris, vobis qui laici estis, nec iudicandum est, nec de vita illorum quicquam inuestigandum, sed Episcoporum iudicio quicquid id sit reseruandum est.

Matth. 5. 6

Quòd polluti Sacerdotes non polluant diuina sacramenta. Item titulo xi. cap. v. ¶ CAP. 83.

Sciscitantibus vobis si à Sacerdote qui siue deprehensus est in adulterio, siue de hac sola fama respersus est, debeatis Cōmunionem suscipere nec ne, respondemus. Non potest aliquis quantumcunque pollutus sit, sacramenta diuina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. Nec potest solis radius per cloacas & latrinas transiens, aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiscunque sit sacerdos, quæ sancta sunt coinquinari non possunt. Idcirco ab eo, vsquequò Episcoporum iudicio reprobetur, Communio percipienda est, quoniā mali bona ministrando se tantummodò lædunt: & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis verò lumen in tenebris subministrat: & vnde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite ergo ab omni sacerdote intrepidè Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur. Fides est enim quæ vincit hūc mundum. Et quia non dantis meritum sed accipientis fit, dicente beato Hieronymo ad credendum in omni anima baptismus est perfectus, & in omni sacerdote corpus est perfectum. Qui rursus sacræ scripturæ concordans ait: Priusquā audias, ne iudicaueris quemquàm, atque ante probationem accusationis illatæ neminem à tua communione suspendas, quia non statim qui accusatur reus est, sed qui conuincitur criminosus.

1. Ioan. 5.

*De Simoniacis. Ex decretis * Paschalis Papæ, cap xviij.* ¶ CAP. 84.

* Paschasij

Fraternæ mortis incurrit crimen, quisquis potest & fratrem à morte minimè defendit. Nos quoque qui excellentiæ vestræ summum crimē audiuimus, summam reatus pœnam incurrimus si tacemus; Domino terribiliter attestante, quia profectò sanguinem fundit qui impietatem iniquorum tacendo dissimulat, Audiuimus enim (quod valdè miramur) quòd sacri apud vos ordines pecuniis *distrahūtur. Dū quicunque tale aliquid attentauerint, omnino hæretici probentur, Spiritu sancto per Gregorium intimante, quia quisquis per pecunias ordinatur, ad hoc vt fiat hæreticus, promouetur. Et vt huius nostræ paginulæ non præsumptionis, sed timoris causam fuisse monstremus, Beatus idem prosequitur: Quisquis contra Simoniacam, & Neophytorum hæresim pro officij sui loco vehementer non arserit, cum eo se non dubitet habiturum portionē, qui priùs commisit hoc * periculosum flagitiū. Quibus in verbis cùm hæreticus ex Simoniaca & Neophytorum hæresi exprimatur, quòd æterna morte dignissimum crimen sit, apertissimè declaratur, diuino oraculo per Augustinum protestante ac dicente: Firmissimè tene & nullatenus dubites, omnem hæreticum & schismaticum quamuis multas eleemosynas faciat, vel etiam pro Christo sanguinem fundat, cum diabolo & angelis eius æterni ignis incendio mancipandum, nisi ante finem huius vitæ, Catholicæ Ecclesiæ fuerit incorporatus, & redintegratus. Hinc est quòd Dominus vendentes & ementes de templo eiecit. Dathan & Abiron ambientes terra deglutiuit. Simonémque tentantem Petrus damnauit, om-

* al. detrahūtur, forte distribuuntur.

Greg. li. 4. in regist. cap. 99.

* piacula re flagitium.

Aug lib. de fide ad Petrum ca. 39.

Matth. 21. Num. 16. Act. 8.

nes in eo Simoniacos Ecclesiasticis iaculis perpetuo anathemate condemnauit. Et turpe nimium est, vt plenissimo vigore iam confirmata Ecclesia tam ferali inimico succumbat, de quo in primordio suæ infantiæ tanta virtute triumphabat. Si quis autem obiecerit non consecrationes emi, sed res ipsas quæ ex consecratione prouenuiunt, penitus desipere probatur. Nam cùm corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, tale aliquid sine rebus corporalibus & exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter viuit, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum haberi prouenit, neutrum vendere non derelinquit. Quam tamen obiectionem sacer penitus Canon exterminat, cùm procuratorem vel defensorem Ecclesiæ, vel regulæ subiectum, adeò per pecunias ordinari prohibeat, vt mediatores quoque huius sceleris anathematis mucrone incidat. Quid plura? Si anathematizati, & excommunicati, & vt verè hæretici, Simoniaci, & Neophyti, numero sunt fidelium Ecclesiæ separati, quis non videat, quòd huiusmodi sacerdotum vel clericorum Missæ, & orationes Dominum super populum ad iracundiam prouocent, quem placari talibus credunt? Scriptum est enim:
Rom. 14. Omne quod non est ex fide peccatum est: & veri sacrificij locus non est extra Ecclesiam Catho-
Tit. 3. licam. Vnde & dicitur: Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita. Quomodo ergo tales Episcopos & Abbates, vel reliquos clericos deuitamus, si eorum Missas audimus, cum quibus si vel simul oramus, excommunicationem subimus? Quos quidem sacerdotes esse, saltem credere, omnino errare est,
Act. 8. cùm Simoni dicat Petrus: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecuniis possidere. Vbi cùm dicitur existimasti, patet quòd non pro eo quòd fecerit, sed facere se posse crediderit condemnatur, cùm tamen minus sit existimare quàm credere, cùm quidem hæreticum qualemcunq; esse sit certa & indubitata dãnatio. Quid valet Arrianos, Sabellianos, Photinianos, impiósque Manichæos vrbe pepulisse, si Simoniaca & Neophytorum hæresis, quæ vt beatus Gregorius dicit, ante omnes in sancta Ecclesia diabolica fraude subrepsit, quasi primã & maximam castitatem Ecclesiæ non solũ corporali, sed animi pollutione cõtaminet? Igitur in Deum & propter Deum, vestram excellentiam, & omnes fideles Christi rogamus & obtestamur, si habere in Christo partem cupitis, summopere instate, vt tam sæua pestis, quæ innumeros iam populos vsquequaque sæuiendo æterna morte damnauit, vestra authoritate & exemplo peni-
Matth. 12. tus destruatur. Vt vlteriùs (quod absit) in Spiritu sancto peccare, neque hîc neque in futuro sæculo remittatur.

Quod hostia intincta non sit porrigenda. Ex decretis Iulij Papæ. ¶ Cap. 85.

Illud quòd pro complemento Communionis
Eadem habentur suprà c. 11. quidam intinctam tradunt Eucharistiam populis, non hoc prolatum Euangelio testimonium reppererunt, vbi Apostolis corpus & sanguinem suum Dominus commendauit. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio comme-
Ioan. 13. moratur. Nam intinctum panem aliis præbuisse Christum non legimus, excepto illo tantùm discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quod huius sacramenti [illegible]tionem signaret.

Quibus non sunt danda reliquiæ. Item ex ij. epistola Clementis Papæ. ¶ Cap. 86.

Præcipimus ne vnquam extero Ecclesiæ siue laico, de fragmentis oblationum Domini ad mensam ponatur. Vnde scis tu qui passim sacrarij panes indignis impendis, vnde nosti, si à mulieribus mundi sunt? Hinc & Dauid ab Abimelech sacerdote interrogatus, cùm panes sibi ad comedendum posceret, si mundus esset à muliere, cùm se mundum à triduo profiteretur panes Propositionis manducauit. D: cons. dist. 2. c. tribus. 1. Reg. 21.

Non plus quàm vnam Missam faciendam in die. Leo Dioscoro Alexandrino Episcopo.

¶ Cap. 87.

Necesse est autem, vt quędam populi pars sua deuotione priuetur, si vnius tantùm Missę seruato more sacrificium offerre non possunt, nisi prima diei parte conuenerint. Studiosè ergo fraternitatem tuam familiariter admonemus, vt quod nostræ consuetudini, ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, vt per omnia nobis fide & actibus congruamus. Propter quod remeante filio nostro Possidonio Presbytero hanc ad dilectionem tuam epistolã dedimus perferendam, qui nostris professionibus atq; actionibus frequenter interfuit, & totiens ad nos missus, quid in omnibus Apostolicę sedis authoritas teneret, agnouit.

Non esse commitenda mysteria vexatis dæmone vel passione. Gelasius papa eius nominis primus cap. xxi. ¶ Cap. 88.

Vsque adeò sanè comperimus illicita quæque prorumpere, vt dæmonibus aliisque passionibus irretitis mysteria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si in hoc opere positis aliquid propriæ necessitatis occurrerit, quis de sua ac fidelium salute confidat, vbi ministros ipsos curationis humanæ tanta perspexerit calamitate vexari? Atque ideo necessariò remouendi sunt, ne quibuslibet (pro quibus Christus mortuus est) scandalum generetur infirmis. Postremò si corpore sauciatum fortassis, aut debilem nequaquàm sancta contingere lex diuina permittit, quantò magis doni cœlestis dispensatores esse non conuenit, quod est deterius, mente percussos? dist. 33. c. vsque adeo.

Non esse sumendum corpus Domini sine calice. Gelasius Maiorico & Ioanni Episcopis.

¶ Cap. 89.

Comperimus autem quòd quidam in eadem regione, sumpta tantùm corporis sacri portione, à Calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubiò, quoniã nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire. de cons. dist. 2. c. comperimus.

Nulli reprobo Sacerdoti ad diuini sacramenti mysteria accedendum esse. Gelasius Helpidio Episcopo.

¶ Cap. 90.

Sacrosancta religio quæ Catholicam * tenet disciplinam, tantam sibi reuerentiã vendicat, vt ad eam quilibet nisi purâ conscientiâ nõ audeat peruenire. Nã quomodo ad diuini mysterij consecrationẽ cœlestis Spiritus inuocatus adueniet * cõtinet 1 q. 1. c. Sacrosancta.

si sacerdos, & qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobetur?

Omnia figurâ crucis Christi sanctificari. Stephanus Papa stiliano, Anastasio, Eusebio, Ioanni, Paulo, Episcopis, &c. ¶ Cap. 91.

Nunquid non omnia charismata sacerdotalis ministerij crucis figurâ perficiuntur? Nunquidne baptismatis vnda nisi cruce sanctificata peccata relaxat? Et, vt cætera prætereamus, sine crucis signaculo quis sacerdotij gradus ascendit?

Nihil pro communicandis fidelibus exigendum esse. Ex sexta Synodo Constantinopolitana. ij cap. xxiij.

¶ Cap. 92.

1. q. 1. c. nullus Episcopus. Nullus Episcopus, aut Presbyter, aut diaconus, qui sacram dispensat Communionem, à percipiente gratiam communionis aliquod pretium exigat. Neque enim venditur gratia, neque pro pretio gratiam Spiritus sancti damus, sed dignis munere sine defraudatione * participamus. Si quis verò eorum qui connumerantur in clero exegerit ab eo cui sacram communionem dispensat, aliquod pretium, deponatur, sicut imitator Simoniacæ fraudis.

* participare concedimus.

Sacramenta Christi Ecclesiæ semper veneranda esse, quamuis à malis ministris administrentur. Augustinus de vnico baptis.

¶ Cap. 93.

Au. de baptismo contra Donati. lib. 4. ca. 4. Aliud est non habere aliquid, aliud non iure habere, vel illicitè vsurpare. Non ideò itaque non sunt sacramenta Christi, & Ecclesiæ, quia eis illicitè vtuntur, non hæretici solùm, sed etiã omnes iniqui, & impij: sed tamen illi corrigendi aut puniendi, illa verò agnoscenda & veneranda sunt.

Ibidem. ¶ Cap. 94.

Sicut autem vrgeri videor cùm mihi dicitur, Ergo hæreticus dimittit peccata; sic & ego vrgeo, cùm dico, Ergo qui cœlestia mandata non seruat, auarus, raptor, fœnerator, inuidus, verbis sæculo non factis renuntians, dimittit peccata. Si per vim sacramenti Dei, sicut ille, ita & ille: si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud enim sacramentum & in malis hominibus Christi esse cognoscitur. *Item.* Sic in hæresi baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis, non fit tamen templum Dei si ab hæresi non recesserit, quomodo neque in auaritia in eodem nomine baptizatus fit templum Dei, si ab auaritia non recedat, quæ est idolorum seruitus. *Item.* Frustrà quidam qui ratione vincuntur, consuetudinẽ nobis obijciunt, quasi consuetudo sit maior veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit à sancto Spiritu reuelatum. Hoc planè verum est, quia si ratio & veritas consuetudini suffragatur, nihil oportet firmiùs retineri. Fortè in populo Dei stat iuxta te auarus, raptor, inhians rebus alienis, quem nosti talem, & fidelis est, vel potius fidelis vocatur, non eum potes de Ecclesia pellere. Non habes aliquem aditum, castigando, & corripiendo corrigere. Accessurus est tecum ad altare, noli timere, vnusquisque proprium onus portabit. *Item.* Quomodo, inquit, ferrem quem noui malum? Nonne meliùs ipsum ferres, quam te foras efferres? Ecce quomodo ferres, attenderes Apostolum dicentem: Vnusquisque proprium onus portabit, liberaret te ista sententia. Non enim cum illo communicares auaritiam, sed communicares cum illo Christi mensam. Et quid tibi obesset si cum illo communicares Christi mensam? Apostolus dicit: Qui enim manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit: sibi, non tibi. Sanè si iudex es, si iudicandi potestatem accepisti, Ecclesiastica regula si apud te accusatur, si veris documentis testibúsque conuincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada. Omnis Christianus dilectissimi, qui à sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ tradi dicitur. Quomodo? Scilicet quia extra Ecclesiam est diabolus, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi diabolo tradi dicitur, qui ab Ecclesiastica communione remouetur. Vnde illos quos tunc Apostolus Sathanæ esse traditos prædicat, excommunicatos à se esse demonstrat.

Ibidem. — *cap. 5. eiusd. lib. dist. 8. c. frustra. vide parte 4. c. 235.* — *Galat 6. Aug. lib de vnico baptismo contra Petilianum cap. 17.* — *1. Corinth. 11.* — *Au. de verbis Apostoli, serm. 68.* — *11. q. 3. c. omnis Christianus.* — *1. Cor. 5.*

Non esse communicandum hypocritis & seductoribus populi. Bonifacius martyr Zachariæ Papæ.

¶ Cap. 95.

11. q. 3. c. antecessor. Antecessor etenim prædecessoris vestri venerandæ memoriæ Gregorius, dum me indignum ordinauit, & ad prædicandum verbum Dei fidei, Germanicis gentibus misit, sacramento me constrinxit, vt canonicis & iustis Episcopis & Presbyteris in verbo facto & consensu adstipulator & adiutor fierem, hoc autem cum diuina gratia implere studui: falsos autem Sacerdotes hypocritas, & seductores populorum, vel corrigerem ad viam salutis, vel declinarem, & abstinerem à communione ipsorum, quod ex parte seruaui, & ex parte custodire & implere non potui, sed spiritualiter impleui sacramentum, quia in consensum, & in consilium illorum non venit anima mea; corporaliter autem ab eis omninò abstinere non potui. Dum venissem ad principem Francorum, cogente Ecclesiarum necessitate, non tales ibi reperi quales volui, sed tamen in sancta communione corporis Christi illis non communicaui.

Nulli esse detrimentum conuersari cum seductoribus, & Pseudopresbyteris corpore si non consenserit voluntate. Zacharias Papa Bonifacio martyri. ¶ Cap. 96.

11. q. 3. c. quod prædecessor. Quod prędecessor noster beatæ memoriæ Gregorius huius sedis Apostolicæ præsul, dum ad prædicandum verbum Euangelij tuam misisset fraternitatem, in Germaniæ partibus & gentibus illis paganis, verbo pollicitationis illam voluit ante esse munitam, ita vt orthodoxos Episcopos, Presbyteros, vel quoscunque reperire potuisses in verbo exhortationis perfectos, ampliùs confirmares, & eis communicares, quod & factum est: si quos verò seductores Episcopos, aut pseudopresbyteros, vel quosque alios à recto fidei tramite deuiantes reperisses, nulla tibi cum eis esset communio, quod te solo Deo * solante vsque ad præsens spiritualiter seruasse te confessus es. Vel si omninò propter principalem, & humanum fauorem gentis Francorum, dum ad eos accessisses, corporaliter abstinere non valuisti, cogente necessitate Ecclesiarum Dei, & tamen in eorum consilio, & consensu communionis anima tua non est coinquinata. Itaque propter hoc, quòd cum eis conuersatus es, non consentiens iniquitati eorum, nullum tibi est detrimentum coram Deo.

*solatiante.

Sacramentum quod offertur ab impijs, sibi obesse, non his pro quibus offertur. Augustinus libro ij. contra epistolam Parmeniani. cap. v.

¶ CAP. 97.

1. q. 1. c. per Esaiam. Esai. 66. Per Esaiam Dominus dicit: Facinorosus qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidat; & qui ponit similaginem, quasi qui sanguinem porcinum; & qui offert thus, quasi qui benedicat idolo. *Post pauca.* Quilibet vbilibet offert sacrificium tale, corde, vel factis, hæc vt audire mereatur, perniciem sibi infert, non illis bonis qui accipiunt ab eis sacramenta eadem, *Ezech. 4.* qui secundùm prophetam Ezechielem gemunt & mœrent peccata & iniquitates, quæ fiunt in medio eorum, quamuis se non inde corporaliter separent. *Ibidem cap vj.* Sacrificia impiorum, eis ipsis oberunt, qui offerunt impiè. Nam vnum atque idem est sacrificium propter nomen Domini quod inuocatur, & semper sanctū est, & tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit. *1. Cor. 11.* Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Non ait *cap. 10. eiusd. libri.* aliis, sed sibi. *Et infrà.* Hoc penè in omnibus talibus quæstionibus intelligendum admonemus: quia scilicet omnia sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamē per eos dignè sumentibus. *Ac infrà.* Spiritus sanctus in Ecclesiæ præposito vel ministro sic inest, vt si fictus *cap. 11. eiusd* non est, operetur per eum Spiritus sanctus, & ad eius mercedem in salutem sempiternam, & eorum regenerationem vel ædificationem, qui per eum siue consecrantur, siue euangelizantur. Si autem fictus est, quoniam verissimè scriptum *Sapient. 1.* est, Spiritus sanctus disciplinæ fugiet fictum, deest quidem saluti eius, vt auferat se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu: ministerium ta- *c. 13. eiusd.* men eius non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum. *Infrà.* Vtrumque sacramentum *1. q c. quod quidam.* est, & quadam consecratione vtrumque homini datur, illud cùm baptizatur, illud cùm ordinatur: ideoque in Catholica vtrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam præpositi, pro bono pacis, correcto schismatis errore suscepti sunt: & si visum est esse, vt eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi: sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra: quia in præcisione fuerat vitium, quod vnitatis pace correctum est, non in sacramentis, quæ vbicunque sunt, ipsa vera sunt. Et cùm expedire Ecclesiæ iudicatur, vt præpositi eorum venientes ad Catholicam societatem, honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur: sed manent super eos, ideòque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat iniuria. *Paulò post in eodem c.* *Infrà.* De his qui ab Ecclesiæ Catholicæ vnitate separati sunt, nulla iam quæstio est, quin & habeant & dare possint, & quin perniciosè ha- *Post aliquot versus.* beant, perniciosèque tradant extra vinculum pacis. *Et infrà.* Neutri sacramento iniuria facienda est. *Infrà.* Sicut non rectè habet qui ab vnitate discedit, sed tamen habet, & ideò redeunti non redditur: sic etiam non rectè dat, qui ab vnitate discedit, sed tamen dat, & ideò quod ab eo accepit venienti ad vnitatem non iteratur. *Infrà.* Sicut redeunti non redditur, quod & foris habebat: sic venienti non repetendum est, quod foris acceperat. Vnde consequenter intelligitur, peruersitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem sacramentorum in nullo peruerso esse violandam. Constat enim eā in peruersis hominibus & sceleratis, siue in eis qui intus sunt, siue in eis qui foris, impollutam atque inuiolabilem permanere: sed in bonis permanent ad præmium, in malis permanent ad iudicium. *Infrà.* Quomodo Catholici non cla- *Cap. 19. eiusdem.* rificant Dominum qui sacramenta eius tam debita veneratione prosequuntur, vt ea si etiam ab indignis tractata fuerint, illis sua peruersitate damnatis illa intemerata sanctitate permanere demonstrentur. *Infrà.* Cùm quisque fra- *Aug. contra epistolam Parmeniani li. 3. ca. 1. 23 q. 4. c. cum quisque. 2. Thess. 3. Eodem ca.* trum, id est Christianorum in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc, vbi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione de qua ipse (Paulus) alibi præcipit dicens, vt inimicum eum non existimetis, sed corripite vt fratrem. *Infrà.* Quando ita cuiusquam crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ.

Aliorum immunditiam mundis obesse non posse. Augustinus contra Petilianum in dialogo. *Aug. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 30. 1. q 1. c. Dominus.*

¶ CAP. 98.

Dominus declarauit in vno cœtu hominum eadem sacramenta sumentium, aliquorum immunditiam mundis obesse non posse. Item Petilianus dixit: Aut si quisquam carmina sacerdotis memoriter teneat, nunquid inde sacerdos est, quòd ore sacrilego carmen publicat Sacerdotis?

De eodem. Responsio Augustini. ¶ CAP. 99.

Ita istud dicis, quasi modò quæramus, quis sit verus Sacerdos, & non quid sit verum Baptisma. Vt enim quisque sit verus sacerdos, oportet vt non solo sacramēto, sed iustitia quoq; induatur, sicut scriptum est, Sacerdotes tui induantur iu- *Psalm. 131. Ioā. 11. & 18* stitiam. Qui autem solo sacramento sacerdos est, sicut fuit Pontifex Caiphas persecutor vnius & verissimi Sacerdotis, quamuis ipse non sit verax, quod dat tamen verum est, si non det suum, sed Dei. *Item paulò post.* Si ergo Apostolus nescio cuius alienigenæ testimonium, quia verum comperit, etiam ipse attestatus est: cur nos apud quemlibet inuenerimus quod Christi est, & verum est, etiam si ille apud quem inuenitur, peruersus & fallax est, non discernimus vitium quod homo habet, & veritatem, quam non suā, sed Dei habet: & dicimus sacramentum hoc verum est: sicut ille ait, testimonium hoc verum est: nunquid ideò dicimus etiam ipse homo verax est, quia dicimus, sacramentum hoc verum est? *Item eodem cap.* Vos autem necesse est, vt semper erretis, quamdiu propter hominum vitia, Dei sacramenta violatis, aut nos propter Dei sacramenta, quæ in vobis violare nolumus, etiā vestri schismatis sacrilegium assumere putatis. *Item.* Baptismi ergo puritas, à puritate, vel im- *Aug ca. 35. eiusd. libri.* munditia conscientiæ siue dantis, siue accipientis omnino distincta est. *Item.* Memento sa- *cap. 47. eiusdem. Cap 48. eiusdem.* cramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quò illa vel omninò non sint, vel minùs sancta sint. *Item.* Si non habebat Saul sacramenti sanctitatem, quid in eo Dauid venerabatur? Si autem habebat innocentiam, quare innocentem persequebatur? Nam eum propter sacrosanctam vnctionem & honorauit viuum,

& vindicauit occisum: & quia vel panniculum ex eius veste præscidit, percusso corde trepidauit. Ecce Saul non habebat innocentiam, & tamen habebat sanctitatem non vitæ suæ, nam hæc sine innocentia esse non potest, sed sacramenti Dei, quod & in malis hominibus sanctum est. *Item.* Tu dixisti, laqueo traditor periit, laqueum talibus dereliquit. Hoc ad nos omninò non pertinet. Neque enim veneramur nomine Martyrum, eos qui sibi collum ligauerunt. *Item.* Nos dicimus tale cuique fieri sacrificium, qualis accedit, vt offerat, & qualis accedit, vt sumat, & eos de sacrificiis talium manducare, qui ad illam tales accedunt quales & illi sunt. Itaque si offerat Deo malus, & accipiat inde bonus, tale cuique est, qualis quisque fuerit, quia & illud scriptum est: Omnia munda, mundis. Per hanc sententiam veridicam & Catholicam etiam vos optati sacrificio non estis polluti, si facta eius displicebant vobis. Nam vtique panis illius panis luctus erat, sub cuius iniquitatibus Africa tota lugebat, sed panem luctus omnibus vobis communem esse, omnium vestrum malum schismatis facit. *Item.* Gratias Deo, quia tandem confessus es, posse valere inuocatum nomen Christi ad aliorum salutem, etiamsi à peccatoribus inuocetur. Hinc ergo intelligite cum Christi nomen inuocatur, non obesse aliorum saluti aliena peccata.

Cap. 49. eiusdem 23. q. 5. c. tu dixisti. — *Aug. cap. 52. li. 2. contra literas Petiliani.* — *Ad Tit. 1.* — *Ca 54. eiusdem lib.*

Quanta sit dignitas ordinis sacerdotalis. In libro quæstionum veteris testamenti. cap. xi.

¶ Cap. 100.

1. q. 1. Dictum est. Num. 6. Dictum est à Domino in Numeris ad Moysen & Aaron: Vos ponite nomen meum super filios Israel, ego Dominus benedicam eos, vt gratiam traditio per ministerium ordinati transfundat hominibus, nec voluntas sacerdotis obesse aut prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem dignitas sit ordinis Sacerdotalis, hinc aduertamus. Dictum est autem de nequissimo Caipha interfectore saluatoris inter cætera: Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset princeps sacerdotum anni illius, prophetauit. Per quod ostenditur Spiritum sanctum gratiarum, non personam sequi digni aut indigni, sed ordinem traditionis: vt quamuis aliquis boni meriti sit, non possit tamen benedicere, nisi fuerit ordinatus, vt officium ministerij exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis.

Ioan. 11.

Quòd separatus ab Ecclesia quamuis laudabiliter viuat, vitam habere non possit. Item in epistola concilij ad Donatistas.

¶ Cap. 101.

Quisquis à Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter viuere se æstimet, hoc solo scelere quòd à Christianitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia benè vixerit, nihil ei præiudicant peccata aliena: quia vnusquisque in ea proprium onus portabit, sicut Apostolus ait. Ergo communio malorum non maculat quemquam participatione sacramentorum, sed consensio factorum. Nam si in malis factis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam, & personam suam, nec præiudicat alteri, quem in confessione mali operis socium non habet criminis.

Galat. 6.

Quòd duobus modis non maculant mali cohabitantem, si non consentiat, & si redarguat. Idem de verb. Dom. serm. xviij.

¶ Cap. 102.

A malis corde semper disiungimini ad tempus cautè corpore copulamini. Duobus modis non te maculat malus: si non consentias, & si redarguas: hoc est non communicare, non consentire. Communicatur quippè, quando facto eius consortium voluntatis, vel approbationis adiungitur. Neque ergo consentientes sitis malis, vt approbetis: neque negligentes, vt non arguatis: neque superbientes, vt * insolenter arguatis.

Paulò post. — *Post aliquot versus.* — * insultanter.

Quomodo intelligendum sit, Exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis. Ibidem.

¶ Cap. 103.

Recedite, exite indè, & immundum ne tetigeritis, sed cum tactu cordis, non corporis. Quid enim est tangere immundum, nisi consentire peccatis? Quid est exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem illorum, quantum pro vniuscuiusque gradu atque persona salua pace fieri potest? Displicuit tibi quòd quisquam peccauerit, non tetigisti immundũ: redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam (si res exigit) congruam & quæ vnitatem non violet, disciplinam, existi inde. Clamauit ista Moyses, clamauit Esaias, clamauit Ieremias, clamauit Ezechiel. Videamus si dimiserint populum Dei, & se ad gentes alias transtulerint. Quàm multa, & quàm vehementer Ieremias increpauit in peccatores & sceleratos populi. Inter eos tamé erat, vnum cum illis templum intrabat; eadem sacramenta celebrabat, in eadem sceleratorum hominum congregatione viuebat: sed clamando exibat indè. Hoc est ergo exire inde, hoc est immundum non tangere, & voluntate non consentire, & ore non parcere.

Isa. 52.

Quid sit dicere verbum contra Spiritum sanctum. Item in sermone de verbis Domini.

¶ Cap. 104.

Ita dicitur verbum contra Spiritum sanctum, cùm ex dispersione ad congregationem nunquã venitur, quæ ad remittenda peccata accepit Spiritum sanctum. Ad quam congregationem etiamsi per malum Clericum, sed tamen Catholicum, ministrum reprobum, & fictum, aliquis accesserit corde non ficto, in ipso Spiritu sancto accepit remissionem peccatorum: qui spiritus in Ecclesia hac etiam in isto tempore, quo velut area cum palea trituratur, sic operatur, vt nullius veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur: atque ita reprobos fugiat, vt etiam per eorum ministerium probos colligat.

Serm 11. sub finem.

Dona Dei peruenire ad eos qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit per quem accipiunt qualis Iudas fuit. Augustinus in expositione Psalmi x.

¶ Capvt 105.

Christus quid fecit vobis, qui traditorem suũ tanta patientia pertulit, vt ei primùm Eucharistiam confectam manibus suis, & ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet? Quid vobis fecit Christus, qui eundem traditorem suum quem Diabolum nominauit, qui ante traditionem Domini nec loculis Dominicis fidem potuit exhibere, cum cæteris discipulis ad

1. q. 1. c. Christus. — *Matth. 26. Ioan. 14.* — *Ioan. 6.*

prædicandum regnum cœlorũ misit, nisi vt monstraret dona Dei peruenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit per quem accipiunt, qualis Iudas fuit. Io. 11. & 13.

August. lib. quinquaginta homiliarũ, hom. 26. 1 q. 1. c. interrogo.

Non minus reum esse eum qui Verbum Dei negligenter audierit, quàm eum qui corpus Christi ad terram sua negligentia cadere permiserit. Item. ¶ CAP. 106.

Interrogo vos fratres & sorores, dicite mihi, quid vobis plus esse videtur corpus Christi, an verbum Christi? Si vultis verum respondere, hoc dicere debetis, quòd non sit minus verbum Dei, quàm corpus Christi. Et ideò quanta sollicitudine obseruamus, quando nobis corpus Christi ministratur, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat: tanta sollicitudine obseruemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus aut loquimur, de corde nostro depereat, quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Christi suâ negligentiâ in terram cadere permiserit.

Non posse ritè offerri, nisi per Sacerdotem iustum & sanctum. Idem. ¶ CAP. 107.

1. q. 1. c. neque potest ritè.

Neque enim id potest ritè offerri, nisi per Sacerdotem iustum & sanctum, nec nisi ab eis accipiatur quod offertur pro quibus offertur, atque id sine vitio sit, vt pro vitiosis mundandis possit offerri. Hoc certè omnes cupiunt, qui pro se offerri sacrificium Deo volunt.

Quòd Deus odit & à se proijcit festiuitates hæreticorum. Hieronymus in Amos Prophetam. ¶ CAP. 108.

In c. 5. amos. 24. q. 1. c. odi

Odi & proieci Festiuitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quòd si obtuleritis mihi holocautomata, & munera vestra, non accipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam. Odit autem Deus, & non solùm odit, sed proiicit festiuitates eorum, qui non celebrant festiuitates Dei, sed suas. *Et post pauca.* Odit Deus sacrificia hæreticorum, & à se proiicit, & quotiescunque sub nomine Dei fuerint congregati, detestatur fœtorem eorum, & claudit nares suas. Odisse autem, & non odorari, & proijcere, humana loquitur similitudine, vt nos affectum Dei nostris sermonibus agnoscamus. Et si holocausta obtulerint, vt videantur ieiunare, dare eleemosynas, pudicitiam polliceri, quæ holocausta sunt vera, non ea suscepit Dominus. Non sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium merita causásque diiudicat. Vnde & Vidua quæ in corbonam duo minuta miserat, omnibus à Saluatore præfertur, quia Dominus non ea quæ offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium. Lucæ 21.

Quòd apud Deum non sententia Sacerdotum, sed vita reorum quæritur. Item super Matthæum, cap. xvj. ¶ CAP. 109.

Quæcunque ligaueritis super terram, & cætera. Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cùm apud Dominum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur.

Quòd Sacerdotes sine macula accedere debent ad sacrificium. Item in Sophoniam. In caput 3.

¶ CAP. 110.

Sacerdotes qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populis eius diuidunt, impiè agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam: & necessariam esse tantùm solennem orationem, & non sacerdotum merita, de quibus dicitur, Et sacerdos in quacunque fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino. 1. q. 1. c. sacerdotes. Leu. 21.

De Pascha & Quadragesima, quomodò celebranda sint Beatus Augustinus in libro responsionum ad Ianuarium.

¶ CAP. 111.

In scripturis quidem veteribus ad agendum Pascha non est præceptum tempus, nisi ex mense nouorum luna decima quarta vsque ad vigesimam primam. Ex Euangelio tamen quia manifestum est, quo etiam die Dominus crucifixus sit, & in sepultura fuerit, & resurrexerit, adiuncta est etiam ipsorum dierum obseruatio per patrum concilia, & orbi vniuerso Christiano persuasum, eo modo Pascha celebrari oportere. Quadragesima ieiuniorum habet authoritatẽ, & in veteribus libris ex ieiunio Moysi & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans Euangelium non dissentire à lege & Prophetis. In persona quippe Moysi lex, in persona Eliæ Prophetæ accipiuntur. Inter quos in monte gloriosus apparuit Dominus, vt euidentius emineret, quod de illo dicit Apostolus, testimonium habens à lege & Prophetis. In qua ergo parte anni congruentiùs obseruatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua Dominicæ passioni? quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est hac continentia, vt ab ipsius mundi amicitia ieiunetur, quæ vtique fallaciter blandiri, & illecebrarum succos circumspargere, atque iacere non cessat.

Epistol. 119. cap. 15. 1. Reg. 19. Exod. 19. Matth. 4.

Quod homo ieiunus sumere debet Corpus Domini. Item. ¶ CAP. 112.

Liquidò apparet quando primò acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quòd à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti priùs in os Christiani Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum conuenire debent, aut sicut faciebant quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere. Namque Saluator quò vehementiùs cõmendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ Discipulorum, à quibus ad passionẽ digressurus erat. Et ideò non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo* variasset. Cùm verò ait Apostolus de hoc sacramento loquens: Propter quod fratres cùm conuenitis ad manducandum inuicem expectate: si quis

Aug. epist. 118. ad Ianuarium. De cons. dist. 2. c. liquido & P. Lom. lib. 4. dist. 8. §. 6. * mutasset 1. Corinth. 11

esurit, domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis: statim subtexuit, Cætera autem cùm venero ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in epistola totum illis agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla * horarum diuersitate variatur.

*morum varietate mutatur.

Quod omnibus pro quibus fiunt non prosunt oblationes, & obsecrationes, sed his tantùm quibus dum viuunt, comparantur vt prosint. Item ex libro pro defunctis secundo.

¶ CAP. 113.

Non æstimemus ad mortuos pro quibus curā gerimus peruenire, nisi quòd pro eis siue Altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificiis solenniter supplicamus: quamuis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed his tantùm pro quibus dum viuunt, comparatur, vt prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant peruenire. Melius enim semper erunt ista his quibus nec obsunt, nec prosunt, quàm eis deerunt quibus prosunt: diligentiùs tamen facit hoc quisque pro necessariis suis, quod pro illo fiat similiter à suis. Corpori autem humano quicquid impenditur non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundùm affectum quo nemo vnquam carnem suam odio habuit. Vnde oportet, vt quàm potest pro carne proximi curam gerat, cùm ille inde recesserit qui gerebat: & si hæc faciunt qui carnis resurrectionem non credunt, quantò magis debent facere qui credunt? vt corpori mortuo, sed tamen resurrecturo, & in æternitate mansuro impensum huiusmodi officium, sit etiam quodammodo eiusdem fidei testimonium. Quòd verò quisque apud memorias Martyrum sepelitur, hoc tantùm mihi videtur prodesse defuncto, vt commendans eum etiam martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur.

August. li. de cura pro mor. agen. cap. 18.

Toties Communicandum esse Presbytero, quoties Missam in vna die celebrauerit. Ex concilio Toletano xij. cap. v.

¶ CAPVT 114.

Relatum est nobis quosdam ex Sacerdotibus non tot vicibus Communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia vna die videntur offerre, sed in vna die si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus à Communione suspendunt, & in sola tantùm extremi sacrificij oblatione, Communionis sanctæ gratiā sumunt: quasi non sit toties illi vero, & singulari sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce ait Apostolus: Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? Certum est, quòd hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sacramenti. Quicunque ergo Sacerdotum deinceps diuino altario sacrificium oblaturus accesserit, & se à Communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter priuarit gratia Communionis, anno vno repulsum se nouerit. Nam quale illud erit sacrificiū, cuius nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergò modis omnibus tenendum, vt quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altari immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Christi participem se præbeat.

De cōs. dist. 2. c. relatum est.

1. Cor. 10.

Nihil pro balsamo exigendum esse, cap. iiij.

¶ CAP. 115.

Placuit vt parùm balsami quod benedictum pro baptismi sacramento per Ecclesias datur, quia à singulis tremisses pro ipso exigi solent; nihil vlterius exigatur, ne fortè quod pro salute animarum per inuocationem sancti Spiritus consecratur, sicut Simon Magus donum Dei pecuniâ voluit emere, ita nos vænundantes damnabiliter vænundemur. *Act. 8.*

Timendum esse, ne sicut in Heli, propter vitia sacerdotum, sanctuarium Dei destituatur. Idem in Epistola ad hominem qui se dicit pœnitentem in sæculo conuersantem.

¶ CAP. 116.

Heli Sacerdos sanctus fuit, sed habuit filios qui, vt in Hebræorum voluminibus legimus, fornicabantur cū mulieribus in tabernaculo Dei, & in similitudinem tui impudenter sibi Dei ministerium vendicabant. Vnde & locus tabernaculi ipse subuersus est, & propter vitia sacerdotum, Dei sanctuarium destitutum est, quanquā & ipse Heli dum est nimium lenis in filios, offendit Deum: tantámque habeat potestatem te Episcopi tui iustitia liberare: vt timendum sit ne propter te de solio suo corruens, pereat insanabilis. Oza leuites arcam Domini, quam portare ipse debuerat, quasi ruentem sustentare voluit, & percussus est. Quid de te futurum putas, qui statem arcam Domini præcipitare conatus es? Quantò Episcopus qui te ordinauit probabilis est: tantò tu amplius detestandus, quòd talem hominem fefellisti. Solemus mala nostra scire nouissimi, ac liberorum, ac coniugum vitia, vicinis canentibus ignorare. Nouerat te omnis Italia, vniuersi ante altare Christi stare ingemiscebant, nec tu tam callidus eras, vt prudenter tua vitia celares, sic æstuabas, sic subantem te, & lasciuientem huc atque illuc rapiebat voluptas: vt quasi quosdam triumphos, palmámque vitiorum, de expletis libidinibus subleuares.

1. Reg. 4.

2. Reg. 6.

Vt nullus Presbyter absque sacerdotalibus vestimentis Missam celebret. Ex concilio Remensi, cap. iiij.

¶ CAP. 117.

Vt nullus Presbyter absq; amictu, alba, & stola, & fanone, & casula, vllatenus præsumat Missam celebrare, & hæc sacra vestimenta mundissima sint, & in nitido loco infra Ecclesiam collocentur: nec vnquam Presbyter his indutus extra Ecclesiam exeat, quia hoc diuina lex prohibet.

Burchardus li. 2. cap. 50.

Vt omnis Presbyter in sua Ecclesia Dominicis diebus Aquam benedicat. Ex concilio Nannetensi, cap. v.

¶ CAP. 118.

Omnibus diebus Dominicis quisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solennia aquam benedictam faciat in vase mundo, & tanto * mysterio conuenienti; de aqua populus intrans Ecclesiā aspergatur: & atrium eiusdem Ecclesiæ cum crucibus circumeundo similiter aspergatur, & pro animabus ibidem quiescentibus oret. Et qui voluerit in vasculis suis accipiat ex ipsa aqua, & per mansiones, & agros, & vineas, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, nec non super cibos & potum suum, conspergat.

*ministerio.

Vt Missæ peculiares in diebus solennibus non fiant. Ex dictis Augustini. § CAP. 119.

Et hoc attendendum est, vt Missæ peculiares, quæ per dies solennes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt per eas populus à publicis missarum solennibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahatur: quia pessimus vsus est apud quosdam in Dominicis diebus, siue in quibuslibet festiuitatibus mox missam celebrare, quamuis & si pro defunctis sit, cùm audierit abscedat: & per totum diem à primo manè ebrietati & comessationi potiùs quàm Deo deseruiat. Admonendus est populus, vt ante publicũ peractúmque officium ad cibũ non accedat, sed omnes publica ad sanctam matrem Ecclesiã missarum solennia, & prædicationem audituri conueniant. Et vt Sacerdotes Missas celebrent horâ tertiâ, vt populus à publicis solennibus non abstrahatur. Sed & Sacerdotes qui in circuitu vrbis sunt, aut in eadem vrbe, & populus, (vt prædiximus) in vnum ad publicam Missarum celebrationem conueniant: exceptis Deo sacris fœminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed *claustris monasterij contineri.

*clausis monasteriis.

Vt omnes Presbyteri in diebus festis admoneant populos quas preces fundere debeant. Ex concilio Aurelianensi cap. iij.

§ CAP. 120.

Oportet vt in diebus Dominicis vel Festis post Sermonem missarum intra solennia habitũ, plebem Sacerdos admoneat, vt iuxta Apostolicam institutionem, omnes in commune pro diuersis necessitatibus preces fundant ad Dominum, pro Rege, & Episcopis, & Rectoribus Ecclesiarum, pro pace, pro peste, pro infirmis qui in ipsa Parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis, in quibus singulatim precibus plebs orationem Dominicam sub silentio dicat. Sacerdos verò orationes ad hoc pertinentes persingulas admonitiones solenniter expleant. Post hæc sacra celebretur oblatio, Ait enim Apostolus: 1.Timot.2. Obsecro primum omnium fieri orationes &c.

Vt Presbyteri plebes admoneant, vt bubulcos atque porcarios in principalibus Festis ad Missam venire permittant. Ex concilio Rotomagen. cap. v. § CAP. 121.

Burchardus lib.2.cap.71. Admonere debent Sacerdotes plebes subditas sibi, vt bubulcos, atque porcarios, & alios pastores vel aratores, qui in agris assiduè commorantur, vel in siluis, & ideò more pecudum viuunt, in Dominicis & in aliis Festis diebus saltem vel ad missam faciant, vel permittant venire. Nam & hos Christus pretioso sanguine suo redemit. Quod si, neglexerint pro animabus eorum absq; dubio rationẽ se reddituros sciant. Siquidem Dominus veniens in hunc mundum non elegit honoratiores atque nobiliores quosque, sed piscatores atque idiotas sibi Discipulos asciuit: vt ostenderet in facto quod ipse verbis in Euangelio affirmat dicens: Quod hominibus est altum, abominabile est apud Deum. Et salua altiori intelligentia, natiuitas nostri Redemptoris primò omnium pastoribus ab Angelo nunciatur.

Luce 2. Luc.16.

De alterius Presbyteri Parochiano. Ex concilio Nannetensi, cap. xix. § CAP. 122.

16.q.1.c.cunctis fidelibus. Vt Dominicis vel festis diebus Presbyteri antequam Missas celebrent plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit qui proprio contempto Presbytero ibi velit Missam audire. Quem si inuenerint, statim ab Ecclesia eijciant, & ad suam parochiam redire compellatur. Similiter interrogent si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant: & si inuenti fuerint statim reconcilientur. Quòd si noluerint pacem suscipere, ab Ecclesia eijciantur, vsquequò ad charitatem redeant. Non enim possumus munus vel oblatam ad altare offerre, nisi priùs fratri reconciliemur. His ita peractis Sacerdotes missarum solennia ritè peragant.

De Ordinatis, & reliquis fidelibus, quòd sine licentia sui Episcopi nihil agere debeant. Ex Epist. Clementis Papæ cunctis fidelibus missa. Ep. 3.

§ CAP. 123.

Quapropter cunctis fidelibus & summopere omnibus Presbyteris & diaconibus ac reliquis Clericis attendendum est, vt nihil absque licentia proprij Episcopi agant. Non vtique Missas sine iussu eius quisquam Presbyterorum in sua Parochia agat, non baptizet, nec quicquam quod ad Episcopum pertineat absque eius permissu faciat. Similiter & reliqui populi maiores scilicet & minores, per eius licentiam quicquid agendum est agant, nec sine eius permissu à sua Parochia abscedant, vél in ea aduentantes morari præsumant. Animæ eorum ei creditæ sunt, ideo omnia eius consilio agere debent, & eo inconsulto nihil. Quicunque obediunt ei, Deo obediunt, quicunque autem ei non obediunt, indubitanter rei & reprobi existunt.

De sacerdotibus si Missarum tempore aliquis euentus ægritudinis accesserit. Ex concilio Toletano vij. cap. ij. § CAP. 124.

Nihil contra *ordinem statutum temeritatis ausu præsumatur, nec illa quæ summa veneratione censentur, vel minimo præsumptionis *tactu soluantur, cùm ad hoc tantùm fieri iussa sunt, nec interrupta noscuntur, nec languoris præuentu, robore salutis natura priuetur. Non solùm ergo fragilitati consulitur humanæ, sed etiam sacris ministeriorum Dei prouidetur habere sollicitudinem. Censemus ergo conuenire, vt cùm à Sacerdotibus missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat quilibet euentus, quo cœptum nequeat cõsecrationis expleri mysterium: sit liberum Episcopo vel Presbytero, vt alter expleat consecrationem officij cœpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis competit, quàm aut incipientis aut consequentis complenda benedictione sacerdotis: quæ nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. Cùm enim omnes simus vnum in Christo, nihil contrarium diuersitas format, vbi efficaciam prosperitatis vnitas fidei repræsentat. Quod etiam consultum cuncti ordinis clerici *indictum vel indultum esse sibi non ambigant: sed vt permissum est præcedentibus statim alij pro complemento succedant. Nec tamen quod naturæ languoris causâ consulitur, in præsumptionis perniciem conuertatur. Nullus post cibum potúmque siue quodlibet minimum sumptum Missas facere, nullúsque absque patentis prouentu molestiæ minister vel Sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

*ordinis statum. 7.q.1.c nihil contra. *actu

*indultum esse.

De Presbyteris qui dæmonibus variisque passionibus vexantur, quòd illis sacra tractare non liceat. Ex decretis Pij Papæ, cap. v.

¶ CAPVT 125.

dist.33.c cōmuniter. Benè siquidem maiorum regulis diffinitum est, vt Dæmoniacis alijsque passionibus irretis ministeria sacra tractare non liceat. Cui præcepto, consulto rationis adhibito, id communiter diffinimus, vt nullus de his qui aut in terra arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussè se diuinis ingerant sacramentis: exceptis illis qui corporum incommoditatibus dediti, sine huiusmodi passionibus in terram probantur elisi, qui tamen & ipsi tandiu erunt ab officio suo, & ordine & loco suspensi, quousque vnius anni spatio per discretionem Episcopi inueniantur ab incursu dæmonum * alieni. *liberati

De eadem re. Ex decretis Soteris Papæ, cap. viij.

¶ CAP. 126.

de cons. dist. 1.c. vt illud. Eccles. 4. Vt illud diuini oraculi monentis singuli præcaueant quo scribitur, væ soli, quia cum ceciderit non habet subleuantem. Summopere verendum est nobis & cauendum, ne horis illis atque temporibus quibus Deo psallitur, vel sacrificatur, vnicuique diuinis singulariter officiis insistenti, pernitiosa passio, vel corporis quælibet valetudo occurrat, quæ aut corpus subitò subrui faciat, aut mentem alienatione vel terrore confundat. Pro huiusmodi ergo casibus præcauentes necessarium duximus instruere, vt vbi temporis vel loci siue cleri copia suffragatur, habeat quisquis ille canens Deo atque sacrificans post se vicini solaminis adiutorem, vt si aliquo casu ille qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, à tergo semper habeat, qui eius vicem exequatur intrepidus, & officium incœptum adimpleat.

De Presbyteris ne soli Missam celebrent. Ex eodem, cap. x. ¶ CAP. 127.

De cons. dist 1.c. hoc quoque. Hoc quoque statutum est, vt nullus Presbyterorum Missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur, quia cùm pluraliter dicitur ab eo: Dominus vobiscum, & illud in secretis Orate pro me: apertissimè conuenit, vt & ipsius respondeatur salutationi.

De illis qui coniugati Presbyteri oblationem spreuerint. Ex concilio Agathensi. ¶ CAP. 128.

Si quis discernit Presbyterum coniugatum, tanquam occasione nuptiarum quòd offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo se abstinet, anathema sit.

Vt Presbyteri communicent quotiescunque Missas celebrauerint. Ex concilio Rotomagensi, cap. y. ¶ CAP. 129.

Dictum est nobis quòd quidam Presbyteri celebratâ missâ detrectantes ipsi sumere diuina mysteria quæ consecrarunt, Calicem Domini mulierculis quæ ad missas offerunt, tradunt, vel quibusdam laicis qui iudicare corpus Domini nesciunt, id est discernere inter cibum spiritualem atque carnalem. Quod quantum sit omni Ecclesiasticæ religioni contrarium, pietas fidelium nouit. Vnde omnibus Presbyteris interdicimus, vt nullus in posterum hoc facere præsumat, sed ipse cum reuerentia sumat, & diacono, aut subdiacono ministris altaris colligenda tradat. Illud enim attendat, vt eos propria manu communicet. Nulli autem laico aut fœminæ Eucharistiam in manibus ponat, sed tantùm in os eius cum his verbis ponat, Corpus Domini & sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum, & ad vitam æternam. Si quis hæc transgressus fuerit, quia Deum omnipotentem contempsit, & quantùm in ipso est inhonorat, ab altari remoueatur.

De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap. x.

¶ CAP. 130.

Auditum est aliquos Presbyteros Missam celebrare & non communicare omninò: quod in canonibus Apostolorum interdictum esse legitur: vel quomodo rectè dicere possunt si non cōmunicauerint, Sumpsimus Domine sacramenta, &c. *Ibidem cap. xi.* Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo facta oblatione non communicauerit, aut causam dicat, & si rationabilis fuerit veniam consequatur, aut si non dixerit communione priuetur, tanquam qui populo causa læsionis extiterit.

Vt Calix, & patena ex auro vel argento aut saltem ex stanno fiat, ex ære verò vel aurichalco nunquam. Ex concilio Remensi, cap. vi.

¶ CAP. 131.

Vt Calix Domini cum patena, si non ex auro, omninò ex argento fiat. Nec causentur Presbyteri auaricia suadente, de paupertate vel impossibilitate, cùm quarta pars ex omnibus quæ ad Ecclesiam pertinent in fabricis ipsius Ecclesiæ sit impendenda. Admonendus est etiam populus, vt aliquid in donariis Domini offerat, sicut ille antiquus populus sub Moyse in tabernaculo Domini fecisse legitur. Si quis autem tam pauper est, saltem stanneum Calicem habeat, de ære autem, aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem pariterque vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo, aut in vitreo Calice præsumat cantare. Burchardus lib.3.cap 96 de cons dist. 1.c. vt calix.

De obseruanda mensa Christi. Ex eodem cap. v.

¶ CAP. 132.

Obseruandum est, vt mensa Christi, id est, Altare vbi Corpus dominicū consecratur, vbi sanguis eius hauritur, vbi sanctorum reliquiæ recōduntur, vbi preces & vota populi in conspectu Dei à Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur: & mundissimis linteis & palliis diligētissimè cooperiatur, nihilq; super eo ponatur, nisi Capsæ cum Sanctorum reliquiis, & quatuor Euangelia. Expletâ missâ Calix cum patena & sacramentorum liber, cum vestibus sacerdotalibus, in mundo loco sub sera recondantur.

Vt Corporale ex purissimo linteo sit, & vnius materiei. Ex eodem cap. iij. ¶ CAP. 133.

Corporale super quod sacra oblatio immola-

tur, ex mundissimo linteo sit: nec in eo alterius generis materia pretiosior aut vilior misceatur, & nunquam super altare maneat, nisi in tempore Missæ, sed aut in sacrario cum libro ponatur, aut cum Calice & patena in mundissimo loco recondatur, vel quādo abluitur à sacerdote, diacono vel subdiacono, primò in Ecclesiâ in loco & vase ad hoc præparato abluatur, eò quòd ex Dominico corpore & sanguine infectum sit. Post hæc à lauandario in mundo loco ponatur.

Vt sacrificium altaris non in serico vel tincto panno celebretur. Ex epistola Eusebij Papæ, cap. li. ¶ CAP. 134.

de cons. dist. 1. c. consulto. Hic inter cætera prædicta consulto omnium statuimus vt sacrificium altaris non in serico panno, aut intincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto, sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit.

Vt mulieres ad altare non accedant, & de officiis virorum se non intromittant. Ex concilio Laodicensi, cap. xliij. ¶ CAP. 135.

Quod non oportet mulieres ingredi ad altare, & ea contingere quæ virorum officiis deputata sunt.

De eadem re. Ex decretis Gelasij Papæ eius nominis primi, cap. xxvij. ¶ CAP. 136.

Nihilominus impatienter audiuimus, tantum diuinarum rerum subisse despectum, vt fœminæ sacris altaribus ministrare ferantur, cunctáque non nisi virorum famulatui deputata, sexui cui non competit, exhiberi.

Vt Laici iuxta altare non sedeant. Ex concilio Mogont. cap. xij. ¶ CAPVT 137.

Vt laici secus Altare quo sancta mysteria celebrantur inter Clericos tam ad vigilias, quàm ad missam, stare vel sedere penitus non præsumant, sed pars illa quæ cancellis ab altari diuiditur, tantùm psallentibus pateat clericis. Ad adorandum verò & communicandum laicis & fœminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.

De illis Sacerdotibus qui in Ecclesia dum Euangelia leguntur, sedere præsumunt. Ex epistola Anastasii primi Papæ Episcopis Germaniæ ac Burgundiæ directa, cap. i.

¶ CAP. 138.

Anastasius Episcopus cunctis Germanicis & Burgundiæ regionis Episcopis in Domino salutem. Exegit dilectio vestra charissimi, vt ex authoritate sedis Apostolicæ vestris deberemus consultis respondere. Et quamuis non prolixè, sed succinctè hoc agere propter quasdam alias occupationes festinaremus, denuò tamen si necesse fuerit, ob has & alias necessitates quasi ad caput, mittere charitatiuè non dubitetis, quia vestras preces & nunc, & tunc acceptabiles habemus. Significastis enim quosdam Sacerdotes in Ecclesia quando Euangelia leguntur sedere, & Saluatoris Domini verba non stantes, sed sedentes audire: & hoc ex maiorum traditione se accepisse narratur. Quod nullatenus deinceps fieri sinatis Apostolica authoritate mandamus; sed dum sancta Euangelia in Ecclesia recitantur, Sacerdotes & cæteri omnes, non sedentes, sed venerabiliter in conspectu Euangelij stantes, Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent.

Vt nullus Calicem vel patenam vel vestimenta sacerdotalia in vadimonio tabernario præstare præsumat. Ex concilio Remensi, cap. xi.

¶ CAP. 139.

Vt nullus Presbyter præsumat Calicem vel patenam, vel pallium altaris, vel vestimentum Sacerdotale, aut librum Ecclesiasticū tabernario vel negotiatori, aut cuilibet laico vel fœminæ, in vadimonio dare, nisi iustissima necessitate vrgēte; quia tanta est sanctitas sacri ministerij, vt saluâ altioris mysterij intelligentiâ, etiam Dominus per prophetam prohibuerit, ne cum sanctis vestimentis sacerdos procedat ad populum, sed illa intra sancta dimittat à colloquio diuino rediens. Et cui in tabernas ad bibendum à sacris canonibus ingredi prohibetur, sanctificata sacro mysterio nec ad contingendum immundis, quātò minus in vadimonium exhibere debet? Sicut Stephanus sanctus Papa & martyr sanctum Hilarium in suis decretis docuit. Burch. li. 3. cap. 104.

Ex concilio Aurelianensi, cap. ix.

¶ CAP. 140.

Nullus Sacerdos seu laicus Calicem aut patenā aut quælibet vasa sacra, & diuino cultui mancipata ad alios suos vsus retorquere præsumat. Nam quicunq; de Calice sacro aliquid aliud bibit præter Christi sanguinem qui in sacramento accipitur, & patenam ad aliud officium habet quàm ad altaris ministerium, deterrendus est exemplo Balthasar, qui dum vasa Domini in vsus communes assumpsit, vitam pariter cum regno amisit.

Quod licitum sit Episcopis cum consilio cleri de thesauro Ecclesiæ, suæ familiæ in necessitate subuenire. Ex concilio Aurelianensi, ca. v.

¶ CAP. 141.

Licitum sit Episcopis, præsentibus Presbyteris & diaconibus de thesauro Ecclesiæ, familiæ & pauperibus eiusdem ecclesiæ secundùm canonicam institutionem iuxta quod indiguerint erogare.

De Coopertorio altaris nullum corpus dum ad tumulum defertur tegendum esse. Ex concilio Aurelianensi, cap. xxx. ¶ CAP. 142. Aruernensi cap. 3.

De opertorio Dominici corporis vel altaris, nunquam corpus dum ad tumulum euehitur, obtegatur, & sacro velamine dum corpora honorantur, altaria polluantur.

Ne ad nuptiarum ornatum ministeria diuina præstentur. Ex eodem, cap. viij.

¶ CAP. 143. De cons. dist. 1. c. ad nuptiarum.

Nec ad nuptiarum ornatum ministeria diuina præstentur, * ne dum improborum tactu vel pompa sæcularis luxuriæ polluuntur, ad officia sacri * ministerij videantur indigna. * vt * mysterij

D. IVO-



D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI;

DECRETI PARS TERTIA:

DE ECCLESIA, ET DE REBVS Ecclesiasticis, Et earumdem reuerentia & obseruatione.

ECCLESIAE STATVM SIMILEM NAVI MAGNAE; QVAE per mare vndosum, diuersis è locis & regionibus viros portat, ad vnam potentis regni vrbem properantes. Clemens Petri successor Apostoli ad Iacobum fratrem Domini, Hierosolymitanum videlicet Episcopum.

¶ CAPVT PRIMVM.

Clemens epistola 1. ad Iaco. fratrē Domini.



Imilis est omnis Ecclesiæ status naui magnæ, quæ per pelagus vndosum, diuersis è locis & regionibus viros portat, ad vnam potentis regni vrbem properare cupientes. Sit ergo nauis huius Dominus ipse omnipotens, gubernator verò sit Christus. Tunc deinde proretæ officium Episcopus impleat, Presbyteri nautarum, Diaconi dispensatorum locum teneant: hi qui Catechisant nautologis conferantur, Epibatis autem totius fraternitatis multitudo sit similis. Ipsum quoque mare hic mundus habeatur, ventorum verò varietates & turbinum, diuersis tentationibus conferātur: persecutiones, tribulationes, siue pericula, fluctibus exæquentur. Terreni verò spiritus, qui vel de torrentibus, vel de conuallibus spirant, pseudoprophetarum, & seductorum, seu prauæ doctrinæ verba docentur. Promontoria verò & loca confragosa, hi qui in potestatibus sæculi sunt iudices, & pericula minantur & mortes. Bithalassa verò loca quæ duplicibus vndæ fallacis æstibus verberantur, dubiis mente, & de promissionum veritate nutantibus conferantur. Hypocritæ verò & dolosi, pyratis similes habeantur. Iam verò rapidus vortex, & tartarea Charybdis, & saxis illisa naufragia, ac mortiferæ submersiones, quid aliud æstimanda sunt quàm peccata? Restat igitur vt hæc nauis cursu prospero, tuta possit portum desideratæ vrbis intrare, & ita Deo precem effundere, vt nauigantes mereantur audiri.

Vt Ecclesia domúsque Dei à populis honoretur, canibus autem peruia non sit. Ex concilio Remensi, cap. 4. ¶ CAP. 2.

Vt Ecclesia domusque Dei à populis iuxta dignitatem honoretur, canibus autem peruia non sit. Sæcularia iudicia, negotia, vel vaniloquia, in ea non exerceantur, quia domus Dei, domus orationis debet esse, non spelunca latronum, vel placita mulierum: nec inde exeant, donec compleatur benedictio. *Matth. 21.*

Quid sit Ecclesia. Ex decretis Iulij Papæ, cap. 5.

¶ CAP. 3.

Ecclesia, Græcum nomen est, quod in Latinum vertitur conuocatio, propterea quod omnes ad se vocet. Catholica, id est, vniuersalis ideò dicitur, quia per vniuersum mundum est constituta: vel quoniam Catholica, hoc est generalis in eadem doctrina est, ad instructionem. *Isidorus lib. 1. de Ecclesiast. off. cap. 1.*

Quare Apostoli in Iudæa prædia ad extruendas Ecclesias non collegerint. Ex decretis Melchiadis Papæ capite vij. de primitiua Ecclesia.

¶ CAPVT 4.

Acto. 4. 12. q. 1. c. futuram Ecclesiam. Nemo qui scripturas diuinas legit, ignorat, quòd in principio nascentis Ecclesiæ, Discipuli in vnũ congregati sunt cum multitudine credentium, quibus erat cor vnum & anima vna: quique vendentes prædia & possessiones suas, afferebant pretia: & diuidebant singulis prout cuique opus erat. Futuram namque Ecclesiam in gentibus Apostoli præuidebant, maximéque quia Dominus illis prædixerat, Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium: vel quia expellendos à Iudæa nouerant se, & in gentibus dispergendos, Ecclesiámque congregandam ex rudi populo: idcirco prædia in Iudæa minimè sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fouendos egenos. At verò cùm inter turbines, & aduersa mundi succresceret Ecclesia, adeò vsque peruenit, vt non solùm gentes, sed etiam Romani principes, qui penè totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi & baptismi sacramenta concurrerent. (Mar. 16.)

Quòd Sacerdotes & cæteri fideles agros quos vendere solebant, decreuerunt plus vtilitatis conferre, si Ecclesiis traditi, de annuis reditibus fideles pascerent, quàm si venderentur. Ex decretis Vrbani Papæ, cap. ij.

¶ CAP. 5.

12. q. 1. c. videntes. Videntes autem Sacerdotes, & leuitæ, atque reliqui fideles plus vtilitatis posse afferre, si hæreditates & agros quos vendebãt, Ecclesiis quibus præsidebant Episcopi, traderẽt, eo quòd ex sumptibus eorum, tam præsentibus, quàm futuris temporibus plura & elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum, cœperunt prædia & agros quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum viuere.

Quo tempore viri religiosi seipsos Domino consecrarint, ædificantes Basilicas in suis fundis. Ex decretis Melchiadis Papæ, cap. xij.

¶ CAP. 6.

Ab illo tempore, & deinceps viri Religiosi non solùm possessiones & prædia quæ possederant, sed etiam semetipsos Domino consecrarunt, ædificantes Basilicas in suis fundis in honore sanctorum Martyrum, ac per ciuitates monasteria, in quibus cœtus Domino seruientium conueniret. Denique reges, & præsides, ac magistratus non solùm adiacentia tribuêre, sed etiam ipsi propria largiti sunt per vniuersa regna terrarum, vnde alerentur egentes, qui nihil in mundo possidebant, Ecclesiæque fabricarentur atque restaurarentur, Deóque, & Ecclesiæ eius ritè famulantibus, seruísque illius supplementa, vt absque necessitate essent, tribuerẽtur.

Quòd Constantinus primus Imperatorum fidem Christianam patenter adeptus, fabricandi Ecclesias omnibus potestatem dederit. Ex eodem, cap. x. ¶ CAP. 7.

Ex quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per vniuersum orbem in suo degentes imperio, non solùm fieri Christianos, sed etiam fabricandas Ecclesias, & prædia tribuenda constituit. Denique idem præfatus Princeps donaria immensa & fabricam templi primæ sedis beati Petri principis apostolorum instituit: adeò vt sedem imperialem cui quique Romani principes præsidebant, relinqueret, & beato Petro suísque successoribus profutura concederet.

Vt nullus Ecclesiam ædificet, nisi ei Episcopus locum designauerit, & ipse dotem paratam habeat. Ex concilio Aurelianensi, cap. ij.

¶ CAP. 8.

Nemo Ecclesiam ædificet, antequàm ciuitatis Episcopus veniat: & ibidem crucem figat publicè, & atrium designet: & antè præfiniat qui ædificare vult, quòd ad luminaria & ad custodiam, & stipendia custodum sufficiat: & ostensa donatione, sic domum ædificet. Et postquam consecrata fuerit, atrium eiusdem Ecclesiæ sanctâ aquâ conspergat. (de cons. dist. 1 c. nemo ecclesiam.)

De illo qui in suo prædio Ecclesiam ædificare desiderat. Ex concilio VVormaciensi, cap. vj.

¶ CAP. 9.

Quicunque voluerit in sua proprietate Ecclesiam ædificare, & consensum & voluntatem Episcopi habebit, in cuius Parochia fuerit, licitum sit. Veruntamen omninò præuidendum est Episcopo, vt aliæ Ecclesiæ antiquiores, propter nouas, suam iustitiam aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persoluatur.

Quòd omnes Basilicæ constructæ in potestate eius Episcopi esse debeant, in cuius territorio sunt. Ex concilio Aurelianensi I. cap. xix.

¶ CAP. 10.

Omnes Basilicæ, quæ per diuersa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundùm priscorum canonum regulam, vt in eius Episcopi potestate, in cuius territorio positæ sunt, consistant. (6. q. 7. c. omnes basilicæ.)

De Ecclesiis & altaribus, vbi aliqua dubitatio de consecratione est, vt consecrentur. Ex eodem concil. cap. xlv. ¶ CAP. 11.

Vt Ecclesiæ vel altaria, quæ ambigua sunt, & de consecratione dubitatur, consecrentur, & superflua altaria destruantur. (de cons. dist. 1. c. Ecclesiæ.)

Vt Ecclesiæ antiquitus constructæ, nec Decimis nec aliquibus possessionibus priuentur, vt nouis tribuantur. Ex concilio Meldensi, cap. xlvi. ¶ CAP. 12.

Vt Ecclesiæ antiquitus constructæ, nec decimis, nec vlla possessione priuentur, ita vt nouis oratoriis tribuantur.

Quòd denuò consecranda est Ecclesia, si altare fuerit motum. Ex decretis Higinij papæ, cap. iij.

¶ CAP. 13.

Si motum fuerit Altare, denuò consecretur Ecclesia: si parietes mutantur, & non altare, salibus tantùm exorcizentur. (de cons. dist. 1. c. si motũ.)

Quòd Ecclesia denuò consecranda sit, si homicidio vel adulterio fuerit polluta. Ex decretis eiusdem, cap. vi. ¶ Cap. 14.

De cons. dist. 1. c. si motum. Si homicidio vel adulterio Ecclesia fuerit violata, diligentissimè expurgetur, & denuò consecretur.

Quòd Ecclesiam vbi paganus est sepultus, non liceat consecrari, nisi eo eiecto. Ex concilio Aurelianensi, cap. vij. ¶ Cap. 15.

de cons. dist. 1. c. ecclesiam. Vt Ecclesiam vbi paganus est sepultus, non liceat consecrari, neque missas in ea celebrari, sed iactari foras & mundari oportet.

Vt in Ecclesia in qua cadauera mortuorum sepeliuntur, Altare non liceat consecrari: sed si prius consecratum fuit, missas in eo celebrari liceat. Ex concilio eodem, cap. vi.

¶ Cap. 16.

In Ecclesia in qua cadauera mortuorum sepeliuntur, sanctificare Altare non liceat. Si autem consecratum prius fuit, missas licet celebrare in ea.

Vt loca semel Deo dicata perpetuò sic permaneant. Ex concilio Chalcedonensi, cap. xxiij.

¶ Cap. 17.

19. q. 3. c. quæ semel. Vt loca quæ semel Deo dicata sunt, aut monasteria fuerunt, maneant perpetuò sic: nec possint vltrà fieri sæcularia habitacula.

Ne monasteria fiant Clericorum habitacula. Ex decretis Gregorij Papæ missis ad Ioannem Rauennensem Episcopum. ¶ Cap. 18.

lib. 4. in registro epistola 2. 18. q. 2. c. peruenit. 16. q. 1. c. nemo. Peruenit ad me quod in Ecclesiis fraternitatis tuæ, aliqua loca monasteriis consecrata, nunc habitacula clericorum facta sunt: dumque hi qui sunt in Ecclesiis, fingunt se religiosè viuere, monasteriis præponi appetunt, & per eorum vitam monasteria destruuntur. Nemo etenim potest Ecclesiasticis obsequiis deseruire, & in Monachica regula ordinatè persistere, vt ipse districtionem monasterij teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum sit, emendare festinet: quia ego nullo modo patior vt loca sacra per Clericorum ambitum destruantur.

Vt loca dudum consecrata, & postea fœdata reformentur. Ex concilio Aquisgrani habito, ca. vi.

¶ Cap. 19.

Placuit, vt loca iam dudum consecrata, & nunc spurcitiis fœdata, iuxta possibilitatem in antiquum statum reformentur.

Vt nullus aliud Altare erigere præsumat, nisi quod ab Episcopo consecratum est. Ex decretis Hormisdæ Papæ, cap. x.

¶ Cap. 20.

De cons. dist. 1. c. vt nullus. Vt nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud Altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci, vel eius misso sanctificatum est: vt sit discretio inter sacrum, & non sacrum. Nec dedicationem fingat nisi sit: quod si fecerit, si clericus est degradetur: si laicus, anathematizetur.

Vt pauimentum domorum Energumeni verrant. Ex concilio Carth. iiij. ca. xci. ¶ Cap. 21.

Pauimentum domorum Dei energumeni verrant.

Vt Monasteria semel dedicata, & res eis collatæ, perpetuò sic permaneant. Ex concilio Chalcedonensi. cap. xxiiij. ¶ Cap. 22.

Quæ semel dedicata sunt monasteria consilio Episcoporum qui ciuitates tenent, manere sic placuit perpetuò Monasteria: & res quæ ad ea pertinent, monasteriis reseruari debere, nec posse ea vltrà fieri sæcularia habitacula. Qui verò hæc fieri permiserint, canonum sententiis subiacebunt.

Dotem Ecclesiæ ad ordinationem & potestatem Episcopi pertinere. Ex concilio VVormatiensi. cap. v. ¶ Cap. 23.

Multi contra canonum constituta sic Ecclesias quas ædificauerunt, postulant consecrari, vt dotem quem Ecclesię contulerint, censeant ad Episcopi ordinationem pertinere. Quod factum, & preteritum displicet, & in futuro prohibetur: sed omnia secundùm consuetudinem antiquam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant.

Quòd solennitates Dedicationum Ecclesiarum singulis annis octo diebus sunt celebrandæ. Ex decretis Fœlicis papæ.

¶ Cap. 24.

Solennitates verò dedicationum, Ecclesiarum, & sacerdotum, per singulos annos solenniter sunt celebrandæ, ipso Domino exemplum dante: qui ad festa dedicationis templi omnibus id faciendum dans formam, cum reliquis populis eandem festiuitatem celebraturus venit, sicut scriptum est: Facta sunt encęnia Hierosolymis, & hiems erat, & ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Quòd autem octo dierum sint Encęnia celebranda, in libro regum peracta dedicatione templi reperietis. De Ecclesiarum verò consecratione quotiens dubitatur, & nec certa scriptura, nec certi testes existunt, à quibus consecratio sciatur, absque vlla dubitatione scitote eas esse sacrandas, nec talis trepidatio iterationem incurrit: quia non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum.

Fœlix papa 4. epistol. 1. De cons. dist. 1. c. solennitates. Ioan. 10. 3. Reg 8. 2. Paral. 7.

De fabrica cuiuslibet Ecclesiæ si diruta fuerit instauranda, & si consecrationis solennitas debeat iterari vbi sanctuaria non fuerint. Eutero fratri Vigilius papa, cap iiij. ¶ Capvt 25.

De fabrica cuiuslibet Ecclesiæ si diruta fuerit instauranda, & si in eo loco consecrationis solennitas debeat iterari, in qua sanctuaria non fuerint, nihil iudicamus officere: si per eam minimè aqua exorcizata iactetur: quia consecrationem cuiuslibet Ecclesiæ, in qua Spiritus sancti ara non ponitur, celebritatem tantùm scimus esse Missarum. Et ideò si qua sanctorum Basilica à fundamentis etiam fuerit innouata, sine aliqua dubitatione, cùm in ea missarum celebrata fuerit solennitas, totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si verò sanctuaria quæ habebat ablata sunt, rursus eorum repositione,

& missarum solennitate reuerentiam sanctificationis accipiet.

Vt Ecclesiæ destructæ non maiores reædificentur, quàm ex rebus ad eas pertinentibus instaurari possunt. Ex decretis Hygini papæ, cap. v.

¶ Cap. 26.

Vt Ecclesiæ destructæ vbi aut plures quàm necesse sit, aut maioris magnitudinis, quàm vt ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopi prouidentiâ modus inueniatur, qualiter consistere possint.

Quomodo terminandum sit, si contentio de terminatione duarum matricum Ecclesiarum orta fuerit. Ex concilio apud Aquisgranum, cap. v.

¶ Cap. 27.

Plures baptismales Ecclesię vna terminatione esse non possunt, sed vna tantummodò cum subditis capellis, & si contentio fuerit de terminatione duarum matricum, plebes vtrarúmque discernatur.

Quòd nulli Regum vel cuiquam hominum liceat proprium monasterium cuiquam nisi alij Ecclesiæ tradere: vel cum aliquo, nisi cum alia Ecclesia commutare, vel pro aliquo commodo vendere. Ex decretis Siluerij papæ, cap i.

¶ Cap. 28.

Nemini regum aut cuiquam hominum proprium liceat Monasterium tradere, nisi ad aliud monasterium: vel commutare nisi cum alio monasterio, vel quocumque commodo vendere. Hoc etiam diuina & Apostolica atque canonica sub anathematis pœna sanxit authoritas. Quod si factum fuerit non valebit, sed ipsum monasterium in pristinum reformetur statum.

Quòd non liceat Episcopo vel Abbati rem vnius Ecclesiæ alteri tradere, quamuis ambæ in potestate eius sunt. Ex conc. Lugdunensi, cap. v.

¶ Cap. 29.

Non liceat Episcopo vel Abbati terram Ecclesiæ vertere ad aliam, quamuis ambę sint in eius potestate. Tamen si commutare voluerint terras earum, cum consensu ambarum fiat.

Quòd Altaria non sint chrismate vngenda, nisi lapidea, & quòd ordinem Metropolitanorum comprouinciales obseruare debent. Ex concilio Hipponensi, cap. x.

¶ Caput 30.

de conf dist. 1. c altaria & primo. Altaria si non sint lapidea, chrismatis vnguine non consecrentur. Ad celebranda autem diuina officia, ordinem quem metropolitani tenent, comprouinciales eorum obseruare debebunt.

Quòd non debet Monasterium de loco in locum transferri sine consilio Episcopi vel fratrum. Ex decretis Bonifacij papæ, cap. v.

¶ Cap. 31.

Si quis vult Monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum consilio Episcopi, & fratrum suorum: & dimittat Presbyterum in priori loco ad ministeria Ecclesiæ.

Quòd omnes Basilicæ cum missa debent consecrari. Ex decretis Euaristi papæ, cap. iij. *de conf. dist. 1. c. omnes Basilicæ.*

¶ Cap. 32.

Omnes Basilicæ cum missa debent semper consecrari.

Vt nullum Episcopus nec gentilem, nec hæreticum, nec Iudæum prohibeat ingredi ecclesiam, quando verbum Dei annunciatur populo. Ex concilio apud Valentiam, cap. xvi.

¶ Cap. 33.

Vt nullum Episcopus prohibeat ingredi Ecclesiam & audire verbum Dei, siue gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum vsque ad missam catechumenorum. *Con. Carth. 4. cap. 14. De conf. dist. c. episcopus.*

Quòd populus qui ad celebrandam missam conuenerit, non nisi ea finita & benedictione accepta discedere debet. Ex conc. Arelatensi, cap. j.

¶ Cap. 34.

Item cùm ad celebrandam missam in Dei nomine conuenit populus, non antè discedat, quàm missæ solennitas compleatur, & vbi Episcopus defuerit, benedictionem accipiat sacerdotis.

Quòd tecta Ecclesiæ restaurare debent qui Ecclesiasticum habent beneficium. Ex concilio Magontiensi, cap. xlij. ¶ Cap. 35.

Quicunque Beneficium ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendas omninò adiuuent, & *nu- misma, & decimam reddant. *nonam

Quomodo administrandæ sint Ecclesiæ inter barbaros constitutæ. Ex concilio Constantinopolitano j. ca. iiij. ¶ Cap. 36.

Ecclesias autem Dei in barbaris gentibus constitutas, gubernari & administrari oportet secundùm consuetudinem, quæ est à patribus obseruata.

De Ecclesiis Arrianorum quòd à Catholicis Catholicè consecrandæ sunt. Ex decretis Ioannis j. papæ, Episcopis Italiæ missis.

¶ Cap. 37.

Ecclesias verò Arrianorum, vbicunque inueneritis, Catholicas eas diuinis precibus, & operibus absque vlla mora consecrate: quia & nos quando fuimus Constantinopoli, tam pro religione Catholica, quàm & pro regis Theoderici causa negotij, suadente atque hortante Arrianósque exstirpante piissimo atque Christianissimo Iustino Orthodoxo imperatore, quascunque illis in partibus eorum Ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas Domino opem ferente consecrauimus.

Quid agendum sit de Diœcesana Ecclesia si destituta fuerit. Ex concilio Terraconensi, ca. viij.

¶ Cap. 38.

Multorũ casu experiẽtia magistrãte reperimus,

16.q 1.c decreuimus. nonnullas Diœcesanas Ecclesias destitutas. Pro qua re in constitutione decreuimus, vt antiquæ consuetudinis ordo seruetur, & annis singulis ab Episcopo diœceses visitentur: & si qua fortè Basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparetur, quia tertia pars ex omnibus per antiquam traditionem, vt accipiatur ab Episcopis, ex principibus nouimus statutum.

De translatione Minturnensis Ecclesiæ ad Formianam Ecclesiam. Ex registro Gregorij ad Bacandam, episcopum Formiensem.

¶ CAP. 39.

Et temporalis nos perurget necessitas, & imminutio exigit personarum, vt destitutis ecclesiis salubri ac prouida debeamus dispositione succurrere. Et ideò quoniam ecclesiam Minturnensem funditus tam cleri quàm plebis destitutam desolatione cognouimus, tuámque pro ea petitionem, quatenus Formianæ ecclesiæ, in qua corpus beati Erasmi martyris requiescit, cuique fraternitas tua præsidet, adiungi debeat, & pium esse ac iustissimum præuidentes, necessarium duximus consulentes tam desolationi loci illius, quàm tuæ Ecclesiæ paupertati, redditus supradictæ ecclesiæ Minturnensis, vel quicquid ei antiquo, modernóque iure vel priuilegio potuit potestatiuè qualibet ratione competere, ad tuæ ecclesiæ potestatem hac præcepti nostri authoritate concedimus, vt à præsenti tempore, sicuti ex propria quippe ecclesia, debeas cogitare, eique competentiâ tuâ disponere: quatenus deinceps quod perire nunc vsque potuit, pauperum ecclesiæ vtilitatibus clerique proficiat.

Picturas in Ecclesia non esse adorandas, sed quod adorandum est, mentibus fidelium per eas ad memoriam reuocandum. Ex concilio Eliberitano, cap. xxxvi. ¶ CAP. 40.

De cons dist. 4 c.placuit. Placuit picturas in Ecclesiis fieri non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.

De eodem. Ex epist. Gregorij papæ Secundino seruo Dei recluso.

¶ CAP. 41.

Aliud est picturam adorare: aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scripturam, hoc idiotis patet picturam cernentibus, quia in ipsa ignorantes vident quod sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt: vnde & præcipuè gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere tu qui inter gentes habitas attendere debueras, ne dum recto zelo incautè succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed instruendas solummodo mentes nescientium fuit collocatum. Et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condisses, sine dubio & ea quæ intendebas salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed potius poteras congregare, vt pastoris intemeratum excelleret nomen, non culpa dispersoris incumberet.

Vt non pro debito, Episcopus de consecratione aliquod munus requirat. Ex concilio VVormatiensi, cap iij. ¶ CAP. 42.

Placuit, vt quotiens ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopus inuitatur, nō quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirat: sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur. Attamen vnusquisque Episcopus meminerit, vt non priùs dedicet Ecclesiam, nisi anteà dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem chartulę confirmatum accipiat. Nam non leuis est temeritas ista, si sine luminaribus, vel sine substantiali sustentatione eorum qui ibidem seruituri sunt, quasi domus priuata, consecretur ecclesia.

Quod non licet consecrari Ecclesiam vbi cadauera infidelium mortuorum sepulta fuerint, nisi eis eiectis & parietibus rasis. Ex concilio Agrippinensi, cap. iij. ¶ CAP. 43.

Ecclesiam in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet. Sed si apta videtur ad consecrandum, inde euulsis corporibus, & rasis parietibus & lignis eius, loci, reædificetur. Si hæc consecrata priùs fuit, Missas in ea celebrare licet: si tamen fideles fuerint, qui in ea sunt sepulti.

Ad quos vsus verti debeant ligna dedicatæ Ecclesiæ. Ex decretis Higinij papæ, cap. iij.

¶ CAP. 44.

Ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam ecclesiam: vel igni comburenda: vel ad profectum in monasterium fratribus: in laicorum verò opera non debent admitti. De cons dist. 1.c.ligna.

Quid Episcopo agendum sit si plures heredes de vna contenderint Ecclesia. Ex conc. Triburiensi c. xx.

¶ CAP. 45.

Si plures hæredes contenderint de communi Ecclesia, auferri iubeat Episcopus reliquias sacras & Ecclesiam claudi: donec communi consensu, & consilio Episcopi statuant inde Presbyterum, & vnde viuat. 16.q.7.c.si plures.

Item Gregorius Papa in decretis cap. v.

De Ecclesiis quæ inter cohæredes sunt diuisæ considerandum est, quatenus si secundùm prouidentiam & admonitionem Episcopi ipsi cohæredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, in Episcopi potestate maneat, vtrum eas ita consistere permittat, aut reliquias inde auferre velit. 18 q 7.c. considerandum est.

De eadem re. Ex concilio Mediomatricensi. cap. xi. ¶ CAP. 46.

Perlatum est ad sanctam Synodum, quòd inter hæredes Ecclesiæ in rebus propriis constitutæ diuidantur, & tanta per eandem diuisionem simultas oriatur, vt de vno altari quattuor partes fiant, & singulæ partes singulos habeant Presbyteros. Quod sine discordia & simultate nullo modo fieri potest. Vnde nobis visum est, quòd huiuscemodi Ecclesię inter hęredes diuidi non debeant, & si in contentionem venerint, & simultates inter eos surrexerint, per quas Sacerdos suo ibi officio canonicè fungi non possit, præcipiatur ab Episcopo ciuitatis, vt nullo modo ibi Missarum solennia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari voto atque consilio Ecclesia illa sacerdotem canonicè habeat, qui liberè ibi ministerium suum peragere possit.

Unum esse Parochianas Ecclesias more Romanæ Ecclesiæ ordinari, & custodiri. Ex ij. epist. Dionysii, ad Seuerum episcopum.

¶ CAP. 47.

De Ecclesiis ergo Parochianis, vnde Apostolicam sedem consulere voluisti, qualiter sint custodiendæ per Cordubensem prouinciam, ac prouidendæ sacerdotibus, nihil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quàm vt sequaris quod nos in Romana Ecclesia nuper egisse cognoscitur. Ecclesias verò singulas singulis Presbyteris dedimus, & vnicuique ius proprium habere statuimus: ita videlicet vt nullus alterius Parochiæ terminos aut ius inuadat, sed vnusquisque suis terminis sit contentus, & taliter ecclesiam & plebem sibi commissam custodiat, vt ante tribunal æterni iudicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat, vt non iudicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat. Hanc quoque normam, charissime, te & omnes episcopos sequi conuenit, & quod tibi scribitur omnibus quibuscunque potueris notum facias, vt non specialis, sed generalis fiat ista præceptio.

Ut vnusquisque Presbyter vnâ Ecclesiâ sit contentus. Ex concilio Remensi, cap. xij.

¶ CAP. 48.

Vnusquisque Presbyter ecclesia vna ad quam ordinatus est, contentus sit, & nullus in duabus ecclesiis ministrare præsumat.

Ut vna Ecclesia inter plures Presbyteros non diuidatur. Ex eodem concilio, cap. xx.

¶ CAP. 49.

21. q. 2. c. sicut in vnaquaque. Sicut in vnaquaque Ecclesia Presbyter debet esse, ita ipsa quæ sponsa vel vxor eius dicitur, nõ potest diuidi inter plures presbyteros: sed vnum tantummodò habebit sacerdotem, qui eam castè & sinceriter regat. Vnde interdicimus, vt nullus præsumat Ecclesiam inter duos vel plures diuidere: quia Ecclesia Christi vxor & sponsa esse debet, non scortum, sicut Calixtus Papa testatur. Epist. 3.

Item vt vnusquisque Presbyter vna sit ecclesia contentus. Ex eodem concilio, cap. x.

¶ CAPVT 50.

Statutum est, vt vnaquæque Ecclesia suum Presbyterum habeat, vbi id fieri facultas prouidente episcopo permiserit.

Item de eadem re. Ex concilio Namnetensi, cap. viij. ¶ CAP. 51.

Sicut enim Episcopus non plus habere potest quàm vnam ciuitatem, & vir vnam vxorem: ita Presbyter vnam tantùm Ecclesiam. Itaque nullus Presbyter habere præsumat duas ecclesias, si de statu suo gaudere desiderat.

Quòd nullus Presbyter relicta sua Ecclesia ad potiorem aspirare debet. Ex concilio Meldensi, cap. x. ¶ CAP. 52.

7. q. 1. c. Si quis. Si quis de ordine Sacerdotali, contemptu minoris Ecclesiæ, ambitiosè & improbè ad potiorem aspirauerit, canonica erga eum diffinitio conseruetur, id est, vt vtraque careat.

Quòd sicut viuente viro vxor eius alteri nubere non permittitur, sic viuente Presbytero Ecclesia sibi commissa ab altero iudicari aut disponi non conceditur. Ex decretis Calixti Papæ, cap. iiij.

¶ CAP. 53.

Sicut alterius vxor, nec adulterari ab altero, nec iudicari, aut disponi, nisi à proprio viro eo viuente permittitur, sic nec vxor Episcopi vel Presbyteri, (quod eius Ecclesia vel Parochia indubitanter intelligitur) eo viuente ab altero diiudicari, vel disponi, aut eius concubitu perfrui permittitur. Vnde ait Apostolus: Alligata est vxor legi, quàdiu vir eius viuit: eo defuncto soluta est à lege viri. Similiter & Ecclesia, quæ vxor Sacerdotis dicitur, eo viuente ei alligata est: eo defuncto nubat in Domino, id est regulariter. Si enim eo viuente alteri nupserit, adultera iudicabitur. Ib. c. sicut alterius. 1. Cor. 7.

De Ecclesiis vel sanctis nouiter inuentis. Ex concilio Agrippinensi, cap. v. ¶ CAP. 54.

De Ecclesiis seu sanctis nouiter inuentis, sine authoritate inuentoris, nisi Episcopo probante, in eius territorio minimè venerentur, salua etiam de hoc, & de omnibus Ecclesiis canonica authoritate.

Quòd Presbyter de dotali manso nullum seruitium facere debet, nisi Ecclesiasticum. Ex concilio VVormac. cap. l. ¶ CAP. 55.

Sancitum est, vt vnicuique Ecclesiæ vnus mansus integer absque vllo seruitio attribuatur: & Presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel de hortis iuxta ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod seruitium faciant, præter ecclesiasticum. Et si quid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum seruitium impendant. 23. q. 8. c. mansus.

Ut nullus mortalium de dotali manso, vel mancipiis, vel decimis, vel oblationibus fidelium, vel de redditibus qui Ecclesiis collati fuerint, quemquam Presbyterorum aliquem censum persoluere cogat. Ex concilio Meldensi, cap. viij. ¶ CAP. 56.

Iuxta Synodalia præcepta decreuimus, vt nullus mortalium de agro Ecclesiastico & manso, & mancipiis, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus fuerit Ecclesiæ, neque de decimis & oblationibus fidelium quemquam Presbyterorum aliquem censum persoluere cogat, nec quisquam cuiuslibet ordinis aut dignitatis sit, exinde quicquam substrahat, & redditionem quamcunque exigat temporalem. Quod si fecerit, communione vsque ad satisfactionem priuetur.

Ut nulla memoria Martyrum probabiliter accipiatur, nisi vbi corpus aut reliquiæ certæ sunt, aut vbi origo alicuius habitationis vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Ex concilio Africano, cap. l.

¶ CAP. 57.

Item placuit vt Altaria quæ passim per agros, de consec. dist. 1. c. placuit.

& per vias, tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyris conditæ probantur, ab Episcopis qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, euertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tantùm admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione deuincti teneantur. Et omninò nulla memoria Martyrum probabiliter accipiatur, nisi aut vbi corpus aut reliquiæ certę sunt, aut origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbicunque constituuntur altaria, omninò reprobentur.

Vt Martyrum dignitatem nullus profanus infamet. Ex concilio Carthaginensi i. cap. ij.

¶ CAP. 58.

Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque ad passiua corpora, quæ sepulturæ tantùm propter misericordiam ecclesiasticam commendari mandatum est, redigat: vt aut insania præcipitatos, aut aliquo tali pacto aut alia ratione peccati * discretos, non ratione vel tempore competenti, quo martyria celebrantur, martyrum nomine appellet. At si quis ad iniuriam martyrum, claritati eorum adiungat infamiam, placet eos si laici sunt, ad pœnitentiam redigi; si autem clerici post commonitionem & post cognitionem honore priuari.

* disiunctos.

Vt Missarum solennia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, fiant. Ex concilio Triburiensi, cap. iiij.

¶ CAP. 59.

de cons. dist. 1. c. missarū & c. concedimus.

Missarum solennia non vbicunque, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Cōcedimus etiam, vt sicubi (quod nostris peccatis exigentibus per plurimum est factum) à Normanis, & * Flauis, & à Bulgaris, & à malis Christianis seu alio qualicunque modo Ecclesiæ fuerint incensæ & combustæ, in capellis cum tabula consecrata, missas interim celebrare permittimus, donec ipsæ Ecclesiæ restaurari queant. In itinere verò positis, si ecclesia defuerit, vt sub dio, seu in tentoriis, item si tabula consecrata altaris, cæteráque sacra ministeria ad id officium pertinentia affuerint, Missarum solennia celebrare concedimus, aliter omninò interdicimus.

* Sclauis.

Missam nisi ex magna necessitate, non nisi in sacrato loco esse celebrandam. Ex decretis Fœlicis Papæ omnibus Episcopis directis.

¶ CAP. 60.

Fœlix papa 4. epist. 1. c. 1. de cons. dist. 1. c. Consecrationem. c. tabernaculum. Num. 7.

Scripta sanctitatis vestræ, quæ ad sedem Apostolicam misistis super quibusdam consultis, quasi ad caput, vt inde reciperetis responsa, vnde omnis Ecclesia totius religionis sumpsit exordium, gratanter suscepi, & breuiter vobis respondere curaui. De ecclesiarum enim consecratione, & de missarum celebrationibus, non alicubi quàm in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota noui & veteris testamenti præcepta. Tabernaculum verò Moysen Domino pręcipiente fecisse, & sacrasse cum mensa, & altari eius, & cæteris vasis & vtensilibus, ad diuinum cultum explendum legimus: & non solùm diuinis precibus ea sacrasse, sed etiā sancti olei vnctione Domino iubente perlinisse nouimus. Qualiter autē hæc facta sunt, & quomodo ipsa sacra non alij quā sacerdotes vnctione delibuti, dominóque cum vestibus sanctis sacrati & Leuitæ tractabant, ferebant, erigebant & deponebant, in ipsis institutionibus quæ iubente Domino per Moysen conscriptæ sunt, in lege Domini reperitur. Qualiter ergo regum piissimus Dauid amplificauerit cultum Dei, & templum Domini ædificare voluit, sed propter multum sanguinem quem effuderat prohibitus est, & ipse collegerat expensas: Salomon quoq; filius eius idipsum quod ipse facere optauerat, iubente & auxiliante Domino perfecit, & templum cum altari & reliquis ad diuinum cultum peragendum, consecrauit, in libro regum legitur.

Leu. 8. 2. Reg. 7. 1. Par. 22. 3. Reg. per totum.

De eadem re. Ex epistola Fœlicis papæ quarti diuersis Episcopis missa. ¶ CAP. 61.

Ibidem.

Iudæi ergo loca in quibus sacrificabant Domino diuinis habebant supplicationibus consecrata, nec in aliis quàm Deo dicatis locis munera Domino offerebant. Si enim Iudęi qui vmbrę legis deseruiebant hoc faciebant, multò magis quibus veritas patefacta est, & gratia & veritas per Iesum Christum data est, templa Domino ædificare, & prout meliùs possumus ornare, eáque diuinis precibus, & sanctis vnctionibus suis cum altaribus & vasis, vestibus quoque & reliquis ad diuinum cultum explendum vtensilibus deuotè & solenniter sacrare, & non in aliis locis quàm Deo sacratis ab Episcopis, & non à Chorepiscopis, qui sępe prohibiti sunt, nisi, vt pręd ictum est, summa exigente necessitate, Missas celebrare nec sacrificia Domino offerre debemus. Et hoc cū summa necessitas agere compulerit: non in domibus, quia in sacris canonibus sacrificia in domibus offerri prohibita sunt, sed in tabernaculis, diuinis precibus à pontificibus dedicatis, & in mensis Domino sacratis, & sacra vnctione à pontificibus delibutis, pro summa vt pręfixum est necessitate, & non pro libitu cuiusquam & pigritia agatur. * Sanctius est enim missam non cantare aut non audire, quàm in his locis vbi fieri non oportet, nisi vt sępe dictum est, pro summa contingat necessitate, quoniā necessitas legem non habet. Vnde scriptum est: Vide nos offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in omni loco quem elegerit Dominus Deus tuus. Et in exodo legitur, Vos vidistis quia de cœlo loquutus sum vobis. Non facietis deos argenteos, neque deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta & pacifica vestra, oues vestras & boues in omni loco in quo fuerit memoria nominis mei. Et sicut non alij quàm Domino sacrati sacerdotes debēt missas cantare, nec sacrificia super altare offerre, sic nec in aliis quàm in pręfatis Domino sacratis locis missas cantare, aut sacrificia offerre * licet. Sic autem legitur in concilio Laodicensi capitulo vigesimo sexto. Quod si hi qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in ecclesiis quàm in domibus exorcisare non possunt: multò magis maioris gradus ministeria, nisi ab eis qui ad eos gradus sunt sacrati, quibus fungi debent, vel officia agi vel sacrificia offerri non licet.

Ioan. 1. De cons. dist. 1. c. sicut non non alij. * Satius. Deut. 12. Exod. 20. * licebit. Dist. 69. c. non oportet.

Quòd autem vt paulò superiùs prælibatum est: oblationes in domibus offerri non debent, in eodem concilio capitulo 58, prohibitum habetur ita: Non oprtet in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel Presbyteris.

Epist. 3. *Item de eadem re. Ex decretis Clementis Papæ, cap. xxxij.* ¶ Cap. 62.

De conf. dist. 1. c. hic ergo, id est. Hic ergo, hoc est, in præsenti vita positos, oportet vos agnoscere voluntatem & præceptum Dei, vbi agendi & sacrificandi sit locus; quoniam in alijs locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in his quibus proprius Episcopus iusserit, aut ab episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet ciuitatem, * consecrati fuerint. Aliter enim non sunt hæc agenda, nec ritè celebranda, docente nouo & veteri testamento. Hæc Apostoli a Domino acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus, vobísque & omnibus absque reprehensione tenere, & docere, quibus agendum est, mandamus.

* consecratus fuerit.

Item de eodem. Ex concilio Laodicensi, cap. lviij.

¶ Cap. 63.

Quod non oportet in domibus oblationes celebrari ab Episcopis, vel Presbyteris.

Item de eodem. Ex concilio Aurelianensi, cap. iij.

¶ Cap. 64.

Audiuimus quòd quidam laici in domibus propriis præcipiant Presbyteris suis Missas celebrare, vt inter canum dicursus, & scortorum greges sanctitatis mysteria polluantur magis quàm consecrentur. Quapropter præcipimus, vt nullus Presbyter extra Ecclesiam præsumat Missam cantare, nisi fortè itineris necessitas exposcat in tentorio, aut sub * dio in loco nitido, & longè ab omni immunditia remoto, Missas permittimus celebrare, & hæc nullatenus sine tabula consecrata.

* diuo

Quòd ante horam diei tertiam Missæ non sint celebrandæ. Ex epistola Telesphori papæ, cap. vi.

¶ Cap. 65.

Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ; quia eadem hora & Dominus crucifixus est, & super Apostolos sanctus Spiritus descendisse legitur: excepta nocte natiuitatis.

Cabilon. 2. *Quòd singulis diebus Missas in memoriam fidelium defunctorum liceat celebrare. Ex concilio Cabilonensi, cap. xxxix.*

¶ Cap. 66.

de conf. dist. 1 c. visum præterea nobis. Visum præterea nobis est, vt in omnibus Missarum solennitatibus pro Defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus, & pro quibuslibet necessitatibus deprecetur: ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in missarum solennibus fundantur. Antiquitus igitur hunc morem sancta tenet Ecclesia, vt Missarum solennibus & aliis precibus, Domino spiritus quiescentium commendentur, dicente beato Augustino: Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate laudamus. Defunctis etiam tantis hominibus, eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia memoriam, vt quibus ad ista desunt parentes aut filij, aut quicunque cognati vel amici, ab vna eis exhibeatur pia matre communi.

L. de cura pro mortuis agenda, c. 4.

Quòd Missa mortuorum pro omnibus Christianis sit cantanda. Ex dictis Dionysij Areopagitæ.

¶ Cap. 67.

Dionysius Areopagita dicit, blasphemias Deo facere, qui missas offert pro malo homine. *Augustinus dicit*, Pro omnibus Christianis esse faciendum: quia vel eis proficit, aut offerentibus proderit.

Vt sicut Missarum institutiones in Metropoli, sic in omnibus comprouincialibus Ecclesiis fiant. Ex concilio Gerundensi, cap. primo.

¶ Cap. 68.

Vt institutiones missarum, sicut in Metropolitana Ecclesia fiunt, ita in Dei nomine in omnibus comprouincialibus Ecclesiis, tam ipsius missæ ordo, quàm psallendi vel ministrandi consuetudo seruetur. de conf. dist. 2. c. institutio.

Vt preces & præfationes quæ in Concilio probatæ non fuerint, non celebrentur. Ex concilio Affricano, cap. lxiij. ¶ Cap. 69. Sub Bonifacio 1 & Cælestino 1. c. 70.

Placuit etiam hoc, vt preces quę probatę fuerint in concilio siue præfationes, siue commendationes, seu manus impositiones ab omnibus celebrentur, nec alię omninò contra fidem proferantur: sed quęcunque cum prudentioribus fuerint * collatæ dicantur.

* collectæ.

Vt nullus Presbyter solus Missam audeat celebrare. Ex concilio Nannetensi, cap. xxx.

¶ Cap. 70.

Definiuit sanctum Concilium, vt nullus Presbyter solus præsumat missam * celebrare; Cui enim dicit, Dominus vobiscum, Sursum corda, aut Gratias agamus Domino Deo nostro, cùm nullus sit qui respondeat: aut in Canone, Et omnium circumstantium, cùm nemo adsit. Aut quem inuitat ad orationem, cùm dicit Oremus, cùm nullus sit qui secum oret? Aut ergo ista penitus reticenda sunt: & non solùm non erit perfectum sacrificium, verùm etiam incurret (quisquis ille est) illam terribilem sententiam: Si quis tulerit de hoc, tollat Deus partem eius de libro vitę: aut si hęc muris & parietibus insusurrauerit, ridiculosum erit. Quapropter illa periculosa superstitio, maximè à monasteriis monachorum exterminanda est. Prouideant autem prelati, vt Presbyteri in cœnobiis & in aliis ecclesiis cooperatores habeant in celebratione missarum. Si quis hæc transgressus fuerit, ab officio suspendatur. 17. q. 4. c. definiuit. * cantare

Vt in Ecclesia nil aliud agatur, nisi ad quòd facta est. Ex dictis sancti Benedicti. Cap. 51. suæ regulæ.

¶ Cap. 71.

Oratorium hoc sit quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur aut condatur, quàm quod ministeriis conuenit, Dist 42. c. oratorium.

De eadem re. Ex dictis sancti Augustini.

¶ Cap. 72.

In oratorio præter orandi psallendique Deo cultum, penitus nihil agatur, vt nomini huic & opera iugiter impensa concordent.

Item de eadem re. Ex concilio Laodicensi, cap. xxviij. ¶ Cap. 73.

dist. 42. c. non oportet. Quòd non oporteat in domiciliis diuinis, id est in Ecclesiis Agapes fieri, & intra domum Domini comedere, & accubitus sternere.

Vt nullus in Ecclesia tabernas constituat. Ex concilio Carthaginensi, cap. xxviij.

¶ Cap. 74.

Vt nulli Episcopi vel clerici in Ecclesia conuiuentur, nisi forte transeuntes hospitij necessitate illic reficiantur: populi etiam ab huiusmodi conuiuiis, quantum fieri potest, prohibeantur.

De eodem. Ex concilio Turonensi, cap. ij.

¶ Cap. 75.

Perlatum est ad sanctam Synodum, quòd quidam Presbyteri in Ecclesiis sibi commissis tabernas (quod nefas est) constituunt, ibique per caupones vinum vendant, aut vendere permittant: & vbi tantummodo orationes & verbum diuinum, deique laus debuerat resonare, ibi comessationes & ebrietates fiunt, ibi risus, & plausus, & verba turpia, ibi rixæ & contentiones resultent. Quod quàm sit Deo contrarium, Dominus Iesus demonstrat: qui cùm venisset in templum, vendentes & ementes, & nummularios sedentes, facto funiculo omnes eiecit de templo. Si enim ea quæ licitè vendi videbantur in templo, & ad hoc emebantur, vt in eodem templo offerrentur Domini, ipse foras eiecit: quid putas de tàm pestifera præsumptione & Dei contemptu fiet? Et si non solùm sacerdotibus, sed etiam omnibus clericis præcipitur ne tabernas ingrediantur: quis audire potest, vt Ecclesiæ Dei tabernæ fiant? Itaque interdicit per omnia Synodus, ne hoc in posterum vllatenus fiat. Quod si factum fuerit, Presbyter de ponatur, laici communione priuati ab Ecclesia quam dehonestauerunt, expellantur. *De eadem re ex eodem concilio, cap. iij.* Si enim domus Dei domus orationis vocatur, hoc debet esse quod dicitur, nec ibi aliud debet geri aut recondi. Vbi enim corpus Domini consecratur, vbi Angelorum præsentia non dubitatur adesse, vbi sanctorum reliquiæ reconditæ venerantur, nec quicquam inhonestum appareat, quòd oculos ad oraculum venientium offendat, ne quid videatur ibi quod ad lucrum temporale pertineat, sed omnia sancta, omnia munda, & tantummodo ad Ecclesiasticum ministerium pertinentia.

Quòd vnicuique fidelium licet Oratorium in domo sua habere, Missas autem ibi non licet celebrare. Ex concilio Aurel, cap. iij.

¶ Cap. 76.

de consecr. dist. 1. c. vnicuique. Vnicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere, & ibi orare, missas autem ibi celebrare non licet.

Canticum luxuriosum circa Ecclesias & atria omnino prohibendum est. Ex concilio Magontiensi 1. cap. xlviij. ¶ Cap. 77.

Canticum turpe atque luxuriosum circa Ecclesias, atque in atrijs ecclesiæ omninò contradicimus, quòd vbique vitandum est.

Sanctorum reliquias in oratorijs villaribus sine præsentia clerici, Parochiani, non esse ponendas. Ex concilio Epaunensi, cap. xxv.

¶ Cap. 78.

Sanctorum reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsitan clericum cuiusque Parochiæ vicinum esse contingat, qui sacris * pignoribus psallendi frequentiâ famuletur. ** cineribus.*

Sedes Episcoporum ad securiora loca propter diuersas necessitates posse transferri. Ex registro Gregorij papæ, ad Ioannem Bellitranensem episcopum. ¶ Cap. 79. *L. 2. epist. 13.*

Temporum qualitas admonet Episcopum sedes antiquitus certis ciuitatibus constitutas, ad alia, quæ securiora putamus eiusdem Diœceseos loca transponere, quò & habitatores securiùs degere, & barbaricum possit periculum faciliùs declinari. Propterea te Ioannem fratrem coëpiscopúmque nostrum Bellitranensis ciuitatis, sedémque tuam, in loco qui appellatur Renati ad sanctum Andream Apostolum præcipimus exinde transmigrare: quatenus, & ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, & illic consuetudinem solennium festorum disponas. *17. q. 1. c. temporis.*

Tribus de causis loca sanctorum transmutanda esse. Diuus Augustinus.

¶ Cap. 80.

Tribus causis loca sanctorum transmutanda sunt. Primò cùm necessitas persecutorum loca eorum grauauerit. Secundò cùm difficultas locorum fuerit. Tertiò cùm malorum societate grauantur. *de consecr. dist. 1 c. tribus ex causis.*

Quòd in translatione Martyrum honor cum eis transmigrat. D. Hieronymus.

¶ Cap. 81.

Notandum cùm transferuntur aliqui de martyribus, cum his honor commigrat: alijs verò transmutatis honor in locis eorum esse non cessat.

Quòd sanguis Martyrum consecrat locum, non locus sanguinem. Ex dictis Augustini.

¶ Cap. 82.

Sanguis martyrum consecrat locum, non locus sanguinem. Si aliquis dixit, mea est Ecclesia: dices illi, quod in Cantico legitur: Vna est columba mea, & vnus dilectus meus, & dices illi: Apertum est, filium occidi in sinu matris & nutricis suæ: tamen scias nutricem tantùm pollutam esse pro hac pollutione consecratam, filium autem mortuum esse. *Cantic. 6.*

Vnde dicta sit Basilica. Isidorus. ¶ Cap. 83.

Basileon Græcorum rex erat. Hinc etenim Ba-

ſilica, regalis, quia in primis temporibus reges tantùm ſepeliebantur in ea. Ideo nomen ſortita eſt. Nam illis temporibus cæteri homines ſiue igne combuſti, ſiue aceruo lapidum ſepulti ſunt.

De illis qui domum Dei contemptibilem faciunt. Ex concilio Gangrenſi, cap. v.

¶ Cap. 84.

dist. 30. c. si quis docet. Si quis docet domum Dei contemptibilem eſſe, & conuentus qui in ea celebrantur, anathema ſit.

Quid faciendum ſit Epiſcopo qui Eccleſiam per ſæculares poteſtates obtinuerit. Ex canone Apoſtolorum, cap. xxxi. ¶ Cap. 85.

16. q. 7. si quis episcopus. Si quis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus vſus, Eccleſiam per ipſas obtineat, deponatur & ſegregetur, omnéſque qui illi communicant.

Quid agendum ſit de Presbytero, qui alium presbyterum de Eccleſia ad quam legitimè ordinatus eſt, per pecuniam abſtulerit. Ex concilio Magontienſi ſecundo, cap. v.

¶ Cap. 86.

Quicunque Preſbyter per pretium Eccleſiam fuerit adeptus, quando contra Eccleſiaſticæ regulæ diſciplinam agere dignoſcitur, & qui alium Preſbyterum legitimè ad Eccleſiam ordinatum per pecuniam expulerit, eámque ſibi taliter vendicauerit, omnimodis deponatur.

Vt Laici Presbyteros de Eccleſiis non eijciant. Ex eodem conc. cap. xxix. ¶ Cap. 87.

Vt Laici Preſbyteros non eijciant de Eccleſiis, neque conſtituant ſine conſenſu Epiſcoporum ſuorum.

Vt nulli abſque conſenſu Epiſcopi liceat Presbytero Eccleſiam dare vel auferre. Ex concilio Cabilonenſi ij. cap. xlij. ¶ Cap. 88.

16. q. 7. c. inuentum est. Inuentum eſt quòd multi arbitrij ſui temeritate, & (quod eſt grauius) ducti cupiditate, Preſbyteris quibuſlibet, abſque conſenſu Epiſcoporum ſuorum Eccleſias dant, vel auferunt. Vnde oportet vt canonicâ regulâ ſeruatâ, nullus abſque conſenſu Epiſcopi cuilibet Preſbytero eccleſiam det. Quam ſi iuſtè adeptus fuerit, hanc non niſi culpa graui, & coram Epiſcopo canonica ſeueritate amittat.

Vt nullus à Presbytero propter commendationem Eccleſiæ munus aliquod exigat. Ex concilio Magontienſi ij cap. xxx. ¶ Cap. 89.

Vt nullus omninò munera exigat à Preſbyteris propter commendationem Eccleſiæ.

Quòd deponendus eſt Presbyter qui alicui vel clerico vel laico pro inueſtitura Eccleſiæ aliquid dederit. Ex conc. Rotomag. cap. v.

¶ Cap. 90.

Sancitum eſt atque omnibus modis prohibitum, vt ſi quis Preſbyter inuentus fuerit alicui clerico aut laico munera dare aut dediſſe, aut *aliquam pecuniam tribuere, vt alterius Preſbyteri Eccleſiam vacantem pretio redimat: pro hac cupiditate ſeu rapina, ſeu præſumptione, turpis lucri gratiâ, deijciatur à clero, & alienus exiſtat à regula.

* aliam

Vt Presbyteri per Parochias fœminas admoneant. vt ad altaria linteamina præparent. Ex concilio Remenſi, cap. iiij.

¶ Cap. 91.

Vt Preſbyteri per plebes ſuas fœminis, prædicent vt linteamina in altaria præparent.

Vt Epiſcopi præuideant quem honorem Presbyteri pro Eccleſiis dominis ſuis debeant. Ex concilio Arelatenſi, cap. ij.

¶ Cap. 92.

Vt Epiſcopi præuideant, quem honorem preſbyteri pro Eccleſiis dominis ſuis debeant.

Vt nullus Presbyter ad introitum Eccleſiæ pretia donet. Ex concilio Aurelianenſi, cap. x.

¶ Cap. 93.

Vt nullus Presbyter ad introitum Eccleſiæ xenia donet.

Quòd prædia quæ Presbyter emerit Eccleſiæ eſſe debent, ad quam nihil habens acceſſit. Ex concilio Remenſi, cap. vi.

¶ Cap. 94.

Inueſtigandum eſt, ſi nihil patrimonij habens Presbyter quando prouectus eſt ad ordinem eccleſiaſticum, poſtea emerit prædia, cuius iuris ſint, quoniam Eccleſiæ ad quam de nihil habenti promotus eſt, eſſe debent, iuxta canonicam authoritatem.

De eadem re. Ex concilio Agathenſi, cap. liiij.

¶ Cap. 95.

Presbyter cũ diœceſim tenet, de his quæ emerit ad eccleſiæ nomen, ſcripturam faciat, vt ab eius quam tenet eccleſiæ ordinatione non diſcedat. 12. q. 4. c. Presbyter.

Vt Epiſcopi, Presbyteri, diaconi, vel quicunque clerici prædia, quæ comparauerint, poſtquàm ad aliquam Eccleſiam titulati ſunt, eccleſiæ relinquere debeant; de his autem quæ iure hæreditario, vel aliquorum largitione habuerint ad voluntatem ſuam diſponant. Ex conc. Carthag. iij. cap. xlix. ¶ Cap. 96.

Placuit vt Epiſcopi, Presbyteri, diaconi, vel quicumque clerici qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatus vel clericatus ſui, agros vel quæcunq; prędia ſui nominis cõparant tanquam rerum Dominicarum inuaſionis crimine tenantur obnoxij, niſi ad Eccleſiam quam titulati ſunt, eadem ipſa contulerint. Si autem ipſis propria liberalitate alicuius, vel ſucceſſione cognationis, aliquid euenerit, faciant inde quod velint. 12. q. 3. c. placuit. *De eadem re. Ex eodem cap xlviij.* Vt vnuſquiſq; Presbyter res quas poſt diem conſecrationis acquiſierit, propriæ eccleſiæ relinquat. *De eadem re. ex conc Toletano* Cæterum Presbyter ſi poſt ordinationem aliquid acquiſierit, illud obſeruandum eſt, quod in canonibus de conſecratis & nihil habentibus conſtitutum eſt. *Ex conc. Remenſi ca. x* Inquirendũ eſt ſi aliquis Presbyterorũ de reditibus eccleſiæ vel oblationibus ac votis fideliũ alio nomine res cõparauerit, & ibi

ſtructuras fecerit, vel quæ ad Eccleſiam pertinent ibidem collocauerit,& mulierum frequentationem inibi fieri permiſerit, vel (quod turpius eſt) tales mulieres ibidem habuerit, quæ lanificium ſuum exerceant, & curam domus agant, & in eadem Presbyter frequenter veniens manſerit, & contra decreta canonum hoc malum agat, quia ſicut nec ſuo, ita nec alieno nomine Presbyter fœnus exercere debet, multò minus fraudem facere de facultatibus Eccle- * par crimen ſiaſticis, quando hoc ſacrilegium eſt, & * pars criminis Iudæ fit, qui ſacras oblationes aſportabat & furabatur.

Parochias vnicuique Eccleſiæ priſtina diſpoſitione deputatas, perpetua firmitate inconuulſas permanere debere. Gelaſ. Max. & Euſ. Epiſcopis. ¶ CAP. 97.

16.q.3.c. licet regulis. Licet regulis contineatur antiquis, Parochias vnicuique Eccleſiæ priſtina diſpoſitione deputatas, nulla poſſe ratione conuelli, ne per conſuetudinem peſſimam exempli mali temeritate creſcente vbique vniuerſalis confuſio naſceretur: tamen etiam decretis noſtris ante non multum temporis deſtinatis, omnia iuſſimus quæ taliter fuerant inuaſa reſtitui. Sed quia temeritas peruadentium, legem ſibi putat poſſe generari: ſi ſceleri ſuo pertinaciam retentionis adiungat, ea quæ inter fratrem & coepiſcopum noſtrum Conſtantium Camiſcanæ Eccleſiæ ſacerdotem, & directos ab Anconitano pontifice decreuimus, per vos impleri cupimus. Tunc formam in cæteris cognitionibus, quæ ſit ſequēda perſcripſimus. Nulla igitur præſumptione ſtatum parochiarum, qui perpetuæ ætatis firmitate durauit, patimur immutari, quia neque negligentia Pontificis, neque temporalis obiectio, quæ per incuriam fortè generatur, nec ignauia faciente conſenſus, nec ſubripiente ſupplicatione præceptio diuellere poteſt ſemel Diœceſim conſtitutam, ex qua ſemper ad regenerationem atque conſignationem plebs deuota conuenit.

De compoſitione ſacrilegij, & quot modis ſacrilegium fieri poßit. Ioannes octauus in libro Gothicæ legis. ¶ CAP. 98.

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei omnibus Epiſcopis, comitibus, vicecomitibus, centenariis, iudicibus Catholicis, in Hiſpania & Gothia, & prouinciis degentibus, omnique populo occidentali Catholico, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Noueritis dilectiſſimi filij, quia nos pro ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ iuſſimus congregari Synodale concilium, apud vrbem Trecas, vbi ſedentibus nobis in corona, venit ante præſentiam noſtram filius noſter Siniboldus ſanctæ primæ ſedis Narbonenſis Epiſcopus, cum ſuis ſuffraganeis Epiſcopis, & detulit nobis librum Gotholicæ legis, vbi nihil habebatur de ſacrilegiis, & in eiſdem legibus ſcriptum, vt cauſæ, quas illæ leges non habent, non audirētur à iudicibus illius patriæ, atque ita ius ſanctæ Eccleſiæ ſuffocabatur ab incolis Galliæ, & Hiſpaniæ prouinciis. Vnde noſtra ſerenitas cum præſcriptis Epiſcopis inſpectis legibus Romanis vbi habebatur de ſacrilegiis, inuenimus ibi à Iuſtiniano imperatore legem cōpoſitionis ſacrilegij conſtitutam, ſcilicet in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legem præcepimus eſſe tenendam, quę à Carolo eſt conſtituta pio principe, de compoſitione ſacrilegij, videlicet in triginta libras argenti examinati: id eſt, ſexcentorum ſolidorum, ſummam argenti puriſſimi; ideòque quiſquis inuentus fuerit reus ſacrilegij, iſtam leniorem compoſitionem emēdet ipſis Epiſcopis vel abbatibus, ſiue perſonis, ad quos querimonia ſacrilegij iuſtè pertinuerit, & ſi ipſe reus ſacrilegij facere noluerit, tandiu excommunicationi ſubiaceat, vſquequò prędictam compoſitionem ſexcentorum ſolidorum perſoluat. Et ſi in hac obſtinatione mortuus fuerit, corpus eius cum pſalmis & hymnis non deferatur ad ſepulturam; & præcipimus, vt in fine codicis legis mundanę ſcribatur hęc lex. *Huc vſque Lex Papæ.* Sacrilegium enim committitur, ſi quis infregerit Eccleſiam, vel xxx. Eccleſiaſticos paſſus qui in circuitu Eccleſiæ fuerint: vel in domibus quæ infra prædictos paſſus fuerint, aliquid inde diripiendo vel auferendo, ſeu qui iniuriam vel ablationem rerum intulerit, clericis arma non ferentibus vel monachis, ſiue Deo deuotis hominibus, Eccleſiaſticis perſonis. Non enim capellę quę infra ambitum murorum caſtellorum ſunt, mittuntur, vel ponuntur in hac obſeruatione. Similiter etiam Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ſiue ſacrum de non ſacro. Non ſacrum verò de non ſacro, quia non poteſt computari in crimine ſacrilegij, ſecundùm mundanarum legum cenſuram debet emendari, vel ſecundùm morem patriæ.

De duobus Epiſcopis altercantibus de Parochia cuiuſdam Baſilicæ, & quòd tricennalis quieta poſſeßio omnem obiectionem excludat. Innocentius.

¶ CAP. 99.

Inter memoratos fratres noſtros Fulgentium Aſtigitanum & Honorium Cordubenſem Epiſcopum diſcuſſio agitata eſt propter Parochiam Baſilicæ cuiuſdam, quam horum alter Celtaſenſem aſſeruit. Et quia inter vtraſque partes hactenus limitis actio vendicata eſt, cuius quamuis vetuſta retentione nullum iuris preiudicium afferret: ideóque ne in dubium vltrà inter eos noſtra deuocaretur ſententia, prolatis canonibus, Synodalia decreta perlecta ſunt: quorum authoritas prę monet ita oportere inhiberi cupiditatem, vt ne quis terminos vſurpet alienos. Ob hoc placuit inter alternas partes inſpectionis viros mittendos, ita vt diœceſis poſſidentis (ſi tamen Baſilicam, veri ſigni limes prouiſus monſtrauerit) Eccleſię cuius eſt ius retentionis, ſit ęternum dominium. Quòd & ſi limes legitimus eandem baſilicam non concludit, & tamen longi temporis probatur obiecta pręſcriptio, appellatio præſentis Epiſcopi non valebit, quia illi tricennalis obiectio ſilentium imponit. Hoc etiam & ſecularium principum edicta pręcipiunt & pręſulum Romanorum decreuit authoritas. Si verò infra metas tricennalis temporis extra alios terminos Baſilicæ iniuſta retentio reperitur, repetentis Epiſcopi iuri ſine mora reſtituetur. 16.q.3.c. inter memoratos.

Quid immunitatis nomine comprehendatur, & quæ ſit infractæ immunitatis compoſitio. Ex libro capitulorum.

¶ CAP. 100.

Peruenit ad nos quòd à quibuſdam temera-

toribus dicatur non plus immunitatis nomine complecti, quàm claustra monasterij: cætera verò quamuis ad easdem Ecclesias vel Monasteria pertineant, extra immunitatem esse. Propter hoc volumus atque decernimus, vt omnes intelligant non solùm claustra monasterij vel Ecclesiæ, atque castitia ecclesiarum sub immunitatis defensione consistere, verùm etiam domus, & villas, & septa villarum, & piscatoria manufacta: & quicquid fossis aut sepibus, vel etiam alio clausarum * genere præcingitur, eodem immunitatis nomine contineri. Et quicquid infra huiusmodi munimenta ad ius earundem ecclesiarum vel monasteriorum pertinentia, à quolibet homine nocendi, vel damnum inferendi causâ, spontanea voluntate committitur, in hoc facto immunitas fracta iudicatur. Quòd verò in agros, & campos, & syluas, quæ sine laborationibus sunt, & nullo modo munitione cinguntur, casu (sicut fieri solet) à quibuslibet hominibus aliquod damnum factum fuerit, quamuis idem ager aut campus vel sylua ad ecclesiam vel monasterium præceptum immunitatis habentem pertineat, non tamen in hoc immunitas fracta iudicatur: & ideò non sexcentorum solidorum compositione, sed secundùm legem quæ in eodem loco tenetur is mulctandus est, qui scandalum vel damnum in tali loco fecisse conuictus fuerit.

*nomine

Nullum pretium pro loco sepulturæ aliquomodo exigendum esse. Gregorius Ianuario episcopo Sardiniæ. ¶ CAP. 101.

Lib. 7. registri. epist. 55. 13. q. 2. c. quæsta.

Praue nimis & procul est à Sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium. Hoc autem vitium, & nos postquam Deo authore ad Episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omninò vetuimus: & prauam denuò consuetudinem nequaquam vsurpari permisimus, memores quia dum Abraham à filiis Ephron, hoc est, à filiis Seor sepulchrum pretio ad humandum corpus coniugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadauere consecutus. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quantò magis nos qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? vnde ne hoc auaritiæ vitium, vel in alienis denuò tentari præsumatur, admoneo. Sed si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, si quidem parentes ipsius, vel proximi, vel hæredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti verò, aut aliquid exigi omninò prohibemus: ne quod valdè irreligiosum est, aut vænalis (quod absit) Ecclesia dicatur, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaueribus studeatis quolibet modo compendium quærere.

Gene. 23.

Ne laici Presbyteros ab Ecclesiis ad quas denominati sunt, expellere audeant. Carolo regi Leo tertius. ¶ CAP. 102.

Contra sanctorum patrum censuras videtur existere, si sæcularis homo vel laicus, Presbyteros ab Ecclesiis in quibus tempore ordinationis eorum denominati, vel introducti fuerunt, nitetur expellere.

Quòd non liceat Presbyteris contempto Episcopo se ab Ecclesiis suis segregare, & alias priuatim viuere. Ex concilio Antiocheno, cap. v.

¶ CAP. 103.

Si quis Presbyter aut diaconus contempto Episco seipsum ab Ecclesia segregauerit, & priuatim apud se collectis populis altare erigere ausus fuerit: & nihilominus Episcopo suo exhortante, & semel, & iterum reuocante inobediens extiterit: hic modis omnibus deponendus est, nec aliquando consequi curationem aut proprium honorem recipere speret. Quòd si etiam perseuerauerit perturbans cunctam Ecclesiam, per potestatem quę foris est, tanquam seditiosum corripi oportet.

De confiniis Cœmiteriorum, id est, quot passus habere debeant. Nicolaus papa omnibus Episcopis. ¶ CAP. 104.

De confiniis Cœmiteriorum sicut antiquitus à sanctis patribus statutum est, statuimus: ita vt maior Ecclesia per circuitum sexaginta passus habeat: capellæ verò vel minores Ecclesię xxx. Qui autem confinium eorum confringere tentauerit, aut personam hominis vel bona eius inde abstraxerit, nisi publicus latro fuerit, quousque emendet, & quod rapuerat reddat, excommunicetur.

17. q. 4. sicut antiquitus.

Non oportere Subdiaconos sacrarium ingredi, & contingere vasa dominica. cap. xxj.

¶ CAP. 105.

Quoniam non oportet Subdiaconos licentiam habere in secretarium siue sacrarium, quod Græci diaconion vocant, ingredi, & contingere vasa dominica.

Quòd oporteat Parochias rusticanas infrà terminum eius Episcopi permanere, qui eas per triginta annos gubernauit. Ex concilio Chalcedonensi, cap. xvi. ¶ CAP. 106.

Per singulas Ecclesias rusticanas Parochias siue possessiones manere immobiles apud eos qui eas retinent Episcopos, decreuimus: & maximè, qui eas sine violentia iam per xxx. annos tenentes gubernauerunt. Si verò intra triginta annos facta fuerit, aut fiat de his altercatio, licere eis qui se dixerint læsos, propter eas mouere apud Synodum prouinciæ certamen. Si quis verò se putat à proprio metropolitano grauari, apud primatem diœceseos, vel apud Constantinopolitanæ ciuitatis sedem, agat iudicium, sicut dictum est. Si verò quælibet ciuitas per authoritatem imperialem renouata est, aut si renouetur in posterum ciuilibus & publicis ordinationibus etiam Ecclesiarum parochianarum sequatur ordinatio.

16. q. 3. c. per singulas.

De his qui ad Ecclesiam pro reatibus suis confugiunt, quod non sunt abstrahendi, nec de Ecclesia vel de Ecclesiasticis officinis, vel de atrio, vel de domo Episcopi, vel à claustro: nec alicui reconsignari debent, nisi accepta securitate de morte & debilitate. ¶ CAP. 107.

In Synodo Aurelianensi prima sub Clodoueo rege in qua sederunt Episcopi xxiiij. de his qui ad Ecclesiam pro reatibus suis fugiunt, id constitutum est obseruandum, quòd antiqui canones

Conc. Aurelia. 1. cap. 3. 17. q. 4 id constituimus.

nes decreuerunt, & lex Romana constituit: vt ab Ecclesiæ atriis, vel à domo Episcopi, vel à Claustro, quia hæc pro immunitate habentur, eos abstrahere omninò non liceat, sed nec alteri consignare, nisi ad Euangelia datis sacramentis de morte, & debilitate, & omni pœnarũ genere sint securi: ita vt ei cui reus fuerit criminosus consignatus, de satisfactione conueniat. Quòd si quis sacramenta sua conuictus fuerit violasse, reus periurij, non solùm à communione Ecclesiæ, vel omnium clericorum, verùm etiam à Catholicorum conuiuio separetur. Quòd si is cui reus est, noluerit sibi intentione faciente componi, & ipse reus de Ecclesia actus timore discesserit, ab ecclesiæ clericis non requiratur.

De Raptore qui cum rapta ad Ecclesiam confugerit. Ex eodem, cap. quarto.

¶ CAP. 108.

36 q.1.c.de raptoribus. De raptoribus autem fœminarum id constituendum esse censuimus, vt si ad Ecclesiam Raptor cum rapta confugerit, & fœminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & parentibus reddatur: & raptor mortis vel pœnarum impunitate concessa, liberam habeat eundi facultatem. Si verò parentes mulieris Ecclesiasticis viris obedire noluerint, excommunicentur.

De Seruo qui pro qualibet culpa à Domino suo ad Ecclesiam confugerit. Ex eodem, cap. v.

¶ CAP. 109.

17.q.4.ca.id cõstituimus. Seruus qui ad Ecclesiam confugerit pro qualibet culpa, si à domino pro commissa culpa Ecclesiasticum sacramentum susceperit, statim ad seruitium domini sui redire cogatur. Et postquam dato sacramento domino suo fuerit consignatus, si aliquid pro eadem culpa qui accusatur probatus fuerit pertulisse, pro contemptu Ecclesiæ, & * præuaricatione fidei, à communione, vel conuiuio catholicorum, sicut superiùs comprehensum est, extraneus habeatur. Si verò seruus pro culpa sua ab Ecclesia defensatus sacramentum domini sui clericis exigentibus de impunitate perceperit, exire nolentem à domino liceat occupari.

* priuatione.

De eadem re. Ex concilio Chalcedo. cap. v.

¶ CAP. 110.

Similiter in Matiscensi synodo decretum est, vt hi qui fugiunt suos inimicos, aut in Ecclesiã, aut in atrium Ecclesiæ, aut in domum Episcopi, aut in claustrum regularium, non inde abstrahantur, nisi priùs supra sacra securitate accepta à persequutoribus, de morte, de debilitate, & omni pœnarum genere sint securi: etiam si serui sint illorum qui persequuntur eos, ita vt ei cui rei criminosi fuerint, de satisfactione conueniat. Quòd si is qui super sacra priùs iurauerat, conuictus fuerit iuramentum violasse, reus periurij à communione priuetur quousque satisfaciat.

Item de eodem. Ex concilio apud Theodonis villam, cap. xi.

¶ CAP. 111.

17.q.4.c. reum ad ecclesiam. Seruum confugientem ad Ecclesiam, seu in atrium Ecclesiæ, aut in officinas regularium fratrum, vel in curtem, aut in domum Episcopi, quia hæc in antiquis canonibus pro immunitate tenẽtur, nemo abstrahere audeat, neque inde donare, aut pœnam vel ad mortem, vt honor Dei & sanctorum eius pre omnibus conseruetur: Sed rectores Ecclesiarum pacem & vitam, & membra eius cum iuramento obtinere studeant, tamen legitimè componat quicquid iniquè fecerat, & si insequutor magistris Ecclesię obedire noluerit, cononicè constringatur.

Item de eadem re. Ex concilio Arausico, cap. v.

¶ CAP. 112.

Eos qui ad Ecclesiam confugerint tradi non debere, sed loci reuerentia, & intercessione defendi. Si quis autem Clericorum mancipia, pro suis mancipiis ad Ecclesiam confugientibus, crediderit occupare: per omnes Ecclesias districtissima damnatione feriatur.

De Immunitate Ecclesiæ. Ex concilio Triburiensi, cap. vi.

¶ CAP. 113.

Si quis in Ecclesiæ atrio pugnam committit, aut homicidium facit, quidquid pro immunitate violata emendandum est, altario soluatur, cuiuscunque fuerit Ecclesia illa. 17.q.4.c.si quis in atrio

De fugientibus ad Ecclesiam. Ex concilia Mediomatricis, cap. ij.

¶ CAP. 114.

Si quis contumax vel superbus timorem cleri, vel reuerentiam Ecclesiarum non habuerit, & fugientem seruum suum, vel quem persequutus fuerit, de atrio Ecclesiæ, vel de porticibus quolibet modo Ecclesiæ adhærentibus per vim abstraxerit: pro immunitate DCCCC. solidos Episcopo componat: & ipse publicâ pœnitentiâ iuxta iudicium Episcopi mulctetur, vt sit honor Dei & reuerentia sanctorum, & Ecclesia Dei semper inuicta permaneat. 17.q.4.c. si quis cont.

Quòd serui fugientes dominos suos ad Ecclesiam, intercessionem debent quærere non latebras.
** Gelasius Bonifacio Episcopo.* *Gregorius.

¶ CAP. 115.

Metuentes famuli Dominos, si ad Ecclesiæ septa confugerint, intercessionem debent quærere, non latebras: ne hæc ipsa præsumptio tarditatis temeritatem augeat renitendi. Filius enim noster vir spectabilis Petrus queritur seruum suum in Ecclesia sancti Clementis diutiùs commorari, cui cùm deputasset sacramenta præstari, illum egredi nulla ratione voluisse. Et ideò directos supradicti hominis de præsenti cum eo quem elegerit, esse mittendos, qui cùm de impunitate eius sacramenta præbuerint, eum statim facies ad dominum suum modis omnibus remeare: aut si in hac pertinacia fortè perstiterit, post sacramentum sibi prestitum, reddatur inuitus. 17.q.4.c. metuentes.

De eodem. Idem Petro subdiacono Campaniæ.

¶ CAP. 116.

Mancipia si qua in monasterium sancti Seuerini, vel in aliam Ecclesiam de ciuitate refugerint, mox vt ad notitiam tuam peruenerit, nullo modo ea illic immorari permittas: sed intra ciuitatem in Ecclesiam reuocentur, & si iustam contra Dominos suos querelam habuerint, congrua ordinatione de Ecclesia exire necesse est;

Si verò venialem culpam commiserint, dominis suis, accepto de venia sacramento, sine mora reddantur.

Vt nullus clericorum seruum vel discipulum suum ab Ecclesia extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Ex Ilerdensi concilio, cap. viij.

¶ Cap. 117.

17 q. c. 4. nullus clericorum. Nullus clericorum seruum aut discipulum suum ad Ecclesiam fugientem, extrahere audeat, vel flagellare præsumat: Quòd si fecerit, donec dignè pœniteat, à loco cui honorem non dedit, segregetur.

Ne quis mancipia clericorum pro suis ad Ecclesiam profugis occupare audeat. Ex concilio Arausicano, cap. vi.

¶ Cap. 118.

Si quis mancipia clericorum pro suis mancipiis ad Ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, districtissima damnatione per omnes ecclesias feriatur. *Ex codicum libro vi. cap. i. Titulo iiij.* Quicunque fugitiuum seruum in domo vel in agro inscio domino eius susceperit, cum compari alio, vel viginti solidis reddat.

Vt Episcopi eos indignos accessu Ecclesiæ iudicent, qui eas violauerint. Gelasius Epiphanio Episcopo. ¶ Cap. 119.

Ad Episcopos cæteros direximus iussionem, vt eos qui Ecclesias violasse perhibentur, accessu earum iudicent esse non dignos.

De eadem re. Gelasius Victori Constantino, Martirio, Fœlicißimo, Sereno & Timotheo episcopis.

¶ Caput 120.

17. q. 4. c. frater & coepiscopus. Frater & coëpiscopus noster Epiphanius sua nobis relatione suggessit, Benenatum & Maurum Beneuentanæ municipes ciuitatis, in contumeliam religionis acerba nimis & plectibili contumacia prosiluisse: qui confugientem ad Ecclesiæ septa curialem suum, ne illic quidem tutum, aut de iniuria securum esse siuerunt, ausi irruptione temerariæ mentis admittere, quod nec potestatibus quidem vel principibus vnquam licuit perpetrare, vt hominem in sanctuariis constitutum, captatâ sacerdotis absentiâ reluctantem reclamantémque violenter abstraherent; quos quantum nobis sua suggestione patefecit, meritò indignos esse sacra communione iudicauit. Et si reuera tanti facinoris constat admissum, nostra etiam authoritas in hac parte consentit. Nec enim ad supplicandum iure debet admitti, vbi admittere sacrilegium non dubitauit. Nullus etenim intra limina tantæ venerationi deputata vtrumque sibi licere existimet, pro suæ voluntatis arbitrio, vt & humilitatem sibi vendicet & furorem. Et ideò fratres charissimi, supra dictos, si manifesta reos facit conquestio, ab omnibus Parochiarum vestrarum Ecclesiis nostræ præceptionis authoritate prohibete: vt non solùm hi, qui in iniuriam sanctorum locorum prosiluisse probabuntur, meritò consequantur pro facti sui qualitate vindictam, verùm etiam cæteri à tali præsumptione vltionis istius timore reuocentur.

Item de eadem re. Ex concilio Toletano, ca. xij. Tolet. 12. ca. 10.

¶ Cap. 121.

Pro his quis quolibet metu vel terrore Ecclesiam appetunt, consentiente pariter & iubente Domino nostro Eruigio rege, hoc sanctum Concilium definiuit: vt nullus audeat confugientes ad Ecclesiam residẽtes inde abstrahere, aut quodcumque nocibilitatis vel damni seu spoliationis residentibus in loco sancto, inferre: sed esse potiùs his ipsis qui ecclesiam petunt per omnia licitum in triginta passus ab Ecclesiæ ianuis progredi, in quibus triginta passibus vniuscuiusque Ecclesiæ in toto circuitu reuerentia *defendantur: sic tamen vt hi qui confugiunt ad eam in extraneis, vel longè separatis ab Ecclesia domibus, nullomodo abscedãt, sed in hoc xxx. passuum numero, absque domorum extranearum receptaculo progredientes, aditum obtinebunt, vt ad inquisitæ naturæ vsum debitis exeant locis, & nullo teneantur euentu necessitudinis qui se Dominicis defendendos commiserint claustris. Si quis autem hoc decretum violare tentauerit, Ecclesiasticæ excommunicationi subiaceat, & seueritatis regiæ feriatur sententiâ. Ipsos tamen qui ad ecclesiam confugium fecerunt, si iuxta priscorum canonum instituta, hi qui eos repetunt sacramenta reddiderint, & sacerdos Ecclesiæ ipsius ab Ecclesiæ non abstraxerit foribus: aut fuga talium si euenerit, sacerdoti quærenda est, aut damnorum sententia secundum electionem principis huiusmodi sacerdotibus irroganda.

17 q. 4 c. definiuit. * defendatur.

Interdictio communionis facta in Bonifacium Episcopum, nisi citò Ecclesiæ restituat, quem inde rapuit. Beati Augustini ad Bonifacium Epistola. ¶ Cap. 122. Ep. 187.

17. q. 4 c. miror. Dilectissimo & spectabili viro filio Bonifacio Augustinus Episcopus. Miror quomodo tam subitò fidei murũ aries ruperit inimici. Noui enim qua religione semper sis ecclesiam Dei veneratus. Quo instigante* facinore hominẽ de Ecclesia rapuisti? Tuus si de tuo amico fortè præsumeret, fugitiuus, posset proculdubio intercessoris causa veniam promereri. Ergo si amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed si de potestate præsumitur, Nabugodonosor regem intende, qui causâ superbiæ in bouem est ex homine cõmutatus: Non vt confundam te hæc scribo, sed vt filium meum charissimum moneo. Ecclesiæ igitur illæsum reuoca, quem vt irreligiosissimus rapuisti. Oblatio verò domus tuæ à clericis ne suscipiatur,* interdixi. Communionémque tibi interdico: donec peracta pro ausibus vel errore à me diffinita tibimet pœnitentia, & tempore condonato, pro hoc facto, corde contrito & humiliato dignum offeras sacrificium Deo.

* facere ausus es? Daniel. 4. * indixi.

Quod reus ad Ecclesiam fugiens accepta securitate mortis & debilitatis, quæ iniquè geßit, legitimè componere debeat Ex libro capitulorum. L. 5. 290.

¶ Cap. 123.

17 q. 4. c. reum ad Eccl. Reum ad Ecclesiam fugientem nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad pœnam vel ad mortem, vt honor Ecclesiarum conseruetur: sed Rectores pacem ei & vitam & membra obtinere studeant, tamen legitimè componat quod iniquè fecit.

Qui Monasterium infringunt, & inde aliquid subtrahunt, sublatum nonies componere debeant, & immunitatem tripliciter. Ex decretis Ioannis Papæ, cap. x.

¶ CAP. 124.

Vt hi qui Monasteria, & loca Deo sacrata & Ecclesias infringunt, & deposita vel alia quælibet exinde abstrahunt, damnum nonies componant, & immunitatem tripliciter, & velut sacrilegi canonicæ sententiæ subiugentur.

De his qui domum Dei contemptibilem ducunt. Ex Mogontiensi concilio, cap. vij.

¶ CAP. 125.

dist. 30. c. communione. Quisquis fastu superbiæ elatus domum Dei ducit contemptibilem, & possessiones Deo sacratas, atque in honorem Dei sub regiæ immunitatis defensione constitutas, inhoneste tractauerit, vel infringere præsumpserit, aut incendia vel vastationes ausu temerario perpetrauerit, quasi inuasor & violator Ecclesiæ Dei, quæ est domus Dei viui, à communione omnium fidelium abscidatur.

De excommunicatione eorum. Ex concilio Aransico.

¶ CAP. 126.

11. q. 3 c. canonica instituta. Canonica instituta & sanctorum patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, authoritate Dei, & iudicio sancti Spiritus, à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis eliminamus, quousque resipiscant, & ecclesiæ satisfaciant.

De pœnitentia eorum qui Ecclesias incendunt. Ex decretis Iulij papæ. ¶ CAP. 127.

17. q. 4. c si quis. Si quis Ecclesiã igne comburit, quindecim annos pœniteat, & eam sedulè restituat; & pretium suum pauperibus distribuat.

De ministris altaris. Ex Laodicensi concilio, cap. xxi. ¶ CAP. 128.

dist 42. c nõ oportet. Non oportet ministros altaris vel quoslibet clericos ad Agapen vocatos partes tollere, propter iniuriam quæ ex hac occasione Ecclesiastico ordini poterit deputari.

Quòd Presbyteri parochiani dum ordinantur, libellum officialem à sacerdote suo accipere debeant. Ex Toletano concilio iiij. ca. xxvi.

¶ CAP. 129.

dist. 38. c. quando presbyteri. Quàndo Presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum officialem à sacerdote suo accipiant, vt ad ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam etiam in ipsis diuinis sacramentis offendant: Vt quando ad letanias, vel ad concilium venerint, rationem suo Episcopo reddant, qualiter susceptum officium celebrent, vel baptizent.

Presbyteros aut diaconos quando per Parochias constituuntur, professionem Episcopo suo facere oportere. Ex concilio Toletano iiij. cap. xxvi.

¶ CAP. 130.

Quando Presbyteri aut diaconi per Parochias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere, vt castè, & purè viuant sub Dei timore, vt dum eos tali professione obligauerit, sanctam disciplinam retineant. dist. 28. c. quando presbyteri.

Vt quicumque Episcopus diœcesim alterius per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, eam teneat. Ex concilio Toletano iiij. ca. xxxiiij. ¶ CAP. 131.

Quicunque Episcopus alterius Episcopi diœcesim annos triginta sine aliqua interpellatione possederit, eam teneat: quia secundùm ius legis eius videtur esse diœcesis, & admittenda non est contra eum actio reposcendi, sed hoc intra vnam parochiam, extra verò nullomodo, ne dum diœcesis defenditur, prouinciarum termini confundantur. 16. q. 3. c. quicunque.

De exactione Ecclesiarum Galatiæ prouinciæ. Ex Toletano concilio, cap. iiij. ¶ CAP. 132.

Non amplius quàm duos solidos vnusquisque Episcoporum priuatæ prouinciæ, per singulas diœceses, vel singulas ecclesias, iuxta Synodum Bracarensem annua illatione sibi expectet inferri: monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutionis expensione seiunctis. Cùm verò Episcopus diœcesim visitat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec vnquam quinquagenarium numerum euectionis excedat, aut amplius quã vna die per vnamquamque Basilicam remorandi licentiam habeat. Quicunque verò Pontificum eorundem aliter quàm decernimus àgendũ præsumpserit, correctioni proculdubio canonum subiacebit, tanquam constitutionum Synodalium transgressor, & priscorum patrum edicti corruptor.

Ne dum Parochias suas peragrant Episcopi tyrannidem exerceant, sed cum charitate stipendia exigant. Ex Cabilonensi concilio ij. cap. xiiij.

¶ CAP. 133.

Cauendum sanè est, ne cùm Episcopi Parochias suas peragrant, quandam non solùm erga subditos, sed erga socios tyrannidem exerceant: nec (quod absit) non cum charitate, sed cum quadam iactantiæ temeritate: nec cum gratiarum actione, sed cùm quadam iudiciaria inuectione stipendia ab eis exigant. Obseruandum etiam modis omnibus est, vt si quando eis peragrandæ Parochiæ necessitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi Dei, in lucris animarum potius, quàm deprædandis & spoliandis hominibus & scandalizandis fratribus, operam dent: & si quando eis ad peragendum ministerium suum à fratribus aut à subditis aliquid accipiendum est, hoc summopere obseruare debent, ne quem scandalizent aut grauent. Tanta ergo in hac re discretio tenenda est, vt & verbi Dei prædicator vbi sumptus proprij desunt, à fratribus accipiat: & iidem 10 q. 3 c. cauendum est.

fratres, illius potentiâ non grauentur, exemplo
2. Thes. 3. Apostoli Pauli qui ne quem grauaret, arte & manibus victum quærebat.

Quòd Archidiaconi super Presbyteros parochianos nullam dominationem tyrannicam exercere debent. Ibidem, cap. xv.

¶ CAPVT 134.

dist. 94 c. dictum est. Dictum est etiam quòd in plerisque locis Archidiaconi super Presbyteros parochianos quãdam exercent dominationem, & ab eis exigant censum: quod magis ad tyrannidem quàm ad rectitudinis fortitudinem pertinet. Si enim iuxta
1. Petr. 5. Apostoli sententiam, Episcopi non debent esse dominatores in clero, sed forma facti gregis ex animo: multò minus isti hoc agere debent, sed contenti sint regularibus disciplinis, & teneant propriam mensuram, & quod eis ab Episcopis iniungitur, hoc per parochiam exercere studeant, nihil per cupiditatem & auaritiam præsumentes.

Quòd iureiurando in contentione obtinere debet, qui possessor rei inuentus fuerit. Gelasius Iusto episcopo. ¶ CAP. 135.

16. q. 3. c. dilectio. Dilectio tua quæsita omnium fideliter rerum veritate, si de spatijs quibus memoratur orta contentio, deffinitio dudum certa processit, intemerata seruetur: Alioquin si nihil vnquam constiterit terminatum, nunc de perscriptione
* fidit. temporum, si qua pars * diffidet prębeat sacramentum: vt tamen quę hactenus possedisse perhibetur, iusiurandum sinatur offerre.

De Episcopis Siciliæ quid de parochianis suis exigere debeant. Pelagius Cresconio illustri.

¶ CAP. 136.

10. q. 3. c. illud te modis. Illud te modis omnibus volumus custodire, ne quis Episcoporum Siciliæ de Parochiis ad se pertinentibus nomine Cathedratici, amplius quàm duos solidos præsumat accipere, neque compellere Presbyteros aut clerum Parochiarum suarum supra vires suas eis conuiuia pręparare.

Vt clerus qui ab Episcopo suo pergrauatur, querimoniam ad Metropolitanum deferat. Ex Toletano concilio iij. cap. xx.

¶ CAP. 137.

16. q. 3. c. quia cognouimus
1. Petr. 5. Quia cognouimus Episcopos per Parochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desæuire, & dum scriptum sit: Forma estote gregi, non vt dominantes in clero, exactiones diœcesi suę vel damna infligant: ideóque censemus, excepto, quòd veterum constitutiones à Parochiis habere iubent Episcopos, vt alia quæ illis huc vsque pręsumpta sunt, denegentur: hoc est, neque in angariis Presbyteri aut diacones, neque in aliquibus fatigentur indictionibus, ne videamur in Ecclesia Dei exactores potius quàm Dei pontifices nominari. Hi verò clerici tam locales quam Diœcesani, qui se ab Episcopo grauari cognouerint, querelas suas ad Metropolitanum deferre non differant, & metropolitanus non moretur eiusmodi præsumptiones coërcere.

Vt non liceat iudicibus Clericos vel seruos Ecclesiæ in suis Angariis occupare. cap. xxi.

¶ CAP. 138.

Ecclesiarum seruos, & Episcoporum omnium vel clericorum à iudicibus vel actoribus publicis in diuersis angariis fatigari dolemus: propter quod omne Concilium à pietate gloriosissimi Domini nostri poposcit, vt tales deinceps ausus inhibeat, sed serui supradictorum officiorum in eorum vsibus vel Ecclesiæ laborent. Si qui verò iudicum aut actorum, clericum aut seruum clerici vel Ecclesiæ, in publicis ac priuatis negotiis occupare voluerit, à communione Ecclesiastica cui impedimentum facit, efficiatur extraneus. 12. q. 2. c. Ecclesiarum.

Vitam communem inter omnes Christianos vigere debere, maximè inter eos qui in sortem Domini electi sunt: Et quòd fideles primò pretium, deinde prædia sua ad sustentationem communiter viuentium contulerint. Vrbanus in primo decretali suo omnibus Christianis.

¶ CAP. 139.

Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos Christianos viguit, & adhuc Dei gratiâ viget, & maximè inter eos qui in sorte Domini electi sunt, id est, Clericos, 12. q. 1. c. scimus vos.
sicut in Actibus Apostolorum legitur: Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis: neq; enim quisquam egens erat inter illos; quotquot enim possessores agrorum aut domorũ erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorũ. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Ioseph autem qui cognominatus est Barsabas ab Apostolis (quod est interpretatum, filius consolationis) leuites, Cyprius genere, cùm haberet agrum, vendidit illum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum, & cætera. Videntes autem summi sacerdotes atque Leuitæ, & reliqui fideles plus vtilitatis posse afferre, si hæreditates & agros quos vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant Episcopi traderẽt: eò quòd de sumptibus eorum, tam pręsentibus quàm futuris temporibus plura & elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio eorum, cœperunt prędia & agros quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum viuere. Ipsę verò res in ditione singularũ parochiarum Episcoporũ, qui locum tenent Apostolorũ, erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus. E quibus Episcopi & fideles dispensatores eorum, omnibus communẽ vitam degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout meliùs potuerint, vt nemo in eis egens inueniatur. Ipsę enim res, fidelium Oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debẽt in aliis vsibus quàm ecclesiasticis, & prędictorum Christianorum fratrum vel indigentium conuerti: quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorũ, atq; ad prędictum opus explendũ Domino traditæ. Si quis autem (quod absit) secus egerit, videat ne damnationẽ Ananiæ & Saphiræ percipiat, & reus sacrilegij efficiatur, Actor. 5.
Actor. 4.

ſicut illi fecerunt, qui prædictarum rerum pretia fraudauerunt. Memoratis augmentationibus ac cultibus in tantum Eccleſiæ quibus Epiſcopi præſident, Domino adminiculante creuerunt, & tantis maxima pars earũ abundat rebus, vt nullus ſit in eis cõmunem vitam degens, indigens, ſed omnia neceſſaria ab Epiſcopo ſuiſque miniſtris percipit: ideò vt ſi aliquis extiterit modernis aut futuris temporibus, qui hoc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur.

Qui res eccleſiarum & oblationes fidelium abſtulerit, in patrem Dominum, & matrem Eccleſiam peccat, & ideo à liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ pellendus eſt. Lucius i. papa in primo decreto ſuo, omnibus Epiſcopis tam Gallis, quàm Hiſpanis.

¶ CAP. 140.

6. q. 1. c. ſapiens nõ eſt. Sapiens non eſt omnis qui nocet. Res quoque eccleſiarum noſtrarum & oblationes fidelium, quas ſignificaſtis à quibuſdam irruentibus vexari, nobiſque & eccleſiis noſtris auferri, indubitanter maximum eſt peccatum, teſtante ſcriptura quæ ait: Qui abſtulerit aliquid patri vel matri, & dicit hoc non eſſe peccatum, homicidæ particeps eſt. Pater ergo noſter, ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit, & mater noſtra Eccleſia, quæ nos in baptiſmo ſpiritualiter generauit. *Item.* Hæc fieri prophetæ, hæc Apoſtoli, hæc ſucceſſores eorum, & omnium catholicorum patrum vetant decreta, & tales præſumptiones ſacrilegia eſſe diiudicant. Quorum nos ſequentes exempla, omnes tales præſumptores, & Eccleſiæ raptores, atque ſuarum facultatum alienatores, vna vobiſcum à liminibus ſanctæ matris eccleſiæ anathematizatos, Apoſtolica authoritate pellimus, & damnamus, atque ſacrilegos eſſe iudicamus. Et non ſolùm eos, ſed omnes conſentientes eis: quia non ſolùm qui faciunt, rei iudicantur, ſed etiam qui facientibus conſentiunt. Par enim pœna & agentes, & conſentientes comprehendit.

(Margin: Prou. 28. 12. q. 2. c. qui abſtulerit. — 17. q. 4. c. omnes raptores. — Rom. 1.)

Pro neceſſitate temporum diligenti conſideratione temperanda eſſe decreta patrum. Ex generalibus decretis Gelaſij papæ, cap. i.

(Margin: Ep. 1. 1. q. 7. c. neceſſaria rerum.)

¶ CAP. 141.

Neceſſaria rerum * diſpoſitione conſtringimur, ſic canonum paternorum decreta librare, & retrò præſulum deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri: vt quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus.

(Margin: * diſpenſatione)

Vt cùm nulla magna neceſſitas vrget, inſtituta patrum inconuulſa permaneant. Idem cap. ij.

¶ CAP. 142.

dist. 55. c. Priſcis. Priſcis igitur pro ſua reuerentia manentibus inſtitutis, quæ, vbi nulla vel rerum vel temporum perurget anguſtia, regulariter conuenit cuſtodiri: eatenus eccleſiis, quę vel cunctis ſunt priuatæ miniſtris, vel ſufficientibus vſque adeò deſpoliatæ ſeruitiis, vt plebibus ad ſe pertinentibus diuina munera ſupplere non valeant, tam inſtituendi, quàm promouendi clericalis obſequij, ſic ſpatia diſpenſada concedimus.

De examinando eo qui ad clericale munus accedit. Idem cap. iij.

¶ CAP. 143.

Vt ſi quis etiam de religioſo propoſito, & diſciplinis monaſterialibus eruditus, ad clericale munus accedit, in primis eius vita præteritis acta temporibus inquiratur, ſi nullo graui facinore probatur infectus, ſi ſecundam fortaſſe non habuerit vxorem, nec à marito * relictam ſortitus oſtenditur. dist. 77. c. ſi quis de.

(Margin: * reiectã.)

Iure ſibi vindicari, quicquid tricennali lege concluditur. Idem.

¶ CAP. 144.

Gelaſius Romanæ Eccleſię Epiſcopus fratribus qui in Sicilia ſunt conſtituti. Illud etiam annecti placuit, vt ſi (quod abſit) facultates Eccleſię, nec non & diœceſes ab aliquibus poſſidentur Epiſcopis, iure ſibi vendicent, quod tricennalis lex concludit. Quia & filiorum noſtrorum Principum ita emanauit authoritas, vt vltra xxx. annos nulli liceat pro eo appellare, quos legum tempus excluſit. Idem habetur infrà c. 147.

*Captiuos redimendos de rebus Eccleſiaſticis. Gregorius * Demetrio & Valeriano clericis firmianis.*

¶ CAP. 145.

(Margin: * Demetriano. — Lib. 7 regiſtri epiſt. 14. 12 q. 2. c. ſacrorum.)

Sacrorum canonum inſtituta, & legalis permittit authoritas, licitè res eccleſiaſticas in redemptionem captiuorum impendi. Et ideo quia edocti à vobis ſumus, annos ferè decem & octo virum reuerendiſſimum quendam Fabium Epiſcopum Eccleſiæ Firmianę pro redemptione veſtra, ac patris veſtri Paſſiui fratris & coëpiſcopi noſtri, tunc verò clerici, nec non matris veſtræ libras argenti xi. de eadem eccleſia hoſtibus impendiſſe: atque vos ex hoc quandam habere formidinem, ne hoc quod datum eſt, à vobis quolibet tempore repetatur. Huius pręcepti authoritate ſuſpicionem veſtram prævidimus auferendam: conſtituentes nullam vos exinde, hæredéſque veſtros quolibet tempore repetitionis moleſtiam ſuſtinere: nec à quoquam vobis aliquam obijci quæſtionem.

De non repetenda poſſeſſione per xl. annos ab alio poſſeſſa. Gregorius Petro ſubdiacono.

¶ CAP. 146.

Si monaſterium ſancti Theodori, fines de quibus cauſatio mota eſt, inconcuſſis quadraginta annis poſſediſſe repereris, nullam deinceps, etiamſi quid Romanæ Eccleſiæ competere potuit, patiaris ſuſtinere calumniam, ſed quietem eorum modis omnibus procura. 16. q. 4. c. volumus accedentem.

Epiſcopos facultatem eccleſiarum adminiſtrare debere: viduis, pupillis, pauperibus & clericorum ſtipendia diſtribuere: ſibi verò nihil inde vendicare, niſi quod ad proprios vſus tricennaria lege pertinet.

¶ CAP. 147.

(Margin: Gelaſius ep. 2 ad ſiculos, c. 1.)

Gelaſius Romanæ Eccleſiæ epiſcopus, dilectiſſimis, & in Chriſto vnanimi charitate connexis fratribus Epiſcopis qui in Sicilia ſunt cõſtituti. Quomodo pręſulum noſtrorum authoritas emanauit, vt facultates eccleſiæ Epiſcopi ad regendum habeant poteſtatem: ita tamen vt viduarum pupillorum, atque pauperum, nec non & clericorum ſtipendia diſtribuere debeãt, 16. q. 3. cap. Præſulum.

hoc eis statuimus dari, quod hactenus decretum est. Reliquum sibi episcopi vendicent, vt sicut anteà diximus peregrinorum atque captiuorum largitores esse possint. Illud quoque adnecti placuit, vt si (quod absit) facultates ecclesię & diœceses ab aliquibus possideantur Episcopis, iure sibi vendicent, quod tricennaria lex conclusit: quia & filiorum nostrorum principum ita emanauit authoritas, vt vltra tringinta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus exclusit.

Nullo obstaculo ante tribunal Christi muniri, qui substantiam ad vsus pauperum derelictam contra fas dispergit: & quòd anathemate feriatur, quicunque res ecclesiæ confiscare, vel competere, vel periculosa, aut sæua infestatione peruadere præsumpserit. De vi. Syn. Symmachi papæ. ¶ Cap. 148.

Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui à religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. Similiter & hoc ad omnium Ecclesiarum notitiam vestra cunctorum exhortatione, & iudicio, censemus peruenire, & ab omnibus firmiter teneri, quia Episcoporum res ecclesiæ esse non dubitantur, si in eorum facultatibus simili fuerit crudelitate grassatũ, peruasores rerum memoratarũ, prædicta canonũ districtione feriantur: vt qui moribus propriis ac nulla conscientię castigatione corriguntur, saltem ecclesiasticæ, & canonicæ
19.q.1.c. in canonibus. vindictæ perfodiantur aculeis. Generaliter verò quicunque res Ecclesiasticas confiscare, aut competere, aut peruadere periculosa aut sæua infestatione presumpserit, nisi se citissimè per Ecclesiæ de qua agitur, satisfactionem correxerit, perpetuo anathemate feriatur. Similiter & hi qui res Ecclesiæ iussu vel largitione Principum, vel quorundam potentum, aut quadam inuasione, aut tyrannica potestate retinuerint, & filiis vel hæredibus suis, vt à quibusdam iam factum audiuimus, quasi hæreditarias reliquerint, nisi citò res Dei admoniti à Pontifice, agnita veritate reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. Iniquum enim esse censemus, vt potius custodes chartarum, quàm defensores rerum creditarum, vt præceptum est, iudicemur.

Ioan. 1. Papa. *De peruasoribus rerum alienarum Ioannes papa Zachariæ Archiepiscopo.*

¶ Capvt 149.

12.q.2.c. in antiquis. Est etiam in antiquis ecclesiæ statutis decretum, vt qui aliena inuadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Vnde
Lucæ 19. & in Euangelio scriptum est, Quod si aliquid defraudaui, reddo quadruplum. Et in legibus sæculi cautum habetur, Qui rem surripit alienam illi cuius res direpta est, in vndecuplum quę sublata sunt restituat. Et in lege diuina legitur:
Deut. 27. Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, & dicit omnis populus Amen. Talia ergo non presumantur absque vltione, nec exerceantur absque sua damnatione.

De his qui ecclesiastica priuilegia calcare contendunt. Gelasius Maiorico, Sereno & Ioanni episcopis. ¶ Cap. 150.

12.q.2.c qui & humanis. Qui & humanis legibus in ciuili damnatione calcatis, & reuerentiâ religionis abiectâ, vel Ecclesiastica priuilegia calcare contendunt, vel vbilibet in pauperum prosilire dispendium, nec huiusmodi saltem commoniti conuictique nequitiam sopire consentiunt, atque illata sacris rebus detrimenta sarcire, omninò diuini muneris sunt participatione priuandi: vt huius perceptione careant, quòd sacras leges habuere despectui.

Quòd episcopo nullo commento liceat res ecclesiæ alienare: & quòd priuilegia omni ratione integra conuenit seruari. Gelasius Iustino Archidiacono, & Fausto defensori.

¶ Cap. 151.

Volatoranæ * Ecclesiæ actus vel patrimonium, quod hactenus comperimus destitutum, vel post damnationẽ Eucharisti quo fuerat deprauante dispersum, curę vestrę decreuimus esse delegandum, vt diligentia, qua vos pro ecclesiæ vtilitatibus existimamus esse vigilantes) prędia culturæ restituatis antiquæ: reuocetis si qua sunt vendita aut donata mancipia, possessiones etiam quæ ab Eumatio & Oppilione episcopis vel cæteris quouis iure videritis teneri (quia contra constituta Synodi, ab Episcopo prædia alienari nullo potuerunt commento,) nihilominus reuocentur. Sit emptoribus ad eum recursus, qui præsumpsit aliquid de Ecclesiæ rebus illicita venditione distrahere: ita vt Pensiones annuas ad pontificem deferatis, cui priuilegia sua integra conuenit omni ratione seruari, vt eius dispensatione portiones proueniant consuetæ: ita vt portionem quartam quæ ad eos pertinet, sua pontifex ordinatione distribuat, prout cuiusque locum meritúmque cognoscit. Pariter etiam ex fidelium oblatione faciendum, vt quartam clericis eroget, pro consideratione suæ electionis, Antistes: fabricarum etiam portio Episcopo sciente & disponente, vestra erogatione pendatur, quatenus nihil penitus in detrimentum alicuius rei patiamini generari. Si quod verò in Ecclesiæ vestræ damnum, aut in his quę sunt præceptionis nostrę prohibita, pontificem vestrum videritis admittere, mox nostris auribus relatione signate, vt quid fieri debeat censeamus. Decimas iusto ordine non tantùm nobis, sed maioribus visum est, plebibusque tantùm vbi sacrosancta dantur baptismata, deberi.

* VVlteranæ
12.q.2.ca. Vulteranæ

De rebus quæ semel Deo consecratæ & contributæ sunt, quòd nullorum Principum concessione inuadendæ & diripiendæ sunt. Nicolaus Adoni Viennensi Archiepiscopo.

¶ Cap. 152.

De rebus quæ semel Deo contributæ atque dicatæ sunt, & postea sub occasione concessionis Principum, à quibusdam inuaduntur atque diripiuntur: sancimus, vt priùs cõsulto principe ad resecandum præsumptiuam factionem, & cognoscendum, vtrum illius sit concessio, an inuasoris presumptio. Quòd si principis inordinata fuerit largitio, ipse sit princeps pro emendatione redarguendus. *12.q.2.c. de rebus.*

De rebus Ecclesiæ sine consultu Metropolitani Episcopi non alienandis. Ex Carthaginensi concilio v cap. iiij. ¶ Cap. 153.

Placuit etiam, vt rem Ecclesiæ nemo vendat. *17.q.4 c. nullus.*

Quòd si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam esse Primati Ecclesiæ, vt cum statuto numero Episcoporum vtrum faciendum sit, arbitretur. Quòd si tanta vrget necessitas ecclesiæ, vt non possit antè consulere: saltem post factum curiositatem habeat, & vicinis episcopis hoc antè indicare, & ad Concilium referre has ecclesiæ necessitates. Quod si non fecerit, reus concilij venditor teneatur.

De manumissis, & per testamentum ecclesiæ commendatis. Ex Arausico concilio 1. ca. vij.

§ CAP. 154.

dist 87. c. eos qui. In Ecclesia manumissos, & per testamentum ecclesiæ commendatos, si quis in seruitutem, vel obsequium, vel ad colonariam conditionem imprimere tentauerit, animaduersione ecclesiastica coërcebitur.

Quòd hi qui oblationes defunctorum retinent, & ecclesiis reddere morantur, quasi necatores egentium Dei iudicio deputantur. Ex Vasensi concilio i. cap. iiij.

§ CAP. 155.

13. q. 2. c. qui oblationes. Qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere demorantur, vt infideles, sunt ab Ecclesia abiiciendi: quia vsque ad exinanitionẽ fidei peruenire certum est hanc pietatis diuinæ exacerbationem, quia & fideles de corpore recedentes votorũ plenitudine, & pauperes consolatu alimoniæ, & necessaria sustentatione fraudantur: hi enim tales quasi egentium necatores iudicio Dei digni habiti sunt. Vnde & quidam patrum hoc scriptis suis inseruit, congruente sententia qua ait, Amico quippiam rapere furtum est, ecclesiam fraudare sacrilegium. Hierony. ep. ad nepotianum.

De clericis qui documenta quibus possessio Ecclesiæ firmatur, aut supprimere, aut negare, aut aduersarijs tradere præsumpserint. Ex Agathensi concilio, cap. xxvi.

§ CAP. 156.

12. q. 2. c. si quis. Si quis de clericis documenta quibus Ecclesię possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut aduersariis fortasse tradere damnabili, & punienda obstinatione, præsumpserit: quicquid per absentiam documentorum damni Ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat, & communione priuetur. Hi etiam qui in damno ecclesiæ impiè solicitati à traditoribus aliquid susceperint, superiori sententia teneantur.

Vt de Monachis nullus monasterium nouum nisi permittente episcopo fundare præsumat. Ibidem cap. xxvij. § CAP. 157.

18. q. 2. c. de monachis. 16. q. 1. c. monachi vagantes. 20. q 4. c. monachum. Vt de monachis Monasterium nouum, nisi Episcopo aut permittente aut probante nullus incipere aut fundare præsumat. Monachi etiam vagantes, ad officium clericatus, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, nec in ciuitatibus nec in Parochiis ordinentur. Monachum nisi abbatis sui aut permissu, aut voluntate, ad alterum monasterium commigrantem, nullus Abbas suscipere aut retinere præsumat: sed vbicunque fuerit Abbati suo authoritate canonum reuocetur. Si enim necesse fuerit Clericum de monachis ordinari, cum consensu & voluntate Abbatis præsumat Episcopus.

Vt monasteria puellarum longiùs à monasterio Monachorum collocentur. Ibidem cap. xxviij.

§ CAP. 158.

Monasteria puellarum longius à monasterio monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum collocentur. 18. q. 2. c. monasteria.

Vt libertos legitimè factos Ecclesia si necesse fuerit tueatur. Ibidem, cap. xxix.

§ CAP. 159.

Libertos à Dominis suis legitimè factos Ecclesia si necessitas exegerit tueatur. Quòd si quis ante audientiam peruadere aut exspoliare præsumpserit, ab ecclesia repellatur. dist. 87. c. libertos.

Vt Episcopus licentiam habeat distrahendi terrulas, & vineolas exiguas Ecclesiæ minus vtiles. Ibidem cap. xlv.

§ CAP. 160.

Terrulas aut vineolas exiguas Ecclesiæ minùs vtiles, aut longè positas paruas, Episcopus sine concilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem. 12. q. 1. c. terrulas.

Presbyteri aut diaconi non audeant res Ecclesiæ sibi creditas commutare, vel vendere, si autem fecerint honore suo depositi, de proprio illud restituant. Ibidem ca. xlix.

§ CAP. 161.

Diaconi vel Presbyteri in Parochia constituti, de rebus Ecclesiæ sibi creditis nihil audeant commutare, vel vendere, quia res Deo sacratæ esse noscuntur. Similiter & Sacerdotes nihil de rebus ecclesiæ sibi commissæ, vt superiùs comprehensum est, alienare præsumant. Quod si fecerint cuncti in concilio, & ab honore depositi, de suo proprio aliud tantum restituãt quantum visi sunt præsumpsisse. Sanè si quis pro qualibet conditione de rebus ecclesiæ aliquid alienare præsumpserit, si de suo proprio tantum ecclesiæ contulerit, quantum visus est abstulisse, tunc demum istud stare licebit, libertos tamen quos sacerdotes vel diaconi de Ecclesia sibi commissa facere voluerint, actus ecclesię persequi iubemus. Quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reuerti seruitium. 12. q. 2. c. diaconi. 12. q. 2. c. si quis qualibet.

Quicquid Presbyteri de possessione Parochiarum distraxerint, & in comparante & in vendente irritum habendum. Ibidem cap. liij.

§ CAP. 162.

Quicquid Parochiarum Presbyter de ecclesiastici iuris possessione distraxerit, inane habeatur & vacuum, venditione comparantis & actione vendentis. 12. q. 2. c. quicquid parochiarum.

De venditionibus quas Abbates facere præsumunt. Ibidem, cap. lvi.

§ CAP. 163.

De venditionibus quas Abbates facere præsumunt, hæc forma seruetur, vt quicquid sine Episcopi notitia venditum fuerit, ad potestatem Episcopi reuocetur. Mancipia verò Monachis donata, ab Abbate non liceat manumitti. Iniustum enim putamus, vt monachis quotidianum 17. q. 4. c. in venditionibus.

*otio rurale opus facientibus, serui eorum libertatis * dono potiantur.

Vnum abbatem duobus monasteriis non præficiendum. cap. lvij. ¶ Cap. 164.

21.q.1.cap. vnum. Vnum Abbatem duobus monasteriis interdicimus præsidere.

Cellulas nouas monachorum, sine notitia Episcopi non instituendas. Ibidem, cap. lviij.

¶ Cap. 165.

18.q.2.c. cellulas. Cellulas nouas aut congregatiunculas monachorum absque Episcopi notitia, prohibemus institui.

Vt clerici res Ecclesiarum diuturna possessione iuri proprio non subscribant. Ibidem ca. lix.

¶ Cap. 166.

16 q.3. clerici quilibet. * al. de Eccl. * reuoc. Clerici quilibet, quantacunque diuturnitate temporis,* Ecclesiæ remuneratione aliqua possederint, in ius proprium præscriptione temporis non * vocentur, dummodò pateat Ecclesiæ rem fuisse: ne videantur etiam Episcopi administrationes prolixas, aut precatorias cùm ordinati sunt, facere debuisse, aut diu retentas facultates, in ius proprietatis suæ posse transcribere.

Vt liceat Episcopo reditus Ecclesiæ suæ, qui eam non multùm grauent, ad vsus regulariter viuentium, peregrinorum, & egenorum assignare. Ex Toletano tertio concilio, cap. iij.

¶ Cap. 167.

12.q.2.c. sine exceptione. Hæc sancta Synodus nulli Episcoporum licētiam tribuit res alienare Ecclesiæ, quoniam & antiquioribus canonibus hoc prohibetur. Si quid verò quod vtilitatem non grauet Ecclesiæ, pro suffragio monachorum, vel ecclesiis ad parochiam suam pertinentium dederint, firmum maneat. Peregrinorum, vel clericorum, & egenorum necessitati, saluo iure ecclesiæ, præstare permittuntur pro tempore, quæ potuerint.

Vt Episcopis liceat vnam de Parochianis Ecclesiis in monasterium dedicare. Ex concilio Toletano iij. cap. iiij. ¶ Cap. 168.

12.q.2.c. si Episcopus. Si Episcopus vnam de parochianis Ecclesiis suis in monasterium dedicare voluerit, vt in ea monachorum regulariter congregatio viuat, hoc de consensu concilij sui habeat licentiam faciendi. Qui etiam, si de rebus Ecclesię pro eorum substantia aliquid quod detrimentum ecclesię non exhibeat, eidem loco donauerit, sit stabile: rei enim bonæ statuendæ sanctum concilium dat consensum.

Vt presbyteri, vel quibuscunque res Ecclesiæ commissæ sunt, quæcunque tempore suæ administrationis emerunt, Ecclesiæ per chartam assignare debeant. E Toletano concilio ix. ca. iiij.

¶ Cap. 169.

12 q.4. c. sacerdotes. Sacerdotes, vel quicunque illi sunt, quibus Ecclesiasticarum rerum cura commissa est, quæcunque administrationis suæ tempore emerint, si de rebus propriis vel vile vel parum habuerint, ad Ecclesiæ nomen cui præsunt, chartarum conficere instrumenta procurent. Non enim conuenit, vt Ecclesia quæ suscepit externum, efficiat in alieno diuitem, & in suo retineat fraudatorem.

Si Episcopus monasterium facere, vel parochianam ecclesiam ditare voluerit, licere ei quadragesimam partem de rebus ecclesiæ, vel centesimam ibidem conferre. Ex concilio Tolet. cap. v. ¶ Cap. 170. Ibidem.

Bonæ rei dare consultum & præsentis habetur vitæ subsidium, & æternæ remunerationis expectare cernitur præmium. Quisquis itaque Episcoporum in parochia sua monasterium construere fortè voluerit, & hoc rebus Ecclesiæ cui præsidet ditauerit, non amplius ibidem quàm quadragesimam partem dare debebit, vt hac temperantię æquitate seruata, & cui tribuit competens subsidium conferat: & cui tollit dāna grauia non infligat. Ad Ecclesiam verò quæ monasticis non informabitur regulis, aut quam suis magnificare voluerit scripturis, nō amplius quàm centesimam partem census ecclesię cui præsidet ibidem conferre licebit: ea tamen cautelā seruatā, vt vnam tantummodo quæ placuerit ex his duabus remunerationem assumat. 12 q.2.c. bonæ rei.

Vt episcopus de ea parte quæ sibi de parochianis Ecclesiis debetur, tertiam partem vel eidem ecclesiæ vel altari si placet, conferre possit. Ex eod. conc. cap. vi. ¶ Cap. 171.

Cùm præteritis sanctionibus notissimum habeatur, quę de rebus parochialium Ecclesiarum pars Episcopo conferatur, oportunè tamen duximus decernendum, vt si Episcopus tertiam, quam de rebus eisdem sanctione pariter sibi debitam nouit, aut ipsi ecclesiæ cuius res esse patebit, aut alteri Ecclesiæ quam elegit conferre decreuerit, & licitum maneat, & irreuocabile robur eius sententia ferat. 12. q.3.c. episcopus si partem.

Vt Episcopus qui res Ecclesiæ vendiderit, & eas de suo restituat, & iudicio episcoporum tanquam furti aut latrocinij reus à suo honore priuetur. Ex concilio Martini papæ, cap. xiiij.

¶ Cap. 172.

Si quis Episcopus nulla Ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, in suo clero, aut fortè vbi Presbyter non est, de rebus Ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere, res ipsas Ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, & in iudicio Episcoporum deiiciatur auditus, & tanquam furti aut latrocinij reus suo priuetur honore. 10.q.2.c. si quis episcopus.

Quid agendum sit de Presbyteris, si inuenti fuerint de ministeriis ecclesiæ aliquid venundasse. Ex eodem cap. xvij.

¶ Cap. 173.

Si quis Presbyter, aut diaconus inuentus fuerit aliquid de ministeriis ecclesiæ venundasse, quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione Ecclesiastica non haberi. In iudicio tamen Episcopi dimittendus est, si dignus in suo recipi debeat gradu, quia multoties hoc ipsum quod de sacrosancto altario contaminatum est, in Episcopi potestate dimissum est. 10.q.2.c. si quis presbyter.

De dotibus & decimis Ecclesiæ. Ex Hispalensi concilio. ¶ CAP. 174.

Vt vnicuique Ecclesiæ mansus integer absque vllo seruitio attribuatur. Omnes primitias & Decimas tam de pecoribus, quàm de frugibus, diues simul & pauper Ecclesiis suis rectè offerant. Dicit enim Dominus per Prophetam, Apportate omnem decimam in horreo meo, vt cibus sit seruientibus in domo mea. Omnis rusticus, & artifex quisque de negotio iustam decimationē faciat. Sicut enim dominus omnia dedit, ita de omnibus decimam exigit: vt de fructibus agri, ita de nutrimento omni: vt de apibus, ita de melle: vt de agnis, ita de velleribus & caseis: Vt de porcellis, ita de capris, de bubus, & equis: vt de minoribus, ita de maioribus exigimus & cæteris. Si quis autem hæc omnia non decimauerit, prædo Dei est, & fur, & latro, & maledicta quæ intulit Dominus Cain non rectè diuidenti congeruntur. De his verò omnibus nullus sit qui de sacerdotibus requirat censum, vel aliquod seruitium præter ecclesiasticum.

Malach. 3.

De censu à Presbytero non dando. Ex Parisiensi concilio. ¶ CAP. 175.

Vt secundùm canonicam authoritatem & cōstitutionem Domini imperatoris Ludouici, de agro ecclesiastico & manso, de mancipiis quæ ipse suis capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus fuerit ecclesiæ, neque de decimis & oblationibus fidelium cuiquam Presbytero aliquem censum persoluere cogat, nec quisquam cuiuslibet ordinis vel dignitatis, exinde quicquam subtrahat, aut redhibitionem quamcumque exigat temporalem. Quod si fecerit, communione vsque ad satisfactionem priuetur, & regia potestate dare cogatur.

*Culpam esse thesaurum Ecclesiæ redemptioni captiuorum præponere. Gregorius ad * Dominum Episcopum Messanensem.*

** Bonum*

Lib. 6. epist. 35.

¶ CAP. 176.

12. q. 2. c. sicut omnino.

Sicut omninò graue est, frustrà Ecclesiastica ministeria venundare, sic iterum est culpa, imminente huiusmodi necessitate, res maximè desolatæ Ecclesiæ, captiuis suis præponere, & in eorum redemptione cessare.

Vt nullus eius donum suscipiat, qui exhæredato filio hæredem facere vult Ecclesiam. August. In sermone secundo de vita clericorum.

August. sermo 52 ad fratres in eremo.

¶ CAP. 177.

17. q. 4. c. quicunque.

Quicunque vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum: immo Deo propitio neminem inueniat. Quàm laudabile factum sancti & venerandi Episcopi Aurelij Carthaginensis? quomodo impleuit omnium qui sciunt, os laudibus Dei? Quidam enim cùm filios non haberet neque speraret, res suas omnes retento sibi vsufructu donauit Ecclesiæ. Nati sunt illi filij, & reddidit Episcopus necopinanti, quæ illi donauerat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli.

Ibidem, de eadem re. ¶ CAP. 178.

Si quis irascitur filio suo, & moriens exhæredat eum, si viueret non eum placarem? non ei filium reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio suo volo vt habeat pacem, cuius appeto hæreditatem? Sed planè si faciat, quod sæpe hortatus sum. Vnum filium habet, putet Christum alterum: duos habet, putet Christum tertium: decem habet, Christum vndecimum faciat, & suscipio.

13. q. 2. c. si quis irasc.

Res terrenas à nullo rectè possideri, nisi vel iure diuino, vel humano. Idem in Epistola ad Vincentium. ¶ CAPVT 179.

Ep. 48.

Quicunque vos ex occasione legis huius imperialis, non dilectione corrigendi, sed inimicādi odio persequitur, displicet nobis. Et quamuis res quæcunque terrena non rectè à quoquā possideri possit, nisi vel iure diuino (quo cuncta iustorum sunt) vel iure humano, (quod in potestate est regum terræ) ideoque res falsò appelletis vestras, quas nec iustè possidetis, & secundùm leges terrenorum regum amittere iussi estis: frustraque dicatis, nos in eis congregandis laborauimus, cùm scriptum legatis, labores impiorum iusti edent: sed tamen quisquis ex occasione huius legis quam reges terræ Christo seruientes ad emendandam impietatem vestram promulgauerunt, res vestras cupidè appetit, displicet nobis. Quisquis denique ipsas res pauperum vel Basilicas congregationum, quas sub nomine Ecclesiæ tenebatis, (quæ omninò non debentur, nisi ei Ecclesiæ, quæ vera Christi Ecclesia est) non per iustitiam, sed per auariciam tenet, displicet nobis. Quisquis pro aliquo flagitio vel facinore proiectū à nobis ita suscipit, sicut suscipiuntur, qui (excepto errore quo à nobis separamini) sine crimine apud vos vixerunt, displicet nobis. Sed nec facilè ista monstratis, & si monstretis nonnullos toleramus, quos corrigere vel punire non possumus: neque propter paleam, relinquimus aream Domini: neque propter pisces malos, rumpimus retia Domini: neque propter hædos in fine segregandos deserimus gregem Domini: neque propter vasa facta in contumeliam migramus à domo Domini.

23. q. 7. c. quicunque.

Sapient. 10

Quòd Ecclesia aurum habeat, non vt seruet, sed vt eroget, & in necessitatibus subueniat. Ambrosius in libro de officiis libro ij. c. xxviij.

¶ CAP. 180.

Aurum Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid opus est custodire, quod nihil adiuuat? An ignoramus, quantum auri atque argenti de templo Domini Assyrij sustulerunt? Nonne melius conflat sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quàm sacrilegus contaminat, atque asportat hostis? Nonne dicturus est Dominus: Cur passus es tot inopes fame mori? Et certè habebas aurum, vnde ministrasses alimoniam. Cur tot captiui deducti in commercium, nec redempti, ab hoste occisi sunt? Melius fuerat vt vasa viuentium seruares, quàm metallorum, his non posset responsum referri. Quid enim diceres? Timui, ne templo Dei ornatus deesset. Responderet: Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro

12. q. 2. c. aurū ecclesia habet.

non emuntur. Ornatus sacrorum, redemptio captiuorum est. Et verè illa sunt vasa pretiosa quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod sanguis eius operatus est. *Et post pauca.* In his tribus generibus vasa Ecclesiæ, etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. Opus est, vt de Ecclesia mystici poculi forma non exeat, nec ad vsus nefarios sacri Calicis ministerium transferatur. Ideò primùm intra Ecclesiam quæsita sunt vasa, quę initiata non essent, deinde comminuta, postremò conflata, per minutas erogationes dispensata egentibus, captiuorum quoque pretiis profecerunt. Quòd si desunt noua, & quę nequaquam initiata videantur, in huiusmodi quos suprà dixi vsus, omnia arbitror piè posse conuerti.

De priuilegiis Ecclesiarum. Ex Tullensi concilio.

¶ Cap. 181.

Sunt fortè tales, qui priuilegia de locis Deo dicatis sanctorum manibus confirmata paruipendentes, sibi quia volunt, non quia possunt excommunicationes vsurpatoribus rerum, & facultatum Ecclesiasticarum à sanctis Domini intentatas alleuiant, dicentes se pro hoc illata damnatione, id est anathematis vinculo non teneri. De quibus sanctus Gregorius in epistola ad Theotistam patriciam dicit: Ipsi, inquit, sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, qui ligamenta Ecclesię vanis se æstimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas eius valere non æstimant. Cōtra quos diutiùs disputandum non est: quia per omnia despiciendi & anathematizandi sunt, & vnde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur.

De rerum Ecclesiasticarum inuasoribus. Sententia Symmachi papæ.

In Synodo Romana 6.

¶ Cap. 182.

12. q. 2. c. indignè.

Indignè ad altare Domini properare permittitur, qui res Ecclesiasticas audet inuadere, aut iniustè possidere, aut iniqua seu iniusta defensione in eis perdurat. Debet tamen esse prouisio, vt vinctam admonitio precedat, & res vsurpatas iniustè qui abstulit, aut iniustè ablatas retinet, equitate patrocinante legibus restituat. Quod si neglexerit, & necessitas compulerit, demum prædonem sacerdotalis districtio maturata percellat. Valdè enim iniquum est, & ingens sacrilegium, vt quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel salute animarum suarum vnusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his quibus maximè seruari conuenit, id est Christianis, & Deū timentibus hominibus, in aliud trāsferri vel cōuerti. Propterea qui hęc non præuiderit, & aliter quā scriptum est, prædia Ecclesiis tradita petierit, vel acceperit, aut possederit, nisi se citò correxerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, sitque accipienti, & danti & possidenti anathema: & institutæ pœnæ contubernium assiduum, nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui à religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta dispergit.

Quid agendum sit de œconomo, qui res Ecclesiæ vel ipse alienauerit, vel respiciens alienantem Episcopum non prohibuerit. Constitutio septima, cap. 1.

Iustinianus Imperator nouella constitutione 7.

¶ Cap. 183.

Nullus sub Romana ditione constitutam Ecclesiam vel xenodochium, vel ptochotrophium, vel nosocomium, vel orphanotrophium, vel gerontocomium, vel brephotrophium, vel monasterium tam monachorum, quàm sanctimonialium Archimandritam habens vel archimandritissam, infestare audeat. Ergo his omnibus nō liceat alienare rem immobilem, siue domum, siue agrum, siue hortum, siue rusticum mancipium, vel panes ciuiles, neque creditoribus specialis hypotheticæ titulo obligare. Alienationis autem verbum continet venditionem, donationem, permutationem, emphiteuseos perpetuum contractum, sed omnes omninò Sacerdotes huiusmodi alienatione abstineant: pœnas timentes quas Leonina constitutio minatur, id est, vt is quidem qui comparauit rem loci Venerabilis reddat ei cuius & antè fuerat, scilicet cum fructibus aliisque emolumentis, quæ in medio tempore facta sunt: œconomo autem ecclesiæ præstare omne lucrum quod ex huiusmodi prohibita alienatione senserit: vel si Ecclesiam damno affecerit, ita vt in posterum œconomus non sit, non solùm autem ipse, sed successores eius teneantur, siue ipse œconomus alienauerit, siue respiciens alienantem Episcopum non prohibuerit, & multò magis consenserit: tabellionem autem qui talia interdictæ instrumenta conscripsit, perpetuo exilio tradi oportet.

Quòd Principi per commutationem cum Ecclesia contrahere liceat. cap. ij.

Iustinianus ibidem.

¶ Cap. 184.

Si princeps voluerit rem immobilem sancto loco præstare, & accipere ab eo aliam rem immobilem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hoc facere.

Vt is, qui immobilem rem Ecclesiæ comparauit, vel ab aliquo accepit, cum omnibus emolumentis eius, quæ in medio tempore facta sunt, eam restituat: sed & aliud tantum, quantum accepit pœnæ nomine venerabili loco componat, & quòd nulli liceat nisi principi cum ecclesia commutare, & si creditor rem immobilem Ecclesiæ ad corporalem acceperit detentionem, primò quidem sortem quam dedit cum vsuris amittat, deinde ipsam rem cum suis emolumentis venerabili loco restituat. cap. v.

¶ Cap. 185.

Iustinianus ibidem.

Si quis contra saluberrima iura præsentis constitutionis rem immobilem loci venerabilis comparauerit, primùm quidem rei æstimationem amittat, & rem quam illicitè emerit, restituat cum omnibus emolumentis eius, quæ in medio tempore facta sunt, & omnia lucro Ecclesiæ, vel alterius loci venerabilis cedant, & nullam habeat ipse contra Ecclesias actionem, sed tantùm aduersus œconomos, vel alias venditorum personas ex empto iudicium moueat. Nam venditorum patrimonia emptori subiecta esse æquum est, etiamsi venditio contra præsen-

tem legem rei immobilis ad venerabilem locum pertinentis contracta sit. Alioquin si donatio facta fuerit, tunc is qui liberalitatem interdictam accepit, non solùm ipsam rem cum fructibus suis & causis venerabili loco constituat, sed etiã aliud quantum accepit pœnæ nomine præstet sanctissimo loco, cuius res donata fuerit ab his, qui res eius administrant. Sin autem titulo permutationis rem loci venerabilis capiat aliquis, tunc & rem quam accepit reddat, & quam ipse dedit amittat: actione scilicet aduersus personas & patrimonia eorum conseruanda, quę cum eo contraxerunt, excepto videlicet principe, cui secundùm præfatam superiùs diuisionem, permutationem facere rerum immobilium cum sacrosanctis locis permissum est. Sin autem pignus creditor ad corporalem detentionem acceperit, & res immobilis sit, quæ pertinet ad Ecclesiam, vel ad alia venerabilia loca, veluti domus, vel pratum, vel ager, vel hortus, vel panes ciuiles, vel mancipia rusticana: nam ea quoque veluti membra immobilium rerum sunt. Si quis horum aliquid pignoris nomine corporaliter acceperit, priùs quidem neque sortem quam dedit, neque vsuras quas fortè stipulatus est exigat: deinde etiam ipsam rem cum suis emolumentis venerabili loco restituat. Sed & in hoc casu aduersus œconomum, vel alios administratores venerabilium locorum actionibus creditori competentibus, omnia enim quæ diximus etiam in mulierum monasteriis vel asceteriis obtinere oportet.

Vt mutuam pecuniam venerabilis locus capiat, si qua necessaria & inexcusabilis causa immineat, cap. vi. ¶ Cap. 186.

Iustinianus ibidem. Si qua necessaria caussa & inexcusabilis imminet, vt mutuam pecuniam capiat venerabilis locus, liceat œconomis etiam res immobiles obligare pignoris iure, tamen vt corporaliter creditoribus non tradantur.

Qua pœna coercendus sit, qui sancta vasa, vel sacra dona, contra legem vel pignerauerit, vel distraxerit, vel conflauerit, vel quocunque modo alienauerit, cap. viij. ¶ Cap. 187.

Iustinianus eadem. nou. const. 7. Eisdem pœnis coërceri oportet etiam illum, qui sancta vasa, siue sacra dona contra legem vel pignerauerit, vel distraxerit, vel conflauerit, vel quocunquè modo alienauerit, excepta videlicet captiuorum redemptione.

Quòd nulli liceat per Pragmaticam sanctionem aliquid capere de Ecclesiis, aliísque venerabilibus locis, siue res sint mobiles vel immobiles, cap. ix. ¶ Cap. 188.

Iustin. eadẽ nou const. 7. Nulli liceat per Pragmaticam Sanctionem aliquid capere, quæ sacrosanctis ecclesiis, aliísque venerabilibus locis competunt, scilicet, & si immobiles sint, vel mobiles quidem, sed alienari non possunt. Sin autem quæstor magnificus tale descriptum dictauerit, vel cæteri magistratus intimatione pragmaticæ formæ receperit, vnusquisque quinquaginta librarũ auri pœnâ mulctetur. Sin autem religiosi Episcopi tales pragmaticas sanctiones contempserint, sine periculo contempsisse cognoscant; nam si receperint eas, etiam episcopatus honorem amissuros se non dubitent. Nemini liceat in posterum cuiusquam monasterij venditionem impiam vel donationem, vel permutationem contrahere, vbi & altare collocatum est, & sacræ missæ factæ, & monachica conuersatio. Sin autem aliquid tale fuerit admissum, & quod factum est pro infecto habeatur, & is qui accepit pretium amittat: & qui distraxerit, & rem & pretiũ reddat sacrosanctæ Ecclesiæ, & venerabilibus monasteriis, quorum cura erat, vt alienatum contra leges monasterium rursus in pristinum statum reducerent. Nulli autem licentia sit nec titulo pignorum, nec hypothecarum sacrosanctum obligare monasterium. Nam & si tale aliquid admissum fuerit, refutari oportet, vt iterum in sanctissimo monasterio sacræ procedant missæ.

Si venerabilis locus cum alio venerabili loco permutationem rerum immobilium facere voluerit, liceat, deliberato priùs vtriusque loci commodo, cap. xi. ¶ Cap. 189.

Si venerabilis locus cum alio venerabili loco, rerum immobilium permutationem facere voluerit, si Ecclesia cum Ecclesia, vel ptochium cum ptochio, vel Ecclesia cum ptochio vel monasterio, vel vt simpliciter dixerim, Si venerabilis locus cum alio venerabili loco, rerum immobilium permutationem facere maluerit, hócque fieri prosit vtrique loco: liceat primatibus eius permutare, decreto tamen priùs celebrando apud locorum metropolitanos disceptatione procedente, vt ipsi deliberent an ambabus partibus prosit rerũ immobilium permutatio.

Quòd non liceat ei qui Ecclesiam ædificat, quos ipse voluerit Clericos in ea disponere, sed quos Episcopus dignos iudicauerit. Constitutio xlix. cap. ij. ¶ Cap. 190.

Si quis Ecclesiam ædificauerit, aut clericis annonam ex substantia sua dederit, non liceat ei quos voluerit clericos in eadem Ecclesia facere: sed si voluerit quosdam sibi consecrari, offerat eos beatissimo Patriarchæ, & ille si viderit eos dignos consecret, & si non probauerit, arbitrio suo reijciat. *Iustinianus Imperator nou sua constitut 57.*

Quòd non liceat ei qui oratorium in domo sua habet, missas in eo sine iussu Episcopi celebrare. Constitutio l. cap. i.

¶ Cap. 191.

Si quis in domo sua oratoriũ habuerit, non audeat in eo facere sacras missas, nisi clericos Catholicæ fidei habuerit, qui ei deputentur ex iussu religiosissimi Episcopi ciuitatis, vel beatissimi Patriarchæ. Si quis autem aduersus ea fecerit, domus ipsius fisci iuribus addicatur. *Iustin. imp. nouella constit 58.*

Vt nullus Ecclesiam vel oratorium ædificare audeat, nisi priùs allocutus Episcopum, expensam præfiniat, quæ ad luminaria, & custodiam oratorij, & alimoniam eorum qui ibi seruituri sunt, sufficiat. Constitutio lix. cap. i.

¶ Cap. 192.

Nullus audeat ædificare Ecclesiam vel oratorium, antequam ciuitatis Episcopus veniat, & vota faciens sanctissimam crucem infixerit publicè in eodem loco procedens, & rem omnibus manifestam faciens: vnusquisque ante ædificationem loquatur Episcopo, & præfiniat modum *Iustin. imp. nou. sua constit. 67.*

quòd ad luminaria sacro ministerio apta, & custodiam oratorij, & alimonias eorum qui ibi obseruant, sufficiat: & si hæc sufficientia visa fuerint, faciat priùs donationem eorum, & postea domum ædificet. Sin autem quæ ab eo præfinita sunt non sufficiunt ad custodiendum oratorium, æquum est vetera oratoria quæ fortè ruinam minantur reparare, cum arbitrio religiosissimi ciuitatis Episcopi.

Quòd quicquid diuini iuris & sacrum est, in nullius sit bonis. Libro ij. Titulo primo.

¶ Cap. 193.

Iustinia imperator lib. 2. institutionum, de rerum diuis. & acquir. ear. dom. Nullius autem sunt res sacræ, & religiosæ, & sanctæ. Quod enim diuini iuris est, id nullius in bonis est. Sacra enim sunt, quæ ritè, & per pontifices Deo consecrata sunt, veluti ædes sacræ & dona, quæ ritè ad ministerium Dei consecrata sunt: quæ etiam per nostram constitutionem alienari & obligari prohibemus, exceptâ causâ redemptionis captiuorum. *Item.* Sanctæ quoque res, veluti murus & portæ quodammodo diuini iuris sunt, & ideò nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus, quia pœna capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint.

De iure diuino, & iure humano. Aug. tract. vi. in i. cap. Ioannis. ¶ Cap. 194.

dist. 8. c. quo iure. Quo iure defendis villas Ecclesiæ? diuino, an humano? Respondeant, Diuinum ius in scripturis habemus, humanum in legibus regum. Vnde quisque possidet quod possidet? nonne iure humano? Nam iure diuino, Domini est terra, & plenitudo eius. *Psal. 23. Genes. 2.* Pauperes & diuites Dominus de vno limo fecit, & pauperes & diuites vna terra supportat. Iure ergo humano dicitur, hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic seruus meus est. Iura ergo humana, iura imperatorum. Quare? Quia ipsa iura humana per imperatores, & reges sæculi Deus distribuit generi humano. *Post aliquot versus.* Tolle iura imperatorum, & quis audet dicere, mea est villa illa, meus est iste seruus, aut domus hæc mea est? Si autem vt teneantur ista ab hominibus regum iura fecerunt, vultis recitemus leges, vt gaudeatis? *Ac rursum.* Legantur leges, vbi manifestè præceperunt Imperatores, eos qui propter Ecclesiæ Catholicæ communionem vsurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis authorem, vt nihil nomine Ecclesiæ audeat possidere. Sed dicitis, quid nobis & imperatori? Sed (vt iam dixi) de iure humano agitur, & tamen *1. Petri 2.* Apostolus voluit seruiri legibus, voluit honorari reges, & dixit regem reueremini. Dicere noli, quid mihi & regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per iura regum possidentur possessiones. Dixisti: Quid mihi & regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa iura renunciasti humana, quibus possessiones possidentur.

Vt cuncta quæ Deo offeruntur consecrata habeantur. Ex Aurelianensi concilio, cap. vij.

¶ Cap. 195.

Omnia quæ Deo offeruntur consecrata habeantur, in vineis, terris, syluis, vtensilibus, vestimentis, pecoribus, & reliquis possessionibus, & quæ ecclesiis, sine dubio Christo, qui sponsus est earum, offeruntur.

Vt Decima nullo modo negligatur. Ex concilio Rotomagensi, cap. tertio. ¶ Cap. 196.

Omnes decimæ terræ siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur. *16 q. 7. c. omnes decimæ.* Boues, & oues, & capræ quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur neque bonum neque malum, nec altero commutabitur. Si quis mutauerit, & quod mutat, & quod mutatũ est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. Sed quia multi inueniuntur decimas dare nolentes, statuimus vt secundùm Domini nostri præceptum admoneantur semel, & secundò, & tertiò, si non emendauerint, anathematis vinculis constringantur, vsque ad satisfactionem & emendationem congruam.

De eodem. Ex concilio Mogontiensi, cap. xxxviij.

¶ Cap. 197.

Admonemus atque præcipimus, vt Decimas Deo omninò dare non negligatur, *16. q. 1 c. admonemus.* quas Deus ipse dari constituit, quia timendum est, vt quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne fortè Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua.

Quòd Episcopi & abbates decimas de agris, & vineis quæ ad vsum suum vel fratrum stipendium habent, ad Parochianas ecclesias persoluere debeant. Ex conc. Cabilonensi ij. cap. xix.

¶ Cap. 198.

Questi sunt preterea quidam sancti, quòd essent aliqui Episcopi & abbates, qui decimas non sinerent dari ad Ecclesias vbi illorum coloni missam audiunt. *16. q. c. 1. questi sunt.* Proinde decreuit sacer iste conuentus, vt Episcopi & abbates de agris & de vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias deferri faciant. Familię verò ibidem decimas suas ferant, vbi infantes eorum baptizantur, & vbi per totum anni circulum missas audiunt.

Decimas Deo & sacerdotibus dandas, & exemplo patrum Abraham, & Iacob, & authoritate veteris & nouæ legis, & multimoda ratione. Ex concilio Mogontiensi, cap. viij.

¶ Cap. 199.

Decimas Deo & sacerdotibus Dei dandas Abraham factis Iacob promissis insinuat. *16. q. 7 c. decimas.* Deinde lex statuit, & omnes doctores sancti commemorant. Et profectò dignum erat, vt Israelitę decimas pecorum & frugum omnium & pecuniarũ Domino darent, qui eos liberauerat à decẽ plagis quibus percussit Ægyptios, & in nouissima plaga primogenita cunctorum disperdidit, gratiámque suis præstitit, vt impetratis pecuniis spoliarent Ægyptum. De quibus decimis, Augustinus doctor venerabilis dicit: Decimę ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus, nempe meus est homo, mea est terra quam colis, mea sunt semina quæ spargis, mea animalia quę fatigas, meus est solis calor: & cùm omnia mea sint, tu qui minus accommodas, solam decimam vix merebaris, sed reseruo tibi nouem, da mihi decimam. Si non dederis mihi decimam auferam nouem. Si dederis mihi decimam, multiplicabo nouem. Cùm itaque Iudaicus populus præceptũ decimarum tantâ diligentiâ obseruaret, vt de quibusque minimis rebus, ruta & cimino, vt ipse Domi-

dominus testatur decimas daret, cur non maiori studio plebs euangelica eandem impleat iussionem, & cui maior est numerus sacerdotum, & sincerior cultus sacramentorum? Ideò ergo dandæ sunt, vt hac deuotione Dominus placatus, largiùs præstet quæ necessaria sunt, sicut superiùs ostendimus. Et vt sacerdotes ac ministri ecclesiæ cura & sollicitudine necessitatum coporalium, sine quibus hæc vita transigi non potest, releuati, liberiores fiant ad meditationem diuinæ legis, & doctrinæ administrationem, atque spiritualis seruitij voluntariam expletionem. Et vt munus populi in quotidiana oblatione domino immoletur, nec non statuta canonica in sustentationem pauperum, & restaurationem ecclesiarum proficiant. Quatuor enim partes iuxta canones debent fieri de fidelium oblationibus: vt vna sit Episcopi; altera clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi ecclesiarum seruetur.

Magontien. conc cap.3.

Item de decimis. Ex concilio Mediomatricis, cap. iij. ¶ Cap. 200.

16.q 7.cap. decimas.

Decimas quas populus dare non vult, nisi quolibet munere ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est ne fiat.

Quòd partes de decimis fieri debeant, & quota pars ad vsum pertineat episcopi. Ex Agrippinensi conc. cap. vi. ¶ Cap. 201.

Item quòd decima quæ à fidelibus datur, Dei censusnuncupanda est, & Deo ex integro reddenda. Cuius tertia pars secundùm canonẽ Toletanum, Episcoporum esse debet. Nos vero hac potestate vti nolumus, sed tantũ singulis annis quartam partem iuxta vsum Romanorum pontificum, & obseruantiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ de eadem habere volumus. Quòd si quis contentiosus inde repertus fuerit, siue clericus, siue ille laicus sit, communione priuabitur, & Synodali censura iudicabitur.

Aurelianense 1.c.17

Quòd ea quæ ad Ecclesiam offeruntur in terris, vineis, mancipijs, peculijs, ad dispositionem Episcopi pertineant: Quæ verò ad altare offeruntur, duæ partes clericorum sint, tertia pars episcopis fideliter deferatur. Ex Toletano concilio.

¶ Cap. 202.

10.q 1. cap. de his.

De his quæ ad ecclesiam à parochianis offeruntur, in terris, in vineis, mancipiis, peculiis, antiquorum canonum instituta seruentur, vt omnia in Episcopi potestate consistant. De his autem quæ altaribus offeruntur, tertia pars fideliter Episcopis deferatur, duæ clericis: decimæ autem secundùm quosdam singulis annis tertia pars, aut in tertio tota. Sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, aut in quarto totam Episcopi recipiant.

Quòd partes, tam de reditibus, quàm de oblationibus fidelium in vnaquaque Ecclesia faciendæ sint, & inter quos diuidendæ. Gelasius eius nominis primus in epist. ad Episco. per Lucaniam & Brutiam, cap. xxix.

¶ Cap. 203.

12 q. 2. cap. quatuor.

Quatuor autem tam de reditibus, quàm de oblationibus fidelium, prout cuiuslibet Ecclesiæ facultas admittit (sicut dudum est rationabiliter decretum) conuenit fieri portiones. Quarum vna sit Pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis est applicanda. De quibus sicut sacerdotis intererit, integram ministris Ecclesię memoratam dependere quantitatem: sic clericus vltra delegatam sibi summam, nihil insolenter nouerit expetendum. Ea verò quæ ecclesiasticis restaurandis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata locorum doceat instauratio manifesta sanctorum: quia nefas est si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia his designata conuertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quamuis diuinis orationibus se dispensasse mõstraturus esse videatur: tamen iuxta hoc quod scriptum est, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est: oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri. *Matth. 5.*

De eadem re. Ex concilio Nannetensi, cap. vi. ¶ Cap. 204.

Instruendi sunt Presbyteri, pariterque admonendi, quatenus nouerint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperũ & hospitum & peregrinorum stipendia: & non quasi suis, sed quasi commendatis vti: de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus, & his quibus iussi sunt administrauerint, damna passuros. Qualiter verò dispensari debeant, canones sancti instituunt, scilicet vt quatuor partes inde fiant, vna ad fabricam Ecclesiæ releuandam, altera pauperibus distribuenda, tertia Presbyteris siue clericis exhibenda, quarta Episcopo reseruanda, vt quicquid exinde iusserit, prudenti consilio fiat.

Vt terminari debeant contentiones inter Christianos ortæ. Ex decretis Marcellini papæ, cap. iij. ¶ Cap. 205.

Quæcunque ergo contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiam deferantur, & ab ecclesiasticis viris terminentur: & si obedire noluerint, quousque obediant à liminibus sanctæ Ecclesiæ excludantur.

De his qui oblationes parentum, aut testamenta, vel quod ipsi donauerint Ecclesiæ, retinere aut auferre conantur. Ex concilio Agathensi, cap. iiij. ¶ Cap. 206.

Clerici etiam vel sæculares qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamentis relictas retinere perstiterint; aut id quod ipsi donauerint ecclesiis vel monasteriis crediderint auferendum, sicut Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum quousque reddant, ab ecclesiis excludantur. *13.q 2.c cle-rici vel sæculares.*

Quòd Deum hæredem facere debemus. Sanctus Isidorus. ¶ Cap. 207.

Augustinus dicit in libro de hæredibus. Noli sub imagine pietatis augere pecuniam, dicens: Filiis meis seruo has res. Quare non potius seruas illi, qui te ex nihilo fecit, qui te pascit, & filios reseruat? Nonne melius creatori tuo thesaurizabis quàm filiis? Ac rursum. Qua fronte hæreditatem à Christo quæris, cùm Christum tua hæreditate fraudaueris, qui dixit, Thesaurisate vobis thesauros in cœlo. *Matth. 6.*

De his qui oblationes defunctorum, aut negant, aut difficulter reddunt. Ex Valentino concilio, cap. iiij. ¶ CAP. 208.

Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur. *De eadem re. Ex decretis Vrbani Papæ, cap. iiij.* Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Deo offeruntur: non ergo debent in alios vsus quàm Ecclesiasticos & prædictorum Christianorum fratrum vel indigentium conuerti: quia vota sunt fidelium & pretia peccatorum, atque ad prædictum opus explendum Deo tradita: si quis autem, quod absit, secus
Act. 4. egerit, videat ne damnationem Ananiæ & Saphiræ percipiat, & reus sacrilegij efficiatur, sicut illi fecerunt qui pretia prędictarum rerum fraudabant, de quibus ita prædictis legit in Apostolorum actibus.

Ne quis oblationes Ecclesiæ, extra Ecclesiam dare vel accipere præsumat. Ex Gangrensi conc. cap. vij. ¶ CAP. 209.

Si quis oblationes Ecclesiæ extra ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam Episcopi, vel eius cui huiusmodi officia commissa sunt, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit.

De ead. re. *Ex eod. cap. viij.* ¶ CAP. 210.

Si quis dederit vel acceperit oblata, præter Episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat & qui accipit, anathema sit.

Vt omnes Ecclesiæ cum dotibus suis, & decimis, & omnibus rebus suis in potestate Episcopi consistant. Ex Cabilonensi concilio, cap. 3.

¶ CAP. 211.

In sancto Cabilonensi concilio decretum est, vt omnes Ecclesiæ cum dotibus suis, & decimis, & omnibus rebus suis in episcopi proprij potestate consistant, atque ad ordinationem suam semper pertineant.

Quòd tricennalis possessio firma sit. Ex Toletano conc. iiij. cap. xxxiiij. ¶ CAP. 212.

Sicut diœcesim alienam tricennalis possessio
16. q. 3. c. sicut diœcesim. tollit, ita territorij possessio conuentum non admittit. Ideoque Basilicæ quæ nouæ conditæ fuerint, ad eum proculdubiò Episcopum pertinebunt, cuius conuentus esse constiterit.

Vt nullus in Ecclesia sepeliatur, nisi piè, & iustè viuendo, talem sibi defuncto locum acquisierit: & vt nullus in Ecclesia antiquitus sepultus, nisi sit paganus inde eijciatur, sed tumuli apparentes ad modum pauimenti demergantur. Ex Meldensi concilio, cap. ix.

¶ CAP. 213.

Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum vsus fuit, & plerunque loca diuino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata, cœmiteria siue polyandria facta sunt. Vnde volumus vt ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi fortè talis sit persona aut sacerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis, qui per vitæ meritum talem viuendo defuncto locum acquisiuit. Corpora quæ in Ecclesiis antiquitus sepulta sunt, nequaquam proijciantur nisi sint paganorum: sed tumuli qui apparent profundiùs in terra mittantur, & pauimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reuerentia conseruetur. Vbi verò tanta est multitudo cadauerum, vt hæc facere difficilè sit, locus ille pro cœmiterio habeatur, ablato inde altari, & in alio loco constituto, vbi religiosè & purè Deo sacrificium offerri valeat.

Quòd sepultos in Ecclesia, si peccata dimissa non sunt, sacra loca non liberant, sed culpa temeritatis accusat. Augustinus.

¶ CAP. 214.

Quibus peccata dimissa non sunt, à sacris locis post mortem adiuuari nõ possunt: quia quos peccata grauiora deprimunt, si in sacris locis sepelire se faciunt, restat vt de sua præsumptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed culpa temeritatis accuset.

Quòd pro loco sepulturæ nihil exigendum sit, sed si quid proximi & amici defuncti pro redemptione animæ dare voluerint, cum charitate accipiendum. Ex Triburiensi concilio, ca. xvi.

¶ CAP. 215.

In Ecclesiastico libro namque scriptum est: Eccli. 7. 13. q. 2. c. in ecclesiastico.
Mortuo non prohibeas gratiam, sciens quia omnes moriemur. Itẽ omnia quæ de terra orta sunt, Eccles. 40.
in terram conuertentur. Quid terra, terram vendis? Memento quòd terra es, & in terram ibis, & quoniam tibi mors futura est, appropiat & non tardat. Recordare quia hominis non est terra, Psal. 23.
sed vt psalmista commemorat, Domini est terra & plenitudo eius. Si terram vendis, inuasione alienæ rei reus teneberis. Gratis accepisti à Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omninò Christianis terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare, nisi fortè proximi & amici defuncti propter nomen & redemptionem animæ viri, gratis aliquid dare velint.

Quòd prodest sepeliri in Ecclesia, cùm grauia peccata non deprimunt, alioqui potius ad maiorem cumulum damnationis, quàm absolutionem fieri. Greg. quarto lib. dialogorum, cap. l.

¶ CAP. 216.

* Cùm grauiora peccata non deprimunt, hoc * Quos
prodest mortuis si in ecclesiis sepeliantur, quòd eorũ proximi quotiens ad eadem sacra loca veniunt, suorúmque sepulturam aspiciunt, recordentur, & pro eis domino preces fundant. Nam quos peccata grauia deprimunt, non ad absolutionẽ potius, quàm ad damnationis cumulũ maiorem, eorum corpora in ecclesiis ponuntur. Quod melius ostendimus, si ea quæ diebus nostris gesta sunt breuiter enarremus. Vir namq; Ibid. c. 51.
vitæ venerabilis Fœlix Portuensis Episcopus in Sabinensi prouincia ortus atque nutritus est. Qui quandam sanctimonialem fœminam in loco eodem fuisse testatur, quæ carnis quidem continentiam habuit, sed linguę procacitatem atque stultiloquium non declinauit. Hæc igitur

defuncta, atque in Ecclesia sepulta est. Nocte autem eadem eiusdem Ecclesiç custos per reuelationem vidit, quia deducta ante sacrum altare per medium secabatur,& pars vna illius igni cremabatur, pars autem altera intacta remansit. Cúmque hoc surgens manè Fratribus narraret,& locum vellet ostendere in quo fuerat igne consumpta, ipsa flãmę combustio ita ante altare apparuit in marmoribus, ac si illic eadem fœmina corporeo fuisset igne concremata. Ex qua re apertè datur intelligi, quia quibus peccata dimissa non fuerint, ad vitandum iudicium sacris locis non valent post mortem adiuuari.

De eadem re. Ibid. ca. lij. ¶ CAP. 217.

Ioannes quoq; vir magnificus in hac vrbe locum præfectorum seruans, cuius veritatis, atque grauitatis sit nouimus: qui mihi testatus est, Valerianum Patricium in ciuitate quę Brixa dicitur fuisse defunctum. Cui eiusdem ciuitatis Episcopus accepto pretio locum in Ecclesia præbuit, in quo sepeliri debuisset. Qui videlicet valerianus vsque ad ætatem decrepitam leuis ac lubricus extitit, modumq; suis prauitatibus ponere contempsit. Eadem verò nocte qua sepultus est, beatus Faustinus martyr, in cuius ecclesia corpus eius fuit humatum, custodi suo apparuit dicens, Vade & dic Episcopo, proiiciat hinc fœtentes carnes quas hic posuit: quia si non fecerit, ipse die tricesimo morietur. Quam visionem custos Episcopo timuit confiteri, & rursus admonitus declinauit. Die autem tricesimo eiusdem ciuitatis Episcopus, cùm vespertinâ horâ sanus & incolumis ad lectum redisset, subita & inopinata morte defunctus est.

De eadem re. Ibidem cap. liij.

¶ CAP. 218.

Adest quoque in præsenti sæculo senex venerabilis, vel pater Venãtius Lunensis Episcopus, & magnificus Liberius vir nobilissimus atq; veracissimus, qui se scire, suósque homines interfuisse testatur ei rei, quam narrat in Genuensi vrbe contigisse. Ibi namque (vt dicunt) Valentinus nomine, Mediolanensis Ecclesiæ defensor, defunctus est: vir valdè lubricus, & cunctis leuitatibus occupatus, cuius corpus in Ecclesia beati martyris Syri sepultum est. Nocte autem media, in eadem Ecclesia factæ sunt voces, ac si aliqui violenter ex ea repellerentur, ac traherentur foras. Ad quas nimirum voces currebant custodes, & viderunt duos quosdam teterrimos spiritus, qui eiusdem Valentini pedes quadam ligatura strinxerant, & eum ab Ecclesia clamãtem ac nimiùm vociferantem foras trahebant. Qui videlicet territi ad sua strata sunt reuersi. Mane autem facto aperuerunt sepulchrum in quo idem Valentinus positus erat, eiúsque corpus non inuenerunt. Cumque intra Ecclesiam quærerent vbi proiectum esset, inuenerunt eum in sepulchro alio positum ligatis adhuc pedibus, sicut de ecclesia fuit abstractum. Ex qua re Petre collige, quia hi quos peccata deprimunt grauia, si in sacro loco sepeliri se faciunt, restat etiam vt de sua presumptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.

Istud cõmemoratur in conſ. Tribur. cap. 17.

Ibidem de eadem re. ca. liiij. ¶ CAP. 219.

Nam quid quoque in hac vrbe contigerit, tinctorum qui hic habitant multitudo testatur: quòd cùm quidam artis eorũ primus defunctus fuisset, intra Ecclesiam beati Ianuarij martyris, iuxta portam sancti Laurentij à coniuge sua sepultus est. Sequenti autem nocte, ex sepultura eadem, audiente custode, eius Spiritus cœpit clamare: Ardeo, ardeo. Cùm verò has diu voces emitteret, custos hoc eius nunciauit coniugi. Vxor verò illius eos qui diligenter inspicerent, eiusdem artis viros transmisit ad Ecclesiam, volens agnoscere qualiter eius corpus esset in sepulchro, de quo talia clamarent. Qui aperientes sepulchrum vestimenta quidem intacta reperérunt: (quæ nunc vsque in eadem ecclesia pro eiusdem causæ testimonio seruantur) corpus verò illius omninò non inuenerunt, ac si in eodem sepulchro positum minimè fuisset. Ex qua re colligendum est, qua vltione anima eius damnata sit, cuius & caro est ab Ecclesia proiecta. Quid igitur sepultis sacra loca prosunt, quando hi qui indigni sunt, ab eisdem sacris locis diuinitus proiiciuntur?

Vt corpora defunctorum in Ecclesia non sepeliantur, sed si necesse sit, deforis circa murum Ex Bracarensi concilio i. cap. xxxvi.

¶ CAPVT 220.

Item placuit vt corpora defunctorum nullo-modò intra Basilicam sepeliantur, sed si necesse est deforis circa murum basilicæ sepeliantur. Nam si firmissimũ hoc priuilegium vsque nunc * retinent Galliç ciuitates, vt nullo modo intra ambitum murorum ciuitatum cuiuslibet defuncti corpus sit humatum, quantò magis venerabilium martyrum debet reuerentia obtineri?

** manet ciuitates*

De eadem re. Ex Meldensi concilio, cap. x.

¶ CAP. 221.

Vt nemo quemlibet mortuum in Ecclesia, quasi hæreditario iure, nisi quem Episcopus aut Presbyter pro qualitate conuersationis & vitæ dignum duxerit, sepelire presumat: nec quisquã ossa cuiuslibet mortui de sepulchro suo eiicere, aut sepulturam cuiusquam temerario ausu quoquo modo violare, sed vnumquemque in loculo sibi à Deo parato atque concesso, aduentum sui iudicis præstolari concedat.

Nihil pro sepeliendis corporibus exigendum. Ex Nannetensi concilio, cap. xi.

Cõc Vasen. 2. cap. 5.

¶ CAP. 222.

Præcipiendum secundùm canonum authoritatem, vt de sepulchris, & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant: nisi fortè qui sepelitur, viuens iusserit Ecclesiæ in cuius atrio sepelitur, de suis rebus aliquid tribuere, aut etiam post mortem illius quibus cõmissum est, cuius eleemosynam facere, de rebus illius aliud exigatur, siue ab illis qui locis & vicis præsunt. Prohibẽdum est etiam secundùm maiorum instituta, vt in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiæ; intra ecclesiam verò, aut prope altare vbi corpus & sanguis Domini conficitur, nullatenus habeant licentiam sepeliendi.

13. q. 2. c. præcipiendum.

Quòd conueniens sit, vxorem cum viro suo eodem sepulchro sepeliri. Hieronymus.

In quæst. Hebr in Genes. & de locis Hebraicis.

¶ CAP. 223.

Ebron dicitur esse ciuitas trium virorum, quia

12 q 2. c. Ebron.

in ea sepulti sunt tres Patriarchę in spelunca duplici, cum tribus vxoribus suis, id est Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia, preter ipsum Adam & Euam vxorem eius. Tobias dicit ad filium suum, Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepelies, & honorem habebis matri tuę omnibus diebus, & cùm ipsa compleuerit tempus, sepelies eam iuxta me in vno sepulchro. *Tobiæ 4.*

De eadem re. Idem. ¶ CAP. 224.

Quos coniungit vnum coniugium, coniungat vnum sepulchrum: quia vna caro est: & Quod Deus coniunxit, homo non separet. *Matth. 19.*

Item de ead. re. Augustinus. ¶ CAP. 225.

33. q. 2. c. vnaquæque. Vnaquæque mulier sequatur virum suum, siue in vita, siue in morte.

Vt sepultura non separet eos quorum mens vna fuit in Domino. Gregorius ca. xxxiiij. lib. ij. dialogorum. ¶ CAP. 226.

Soror sancti Benedicti sepulta est in sepulchro, quod ipse sibi parauerat, vt quorum mens vna semper fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret. Ita in primo connubio coniuncti, quia vna & eadem caro est, in vno sepulchro sepeliantur.

Vt non valeant precariæ vel commutationes viduatarum Ecclesiarum. Ex concilio Beluacensi præsente Ludouico, cap. x.

¶ CAP. 227.

Vt precariæ & commutationes, tempore viduatarum ecclesiarum factæ ab his, qui loca Episcoporum occupauerant, rescindantur, & cum authoritate ecclesiastica vel ciuili, si faciendæ sunt, fiant.

De eadem re. Ex concilio eodem, cap. xi.

¶ CAP. 228.

10. q. 2. c. precariæ à nemine. Precarię à nemine de rebus ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate conuenienti dat ex proprio, duplum accipiatur ex rebus Ecclesiæ, in suo tantum qui dederunt nomine, si res proprias & ecclesiasticas vsu fructuario tenere voluerint. Si autem res proprias ad præsens dimisit, ex rebus ecclesiasticis triplum fructuario vsu in suo tantùm quis nomine sumat, quia sic eas quemque tractare oportet, vt alienarum dispensatorem conuenit, non propriarum largitorem.

Item de eadem re. Ex eodem concilio, cap. xij.

¶ CAP. 229.

A nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus Deo & sanctis eius dicatis, cùm ratio & vsus obtineat neminem, cui non vult contra vtilitatem & rationem præstitum de proprio facere beneficium.

De eadem re. Ex eodem concilio. cap. xiij.

¶ CAP. 230.

10. q. 2. c. precariæ. Vt precariæ de quinquennio in quinquennium secundùm antiquam consuetudinem & authoritatem renouentur.

De donatione vel venditione vel commutatione rei ecclesiasticæ. Ex concilio Carth. iiij. c. xxxij.

¶ CAP. 231.

Irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ absque collaudatione, & subscriptione clericorum. *12. q. 2. c. sine exceptione.*

De commutationibus ecclesiasticarum rerum. Ex Beluacensi concilio. ¶ CAP. 232.

Vt commutationes rerum Ecclesiasticarum valdè caueantur, & subtilissimè, si aliquo modo fieri debent, inspiciantur. Quæ autem inconsultè factæ sunt, iuxta decretum canonicum Hilarij Papæ, quas illicitè decessor Episcopus amiserit, vel ab aliis illicitè commissæ sunt, ab eo qui successor est, emendentur. *Extra de rerum permuta. c. vt commutationes.*

De eadem re. Ex Maticensi concilio, cap. iiij.

¶ CAP. 233.

A sancta Synodo decretum est, & imperialis authoritas denunciat, ne commutationes rerum vel mancipiorum ecclesiasticorum quælibet persona sine licentia & consensu religionis, præsumat facere.

*De commutatione Ecclesiasticorum mancipiorum. Ex concilio apud * Carisiacum, cap. ij.* ** al. Syluanectu*

¶ CAP. 234.

Ne mancipia ecclesiastica quisquam nisi ad libertatem commutet, vt videlicet mancipia quæ pro ecclesiastico homine dabuntur, in Ecclesiæ seruitute permaneant, & ecclesiasticus homo qui commutatur, perpetua libertate fruatur. Quod enim semel Domino consecratum est, ad humanos vsus iam transferri non potest. Ait enim lex: Si quis mutauerit, & quod mutatum est sanctificabitur Domino.

De eodem. Ex eodem concilio, cap. iii.

¶ CAP. 235.

Iniustum videtur & impium, vt mancipia quæ fideles viri seu fœminæ pro remedio animæ suæ Deo & sanctis eius consecrarunt, cuiuscunque muneris mancipio vel commutationis commercio, iterum in sæcularium seruitutem redigantur, cùm authoritas canonica seruos fugitiuos tantummodo distrahi permittat? & ideò omnes rectores ecclesiarum summopere caueant, ne vnius eleemosyna alterius peccatum fiat, & absurdum est, vt ex ecclesiastica dignitate seruus decedens, humanę obnoxius sit seruituti. *2. q. 2. c. iniustum.*

De regularibus præceptis super precariis ecclesiasticis non admittendis. Ex concilio apud sanctum Medardum, cap. xi. ¶ CAP. 236.

Præcepta regalia super precariis ecclesiasticis fieri nec ratio sinit, nec authoritas quolibet modo permittit, quoniã præcepta in iure ecclesiastico firmare indignum iudicatur: necesse est vt maiestas regia non nisi ab ecclesiastico rectore petatur: id est, vt custos ecclesiæ solertissimè caueat, ne sui ordinis & ecclesiasticæ cõmutationis fortè immemor, contra authoritatẽ preceptum regium, pro quacunq; assentatione, fieri petat. Quod & si fecerit nõ audiatur. Si autem & obtinuerit, regali districtione, episcopali iudicio idem rescindatur, & petitor iniustus pro principis iniusta suggestione dignè corripiatur.

De Episcopo qui mancipium Ecclesiæ manumitti desiderat. Ex concilio Toletano iiij. ca. lxvij.

¶ CAP. 237.

12. q. 2. c. episcopus qui. Episcopus qui mancipium iuris Ecclesiæ non retento Ecclesiastico patrocinio manumitti desiderat: duos meriti eiusdem & peculij, coram concilio Ecclesię cui præeminet, per commutationem subscribentibus sacerdotibus offerat, vt rata & iusta inueniatur deffinitio commutantis. Tunc enim liberam manumissionem sine patrocinio condere poterit, quando eum quem libertati tradere disponit, iam iuri proprio acquisiuit. Huiusmodi autem liberto aduersus Ecclesiam cuius iuris extitit, accusandi vel testificandi denegetur licentia. Quod si præsumpserit, placet vt stante commutatione in seruitutem propriam Ecclesiæ reuocetur.

Vt sacerdotibus qui res suas Ecclesiæ relinquunt, aut aliqua prædia vel familias Ecclesiæ conquirunt, liceat aliquos si placet de familia eiusdem Ecclesiæ manumittere. Ex eodem conc. cap. lxviij.

¶ CAP. 238.

Consensus totius concilij definiuit, vt Sacerdotibus qui aut res suas Ecclesiæ relinquunt, aut nihil habentes aliqua tamen prædia aut familias Ecclesiis suis conquirunt, liceat aliquos de familiis eiusdem Ecclesiæ manumittere, iuxta rei collatæ modum quem antiqui canones decreuerunt; ita vt cum peculio & posteritate sua si ingenui sunt, sub patrocinio Ecclesiæ maneat, vtilitates iniunctas sibi iuxta quod potuerint, prosequentes.

Vt Presbyteri rem Ecclesiæ vendere non præsumant. Ex Carthaginensi concilio v. cap. iiij.

¶ CAP. 239.

12. q. 2. c. placuit. Item placuit vt Presbyteri non vendant rem Ecclesiæ vbi sunt constituti nescientibus Episcopis suis, quomodo & Episcopis non liceat vendere prædia Ecclesiæ ignorante concilio vel Presbyteris suis. Non habenti ergo necessitatem, nec Episcopo liceat rem matris Ecclesiæ ignorante concilio vel Presbyteris, suis titulis vsurpare.

De eadem re. Ex Bracarensi concilio i. ca. xvij.

¶ CAP. 240.

Dist. 50. c. Si quis Presbyt. Si quis Presbyter aut diaconus inuentus fuerit de ministeriis Ecclesiæ, ignorante concilio aliquid vendidisse, quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione Ecclesiæ non haberi: in iudicio tamen Episcopi dimittendum siue dignus in suo recipi gradu.

Quid agendum sit de Episcopo qui res Ecclesiæ vendiderit. Ex eodem concilio, ca. xxxi.

¶ CAP. 241.

2. q. 3. c placuit. Quicunque Presbyter de iure tituli sui quolibet modo aurum, argentum vel gemmas, vestes quoque si sunt, vel si accesserint aliqua mobilia ad ornamenta aliquid in perpetuum alienare tentauerit, donator, alienator, ac venditor, honoris sui amissione multetur.

De eadem re. Ex eod. concilio cap. xiij.

¶ CAP. 242.

Si quis Episcopus nulla Ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, in suo clero, aut vbi fortè non est Presbyter, de rebus ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere, res ipsas ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, & in iudicio episcoporum dei jciatur auditus, atque furti & latrocinij reus, suo priuetur honore. 10 q. 2. c. Si quis.

Quòd quantitas rei Ecclesiasticæ, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparet fraudatori. Ex Tolet. conc. ca. xxxiij.

¶ CAP. 243.

Omnis itaque rei Ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparat fraudatori. Et ideò nullus sacerdotum vel ministrorum ex rebus Ecclesię, quæ in quibuscunque locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, & iuri suo aut Cathedræ propriæ vnitati connectat. Verùm vt huius rei soliditas potior habeatur, propinquis eius qui construxerunt vel ditauerunt Ecclesiam, licitũ sit hanc bonæ intentionis habere solertiam, vt si sacerdotem vel ministrum aliquid ex rebus collatis præuiderint defraudare, aut commonitionis honesta conuentione compescant, aut talia Episcopo aut iudici corrigenda denuncient. Quod si talia episcopus agere tentat, metropolitano eius hæc insinuare ne differant. Ipsis tamen hæredibus in eisdem rebus non liceat quasi iuris proprij potestatem pręferre, non rapinam, non fraudem inferre, vel ingerere, non violentiam quamcunque præsumere. Si quis hæc monita temerare præsumpserit, & malè rapta cum confusione restituet, & excommunicationis annuæ sententiam sustinebit.

De libertis qui ab Ecclesiæ patrocinio discesserunt. Ex conc. Tol. iiij. c. lxx.

¶ CAP. 244.

Liberti Ecclesiæ qui à patrocinio eius discedentes quibuslibet personis adhæserunt, si admoniti redire contempserint, manumissio eorum irrita sit: quia per inobedientiæ contemptum ingrati actione tenentur. 12 q. 2 c. liberti.

De libertis Ecclesiæ. Ibidem cap. lxix.

¶ CAP. 245.

Liberti Ecclesię, quia nunquam moritur eorũ matrona, à patrocinio eiusdem nunquam discedant, nec posteritas quidem eorum, sicut priores canones decreuerunt. Et ne fortè libertas eorum in futura prole non pateat, ipsáque posteritas naturali ingenuitate obnitens sese ab ecclesiæ sanctę patrocinio non subtrahat, necesse est vt tã iidem liberti, quàm ab eis progeniti professionẽ Episcopo suo faciant, per quam se ex familia ecclesiæ liberos esse fatentur, eiusque patrocinium non relinquant, sed iuxta virtutem suam obsequium ei vel obedientiam prębeant. 12 q. 2. c. liberti.

De libertis qui à quibuscumque manumissi sunt. Ex eod. conc. ca. lxxi.

¶ CAP. 246.

Liberti à quibuscunque manumissi sunt, atque Ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut regulæ antiquorum patrum constituerunt, sacerdotali defensione à cuiuslibet insolentia dist. 87. c. liberti.

protegantur, siue in statu libertatis eorum, seu in peculio quod habere noscuntur.

De manumissis in Ecclesia. Ex Arausico concilio i. ca. vij. ¶ CAP. 247.

In Ecclesia manumissos, vel per testamentum ecclesiæ commendatos, si quis in seruitutem, vel in obsequium, vel ad colonariam conditionem *imprimere tentauerit, animaduersione ecclesiastica coërcebitur.

*reuocare

De fugitiuis Ecclesiasticis seruis. Ex Toletano concilio. ¶ CAP. 248.

Fugitiuos etiam seruos Ecclesiasticos, domos suas aut familias deserentes, qui etiam si reuocati fuerint, teneri non possint simili ratione, ab episcopo si voluerit, aut si illi ita meruerint, distrahantur.

De Episcopis qui nihil Ecclesiæ suæ conferunt, & ex familia Ecclesiæ liberos facere præsumunt. Ex eod. concilio. ¶ CAP. 249.

Episcopi qui nihil ex proprio suo ecclesiæ Christi conferunt, liberos ex familiis ecclesiæ, ad condemnationem suam facere non præsumant. Impium est enim, vt qui res suas ecclesię Christi non contulerit, damnum ecclesiæ inferat. Tales igitur libertos successor episcopi absque aliqua oppositione ad ius ecclesiæ reuocabit.

Quid in Ecclesia legi debeat. Ex Aurelianensi conc. ca. iij. ¶ CAP. 250.

Nihil aliud in Ecclesia legatur, aut cantetur, nisi quę authotitatis diuinæ sunt, & patrum orthodoxorum sanxit authoritas. Nec falsa Angelorum nomina colant, sed ea tantùm quę Prophetica, & Euangelica docet scriptura, id est Michael, Gabriel, Raphael.

Excommunicandos esse eos qui libros famosos in Ecclesia legunt. Ex conc. Elibertino, ca. lij.

¶ CAPVT 251.

Si qui inuenti fuerint libros famosos & ignotos in Ecclesia legere vel cantare, excommunicentur.

De mulieribus quæ clam concipiunt. Ex Maticensi conc. ca. vi. ¶ CAP. 252.

In hoc sancto Concilio decretum est, vt vnusquisque Presbyter in sua plebe publicè annunciet, vt si aliqua fœmina clanculò corrupta conceperit, nequaquam filium aut filiã suam interficiat: sed quocunque pręualet ingenio anteianuas ecclesię partum deportari ibique poni faciat, vt coram sacerdote in crastinum delatus ab aliquo fideli suscipiatur, & enutriatur, & tali ex causa homicidij reatum, & quod maius est parricidium euadat. Nam qui filium aut filiam interficit, parricida omninò destinetur.

De infantibus in adulterio natis, & ad Ecclesiam expositis. Ex Arelatensi ij conc. cap. xxxij.

¶ CAP. 253.

Si expositus ante Ecclesiam, cuiuscunque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam: vt si is qui collectus est intra decem dies quęsitus, agnitus non fuerit, securus habeat qui collegit. Sanè qui post prędictum tempus calumniator extiterit, vt homicida ecclesiastica districtione damnabitur, sicut patrum sanxit authoritas.

De eadem re. Ex Vasensi concilio, cap. ix.

¶ CAP. 254.

De expositis quia collata ab omnibus querela processit, eos non iam misericordiæ sed canibus exponi, quos colligere calumniarum metu, quãuis inflexa præceptis misericordię mens humana detrectet, id obseruandum est, vt secundùm statuta fidelissimorum Augustorum, piissimorúmque principium quisquis expositum colligit, ecclesiam contestetur, contestationem colligat. Nihilominus de altario dominico die minister annunciet, vt Ecclesia sciat expositum esse collectum, vt intra dies decem, ab expositionis die expositum recipiat. Si quis se probauerit agnouisse, collectori pro ipsorum decem dierum misericordia prout maluerit ad pręsens tribuat, aut in perpetuum cum Dei gratia, si voluerit possideat. Si quis expositorum hoc ordine collectorum repetitor, vel calumniator extiterit, homicida habendus est.

Si sacerdotes oblationes fidelium, ab Ecclesia auferunt, & in suos vsus conuertunt. Ex concilio Toletano, cap. xxxij. Tol. 4.

¶ CAP. 255.

Auaricia radix est cunctorum malorum, cuius sitis etiam sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in amore Christi & martyrum, in Parochiis episcoporum Basilicas construunt, oblationes conscribunt: sacerdotes hæc auferunt, atque in vsus suos conuertunt. Inde est quòd cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia perdunt, inde basilicarum labentium ruinæ non reparantur, quia auaricia sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est à præsenti Concilio Episcopos ita diœceses suas regere, vt nihil ex earum iure præsumant auferre, sed iuxta priorum conciliorum authoritatẽ, tam de oblationibus quàm de decimis, & de tributis ac frugibus tertiam consequantur. Quod si amplius quippiam ab eis pręsumptum fuerit, per concilium restaurentur, appellantibus ipsis conditoribus, aut certè propinquis eorum, si iã illi à sæculo discesserunt. Nouerint autem conditores Basilicarum in rebus quas eisdem Basilicis conferunt, nullam potestatem habere, sed iuxta canonum instituta, sicut ecclesiam, ita dotem eius ad ordinationem Episcopi pertinere.

1. Timot. 6. — 16. q. 1. c. constitutum est. — 10. q. 1. c. nouerint.

De quodam à dæmonio vexato. Greg. Papa, c. xvi. lib. ij. dialog. ¶ CAP. 256.

Ex eodem quoque tempore quidam Aquinensis Ecclesiæ clericus dæmonio vexabatur, qui à venerabili viro Constantio eiusdem Ecclesiæ antistite per multa fuit martyrum loca transmissus, vt sanari potuisset. Sed sancti Dei martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere, vt quanta esset in Benedicto gratia demonstrarent. Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulũ Benedictum, qui Iesu Christo domino preces fudit, & antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit: cui sanato præcepit, dicens: Vade, & posthac carnem ne comedas, & ad sacrum ordinem nunquam accedere præsumas. Quacunque autem die sacrum ordinem temerare præ-

sumpseris, statim iuri diaboli iterum mancipaberis. Discessit itaque clericus sanus, ac sicut terrere solet animum pœna recens, ea quæ vir Dei præcepit interim custodiuit. Cùm ergo post annos plurimos omnes priores illius de hac luce migrassent, & minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei quasi ex longo tempore oblitus postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit. Quem mox is qui reliquit diabolus tenuit, eúmque vexare quousque animam eius excuteret, non cessauit.

De rebus ecclesiæ quæ mortuo Episcopo à Presbyteris vendita fuerint. Ex Ancyrano conc. ca. xiiij.

¶ Cap. 257.

De his quæ pertinent ad Ecclesiam, quæ cùm non adesset Episcopus, Presbyteri vendiderunt, placuit rescisso contractu ad iura Ecclesiastica reuocari. In iudicio autem erit Episcopi, si constitutum pretium debeat recipi, nec ne, quia sæpe contingit rerum distractarum reditus ampliore summa quàm accepto pretio reddi.

De eo qui spernit oblatam Presbyteri qui vxorem habuerit. Ex Gangrensi concilio, cap. iiij.

¶ Cap. 258.

Quicunque discernit à Presbytero qui vxorem habuerit, quia non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit.

Quòd non permittantur Ecclesiastici ad hæreticorum cœmiteria accedere. Ex Laodicensi concilio, cap. ix. ¶ Cap. 259.

Quòd non permittantur Ecclesiastici ad cœmiteria hæreticorum, vel ad ea quæ ab eis appellantur Martyria, orationis causâ vel sanationis accedere: sed huiusmodi si fideles fuerint, certo tempore communione priuari, pœnitentes autem & confitentes se deliquisse, conuenit suscipi.

Quòd non oporteat ab hæreticis eulogias accipere. Ex eod. cap. xxxij. ¶ Cap. 260.

1. q. 1. c. non oportet. Quòd non oportet ab hæreticis Eulogias accipere, quæ sunt maledictiones potius quàm benedictiones.

Quòd nullus Christianus ad pseudomartyres ire debeat. Ex eodem concilio, cap. xxxiiij.

¶ Cap. 261.

Quòd omnem Christianum non oporteat deserere Martyres Christi, & ire ad pseudomartyres, id est hæreticorum, & ipsos quos constat hæreticos extitisse, hi namque alienati sunt à Domino. Sint ergo anathema, qui ad tales accesserint.

Quòd non oporteat plebeios Psalmos in Ecclesia cantare. Ibid. ca. lix. ¶ Cap. 262.

Quòd nõ oporteat plebeios psalmos in Ecclesia cantare, nec libros præter canonem legi, sed sola sacra volumina noui testamẽti, vel veteris.

De illis, qui conuentus qui ad confessiones martyrum fiunt, abominantur. Ex Antiocheno concilio, cap. xx. ¶ Cap. 263.

Si quis superbiæ vsus affectu, conuentus abominatur qui ad confessiones martyrum celebrantur, & ministeria quæ in eis fiunt simul cum eorum memoriis execratur, anathema sit.

Vt energumenis in domo Dei sedentibus victus ab exorcistis administretur. Ex concilio Carthag. iiij. cap. xcij. Energumenis in domo Dei sedentibus, victus quotidianus per exorcistas oportuno tempore ministretur.

Vt sacra vasa non ab aliis quàm à sacris viris tractentur. Ex decretis Sixti Papæ.

¶ Cap. 264.

Cognoscat sapientia vestra, fratres charissimi, quia in hac sacra Apostolica sede à nobis & reliquis Episcopis, cæterísque domini sacerdotibus statutum est, vt sacra vasa, non ab aliis, quã à sacratis, dominóque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, vt sacra domini vasa, quæcunque sunt, humanis vsibus seruiant, vt non ab aliis quàm à domino seruientibus, eique dicatis tractentur viris: ne pro talibus præsumptionibus iratus dominus plagam imponat populo suo, & hi qui etiam non peccauerunt, mala patiantur, aut pereant, quia perit iustus sæpissimè pro impiis. Attendite ne talia in Ecclesiis vestris permittatis deinceps fieri, ne grex pretiosissimo sanguine Christi redemptus, in præcipitium, quod absit, ruat.

De sacris fœminis, quæ sacra vasa, & pallas altaris tractare præsumpserint. Ex Epistola Soteris Papæ. ¶ Cap. 265.

Sacratas Deo fœminas vel monachas sacra vasa, vel * sacras pallas penes vos contingere, & incensum ponere, & circa altaria deferre, perlatum est ad Apostolicam sedem. Quæ omnia reprehensione, & vituperatione plena esse nulli rectè sapientium dubiũ est. Quapropter per huius sanctę sedis authoritatem hæc omnia vobis resecare, funditus quantòcitius poteritis censemus & ne pestis hæc latiùs diuulgetur per omnes prouincias, abstergi citissimè mandamus. * sacratas dist. 23. c. Idem suprà p. 2. c. 72.

Quid faciendum sit de vasis sacris, de pallis altaris, & de velis Ecclesiæ, si vetustate consumpta fuerint. Ex epist. Clementis Papæ. Epist. 2.

¶ Cap. 266.

De vasis sanè sacris quid gerendum, quídue inde faciendum sit: altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate cõsumpta, incendio dentur: quoniam non licet ea quæ in sanctuario fuerint, malè tractari; sed incendio vniuersa tradantur: cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, vbi nullus transitus habeatur, aut in pariete aut in fossis pauimentorũ iactentur, ne ab introeũtium pedibus inquinentur. Pallas verò & velum quæ in sanctuario sordidata fuerint, Diaconi cum humilibus ministris intra sanctuarium lauent, non eiicientes foras à sanctuario velamina dominicæ mensæ, ne fortè puluis dominici corporis, malè decidat sindone foris delata, & erit hoc operanti peccatum. Idcirco in sacrario ministris præcipimus cum diligentia custodire. Pallæ verò in alia peluí lauentur, vela in alia. De cõs. dist. 1. c. altaris palla.

Quòd in oblatione corporis & sanguinis Domini incensum poni debeat. Ex Rothomagensi concilio, cap. ij. ¶ Cap. 267.

Vt tempore quo Euangelium legitur, finitóque offertorio, super oblatione incensum in

mortem videlicet Redemptoris nostri ponatur, decreuimus.

Vt quotiens Basilicam ad quam itur, præsentia nouæ plebis impleuerit, totiens sacrificium subsequens offeratur. Ex epist. Leonis ad Dioscorum Alexandrinum, cap. ij.

¶ CAP. 268.

Vt autem in omnibus obseruantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, vt cùm solennium festiuitas conuentum populi numerosioris indixerit, & ad eandem multitudo fidelium conuenerit, quam recipere Basilica vna non possit, sacrificium indubitanter iteretur, ne his tantùm admissis ad hanc deuotionem qui priùs aduenerint, videantur hi scilicet qui postmodum confluxerint, non recepti, cùm plenum pietatis atque orationis opus sit, vt quotiens Basilicam aliquam iterum præsentia nouæ plebis impleuerit, totiens sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem vt quædam populi pars sua deuotione priuetur, si vnius tantùm Missæ more seruato, sacrificium offerri non possit, nisi prima parte diei conueniant.

Vt nullus Presbyter titulum super titulum vsurpare præsumat. Ex Nannetensi concilio.

¶ CAP. 269.

Vt si quilibet presbyterorum defunctus fuerit, vicinus Presbyter apud seniorem sæcularem, nulla precatione vel aliquo xenio ecclesiam illam obtineat: quia titulus per se constans antè constitit: sed neque capellam, sine consultu Episcopi: quòd si fecerit definitam sententiam sibi prolatam suscipiat, sicuti de Episcopo canonica decreuit authoritas, vt si per ambitionem maiorem ciuitatem appetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat, quam vsurpare tentauit.

Quid faciendum sit de altaribus in quibus sancta reliquiæ non inueniuntur. Ex Affricano conc. cap. j.

¶ CAP. 270.

Altaria in quibus sacra corpora, vel reliquiæ martyrum non esse probantur, ab eiusdem loci Episcopo destruantur.

In altari quo missam Episcopus celebrauit, nulli Presbytero die illo celebrandum. Ex concilio Vrbico.

Ne in altari quo missam Episcopus cantauit, Presbyter eo die Missam celebrare præsumat.

Vt Episcopus vel Presbyter postquàm missam inceperit & orationem dixerit, nisi paßio aliqua interueniat, antequam ministerium adimpleat ab altario Dei nullo modo discedat. Zacharias Papa, cap. ix.

¶ CAP. 271.

Vt Episcopus aut Presbyter, dum ingressus fuerit ad Missarum solennia celebranda, nisi passio aliqua interuenerit, nullo modo audeat data oratione discedere, vt ab alio Episcopo aut à Presbytero suppleantur missarum solennia, sed qui initium sumpsit, suppleat vsque ad finem, quia scriptum est, Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Si quis verò præsumpserit præter quod posuimus agere, , à sacro corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi sit suspensus.

Vt nullus Episcopus vel Presbyter ad celebranda missarum solennia cum baculo ire, aut velato capite altari Dei aßistere præsumat. Ex decretis eiusdem, cap. xiij.

¶ CAP. 272.

Vt nullus Episcopus, Presbyter, aut diaconus ad celebranda Missarum solennia pręsumat cum baculo introire, aut velato capite altario Dei assistere, quoniam & Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia, & si temerè pręsumpserit, excommunicetur. *de consecr. dist. 1. c. nullus.* *1. Cor. 11.*

Ne corpora Sanctorum transferantur de loco ad locum. Ex concilio i. Magontiensi, cap. li.

¶ CAP. 273.

Deinceps verò Corpora sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat, sine consilio Principis, vel Episcoporum, sanctæque synodi licentia.

Quos mortuos in Ecclesia sepelire liceat. Ex eodem, cap. lij. ¶ CAP. 274.

Nullus mortuus infra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi aut Abbates aut digni Presbyteri, vel fideles laici.

Quòd omnes fideles in Ecclesia nihil agere debeant nisi orare. Ex iij. Turonensi concilio, ca. xxxviij.

¶ CAP. 275.

Sacerdotes debent fideles admonere, vt quando ad Ecclesiam conueniunt, sine strepitu ac tumultu eam ingrediantur: in qua etiam quamdiu orationis causâ morantur, nequaquam inter se proferant inanes confabulationes, sed tempore quo Missarum solennia celebrantur, non solùm ab otiosis & inutilibus verbis, verumetiam & à pernitiosis cogitationibus funditus abstinendum est.

Quòd Diuina clementia fixis in terra genibus exoranda sit, nisi in maioribus solennitatibus. Ex eodem cap. xxxvii.

¶ CAP. 276.

Sciẽdum est quòd exceptis diebus Dominicis, & illis solennitatibus, quibus sancta & vniuersalis Ecclesia ob recordationem dominicæ Resurrectionis solet stando orare, fixis in terra genibus suppliciter clementiam nobis profuturã, nostrorúmque criminum indulgentiam deposcendum est. Cuius rei in Euangelio ipse dominus nobis dedit exemplum. Sed Stephanum martyrẽ, & Apostolum Paulum eadem fecisse, liber actuum Apostolorum testis est. Ex quibus intelligi datur, oportere Christianum humiliter ad terram prosterni, ne fortè illi dicatur, Quid superbis terra & cinis. *Matth 26. Acto. 7. & 20.* *Ecclesi. 10.*

Quòd non liceat mortuis osculum dare. Ex conc. Agathensi, cap. ij. ¶ CAP. 277.

Non liceat mortuis osculum dare, nec palliis quæ sacrificiis super altare ponuntur, corpora eorum inuoluere, vel super feretrum ponere.

Vbi fideles sepeliri debeant. Ex conc Triburiensi, cap. xv. ¶ CAP. 278.

Restat propter instantem, quæ nunc maxima

occurrit, necessitatem, vbicunque facultas reru, & oportunitas temporum suppetat, sepulturam morientium apud Ecclesiam vbi Episcopi sedes est, celebrari. Si autem propter itineris longinquitatem aut adiacentem alicuius inoportunitatis difficultatem impossibile videatur, expectet eum terra sepulturæ suæ, quo Canonicorum aut monachorum siue sanctimonialium congregatio sancta communiter degat, vt eorum orationibus iudici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quòd si & hoc ineptum & difficile æstimetur vbi decimam persoluebat viuus, sepeliatur mortuus.

Vt sacerdotes ad tempus orationi vacent, antequam sacrificent. Ex decretis Innocentij papæ, cap. xxxvi. ¶ CAP. 279.

1. Cor. 6. Paulus ad Corinthios scribit dicens: Abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi. Et si hoc laicis præcipit, multò magis Sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi iuge sacrificium est, semper debent ab huiusmodi consortio abstinere. Qui contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore, vel sacrificare forsitan vsurpabit, aut qua conscientia, quóue merito exaudiri se credit, cùm dictum sit, omnia
Ad Tit 1. munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum.

De Ecclesiis Monachorum. Ex concilio Confluentiæ habito, cui interfuit Henricus & Carolus reges, cap. vi. ¶ CAP. 280.

Hocque statutum est, quatenus ecclesiæ quorumcunque monachorum, in singulis Parochiis suorum Episcoporum, vt decet diuinitus subdantur regimini, eísque debita obsequia in exercendis ecclesiasticæ curæ negotiis sollicitè exhibeant, ipsi proculdubio Monachi Episcopis suis in omnibus obediant.

De laicis qui proprias Ecclesias habent. Ex eod. conc. cap. v. ¶ CAP. 281.

Si laici Capellas proprias habuerint, à ratione & authoritate alienum habeatur, vt ipsi decimas accipiant, & inde canes aut genitarias suas pascant: sed potius Presbyteri ecclesiarum eas accipiant, & inde restaurationem exhibeant, & pro sancta ecclesia, ac pro statu regni, Dei misericordiam studiosè implorent.

De vasculis quibus sacra mysteria conficiuntur. Ex Triburiensi conc. cap. xviij. cui interfuit rex Arnulphus. ¶ CAP. 282.

De cons. dist. Vasa quibus sacrosancta cóficiuntur mysteria calices sunt & patenæ. De quibus Bonifacius martyr & episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis sacraméta conficere, respondit. Quondá sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur, nunc è cótrario lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus. Zepherinus sextusdecimus Romanus episcopus patenis vitreis Missas celebrari constituit. Tunc deinde Vrbanus octauus decimus Papa omnia ministeria sacra fecit argétea. In hoc enim sicut in reliquis cultibus magis ac magis per incrementum temporum decus succreuit ecclesiarum. Nostris enim temporibus qui serui patris familias sumus, ne decus matris ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur, & amplificetur, statuimus vt deinceps nullus Sacerdos sacrum mysterium corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi in ligneis vasculis vllo modo conficere presumat, ne vnde placari debet, inde irascatur Deus. [..] vasa in quibus.

De Ecclesia à pluribus hæredibus possessa. Ex eod. conc. c. xxxij. ¶ CAP. 283.

Quæcunque ecclesia à compluribus coheredibus sit possessa, concordi vnanimitate vndique procuretur, ne propter aliquas disceptationes seruitium Dei minuatur, & cura populi irreligiosè agatur. Si verò contingat pro ea comparticipes dissidere, & sub nullo Presbytero eam procurare, & propterea iurgia, & contentiones, tam inter ipsos, quàm inter clericos incipiant frequentare: quia iuxta Apostolum, seruos Dei non oportet litigare. Episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura honorificè collocet eas, atque eiusdem Ecclesiæ claudat ostia, & sub sigillo consignet ea, & sacrum mysterium nullus celebret in ea, antequam concordi vnanimitate, vnum omnes eligant Presbyterum, qui idoneus sit sacrosanctum locum procurare, & populo Dei vtiliter præesse. 2 Timot. 2.

Vt hi qui suæ proprietatis loca alicubi dare voluerint, cognoscant decimam nusquam se tradere posse. Ex concilio apud Confluentiam, cap. vij.

¶ CAPVT 284.

Si quis vero laicus vel clericus, seu vtriusque sexus persona proprietatis suæ loca, vel res alicubi donare delegauerit, decimationum prouentum priori Ecclesiæ legitimè signatum; inde abstrahere nullam habeat potestatem. Quod si facere tentauerit, talis traditio irrita prorsus ducatur, & ipse ad emendationem ecclesiasticâ coërceatur censurâ.



D IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI;

DECRETI PARS QVARTA:

DE OBSERVANDIS FESTIVITATIBVS & Ieiunijs legitimis. De Scripturis Canonicis, & Consuetudinibus, & celebratione Concilij.

QVOMODO INTELLIGENDVM SIT QVOD APOSTOLVS AIT: Dies obseruatis & menses, & tempora, & annos, timeo ne sine causa laborauerim in vobis. Ambrosius, in expositione Epistolæ ad Galatas, in cap. iiij.

¶ CAPVT PRIMVM.

Galat. 4. IES obseruatis, & menses, & tempora, & annos I. Dies ergo obseruant, qui dicunt, vt puta, crastino proficiscendum non est, post crastinum enim non debet aliquid inchoari, & sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses, qui cursus perscrutantur lunæ dicentes, vt puta, septimâ lunâ instrumenta confici non debent: nonâ iterum lunâ, vt puta emptum seruum domum duci non oportet: & per hæc faciliùs solent aduersa prouenire. Tempora verò sic obseruant cùm dicunt: hodie veris initium est, festiuitas est, post cras Vulcanalia sunt. Posterum est, domum egredi non licet. Annos sic colunt cùm dicunt, Calendis Ianuariis nouus est annus, quasi non quotidie anni impleantur. Sed vt Iani illius memoriam recolant bifrontis, hac superstitione vtuntur, quæ longè debet esse à seruis Dei. Si enim Deus ex toto corde diligitur, ipso propitio nulla debet esse formido, neque suspicio harum rerum. Prosperè enim potest cedere, quicquid simpliciter sub Dei deuotione fit.

Ad inquisitiones Ianuarij lib. 2. c. 15. *Quòd Pascha, & quadragesima à veteri lege trahunt authoritatem, & quomodo Pascha nunc celebrandum. Beatus Augustinus in libro resp. ad Ianuarium.* ¶ CAP. 2.

Exod. 12. In scripturis quidem veteribus ad agendum Pascha non est præceptum tempus, nisi ex mense nouorum, Lunâ xiiij. vsque ad vigesimam primam. Ex Euangelio tamen quia manifestum est, quo etiam die Dominus crucifixus sit, & in sepultura fuerit, & resurrexerit, adiuncta est etiam ipsorum dierum obseruatio, per patrum concilia, & orbi vniuerso Christiano persuasum, eo modo Pascha celebrari oportere. *Ioan. 19.* Quadragesima ieiuniorum habet authoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio Moysi & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans euangelium non dissentire à lege, & Prophetis. *Math. 4.* In persona quippe Moysi lex, in persona Heliæ Prophetæ accipiuntur, inter quos in monte gloriosus apparuit, vt euidentius emineret, quod de illo dicit Apostolus, testimonium habens à lege & Prophetis. *Exod. 34. 3. Reg. 19. Matth. 17. Rom. 3.* In qua ergo parte anni congruentiùs obseruatio quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua dominicæ passioni? Quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, vt ab ipsius mundi amicitia ieiunetur, quæ vtique fallaciter blandiri, & illecebrarum fucos circumspargere atque iacere non cessat.

Pius I. *Quòd Pascha dominica die celebrandum sit. Pius nonus à Petro Papa omnibus Ecclesiis in primo decretalium suorum.* ¶ CAP. 3.

de consec dist 3. c nosse vos vol. Nosse vos volumus, quòd Pascha domini die

dominico annuis temporibus sit celebrandum. Istis ergo tēporibus, Hermes doctor fidei & scripturæ effulsit inter nos: licet nos eodem prædicto die celebraremus, & quidā inde dubitarent: ad corroborandas tamen animas eorum eidem Hermæ Angelus domini in habitu pastoris apparuit, & præcepit ei vt Pascha die dominico ab omnibus celebraretur tempore suo. Vnde & vos Apostolica authoritate instruimus omnes eadem die seruare debere, quia & nos eadem seruamus, nec debetis à capite quoquomodo dissidere.

De eodem. Victor xiij. à Petro papa, Theophilo Episcopo & fratribus Alexandriæ positis, in primo decretali suo.

¶ Cap. 4.

de cons. dist. 3. c. celebritatem. Celebritatem sanctæ Paschæ die dominico agi debere, & prædecessores nostri iam statuerunt, & vos illud eadem die celebrare solenniter mandamus, quia non decet vt membra à capite discrepent, nec contrà gerant.

De solennitate Inuentionis sanctæ crucis. Eusebius papa, cap. iiij. ¶ Cap. 5.

Epist 3.

de cons. dist. 3. c crucis. Crucis Domini nostri Iesu Christi, quæ nuper nobis gubernacula sanctæ Romanæ ecclesiæ tenentibus, quinto Nonas Maij inuenta est, in prædicto Calendarum die Inuentionis festum vobis solenniter celebrare mandamus.

De non prohibendo opere in sabbato. Gregor. Gratia Dei Episcopus dilectissimis suis ciuibus Romæ, lib. xi. registri epist. iij.

¶ Cap. 6.

de cons dist. 3 c. peruenit. Peruenit ad me quosdam peruersi spiritus homines praua inter vos aliqua & sanctæ fidei cōtraria seminasse, ita vt die sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi Antichristi prædicatores dixerimus, qui veniens diem sabbatum atque dominicum ab omni faciet opere custodiri? Quia enim mori se & resurgere simulat, haberi vult in veneratione dominicum diem. Et quia populum iudaizare compellet, vt exteriorem ritum legis reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat, coli vult sabbatum. Aliud quoque ad me perlatum est, vobis à peruersis hominibus esse prædicatum, vt dominicorum die nullus debeat lauari. Et quidem si pro luxu animi, & pro voluptate quis lauari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus: Si autem pro necessitate corporis, hoc nec dominico die prohibemus.

De his qui in Dominico die studiosè ieiunant. Ex concilio Carthaginensi iiij. cap. lxiiij.

¶ Cap. 7.

26. q. 7. c sacerdos. Qui Dominico die studiosè ieiunat, non credatur Catholicus.

De his qui Ecclesiā prætermissā ad spectacula pergunt. Ibidem cap. lxxxviij.

¶ Capvt 8.

de cons dist. 1. c. qui die solem. Qui die solenni, prætermisso ecclesiæ conuentu ad spectacula vadit, excommunicetur.

Vt solennitates maiores in ciuitatibus celebrentur. Ex concilio Agathensi, cap. xxi.

¶ Cap. 9.

Si quis etiam extra Parochias in quibus legitimus est ordinariúsque conuentus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festiuitatibus, vt ibi missas teneat propter fatigationem familiæ, iuxta ordinem permittimus. Pascha verò, Natalem domini, Epiphaniam domini, Ascensionem, Pentecosten, & natiuitatem sancti Ioannis baptistę, & si qui maximi dies in festiuitatibus habentur, non nisi in ciuitatibus, aut in Parochiis teneant. Clerici verò si qui in his festiuitatibus, quas suprà diximus, in oratoriis, (nisi iubente aut permittente Episcopo) facere aut tenere voluerint, à communione pellantur. *De cōs. dist. 1 c. Si quis.*

De laicis qui solennitatibus maioribus ad ciuitatem non occurrunt. Ex eodem conc. ca. lxiij.

¶ Cap. 10.

Vt ciues qui superiorum solennitatum, id est Paschæ, aut natalis domini vel Pentecostes festiuitatibus, cum Episcopis interesse neglexerint, in quibus ciuitatibus positos se accipiendæ communionis, vel benedictionis desiderio nouerint: qui hoc facere neglexerint, triennio à communione priuentur Ecclesiæ.

Vt letaniæ ante Ascensionem domini celebrentur. Ex concilio Aurelianensi j. cap. xxix.

¶ Cap. 11.

Rogationes, id est letanias, ante Ascensionem domini placuit celebrari; ita vt post missam triduanum ieiunium in dominicæ Ascensionis solennitate soluatur, per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs vniuersa conueniat, quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur. *de cons. dist. 3. c. rogationes.*

Vt nullus ciuium Festiuitates maiores in villa celebret. Ex eodem cap. xxvij.

¶ Cap. 12.

Vt nulli ciuium Paschæ, natalis Domini, vel quinquagesimæ solennitatem in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probatur tenuisse. Irreligiosa consuetudo est quam vulgus per sanctorum solennitates agere consueuit. Populi qui debent officia diuina attendere, saltationibus turpibus inuigilant, cantica non solùm mala canentes, sed & religiosorum officiis perstrepentes. Hæc etenim vt ab omni Hispania depellantur, sacerdotum & iudicum à concilio sancto curæ committitur. *de cons. dist. 3. c. nulli ciuium.*

De Dominica die. Ex statutis Patrum.

¶ Cap. 13.

Die autem Dominica nihil aliud agendum est, nisi Deo vacādum: nulla operatio in die illa sancta comperiatur, nisi tantùm hymnis, & psalmis & canticis spiritualibus dies illa transeatur.

Vt presbyteri plebibus annuncient dies qui feriandi sunt. Ex Lugdunensi concilio, cap. iij.

¶ Cap. 14.

Pronunciandum est, vt sciant tempore feriandi *de cons. dis.*

3. c. pronunciandum. per annnum, id est omnem Dominicam à vespera vsque ad vesperam, ne iudaismo capiantur. Feriandi verò per annum isti sunt dies: Natale domini, sancti Stephani, sancti Ioannis Euangelistę, Innocentium, sancti Syluestri, Octauæ domini, & Theophania, Purificatio sanctæ Marię, sanctum Pascha cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus, Ascensio domini, sancti dies Pentecostes, sancti Ioannis baptistæ, duodecim Apostolorum, maximè sanctorum Petri & Pauli, qui mundum sua prædicatione illuminauerunt, sancti Laurentij, Assumptio sanctæ Mariæ, Natiuitas eiusdem, Dedicatio Basilicæ sancti Archangeli Michaelis, Dedicatio cuiuscunque oratorij, & omnium sanctorum, & sancti Martini & illę festiuitates, quas singuli Episcopi in suis episcopatibus cum populo collaudauerint, quæ vicinis tamen circum morantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquæ verò festiuitates per annum non sunt cogendæ ad feriandum, nec prohibendæ. Indictum verò ieiunium quando fuerit denunciatum, ab omnibus obseruetur.

Vt Presbyteri cùm festiuitates annunciant, etiam ieiuniorum & vigiliarum non obliuiscantur. Ex concilio apud Compendium, cap. i.

¶ CAP. 15.

Item Presbyteri cùm Festiuitates sacras populo annunciant, etiam ieiunium vigiliarum vbi esse debeat, eos omnimodò seruare moneant.

De obseruatione Dominicæ diei, & quòd mercatus nec placitum in ea sit tenendum. Ex concilio Magunt. i. c. xxxvij.

¶ CAP. 16.

Omnes dies dominicos à vespera in vesperam omni veneratione & obseruatione decreuimus obseruare, & ab illicito opere abstinere, & vt mercatus minimè in eis sit, nec placitum vbi aliquis ad mortem vel pœnam iudicetur, nec sacramenta iurentur, nisi pro pace facienda.

Item de eadem re. Ex concilio apud sanctum Medardum præsente Carolo Imperatore ca. v.

¶ CAP. 17.

Statuimus quoque, secundùm quod in lege Dominus mandauit, vt opera seruilia diebus dominicis non agantur, sicut genitor meus in suis Synodalibus edictis mandauit, quòd nec viri ruralia exerceant, nec in vinea colenda, nec in campis arando, vel metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, vel in syluis stirpando, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec ad placita conueniant, nec mercatus fiat, nec venationes exerceantur.

Vt in diebus dominicis, & in diebus Pentecostes stantes oremus. Ex Niceno concilio i. ca. xx.

¶ CAP. 18.

de cons. dist. 3. c. quoniam sunt. Quoniam sunt in die dominica quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus Pentecostes, propterea est vtique constitutum à sancta Synodo, quoniam consona & conueniens per omnes ecclesias custodienda consuetudo est, vt stantes ad orationem Domino vota reddamus.

Vt vno die, & tempore Pascha vbique celebretur. Ex Arelatensi i. concilio, cap. i.

¶ CAP. 19.

De obseruatione Paschæ domini, vt vno die & tempore per omnem orbem obseruetur, & iuxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas. de cons. dist. 3. c. de obseru.

Quæ opera dominica die liceat fieri. Ex concilio apud Compendium, cap. vi.

¶ CAP. 20.

Tria carraria opera licet fieri in dominica die, id est hostilicidia, carra, victualia, vel angaria, & si fortè necesse sit, corpus cuiuslibet duci ad sepulchrum.

Item de obseruatione dominicæ diei. Ex eod. conc. cap. vii.

¶ CAP. 21.

Fœminæ opera textrilia non faciant in die Dominico, non capulent vestimenta, vestitus non consuant, nec lanam carpant: non licet linum battere, aut vestimenta lauare: nec verueces tondere, vt omnibus modis honor & requies die dominica persoluatur, sed ad missarum solennia vbique conueniant, & laudent Dominum pro omnibus bonis quæ nobis in illa die conferre dignatus est.

Item. Ex eodem concilio, cap. viij.

¶ CAP. 22.

Vt nullus episcoporum vel presbyterorum, vel clericorum die Dominica propositum cuiuscunque causæ negotium audeat vindicare, nisi hoc tantùm, vt Deo statuta solennia peragantur.

Nihil interesse quantum ciborum vel potus homo sumat, sed considerandum esse qua auiditate sumat, qua etiam facilitate, & serenitate animi vt si necesse sit his careat. Augustinus ex libro quæstionum euangelicarum.

¶ CAP. 23.

Quod Dominus dicit in euangelio, iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis: ostendit filios sapientiæ intelligere nec in abstinendo, nec in manducando esse iustitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & temperantiam: per abundantiam non se corrumpendi atque opportunè sumendi, vel non sumendi ea quorum non vsus sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omninò quid alimentorum sumas, vt succurras necessitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum his cũ quibus tibi viuendum est, neq; quantum sumas multùm interest, cùm videamus aliorum stomachum citiùs saturari, & eos tamen illi ipsi paruo quo satiantur ardenter & intolerabiliter, & omninò turpiter inhiare: alios autem plusculo quidem satiari, sed tolerabiliter inopiam perpeti, & vel ante horam positas epulas, si id in tempore aut opus sit, aut necesse sit, cum tranquillitate aspicere, neque tangere. Magis ergo interest, non quid, vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque personę suæ, & pro suæ valetudinis necessitate quis capiat, sed quanta facilitate & serenitate animi careat, cũ his vel oportet, vel etiam necesse est carere, vt illud Matt. 11.

Philip. 4. illud in animo Christiani compleatur quod Apostolus dicit: Scio & minus habere, scio & abundare, vbique & in omnibus imbutus sum & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat.

Vt vnusquisque cibo & potu non superstitiosè, sed temperanter vtatur, & metas consuetudinis bonorum inter quos conuersatur, non excedat. Ex libro de doctrina Christiana. lib. iij. cap xij. ¶ Cap. 24.

Quisquis autem rebus prætereuntibus restrictius vtitur, quàm sese habent mores eorum cum quibus viuit, aut temperans, aut superstitiosus est. Quisquis verò sic eis vtitur, vt metas consuetudinis bonorum inter quos versatur excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non vsus rerum, sed Postpauca. libido vtentis in culpa est. Quid ergo locis & temporibus personísque conueniat diligenter attendendum est, ne temerè flagitia reprehendamus. Fieri enim potest vt sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens vtatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum inardescat, & sanius quis-Lucæ 24. Gene. 25. que maluerit more Domini pisce vesci, quàm lenticula more Esau nepotis Abraham, aut hordeo more iumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ quòd vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus huiusmodi rebus, non ex earum rerum natura quibus vtimur, sed ex causa vtendi, & modo appetendi, vel probandum est vel improbandum, quod facimus.

Vt clerici septem hebdomadas ante pascha à carne, & aliis delicijs abstineant. Telesphorus vij. à Petro in primo decreto suo omnibus Episcopis.

¶ Cap. 25.

dist. 4 c statuimus. Cognoscite à nobis, & cunctis Episcopis in hac sancta & Apostolica sede congregatis statutum esse, vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici in sorte Domini vocati à carne ieiunent: quia sicut discreta debet esse vita clericorum à laicorum conuersatione, ita & in ieiunio fieri debet discretio. Has ergo septem hebdomadas omnes Clerici à carne, & deliciis ieiunent, & hymnis & vigiliis atque orationibus Domino inhærere die noctúque studeant.

De ieiunio quatuor temporum. Calixtus papa, & martyr xv. à Petro, Benedicto fratri suo & coepiscopo salutem.

¶ Cap. 26.

dist. 76. c ieiunium. Ieiunium quod ter in anno apud nos celebrari didicisti, conuenientiùs nunc per quatuor tempora fieri decernimus: vt sicut annus per quatuor voluitur tempora, sic & nos quaternum solenne agamus ieiuninm, per quatuor anni tempora.

Dominica die non esse ieiunandum. Melchiades Papa xxviij à Petro in primo decreto suo Episcopis Hispaniarum. Cap. 3.

¶ Capvt 27.

de cons dist. 3. c. ieiunium dominicæ. Ieiunium dominicæ diei, & quintæ feriæ nemo debet celebrare, vt inter ieiunium Christianorum & gentilium, & veraciter credentium & infidelium atque hæreticorum vera & non falsa discretio habeatur.

Quod ritè omni sabbato ieiunetur. Innocentius i. Decentio Eugubino Episcopo, cap. iiij.

¶ Cap. 28.

Sabbato verò ieiunandum esse ratio euidentissima demonstrat. Nam si diem dominicum, ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, non solùm in Pascha celebramus, verùm etiam per singulos circulos hebdomadarum, ipsius diei imaginem frequentamus, ac sicut sextâ feriâ propter passionem domini ieiunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quia inter tristitiam, & lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam vtique constat Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse. Quod vtique non dubiũ est in tantum eos ieiunasse biduo memorato, vt traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari. Quæ vtique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio illius diei semper est celebranda. Quòd si putant semel atque vno sabbato ieiunandum, ergo & dominicâ & sextâ feriâ semel in pascha erit vtique celebrandum. De cons dist 3 c sabbato. Ioan. 20.

De Quadragesima. Gregorius Augustino Anglorum Episcopo. ¶ Cap. 29.

Denique sacerdotes, & diaconi, & reliqui omnes quos dignitas ecclesiastici gradus exornat, à quinquagesima propositum ieiunandi suscipiãt, quò & aliquid ad pensum sanctæ institutionis adiiciant, & eorum qui in laicali ordine consistunt obseruantiam, sicut loco ita & religione præcellant. De ipsa verò dominica die hæsitamus quidnam dicendum sit, cùm omnes laici & sæculares illa die plus solito cæteris diebus accuratiùs cibos carnium appetant, & nisi noua quadam auiditate vsque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se huius sancti temporis obseruationem suscipere putant. Quod vtique non rationi sed voluptati, immo cuidam cæcitati mentis ascribendum est. Vnde nec à tali consuetudine auerti possunt, & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne fortè peiores existant, si à tali consuetudine prohibeantur. Vt enim ait Salomon: Qui multum emungit, elicit sanguinem. *Et post pauca.* Par autem est, vt qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementiuã carnis trahunt originem, ieiunemus, à lacte videlicet, caseo, & ouis. *Et post pauca.* Cæterum piscium esus ita Christiano relinquitur, vt hic ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Dúmque à carne abstinet, nequaquam sibi sumptuosiora marinarum beluarum conuiuia paret. Vinum verò ita bibere permittimur, vt ebrietatem per omnia fugiamus. Alioquin restat, vt omnia quæ corpori libent similiter faciamus. dist. 4. c Denique sacerdotes. Prouer. 30.

De his qui carnem manducantes damnant. Ex Gangrensi concilio, cap. ij.

¶ Cap. 30.

Si quis carnem manducantem ex fide cum religione præter sanguinem, & idolis immolatum, & suffocatum, crediderit condemnandum, tanquam spem non habentem, quòd eas manducat, anathema sit. dist 30 c. si quis carnem

De temporibus ieiuniorum. Ex Eliberitano concilio, cap. xxiij. ¶ Cap. 31.

Ieiunia seu abstinentias per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium, Iulio & Augusto, & hoc ob eorundem infirmitatem.

Apud Palladium in eius vita.

Ieiunia, quarta & sexta feria nisi ex magna necessitate non esse soluenda. Ex dictis sancti Apollonij. ¶ Cap. 32.

De consf. dist. 3. ieiunia sanè.

Ieiunia verò legitima, id est quarta & sexta feria, non sunt soluenda, nisi grandis aliqua necessitas fuerit, quia quartâ feriâ Iudas de traditione Domini cogitauit, & sexta feriâ crucifixus est Saluator. Videbitur ergo qui in his diebus sine aliqua necessitate soluerit statuta ieiunia, vel cum tradente tradere saluatorem, vel cum crucifigentibus crucifigere.

De custodiendo ieiunio. Ex concilio apud Salegonstath habito, c. ij. ¶ Cap. 33.

De incerto autem ieiunio quatuor temporum, hanc certitudinem statuimus, vt si Calendis Martij in quarta feria siue antea euenerit, eadem hebdomada celebretur. Sin autem Calendæ Martij in sexta feria, aut in quinta fuerint, aut in sabbato distenduntur, in sequentem hebdomadam ieiunium differatur. Simili quoque modo si Calendæ Iunij in quarta feria aut antea euenerint, in subsequente hebdomada celebretur ieiunium. Et si in quinta, aut sexta feria, vel sabbato contigerit, ieiunium in tertiã hebdomadam reseruetur. Et hoc sciendum est, quòd si quando ieiunium mensis Iunij in vigilia Pentecostes secundùm prædictam regulam euenerit, non ibi celebrandum erit: sed in ipsa hebdomada solenni Pentecostes, quia vigiliam similiter & ieiunium celebrare non conuenit: & tũc propter solennitatem Spiritus sancti Diacones dalmaticis induantur, & Alleluia cantetur, & flectamus genua non dicatur. Eodem modo de Septembris ieiunio constitutum est, vt si Calendæ Septembris in quarta feria euenerint aut anteà, ieiunium in tertia hebdomada celebretur, & si in quinta, aut in sexta feria, aut Sabbato contigerit, in quarta hebdomada ieiunandum erit. In Decembri verò illud obseruandum erit, vt proximo sabbato ante vigiliam natalis domini celebretur ieiunium, quia si vigilia in sabbato euenerit, simul vigiliam & ieiunium celebrare non conuenit.

De obseruatione Quadragesimæ. Ex epistola Gregorij Papæ, lib. quadraginta homiliarum, homil. xvi. ¶ Cap. 34.

de consf. dist. 5. c. quadragesima.

Quadragesima summa obseruatione est obseruanda, vt ieiunium in ea præter dies dominicos qui de abstinentia substracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus soluatur, quia ipsi dies decimę sunt anni. A prima igitur dominica quadragesimæ, vsque in Pascha Domini sex hebdomadæ computantur: quarum videlicet dies quadraginta duo. Ex quibus dum sex dominici dies substrahuntur abstinentiæ, non plus in abstinentia quàm triginta & sex dies remanent. Verbi gratia. Si per trecentos sexaginta quinque dies annus dicitur, & nos per triginta sex dies affligimur, quasi anni decimas Deo damus: & vt sacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem Saluator noster suo sacro ieiunio consecrauit, quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum quadraginta dierum tolluntur, id est quarta feria, quæ caput ieiunij subnotatur, quinta feria sequens & sexta, & sabbatum. Nisi quatuor istos dies superioribus triginta & sex adiunxerimus quadraginta dies in abstinentia non habemus. Iubemur etiam ab omnipotente Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare. Quapropter vt omnis decima à nobis Deo ritè persoluatur, tollamus decimam anni, & in ea peccata nostra confitendo, corrigendo nos, ieiunando, vigilando, orando, eleemosynas dando, abstergamus, & carnem nostram decimemus, vt ad sanctum Pascha securi peruenire possimus.

De quatuor temporum ieiunio. Ex Mogont. concilio i. cap. xxxiiii. ¶ Cap. 35.

Constituimus vt quatuor tempora anni ab omnibus hominibus cum ieiunio obseruentur, id est in Martio hebdomada prima, in Iunio secunda, in Septembri tertia, in Decembri quarta, quæ fuerit plena ante vigiliam natalis domini: id est quartâ, & sextâ feriâ, & sabbato, veniant omnes ad Ecclesiam horâ nonâ, cum letaniis ad missarum solennia.

Quo tempore ad missam pronunciandum sit Flectamus genua. Ex Aurelianensi concilio, cap. xiii. ¶ Cap. 36.

Vt Presbyteri plebibus annuncient, quòd in quadragesima, & in ieiunio quatuor temporum tantummodò ad missarum solennia genua flectere debeant. In dominicis contrà diebus, vel cæteris festis à vespera vsque ad vesperam non flectant genua, sed stantes incuruati orent: nec quisquam vno genu solo tenus impresso, orare præsumat, (sicut Iudæi irridentes dominum in passione eius fecisse leguntur,) sed vtraque genua in terram ponat. Ait enim Apostolus, Flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi.

dist. 30. c. placuit. &c. si quis presbyter.

Eph. 3.

De illis qui indictum contempserint Ieiunium. Ex concilio Magontiensi i. cap. xxxv.

¶ Cap. 37.

Si quis indictum ieiunium superbiendo contempserit, & obseruare cum cæteris Christianis noluerit, in Gangrensi Concilio præcipitur, vt anathematizetur.

De eadem re. Ex concilio Gangrensi, cap. xix.

¶ Cap. 38.

Si quis eorum qui continentiæ student, absque necessitate corporea, tradita in commune ieiunia, & ab ecclesia constituta, superbiendo dissoluit, stimulo suæ cogitationis impulsus, Anathema sit.

dist. 30. c. si quis.

De Letania maiore quomodo celebranda sit. Ex concilio Magont. cap. xxxiii.

¶ Cap. 39.

Placuit nobis vt Letania maior, obseruanda sit à cunctis Christianis vnò die, septimo Calendarum Maij, sicut in Romana Ecclesia constitu-

tum reperimus,& sicut sancti patres nostri instituerunt,non equitando, non pretiosis vestibus induti, sed cinere aspersi & cilicio induti,nisi infirmitas impedierit.

De ieiunio rogationum. Ex Aurelianensi concilio, cap. vi. ¶ Cap. 40.

Eadem Burchard. l. 13. c. 7. Quum exigentibus peccatis Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec illius flagelli aliquod remedium inuenire possent, congregati traduntur Galliarum Episcopi apud Viennam vrbem, atque in commune statuerunt,vt triduanum ieiunium facerent.Cúmque dominus pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per Galliarum prouincias ante Ascensionis domini diem celebrarentur. Agamus & nos hos dies cum summa reuerentia & deuotione, cum abstinentia carnis & humilitate mentis & cordis, vt non solùm visibilium luporum rabiem euadamus,sed vt inuisibilium, id est spirituum immundorum tentamenta vincere valeamus. Nullus autem his diebus vestimentis pretiosis induatur, quia in sacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates & comessationes,quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præsumat, sed discalciatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ choros ducant, sed omnes in commune Kyrie eleison decantent, & cum contritione cordis Dei misericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peste, pro conseruatione frugum, & pro cæteris necessitatibus: dies enim sunt abstinentiæ non lætitiæ.

Vt in Cœna domini, & in reliquis quadragesimæ diebus. ieiunium non soluatur. Ex Laodicensi concilio, cap. l.

¶ Cap. 41.

Quòd non oporteat in Quadragesima in vltima septimana quintæ feriæ ieiunium soluere, totámque quadragesimam sine veneratione transire, magisque omnem districto venerari ieiunio.

Vt in sabbato sancto,ieiunium ante noctis initium non soluatur. Ex Arausico concilio, cap. ij.

¶ Cap. 42.

Idem habetur l. 7. capitularis regum c. 328. Vt in sabbato sancto, hoc est, in vigilia Paschæ, ieiunium ante noctis initium, nisi à paruulis aut infirmis non soluatur. Parasceue, & sabbatum ad illos quadraginta dies respiciunt, nec diuina mysteria his duobus diebus celebrentur. In canonibus quippe iubetur, biduo isto, id est Parasceue & Sabbato, sacramenta penitus non celebrari.

Quòd non oporteat in Quadragesima natalitia sanctorum celebrari. Ex Laodicensi concilio, cap. li. ¶ Cap. 43.

33. q. 4. c. non licet. Quòd non oportet in Quadragesima natalitia martyrum celebrari,sed eorum sancta commemoratio in diebus sabbatorum & dominicorum fieri conueniat.

Quòd in diebus ieiunij eleemosyna sit facienda. Ex Cabilonensi concilio, cap v.

¶ Cap. 44.

Diebus vero ieiunij eleemosyna facienda est, & cibum siue potum quo quisque vti debuit, si ieiunauerit, pauperibus eroget, quia ieiunare, & cibos prandij ad cœnam reseruare, non mercedis sed ciborum est incrementum.

Vt in quadragesima tempus prandij obseruetur. Ex eodem concilio Cabilonensi, cap. v.

¶ Cap. 45.

Solent plures qui se ieiunare putant in quadragesima mox vt signum audierint, ad horam nonam manducare. Qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si antè manducauerint, quàm vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad missam, & auditis missarum solennibus & vespertinis officiis, largitis eleemosynis ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, vt ad missam venire non valeat, æstimata vespertina hora, completa oratione sua, ieiunium soluat. De cõs. dist. 1. c solent.

Quòd in diebus ieiuniorum nulla iurgia esse debeant. Ex concilio Liberij Papæ, cap. iiij.

¶ Cap. 46.

In his ieiuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus, & opere necessario persistendum. Arguit eos qui contentiones & lites Quadragesimæ tempore faciunt, & qui debita à debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens: Ecce in die ieiunij vestri inueniuntur voluntates vestræ, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Esaiæ 58.

Vt in sacris Quadragesimæ diebus coniugati à coniugio se abstineant. Ex eodem, cap. v.

¶ Cap. 47.

Abstinendùm est enim sacratissimis Quadragesimæ diebus à coniugibus, & castè & piè viuendo in sanctificato corde & corpore isti dies transigantur, & sic perueniatur ad diem sanctum Paschæ: quia penè nihil valet ieiunium, quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ & eleemosynę non commendant.

Vt clerici qui à carnibus abstinent, non eas quasi abominabiles reputent. Ex Ancyranô concilio. cap. xiij. ¶ Cap. 48.

Si qui in clero sunt Presbyteri aut diaconi, & à carnibus abstinent, placuit eas quidem contingere, & ita si voluerint abstinere. Quòd si in tantum eas abominantur, vt nec olera, quæ cùm eis coquuntur existiment comedenda, tanquam non consentientes regulæ, ab ordine cessare debent.

Vt ieiunia à sacerdotibus constituta non facilè soluantur. Ex decretis Eusebij Papæ, ca. iij.

¶ Cap. 49.

Vt in Ecclesia à sacerdotibus ieiunia constituta, sine necessitate rationabili non soluantur. de cons. dist. 5 c ieiunia.

De hoc, si euenerit pestilentia vel inaequalitas aëris. Ibidem cap. ij.

Ex decreto Liberij Papae

¶ CAP. 50.

Si euenerit fames, aut pestilentia, aut inaequalitas aëris, vel alia qualiscunque tribulatio, statim ieiuniis & eleemosynis, & obsecrationibus misericordia domini deprecetur.

Vt nullus in die Dominico pro abstinentia ieiunet. Ex Gangrensi concilio, cap. xiij.

¶ CAPVT 51.

dist. 30. c. si quis tanquã

Si quis propter continentiam quae putatur, aut propter contumaciam in die dominica ieiunat, anathema sit.

De eadem re. Ex Turonico concilio, cap. lvij.

¶ CAP. 52.

dist. 30. c. si quis Presbyter.

Si quis propter publicam poenitentiam à sacerdote acceptam, aut pro aliqua necessitate die dominica velut pro quadam religione ieiunauerit, sicut Manichaei, anathema sit.

Vt placita saecularia in diebus Dominicis & aliis praecipuis festiuitatibus non fiant. Ex concilio apud Erphord habito, iussu Henrici regis, cap. ij. ¶ CAP. 53.

15. q. 4. cap. placita.

Placita saecularia Dominicis diebus, vel aliis praecipuis festis, seu etiam in his diebus in quibus legitima ieiunia celebrantur, secundũ canonicã constitutionẽ minimè fieri decreuimus. Insuper sancta Synodus decreuit, vt nulla iudiciaria potestas licentiam habeat sua authoritate Christianos ad placitum bannire in supradictis diebus, id est, septem dies ante natale Domini, vsque in octauas Epiphaniae, & à quinquagesima vsque in octauam Paschae, & septem dies ante natalem sancti Ioannis Baptistae, quatenus eundi ad Ecclesiam, orationibúsque vacandi liberiùs habeatur facultas.

Quòd ieiunia à sacerdotibus constituta, absque ciborum luxuria obseruari debeant. August. sermone lxv. ¶ CAP. 54.

de cons. dist. 5. c. nõ dico.

Non dico hebdomadas, non duplicata, non multiplicata ieiunia, sed saltem singulos dies absque ciborum luxuria transigamus.

Vt quotidianum ieiunium non sit sine aliqua refectione. Ex dictis Pimenij heremitae.) Leguntur haec in epist. Hieron. ad Eustochium de custodia virginitatis. ¶ CAP. 55.

*quid de cons. dist. 5. c. sint tibi quotidiana.

Sint tibi quotidiana ieiunia & refectio satietatem fugiens. * Nihil enim prodest tibi biduo vel triduo transmisso vacuum portare ventrem, si pariter obruatur? si compensantur saturitate ieiunia? Illico mens repleta torpescit, & irrigata terra corporis huius spinas & carduos germinat.

De eadem re. Hieronym. ad Nepotia de vita clericorum. ¶ CAP. 56.

Sint tibi ieiunia pura, continuata, & moderata, id est quotidie esurire, & quotidie prandere.

Quòd ieiunium curet vulnera relinquentis. Ex eodem loco. ¶ CAP. 57.

Noli, inquit Apostolus, adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter infirmitates tuas. Curat enim vulnera delinquentis, curatósque sanctificat ieiunium. 1. Timot. 5.

De quodam Alcibiade, qui sibi graue ieiunij iugum imposuerat, & admonitus est à Domino, quòd non rectè faceret. Eusebius ecclesiasticae historiae libro v. cap. iij.

¶ CAP. 58.

Alcibiades quidam erat ex numero eorum, * qui pro Christo vincti * tenebantur. Hic vitam satis arduam & austeram gerebat, nihil ciborum volens accipere, sed tantùm pane & sale cum aqua vtebatur. Cùm vitae hunc rigorem vellet etiam in carcere positus obtinere, Attalo cuidam seruo Dei reuelatum est, quia non rectè faceret Alcibiades creaturis Dei, & vellet aliis formam scandali derelinquere. Quibus cognitis Alcibiades, coepit omnia cum gratiarum actione percipere, quia quae illi reuelabat spiritus vt doceret, huic vt sequeretur idem spiritus persuadebat. *sunt

Ne aliquis sibi sub obtentu religionis sine iussu Episcopi sui vel Presbyteri ieiunium imponat. Ex concilio apud Erphord, cui interfuit Henricus Rex.

¶ CAP. 59.

Vt nemo nisi consentiente Episcopo proprio, aut eius misso, ieiunia sub obtentu religionis sibi imponat, vnum prae aliis diem excipiendo, omninò interdicimus, quod & factum displicet, & in futurum fieri prohibemus, quia plus causa ariolandi esse dinoscitur, quàm supplementum Catholicae legis.

Vt nullus Christianus dum sancta loca, pro reuerentia petierit, alicuius publicae potestatis banno ibidem constringatur. Ex eodem concilio. ¶ CAP. 60.

Praecipimus namque vt nullus Christianus pro reuerentia Ecclesiam petendo, alicuius publicae potestatis banno ibidem constringatur: ne fortè dum ad Ecclesiam causâ orationis properat, per bannum impediatur pro salute animae suae Domini misericordiam minus deuotè postulare.

De ordine librorum veteris testamenti. ¶ CAP. 61.

Gelasius Papa in concilio Romae habito cum 70. Episcopis.

Genesis, lib. 1.	Iudicum,		Iob,
Exodi, lib. 1.	Regum,	4.	Tobiae,
Leuitici, lib. 1, &c.	Ruth,		Esdrae,
Numeri,	Paralipomenon	2.	Hester,
Deuteronomij,	Psalmorum, CL.		Iudith,
Iesu naue,	Salomonis,	3.	Machabeorum,

¶ *De ordine Prophetarum.*

Esaiæ,	Oseæ,	Naum,
Hieremiæ, cum Cinoth, id est Lamentationibus suis,	Iohel,	Abacuc,
	Amos,	Sophoniæ,
	Abdiæ,	Aggei,
Ezechielis,	Ionæ,	Zachariæ,
Danielis,	Micheæ,	Malachiæ.

De ordine librorum noui testamenti quos sancta Romana Ecclesia tenet, & vniuersalis Ecclesia obseruat. ¶ CAP. 62.

¶ *Euangeliorum libri quatuor.*

Secundum Matthæum,	Secundum Lucam,	Actus Apostolorum.
Secundum Marcum,	Secundum Ioannem.	

¶ *Epistolæ Pauli numero quatuordecim.*

Ad Romanos,	Ad Philippenses,	Ad Titum,
Ad Corinthios, 2.	Ad Colossenses,	Ad Philemonem,
Ad Galatas,	Ad Thessalonicenses 2.	Ad Hebræos,
Ad Ephesios,	Ad Timotheum 2.	Apocalypsis Ioannis.

¶ *Ordo septem epistolarum Canonicarum.*

Petri Apostoli Epistolæ,	2.	Ioannis Apostoli Epistolæ	3.
Iacobi Apostoli epistola,	1.	Iudæ Zelotis epistola	1.

Quando & quo tempore libri veteris nouique testamenti legendi sint. ¶ CAP. 63.

* pentat. *dist. 15. c. sancta.* In septuagesima ponunt * heptateuchum, vsq; in quindecim dies ante Pascha. Quintadecima die ante Pascha ponunt Hieremiam vsque in cœnam Domini. In cœna domini legunt tres lectiones de lamentatione Hieremiæ, Quomodo sedet sola ciuitas, &c. & tres de tractatu sancti Augustini in Psalmum 54. Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris: & tres de Apostolo, vbi ait ad Corinthios, Conuenientibus vobis in vnum. Secunda lectio sic incipit: Similiter & calicem postquam cœnauit. Tertia, De spiritualibus autem, nolumus vos ignorare fratres. In Parasceue, tres lectiones de lamentationibus Hieremię: & tres de tractatu sancti Augustini in Psalmum lxiij. Exaudi Deus orationem meã, cum deprecor: & tres de apostolo, vbi ait in Epistola ad Hebræos: Festinemus ingredi in illam requiem, &c. Secunda, Omnis namque pontifex. Tertia, De quo grandis nobis sermo est. In sabbato sancto tres lectiones de lamentatione Hieremiæ: & tres de tractatu S. August. in eundem Psalmum lxiij: & tres de apostolo vbi ait, in epist. ad Heb. Christus assistens pontifex, &c. Secunda lectio vbi ait, Testamentum enim, &c. Tertia: Vmbram enim habens lex futurorum bonorum. In Pascha domini homilias ad ipsum diem pertinentes. Infra hebdomadam, homilias. In octaua Paschæ ponunt Actus Apostolorum, & epistolas canonicas, & Apocalypsin, vsque in octauas Pentecostes. In octaua Pentecostes ponunt lib. Regum, & Paralipomenon, vsque in Calendas Augusti. In dominica prima Augusti ponunt Salomonem, vsque in Calendas Septembris: Ex tunc ponunt Iob, Tobiam, Iudith, Hester. Esdram, vsque in Calendas Octobris. In dominica prima mensis Octobris, ponunt Machabæorum libros vsque in Calendas Nouembris. In dominica prima mensis Nouembris ponunt Ezechiel, Daniel, & minores Prophetas vsque in Calendas Decembris. In dominica prima mensis Decembris ponunt Esaiam prophetam, vsque in Natiuitatem domini. In vigilia natalis domini, legunt primùm de Esaia tres lectiones. Prima lectio: Primo tempore alleuiata est, & cætera. Secunda, Consolamini. Tertia, Consurge, consurge. Deinde leguntur sermones vel homiliæ ad ipsum diem pertinentes. In natali S. Stephani, homilia de ipso die. In natali sancti Ioannis similiter. In natali innocentum similiter. In natali sancti Syluestri similiter. In octaua domini, homilia de ipso die. In dominica prima post natiuitatem domini, ponunt epistolas Pauli vsque in septuagesimam. In Epiphania lectiones tres de Esaia. Prima lectio sic incipit: Omnes sitientes. Secunda, Surge illuminare. Tertia, Gaudens gaudebo; deinde leguntur sermones vel homilię ad ipsum diem pertinentes.

[Margin: *Thre. 1.* — *1. Cor. 11.* — *Lucæ 22.* — *1. Corinth. 10* — *Thre. 2. et 3.* — *Heb. 4.* — *Thre. 3. & 4.* — *Heb. 9.*]

De libris autenticis quos recipit ecclesia præter illos qui in canone sunt. Ex decretis Gelasii Papæ de libris autenticis, & apocryphis.

¶ CAP. 64.

Sancta Romana Ecclesia post illas veteris vel noui testamenti quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas. Sanctam Synodum Nicænam CCC. & XVIII. patrum, mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arrius hæreticus damnatus est. Sanctam Synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hęreticus debitam damnationem excepit. Sanctam Synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est consensu beatissimi papæ Cœlestini, mediante Cyrillo Alexandrinæ ciuitatis Episcopo, & Arcadio Episcopo ab Italia destinato. Sanctam synodum Chalcedonensem mediante Martiano Augusto & Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana & Eutychiana hæresis, simul cum Dioscoro, eiúsque complicibus damnatæ sunt. Sed & si qua sunt concilia à sanctis Patribus hactenus instituta, præter istorum quatuor authoritatem, & custodienda & recipienda decreuimus. *dist. 15. cap. sancta Romana.*

Iam nunc subijciendum de opusculis sanctorũ patrum, quæ in ecclesia catholica recipiuntur.

Opuscula beati Cypriani martyris, & Carthaginensis Episcopi.

Item opuscula Beati Gregorij Nazianzeni Episcopi.

Item opuscula beati Athanasij Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Basilij Cappadoceni episcopi.

Item opuscula beati Ioannis Constantinopolitani episcopi.

Item opuscula Theophili Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Cyrilli Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati Hilarij Pictauiensis episcopi.

Item opuscula beati Ambrosij Mediolanensis episcopi.

Item opuscula beati Augustini Hipponensis episcopi.

Item opuscula beati Hieronymi Presbyteri.

Item opuscula beati Prosperi, viri religiosissimi.

Item epistola Leonis Papæ ad Flauianum Constantinopolitanum episcopum destinata: cuius textũ quispiam si vsque ad vnum iota disputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.

Item opuscula atque tractatus omnium Patrum orthodoxorum qui in nullo à sanctæ Romanæ Ecclesię consortio deuiarunt, nec ab eius *fideli prædicatione seiuncti sunt: sed ipsius communionis per gratiam Dei vsque ad vltimum diem vitę suę fuêre participes, legendos decernimus.

*fidé vel pręd.

Item decretales epistolas quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Romana pro diuersorum patrum * consolatione dederunt, venerabiliter suscipiendas.

*consultatione

Item gesta sanctorum Martyrum quę multiplicibus tormentorum cruciatibus,& mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis *ita esse catholicorum dubitet,& maiora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia & adiutorio vniuersa tolerasse? Sed ideò secundùm antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum qui scripsere nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut *dictis superflua, aut minus apta quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur: sicut cuiusdam *Cyrici & Iulitæ, sicut Georgij, aliorúmque huiusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur conscriptæ: propter quod vt dictũ est, ne vel leuis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cũ prædicta ecclesia omnes martyres, & eorum gloriosos agones, qui Deo magis quàm hominibus noti sunt, omni deuotione veneramur. Item vitas patrum, Pauli, Antonij, Hilarionis,& omnium Heremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus. Item actus beati Syluestri Apostolicæ sedis pręsulis, licet eius qui scripsit nomen ignoremus, à multis tamen in vrbe Romana catholicis legi cognouimus,& pro antiquo vsu multæ hoc imitantur Ecclesię. Item scriptura de inuẽtione Crucis dominicæ: & alia scriptura de inuentione capitis beatis Ioannis baptistæ nouellæ quidem reuelationes sunt, & nonnulli eas catholici legunt. Sed cùm hęc ad catholicorum manus aduenerint, beati apostoli Pauli sententia præcedat: Omnia probate, quod bonum est tenete. Item Ruffinus vir religiosus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas autẽ scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronymus in aliquibus eum de arbitrij libertate notauit, illa sentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus, & non solùm de Ruffino, sed etiam de vniuersis quos vir sæpius memoratus zelo Dei & fidei religione reprehẽdit. Item Origenis nonulla opuscula quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum authore suo dicimus esse renuenda. Itẽ Chronica Eusebij Cæsariensis, atque eiusdem historiæ ecclesiasticæ libros, quamuis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & pòst in laudibus atque excusatione Origenis schismatici vnum conscripserit librum. Propter rerum tamen singularem notitiam, qui ad instructionem pertinent, vsquequaque non dicimus renendos. Item, Orosium virum eruditissimum collaudamus, quis valdè nobis necessariam aduersus paganorum calumnias ordinauit historiam, mirâque breuitate contexuit. Item venerabilis viri Sedulij Paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude proferimus. Item, Iuuenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur. Cæterum quæ ab hæreticis conscripta vel prædicta sunt, nullatenus recipit catholica & Apostolica Ecclesia Romana. E quibus pauca quæ ad memoriam venerunt, & à catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.

*ista

*idiotis

*Quirici

1. Thess 5.

De notitia librorum Apocryphorum, qui à sanctis patribus damnati sunt æterna damnatione.

¶ CAP. 65.

In primis Ariminensem Synodum à Constantio Cæsare Constantini filio congregatam, mediante Tauro præfecto extunc & nunc & vsque in æternum cõfitemur esse damnatam. Item itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis, libri *octo apocryphum. Actus nomine Andreæ Apostoli apocryphi. Actus nomine Thomæ Apostoli apocryphi. Actus autem nomine Petri apostoli, apocryphi. Actus nomine Philippi apostoli apocryphi. Euangelium nomine Thaddæi, apocryphum. Euangelium nomine Barnabæ, apocryphum. Euangeliam Thomæ apostoli quo Manichęi vtuntur, apocryphum. Euangelium nomine Bartholomæi apostoli, apocryphum. Euangelium nomine Andreę apostoli, apocryphum. Euangelia quæ falsauit Lucianus, apocrypha. Euangelia quæ falsauit *Ysius, apocrypha. Liber de infantia saluatoris, apocryphus. Liber de natiuitate saluatoris, & de sancta Maria, & de obstetrice saluatoris, apocryphus. Liber qui appellatur Pastoris apocryphus. Libri omnes quos fecit Leutius discipulus diaboli, apocryphi. Liber qui appellatur fundamentum, apocryphus. Liber qui appellatur thesaurus, apocryphus. Liber qui appellatur de filiabus Adæ vel Genesis, apocryphus. Centimetrum de Christo Virgilianis compaginatum versibus, apocryphum. Liber qui appellatur Actus Theclæ & Pauli Apostoli, apocryphus. Liber qui appellatur Nepotis, apocryphus. Liber prouerbiorum ab hæreticis conscriptus, & sancti Sixti nomine signatus, apocryphus. Reuelatio quę appellatur Pauli, apocrypha. Reuelatio quę appellatur Thomę apostoli, apocrypha. Reuelatio quæ appellatur Stephani, apocrypha. Liber qui vocatur *transitus S. Marię, apocryphus. Liber qui appellatur pœnitentia Adę, apocryphus. Liber sumptio,

dist. 15. cap sancta.

* Decem

* Esitius vel Hesychius

* trans. Id est assumptio

*Diogeniæ, nomine Gigantis, qui post diluuiũ cum dracone ab hæreticis pugnasse perhibetur, apocryphus. Liber qui appellatur Testamentum Iob, apocryphus. Liber qui appellatur pœnitentia Origenis, apocryphus. Liber qui appellatur pœnitentia sancti Cypriani, apocryphus. Liber qui appellatur pœnitentia Iamnis & Mambre apocryphus. Liber qui appellatur sortes Apostolorum, apocryphus. Liber *Lusam, apocryphus. Liber Canonum apostolorum, apocryphus. Liber Physiologus ab hæreticis conscriptus, & beati Ambrosij nomine præsignatus, apocryphus. Historia Eusebij Pãphili apocrypha. Opuscula *Tertulliani siue Africani apocrypha. Opuscula Postumiani & Galli apocrypha. Opuscula Montani, Priscillæ, & Maximillæ, apocrypha. Omnia opuscula Fausti Manichæi apocrypha. *Opuscula alterius Clementis Alexandrini, apocrypha. *Opuscula Cassiani Presbyteri Galliarum, apocrypha. Opuscula Victorini Pictauiensis apocrypha. Opuscula Fausti Regiensis Galliarum apocrypha. Opuscula *Frumentij apocrypha. Epistola Iesu ad Abagarum regem apocrypha. *Passio Cirici & Iulitæ apocrypha. Passio Georgij apocrypha. Scripta quæ appellantur Salomonis contradictio, apocrypha. Phylacteria omnia, quæ non ab Angelo, vt illi confingunt, sed magis à dæmone conscripta sunt, apocrypha. Hæc omnia & his simila quę Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus, & Bonosus, & qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cũ suis obscænissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus siue Manichęus, Faustus, *Sabellius, Arrius, Macedonius, Eunomius, Nouatus, Sabbatius, *Calistus, Donatus, Eustathius, Iouinianus, Pelagius, Iulianus *& Latiensis, Cœlestinus, Maximianus, Priscillianus ab Hispania, *Lampedius, Dioscorus, Eutyches, Petrus, & alius Petrus, è quibus vnus Alexandriam, alius Antiochiam maculauit. Acacius Constantinopolitanus cum suis consortibus, necnon & omnes hæreses, quas ipsi eorúmque discipuli, siue schismatici docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minimè retinemus, non solùm repudiata, verùmetiam ab omni Romana Ecclesia eliminata, atque cum suis authoribus authorúmque sequacibus, sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

*Ogiæ
*qui appellatur laus Apostolorum
*Tertulliani apocrypha. Opuscula lactantij apocrypha. Opuscula Africani apocrypha.
*opuscula Commodiani apocr.
*Opuscula Tatij Cypriani apocr. Opuscula Arnobij apocr. Opuscula Ticonij apocr.
*frumenti cæci.
*Epistola Abagari ad Iesum apocr.
*Africanus,
*al. Cœlestius
*Iul. Celanensis
*nestorius Constãtinopolitanus, Maximus, Vnicus.

Consuetudinem seruandam esse, quæ non est contra fidem Catholicam. Ex epistola Pij Papæ.

¶ CAP. 66.

Pius I. decret. 7. Dist. 11. c. consuetudinem.

Petistis enim per Hilarium cartularium nostrum à beatæ memorię decessore nostro, vt omnes vobis retrò temporum consuetudines seruarentur, quas beati Petri Apostolorum principis ordinatione intus hactenus vetustas longa seruauit. Et nos quidem iuxta seriem relationis nostræ consuetudinem laudamus, quæ tamen fidem catholicã nihil vsurpare dignoscitur.

Vt Ecclesiastica statuta ab Apostolis & apostolicis magistris ecclesiæ tradita, integra seruentur, & nullus secundum quòd sibi visum fuerit, sed secundum antiquam traditionem ea teneat. Ex decretis Innocentij papæ, epist. i.

Innoc. I.

¶ CAP. 67.

Innocentius Decentio episcopo Eugubino salutem. Si instituta ecclesiastica, vt sunt à beatis apostolis tradita, integra vellent seruare Domini sacerdotes, nulla diuersitas, nulla varietas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur. Sed dum vnusquisque non quod traditum est, sed quod ipsi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diuersa in diuersis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut Ecclesiis non conuenire, aut ab apostolis vel ab apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat aut non aduertat, id quod à principe apostolorum Petro Romanę ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut authoritatem non habeat, aut aliũde accipere videatur exemplũ? præsertim cùm sit manifestum in omnem Italiã, Gallias, Africam, atque Siciliam, insulasque interiacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut eius successores constituerunt sacerdotes? aut legant si in his prouinciis alius Apostolorum inuenitur aut legitur docuisse? Quod si non legunt quia nusquam inueniũt, oportet eos sequi quæ ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videãtur omittere. Sępe dilectionem tuam ad vrbem venisse, ac nobiscum in ecclesiam conuenisse, & quem morem vel in consecrãdis mysteriis, vel in cęteris agendis arcanis teneat cognouisse non dubium est. Quod sufficere arbitrarer ad informationem Ecclesiæ tuæ, vel reformationem, si quod prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerint satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisses. Quibus idcircò respondimus, non quòd te aliqua ignorare credamus, sed vt maiori authoritate vel tuos instituas, vel eos qui à Romanę Ecclesię institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, vt scire valeamus, qui sint qui aut nouitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ quàm Romanę existimant consuetudinem esse seruandam.

dist. 11. c. quis enim nesciat.

Quòd consuetudines Ecclesiasticæ pro lege sint tenendæ. Augustinus epist. lxxxvi. ad Casulanum Presbyterum.

¶ CAP. 68.

In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt: & sicut præuaricatores legum diuinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coërcendi sunt.

dist 11. c. in his rebus.

Item de obseruandis constitutionibus Ecclesiasticis, Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. xxvij.

¶ CAP. 69.

Ecclesiasticarum institutionum quasdam scripturis, quasdam verò Apostolica traditione per successiones in mysterio, traditas recepimus: quædam verò consuetudine roborata approbauit vsus. Quibus par ritus, & idem vtrisque pietatis debetur affectus, vnde quis vel aliquantulum sacrarum expertus scriptũrarum hæsitauerit? Si enim attentauerimus consuetudines Ecclesię, non per scripturas à patribus traditas ni-

dist. 11. c. ecclesiasticarũ.

hil æstimare, quantum religio detrimenti latura sit, dispicientibus liquidò constabit. Quæ enim, vt inde ordiamur, scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri? Quæ vel trifariam digesta super calicem & panem prolixæ orationis, vel etiam consecrationis verba commendauit? Nam non modò quod in Euangelio continetur, vel ab apostolo insertum est, in secretis dicimus, sed & alia perplura adijcimus, magnam quasi vim commendantia mysteriis. Quæ orientem versus nos orare literarum forma docuit? Benedicimus fontem baptismatis oleo vnctionis: huc accedit quòd ter. immergimus, quos baptizamus, oleo vngimus, verbis abrenunciare Sathanæ & Angelis eius informamus. Vnde hæc, & alia in hunc modum non pauca, nisi tacita ac mystica traditione à patribus ecclesiastico more reuerentiori diligentia sunt in ministeriis obseruata silentio, quàm publicata scripto?

Ad quos recurrendum, cùm sacræ scripturæ authoritas non occurrit. Ex decretis Innocentij Papæ, cap. xvij.

¶ CAPVT 70.

dist. 10. c. de quibus. De quibus causis nulla soluendi ligandique authoritas in libris veteris testamenti, quatuor euangeliorum, cum scriptis totis Apostolorum appareat, ad diuina recurre scripta Græca. Si nec in illis, ad Catholicæ Ecclesiæ historias catholicas à doctoribus catholicis scriptas manū mitte. Si nec in illis, Canones apostolicæ sedis intuere. Si nec in illis, sanctorum exempla perspicaciter recordare. Quòd si his omnibus inspectis, huius quæstionis qualitas non lucidè inuestigatur, seniores prouinciæ congrega, & eos interroga. Facilius namque inuenitur, quod à pluribus senioribus quæritur. Verus etiam re- *Matth. 18.* promissor Dominus ait: Si duo ex vobis, vel tres conueniunt super terram in nomine meo, de omni re quamcuuque petierint, fiet illis à patre meo.

Quæ in canone inueniuntur firmiter tenenda, quæ verò in aliorum scriptis reperiuntur, diligenter esse consideranda. Augustinus in Prologo lib. iij. de trinitate.

¶ CAP. 71.

dist. 9. c. noli meis. Noli meis literis, quasi scripturis canonicis deseruire, sed in illis, & quod non credebas, quum inueneris incunctanter crede: In istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmè tenere.

Quorum Patrum scripta magis sint autentica. Leo quartus episcopis Britanniæ.

¶ CAP. 72.

dist. 20. c. de libellis. De libellis & commentariis aliorum non cōuenit aliquos iudicare, & sanctorum conciliorū canones relinquere, vel decretalium regulas, id est, quæ habentur apud nos simul cum canone, in illis quibus in omnibus ecclesiasticis vtimur iudiciis, id est, Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Carthaginensium, Africanensium, Laodicensium, Chalcedonensium, Sardicensium, & cum illis regulæ Romanorum Pontificum, Syluestri, Syricij, Innocentij, Zosimi, Cœlestini, Leonis, Gelasij, Hilarij, Symmachi, Simplicij, Hormisdæ, & Gregorij iunioris. Isti omninò sunt & per quos iudicant Episcopi, & per quos episcopi simul & clerici iudicantur. Nam si tale emerserit, vel contigerit inuisitatum negotium, quod minimè possit per istos finiri, tunc si illorū, quorum meministis, dicta Hieronymi, Augustini, Isidori, vel cæterorum similiter sanctorum doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda, vel ad apostolicam sedem referatur de talibus. Quam ob causam luculentiùs & magna voce pronunciare non timeo, quia qui illa quæ diximus sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos Canones prætitulantur, siue sit episcopus, siue clericus, siue laicus, non indifferenter receperit, ipse conuincitur nec catholicam & apostolicam fidem, nec sancta vera Christi Euangelia quatuor vtiliter & efficaciter, & ad * effectum suum retinere vel credere. ** profectum*

Augustinus dicit multa esse in opusculis suis, quæ culpari possunt. August. ad Vincentium Victorem, lib. ij. *L. 4 de anima & eius origine c. 1.*

¶ CAP. 73.

Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari. *Dist. 9. c. negare.*

Scriptores canonicarum scripturarum, & si non intelligantur, non tamen eos errasse credendum esse: alij verò scriptores si authoritate vel ratione probauerint, quæ dicunt notanda esse. Augustinus epist. xix. ad Hieronymum.

¶ CAP. 74.

Ego solis eis scriptorum qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, vt nullum eorum scribendo errasse aliquid firmissimè credam. Aut si in eis aliquid offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm mendosum codicem esse, vel non esse assecutum interpretem quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrináque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabiles rationes, quod à vero nōn abhorreat, persuadere potuerunt. *Dist. 9. c. ego solis.*

Quòd ea quæ priuilegijs vniuersalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione subsistant. Gelasius de vinculo Anathematis.

¶ CAP. 75.

Ne fortè, quod solent, hoc dicant. Quòd si Synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant quę illic videntur esse deprompta. Aut enim ex toto admitti oportere, aut si ex parte repudiabilis est, firmam ex toto constare non posse cognoscant: igitur quoniam illud secundùm scripturas sanctas traditionémque maiorum, secundùm canones regulásque ecclesiæ pro fidei communione, & veritate catholica, & apostolica, pro qua hanc fieri sedes apostolica delegauit, factámque firmauit, à tota ecclesia indubitanter admitti: alia autem quæ per incōpetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potius ventilata, quæ sedes apostolica gerenda * delegauit, mox à vicariis sedis apostolicæ cō- ** fortè deneg.* tradicta manifestum est, quæ sedes apostolica etiam petente Martiano principe nullatenus approbauit. Quæ pręsul ecclesiæ Constantinopolitanæ tunc Anatolius, nec se pręsumpsisse

professus est,& in apostolicæ sedis antistitis nō negauit posita potestate. Quæ ideò, sicut dictum est, sedes apostolica non recipit, quia quæ priuilegiis vniuersalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione * subsistunt. Quid enim, quia in libris sanctis quos vtique veneramur, & sequimur, quoniam quorum dam illic & prophanitates esse feruntur; & scelera gesta narrantur, & idèo nobis pariter aut veneranda sunt aut sequenda, quia in illis sanctis libris & venerabilibus continentur?

* sustinet

Constantinopolitanam synodum eam quæ contra Photium facta est non esse recipiendam. Ioannes viij. Patriarchæ Photino.

¶ CAP. 76.

Illam quæ contra Photium facta est Constantinopoli synodum irritam facimus & omninò deleuimus, tum propter alia, tum quoniam Adrianus Papa non subscripsit in ea.

De eodem. Ioannes Papa Apocrisarijs suis.

¶ CAP. 77.

Dicetis quòd illas synodos quæ contra Photium sub Adriano Papa Romæ vel Constantinopoli sunt factæ, cassamus, & de numero sanctarum synodorum delemus.

Quo tempore sexta synodus facta sit. In prologo historiæ Anastasii bibliothecarij Romanæ Ecclesiæ.

¶ CAP. 78.

Frustrà garriunt quidam dicentes post quatuor annos fuisse factas sextæ synodi capitulares, quæ diffamatæ sunt, formas. Item, ex ipsa chronica annotatione patenter apparet, quod collectio à sancta vniuersali sexta synodo vsque ad deditas formas anni viginti & septem sint.

Sergium papam propter quædam capitula extra ritum Ecclesiasticum annexa, non subscripsisse synodo, quam Iustinianus Imperator in regia vrbe collegerat. Ex libro Pontificali.

¶ CAP. 79.

Sergij Papæ temporibus Iustinianus imperator, concilium in vrbe Regia fieri iussit, in quo & legati sedis Apostolicæ conuenerunt, & decepti subscripserunt. Compellebat autem & ipsum subscribere, sed nullatenus acquieuit pro eo quod quędam capitula extra ritum ecclesiasticum fuerant in eis annexa. Quæ quasi synodaliter diffinita, & in septima synodo conscripta, ac à tribus patriarchis, id est Constantinopolitano, Alexandrino, & Antiocheno, vel cæteris pręsulibus qui in tempore conuenerant subscripta, manu imperiali confirmata, missis in locello quod * cribro carnaliter vocatur, in hac Romana vrbe ad confirmandum, vel in superiori loco subcribendum, Sergio Pontifici, vtpote capiti omniū sacerdotū direxit: qui beatissimus Pontifex (vt dictum est) penitus eidem Iustiniano Augusto non acquieuit, nec eosdem tomos suscipere aut lectioni pandere passus est: porrò eos vt inualidos respuit & reiecit, eligens antè mori quàm nouitatum erroribus consentire. *Item*, sub Ioanne vij. pro tomis quos antea sub domino Sergio Apostolicæ sedis Pontifice Romano Iustinianus Augustus direxerat, in quibus capitula diuersa Romanæ ecclesiæ contraria scripta, duos metropolitas episcopos demandauit, dirigens per eos & sacram, per quam

* crebro alias scebro.

denominatum Pontificem coniurauit ac adhortatus est, vt Apostolicæ Ecclesiæ concilium congregaret, & quæ ei visa essent stabiliret, & quæque aduersa renuendo cassaret.

Quòd Sardicense concilium Arrianorum fuerit. Augustinus contra Cresconium grammaticum libro tertio.

¶ CAP. 80.

Disce quod nescis, Sardicense concilium Arrianorum fuit. *Item libro quarto.* Sardicense concilium Arrianorum fuit.

Historiam Sozomeni ab apostolica sede recusari. Fulgentius Alexandrino & Anastasio Antiocheno Episcopis.

¶ CAP. 81.

In historia Sozomeni de quodam Eudoxio, qui constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur. Sed ipsam quoque historiam sedes apostolica suscipere recusat, quando multa mentitur, & Theodorum inconsuetè nimiùm laudat, atque vsque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ perhibet. Restat ergo vt si quis illam historiam recipit, synodo quæ piæ memoriæ Iustiniani temporibus de tribus capitulis facta est, contradicat. Qui verò huic contradicere non valet, illam historiam necesse est vt repellat.

Scripta Eusebij de temporum historia suscipienda. Augustinus de doctrina Christianorum libro ij. cap. xxxix.

¶ CAPVT. 82.

Quod Eusebius fecit de temporum historia, propter diuinorum librorum quæstiones quæ vsum eius flagitant, suscipimus.

De quodam rege Edissenæ ciuitatis. Responsiones Adriani Papæ contra obiectiones quorundam ad Agarum. cap. xviij.

¶ CAP. 83.

Prædecessor noster sanctæ recordationis dominus Stephanus Papa quondam sanctissimus, in supradicto Concilio præsidens, inter plurima veridica testimonia per semetipsum asserens docuit ita. Sed nec illud est prætereundum, quòd relatione fidelium de partibus orientis aduenientium sæpè agnouimus: in quibus licet Euangelium sileat, tamen nequaquam in omnibus incredibile fidei meritum, & hoc affirmante ipo Euangelio: Multa quidem & alia signa fecit Iesus, quæ non scripta sunt in libro hoc. Denique fertur ab afferentibus, quòd Redemptor humani generis appropinquante die passionis cuidam regi Edessenæ ciuitatis desideranti corporaliter eum cernere, & vt persecutiones Iudæorum aufugiens ad illum confolaret, & auditas miraculorum opiniones & sanitatum curationes illi & populo suo impertiret, respondisse: Quòd si faciem meam corporaliter cernere cupis, en tibi vultus mei speciem transformatam in linteo dirigo, per quam & desiderij tui feruorem refrigeres, & quod de me audiuisti, impossibile nequaquam fieri existimes. Postquam tamen compleuero ea quæ de me scripta sunt, dirigam tibi vnum ex discipulis meis, qui tibi & populo tuo sanitates impertiat, & ad sublimitatem fidei vos perducat.

Ioan. 20.

Soli ei libros hæreticorum legere concedendum esse, qui in Deo & in fide firmatus decipi nequit. Beda super Parabolas Salomonis libro 1.

¶ CAP. 84.

Soli ei conceditur hæreticorum libros legere, qui à Deo solidatus est in fide Catholica, vt verborum dulcedine vel astutia nequeat ab ea segregari.

Quòd subtilitatem legentium turbat, qui eos à secularibus literis legendis omnimodis prohibendos esse æstimat. Beda super Regum lib. ij.

Cap. 9. ¶ CAP. 85.

dist 37. c. turbat acumen. Turbat acumen legentium & deficere cogit, qui eos à legendis sæcularibus literis omnimodis æstimat prohibendos, quibus vbilibet inuenta vtilia quasi sua sumere licet. Alioquin nec Moyses & Daniel sapientia vel literis Ægyptiorum, Chaldæorúmque se paterentur erudiri quorum tamen superstitiones simul & delicias adhorrebant: nec ipse magister gentium aliquot versus poëtarum suis vel dictis indidisset, vel scriptis.

Ep. 32 ad Episcopos Synodi Sylvanectensis. *Legibus Imperatorum non in omnibus controuersiis ecclesiasticis vtendum esse. Nicolaus Papa in concilio apud Conuicinum.*

¶ CAP. 86.

dist. 10 c. lege Imperat. Lege Imperatorum non in omnibus Ecclesiasticis controuersiis vtendum est, præsertim cùm inueniuntur * Euangelicæ ac canonicę sanctioni aliquotiens obuiare. Lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.

* Ecclesiasticæ

Cypriani opuscula, Athanasii, Hilarij firma & in nullo conuulsa. Hieronymus ad Latam de institutione filiæ.

¶ CAP. 87.

Cypriani opuscula semper in manu teneat (filia tua) Athanasij epistolas, & Hilarij libros inoffenso decurrat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillat. Cæteros sic legat, vt magis iudicet, quàm sequatur.

Libros Catholicorum patrum qui sanctorum vitam describunt non reijciendos. Ex regula sancti Benedicti, cap. lxxiij.

¶ CAP. 88.

Quis liber sanctorum catholicorum patrum hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad creatorem nostrum? nec non & collationes patrum & instituta, & vitę eorum, sed & regula sancti patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi benè viuentium & obedientium monachorum, instrumenta virtutum?

Quòd Hieronymus, & Gennadius ecclesiasticos scriptores in vno volumine comprehenderint. Isidorus Etymologiarum lib. vi. cap. vij.

¶ CAP. 89.

Hieronymus atque Gennadius ecclesiasticos scriptores toto orbe quærentes ordine prosequuti sunt, eorúmque studia in vno voluminis indiculo comprehenderunt.

De vilitate voluminum Dionysii Areopagitæ. Beda super actus Apostolorum.

¶ CAP. 90.

Dionysius Areopagita Episcopus ordinatus Corinthiorum, rexit ecclesiam gloriosè, multáque ad vtilitatem Ecclesiæ pertinentia, quæ hactenus manent, ingenij sui volumina reliquit: cognomen à loco cui præerat accipiens, Areopagus.

De discretione regulæ sancti Benedicti. Gregorius dialogorum libro ij. c. xxxvi.

¶ CAP. 91.

Benedictus scripsit monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam.

Actio secunda Chalcedonensis concilij.

¶ CAP. 92.

Gloriosi iudices dixerunt. Dominus noster Imperator secundùm canonicas Epistolas, & constitutiones sanctorum Patrum, Gregorij, Basilij, Hilarij, Athanasij, Ambrosij, & Cyrilli credit, & nullo modo ab eorum fide recedit.

Actio Tertia. ¶ CAP. 93.

Gloriosi principes dixerunt. Piissimus Imperator iuxta constitutionem sanctorum Trecentorum decem & octo patrum, & confirmationẽ centum quinquaginta patrum, & expositiones sanctorum Gregorij, Basilij, Hilarij, Athanasij, Ambrosij & Cyrilli credit, & ab eorum fide nullo modo recedit.

De libris Gelasij. Ex libro Pontificali.

¶ CAP. 94.

Gelasius fecit libros quinque aduersus Nestorium & Eutychen, fecit & tractatus in modum Ambrosij. Item libros duos aduersus Arium: fecit autem & sacramentorum præfationes, & orationes cauto sermone, & epistolas fidei elimato sermone multas.

De libris Clementis, Ibidem.

¶ CAP. 95.

Clemens fecit duas Epistolas quæ Catholicæ nominantur.

De Synodico libello Gregorij. Beda in historia Anglorum, libro ij. cap. j.

¶ CAP. 96.

Libellum Synodicum Episcopis Italiæ de necessariis Ecclesiæ causis vtilissimum Gregorius composuit.

De quadraginta homiliis Gregorij. Gregorius episcopus in prologo quadraginta homeliarum.

¶ CAP. 97.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Secundino coepiscopo. Inter sacra missarum solennia, ex his quę diebus certis in Ecclesia hac legi ex more solent, sancti Euangelij lectiones exposui quadraginta: & quarundam quidem dictata expositio assistenti plebi est recitata per notarium, quarundam verò explanationem coram populo ipse loquutus sum, atque ita vt loquebar excepta est.

De dispositione earundem. Ibidem.

¶ CAP. 98.

Easdem homilias eo quo dictæ sunt ordine in duobus codicibus ponere curaui, & priores quidem viginti quæ dictæ sunt, & posteriores totidem.

Gesta quintæ synodi die tertia.

¶ CAP. 99.

Sequimur per omnia sanctos patres & doctores ecclesiæ Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, & Gregorium Nyssenũ, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum: & suscipimus omnia quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuerunt, suscipimus autem & alios sanctos & orthodoxos patres, qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter vsque in finem vitæ suæ prædicauerunt.

De confirmatione libelli Ennodij. Synodus. & Symmachi Papa. ¶ CAP. 100.

Synodus dixit: Ea quæ in libello quem Ennodius nostra authoritate conscripsit, sicut in nostra præsentia relecta sunt, vt propriis manibus roborentur, rogamus, atque vt in perpetuum conseruentur, sicut prædictum est, vestra Apostolica authoritate firmentur. Symmachus respondit, fiat.

Nicol. 1. ep. 2. vel 8. *Quid idem Ennodius sentiat de authoritate Romani pontificis. Nicolaus Papa Michaeli augusto.*

¶ CAP. 101.

Sicut magnus Christi confessor Ennodius Ticinensis episcopus qui ab Hormisda Apostolicæ memoriæ Constantinopolim missus, innumeras miserias à Græcorum vesania pro fide Christi & statu Ecclesiæ non semel pertulit, ex Propheta de his meminit: Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum qui trahit eam? (Esaiæ 10.)

* Bercari — *Item de eodem. Ioannes viij. * Berrario Abbati.*

¶ CAP. 102.

Absit à piis mentibus quid de Romani culminis Pontifice sinistrum sentire, cùm beato Ennodio confessore Ticinensis vrbis antistite scribente doceamur, quia Deus omnipotens aut claros ad tanta fastigia erigit, aut certè quos elegit, illustrat.

De commentario Rheticij Augustudunensis Episcopi, in canticum canticorum. Hieronymus in epist. ad Florentium, quæ incipit, In ea mihi parte.

¶ CAP. 103.

Ob hoc & ego obsecro, & tu vt petas plurimùm quæso, vt tibi beati Rheticij Augustudunensis Episcopi commentarium ad describendum largiatur, in quo Canticum Canticorum sublimi ore disseruit.

De Ioanne Scoto, quòd in quibusdam benè non senserit. Nicolaus Carolo Regi maiori.

¶ CAP. 104.

Relatum est Apostolatui nostro, quòd opus beati Dionysij Areopagitæ quod de diuinis nominibus vel cœlestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir Ioannes genere Scotus nuper in latinum transtulerit. Quod iuxta morem nobis mitti, & nostro debuit iudicio approbari: præsertim, cùm idem Ioannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sanè sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hactenus omissum est, vestra industria suppleat, & nobis præfatum opus sine vlla cunctatione mittat, quatenus dum à nostri apostolatus iudicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra authoritate acceptius habeatur.

De canonibus Apostolorum quid in eis recipiendum sit, quid non. Leo ix. contra epistolam Nicetæ abbatis de monasterio studij.

¶ CAP. 105.

Clementis librum, id est Itinerarium Petri Apostoli, & canones Apostolorum numerarunt sancti patres inter apocrypha: exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreuerunt regulis orthodoxis adiungenda. (dist. 16 cap. Clementis.)

Item de eodem, Sexta synodus, cap. 2. (Synod Constan in Trullo c 2.)

¶ CAP. 106.

Placuit huic sanctæ Synodo, vt amodò confirmata & rata sint Canonum Apostolorum lxxxv. capitula. (dist. 16. c. placuit.)

Canones Apostolorum aliis conciliis præponendos. Ex præfatione Isidori in opus Canonum.

¶ CAP. 107.

Isidorus * mercator, seruus Christi, conseruo suo, & parenti fidei in domino salutem. Propter eorum authoritatem cæteris conciliis præposuimus canones qui dicuntur Apostolorum, licet à quibusdam apocryphi dicantur, quoniam * populares eos recipiunt, & sancti patres eorum sententias synodali authoritate roborauerunt, & inter canonicas posuerunt constitutiones. *Item.* Primus ordo (vt prædictum est) de celebrando concilio insertus habetur, & postmodum Canonum apostolorum ac primorum apostolicorum (id est, à sancto Clemente vsque ad sanctum Siluestrum) decretorum atque diuersorum conciliorum breuiarium interpolatur sequens ordinem suum. *Item de eodem Zepherinus Papa Episcopis per Siciliam constitutis.* Sexaginta Apostoli sententias præfixerunt cum aliis quàmplurimis Episcopis, & seruandas censuerunt.

(* peccator — Ead dist. eod. c. — * plures — dist. 16 c. sexaginta.)

De lxx. capitulis Nicæni concilij. Athanasius Alexandrinus Marco Papæ.

¶ CAP. 108.

Septuaginta Nicæni concilij capitula quæ de præfata synodo, iubente Domino meo Alexandro, decreto omnium episcoporum attuli, quia sunt igne combusta, optamus, vt à sedis sanctæ Ecclesiæ vestræ authoritate, percipere per præsentes legatos mereamur. *Item.* Præsentibus nobis, lxxx. in memorata Synodo capitula tractata sunt, scilicet xl. à Græcis, Græca edita lingua, & xl. à Latinis, similiter latina edita lingua. Sed visum est ccc. xviij. Episcopis, Spiritu sancto repletis in prædicto concilio congregatis, & maximè iam dicto Alexandro, & Apostolicæ sedis apocrisariis, vt decem capitula adunarentur aliis, atque congruis locis insererentur, & ad formam lxx. discipulorum vel totius orbis (dist. 16. c. septuaginta.)

terræ linguarum septuaginta tanti & tam excellentis concilij fierent capitula, quæ omnem Christianorum informarent orbem.

Item de eodem. Marcus Papa Athanasio, & omnibus Ægyptiorum Episcopis.

¶ Cap. 109.

De capitulorum verorum Nicæni concilij exemplaribus, cui vos interfuisse literis vestræ fraternitatis significastis, à nostris, qui vnà vobiscum interfuerunt diligentioribus requisiuimus collocutionibus, qui ita, vt vestræ testatæ sunt literæ, omnem nobis ordinem exposuerunt, & epistolam vestram per omnia veram esse testati sunt: non vt nos vestra ex parte aliquid sinistrum arbitraremur, sed quòd nos & vos, illósque absque vlla in posterum titubatione vnum sentire optaremus: & sancta Romana Ecclesia quæ semper immaculata mansit, & domino prouidente, & beato Petro opem ferente in futuro manebit, sine vlla hæreticorum insultatione, firma & immobilis omni tempore persisteret. His ita peractis, diligenter inquirentes in sancto nostræ & Apostolicæ sedis *seruitio, eadem quæ sanctæ recordationis prædecessori meo Siluestro sunt directa, septuaginta sicut significastis capitula illæsa inuenimus.

*scrinio

Item de eodem epistola Isidori in capite Canonum.

¶ Cap. 110.

Plura quàm illa viginti capitula, quæ apud nos habentur Nicænæ Synodi reperimus, & in decretis Iulij Papæ lxx. eiusdem Synodi esse debere legimus.

*Item de eodem. Iulius Papa Eusebio, *Tegneo, Theodoro, & Berintho, &c.*

*Theogonio

¶ Cap. 111.

Sequuntur hæc ex prędicto concilio Nicæno capitula. Idest, xviij. xix. xxj. xxiij. xxvj. xxvij. xxviij. xxx. xl xlj. xlv. xlvij. xlix. lj. lij. liij. liiij. lv. lvij. lviij. lix. lx. lxj. lxij. lxiij. lxvj.

Quòd nullum concilium vel præferre vel comparare se audeat Nicæno concilio. Leo Anatolio Episcopo.

Ep. 51.

¶ Cap. 112.

Nulla sibimet de multiplicatione Synodalia congregationis concilia blandiantur, neque trecentis illis octodecim Episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdòtum vel comparare se vel præferre audeat, quum tanto diuinitus priuilegio Nicęna sit synodus consecrata, vt siue per pauciores siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus authoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione *diuisum.

*diuersū

Item de authoritate Nicæni concilij.

¶ Cap. 113.

Post pauca.

Sancti illi & venerabiles patres, qui in vrbe Nicæna sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem sæculi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum, in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquam aliter quàm statuerunt præsumitur, sine cunctatione cassatur.

Item de authoritate Nicæni, & Chalcedonensis concilij. Nicolaus Papa Michaeli Imperatori.

¶ Cap. 114.

Nos non numerosum tantùm sanctorum Episcoporum collegium Nicęni vel Chalcedonensis conciliorum, cæterorúmque sanctorum patrum synodicas constitutiones sequimur, sed illorum liberales veneramur, iustas & diuinitas sententias, & non tantùm pro suorum multitudine obseruantur à nobis.

De authoritate quatuor conciliorum. Nouellarum constitutione cxv. cap. j.

¶ Cap. 115.

Quatuor sanctorum conciliorum canones pro legibus habeantur.

Quæ sint quatuor concilia. Gregorius clero & plebi Rauennæ epist. ij, lib. v.

¶ Cap. 116.

Veneramur sanctam Nicęnam Synodum, in qua Arrius: Constantinopolitanam, in qua Macedonius: Ephesinam primam in qua Nestorius: & sanctam Chalcedonensem synodum, in qua idem Nestorius, Dioscorus atque Eutyches damnati sunt. Si quis autem contra harum quatuor Synodorum fidem, & contra sanctæ memoriæ Leonis Papæ tomum atque diffinitionem aliquid vnquam loqui præsumit, anathema sit.

Item de eodem, & de quinto concilio. Gregorius epistol. xxiij. lib. I. Ioanni episcopo Constantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Ioanni Hierosolymitano, & Anastasio Patriarchæ Antiocheno aparibus.

¶ Cap. 117.

Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere & venerari me fateor. *dist. 15 c. sicut sancti.* Nicænum scilicet, in quo peruersum Arrij dogma destruitur. Constantinopolitanum quoque in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur. Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impietas iudicatur. Chalcedonense verò, in quo Eutychis Dioscorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio: quia in his velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, & cuiuslibet vitæ atque actionis norma consistit. Quisquis soliditatem eorum non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintum quoque concilium veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur. Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus *substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur; Scripta quoque Theodoriti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò quas præfata veneranda concilia respuunt personas, respuo: quas venerantur amplector, quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit quisquis præsumit aut soluere quos religant, aut ligare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.

*subsistentiis

Item

Item de authoritate quatuor conciliorum, & quinti. Gregorius Secundino seruo Dei incluso.

¶ CAP. 118.

Quotiens in quatuor præcipuis sedibus antistites ordinantur, Synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem synodum, cum aliis generalibus Synodis custodire fateantur, sicut & nos aduersamur, & anathemate plectendos ducimus, si qui de fide eiusdem synodi aliquid imminuere, vel aliquid in ea addere præsumunt. Nam synodus quę post eam generaliter facta est, idcirco à nobis recipitur, quia eiusdem synodi in omnibus sequens tenorem, illius authoritatem custodit.

Item de authoritate quinti Concilij. Beda de temporibus. ¶ CAP. 119.

Synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei, quintum vniuersale concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati Papæ Sergij monitis instructa, & ipsa huic cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consentit.

De authoritate sextæ Synodi. Leo ij. Constantino Augusto. ¶ CAP. 120.

Legatos huius Apostolicæ sedis, matris nostræ Romanæ Ecclesiæ, seruos pietatis vestræ Theodorum & Georgium Presbyteros, & Ioannem diaconum, & Constantinum subdiaconum regionarium, cum aliis quæ à beatæ memoriæ prædecessore nostro Agathone Papa ex præcepto serenitatis vestræ transmissa sunt, & diuinas literas vestras, & gesta sanctæ Synodi cum gaudio multo exultantes in Domino suscepimus. Cognouimus quando sancta & vniuersalis synodus, quę per gratiam Dei ex Imperiali vestro pręcepto nuper Constantinopoli congregata est, eadem quæ vniuersalis synodus quæ in hac Apostolica sede conuenit, cui & humilitas nostra præfuit, sapuit & diffiniuit de fide Catholica. *Item.* Quoniam sicut dictum est, sancta sexta synodus rectæ fidei diffinitionem perfectè prædicauit, quam & apostolica sedes beati Petri cui quamuis indigni deseruimus, reuerenter suscepit, propterea & nos, per nostram constitutionem, adoranda hęc & Apostolica sedes ea quæ in illa sunt constituta comprobat & authoritate beati Petri confirmat. Propterea sicut recipimus & firmiter pręedicamus quinque sanctas & vniuersales Synodos, id est Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem, itémque Constantinopolitanam, quas omnes Ecclesia Christi confirmat, & sequitur, sic & hanc quę nuper Constantinopoli sub serenitate vestra facta est, sicut eas sequentem & interpretantem simili veneratione suscipimus, & dignè eis connumerari pręcipimus.

Actio quarta sextæ synodi.

Petrus Nicomediæ Episcopus dixit.

¶ CAP. 121.

dist. 16. cap. habeo librũ. Habeo librum continentem canones sanctæ synodi sextæ. Patriarcha dixit: Quidam per ignorantiam scandalizantur pro canonibus istis dicentes, Nunquid sexta synodus canones fecit? Sciant ergo quoniam sancta synodus sexta sub Constantino congregata est, contra eos qui dicebant vnam operationem & voluntatem in Christo. In qua sancti patres illos vt hæreticos anathematizauerunt, & orthodoxam fidem explanauerunt, & soluta synodus est Constantini decimoquarto anno. Post quatuor verò aut quinque annos ijdem sancti patres congregati sunt, sub Iustiniano filio Constantini, & prædictos canones promulgauerunt, vt nullus de eis dubitet. Qui enim sub Constantino in synodo fuerunt, ijdem ipsi sub Iustiniano istis canonibus subscripserunt. Oportebat enim vt synodus vniuersalis canones Ecclesiasticos promulgaret. *Actio 6. tomo. i. contra falsam 7 synodum.* Septima synodus, quomodo dicitur, quæ non concordat præcedentibus sex vniuersalibus synodis? Omne quod septimum ponitur consequens debet habere cum rebus prænumeratis. Si verò in nullo rebus prænumeratis participat, nec eis connumerari potest. *Item.* Sancta sexta synodus, & vniuersalis, post promulgatam ab ea diffinitionem contra monothelitas, Constantino Imperatore qui congregauerat eam, non multò post defuncto, & Iustiniano filio eius regnante pro eo, eadem sancta synodus diuinitus inspirata, iterum Constantinopoli quarto aut quinto anno congregata est, & canones numero centum duos ad correptionem Ecclesiæ promulgauit.

Item de authoritate sextæ synodi. Adrianus Papa Tarasio Patriarchæ. Actio secunda Synodi vij. ¶ CAP. 122.

Sanctam sextam synodum recipio cum omnibus canonibus suis, in quibus dicitur, In quibusdam picturis sanctarum imaginum agnus præcursoris digito ostensus depingitur, qui in typum gratiæ assumptus verum nobis per legem Moysi præmonstrat agnum Iesum Christum dominum nostrum. Antiquis igitur figuris & vmbris ad veritatis præfigurationem Ecclesiæ sanctæ traditis valedicentes, gratiam & veritatem præferimus, & sicut plenitudinem legis recipimus. Verum igitur agnum, qui dominum nostrum Iesum Christum secundùm humanam imaginem effigiat, amodò pro veteri agno, in imaginibus depingi iubemus. *dist. 16. cap. sextam syn.*

Item de eodem. Epistola septimæ synodi ad Iustinianum filium Constantini.

¶ CAP. 123.

Quoniam sanctæ & vniuersales synodi quinta sub Iustiniano Augusto, sexta sub Constantino patre tuo Augusto de mysterio fidei plenissimè disputantes canones non fecerunt, sicut quatuor cæteræ vniuersales synodi, propterea nos conuenientes in hanc imperialem vrbem, canones scripsimus. *dist. 16 c. quoniam.*

Item de confirmatione sextæ synodi. Ex libro Pontificali. ¶ CAP. 124.

Philippus hæreticus ad imperialem promotus est arcem, cuius & sanctam cum praui dogmatis execratione suscepit sedem, Apostolicæ sedis concilia respuit, huius rei causâ zelo fidei accensus omnis cœtus Romanæ vrbis imaginem, quam Græci Pan vocant, sex continentem sanctas & vniuersales Synodos, in Ecclesia beati Petri erexit. *Item.* Leo iunior suscepit sanctam sextam synodum, quæ per Dei prouidentiam nuper regia in vrbe celebrata est, Græco eloquio scriptam, exequente ac præsidente pijssimo ac clementissimo magno principe Constantino.

Item de eodem. Beda de temporibus cap. lxv.

¶ Cap. 125.

dist. 16. c. sexta. Sexta synodus vniuersalis Constantinopoli celebrata est, & Græco sermone conscripta, temporibus Papæ Agathonis, exequente ac residente pijssimo principe Constantino intra palatium suum, simulque legatis apostolicæ sedis, & Episcopis centum quinquaginta residentibus. Prima enim vniuersalis synodus in Nicæna congregata est contra Arrium, trecentorum & octodecim patrum, temporibus Iulij Papæ sub Constantino principe. Secunda in Constantinopoli centum quinquaginta patrum, contra Macedonium, & Eudoxium, temporibus Damasi Papæ & Gratiani principis, quando Nectarius eiusdem vrbis Episcopus est ordinatus. Tertia in Epheso ducentorum patrum contra Nestorium Augustæ vrbis episcopum sub Theodosio magno principe, & Papa Cœlestino. Quarta in Chalcedone sexcentorum & triginta patrum sub Leone Papa, temporibus Martiani principis, contra Eutychen nefandissimorum præsulem Monachorum. Quinta in Constantinopoli temporibus Vigilij Papæ, sub Iustiniano principe, contra Theodorum, & omnes hæreticos. Sexta de qua in præsenti diximus. *Item.* Constantinus Imperator fecit picturas in porticu sancti Petri, quę acta sex sanctarum synodorum vniuersalium continerent. Nam & huiusmodi picturas cùm haberentur in vrbe regia, Philippus iusserat auferri, statuitque populus Romanus ne hæretici Imperatoris nomen in chartas aut figuram solidi susciperent. Vnde nec eius effigies in Ecclesia introducta est, nec nomen ad missarum solennia prolatum.

Responsiones Adriani Papæ contra obiectiones quorundam, ad Carolum, cap. xxxv.

¶ Cap. 126.

Sancta sexta synodus fideliter per canones orthodoxè statuens, ita constituit dicens: In quibusdam venerabiliũ imaginum picturis, Agnus digito præcursoris monstratus designatur, qui in signum relictus est gratiæ. *Et post pauca.* Secundùm humanam figuram, & in imaginibus, & nunc pro veteri agno retitulari decernimus.

De receptione septimæ Synodi. cap. lx.

¶ Capvt 127.

Superiùs exarauimus septem diuina dogmata synodi irreprehensibilia existentia, sicut præcipuorum sanctorum patrum mirificè demonstrant opuscula. Nam si quis prædictæ synodi symbolo discrepare se dixerit, discrepare videtur sanctarum sex synodorum symbolo.

De eodem. Item cap. xxx.

¶ Cap. 128.

Ipsam septimam synodum suscipimus. Nam si eam minimè recepissemus, ad suum pristinum vomitum erroris fuissent Græci reuersi, qui pro tot millibus animarum Christianorum interitu habemus reddere rationem.

De laude Theophani in prologo historiæ Anastasij bibliothecarij Romanæ Ecclesiæ.

¶ Cap. 129.

Sufficere arbitror ad præconium Theophani Chronographi, quòd à sede approbatus sit Apostolica, quando scilicet vicarij eius vna cum trecentis quinquaginta patribus in Nicæna vrbe secundò conuenientes vniuersalem synodũ celebrarunt. Si quidem & laus eius in eodem septimo concilio sancto reperitur.

De secunda Nicæna synodo inter vniuersales octaua. ¶ Cap. 130.

Constantinus cum Irene matre regnauit annos decem, mensibus duobus, diebus duobus. Horum anno nono facta est synodus Nicæna secunda trecentorum quinquaginta sanctorum patrum.

Item de eodem. ¶ Cap. 131.

Anno imperij Irenes & Constantini octauo, exiuit Tharasius archiepiscopus sanctissimus Constantinopoleos, in Nicænam ciuitatem, & celebrata est sancta octaua vniuersalis synodus.

De octo vniuersalibus concilijs. Ex libro diurno professio Romani Pontificij.

¶ Cap. 132.

Sancta viij vniuersalia concilia, id est 1. Nicenum. 2. Constantinopolitanum. 3. Ephesinum. 4. Chalcedonense. Item. 5. Constantinopolitanum & 6. Item Nicænum 7. Octauum quoque Constantinopolitanum, vsque ad vnum apicem immutilata seruare, & pari honore & veneratione digna habere, & quæ prædicarunt & statuerunt omnimodis sequi & prædicare, quæque condemnauerunt ore & corde condemnare profiteor. dist. 16. c. sancta.

*De commendatione Donati & Eugenij episcoporum. Ioannes viij. Neopolitanis, Salernitis & * Amalfitanis.* ¶ Cap. 133. * Melfitanis.

Quia fidelibus, & mysterium Christianitatis scientibus loqui nos credimus, per sacrarum scripturarum testimonia longiùs tendere deuitantes, dilectioni vestræ Donatum venerabilem Episcopum, cuius laus est in sancta synodo octaua, & Eugenium religiosum presbyterum, dilectos fideles, & consiliarios nostros ecce dirigimus.

Quæ concilia & quorum sanctorum patrum opuscula sint autentica. Sexta synodus ca. ij.

¶ Cap. 134.

Confirmamus sanctorum patrum canones & Synodos: id est Nicænam, Ancyranam, Neocæsariensem, Gangrensem, Antiochensem, Laodicensem, Constantinopolitanã, Ephesinam primã, Chalcedonensem, Sardicensem, Carthaginẽsem Constantinopolitanã sub Nectario. Et opuscula * Theodosij qui fuit Alexandriæ Archiepiscopus: quin etiam Dionysij Archiepiscopi Alexandrinorũ Megalopolis: Petri Alexandriæ archiepiscopi & martyris: Gregorij thaumaturgi Neocæsariensis Episcopi: Athanasij Alexandriæ Archiepiscopi, Basilij Cæsareæ Cappadociæ Episcopi: Gregorij Nysseni Episcopi: Gregorij Theologi: Amphilochi * Biconensis Episcopi: Timothei Alexandrini Archiepiscopi: Cyrilli eiusdem Alexandriæ Archiepiscopi: Germani Constantinolitani Episcopi: Cypriani Carthaginensis Episcopi, & synodum eius. dist. 16. c. quoniam sanctæ. * Theophili. * Iconij.

De authoritate Sardicensis concilij. Nicolaus Photio. ¶ CAP. 135.

dist 16. c. quoddicitis. Quod dicitis neque Sardicense concilium neque decretalia vos habere pontificum sanctorum, vel recipere, non facilè nobis facultas credendi tribuitur: maximè cum Sardicense concilium quod penes vos in regionibus vestris actum est, & omnis Ecclesia recipit, qua ratione conuenerit, vt hæc sancta Constantinopolitana Ecclesia abijceret, & vt dignum est non retineret?

Benedictus 3. epist 1. *De authoritate Synodi apud Sueßionis ciuitatem celebrata. Benedictus Papa Hincmaro Archiepiscopo.*

¶ CAP. 136.

Synodi textum in momentis ventilantes intuitu, quam apud Suessionis ciuitatem tua beatitudo statuit celebrare, cum Episcopis tuæ dioeceseos & Archiepiscopis VVelenone Senonensi, & Amalrico Turonensi aliisque Episcopis, ea quæ ad profectum sanctæ Ecclesiæ noscuntur pijs authoritatibus statuta sancitáque reperimus. *Item.* Diffinitiones fraternitatis tuę, & cæterorum episcoporum quas in præsenti synodo, Apostolicis canonicísque authoritatibus, propriis digitis roborasti, ratas easdem Apostolica in omnibus fore promulgamus authoritate, sempérque manere statuimus, vt inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur. *Item.* Et ne quilibet contra eadem statuta canonica & decreta Romanorum Pontificum, manus pertinaciter inferre præsumat, cum anathematis interpositione nostra Apostolica, & beati Petri apostolorum principis authoritate prohibemus.

Item de eodem. Nicolaus Papa Hincmaro Archiepiscopo. ¶ CAP. 137.

In appendice ad epistolas Nicolai. 1. epist. 6. Synodum illam, qua à te & venerabilibus Episcopis, & Archiepiscopis in vrbe Suessionis anno incarnationis dominicæ, dccc. liij. indictione prima, quinto Calendarum Maij fuerat celebrata, & à prædecessore nostro beatæ memoriæ Benedicto Papa est confirmata, sicut idem sanctæ recordationis Pontifex illam confirmauit, ita & nos eam confirmatam, & irrefragabilem perpetuóque mansuram, apostolica authoritate decernimus, saluo tamen Romanæ sedis in omnibus iussu atque iudicio.

Cap 3. *Quòd priora concilia per posteriora sæpe emendentur. Augustinus de vnico baptismo lib. ij.*

¶ CAP. 138.

Concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur, & vniuersum partibus semper optimo iure præponitur. *Item.* Ipsa concilia quę per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum conciliorum authoritati, quę fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedunt; ipsáque plenaria sæpe priora à posterioribus emendantur, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllo typo sacrilegæ superbiæ.

De authoritate Mainardi Episcopi & Ioannis Archiepiscopi. Alexander secundus episcopis, & regi Dalmatarum. ¶ CAP. 139.

Notificamus omnia capitula quæ per confratres nostros venerabiles Mainardum scilicet collateralem episcopum nostrum, & Ioannem Archipręsulem nostrum in Spalæto aliisque ciuitatibus sunt statuta, eadem in Romana synodo seriatim ea referente, à beatæ memoriæ prædecessore nostro Nicolao, apostolica authoritate roborata, & sub anathematis interpositione roborata.

De morte Petri apostoli. Ex oratione Ambrosij contra Auxentium de tradendis basilicis.

¶ CAP. 140.

Petrus victo Simone cùm pręcepta Dei populo seminaret, docerétque castimoniam, excitauit animos gentilium, quibus eum quærentibus Christianæ animę deprecatę sunt, vt paulisper cederet: & quamuis esset cupidus passionis, tamen deprecatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim vt ad instruendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? Nocte muros egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere vrbémque ingredi ait, Domine quo venis? Respondit Christus, Venio iterum Romam crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum. Christum enim non oportuerat iterum crucifigi, qui carnem passionis suscepta morte exuerat. Quòd enim mortuus est, semel mortuus est, *Rom. 6.* quòd autem viuit, viuit Deo. Intellexit ergo Petrus quòd iterum Christus crucifigendus esset in seruulo, spontéque remeauit. Interrogantibúsque Christianis, responsum reddidit, statímque correptus per crucem suam honorificauit dominum Iesum.

Vt vitæ patrum sine probabilibus authoritatibus scriptæ minimè legantur. Responsiones Adriani Papæ ad obiectiones quorundam, ad Carolum Imperatorem, cap. xvij.

¶ CAP. 141.

Vitæ Patrum sine probabilibus authoribus minimè in Ecclesia leguntur. Nam ab orthodoxis titulatæ, & suscipiuntur & leguntur. Magis enim passiones sanctorum martyrum sacri canones censent, vt liceat eas etiam in ecclesia legi, cùm anniuersarij dies eorum celebrantur.

Quomodo Origenes & alij hæretici sunt legendi. Hieronymus ad Tranquillinum.

¶ CAP. 142.

Ex parte ego sic Originem propter eruditionem interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, & Nouatum, Arnobium & Apollinarem, & nonnullos ecclesiasticos scriptores Græcos pariter & Latinos, vt bona eorum eligamus, vitemúsque contraria.

De authoritate Ecclesiasticæ historiæ. Caßiodorus in prologo tripartitæ historiæ.

¶ CAPVT 143.

Historiam Ecclesiasticam quæ à cunctis Christianis valdè necessaria comprobatur, à tribus Græcis authoribus mirabiliter constat esse conscriptam, vno scilicet Theodoreto venerabili Episcopo, & duobus disertissimis viris Sozomeno & Socrate, quos nos per Epiphanium scholasticum latino condentes eloquio, necessarium duximus eorum dicta deflorata, in vnius styli tractu Domino iuuante perducere, & de

tribus authoribus vnam facere editionem. *Item.* Legat intrepidus, qui Domino iuuante ad hæc opuscula venerit, multùm vtilitatis & notitiæ lucraturus, si quę posita sunt per hos duodecim libros, memoriæ suæ sollicita mente crediderit.

Quot epistolas Gregorius reliquerit. In vita beati Gregorij Papæ, libro quarto cap. lxxi.

§ CAP. 144.

Epistolarum tot libros in scrinio reliquit Gregorius, quot annos in Episcopatu vixit. Vnde decimum tertium librum epistolarum indictionis septimæ imperfectum reliquit, quoniam ad indictionis terminum non peruenit.

De libro quem Hermes scripsit. Ex libro Pontificali. § CAP. 145.

Sub Pij Papæ Episcopatu, Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini, cùm venit ad eum in habitu pastoris, & præcepit ei vt pascha Domini die Dominico celebraretur.

De pœnitentiali Theodori. Beda de temporibus.

§ CAP. 146.

Theodorus Archiepiscopus, & Adrianus abbas vir æquè doctissimus, à Vitaliano Papa missi Britanniam, plurimas Ecclesias Anglorum doctrinæ Ecclesiasticæ fruge fœcundarunt. E quibus Theodorus peccantium iudicia, quantis scilicet annis pro vnoquoquo peccato quis pœnitere debeat, mirabiliter scripsit.

De reprobatione Synodi, in qua imagines sanctorum, & picturæ in Ecclesiis damnatæ sunt. Leo nonus Michaeli Patriarchæ.

§ CAP. 147.

Recordamini illius nefandę synodi, quam voluerunt vocari septimam nostri Hæresiarchæ, quorum conspiratione ipsiús Domini nostri Iesu Christi, & sanctorum reuerendę imagines aut flammis traditæ sunt, aut aquis submersæ, picturę verò de parietibus basilicarum deletæ. Quibus quamuis restiterit Romanorum Pontificum authoritas, præ cunctis tamen sanctissimi Papæ Nicolai vbiuis prædicanda libertas, qui per legatos suos tam pro sacris imaginibus, quàm pro depositione beati antistitis Ignatij, & substitutione Photij Neophyti, Ecclesiæ sanctæ Sophiæ clausit, donec sanctæ sedis acquiesceret decretis.

Item de eodem. Actio xi. Chalcedonensis concilij.

§ CAP. 148.

Apocrisarij Papæ dixerunt: Synodus non debet vocari, in qua tot nefanda facta sunt, propter quod videtur superfluum gesta eius relegere. Si enim & ab Apostolico Papa omnia eius euacuata sunt, manifestum est quòd & beatissimus Papa in communione receperit, & principatum Antiochenæ Ecclesiæ habere dignum duxerit. *Item.* Stephanus Episcopus Ephesi dixit: Illa quæ in Ephesina Synodo prima acta sunt, irrita fiant. Præterea quæ contra dominum Antiochenum episcopum facta sunt, pro eo, quòd ordinatio Maximi, qui pro eo in Antiochena Ecclesia Episcopus factus est, à sanctissimo Papa Leone, & ab vniuersali synodo recepta sunt.

De sepultura Ioannis euangelistæ. Augustinus super Ioannem partis secundæ tractatu cxxiiij. § CAP. 149.

Creditur Ioannes Euangelista viuus dormire sub terra, quem tradunt, quòd etiam in quibusdam scripturis, quamuis apocryphis, reperitur, quando sibi sepulchrum iussit fieri, incolumen fuisse præsentem, eóque effosso & diligentissimè preparato, ibi se tanquam in lectulum collocasse, statimque esse defunctum.

Quòd plus martyres cum corpore iam surrexerint. Ex sermone sancti Ambrosij in natali martyrum, qui sic incipit, Dignum & congruum.

§ CAP. 150.

Si martyres nondum liberati sunt ab inferis, liberati à peccatis. Hęc enim prima est resurrectio, peccatorum euasisse tenebras, lucem possidere Iustitiæ. Veruntamen etiam fortasse plurimi ex eisdem beatis Martyribus cum Domino resurrectionem corporaliter vel consequuntur, vel fuerunt consequuti. Nam sicut legimus prima resurrectionis festiuitate, suscitante se Domino, multa sanctorum corpora suscitasse, vixisse, & introisse in sanctam ciuitatem, cur non quotiescunque resurrectionis eius festiuitas celebratur, totiens credimus resurgere etiam sanctos? Vbi enim votorum iugis est solennitas, gratia iugis est & donorum. Sed fortasse quis dicat, Sepulchra clausa sunt, monumenta constructa sunt, quemadmodum inde prodire poterint? Vt taceamus, quia omnia possibilia sunt Deo, & quòd clausis tumuli penetralibus possit spirituale corpus prodire, vt hæc omnia prętermittam, Ioannis tamen Apostoli habemus exemplum, quem tumulus susceptum claudere potuit, custodire non potuit. Nã depositũ corpus perdidit, non assumpsit. Hoc enim clausis tumuli foribus gratiâ resurrectionis ablatum est, vt constaret sepultura, nec inueniretur sepultus. Denique cùm sacerdotes honorandi causâ corpus inquirerent, reserato aditu, tumulus non potuit reddere quem suscepit.

Hæc ibi non reperiuntur. Matt. 27.

De non recipienda vita Thomæ Apostoli & aliorum. Augustinus contra Faustum, libro ij. cap. ij. § CAP. 151.

Legunt scripturas apocryphas (Manichęi) nescio quibus sutoribus fabularum, sub Apostolorum nomine scriptas, quæ suorum scriptorum temporibus in authoritate sanctæ ecclesiæ recipi mererentur, si sancti homines & iusti & docti qui tunc in vita erant, & examinare talia poterant, eos vera loquutos esse cognoscerent. Ibi tamen legunt Apostolum Thomam, cũ esset in quodam nuptiarum conuiuio peregrinus, & prorsus incognitus à quodam ministro palmâ percussum, imprecatũ fuisse homini continuam sæuámque vindictam. Nam quũ egressus fuisset ad fontẽ, vt inde aquã conuiuantibus ministraret, eũ leo rugiens interemit, manúmq; eius, qua caput Apostoli leui ictu percusserat, à corpore euulsam, secundùm vocẽ eiusdem apostoli id optãtis atq; imprecantis, canis intulit mensis, in quibus discũbebat Apostolus. *Item cap. iiii.* Quòd beata Maria patrem habuerit ex tribu Leui, sacerdotẽ quendam nomine Ioachim, cononicum non est.

Habet hoc Augustinus cõtra Adimãtum Manichæi discipulum, cap. 17. quanquam non ijsdem omnino verbis. Rursum in sermone domini in monte lib. 1. cap. 38.

Id haber. c. 23. lib. contra Faustum Manichæum.

De libro qui est de transitu beatæ Mariæ apocrypho. Hieronymus ad Paulam & Eustochium.

¶ CAP. 152.

Si fortè venerit illud apocryphum in manibus vestris de transitu beatæ Mariæ, dubia pro certis non recipiatis, quod multi latinorum pietatis amore, studio legendi charius amplectuntur, præsertim ex his cùm nihil aliud experiri potest pro certo, nisi quòd hodie beata virgo migrauit à corpore. *Item.* Multi nostrorum dubitant, vtrum assumpta fuerit simul cum corpore, an obierit relicto corpore. Qualiter autem migrauerit à corpore, aut à quibus personis sanctissimum corpus eius ablatum fuerit, vel vbi transpositum, vtrúmue resurrexerit, nescitur, quamuis nonnulli astruere velint, eam iam resuscitatam & beatá iam cum Christo immortalitate vestiri. Quod & de beato Ioanne Euangelista eius ministro (cui virgini à Christo virgo commissa est) plurimi asseuerant, quia in sepulchro eius (vt fertur) non nisi manna inuenitur, quod & scaturire cernitur. Verumtamen quid horum verius censeatur, ambiguum est. Melius tamen Deo totum cui nihil impossibile est, committimus, quàm aliud temerè diffinire velimus authoritate nostra, quòd non probamus: sicut & de his, quos cum Domino teste Euangelio resurrexisse credimus: Sed vtrum redierint in terræ puluerem, certum non habemus, nisi quòd legimus, quia multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, & venerunt in sanctam ciuitatem Hierusalem, & apparuerunt multis. De quibus profectò nonnulli doctorum senserunt etiam, & in suis reliquerunt scriptis, quòd iam in illis perpetua sit completa resurrectio. Fatentur enim quòd veri Christi testes non essent, nisi & vera esset eorum resurrectio. *Matth. 27.*

Quòd Episcopi prohibere debent, ne libri apocryphi vel in publico vel in priuato legantur. Leo Turibio Episcopo.

¶ CAP. 153.

Curandum est & sacerdotali diligentia prouidendum, vt falsatos codices, & à vera & sincera veritate discordes in nullo vsu lectionis habeantur. Apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum, multarum habent seminarium falsitatum, non solùm interdicendæ sunt, sed etiam penitus auferendæ, & ignibus concremandæ. *Item.* Si quis episcoporum apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se nouerit iudicandum, quoniam qui alios ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat.

Con. Eliber. cap. 52.

Quòd excommunicandi sunt qui libros famosos legunt. Ex Epistola Adriani Papæ tradita Ingelranno, cap. lxij.

¶ CAPVT 154.

5. q. 1. cap. Si qui inuenti. Si qui inuenti fuerint libros famosos legere, excommunicentur.

Quàm cautè aliquando libri apocryphi legendi sint. Hieronymus ad Lætam de institutione filiæ.

¶ CAPVT 155.

Caueat omnia apocrypha: & si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reuerentiam legere voluerit, sciat non eorum esse quorum titulis prænotantur, multáque in his admixta vitiosa: & grandis esse prudentiæ, aurum in luto quærere.

Ne aliquis in alterius famam, scripturam, vel verba confingat, nisi probare velit. Adrianus ad Ingelrannum, cap. xlix.

¶ CAP. 156.

Qui in alterius famam in publico scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus, scripta non probauerit, flagelletur: & qui ea priùs inuenerit, rumpat, si non vult authoris causam incurrere.

Item de eodem. Capitulorum libro vij. cap. cc.

¶ CAP. 157.

Hi qui in alterius blasphemiam cantica composuerint, vel qui cantauerit ea, extra ordinem iudicetur. Nam lex exulari iubet eos, qui libellos famosos excogitant aut proponunt. Notatur infamiâ, quicunque dum appellat iudicem conuitium dixerit. Non tantùm is qui maledictum aut conuitium dixerit, famosus efficitur, sed & is cuius consilio factum esse patuerit.

De anathematizandis eis qui libros Catholicos falsauerunt. Actio xiij. sextæ Synodi.

¶ CAP. 158.

Præcipimus illos qui falsauerunt libros Catholicos anathemati subijci, & cum hæreticis anathematizari: & sermonem qui dicitur in me ad Vigilium, & libellos qui dicuntur Vigilij ad Iustinianum & Theodoram vt hæreticorum adinuentiones abijcimus.

De damnando concilio quod factum est aduersus sacras imagines. Actio ij. septimæ synodi, Adrianus Papa Tharasio Patriarchæ.

¶ CAP. 159.

Sanctitas vestra, piis & triumphatoribus Imperatoribus suggerat, quatenus falsum concilium illud quod factum est sine Apostolica sede inordinabiliter, contra constitutionem venerabilium patrum, aduersus sacras imagines, anathematizetur coram apocrisariis nostris.

Vt Episcopus gentilium libros non legat. Ex Carthaginensi concilio iiij. cap. xvi.

¶ CAP. 160.

Episcopus gentilium libros non legat: hæreticorum autem pro necessitate & tempore. *dist. 37. cap. Episcopus.*

Item de eodem. Gregorius lib. ix. Registri, epist. xlviij. ad Desiderium episcopum Galliæ.

¶ CAP. 161.

Peruenit ad nos, quòd sine verecundia memorare non possumus, fraternitatem tuam Grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita molestè suscepimus, ac sumus vehe- *dist. 86. c. cùm multa.*

mentiùs aſpernati, vt ea quæ prùs dicta fuerant in gemitum & triſtitiam verteremus, quia ſe in vno ore cum Iouis laudibus, laudes Chriſti non capiunt. Et quàm graue nefandúmque ſit epiſcopum canere, quod nec laico religioſo conueniat, ipſe conſidera.

Quòd authores pueris, non presbyteris ſunt legendi. Hieronymus Damaſo, de Prodigo filio, tomo iij. Epiſt. 146.

¶ Cap. 162.

diſt. 37. cap. ſacerdotes. Sacerdotes Dei omiſſis Euangeliis & Prophetis, videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum verſuum verba cantare, tenere Virgilium in manibus, & id quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis.

Item de eodem. Hieronymus ad Euſtochium de virginitate. ¶ Cap. 163.

Quis conſenſus Chriſti cum Belial? Quid facit cum pſalterio Horatius? Cum Euangelio Maro? Cum Apoſtolo Cicero?

De eodem. Rabanus de preſſuris Eccleſiaſticis parte ſecunda. ¶ Cap. 164.

diſt. 37. cap. legimus. Legimus de beato Hieronymo, quoniam quum librum legeret Ciceronis, ab Angelo eſt correptus, eò quòd Chriſtianus vir Paganorum intenderet figmentis.

De eodem. In vita Gregorij libro iij. cap. xxxiij.

¶ Cap. 165.

Omnes omninò pontifices à lectione librorum gentilium Gregorius inhibebat.

Item de eodem. Hier. ſuper epiſtolam ad Epheſios lib. iij. in cap. vi. ¶ Cap. 166.

diſt. 37. c. legant Epiſc. Educate, ait Apoſtolus, filios in diſciplina & correptione Domini. Legant Epiſcopi atque Presbyteri, qui filios ſuos ſæcularibus literis erudiunt, & faciunt comœdias legere, & mimorum turpia ſcripta cantare, de eccleſiaſticis fortè ſumptibus eruditos, & quod in Corbonam pro peccato virgo vel vidua, vel quilibet pauper totam ſubſtantiam ſuam effundens obtulerat, hoc in calendarum ſtrenam, & Saturnalium ſportulam & Mineruale munus grammaticus & orator, aut in ſumptus domeſticos, aut in templi ſtipes, aut in ſordida ſcorta conuertit.

Quare Chriſtiani figmenta poëtarum prohibeantur legere. Iſidorus ſententiarum libro iij. cap. xiij. ¶ Cap. 167.

diſt. 37. c. ideo prohibetur. Ideo prohibetur Chriſtianus legere figmenta poëtarum, quia per oblectamenta inanium fabularum mentem incitant ad incentiua libidinum. Non enim ſolùm thura offerendo dæmonibus immolatur, ſed etiam eorum dicta libentiùs audiendo. *Item.* Cauendi ſunt libri gentilium, & propter amorem ſacrarum ſcripturarum vitandi. Simplicioribus literis non eſt præponendus ſuccus Grammaticæ artis. Meliores enim ſunt communes literæ, & ſimpliciores ad ſolam vtilitatem legentium pertinentes. Illæ verò nequiores ſunt, quę ingerunt hominibus pernicioſam mentis elationem. Meliores ſunt Grammatici, quàm hæretici. Hæretici enim hauſtum lethiferi ſucci hominibus perſuadendo propinant. Grammaticorum autem doctrina poteſt etiam proficere ad vitam, dum fuerit in meliores vſus aſſumpta. diſt. 37. c. ſi quis autem.

Quid ſit lex honeſta. Iſidorus Etymologiarum lib. v. cap. xx. ¶ Cap. 168.

Erit lex honeſta, iuſta, poſſibilis, ſecundùm naturam, ſecundùm conſuetudinem patriæ, loco temporíque conueniens, neceſſaria, vtilis, manifeſta quoque ne aliquid per obſcuritatem in cautione contineat, nullo priuato commodo, ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta. diſt. 4. c. erit autem lex.

Quòd leges temporales poſtquàm inſtitutæ ſunt, ſeruandæ ſint. Auguſt. de vera religione, cap. xxxi. ¶ Cap. 169.

In iſtis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent, quum eas inſtituunt, tamen cùm fuerint inſtitutæ & firmatæ non licebit iudici de ipſis iudicare, ſed ſecundùm ipſas. diſt. 4. c. in iſtis.

De libro conſtitutionum Theodoſii. Iſidorus Etymologiarum libro v. cap. i.

¶ Cap. 170.

Theodoſius minor Auguſtus ad ſimilitudinem Gregoriani & Hermogeniani, codicem factum inſtitutionum, à Conſtantini temporibus ſub proprio cuiuſque imperatoris titulo diſpoſuit, quem à ſuo nomine Theodoſianum vocauit. diſt. 7. c. fuerunt autem hi.

De libro quem appellant codicem Iuſtiniani, & de libro Pandectarum, & de eo quem appellant codicem Nouellarum. Ex hiſtoria Longobardorum, libro v. cap. xxv.

¶ Cap. 171.

Iuſtinianus auguſtus leges Romanorum, quarum prolixitas nimia erat & inutilis diſſonantia, mirabili breuitate correxit. Nam omnes conſtitutiones principum, quę vtique multis in voluminibus habebantur, intra duodecim libros coarctauit: idémque volumen codicem Iuſtiniani appellari præcepit. Rurſus ſingulorum magiſtratuum ſiue iudicum leges, quæ vſque ad duo milia penè libros erant extenſæ, intra quinquaginta librorum numerum redegit, eúmque codicem Digeſtorum ſiue Pandectarum vocabulo nuncupauit. Quatuor etiam Inſtitutionum libros in quibus breuiter vniuerſarum legum textus comprehenditur nouiter compoſuit. Nouas quoque leges quas ipſe ſtatuerat in vnum volumen redactas, codicem nouellarum appellari ſanciuit.

Item de libro Iuſtiniani, quem vocant nouellas conſtitutiones. Ex hiſtoria Anaſtaſij bibliothecarij Romanæ Eccleſiæ.

¶ Cap. 172.

Remouit Iuſtinianus Auguſtus contrarias leges, faciens ſingularem codicem, & vocans eum Nouellas conſtitutiones, in quibus non permittit principem, in quibus præeſt, tenere poſſeſſionem aut ædificare domum, aut hæreditari extraneam perſonam, niſi quis ſibi * cognitus exiſtat.

* cognatus

Quòd constet esse legem quicquid imperator per Epistolam constituit, vel cognoscens decreuit, vel edicto præcepit. instit. libro i. titulo ij.

¶ CAP. 173.

Quodcunque Imperator per Epistolam constituit, vel cognoscens decreuit, vel edicto præcepit, legem esse constat. Hæc sunt quæ constitutiones appellantur. Planè ex his sunt quædam personales, quæ non ad exemplum trahuntur, quod non hoc princeps vult: Nam quod alicui ob merita indulsit, vel si cui pœnam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personam non transgreditur.

De capitulis à Carolo legibus insertis. Præfatio libri quinti capitulorum.

¶ CAP. 174.

Præcedentes quatuor libelli nonnulla gloriosorum Caroli atque Ludouici Imperatorum continent capitula. *Item.* Illa quæ postmodum à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ Pipini & Caroli atque Ludouici didicimus, in iam dictis libellis minimè inserta esse, pro Dei omnipotentis amore, & sanctæ Dei Ecclesiæ ac seruorum eius, atque totius populi vtilitate fideliter inuestigare curauimus, & in tribus subsequentibus libellis distinctè cum his coadunare, ac Ludouico, Lothario, atque Carolo nobilissimis regibus, filiis videlicet Ludouici imperatoris piissimi, habenda, & omnibus Christianorum fidelibus tradenda, scribere non distulimus. *Item.* His itaque peractis, est in fronte primi libelli posita Zachariæ Papæ Epistola omnibus Episcopis ac reliquis Ecclesiastici ordinis gradibus, & cunctis ducibus atque comitibus, omnibus Deum timentibus per Gallias & Francorũ prouincias cõstitutis directa, sicut in ea continetur. Quam sequuntur Synodales conuentus quos sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedis legatus Bonifacius Mogontiensis Archiepiscopus, vice supradicti Zachariæ Papæ, vna cum Carolo magno Francorum duce, canonicè tenuit, vt agnoscant omnes hęc prædictorum principum capitula, maximè Apostolica authoritate fore firmata.

De lege Anglorum ab Edelberto rege edita. Beda in historia Anglorum, libro ij. cap. v.

¶ CAP. 175.

Inter cætera bona quæ genti suæ consulendo conferebat rex Edelbertus, etiam decreta illi iudiciorum iuxta exempla Romanorum cum consilio sapientium constituit, quæ conscripta Anglorum sermone hactenus habentur, & obseruantur ab ea.

De capitulis à Lothario Augusto legibus additis. Leo Papa iiij. Lothario Augusto.

¶ CAP. 176.

De capitulis vel præceptis Imperialibus vestris, nostrorúmque etiam pontificum prædecessorum, irrefragabiliter custodiendis & conseruandis quantò valuimus & valemus propitio Christo & nunc, & in æuum conseruaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet vobis aliter dixerit vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem. *dist. 10 c. de capitulis.*

Leges Christianorum Regum ab Ecclesiis recipiendas. Hincmarus Remensis Episcopus de causa Lotharij regis & vxoris suæ.

¶ CAP. 177.

Sunt diuersæ vt gentes, ita & earum leges, quas si Christiani sunt in suis ordinibus quæ iusta sunt decernentes, Ecclesia sua non reijcit.

Quòd faciendum est quicquid Deus iubet, etsi sit contra morem aut pactum quorumlibet. Augustinus confessionum lib. iij. ca. viij.

¶ CAP. 178.

Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate sunt vitanda, vt pactum inter se, gentis aut ciuitatis consuetudine, vel lege firmatum, nulla ciuis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est vniuerso suo non congruens. Cùm autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet iubet, & si nunquam ibi factum est tamen faciendum est: & si omissum, instaurandum est: & si statutum non erat, instituendum est. Si enim regi licet in ciuitate cui regnat, iubere aliquid quod neque ante ipsum quisquam, nec ipse vnquam iusserat, & si non est contra societatem ciuitatis eius, obtemperatur ei, immò contra societatẽ fit, si ei non obtemperaretur (generale quippe pactum est societatis humanæ obtemperare regibus suis) quantò magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ, ad ea quæ iusserit sine dubitatione seruiendum est? Sicut enim in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus. *dist 8 cap. quæ contra.*

Quòd leges Principum, & regulas vel admonitiones Patrum nulli liceat contemnere. Gelasius Ruffino & Aprilli Episcopis.

¶ CAP. 179.

Quis aut leges principum, aut patrum regulas aut admonitiones modernas dicat debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantum æstimet transire commissum? *dist 10 c. quis autem.*

Idem de eodem, Theodorico regi.

¶ CAP. 180.

Certum est, magnificentiam vestram leges Romanorum principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse præcepit, multò magis circa reuerentiam beati Petri Apostoli pro suæ fœlicitatis augmento velle seruari.

Quòd imperiali censura castigandi sint qui leges contemnunt. Leo quartus Lothario Augusto.

¶ CAP. 181.

Habetis de hoc apud Deum retributionem non modicam, si antiquæ legis dogmata minimè obseruantes, vestra imperiali censura pro viribus castigatis, atque corrigitis. *Item.* Vestram flagitamus clementiam, vt sicut hactenus Romana lex viguit, absque vniuersis procellis, & pro nullius persona hominis reminiscitur esse corrupta, ita nunc suum robur propriúmque vigorem obtineat. *dist. 11. cap. vestram.*

Item de eodem, VVidoni Comiti.

¶ CAP. 182.

Valdè indignum est, futuris gentibus etiam

contrarium, tam gloriosam legem, quam multi retrò custodierunt Imperatores, nunc suam vim perdere, ac iniustè damnari.

Licere Ecclesiasticis viris pro defensione sua leges terrenas assumere. August. cap. lviij. lib. ij. contra literas Petiliani.

¶ Cap. 183.

dist. 10. c. si in adiutor. Si in adiutorium vestrum, & terreni imperij leges assumendas putatis, non reprehendimus. Fecit hoc Paulus, cùm aduersus iniuriosos Romanum ciuem se esse testatur. Act. 22.

Epist. 50. *Legibus Imperatorum obediendum esse August. Bonifacio.* ¶ Cap. 184.

Quicunque autem legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Quicunque ergo legibus Imperatorum quæ contra veritatem Dei feruntur obtemperare non vult, acquirit grande præmium. dist. 9. c Imperatores

Ioanni. *Quòd communione priuari possunt qui legibus contradicunt. Gelasius Maiorico, Sereno & Bertuso.* ¶ Cap. 185.

11. q. 2. c. qui & diuinis. Qui & humanis legibus in ciuili damnatione conculcatis, & reuerentiâ religionis abiectâ, vel Ecclesiastica priuilegia calcare contendunt, vel vbilibet in pauperum prosilire dispendium, nec huiusmodi saltem commoniti conuictique nequitiam sopire consentiunt, atque illata sacris rebus detrimenta sarcire, meritò diuini muneris sunt participatione priuandi, vt huius perceptione careant, quod sacrilegis ausibus habuere despectui.

Item de seruandis legibus. Leo quartus Colorodo Archiepiscopo & Bertuso.

¶ Cap. 186.

25. q. 1. cap. ideo permittente. Ideò permittente Deo pastores hominum sumus effecti, vt quod patres nostri siue in sanctis canonibus, siue in mundanis legibus affixere, excedere minimè debeamus. Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quæ ipsi diuino statuerunt consilio, intacta non seruamus.

Ep. 32. *Quòd Ecclesiastica iura legibus imperialibus non possunt dissolui. Nicolaus Papa episcopis in concilio apud Conuicinum congregatis.*

¶ Cap. 187.

dist. 10. c. lege Imper. Imperiali iudicio non possunt Ecclesiastica iura dissolui. Non quòd Imperatorum leges, quibus sæpè Ecclesia * contra hæreticos vtitur, sæpe contra tyrannos, atque contra prauos quosque defenditur, dicamus penitus renuendas: sed eas quidem Euangelicis, Apostolicis atque canonicis decretis, quibus postponendæ sunt, nullum posse inferre præiudicium asseramus. * circa

Nicolaus papa 1. id habet in ep. ad Michaelē Imperat. *Quòd Christiani imperatores pro æterna vita Pontificibus indigent. Pontifices verò pro cursu temporalium rerum legibus Imperatorum vtuntur. Cyprianus Iuliano.*

¶ Cap. 188.

dist. 10. cap. quoniam. Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus sic actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit propria: volens medicinali humilitate hominum corda sursùm efferri, non humanâ superbiâ rursus in inferno demergi: vt etiam Christiani Imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum, imperialibus legibus vterentur: quatenus spiritualis actio carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minimè se sæcularibus negotiis implicaret, ac vicissim ne ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset sæcularibus negotiis implicatus.

Quòd nulla persona priuilegio vtatur, ad fugiendos præsentis legis laqueos. Nouellarum constitutionum lib. ix. cap. v.

¶ Cap. 189.

Nulla persona priuilegio aliquo vtatur ad fugiendos præsentis legis laqueos, quamuis Ecclesia sit vel xenion, vel oratorium, vel quiuis alius locus qui pietatis causâ colitur: id est eiusdem iuris est, siue fiscus, siue patrimonium, siue aliquis quiuis diuinus titulus pulsetur; & multò magis si potentis hominis persona in iudicium fuerit euocata, quamuis priuilegium ex sacro oraculo prætendat.

Quòd conuenit regem legibus diuinis subiacere. Gelasius ad imperatorem Anastasium.

¶ Cap. 190.

Si quantùm ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus humanis exclusæ videantur obuiare sententiæ, quo ore te decet, & conuenit eis obedire affectu, qui prorogandis venerabilibus sunt attributa mysteriis?

Quòd illa in legibus prænalent, quæ concordant cum ratione iuris & legum. Pelagius Ioanni comiti. ¶ Cap. 191.

Dicenti sacras iussiones se habere præ manibus, respondimus, Scire illum oportere, quod ipse clementissimus princeps generalibus legibus constituerit, illa sacra vniuscuiusque desiderio concessa præualere, & effectui mancipari, quæ cum iuris & legum ratione concordant. Ea verò quæ subreptione, vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferre remedium.

Omnes lites secundùm leges breuiari. Nouellarum constitutionum libro vij. cap. lxxiij.

¶ Cap. 192.

Omnes lites secundùm leges & constitutiones breuiantur: quamuis iussio nostra vel pragmatica sanctio contrarium statuerit.

*Secundùm generales leges singulas causas finire debere. Constitutio * ci. cap. j.* * cui

¶ Cap. 193.

Nemo iudicum siue in pecuniaria, siue criminali causa pragmaticam nostram timeat sanctionem, vel aliud cuiusuis generis rescriptum, siue diuinas iussiones, siue referendariorum depositiones, aut illustris magistratus præcepta:

nam secundùm generales leges finiri singulas causas iubemus, & prædictas ambitiones nullum sibi locum in iudiciis vendicare.

Quòd diuturni mores consensu vtentium approbati, legem imitantur. Institutionum lib. i. titulo ij.

¶ Cap. 194.

Ex non scripto ius venit quod vsus probauit. Nam diuturni mores consensu vtentium approbati, legem imitantur. *Item.* Ea quæ sibi quæque ciuitas constituit sæpe mutari solent, vel tacito consensu * principis, vel alia postea lege data. *populi

Quòd ea quæ vniuersa custodit Ecclesia, & si non inueniantur scripta, vel ab Apostolis vel ab apostolicis viris credantur tradita. Augustinus de Baptismo contra Donatistas. lib. ij. Cap. 7.

¶ Cap. 195.

Multa non inueniuntur in literis Apostolorum, neque in conciliis posterorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata credimus.

Noua non esse præsumenda, nisi aliqua authoritas faueat. Leo quartus Iudici Sardinæ.

¶ Cap. 196.

Nec mos, nec nouiter introducta consuetudo nostræ Ecclesiæ, prædecessoribúsque nostris fuit, contra sanctorum canonum noua vel inusitata præsumere. Quamobrem nos deuotius volentes vestras petitiones suscipere, si in his nos sanctorum patrum censura iuuaret. Sed ideo quia synodicæ paginæ, in hoc fauore non videntur, nos tantam nouitatem præsumere non possumus, & ab illo rectissimo tramite deuiare.

Quòd canonicè tradita nulla nouitate sunt commutanda. Ex libro Pontificium qui dicitur Diurnus.

¶ Cap. 197.

Nihil de traditione quam à probatissimis prædecessoribus meis traditam & seruatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam nouitatem admittere, sed feruenter vt eorum verè discipulus & sequipeda toto mentis meæ conamine quæ tradita canonicè comperio, obseruare ac venerari profiteor.

De eodem. Actio vij contra falsam synodum.

¶ Cap. 198.

Omnes traditiones Ecclesiasticas siue in scripto, siue sine scripto inuiolabiliter custodimus. *Item.* Si quis omnem traditionem Ecclesiasticam vel scriptam vel non scriptam violat, anathema sit.

Vt ea quæ vsus antiquitatis statuit, intemerata seruentur. Gregorius Maurentio magistro militum. lib. vij. registri. epist. lxx.

¶ Cap. 199.

Omninò contristamur cur in Theodori defensionem veritas non permouit, vt & liberè quid esset ratio disceretis, & reseruari quod longa sibi consuetudo iure vendicat, faceretis: quia graue nimis est contra veterem vsum sacerdotes sibi quippiam arripere. *Item.* Omnia quę vsus antiquitatis statuit, in omnibus intemerata seruetur

De eodem. Isidorus Etymologiarum lib. v. cap. iij.

¶ Cap. 200.

Mos, est vetustate probata consuetudo, siue lex non scripta. *Item.* Consuetudo autem est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex, nec differt vtrum scripturâ an ratione consistat. *dist. 1. c. mos. est* *Ibid. c. consuetudo autem.*

Item de eodem. Codicum lib. viij. cap. liij. titulo j.

¶ Cap. 201.

Consuetudo præcedens, & ratio quæ consuetudinem suasit, tenenda est, & quicquid contra longam consuetudinem fiet, ad sollicitudinem suam reuocabit præses prouinciæ. *Dist. 11. c. consuetudo.*

Quòd consuetudo non adeò valet, vt rationem vincat, vel legem. Titulo secundo.

¶ Cap. 202.

Consuetudinis vsúsque longæui non vilis authoritas est, verùm non vsque adeò sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem. *dist. 11. c. consuetudinis.*

Malas consuetudines citissimè esse euellendas. Nicolaus Papa Igmaro Remensi, Archiepiscopo.

¶ Cap. 203.

Mala consuetudo, quæ non minus quàm perniciosa corruptela vitanda est, quæ nisi citiùs radicitùs euellatur, in priuilegiorum ius ab impiis assumitur, & incipiunt præuaricationes, & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ, pro legibus venerari & priuilegiorum more perpetuo celebrari. *dist. 8. c. mala consuet.*

Bonam consuetudinem, & si videatur obuiare rationi non facilè mutandam. Greg. epist. lxxv. li j. Registri, vniuersis episcopis Numidiæ.

¶ Cap. 204.

Nos consuetudinem, quæ contra fidem Catholicam nihil vsurpare dinoscitur, immotam permanere concedimus, siue de primatibus* cōstituendis cæterísque capitulis, exceptis his qui ex Donatistis ad episcopatum perueniunt, quos prouehi ad primatus dignitatem, etiam quum ordo eos ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis commissæ sibi plebis curam gerere, non autem etiam illos antistites, quos catholica fides in Ecclesiæ sinu & docuit & genuit, ad obtinendi culmen primatus anteire. *dist. 12. cap. Nos.* * custodiendis.

Vt communione priuetur, qui statuta Romanorum Pontificum infregit. Idem Epis. vij, lib. ij. Ioanni larisseo Episcopo.

¶ Cap. 205.

Si contra hæc quæ statuimus, quolibet tempore, qualibet occasione vel subreptione venire tentaueris, sacra scias te communione priuatum, nec eam te (excepto vltimo vitæ tuæ tempore) nisi cum concessa Romani Pontificis decernimus iussione recipere.

Omnia quæ nec conciliis episcoporum statuta sunt, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata, sed diuersorum locorum diuersis moribus irrationabiliter sunt variata, resecanda esse. Augustinus ad inquisitiones Ianuarij episto. cix. cap. xix. ¶ CAP. 206.

L.1.c 19.

dist.12. cap. omnia talia. Omnia talia quæ neque sanctarum scripturarum authoritatibus continentur, nec de conciliis episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omninò nunquam inueniri possint causæ, quas in eis instituendis homines sequuti sunt, vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo. Quamuis enim neque hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse voluit liberam, quam seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiam si tempus libertatis non cognouerunt, legalibus tamen sacramentis non humanis præsumptionibus subijciuntur.

Quòd vsus authoritati cedere debet. Isidorus in Synonymis lib. ij. ¶ CAP. 207.

dist. 11. cap. vsus. Vsus authoritati cedat, prauum vsum lex & ratio vincat.

De eodem. Augustinus cap. vi. lib. iij. de bapti. contra Donat. ¶ CAP. 208.

dist 8.c.veritate. Ibid.c.8. Veritate manifestata cedat consuetudo veritati. Planè respondeo (inquit August.) Quis dubitet veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere. *Item.* Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

Quòd multa ab Apostolis creduntur tradita, quæ non sunt scripta. Item lib. v.

¶ CAP. 209.

Consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiantur.

Quòd non facilè incipiendum, quod nec authoritas principis, nec vsus Ecclesiæ suadet. Leo quartus. Lothario Augusto.

¶ CAP. 210.

Mandastis vt priuilegium & pallium Alteō Episcopo præberemus. Vnde poscimus vt vestra super hoc magnitudo non indignetur, quoniam quod ab ipso sanctissimo Papa Gregorio vsque ad hæc tempora nostra factum minimè recordamur, facere non potuimus, neque præfixos patrum terminos immutare. *Item.* Quod iusta & sedula nos imitari consuetudo non præcipit, ita ab hoc veluti à magno nos præcipitio custodire oportet.

Quòd nulla consuetudine poterit impediri quicquid authoritas Apostolica sanxerit. Nicolaus i. epist. ad Michaëlem Imperatorem.

¶ CAP. 211.

dist. 11.c.cōsequens est. Consequens est, vt quod ab huius sedis rectoribus plena authoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, proprias tantùm sequendo voluntates, remoueatur, sed firmiùs atque inconcusse teneatur. *Item.* De consuetudinibus quas nobis opponere visi estis, scribentes, per diuersas Ecclesias diuersas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit authoritas, pro qua eis obuiare debemus, nil iudicamus, vel eis resistimus.

Item de eodem. Igmaro Remensi archiepiscopo.

¶ CAP. 212.

Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, vt traditiones quas antiquitus à patribus suscepimus, infringi patiamur. dist.12 c.ridiculum.

Vsum qui veritati contrarius est, abolendum esse. Gregorius vij. VVimundo Auersano episcopo. Au. c.5.& 6.lib 3.de baptismo.

¶ CAP. 213.

Si consuetudinem fortassis opponas, aduertendum fuerit quod Dominus dixit: Ego sum veritas & vita. Non ait, Ego sum consuetudo, sed veritas. Et certè (vt beati Cypriani vtamur sententia) quælibet consuetudo quantumuis vetusta, quantumuis vulgata, veritati est omninò postponenda, & vsus qui veritati est contrarius, abolendus. dist.8.c si consuetudinem. Ioan. 14.

Magistros qui liberales artes doceant per singulas Ecclesias esse constituendos. Synodus Eugenij Papæ, tempore Ludouici.

¶ CAP. 214.

De quibusdam locis ad nos refertur, non magistros, neque curam inueniri pro studio literarum. Idcirco vniuersis Episcopis, subiectisque plebibus, & aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omninò cura & diligentia adhibeatur, vt magistri & doctores constituantur, qui studia literarum, liberaliúmque artium habentes dogmata, doceant, quia in his maximè diuina manifestantur, atque declarantur mandata. Dist 37 c. de quibusdam.

Ad sacras scripturas nulla admittenda mendacia. Augustinus epist. ix. quæ est ad Hieronymum. ¶ CAP. 215.

Si ad scripturas sanctas admissa fuerint, vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit authoritatis? quæ tandem de scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosæ falsitatis obteretur improbitas? dist.9.c.si ad scripturas.

De eodem, epistola viij. ¶ CAP. 216.

Mihi videtur exitiosissimè credi aliquod in sacris libris esse mendacium, id est, eos homines, per quos nobis illa scriptura ministrata est, atque conscripta, aliquid in suis libris fuisse mentitos. Alia quæstio est vtrum scriptorem sanctarum scripturarum mentiri oportuerit, immo non alia verò, sed nulla quæstio est. Admisso enim semel in tantum authoritatis fastigium, officioso aliquo mendacio, nulla istorum librorum particula remanebit, quę non vt vnicuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem pernitiosissima ad mentientis authoris consilium, officiúmque referatur.

De cura pro mortuis habenda. Aug. li. de cura pro mortuis. c. vi. ¶ CAP. 217.

Legimus in Ecclesiastica historia, quam Græcè scripsit Eusebius,& in Latinam linguam vertit Ruffinus, martyrum corpora in Gallia canibus exposita, canúmque reliquias, atque ossa mortuorum vsque ad extremam consumptionem ignibus concremata, eosdémque cineres fluuio Rhodano,ne quid ad memoriam qualemcunque relinqueretur,inspersos.

Euangelium quod dicitur iuxta Hebræos non esse apocryphum, sed ecclesiasticum. Beda super Lucam. lib. i. cap. i.

¶ CAP. 218.

Euangelium quod dicitur iuxta Hebræos, non inter apocryphas, sed inter Ecclesiasticas numerandum historias; nam & ipsi sacræ scripturæ interprete Hieronymo, pleraque ex eo testimonia vsurpare, & ipsum in latinum Græcúmque visum est transferre sermonem.

Canonum contemptores excommunicandos esse. Vrbanus ij. Gerardo Teruanensi episcopo.

¶ CAP. 219.

Canonum contemptores excommunicandi sunt & damnandi, quandoquidem à sacris altaris mysteriis est remouendus, qui sacris non vult obedire canonibus.

Quòd excommunicandus est qui Apocalypsim non receperit. Ex Toletano concilio iiij. ca. xvij.

¶ CAP. 220.

Si quis Apocalypsim deinceps non receperit, aut à Pascha vsque ad Pentecosten tempore missarum in Ecclesia non prædicauerit, excommunicationis sententiam habebit. *Et cap. xviij.* Qui ne prouehantur ad sacerdotium, & regulis canonum, necessariò credimus esse inserendum.

Actio octaua sextæ Synodi.

¶ CAP. 221.

Theophanius Presbyter & abbas obtulit duas schedas, vnam sancti Athanasij Alexandrini Episcopi,& alteram sancti Augustini Hipponensis Episcopi.

Item de eodem. de v. libro contra Iulianum Pelagianistam. ¶ CAP. 222.

Sancta synodus dixit:Splendidè,& verè Theophanius venerabilis Presbyter prosecutus est in schedis sanctorum & mirabilium patrum &c. *Item.* Rursum relecta est de eodem codicillo alia scheda sancti Ambrosij Mediolanensis Episcopi.

Diuersas pro loco & tempore in vna fide consuetudines non obesse. Leo nonus Michaeli Imperatori Constantinopolitano.

¶ CAP. 223.

dist. 12. c. scit sancta. Scit sancta Romana Ecclesia, quia nihil obsunt saluti credentium diuersæ pro loco & tempore consuetudines, quando vna fides per dilectionem operans vni Deo commendat omnes.

Quòd mater Christi omnem typhum carnalis nobilitatis exclusit. Augustinus de Catechizandis rudibus, cap. xxij.

¶ CAP. 224.

Natus est (Christus) de matre, quæ quamuis à viro intacta conceperit, sempérque intacta permanserit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis extinxit.

Quòd duo tantùm libri Esdræ recipiuntur. Responsio Adriani Papæ contra obiectiones quorundam, cap. xxiij. *Cap. 7.*

¶ CAP. 225.

In libro sancti Ambrosij secundo de Spiritu sancto,inter cętera Esdras nos docuit dicens in tertio libro. Similiter nec in nostris codicibus qui ex hebraica veritate translati sunt, susceptus est tertius liber Esdræ,nisi tantummodo duo. *Vide etiam in li. de Tobia,cap.20. & in libello de bono mortis, c. 10. producit testimonium ex 4 lib. Esdræ*

Quòd inconuulsa viuit antiquitas, cui sanctorum Patrum authoritas suffragatur. Zosimus Papa episcopis Narbonensis prouinciæ.

¶ CAPVT 226.

Contra statuta patrum condere aliquid, vel mutare nec huius quidem sedis potest authoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reuerentiam. *25.q.1.c.contra statuta.*

Sanctam scripturam canonicam tam veteris quàm noui testamenti, certis suis terminis contineri, ita vt omninò de ea dubitari non possit: episcoporum verò literas aliorum episcoporum authoritate reprehendi licere. Augustinus cap. iij. lib. ij. de baptismo contra Donatistas.

¶ CAP. 227.

Quis nesciat sanctam scripturam canonicam tam veteris quàm noui testamenti certis suis terminis contineri,eámque omnibus posterioribus episcoporum literis ita præponi, vt de illa omninò dubitari & disceptari non possit, vtrum verum vel vtrum rectum sit quicquid in ea scriptum constiterit esse? Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum episcoporum grauiorem authoritatem doctiorémque prudentiam, & per concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est? *dist. 9. c. quis nesciat.*

De authoritate libri Sapientiæ. Augustinus ad Prosperum & Hilarium de vita sanctorum. *De prædest. sanctorum, c. 14.*

¶ CAP. 228.

Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari,& ab omnibus Christianis,ab Episcopis vsque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos cum veneratione diuinæ authoritatis audiri. *Item.* Qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet vt librum istum Sapientiæ vbi legitur, Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius,omnibus tractatoribus anteponant, quoniam * sic eum anteposuerunt etiam temporibus proximis apostolorum egregij *Sap. 4.* * sibi

tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi diuinum testimonium crediderunt. *Item.* Liber Sapientiæ qui tanta numerositate annorum legi meruit in Ecclesia Christi, nullam pati debet iniuriam, quoniam resistit eis qui pro meritis hominum falluntur.

Quòd in dialectica non placuit Deo saluare populum suum. Responsio Adriani Papæ contra obiectiones quorundam ad Carolum, cap. xlix. ¶ Cap. 229.

*v enenorum. dist. 37. c. omnem vim. *disputatione cõstituunt.

Omnem vim * inuentorum suorum in dialectica * disputantes ponunt hæretici, quæ Philosophorum sententia diffinitur, non adstruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica placuit Deo saluum facere populum suum. Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis.

Quod contra leges accipitur, per leges dissoluitur. Ioannes viij Ludouico Imperatori.

¶ Cap. 230.

dist 10. cap. vides. Vides fili charissime, quia quod contra leges accipitur, per leges dissolui meretur.

Quòd non licet Imperatori contra leges diuinas aliquid agere. Sexta Synodus Symmachi Papæ. ¶ Cap. 231.

In 6. Synodo Romana tempore Theodorici regis. *dist. 10. cap. non licet.*

Non licet imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata diuina præsumere, nec quicquam quod Euangelicis, Propheticis, apostolicisque regulis obuiat, agere.

Quot sint capitula Niceni concilij. Stephanus Luythobio Moguntino Episcopo.

¶ Cap. 232.

Dist. 16. c. viginti. Capitula Nicæni concilij testimonio Athanasij, lxx. in figuram septuaginta discipulorum scripta non dubitamus. E quibus viginti tantùm in Ecclesia sancta Romana habentur, sed quo neglectu reliqua defecerint ambiguum est: Arbitrantur enim plurimi ea Antiocheno inserta concilio.

De re obscurissima non esse disputandum sine authoritate diuinarum scripturarum. Augustinus in libro de baptismo paruulorum, contra Donatistas. ¶ Cap. 233.

Vbi enim de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando.

Vt manifestata veritate, consuetudo cedat. Ibidem lib. iij. cap. v. ¶ Cap. 234.

dist. 8. c. qui contempta. Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est: & malignus, quibus veritas reuelatur, aut circa Deum ingratus est, inspiratione cuius Ecclesia eius instruitur. *Item c. 6.* Nam dominus in Euangelio, Ego sum, inquit, veritas. *Ioannis 14.* Non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata cedat consuetudo veritati. *Item c. 7.* Reuelatione igitur facta veritatis cedat error veritati, quia & Petrus qui prius circuncidebat cessit Paulo veritatem prædicanti. *Galat. 2.* *Item c. 9.* Igitur cùm Christus veritas sit, magis veritatem quam consuetudinē sequi debemus, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

De eodem. Augustinus cap. iij. lib. iij. de baptismo. ¶ Cap. 235. *Cap. 5.*

Frustrà, inquit, quidam qui ratione vincuntur consuetudinem nobis obijciunt, quasi consuetudo maior sit veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit à Spiritu sancto reuelatum. Hoc planè verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est: sed cùm consuetudini veritas suffragatur, nihil firmius oportet retinere. *dist. 8. c. frustra.*

Quòd scripturæ episcoporum ab authoritate canonis distinguendæ sunt. Augustinus epistola xlviij. ad Vincentium.

¶ Cap. 236.

Habent etiam scripturæ canonicæ hunc arguendi morem, vt tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verba perueniant. *Item ibi.* Noli frater contra diuina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia, colligere velle calumnias ex episcoporum scriptis, siue nostrorũ sicut Hilarij: siue (antequam pars Donati separaretur,) ipsius vnitatis, sicut Cypriani & Agrippini: primò, quia hoc genus literarum ab authoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contrà sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, vt non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere, Et si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis reuelauit. *dist 9 cap. noli frater.* *Philip. 3.*

Item de eodem. Epist. ad Fortunatianum episcopum sircensem. ¶ Cap. 237.

Neque quorumlibet disputationes, quamuis catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat saluâ honorificentiâ quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè inuenerimus quod aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum. *dist 9. c. neque quorũlibet.*

Apostolicas sanctiones à Deo firmatas esse. Agatho Papa omnibus Episcopis.

¶ Cap. 238.

Sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuini Petri voce firmatæ sint.

Quòd particularis synodus ad generalem synodum iudicandam congregari non posit. Pelagius Valeriano Patricio inter cætera.

¶ Cap. 239.

Sic nec licuit * aliquem, nec licebit particularem synodum ad iudicandum generalem synodum congregari. Sed quotiens aliqua de vniuersali synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de hoc quod non intelligitur rationem, aut spontè hi qui salutem animæ suæ desiderant ad Apostolicas sedes pro * recipienda ratione conueniant, aut si fortè sicut de talibus dictum est: Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit, ita obstinati & contumaces existiterint, vt doceri non velint, eos ab eisdem Apostolicis sedibus aut attrahi ad salutem quo quomodo necesse est, aut ne aliorũ perditio esse

*forte, aliquando. *Dist. 17. c. nec licuit.* *percipienda *Prouerb. 18.*

esse possint, secundum canones per sæculares comprimi potestates. *opprimi

Non esse congregandam synodum Episcoporum absque authoritate Romanæ sedis. Marcellus Papa xxviij. à Petro in. ij. decretali suo.

¶ Cap. 240.

dist. 17. cap. synodum. Synodum episcoporum absque huius sanctæ sedis authoritate quanquam quosdam Episcopos possitis congregare) non potestis regulariter facere, neque illum episcopum qui hanc appellauerit sedem apostolicam damnare, antequam hinc sententia finitiua procedat. Nam si sæculares in publicis iudiciis libellis vtuntur appellatoriis, quantò magis sacerdotibus hæc eadem agere licet qui super illos sunt? De quibus dictum est: Ego dixi dij estis, & filij excelsi
Psalm. 81. omnes. Et ideo nullus Episcopus, nisi in legitima synodo, suo tempore Apostolica aut regulari authoritate conuocata, super quibuslibet pulsatus criminibus audiatur vel iudicetur, ne innocens damnetur, aut perdat communionem.

Vt bina Prouincialia episcoporum concilia per annum celebrentur Leo Papa i. epist. lxxxij.

¶ Cap. 241.

dist. 18. c. de conciliis. De conciliis autem Episcopalibus, non aliud indicimus, quàm sancti patres salubriter ordinauerunt, vt scilicet bini conuentus per singulos annos habeātur, in quibus de omnibus querelis quæ inter diuersos Ecclesię ordines nasci assolēt iudicetur: ac si fortè inter ipsos qui præsunt, dę maioribus peccatis (quod absit) causa nascitur, quæ prouinciali nequeat examine diffiniri, fraternitatē tuā de totius negotij qualitate Metropolitanus curabit instruere, vt si corā positis patribus nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostrā quicquid illud est cognitionem transferatur.

Non esse rata concilia sine authoritate Apostolica. In quinta synodo Symmachi Papæ.

¶ Cap. 242.

dist. 17. cap. concilia. Concilia sacerdotum Ecclesiasticis legibus quotannis decreta per prouincias, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt. Legite insanissimi, aliquando, illis præter Apostolici apicis sanctionem, aliquid constitutum, & non de maioribus negotiis ad consultationem si quid occurrit, præfatæ sedis arbitrio fuisse seruatum.

Item bis in anno celebranda esse episcoporum concilia. Ex concilio Chalcedonensi, actione xv. cap. xix.

¶ Cap. 243.

dist. 18. cap. peruenit ad nostras. Peruenit ad nostras aures, quòd in prouinciis constituta episcoporum concilia minimè celebrentur, & ex hoc probatur, quòd multæ, quæ correctione opus habeant, ecclesiasticæ res negligantur. Statuit igitur hæc sancta Synodus secundùm patrum regulas bis in anno in vnum conuenire per singulas prouincias episcopos, vbi singula quæ emerserint corrigantur. Qui verò noluerint conuenire Episcopi, constituti in suis ciuitatibus, & hoc maximè cum sui corporis sanitate consistentes, etiam omnibus aliis vrgentibus, & inexcusabilibus negotiis liberi sunt, licere eos fraternæ charitatis admonitionibus corripi.

Vt in ecclesiis Hispaniæ semel in anno propter paupertatem concilia fiant. Ex concilio Toletano iij. cap. xviij.

¶ Cap. 244.

Præcipit hæc sancta & vniuersalis Synodus, vt stante priorum authoritate canonum, quæ bis in anno præcipit congregari Concilia, consulta itineris longitudine & paupertate ecclesiarum Hispaniæ, semel in anno in locum quem metropolitanus elegerit, Episcopi congregentur: iudices verò locorum, vel actores fiscalium patrimoniorum, ex decreto gloriosissimi Domini nostri simul cum sacerdotali concilio, *aut vernali tempore, aut die Calendarum Nouembrium, in vnum conueniant, vt discant, quàm piè, & iustè cum populis agere debeant, ne in angariis, aut in operationibus superfluis siue priuatum onerent, siue fiscalem grauent. Sint *enim perspectores Episcopi, secundùm regiam admonitionem, qualiter iudices cum populis agant, ita vt ipsos præmonitos corrigant, aut insolentias eorum auribus principium innotescant. Quòd si correptos emendare nequiuerint, & ab Ecclesia & à communione suspendant. A sacerdote verò & senioribus deliberetur quid per prouincias in suo detrimento præstare debeant iudices, si ad concilium non venerint; Concilium autem non soluatur, nisi priùs locum elegerint, quo succedenti tempore iterum ad concilium veniatur, vt iam non necesse habeat Metropolitanus Episcopus pro congregando concilio literas destinare, si in priori concilio tempus omnibus denuncietur & locus. *autumnali *prosp.

Quàm reuerenter & compositè sacerdotes Domini in iudiciis præsidere debent. Ex concilio Toletano xi. cap. i.

¶ Cap. 245.

In loco benedictionis considentes Domini sacerdotes, nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbari, nullis etiam vanis fabulis vel risibus agi, & (quod est deterius) obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. Si quis enim (vt Apostolus ait) putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suũ, huius vana est religio. Cultum enim suum iustitia perdit, quando silentia iudicij, obstrepentiũ turba confundit, dicente propheta, Erit cultus iustitiæ silentium. Debet ergo quicquid aut cōsidentium consultationibus agitur, aut accusantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, vt nec contentiosis vocibus sensus audientium turbent, nec iudicum vigorem de tumultu eneruēt. Quicunque ergo in conuentu concilij hæc quæ præmissa sunt violanda crediderit, & contra hæc interdicta, aut tumultu, aut contumeliis vel risibus concilium perturbauerit, iuxta diuinæ legis edictum quo præcipitur, Eijce derisorem & exibit cum eo iurgium, cum omni dedecore de confessione abstractus à communi cœtu secedat, & trium dierum excommunicationis sententiam perferat. *5. q. 4. c. in loco benedictionis.* *Iacob. 1.* *Esaiæ 58.* *Prouerb. 22.*

Incipit ordo qualiter ab Episcopo Synodus agatur.

¶ Capvt 246.

Hora diei prima ante solis ortum eijciantur omnes ab Ecclesia, obseratisque foribus cunctis, ad vnam ianuam, per quam sacerdotes ingredi oportet, ostiarij stabunt, & conuenientes cardinales, sacerdotes pariter cum Episcopo introibunt, & secundum ordinis sui tempus residebunt. Post hos ingrediantur & diaconi, qui corona facta in conspectu Episcopi & sacerdotum stent. Deinde forenses ingrediantur Presbyteri, in ordine suo, procul ab aliis stantes, & vt iussi fuerint residentes. Ingrediantur quoque Desumpta ex concilio Salegonstadiensi. Vide Isidorum præfatione in collectionem canonum & in principio Conciliorum.

subdiaconi quos ad recitandum vel excipiendum congruus ordo requirit, obseratisque ianuis sedentes in diuturno silentio Episcopi videlicet & sacerdotes, atque cor totum habentes ad dominum, dicturus est Archidiaconus: Orate: & tunc agatur litania. Statimque omnes incuruentur, tam Episcopi, quàm Presbyteri orantes diutius, tacitè cum fletibus, atque gemitibus. Tunc surgens Episcopus cunctis adhuc incuruatis, hanc orationem palam fundat ad dominum.

Oratio ab Episcopo in synodo dicenda.

¶ CAP. 247.

Adsumus Domine sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo spiritualiter aggregati. Veni ad nos, esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, vt te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus. Esto salus, & suggestor, & effector iudiciorum nostrorum qui solus cum Deo patre & eius filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse iustitiæ, qui summam diligis æquitatem, vt in sinistrum nos non ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat, sed iunge nos tibi efficaciter solius gratiæ tuæ dono, vt simus in te vnum, & in nullo deuiemus à vero, qualiter in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderatione pietatis iustitiam, vt hîc à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro benè gestis consequamur præmia sempiterna.

Quòd Euangelium in synodo dicendum, & quæ capitula sint recitanda.

¶ CAP. 248.

Qua oratione finita, ab omnibus respondeatur Amen. Rursùmque dicat Archidiaconus, Erigite vos. Confestim omnes surgant, & ab Archidiacono legatur Euangelium, Designauit Dominus Iesus, &c. Quo perlecto cum timore & disciplina tam Episcopus quam * cæteri sedeant. Diaconus dalmaticâ indutus codicem canonum in medium proferens, capitula Nicæni concilij perlegat, vbi de fide Catholica pleniùs tractatur, qualiter omnes Christicolæ vnũ Deum in trinitate, & trinitatem in vnitate fiducialiter venerari, corde credere, ore confiteri, & incessanter excolere debeant: vbi satis apertè depromitur, quomodo pater & filius & Spiritus sanctus veraciter vnus sit Deus. Deinde legatur liber officiorum, vt scire valeant quo ordine in Ecclesia cuncta peragantur officia. Post hæc autem perquirantur Presbyteri qualiter energumenos exorcizare, qualiter scrutinia & aurium apertiones facere, vel eosdem baptizare debeant. Quibus expletis taliter cunctos clericos alloquatur Episcopus.

Luc. 10. *Presbyteri.

Admonitio Episcopi. ¶ CAP. 249.

Precibus itaque Deo præmissis, fraternitatem vestram, dilectissimi filij, cum pia exhortatione admoneo, & per diuinum nomen obtestor, vt ea quæ nobis de Deo, & sacris ordinibus, vel sanctis moribus dicta fuerint, cum omni pietate suscipiatis, & cum summa reuerentia perficere studeatis, quatenus superna auxiliante gratia, ea quæ ad salutem nostram & Christiani populi nobis commissi pertinere videbuntur, diligenter & prouidè omnia tractemus, ne oues Domini nostri Iesu Christi nobis cõmissæ, licet indignè, ob nostram pereant negligentiam, pro quibus in die iudicij rationem reddituri sumus. Deinde simili vos obtestatione coniuro vel obsecro, vt nullus vestrum in iudicando, fratrem suum aut personam accipiat, *vt quolibet fauore vel munere pulsatus, à iusto iudicio scienter auertatur aut discedat, sed cum tota pietate fraternæ dilectionis, & cum Dei timore libenter nobiscum adhibeatis studium, quatenus per doctrinam & sacram admonitionem peccata, errores & prauitates filiorum nostrorum, quæ ante nos vel tempore nostro, instigante diabolo in ciuitate ista vel parochiis nostris perpetrata fuerint, Dei auxiliante misericordia ad correctionis emendationem & bonorum executionem perducere valeamus, & in extremo iudicij die non de negligentiis & culpis à Domino sicut pigri & mali seruii iudicemur, sed de benefactis ac rectè dispositis præmium æternæ beatitudinis recipere mereamur. Per dominum &c.

* aut

De examinatione fidei & aliarum virtutum.

¶ CAP. 250.

Quibus taliter narratis, perscrutandi & inquirendi sunt Cardinales, sacerdotes, & leuitæ, nec non & reliqui, videlicet de credulitate trinitatis, & vnitatis, id est de dilectione Dei & proximi: secundò de humilitate & castitate: tertiò de ieiunio & oratione: quartò de eleemosynarum largitate: quintò de officiis Ecclesiasticis simul & omnibus cauendis vitiis & virtutibus adipiscendis.

Finis concilij primæ diei.

¶ CAP. 251.

His itaque prima die synodali iudicio deliberatis, surgens Archidiaconus dicat: In nomine Domini nostri Iesu Christi eamus in pace. Tunc dicat Episcopus benedictionem.

Benedictio Episcopi. ¶ CAP. 252.

Qui dispersos Israël congregat, ipse vos hîc & vbique custodiat, Amen. Et non solùm vos custodiat, sed ouium suarum idoneos custodes efficiat, Amen. Vt cum summo pastore Christo de gregum suorum pastione gaudeatis in cœlo, Amen. Quod ipse præstare dignetur, qui nos ante constitutionem mundi prædestinatos, & ante finem sęculi iustificatos præsciuit, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Actio secunda diei.

Secunda verò die ingreßis, simúlque, vt supradictum est, omnibus incuruatis, hæc dicenda est ab Episcopo oratio.

¶ CAP. 253.

Nostrorum tibi, Domine, curuantes genua cordium, quęsumus, vt bonum quod à nobis à te requiritur, exequamur, scilicet vt prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduæ subtile iudicium faciamus, ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitæ actionis. Tunc ab omnibus respondeatur, Amen. Surgentibúsque illis legatur Euangelium, Vos estis sal terræ: vel, Estote misericordes. Post hæc per ordinem, sicut priùs, in suis resideant sedibus, quos deinde alloquatur Episcopus. Quibus verbis secunda die peractis, perquirantur quę in synodo necessaria sunt, ac diligenti cura

Matt. 5. Luc. 6.

pertractentur. Hora autem sextâ vel nonâ expletâ iterum pronunciet Archidiaconus, In nomine Domini nostri Iesu Christi eamus in pace.

Benedictio Episcopi.

¶ CAP. 254.

Dominus mentis & linguæ corporalis & spiritualis det vobis incrementa gratiæ sacerdotalis, Amen. Atque vobis ad dexteram constitutis participium regni tribuat celestis. Amen. Quod ipse præstare dignetur qui nos ante &c.

Actio tertia diei.

Tertia deinde die omnibus, sicut supradictum est, expletis, Ecclesiam ingressis, hanc item orationem ipsis incuruatis dicat Episcopus.

¶ CAP. 255.

Ad te, Domine, interim clamosis vocibus proclamantes, vnanimiter postulamus, vt respectu gratiæ tuæ solidati, præcones virtutis efficiamur intrepidi, tuúmque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Et respondeatur ab omnibus, Amen. Et surgentibus cunctis iterum legatur
Ioan. 11. Euangelium: Ego sum pastor bonus. Post hæc per ordinem resideant in sedibus suis, quos iterum alloquatur Episcopus. His taliter prælibatis, cætera quæ in synodo sunt necessaria pertractentur. Quibus omnibus expletis, hanc orationem super cunctos clericos dicat Episcopus.

Oratio. ¶ CAP. 256.

Nulla est Domine, humanæ conscientiæ virtus, quæ inoffensè possit tuæ voluntatis iudicia
Psal. 138. expedire. Et ideò quia imperfectum nostrum viderunt oculi tui, perfectioni deputa, quæ perfecto æquitatis fine à te concludere præoptamus. Tè itaque in nostris principiis occursorem exoræuimus, te quoque in hoc fine iudiciorum nostrorum excessibus adesse precamur, scilicet vt ignorantiæ parcas, errori indulgeas, perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris. Et quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia traxerit nos in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit iustitiam declinare: Ob hoc te poscimus, te rogamus, vt si quid offensionis in hac synodali celebritate attraximus, condonare ac remissibile facere digneris, vt qui soluturi sumus aggregatam synodum, à cunctis primùm absoluamur nostrorum nexibus delictorum, qualiter & transgressores veniam, & confitentes tibi consequamur remunerationem sempiternam, Amen.

Huic orationi, oratio paterna adiungatur, cunctis interim incuruatis.

¶ CAP. 257.

Benedictio Episcopi & finis concilij.

Omnipotentis Dei filius, qui est initium & finis complementum vobis tribuat charitatis. Amen. Et qui vos ad expletionem huius fecit peruenire synodi, absolutos vos faciat ab omni contagione delicti. Amen. Vt ab omni reatu liberiores effecti, absoluti etiam per donum sancti spiritus, fœlici reditu vestrarum sedium cubilia repetatis illæsi. Amen. Quod ipse &c. Quibus omnibus expletis Archidiaconus dicat: In nomine Domini nostri Iesu Christi eamus cum pace. Tunc omnes pariter surgant, & ad propria redeant cum pace.





D.
IVONIS CARNOTENSIS
EPISCOPI,
DECRETI PARS QVINTA:

DE PRIMATV ROMANÆ ECCLESIÆ. Et de iure Primatum, & Metropolitanorum, atque Episcoporum: & de ordinatione eorum: & de sublimitate Episcopali.

Epist. 2. ad epis. Italiæ.

VNDE COEPERIT ORDO SACERDOTALIS. ANACLETVS in secundo decretali suo.

¶ CAPVT PRIMVM.

dist. 21. c. in nouo testamento.



IN nouo testamento post Christum dominum, à Petro sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primò Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum: Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Hic ergo ligandi soluendique potestatem primus accepit à Domino, primúsque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt. Ipsúmque principem eorum esse voluerunt, qui etiam iubente Domino, in toto orbe terrarum dispersi Euangelium prædicauerunt. Ipsis quoque decedentibus, in loco eorum surrexerunt Episcopi, quorum ordinatio prætaxato fieri debet ordine, & modo. Quos qui recipit & verba eorum, Dominum recipit: qui autem spernit eos, eum à quo missi sunt, & cuius funguntur legatione, spernit, & ipse indubitanter spernetur à Domino. Videntes autem ipsi Apostoli messem esse multam, & operarios paucos, rogauerunt dominum messis, vt mitteret operarios in messem suam. Vnde electi ab eis sunt septuaginta Discipuli, quorum typum gerunt Presbyteri, atque in eorum loco sunt constituti in Ecclesia. De quorum ordinatione, & reliquorum ministrorum, supradixisse sufficiat.

Matth. 16. *Matt. vlt.* *Lucæ 10.*

Quæ sit prima sedes. Anacletus in tertio decretali suo. ¶ CAP. 2. *Epist 3 ad omnes Episcopos.*

Prima sedes est cœlesti beneficio Romana Ecclesia, quam (vt memoratum est) beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrarunt. Secunda autem sedes apud Alexandriam, quæ beati Petri nomine à Marco eius discipulo, atque Euangelista consecrata est, quia ipse & in Ægypto primùm verbum veritatis directus à Petro, prædicauit, & gloriosum suscepit martyrium: cui successit venerabilis * Abilius. Tertia verò sedes apud Antiochiam eiusdem beati Petri Apostoli habetur honorabilis, quia illic prius quam veniret Romam, habitauit, & Ignatium Episcopum constituit, & illic primum nomen christianorum nouellæ gentis exortum est.

dist 22 c. sacrosancta. ** Anianus & post hunc Abilius* *Actor. 11.*

De appellatione. Omnibus in Christo dilectis fratribus, Sixtus à Petro sextus in primo decretali suo. ¶ CAP. 3. *Epist. 2. c. 2*

Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc sanctam Apostolicam appellet sedem, & ad eam quasi ad caput suffu-

2. q. 6. c. si quis vestrū

gium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur. Si autem necesse ei euenerit, eamque maximè appellare voluerit, & vocatus tamen ab hac sede fuerit, non renuat venire, sed confestim vt ei nunciatum fuerit, venire festinet, & causas pro quibus vocatus est, prudenter disponat: atque si necesse aliquid corrigere fuerit, cum his quos hic primùm inuenerit, corrigat. Ad Ecclesiã tamen suam non priùs reuertatur, quàm hinc literis Apostolicis vel formatis pleniter instructus, atque purgatus fit, si fuerit vnde. Et postquam domum reuersus fuerit, cognoscant vicini sui, qualiter hîc suam aliorúmque causam finierit, quatenus eam absque aliqua ambiguitate nunciare & prædicare omnibus possit. Ab hac enim sancta sede, à sanctis Apostolis tueri, defendi & liberari Episcopi iussi sunt, vt sicut eorum dispositione, ordinante Domino primitus sunt constituti, sic huius sanctæ sedis, cuius dispositioni eorum causas & iudicia seruauerunt, protectione, futuris temporibus sint ab omnibus * aduersitatibus semper liberi. Vnde culpantur hi qui aliter circa fratres egerint, quàm huius sedis rectoribus placere cognouerint. His taliter consideratis, atque cum reliquis Episcopis decretis tanquam omnium curam gerentes, propter sedis propriæ apicem decernimus, vt nemo Pontificum aliquem suis rebus expoliatum Episcopum, aut à sede pulsum excommunicare aut iudicare præsumat, quia non est priuilegium quo expoliari possit iam nudatus. Si quis autem aliter præsumpserit agere, sciat censuram huius sedis cum omnibus membris suis, sibi non deesse venturam.

* peruersitatibus

Item de eodem, & quòd non licet diffiniri causam accusati Episcopi inconsulto Romano Pontifice. Victor Papa xiiij. à Petro in primo decretali suo.

Ep. 1. c 3.

¶ CAP. 4.

3. q. 6 c. accusatus.

Placuit vt accusatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopus licenter appellet & adeat apostolicæ sedis pontificẽ, qui aut per se, aut per vicarios suos eius retractari negotium procuret. Et dum iterato iudicio pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur Episcopus: quoniã quanquam comprouincialibus Episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen diffinire inconsulto Romano pontifice permissum est. Et alibi in statutis Apostolicis legitur: Si quis putauerit se, à proprio metropolitano grauari, apud Patriarcham, vel primatem diœcesis, aut penes vniuersalis apostolicæ Ecclesiæ iudicetur sedem. Nihil aliud est fratres, talis præsumptio, nisi apostolorum suorúmque successorúmque terminos transgredi, eorúmque decreta violare.

2. q 6. c. si quis putau.

Quòd sacerdotalis dignitas excellit Imperialem. Gregorius Nazianzenus de ipsis Imperatoribus loquitur.

¶ CAP. 5.

In oratione ad ciues nazianzenos. dist 10. cap. Suscipitisne.

Suscipitísne libertatem verbi? Libenter accipitis quòd lex Christi sacerdotali vos subiecit potestati, atque istis tribunalibus subdidit? Dedit enim & nobis potestatem, dedit & principatum multò perfectiorem principatibus vestris. Aut nunquid iustum vobis videtur, si cedat Spiritus carni? si à terrenis cœlestia superentur? si diuinis præferantur humana?

Quòd Petro dominus inter discipulos primatum contulit, vt sic ad Ecclesiam diffunderetur. Beatissimus Leo Papa vniuersis Viennensis Prouinciæ Episcopis.

Leo. 1. ep. 87.

¶ CAP. 6.

Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis saluator instituit, vt veritas quæ anteà legis & prophetarum præconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbes terræ verba eorum. Sed huius muneris sacramentum ita dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodã capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se * ministerij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate discedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat voluit nominare dicendo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret. Hac ecclesiam suam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ inferi contra illam preualerent. Verùm hanc petræ istius sacratissimam firmitatem Domino, vt diximus, ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus suis, & id quod accepit à veteribus, non sequendo.

dist. 19 c. ita Dominus.

Psalm 18.

* mysterij

Math. 16.

Quòd Imperatori non sit obediendum, si aliquid præcepit contra Deum. Augustinus in Psalmos.

In psal. 124. ad versic. Quoniã non derelinquet virgã 11. q. 3 c. Imperatores.

¶ CAP. 7.

Iulianus extitit infidelis imperator, nonne extitit Apostata, iniquus Idolatra? Milites Christiani seruierunt Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad causam Christi non agnoscebant, nisi illum qui in cœlo erat: Quando volebat vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant dominum æternum à Domino temporali, & tamen subditi erant propter dominum æternum etiam Domino temporali.

Non posse quenquam superiorem ab his qui inferioris dignitatis, vel ordinis sunt iudiciariis submitti diffinitionibus. Nicolaus dilecto filio Michaeli à Deo dilecto semper Augusto.

Ep. 2. vol. 3.

¶ CAP. 8.

Nunc autem diuina inspiratione non nos pigebit, nec nobis impossibile erit ostendere vobis, si tamen audire velitis, non posse quenquam ritè ab his, qui inferioris dignitatis vel ordinis sunt, iudicialibus submitti diffinitionibus. Si quidem tempore Diocletiani & Maximiani Augustorum, Marcellinus Episcopus vrbis Romæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeò compulsus est à paganis, vt templum eorum ingressus grana thuris super prunas imponeret. Cuius rei gratiâ collecto numerosorum episcoporum concilio, & inquisitione facta, hoc se idem Pontifex egisse confessus est, nullus tamen eorum proferre sententiam * ausus est, dum ei

dist. 21. c. nunc autem.

* in eum

sæpissimè omnes perhiberent, Tuo ore iudica causam tuam, non nostro iudicio. Noli, aiunt, audiri in nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam. Et rursus: Quoniam ex te (inquiunt) iustificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis. Et iterum dicunt: Prima sedes non iudicabitur à quoquam. *Item in eadem.* Sed & cùm quidam tempore quodam, contra Sixtum papam tentassent quædam * mali rumoris obijcere, & in concilio, cui & Valentinianus Augustus interesat, dictum fuisset non licere aduersus Pontificem dare sententiam: surrexit idem protinus Imperator, & in arbitrio præfati Pontificis tribuit iudicare iudicium suum. Etenim nullus Pontificum minorum vel inferiorum vrbium subactus iudiciis inuenitur. *Item in eadem.* In tantum autem hanc præsumptionem sancti patres apud Chalcedonem detestati sunt, vt Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cætera idcircò potissimùm sine vlla restitutione damnauerint: quia ponens in cœlum os suum & lingua eius transeunte super terram, excommunicationem in sanctum Papam Leonem dictauit: ita vt in sententia contra ipsum prolata hoc videantur memorare præcipuè dicentes, quoniam * secundus excessus priorem iniquitate valdè transcendit. Præsumpsit enim excommunicationem dictare aduersus sanctissimum & beatissimum Archiepiscopum magnæ Romæ Leonem. Nunquid inquisitionem legimus fuisse factam, vtrum iustè an iniustè, Dioscorus ipsam excommunicationem dictasset? Nō planè, sed absque omni controuersia hoc in eo * multati sunt, quia quum esset inferior, potiorem quibuslibet conatus est lacessere * iniuriis; teste Anatolio Constantinopolitano præsule qui dicit: Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni.

Matth. 12. — * non boni — Dist 21. c. In tantum. — Psal. 72. — * secundis excessibus — * vlti — * contumeliis

Romanam sedem de tota Ecclesia iudicare, ipsam verò ad nullius commeare iudicium. Gelasius Fausto magistro fungenti legationis officio Constantinopoli. ¶ Cap. 9.

Gelas. 1. epist. 4.

Nobis Opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quòd primæ sedi sana rectáque suadenti parere diffugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri: ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, sententiámque illius constituerunt oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt. In hac ipsa causa, Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri non solùm vnus, sed plures vtique nomen sacerdotij præferentes, sola sedis Apostolicæ sunt authoritate deiecti. Qua traditione maiorum, Apostolicam sedem in iudicium vocant? An secundæ sedis antistites, & tertiæ, cæterique benè conscij sibi sacerdotes, depelli debuerunt, & qui religionis extitit inimicus, depelli non debuit? Viderint ergo si alios habent canones, quibus suas ineptias exequantur. Cæterum isti, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt. Et Constantinopolitanæ Episcopus ciuitatis, quæ vtique per canones inter sedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum, non debuit submoueri?

9. q. 3. c. ipsi sunt canones — Post pauca dist 21. c. qua traditione.

De eodem, in quinta synodo Symmachi Papæ. ¶ Cap. 10.

In libro Ennodij de 4. & 5. synodis Romanis. 9. q 3. c. aliorum.

Aliorum fortè hominum causas Deus voluit per homines terminare, sed sedes istius præsulum suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Voluit beati Petri Apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam exhibere conscientiam.

Quòd vicarij Romanæ sedis non habeant plenitudinem Apostolicæ potestatis. Gregorius Galliæ, Europæ, Germaniæ Episcopis. ¶ Cap. 11.

Gregor. 4.

Romana Ecclesia vices suas ita aliis impertiuit Ecclesiis, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Proinde dilectio vestra, quorum deuotione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus nostris. *Et post plura.* Nec pigeat forte, aut pudeat nostris obedire mandatis, aut Apostolicæ sedis obsecundare præceptis, quia humilibus datur gratia, non superbis. Nam nulli fas est, * vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium, quod vestram oportet sequi charitatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris sit à sancto ministerio: nec de eius iudicio posteà quisquam curam habeat, quoniam iam damnatus à sancta & Apostolica sede, hac authoritate pro sua inobedientia atque præsumptione, à quoquam esse non dubitatur; quia maioris excommunicationis deiectione est exigendus cui sanctæ Ecclesiæ fuerit commissa disciplina, qui non solùm præfatæ sanctæ Ecclesiæ iussionibus parere debuit, sed etiam alios ne præterirent, insinuare. Sitque alienus à diuinis & Pontificalibus officiis, qui noluit præceptis obtemperare Apostolicis.

* vel leue posse. dist. 19. cap. nullitas est.

Non esse conuocandam generalem synodum sine præcepto Papæ. Pelagius Papa Episcopis Constantinopoli congregatis. ¶ Cap. 12.

Pelag. 2. epist. 1.

Relatum est enim ad Apostolicam sedem, Ioannem Constantinopolitanum Episcopum vniuersalem se scribere, vósque ex hac præsumptione ad synodum conuocasse generalem: quum generales synodos conuocandi authoritas Apostolicæ beati Petri Apostoli sedi singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam synodus rata, quæ Apostolica authoritate non fuerit fulta. Quapropter quicquid in prædicto vestro conuenticulo, (quia synodus taliter præsumpta esse non potuit) statuistis, ex authoritate sancti Petri Apostolorum principis, & Domini saluatoris voce, qua beato Petro potestatem ligandi & soluendi ipse saluator dedit, quæ etiam potestas in successoribus eius indubitanter transiuit, præcipio omnia quæ ibi statuistis vana & cassata esse: ita vt deinceps nunquam appareant, * nec ventilentur. Quapropter charitas vestra neminem vnquam suis in Epistolis vniuersalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.

Matth. 16. — * sed mutilentur — post pauca

Quòd solo Romano Pontifici liceat de qualibet Ecclesia, si voluerit clericum ordinare. Stephanus VValberto Patriarchæ.

¶ Cap. 13.

Miramur prudentiam tuam Cumensi Ecclesiæ denegare consecrare pastorem, quum te iam ad hoc prouocatum noueris Apostolica exhortatione. Sic enim in eius electionē * quod tibi displicuit sacris canonibus interdictum, apologeticis literis tuis respondere nobis debueras. Nunc verò iterato tibi scribimus, nolentes alicuius Ecclesiæ priuilegium infringere, licet Apostolicâ prærogatiuâ possimus de qualibet Ecclesia clericum ordinare. Desine iam cuiuspiam zelo electum à clero & expetitum à populo * Lintvvardum Cumensi Ecclesiæ antistitem protelare: quia si protelaueris, & eum consecrare totiens monitus non maturaueris, quum ad nos venerit, proculdubio consecratus abibit, quia licet Apostolica authoritate id facere valeamus, tuo tamen incitamur exemplo, qui transgressis terminis tibi commissis, in Ecclesia Salonensi episcoporum ordinare ad indecentiam Apostolicæ sedis præsumpsisti, quod quantæ præuaricationis sit, ipse perpende.

* forte, quid

* Litvvardum

Quòd electio & consecratio Romani Pontificis iustè & canonicè fieri debeat. Leo quartus Lothario & Ludouico Augustis.

¶ Cap. 14.

dist. 63. cap. inter nos.

Inter nos & vos pacti serie statutum est & confirmatum, quòd electio & consecratio futuri Romanis Pontificis non nisi iustè & canonicè fieri debeat.

Inter ep'st. Fœlicis 2. ep. 1.

In potestate Papæ esse iniustè damnatos vel excommunicatos restituere. Anastasius Patriarcha Fœlici Papæ.

¶ Cap. 15.

9. q. 3. c. fuit semper.

Fuit semper vestræ Apostolicæ sedi licentia iniustè damnatos vel excommunicatos potestatiuè sua authoritate restituere, & sua eis omnia reddere, & illos qui eos condemnauerunt aut excommunicauerunt, Apostolico punire priuilegiò, sicut etiam nostris & anterioribus cognouimus actum temporibus. *Item.* Antiquis regulis * censitum est, vt quicquid quamuis in remotis aut in longinquo positis prouinciis, super Episcoporum querelis aut accusationibus ageretur, non priùs tractandum vel accipiendum esset, quàm ad notitiam almæ sedis vestræ esset deductum, vt huius authoritate iuxta quod fuisset pronunciatio infirmaretur aut firmaretur.

9. q. 3. c. antiquis

* sancitum

Quòd in electione Romani Pontificis legati Imperatoris non sunt expectandi. Gregorius 4.

¶ Cap. 16.

Dist. 63. c. Adrianus.

Cùm Adrianus secundus ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia Dei genitricis dominæ nostræ, quæ dicitur ad præsepe, traheretur ad Lateranense patriarchium, certatim à clero & proceribus & plebe deportatus est. Quod audientes missi Ludouici Imperatoris molestè tulerunt & dignati, scilicet quòd dum præsentes essent, non inuitati fuerunt, nec optatæ à se futuri præsulis electioni interesse meruerunt. Qui accepta ratione, quòd non causâ contemptus Augusti, sed futuri temporis prospectu omissum hoc fuerit, ne videlicet legatos principum in electionem Romanorum * Pontificum expectandi mos per huiusmodi fomitem inolesceret; omnem indignationem medullitus sedauerunt, & ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt.

* præsulū

Quòd semper minor à maiore benedictionem petere debeat. Nicolaus Papa, Michaeli Imperatori.

Epist. 2. vel 8.

¶ Cap. 17.

dist. 21. c. denique. Heb. 7.

Denique si in Epistola ad Hebreos legimus quòd minor à maiore benedicatur, restat profectò, vt exigente ratione etiam maledicatur. Si quidem prænoscentes hæc periculosa tempora illi qui ante nos fuerunt, prouidam in Ecclesiis tradiderunt consuetudinem, hodiéque in Romana Ecclesia, quæ magistra est omnium Ecclesiarum impræmissè seruatur, ita vt nullus sacerdos maiore suo non innuente consacerdote cuilibet rei benedicere nitatur; * sed & anterior stans ad pronunciandum aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet benedicere. Cur hoc? Nunquid benedicere peccatum est? Absit. De maledicis enim, non de benedicis dicit Apostolus, quia regnum Dei non possidebunt. Sed per hoc innuitur quantæ censuræ fræno inferiores quique ad suos iudicandos præpositos coercendi sunt, si hi nec etiam benedicendi ius nullum penitus obtineant.

* si.

1. Cor. 6.

Non esse attendendum quales sacerdotes sint, sed quid de Domino loquantur. Nicolaus Papa Michaeli Imperatori.

¶ Cap. 18.

Ibidem.

1. q. 1. c. non quales.

Non quales sacerdotes Domini, sed quid de Domino loquantur, est vobis magnopere prouidendū; nec in vicariis beati Petri Apostoli vobis est attendendū qui sint, sed quid pro correctione ecclesiarum, quid pro salute vestra satagant. Nec enim illos inferiores dicetis Scribis & Pharisæis sedentibus super cathedram Moysi, de quibus Dominus præcepit dicens, Quæcunque dixerint vobis facite, secundùm opera verò eorum nolite facere. Ergo Imperator considera, si illos dixit audiendos, cui super cathedram Moysi sedebant, quantò potius qui super cathedram Petri resident esse existimas obaudiendos?

Matth. 23.

Quòd Apostolicæ sedis iudicium à nemine sit retractandum. Item Nicolaus eidem.

¶ Cap. 19.

9. q. 3. c. patet.

Patet profectò sedis Apostolicæ (cuius authoritate maior non est) iudicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, iuxta quod Bonifacius Papa Ruffo & cæteris Episcopis per Thessaliam constitutis scribens: Nemo, ait, vnquam apostolico culmini (de cuius iudicio non licet retractare) manus obuias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit iudicari. Et beatus Papa Gelasius, Nec de eius (id est Romanæ Ecclesiæ) canones vnquam præceperunt iudicare iudicio, nec sententiam illius constituerunt oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt. Ergo de iudicio Romani præsulis non retractando, quia nec mos exigit quod diximus comprobato, non negamus eiusdem sedis sententiam posse in melius commutari: cùm aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, & temporum seu grauium

necessitatum dispensatione quiddam ordinare decreuit: quoniam & egregium Paulum Apostolum quædam fecisse dispensatoriè legimus, quæ postea reprobasse legitur. Quod tamen obseruandum est, quando illa Romana videlicet Ecclesia, discretissima consideratione fieri delegerit, non quando ipsa quæ benè sunt diffinita
* voluerit retractare * renuerit.

Ep. 19. c. 7. *Quòd Gloria in excelsis, ab Episcopis in cœna Domini dicendum sit. Idem Radulpho Bituricensi Archiepiscopo.* ¶ Cap. 20.

de cons. dist. 1. c. porro gloria. Porrò Gloria in excelsis Deo, ab Episcopis in cœna Domini inter missarum solennia more nostro dicenda est. Pallio verò apostolico eadem die vti illis solis est licitum, quibus est ab apostolica sede permissum.

De primatu Romanæ Ecclesiæ. Leo quartus Carolo regi. ¶ Cap. 21.

16. q. 6. c. si fortassis. Si fortasse (quod non credimus) apud vos inutiles iudicamur, Ecclesia tamen, cui permittente Domino præsidemus, non inutilis, sed caput principiúmque omnium meritò simul ab omnibus vocatur.

Quòd in præsentia legatorum Imperatoris Leo Papa causam suam examinari voluerit. Idem Nicolaus Imperatori. ¶ Cap. 22.

2. q. 7. c. nos si incompetenter. Nos si incōpetenter aliquid egimus, & in subditis iustæ legis tramitem non conseruauimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio: quoniam si nos qui aliena debemus corrigere, peiora committimus, certè nō veritatis discipuli, sed, quod dolentes dicimus, erimus præ cæteris erroris magistri. Inde magnitudinis vestræ magnopere clementiam imploramus, vt tales ad hæc quæ diximus perquirenda, missos in his partibus dirigatis, qui Deū per omnia timeant, & cuncta, quemadmodum si vestra præsens fuisset imperialis gloria, diligēter exquirant: & non tantum hæc sola quæ superiùs diximus, quærimus, vt ex amussim exagitent, sed, siue minora, siue etiam maiora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit quod ex his indiscussum vel indefinitum remaneat.

Quòd nulli mortalium præsumendum est Romanum Pontificem etiam grauiter delinquentem redarguere. Ex gestis Bonifacij martyris Legati Romanæ Ecclesiæ. ¶ Cap. 23.

dist. 40. c. si Papa. Si Papa suę & fraternę salutis negligens, deprehēditur inutilis & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit, primo mancipio gehennæ cum ipso, plagis multis in ęternum vapulaturos. Huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos iudicaturus ipse à nemine est iudicandus, nisi depręhendatur à fide deuius, pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tantò instantiùs orat, quantò suam salutem post Deum, ex illius incolumitate animaduertunt propensiùs pendere.

Apostolatus principatum omnibus præferendum. Augustinus cap. 1. lib. 2. de vnico baptis. contra Donat. ¶ Cap. 24.

2. q. 7. c. puto quod sine. Puto quòd sine vlla sui cōtumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantū attinet ad Martyrij coronam. Cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum apostolatus principatu cuilibet episcopatui præferendum? Sed etiamsi distat cathedrarum gratia, vna tamen est martyrij gloria. *Ibidem paulò inferiùs.* Cùm Petrus à Paulo posteriore * corrigatur, & pacis * corrigitur
atque vnitatis vinculo custodito ad martyriū promouetur, quantò faciliùs & fortius quod per vniuersę Ecclesię statuta firmatum est, vel vnius Episcopi authoritati, vel vnius prouinciæ concilio præferendum est.

Nullum se à societate Petri segregare debere. Beda super Matthæum. ¶ Cap. 25. Homil. de festo Apost. Petri & Pauli.

Quicunque ab vnitate fidei vel societatis Petri Apostoli quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt cęlestis regni ingredi. 24 q. 1. c. quicunque ab vnitate.

Præfatio Nicæni concilij de primatu Romanæ sedis. ¶ Cap. 26.

Beatissimo Syluestro in vrbe Roma Apostolicæ sedis antistite, Augusto Constantino & Licinio Cæsare, consulatu Paulini & Iuliani virorum clarissimorum, anno ab Alexandro millesimo * trigesimo sexto, mense Iunio xiij. Calen- * 306.
das Iulij propter insurgentes hæreses fides Catholica exposita est apud Nicænam Bithyniæ, quam sancta & reuerendissima Romana complectitur & veneratur Ecclesia, quippe quam trecenti decem & octo patres mediantibus Victore atque Vincentio religiosissimis Romanæ sedis Presbyteris, inspirante Deo, ad * obstruen- * destruenda
da Arrij venena protulerunt. Nam & nonnullæ regulæ subnexæ sunt, quas memorata suscipiens confirmauit Ecclesia. Sciendum est sanè ab omnibus Catholicis quoniam sancta Romana Ecclesia nullis Synodis decretis prælata est, sed Euangelica voce Domini & saluatoris nostri primatum obtinuit, vbi dixit beato Petro Apostolo: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferri non præualebunt aduersus eam, Et tibi dabo claues regni cœlorum: & Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlo. Adhibita est etiam societas in eadem vrbe Romana beatissimi Apostoli Pauli, vasis electionis, qui vno die vnóque tempore gloriosa morte cum Petro, sub principe Nerone agonizans coronatus est, & ambo pariter sanctam ecclesiam Romanam Christo Domino consecrarunt, aliísque omnibus vrbibus in vniuerso mundo eam sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud Deum sanctorum omnium fundatur oratio, his tamen verbis Paulus beatissimus Romanis proprio chirographo pollicetur dicens: Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio filij eius, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Prima ergo sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ, quam beatissimi Apostoli Petrus atque Paulus suo martyrio dedicauerunt. Secunda autem sedes apud Alexandriam, beati Petri nomine à Marco eius discipulo atque Euāgelista consecrata est: quia ipse & in Ægypto primus verbum veritatis directus à Petro prędicauit, & gloriosū suscepit martyriū, cui venerabilis successit * Abilius. Tertia verò sedes apud

(Margin notes: D. de etiam Anacleti ep. 3. dist. 22. c. sacrosancta. — Matth. 16. — Rom. 1. — * Anianus & posthūc Abilius)

Antiochiam, eiusdem beati Petri Apostoli habetur honorabilis, quia illic priusquam Romam veniret, habitauit, & Ignatium Episcopum constituit, & illic primum nomen Christianorum *Act. 11.* nouellæ gentis ex[illegible]um est. Nam & Hierosolymitanus Episcopus pro tanti loci reuerentia, ab omnibus habetur honorabilis, maximè quoniam illic primus beatissimus Iacobus, qui dicebatur iustus, qui etiam secundùm carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo & Ioanne Apostolis Episcopus est ordinatus. Itaque secundum antiquorum Patrum diffinitionem, sedes prima in Hierosolymis esse minimè dicitur, ne fortè ab infidelibus aut idiotis sedes Domini nostri Iesu Christi, quæ in cœlo est, in terra esse putaretur. *Esaiæ 66. Ioan. 1. Rom. 11.* Est enim sedes eius cœlum, terra autem scabellum pedum eius, quoniam ipse est per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Apud Ephesum verò beatissimus Ioannes Apostolus & Euangelista multo tempore post Domini resurrectionem & ascensionem in cœlo * euangelium diuina inspiratione conscripsit, atque requieuit, & ob hoc Episcopus Ephesinus pro tanti Apostoli & Euangelistæ memoria cæteris Episcopis metropolitanis in synodis honorabiliorem obtinet * sedem.

*Domini nostri Iesu Christi commoratus est, ibique etiam

*locum

Quòd legati Romani Pontificis in causis episcoporum examinandis, funguntur authoritate eius à quo missi sunt. Ex concilio Sardicensi j. cap vij.

¶ CAP. 27.

2 q.6 c. Si quis episcopus. Osius Episcopus dixit, & hoc placuit, vt si Episcopus accusatus fuerit, & omnes iudicauerint Episcopi congregati regionis illius, & de gradu suo deiecerint eum, si appellauerit qui deiectus * videtur, & confugerit ab beatissimum Romanæ Ecclesiæ episcopum, & voluerit se audiri, si iustum putauerit vt renouetur examen, scribere his Episcopis dignetur Romanus episcopus qui in finitima, & * propinqua, vel qui in altera prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnia requirant, & iuxta veritatis fidem definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum, vt de latere suo Presbyteros mittat, erit in potestate ipsius quid velit & quid æstimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum episcopis iudicent, habeant etiam * potestatem personæ illius, à quo destinati sunt, quod erit in eius arbitrio. Si verò crediderit sufficere episcopos comprouinciales, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo concilio suo iudicauerit.

*est

*altera

*authoritatem

Item quòd legatus vice eius fungitur à quo missus est. Ex concilio Carthaginensi vj. ca. iij.

¶ CAP. 28.

Aurelius Episcopus dixit: Proferatur commonitorium quod fratres & sacerdotes nostri actis nuper allegauerunt, & cætera quæ acta sunt, vel quæ agenda sunt subsequantur. Daniel notarius recitauit commonitorium. Fratri Faustino, & filiis Philippo & Asello Presbyteris, Zosimus episcopus: vobis commissa negotia non latent. Vos ita, vt nostra, imò quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta peragite, maximè quum & hoc nostrum possitis habere mandatum, & verba Canonum quæ in pleniorem firmitatem huic commonitorio inscripsimus. Ita enim dixerunt dilectissimi fratres in concilio Nicæno, quum de episcoporum appellatione decernerent.

Quòd episcoporum sententiæ apostolica authoritate roborari debeant. Ex concilio eodem, c.v.

¶ CAP. 29.

Faustinus Episcopus, legatus Ecclesiæ Romanę dixit, nec vestra sanctitas preiudicat Ecclesię Romanæ, siue de hoc capitulo, siue de aliis: quia dicere dignatus est frater noster & coepiscopus Alipius, dubios esse canones. Sed hæc ipsa ad sanctum ac beatissimum Papam nostrum scribere dignemini, vt & ipse integros canones inquirens, cum vestra sanctitate de omnibus constitutis tractare possit. Sufficit autem vt & ipse beatissimus Episcopus vrbis Romæ, sicuti vestra sanctitas apud se tractat, ita & ipse inquirat, ne contentio inter Ecclesias nasci videatur, sed magis charitate fraterna deliberare possitis, ipso rescribente quid melius obseruari debeat. Aurelius episcopus dixit: Præter ista quæ * premisimus actis, necesse est, vt etiam nostræ * paruitatis literis sancto fratri, & consacerdoti nostro Bonifacio, singula quæ tractamus plenissimè intimemus. Ergo si omnibus placet prosecutio nostra, ore omnium condiscamus. Vniuersum concilium dixit, Placet.

*promsimus: *alias* promisimus.

*paternitatis.

Quòd dubia ad sedem Romanam perferenda sint. Item cap. viij.

¶ CAP. 30.

Faustinus Episcopus legatus Ecclesiæ Romanæ dixit: Adhuc secundùm professionem sanctitatis vestræ, tam sancti Alipij, quàm etiam fratris nostri Iocundi, aliqua firmari credo, aliqua verò firmari debeant, cùm iam in dubium ipsi canones venerint. Ergo placet & nobis, & beatitudini vestræ ad sanctum & venerabilem Ecclesiæ Romanæ Bonifacium episcopum vestra dignetur scribere sanctitas, vt & ipse, quod sanctus Augustinus statuere dignatus est, deliberare possit, vtrum & hoc constituendum sit, an reticendum, hoc est, de appellationibus inferioris gradus. Si ergo adhuc in dubium venit de hoc capitulo, iustum est vt beatissimæ Romanæ sedis episcopus informari debeat, si tamen in approbatis canonibus hoc inueniri possit.

Quòd Romanæ sedis decreta tanquam regulæ canonum admittenda sunt. Alexander ij. Philippo regi Francorum.

¶ CAP. 31.

Ignorant miseri quòd huius sanctæ sedis decreta, ita pia fide à filiis matris Ecclesiæ accipienda sint & veneranda, vt tanquam regulæ canonum ab eisdem absque vllo scrupulo admittantur.

De eodem. Hilarius Papa Victorino, & cæteris Episcopis.

¶ CAP. 32.

Christianorum principum lege decretum est, vt quicquid pro Ecclesiis eorúmque rectoribus pro quiete omnium Domini sacerdotum, atque ipsius obseruantia disciplinæ in auferendis confusionibus Apostolicæ sedis antistes suo pronunciasset examine, veneranter accipi, tenaciterque reseruari.

Vt qui in decreta Romanorum Pontificum commiserit, veniam sibi deinceps nouerint negari. Nicolaus Archiepiscopis per Gallias.

¶ CAP. 33.

Si *Romanorum pontificum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita vt quod sedes Apostolica probauit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit inefficax habeatur; quantò potius quæ ipsa pro Catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis & multifariis Ecclesiæ necessitatibus, & fidelium moribus diuerso tempore scripsit, omni debentur honore præferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet oportunitatibus dispẽsatione vel discretione magistra, reuerenter assumi; quanquam quidam vestrum scripserint, haud illa decretalia priscorum pontificum in toto canonum codicis corpore descripta, quum ipsi vbi suæ intẽtioni hæc suffragari cõspiciunt, vel indifferenter vtantur, & solùm nunc ad imminutionem sedis Apostolicæ potestatis, & ad suorum augmentum priuilegiorum, minus accepta esse perhibeant. *Item.* Si ideo non esse decretales Epistolas sanctorum pontificum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur ascriptæ, ergo nec Gregorij sancti, nec vllius alterius qui ante ipsum fuit, vel post ipsum est, aliquod institutum vel scriptum recipiendum est, eò quod in codice canonum non habetur adscriptum. Ergo doctrinas eorum & sanctiones quæ ab omni lingua venerantur, quia in codice canonum non habentur ascriptæ, de codicibus suis eradant. Vt quid vel membranas occupant, postquam non habentur acceptæ? Scilicet cur multùm immoremur, cùm nec ipsas diuinas scripturas noui & veteris testamenti iam recipimus, si istos dixerimus non audiendos? Etenim neutrum horum in codice Ecclesiasticorum canonum habetur insertum. Sed responsuri sunt isti, qui non ad obediendum potiùs, quàm ad resistendum semper sunt parati, aientes: Quòd inter canones inueniatur capitulum sancti Papæ Innocentij, cuius authoritate doceatur à nobis vtrunque testamentum esse recipiendum, quanquam in ipsis paternis canonibus nullum eorum ex toto contineatur insertum. Quibus ad hæc referendum est, quoniam si vetus nouúmque testamentum recipienda sunt, non quòd codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quòd de his recipiendum sancti *Patris Innocentij prolata videatur esse sententia, restat nimirum quòd decretales Epistolæ Romanorum Pontificum sunt recipiendæ, etsi non sint canonum codici compaginatæ: quoniam inter ipsos canones vnum beati Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta sedis Apostolicæ custodiri mandantur, vt si quis in illa commiserit, nouerit sibi veniam denegari. Ait enim capitulo quinto suorum decretalium: Ne quid verò sit quod prętermissum fortè à nobis credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari. Dicendo verò omnia decretalia constituta, nullum prætermisit quod non mandauerit esse custodiendum: & rursus, asserendo omnium decessorum nostrorum, nullum Romanorum pontificum qui ante se fuerunt excepit, cuius ita non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari. Itaque nihil interest vtrum sint omnia nec ne decretalia, seu Apostolica constituta inter canones conciliorum immixta, cùm omnia in vno corpore compaginari non possint, & illa eis intersint quę firmitatem his quæ desunt, & vigorem suum assignent, præsertim cùm synodalia gesta, inter quæ ipsi canones constituti sunt, in codice canonum non habeantur, sed à nobis omni cultu debito venerentur. Consonat autem huic beatissimo Papæ Leoni & facundissimus in decretis suis Papa Gelasius, ita inquiens: Decretales Epistolas quas beatissimi Papæ diuersis temporibus, ab vrbe Roma, pro diuersorum patrum consultatione dederunt, constituimus venerabiliter suscipiendas. In quo notandum quia non dixit, Decretales Epistolas quæ inter canones habentur, nec tantùm quas moderni pontifices ediderunt: sed quas beatissimi Papæ diuersis temporibus, ab vrbe Roma dederunt. Dictis autem diuersis temporibus, & illa tempora vir sanctus comprehendit, quæ crebrescentibus Paganorum persecutionibus, ad sedem Apostolicam deferri causas Episcoporum difficillimè permittebant. His ita diuina fauente gratia prælibatis, ostendimus nullam differentiam esse inter illa decreta, quæ in codice canonum habentur sedis Apostolicæ pręsulum, & ea quę prę multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur: quum omnia omniúmque suorum decessorum decretalia constituta, atque decretales Epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Roma dederunt, venerabiliter forè suscipiendas, & custodiendas, eximios præsules scilicet Leonem & Gelasium mandasse probauimus.

[Margin: *Romani Pontificis. dist. 19. cap. Si Romanorum Pontificum. — Ibidem. — Innoc pa. 1. epist. 3. ad Exuperium c. vlt. — *Papæ — Leo. pa. 1. epist. 1. c. 5. — Gelas. pa. 1. cum 70 episcopis statut.]

Quòd nulli liceat vel addere aliquid vel demere de decretis Pontificum. Adrianus Papa synodo apud Trecas.

¶ CAP. 34.

Si sedis Apostolicæ Præsul, vel ipsius decreta detestationi vel abdicationi habentur, si nullius *nostrum vel nomen vel institutum firmum, aut stabile permanere valebit: quin potiùs & dogmatibus, quæ de sancta & indiuidua trinitate à præsulibus sedis Apostolicæ promulgantur, nonnulla fieri possunt detrimenta, si præcedentium quorúmque & maximè primæ sedis pontificum statuta, vel vlli (quod dici nefas est, quin & ipso auditu prorsus horrendum) à consequentibus quibusque, immò & inferioribus, additioni cuidam vel damnationi subijciantur, vel impiæ temeritatis ausu saltem soli derogationi prodantur.

[Margin: *vestrũ]

Quòd qui decreta Romanorum pontificum violauerit anathema sit. Ex concilio Leonis Papæ iiij. Episcoporum lxxij. cap. v.

¶ CAP. 35.

Si quis dogmata, sanctiones, interdicta vel decreta pro catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum à sedis Apostolicæ pręsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

Quòd scelus idololatriæ incurrit, qui sedi Apostolicæ obedire noluerit. Ex decretis Gregorij Papæ vij. ¶ CAP. 36.

Qui Apostolicæ sedis saluberrimo præcepto obedire noluerit, idololatriç peccatum incurrit, teste Samuele, & beato Gregorio adstruente. Peccatum enim ariolandi est non obedire, & scelus idololatriæ nolle acquiescere. Peccatum igitur paganitatis incurrit, quisquis dum Christianum se asserit, sedi Apostolicæ obedire contemnit.

1. Reg. 15. B Gregor. in Iob l. 35. c. 10.

Constitutiones contra canones & decreta pontificum, nullius momenti esse. Hilarius Papa synodo præsidens ait.

In synodo Romana, c. 1.

¶ CAP. 37.

Nulli fas sit sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare.

25 q. 1. c. nulli fas sit.

De eodem. Epistola Adriani Papæ tradita Ingelranno Mediomatrice vrbis Episcopo, cap. xxxviij. ¶ CAP. 38.

Constitutiones contra canones & decreta Præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sint momenti.

dist 10. cap. cōstitutiones vbi ad Fœlicem papam refertur.

Quòd alienus sit à diuinis & pontificalibus officiis, qui præceptis noluerit obedire Apostolicis. Hormisda Papa dixit.

¶ CAP. 39.

Nemo mihi aliena contra canones, contra authoritatem sedis Apostolicæ, vel contra trecentorum decem & octo patrum obijciat, quia quicquid contra illorum diffinitionem, in quibus Spiritum sanctum locutum fuisse credimus, dictum fuerit, recipere non solùm temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.

Quòd beati Petri sedes caput est omnium ecclesiarum, & omnes decretis eius assentire debent. Adrianus Papa ex actione ij. septimæ synodi.

¶ CAPVT 40.

Sanctitas vestra piis & triumphatoribus Imperatoribus suggerat, quatenus falsum concilium illud quod factum est sine Apostolica sede inordinabiliter contra constitutionem venerabilium patrum aduersus sacras imagines, anathematizetur coram apocrisariis nostris. *Item.* Beati Petri sedes per vniuersum orbem principatum tenens refulget, & caput omnium ecclesiarum Dei existit. Vnde ipse beatus Apostolus Petrus ex præcepto Domini pascens Ecclesiam nihil defecit, sed tenuit semper & tenet principatum, per quem si adhæret sanctitas vestra Apostolico throno, qui est caput omnium ecclesiarum Dei, eiúsque sacrum & orthodoxum ordinem incorruptibiliter & inuiolabiliter seruare studet, sicut orthodoxa & deicola existens, hoc primum sacrificium omnipotenti Deo offerat, & vice mea ante piissimorum vestigia Imperatorum procidat, & terribile iudicium Dei in conspectu eorum proponat, quatenus venerabiles iconas in antiquum statum restitui præcipiant, obseruantes traditiones huius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ. *Item.* Apocrisarij Papæ dixerunt: Dicat nobis sanctissimus Tharasius patriarcha, si consentit literis sanctissimi Papæ. Tharasius Patriarcha

Ioannis 21.

dixit: Paulus Apostolus quem lux circumfulsit de cœlo, qui genuit nos per euangelium suum, cùm Romanis scriberet, dixit de fide illorum, Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Tale testimonium sequi necessarium est & contradicere non est consilium. Quid ergo Adrianus Romæ Senioris antistes, cùm sit eorum particeps, quibus Apostolus testimonium perhibet, piis Imperatoribus & nostræ mediocritati scripsit? Confessi sumus, & confitemur, & confitebimur, & sentimus, & corroboramus literas suas. *Item.* Apocrisarij Papæ dixerunt: Dicat nobis sancta synodus, si recipiat literas sanctissimi Papæ. Sancta synodus dixit: Sequimur, & recipimus, & consentimus. Ioannes intercessor orientalium diœceseon dixit: Nunc gaudium magnum factum est, in lectione sanctarum literarum sanctissimi Papæ Adriani, ad serenissimos Imperatores nostros, & ad beatissimum patriarcham Tharasium. *Item.* Constantinus Episcopus Cypri dixit: Omnibus modis Epistolæ Adriani Papæ, quæ missa est ad nos, & nostros Imperatores, & illi quæ missa est ad patriarcham Tharasium consentio, & ita confiteor, & cum fide hac ante tribunal Christi assistam.

Actor 9. Roman. 1.

De damnatione septimæ Synodi, quia sine Romana authoritate acta est. Actione. vj tomo primo, contra falsam synodum. vij.

¶ CAP. 41.

Quomodo magna & vniuersalis est synodus, quam nec receperunt, neque consonauerunt cæterarum ecclesiarum antistites, sed & anathemati tradiderunt? Non habuit cooperatorem Romanum Pontificem, aut sacerdotes qui cum eo sunt, neque per canonicam epistolam sicut lex est in synodis: sed neque consentientes habuit orientales Patriarchas, id est Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, & Archiepiscopos qui cum eis sunt.

Quòd Apostolica sedes à via Apostolicæ prædicationis non deuiauerit, nec hæreticorum nouitatibus deciderit. Ex actione quarta sextæ synodi. ¶ CAP. 42.

Agatho Papa Constantino, Heraclio, Tiberio Augustis. Apostolica Ecclesia hæc per gratiam omnipotentis, à via Apostolicæ traditionis nullatenus deuiasse ostenditur, neque hæreticorum nouitatibus aduersata decidit, sed sicut à principio Christianæ fidei accepit à Dominis & principibus suis, sine mutatione vsque in finem manebit, iuxta Domini & saluatoris nostri diuinam promissionem, dicentis: Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Intelligat ergo serenitas vestra, quoniam dominus, qui fidem Petri non defecturam promisit, ipsum fratres confirmaturum prædixit. Quod Apostolicos sacerdotes paruitatis meæ prædecessores confidenter semper fecisse, omnibus notum est, quos & humilitas mea quamuis inæqualis & minima propter assumptum ex diuina virtute ministerium sequi desiderat.

Lucæ 22.

Quòd literis Romani pontificis concilia authorizentur. Ex actione secunda Synodi Ephesinæ.

¶ CAP. 43.

Cyrillus Episcopus Alexandriæ dixit: Suscepta Epistola sanctissimi & per omnia beatissimi

sanctæ sedis & Apostolicæ Ecclesiæ Romanorũ Episcopi Cœlestini, cum competenti honore relegatur sancto concilio. Syricius notarius sanctæ Catholicæ vrbis Romæ latinè legit. *Item.* Omnes reuerendissimi Episcopi petierunt interpretari Epistolam & legi. Philippus Presbyter Apostolicæ sedis legatus dixit: Satisfactum est consuetudini, vt literæ Apostolicæ sedis in primis latinè legerentur, nunc verò similiter quoniam vestra expetit beatitudo, vt etiam græcè legantur, necessarium est desiderio vestræ satisfieri sanctitatis, quam agere curauimus, vt latina locutio græcè transferatur.

Epist. 1. c. 10 *Quòd sicut cardine totum regitur ostium, ita à Petro & successoribus eius totius Ecclesiæ disponitur emolumentum. Leoninus Michaeli Patriarchæ Constantinopolitano.*

¶ Cap. 44.

A sede principis Apostolorum Petri, Romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum, quàm per successores suos, reprobata & conuicta atque expugnata sunt omnium hæreticorũ commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec vsque in finem deficiet, sunt confirmata. *Item.* Romanæ Ecclesiæ facitis præiudium, de quo nec vobis, nec cuilibet mortalium licet facere iudicium: beatissimo & apostolico pontifice Syluestro diuinitus decernente, spiritualique eius filio Constantino religiosissimo Augusto, cũ vniuersa synodo Nicæna approbante ac subscribente, vt summa sedes à nemine iudicetur, inuiolabiter & inconcussè sibi conseruato illo priuilegio, quod idem princeps quarto baptismatis sui die deuotus contulit Pontifici Romano, scilicet, vt in toto orbe terrarum sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut omnes * iudices regem. Quam sanctorum Patrum reuerendam omni mundo sententiam, sicut veraciter diuina inspiratione, non humana æstimatione promulgatã, amplexę reliquæ vniuersales synodi, id est Constantinopolitana prima, consensu Pij Augusti & religiosi maioris Theodosij: Ephesina prior, sub iuniore Theodosio filio Arcadij: Chalcedonensis, sub imperio diuæ memoriæ Martiani: Secunda Constantinopolitana, in præsentia Augusti Iustiniani: Item tertia Constantinopolitana, rogatu & consensu iunioris Constantini: vnanimi voluntate, concordique verbo, & scripto confirmauere sanctam Romanam & apostolicam sedem post dominum Iesum caput esse omnium ecclesiarũ Dei, & hoc debere credi, confiteri, & scribi ab omnibus veneratoribus Nicæni concilij. Cuius statutorum vsque ad vnum iota contemptoribus, districtum anathema cautum est à quinque præfatis & cunctis sanctorum patrum synodis subsequentibus. *Item.* Dolemus quia præiudicium faciendo summæ sedi, de qua nec iudicium facere licet cuiquam hominum, anathema accepistis ab vniuersis patribus sanctorum omnium conciliorum. *Item.* Apicem cœlestis dignitatis in beato Petro & in eius vicariis prudentissimus terrenæ Monarchiæ princeps Constantinus intima consideratione reueritus, cunctos vsque in finem sæculi successores eidem Apostolo in Romana sede Pontifices per beatũ Syluestrum, non solum imperiali potestate & dignitate, verum etiam insulis & ministris adornauit imperialibus, valde indignum fore arbitratus, terreno imperio subdi, quos diuina maiestas præfecit cœlesti. *Item.* Recordamini illius nefandæ synodi, quam voluerunt vocari septimam vestri hæresiarchæ, quorum conspiratione ipsius Domini nostri Iesu Christi, & Sanctorum reuerendæ imagines aut flammis traditæ sunt, aut aquis submersæ, picturę verò ex parietibus basilicarum deletæ. Quibus quamuis semper restiterit Romanorum Pontificum authoritas, præ cunctis tamen sanctissimi Papæ Nicolai vbiuis prædicanda libertas, qui per legatos suos, tam pro sacris imaginibus, quã pro depositione beati Antistitis Ignatij, & substitutione Photij neophyti ecclesiam sanctæ Sophię clausit, donec sedis Apostolicæ acquiesceret decretis. *Item.* Cùm nullo diuino vel humano priuilegio honorabilior seu clarior aliis Ecclesiis Constantinopolitana existat Ecclesia, & Antiochena, atque Alexandrina ob reuerentiam principis Apostolorum inter alias retentent dignitatis iura: tamen pia mater Romana scilicet Ecclesia, nolens dilectam filiam dote honorificentiæ ex toto carere, per beatos prædecessores nostros in aliquot synodis curauit decernere, vt salua principalium & Apostolicarum sedium antiqua dignitate, Constantinopolitanus antistes honoraretur sicut ciuitatis regiæ, quamuis Iustinianus religiosus Augustus legibus humanis voluisset astruere, vt post Romanum Papam sedeat Constantinopolitanæ Pręsul Ecclesię. *Item.* Scit sancta Romana Ecclesia, quia nihil obsunt saluti credentium diuersę pro loco & tempore consuetudines, quando vna fides per dilectionem operans vni Deo commendet omnes. *Item.* Absit, vt religiosi principes & orthodoxi atque Christianissima & Deo deuota ciuitas vos in errore vestro audiendos putent, quos potius ad vnitatis bonum terrore potestatis cogere debent. *Item.* Romanæ Ecclesiæ sedes per Petrum super petram ædificata, nec hactenus deficit nec deficiet in sæcula, Christo Domino rogante pro ea, sicut ipse testatur: Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua, Luc. 22. & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quo dicto demonstrauit fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa & indeficiente fide Petri, velut firmæ anchoræ subsidio regendam, & in fundamento vniuersalis Ecclesię confirmandam. Quod nemo negat, nisi qui euidenter hæc ipsa veritatis verba impugnat: quia sicut cardine totum regitur ostiũ, ita & à Petro & successoribus eius totius Ecclesiæ disponitur emolumentum; & sicut cardo immobilis permanens ducit ostium, sic Petrus & successores eius liberum de omni Ecclesia habent iudicium, quum nemo eorum debeat mouere statum. Vnde clerici eius dicuntur Cardinales, cardini vtique illi, quo cætera mouentur, vicinius adhærentes. *Item.* Quicunque sacerdotes etsi dispares sunt merito, pares sunt tamẽ officio. Non potest denegari merito, quod debetur officio. Alioquin non staret sacerdotium, si maius aut minus fieret, seu variaretur secundũ humanorum varietatem meritorum. Qua de re fratres, vtinam non ad iudicium nostrum dicamus. Tales profectò sumus, qualis Petrus, & nõ sumus qualis Petrus; quia & idem sumus officio, & non idem merito: & quotiescunque lac & lanam, stipendium scilicet & honorificentiã ab ouibus Dei exigimus, nulla meriti nostri ibi fit commemoratio, sed officio nostro debita recompensatio quæritur, ac sic meritum Petri non habentes, officium autem Petri exequentes officio

Margin note: * iudicẽ

officio nostro debitos reposcimus honores. *Item.* Beatissimus prædecessor noster Gregorius dixit: Nemo nos propter nos in loco Petri despiciat, quia ex cathedra eius, cui authore Deo qualescunque præsidemus, debita sibi iura nostrum officium reclamat. Frequenter enim solet euenire quod dicimus, vt persona potens despectum suũ habeat. Cũmque per eum suis vel extraneis aliqua mandat, non despicitur persona serui missi, quia in corde seruatur reuerentia Domini mittentis. *Item.* Quisquis Romanæ Ecclesiæ authoritatem, vel priuilegia euacuare, seu imminuere nititur, non hic vnius Ecclesiæ, sed totius Christianitatis submersionem & interitum machinatur.

Nicol. 1. ep. 2. vel 8.

Quòd Romana Ecclesia inter omnes primum locum obtinet, Alexandrina verò, & Antiochena secundum. Nicolaus Papa Michaeli Augusto.

¶ Cap. 45.

Non ergo dicatis non eguisse vos in causa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta concilia sua authoritate firmat, sua moderatione custodit. Vnde quædam eorum quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valitudinem perdiderunt. *Item.* Alexandrinam ecclesiam suam fecerunt sancti Apostoli Petrus & Paulus, per beatum scilicet Marcum vnius horum filium & discipulum. Hæreditas quippe filij in potestate parentis existit, & gloria discipuli ad magistrum sine cunctatione refertur. Fecerat autem beatissimus Petrus præsentia corporali & ecclesiam Antiochenam iam suam, quæ sicut beatus Papa dicit Innocentius, vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista suscepit * quæ beatum Petrum apud se consummatum gauderet. Per has igitur tres precipuas ecclesias omnium ecclesiarum solicitudo beatorum principum Apostolorum Petri & Pauli proculdubio moderamen expectat. Pro quibus patribus nos diuinitus incremento gratiæ ministrato nati sumus filij, & constituti (licet indigni, licet eis longè meritis impares) principes super omnem terram, & super vniuersam ecclesiam. *Item.* Porrò ne dicatis nos præter Ecclesiæ legem Ignatium vel Photium Romam venire sanxisse, scitote nos antiqui patris, & prædecessoris nostri Iulij in hoc esse secutos exemplum: qui iuxta quod in Epistola sua reperitur, his qui conuenerant Antiochiæ hoc præcepisse dinoscitur, & Theodoretus historiographus his hoc ipsum verbis ostendit: Verùm, inquiens, Eusebius eiusque consortes, calumnias in Athanasium factas, Iulio Romano Pontifici destinauerunt. Qui ecclesiasticam sequens legem, etiam ipsos Romam venire præcepit, & venerabilem Athanasium ad iudicium regulariter euocauit. Ille continuo * vocatione facta venit. Quòd si ad hoc dicitis: Ille quidem vocauit, sed ipsi venire contempserunt: audite sequentia, & videbitis vtrum in laudem, aut vituperium ista sit illis reputata * contentio. Subiunxit enim idem historiographus, dicens: Calumniarum verò sarcinatores Romam quidem profecti non sunt, scientes facilè posse suum capi mendacium. Ne ergo dicatis nos præter Ecclesiæ legem præfatos Romam venire sanxisse, quoniam sicut ab historiographo ecce audistis, beatus Iulius & accusatum accusatores Romam venire præcepit, & venerabilem Athanasium ad iudicium regulariter euocauit. Sed ille qui bonam conscientiam gerebat, nihil reluctans venit: illi verò qui malam, contempserunt, scientes proculdubio, sicut ibi legitur, facilè suum capi posse mendacium.

Paulò post.

Epist. 11.

*quin

Post multa.

Theodoretus ecclesiasticæ suæ historiæ, li. 2. c. 3. Tripartitæ autem hist. li. 4 c. 6.

*euocatione suscepta

*fortè contemptio

Quòd sicut Petro concessum est à Domino vt aliis Apostolis præemineret, ita eius sedi. Ex decretis Melchiadis Papæ, cap. ij. Hispaniæ Episcopis directis.

¶ Cap. 46.

Atque hoc priuilegium dominus beato clauigero Petro sua vice solummodò commisit, quod eius iustè prærogatiuum successit sedi futuris hæreditandum atque tenendum temporibus, quoniam & inter beatissimos Apostolos fuit quædam discretio potestatis. Et licet cunctorum par electio foret, beato tamen Petro concessum est, vt alijs præemineret, & eorum quæ ad querelam venirent, causas & interrogationes prudenter disponeret. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum esse credimus, ne omnes posteri eorum cuncta sibi vendicarent, sed semper causæ maiores, sicut sunt Episcoporum, & potiorum curæ negotiorum, ad vnam beati Petri principis Apostolorum sedem confluerent, vt inde suscipiant finem iudiciorum, vnde acceperunt initium institutionum, ne quandoque à suo discreparent capite. *Matth. 16.*

De potestate & discretione doctorum. In prima Epistola Clementis Papæ, verba Petri de Clemente. ¶ Cap. 47.

Trado ipsi Clementi à Domino traditam mihi potestatem ligandi & soluendi, vt de omnibus quibuscunque decreuerit in terris, hoc decretum sit in cœlis. Ligabit enim quod oportet ligari, & soluet quod * oportet solui, tanquam qui ad liquidum Ecclesiæ regulam nouerit. Ipsum ergo audite, scientes quia quicunque contristauerit doctorem veritatis, peccat in Christum, & patrem omnium exacerbat Deum. *expedit

Quòd apud Dominum non sententia sacerdotum, sed vita requiratur. Hieronymus lib. iij. in xvi. ca. Matthæi. ¶ Cap. 48.

Quæcunque ligaueritis super terram, & cætera) Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: quum apud dominum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur.

Exemplum constituti Constantini Imperatoris de insignibus Imperialibus Ecclesiæ concessis.

¶ Cap. 49.

Ex testamento constituti nostri concedimus ipsis sanctis Apostolis Dominis meis beatissimis Petro & Paulo, & per eos etiam beato Siluestro patri nostro, summo Pontifici, & vniuersali vrbis Romæ Papæ, & omnibus eius successoribus pontificibus, qui vsque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de præsenti contradimus palatium Imperij nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum prefertur, atque præcellit palatiis. Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium, necnon & superhumerale, videlicet lorum quo Imperiale circundari assolet collum, verùm etiam chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & om- *dist. 96. c. Constantinus*

nia Imperialia indumenta: sed & dignitatem * imperialium præsidentium, equum conferentes etiam, & imperialia sceptra, simulque cuncta signa, atque banda & diuersa ornamenta imperialia, & omnem processionem imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Viris etiam reuerendissimis clericis, in diuersis ordinibus eidem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ seruientibus, illud culmen singularis potentiæ & præcellentiæ habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus videtur gloriâ adornari, id est, patricios atque consules effici, necnon & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari, & sicut imperialis extat decorata militia, ita & clerum sanctæ Romanæ ecclesiæ ornari decernimus. *Et paulò post.* Ipse beatissimus Papa super coronam clericatus quam gerit, ad gloriam beati Petri omninò ipsa ex auro non est passus vti corona. Phrygium verò candido nitore splendidum, resurrectionem dominicam designans, eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes frænum equi ipsius, pro reuerentia beati Petri, stratoris officium illi exhibuimus, statuentes eodem phrygio omnes eius successores singulariter vti in processionibus, ad imitationem imperij nostri. Vnde vt non pontificalis apex vilescat, sed magis amplius quàm terreni imperij dignitas * gloriæ potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum (vt prælatum est) quàm Romæ vrbis & omnes Italiæ seu occidentalium regionum prouincias, loca, & ciuitates sæpe fato beatissimo Pontifici patri nostro Syluestro vniuersali Papæ contradentes, atque relinquentes ei, vel * successoribus suis Pontificum potestati, & ditioni firma Imperialis censura, per hanc nostram diualem sacram & pragmaticum constitutum, decernimus disponendum, atque iuri sanctæ Ecclesiæ Romanæ concedimus * permanendum. Vnde congruum perspeximus nostrum imperium & regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus, & in * Byzantij prouincia, in loco optimo nomini nostro ciuitatem ædificari, & nostrum illic constitui imperium, quoniam vbi principatus sacerdotum, & Christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, iustum non est, vt illic terrenus Imperator habeat potestatem.

*.Gratianus sic habet imperialem presidentium equitum, conferentes ei etiam imperialia, &c.

* gloria, & potentia

* Successorum ipsius pontificum potestati & ditioni firma imperiali censura. Isidorus in conciliis manus scriptus.

* permansurum.

* Byzantiæ prouinciæ optimo, &c.

Con. Triburi. cap. 3.

De eo si quis ab Apostolico falsam detulerit epistolam. Ex capitulis Caroli magni Imperatoru.

¶ Cap. 50.

dist. 19. c. in memoriam.

In memoriam beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam sedem, vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humanitas, & licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, feramus, & pia deuotione toleremus. Si verò (quod non decet) quilibet, siue sit Presbyter, siue diaconus aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab Apostolica sede detulisse Epistolam, vel aliud quod inde non venerit: salua fide, & integra circa Apostolicum humilitate, penes episcopum sit potestas, vtrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, vsquequò per epistolam aut per idoneos suæ partis legatos apostolicam interpellet sublimitatem, vt potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine lex Romana statuat diffinire, vt & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.

Pactum constitutionis Imperatoris Ludouici primi cum Romanis Pontificibus.

¶ Cap. 51.

dist. 63. c. ego Ludouicus.

Ego Ludouicus Imperator Augustus, statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro principi Apostolorum, & per te vicario tuo Domino Paschali summo pontifici, & successoribus eius in perpetuum, sicut à prędecessoribus vestris vsque nunc in vestra potestate, & ditione tenuistis & disposuistis ciuitatem Romanam, cum ducatu suo, & suburbanis atque viculis omnibus, & territorijs, eius montanis & maritimis littoribus & portubus, seu cunctis ciuitatibus, castellis, oppidis, ac * viculis in Tusciæ partibus. *Item.* Quando diuina vocatione huius sacratissimæ sedis Pontifex de hoc mundo migrauerit, nullus ex regno nostro aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo sub nostra potestate constitutus, licentiam habeat contra Romam aut publicè aut priuatim veniendi, vel electionem faciendi, nullúsque in ciuitatibus vel territorijs ad Ecclesiæ beati Petri Apostoli potestatem pertinentibus aliquod malum propter hoc facere pręsumat: sed liceat Romanis cum omni veneratione, & sine qualibet perturbatione, honorificam suo Pontifici exhibere sepulturam, & eũ quem diuina inspiratione, & beati Petri intercessione omnes Romani vno consilio atque cõcordia, sine aliqua promissione, ad pontificatus ordinem elegerint, sine qualibet ambiguitate vel contradictione more canonico consecrare. Et dum consecratus fuerit, legati ad nos, vel ad successores nostros reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam, & charitatem, ac pacem socient.

* villis legit Gratianus

Constitutum primi Henrici, & primi Ottonis cum Romanis Pont.

¶ Cap. 52.

dist. 63. cap. constitutum. Ibidem.

Vt nullus missorum nostrorum, cuiuscunque impeditionis argumentum componere, in electione Romani pontificis audeat, omninò prohibemus. *Item.* In electione Romanorum pontificum neque liber neque seruus ad hoc venire præsumat, vt illis Romanis quos ad hanc electionem, per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quòd si quis contra hanc nostram constitutionem præsumpserit, exilio tradatur.

In quibus ciuitatibus sint primates vel patriarchæ. Anacletus papa in secundo decretali suo.

¶ Cap. 52.

dist. 99. cap. prouinciæ.

Prouinciæ autem multò antè Christi aduentum tempore diuisę sunt maxima ex parte, & postea ab Apostolis & beato Clemente prędecessore nostro ipsa diuisio est * renouata. Et in capite prouinciarum, vbi dudum primates leges erant sæculi, ac prima iudiciaria potestas, ad quos qui per reliquas commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam Imperatorum vel regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugiebant pro oppressionibus vel iniustitiis suis, ipsósque appellabant quotiescunque opus erat, sicut in lege eorum * præceptum erat. Ipsis quoque in ciuitatibus vel locis nostris patriarchas, vel primates qui

* renouata est in capite prouinciarum, &c.

* scriptũ

vnam formam tenent, licet diuersa sint nomina, leges diuinæ & ecclesiasticæ poni; & esse iusserunt, ad quos episcopi (si necesse fuerit) confugerent, eósque appellarent: & ipsi primatum nomine fruerentur, & non alij. Reliquæ verò metropolitanæ ciuitates quæ minores iudices habebant (licet maiores * comitibus essent) haberent metropolitanos suos, qvi prædictis iustè obedirent primatibus, sicut & in legibus sæculi ordinatum erat, qui non primatum, sed aut metropolitanorum aut Archiepiscoporum nomine fruerentur. Et licet singulæ metropoles [ciuitates, suas prouincias habeant, & suos metropolitanos habere debeant episcopos, sicut priùs metropolitanos habebant iudices sæculares, primates tamen vt præfixum est, & tunc & nunc habere iussæ sunt, ad quos post sedem apostolicam summa negotia conueniant, vt ibidem quibus necesse fuerit releuentur, & iustè restituantur, & hi qui iniustè opprimuntur iustè reformentur atque fulciantur, episcoporúmque causæ, & summorum negotiorum iudicia, salua Apostolicæ sedis authoritate, iustissimè terminentur.

* comitatibus.

Qui sint primates. Anitius papa episcopis Galliæ. (Anicetus.)

¶ CAP. 54.

(dist 99. cap. nulli archiepiscopi.) Nulli Archiepiscopi primates vocentur, nisi illi qui primas tenent ciuitates, quarum Episcopos Apostoli, & successores Apostolorum, regulariter Patriarchas & primates esse cõstituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem conuertatur, cui necesse sit, propter eorum multitudinem primatem constitui. Reliqui verò qui alias metropolitanas sedes adepti sunt, non primates, sed metropolitani nominentur. Si autem aliquis metropolitanorũ inflatus fuerit, & sine omnium prouincialium præsentia vel consilio episcoporũ aut eorum, aut alias causas nisi eas tantum, quæ ad propriam suam pertinent parochiam agere aut eos grauare voluerit, ab omnibus districtè corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. Si verò incorrigibilis eisque inobediẽs apparuerit, ad hanc apostolicam sedem, cui omnium Episcoporum iudicia terminare præcepta sunt, eius cõtumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, vt cæteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris asperitatem graue ad hanc apostolicam sedem eius causam deferre fuerit, tunc ad eius primatem causa deferatur, & penes ipsum huius sanctæ sedis authoritate iudicetur. Similiter, si aliquis episcoporum proprium metropolitanum suspectum habuerit, apud primatem diœceseos, aut apud hanc Apostolicam sedem audiatur.

(9 q. 3 c. si autem aliquis.)

Quòd inimici accusatores esse non possunt. Nicolaus papa Michaeli augusto. (Epist. 2. vel 8.)

¶ CAP. 56.

Placuit sanctæ synodo episcoporum qui Constantinpolim concurrerunt, ne sine discussione admittantur accusatores, nec omnibus præcipitur accusationes facere, cõtra dispensatores ecclesiarum. Veniamus ad sanctam Chalcedonensem synodum, & quid nobis de Athanasio Perrenorũ referat Episcopo audiamus. Is enim antistes tertiò euocatus ad synodum, quia non occurrit, à Patriarcha suo canonicè condemnatus extiterat. Sed solùm, quia cùm vocaretur ad synodum, quòd inimicus esset ipse qui iudicabat, clamauit, à sancta Chalcedonensi synodo, ad causas illatas sibi examinandus reseruatur: & nisi denuò conuinceretur, recipere ecclesiã propriam iudicatur. Quòd si Athanasius à Patriarcha suo depositus, quia de inimicitia eius conquestus est, iteratò ad iudicium renouandum dirigitur, & nisi manifesta sibi officiant crimina, suæ reddi Ecclesiæ præcipitur: quantò magis Ignatius, qui non à Patriarcha, sed ipse potius existẽs Patriarcha, minimè debuit Ecclesiã propriã inimicis & suspectis iudicibus decernentibus expoliari? Quod quamuis factum sit, multò magis quàm Athanasius, inimicorum soluto iudicio, sua debuerat ab Ecclesia recipi. Veniat & facundissimus noster Papa Gelasius, hæreticorũ expugnator fortissimus, & quod de Constantinopolitanis episcopis, more solito tunc ægrotantibus dixit, etiam nobis nunc edisserat. Quæro, inquit, ab his, iudicium quod prætendunt, vbi possit agitari? an apud ipsos, vt iidem inimici testes sint & iudices? Sed tali iudicio nec humana debent committi negotia. Quòd si iudicio, vbi iidem sunt inimici qui iudices, nec humana debent committi * negocia: quantò minus diuina, id est, Ecclesiastica? Qui sapiens est intelligat. Et reuera hinc Iustinianus Imperator * piis legibus suis promulgasse dinoscitur, dicens: Liceat ei qui suspectũ iudicem * habet, antequam lis inchoetur, eum recusare, vt ad alium recurratur. Nam quodãmodo naturale est, suspectorũ iudicum insidias declinare, & inimicorum iudicium vellere fugere. Hinc sanctus Ioannes os aureum concilij contra se congregati renuit intrare collegium.

* iudicia

* pius

* putat

(Ioannes Chrisostom. epist. 19. c. 2. 9 q. 3. c. conquestus.)

De iure primatum. Nicolaus Radulpho Bituricensi archiepiscopo. ¶ CAP. 56.

Conquestus est apostolatui nostro frater Sigebodus Archiepiscopus Narbonensis, quòd clericos suos eo inuito ad iudicium tuum venire cõpellas, & de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi iure patriarchatus tui disponas, cùm hoc neque antiquitas (cui patres sanxere reuerentiã) habeat, & authoritas sanctorum canonum penitus interdicat; nisi fortè pro causis quas apud se terminare non possunt, ad te quasi ad Patriarcham suum prouocauerint, vel si episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ iudicio tuo dispensari voluerint. Primates enim vel Patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus cõtulit, diffinimus: ita vt secundùm Nicænas regulas sua priuilegia seruentur Ecclesiis; præterquàm si Apostolica sedes aliquam ecclesiam, vel rectorem ipsius quolibet speciali priuilegio decreuerit honorare.

Quòd Papa primæ sedis episcopus vocandus est. Ex conc. Africano, ca. v. ¶ CAP. 57. (Con. Carth. 3 cap. 26.)

(dist. 99. cap. primæ sedis.) Vt primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis Episcopus.

Quòd bipertitus sit ordo sacerdotum. Ex epist. Anacleti papæ tertia, missa omnibus episcopis & cæteris sacerdotibus. (Cap. 2.)

¶ CAP. 58.

Sacerdotum, fratres, ordo bipertitus est, & sicut dominus illum constituit, à nullo debet perturbari. Scitis autem apostolos à Domino esse electos & constitutos, & posteà per diuersas

Luc.10.

prouincias ad prædicandum disperſos. Cùm verò meſſis cœpit creſcere, videns paucos eſſe operarios, ad eorum adiumentum ſeptuaginta eligi præcepit diſcipulos. Epiſcopi verò apoſtolorum, Presbyteri quoque ſeptuaginta diſcipulorum locum tenent. Epiſcopi autẽ non in caſtellis aut in modicis ciuitatibus debent conſtitui, ſed Presbyteri per caſtella, & per modicas ciuitates atque villas debent ab Epiſcopis ordinari & poni, ſinguli tamen per ſingulos titulos ſuos. Amplius quàm iſti duo ordines ſacerdotum, nec nobis à Deo collati ſunt, nec apoſtoli docuerunt.

Cap. 2. diſt. 8. cap. Epiſcopi non in.

Vt non laici, nec Neophyti, nec bigami, nec viduarum mariti, ſed irreprehenſibiles ordinentur epiſcopi. Ex decretis Leonis Papæ.

Leo.1.ep.82. c.3.

¶ CAP. 59.

In ciuitatibus, quarum paſtores obierint, de ſubſtituendis Epiſcopis hæc forma ſeruetur, vt is qui ordinandus eſt, etiamſi bonæ vitæ teſtimonio fulciatur, non laicus, non neophytus, nec ſecundæ coniugis ſit maritus, ſed aut qui vnam quidem habeat vel habuerit, & quam ſibi virginem copulauerit. Sacerdotum enim tam excellens eſt electio, vt hæc quæ in aliis membris Eccleſiæ non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

Vt dum Epiſcopus eligitur, ſi contradictores habuerit, quinque epiſcopi ad examinandos eos conueniant. Ex concilio Africano, cap. xvij.

Et in conci. Cart.3.c.40.

¶ CAP. 60.

Sed & illud eſt ſtatuendum, vt quando ad eligendum Epiſcopum conuenerimus, ſi qua contradictio fuerit oborta (quia talia facta ſũt apud nos) non præſumant ad purgandum eum qui ordinandus eſt, tres epiſcopi, ſed poſtulentur ad numerum ſupra dictorum (ſi haberi poſſint) * vnus vel duo in eadem plebe cui ordinandus eſt, & diſcutiantur primò perſonæ contradicentium: poſtremò etiam illa quæ obijciuntur pertractentur. Et cùm purgatus fuerit, ſub conſpectu publico ita demum ordinetur. Si hoc cum veſtræ ſanctitatis animo concordat, roboretur veſtræ dignitatis reſponſione. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Satis placet.

** duo vel tres: & in eadem plebe, cui ordinandus eſt, diſcutiantur, &c*

Vt nemo Epiſcopus ordinetur nolente clero & populo. Ex decretis Cœleſtini Papæ, cap. xviij.

Epiſt.2. ad epiſc. Galliæ cap. 5.

¶ CAPVT 61.

diſt. 61. cap. nullus.

Nullus inuitis detur Epiſcopus: cleri, plebis & ordinis conſenſus & deſiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur eccleſia, ſi de ciuitatis ipſius clericis, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus (quod euenire non credimus) poterit inueniri. Primùm enim illi reprobandi ſunt, vt aliqui de Eccleſiis alienis meritò præferantur. Habeat ergo vnuſquiſque ſuæ fructum militiæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia peregit ætatem. In aliena ſtipendia alius minimè obrepat, nec alij debitam, alter ſibi audeat vendicare mercedem. Sit facultas clericis renitendi, ſi ſe viderint prægrauari, & quos ſibi ingeri ex tranſuerſo cognouerint, non timeant refutare: qui etſi non debitum epiſcopatus premium, vel liberum de eo, qui eos recturus eſt, debent habere iudicium.

Quòd priùs examinari debeant qui Epiſcopi ſunt ordinandi. Ex concilio Carthaginenſi iiij cap. j.

¶ CAP. 62.

diſt.23. cap. qui epiſcopus

Qui Epiſcopus ordinandus eſt, ante examinetur, ſi naturâ prudens eſt, ſi * docilis, ſi moribus temperatus, ſi vitâ caſtus, ſi ſobrius, ſi ſemper ſui negotij cauens, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors, ſi literatus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in ſcripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus. Et ante omnia fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat, id eſt patrem, & filium, & Spiritum ſanctum vnum eſſe Deum confirmans, totámque in trinitate deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, & coæternam, & coomnipotentem prædicans, * ſingulámque in trinitate perſonam plenum Deum, & totas tres perſonas vnum Deum, ſi incarnationem diuinam, non in patre, neque in Spiritu ſancto factam, ſed in filio tantùm credat, vt qui erat in diuinitate Dei patris filius, ipſe fieret in homine hominis matris filius. Deus verus ex patre, homo verus ex matre, carnem ex matris viſceribus habens, & animam humanam rationabilem, ſimul in eo vtramque naturam, id eſt hominis & Dei: vna perſona, vnus filius, vnus Chriſtus, vnus dominus * creator omnium, quæ ſunt, & author, & rector, & Deus cum patre & Spiritu ſancto: qui paſſus * ſit vera carnis paſſione, mortuus vera corporis ſui morte, reſurrexit vera carnis ſuæ reſurrectione, & vera animæ reſumptione, in qua veniet iudicare viuos & mortuos. Quærendum eſt etiam ab eo, ſi noui & veteris teſtamenti, id eſt legis, & prophetarum, & apoſtolorum vnum eundémque credat authorem Deum: ſi diabolus non per cõditionem, ſed per arbitrium ſuum factus ſit malus. Quærendum etiam ab eo, ſi credat huius quam geſtamus, & non alterius carnis reſurrectionem: ſi credat iudicium futurum, & recepturos ſingulos pro his quæ in * carne geſſerunt, vel pœnas vel præmia: ſi nuptias improbet: ſi ſecunda matrimonia non condemnet: ſi carnium perceptionem non culpet, ſi pœnitentibus reconciliatis communicet: ſi in baptiſmo omnia peccata, id eſt, tam illud originale contractum, quàm illa quæ voluntariè admiſſa ſunt, dimittantur: ſi extra eccleſiam catholicam nullus ſaluetur. Quum in omnibus his examinatus, plenitérque inſtructus repertus fuerit, tunc ordinetur Epiſcopus.

** docibilis.*

** ſi ſingulas quaſq; in trinitate perſonas.*

** creaturarum.*

** ſit pro ſalute noſtra vera, &c.*

** hac carne.*

*Vt Epiſcopi diligentiſſimè probentur priuſquam ordinentur. Ex conc. Aurelianenſi, ca. * vij.*

** xij.*

¶ CAP. 63.

Vt Epiſcopi, iudicio metropolitanorum, & eorum epiſcoporum, qui circum circa ſunt, prouehantur ad eccleſiaſticam poteſtatem, ij videlicet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quàm rectæ conuerſationis exemplo.

Quòd populo non liceat ſacerdotum electiones per ſe facere. Ex concilio Bracar. cap. i.

¶ CAP. 64.

diſt.63. c. non licet.

Non licet populo electionem facere per ſe eorum qui ad ſacerdotium * prouehantur, ſed in iudicio epiſcoporum eſſe debet, vt ipſi eum qui ordinandus eſt probent, ſi in ſermone, & fide, & ſpirituali vita edoctus ſit.

** promouentur.*

Quòd non habeantur episcopi, quos nec clerus, nec populus elegerit, nec comprouinciales Episcopi consecrarint. Leo Rustico Narbonensi episcopo, Epistola xc. ¶ CAP. 65.

dist. 62. c. nulla ratio. Nulla ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus Episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. Vnde cùm sæpe quæstio de malè accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendũ, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum consensu & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita vt in ipsis Ecclesiis perseuerent, aliter autem vana habenda est consecratio, quia nec loco fundata est, nec authoritate munita. 1 q. 1. c. si qui clerici.

Quòd nullus ordinandus est Episcopus nisi ex conuentione. Ex Aurelianensi concilio, cap. ij.

¶ CAP. 66.

Nullus ordinandus est episcopus, nisi conuocatis clericis & parœcianis, & in vnum consentientibus.

Quòd canes magis, quàm principes nominentur, qui assumpto regimine superbiunt. Origenes.

¶ CAP. 67.

Quidam assumpta Ecclesia & rebus diuinis, eleuantur, & cunctos fastu superbiæ paruipendunt, hi canes magis, quàm principes nominantur.

Item de superbientibus Episcopis. Ex dictis Gregorij & Pauli Apostoli.

¶ CAP. 68.

Humilis debet Episcopus esse, gradum enim mansuetudinis accepit, non superbiæ, Paulus dicit: Decet huiusmodi hominem mansuetum esse, non elatum, non superbum. Ad Tit. 1.

Quòd ordinationes episcoporum Apostolica authoritate à cunctis comprouincialibus fieri debeant: Ex Epistola secunda Anacleti Papa scripta Episcopis Italiæ.

¶ CAP. 69.

dist. 64. c. ordinationes. Ordinationes episcoporum authoritate Apostolica ab omnibus qui in eadem fuerint prouincia, sunt celebrandæ. Qui simul conuenientes scrutinium diligenter agant, ieiuniúmque conuenientibus precibus celebrent, & manus cum sanctis Euangeliis quæ prædicaturi sunt imponentes, dominica die horâ tertiâ orantes, sacrâque vnctione exemplo prophetarum & regum, capita eorum (more apostolorum & Moisis) vngentes, quia omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto est chrismati permixta, hoc ritu solennem celebrent ordinationem. Quòd si omnes simul conuenire minimè potuerint, assensum tamen suis precibus & scriptis præbeant, vt ab ipsa ordinatione animo non desint. Porro & Hierosolymitanorum primus Archiepiscopus, beatus Iacobus, qui iustus dicebatur, & secundùm carnem Domini nuncupatus est frater, à Petro, Iacobo & Ioanne Apostolis est ordinatus, successoribus videlicet formam dantes eorum, vt minus quàm à tribus Episcopis, reliquísque omnibus assensum præbentibus, nullatenus ordinetur, & cum communi voto ordinatio celebretur.

Ne laicus fiat Episcopus ante xxx. annos, vel ante anni conuersionem. Ex concilio Arelatensi iij. sub finem cap. j. ¶ CAP. 70.

Episcopatus verò vel Presbyterij honorem nullus laicus ante anni conuersionem, vel ante triginta annos accipiat.

De laicis non temerè faciendos Episcopos. Ex concilio Sardicensi, cap. xiij.

¶ CAP. 71.

Osius Episcopus dixit: Et hoc necessarium arbitror, vt diligentissimè tractetis, si fortè aut diues, aut scholasticus de foro, aut ex administratione Episcopus fuerit postulatus, vt non priùs ordinetur, nisi ante lectoris munere, & officio diaconi aut Presbyteri fuerit perfunctus, & ita per singulos gradus (si dignus fuerit) ascendat ad culmen episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt vbique prolixum tempus, probari qua fide sit, qua modestia, qua grauitate & verecundia. Et si dignus fuerit probatus, diuino sacerdotio illustretur: quia conueniens non est, nec ratio vel disciplina patitur, vt temerè & leuiter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut diaconus, qui neophytus est, maximè cùm & magister gentium beatus Apostolus, ne hoc fieret denunciasse & prohibuisse videatur: sed hi quorum per longum tempus, examinata sit vita, & merita fuerint comprobata. dist. 61. c. Osius episcopus. 1. Timot. 3.

Quòd per gradus Ecclesiasticos ad Episcopatus debeat officium perueniri. Ex decretis Cœlestini Papa Galliarum Episcopis missis. Epist. 2. ad episc. Gallia cap. 3.

¶ CAP. 72.

Ordinatos verò quosdam, fratres charissimi, Episcopos, qui nullis Ecclesiasticis ordinibus ad tantæ dignitatis fastigium fuerint instituti, contra patrum decreta, huius vsurpatione, qui se hæc recognoscit fecisse, didicimus: quum ad Episcopatum his gradibus, quibus frequentissimè cautum est, debeat perueniri, vt minoribus initiati officiis ad maiora firmentur. Debet enim ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, vt possit docere quod didicit. Omnis vitæ institutio, hac ad id quò tendit, se ratione confirmat. Qui minimè literis operam dederit, præceptor esse non potest literarum. Qui non per singula stipendia creuerit, ad meritum stipendij ordinem non potest peruenire. Solum sacerdotium inter ista, rogo, vilius est, quod facilius tribuitur, quum difficilius impleatur. *Itẽ de eodem. Ex Beneuẽtana synodo Vrbani Papa, capitulo primo.* Nullus in episcopatum eligatur, nisi in sacris ordinib[us] religiosè viuẽs inuẽtus est. Sacros autẽ ordines dicimus diaconatus, & Presbyteratus: hos siquidem solos primitiua legitur Ecclesia habuisse: super his solis præceptum Apostoli habemus. Subdiacones verò, quia & ipsi altaribus administrant, oportunitate exigente concedimus, sed rarissimè, si tamen spectatæ sint religionis & scientiæ, quod ipsum sine Rom. Pont. vel metropolitani licentia non fiat. Dist. 59 c. ordinatos. dist. 60. c. Nullus in episcopatum. 1. Tim. 3.

Vt laicam communionem non accipiat qui per ambitionem Episcopatum acceperit. Ex conc. Sardicensi cap. ij. ¶ CAP. 73.

Osius Episcopus dixit, etiam si talis aliquis

extiterit temerarius, vt fortassis talem excusationem afferens, asseueret quia literas populi acceperit, cùm manifestum sit potius potuisse plures præmio & mercede corrumpi eorum,qui sinceram fidem non habent,vt clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur episcopum, omnino has fraudes damnandas esse arbitror,ita vt ne laicam in fine communionem talis accipiat. Si vobis omnibus placet,statuite. Synodus respondit, placet.

Quòd Episcopus esse non possit qui nesciente Metropolitano consecratus fuerit. Ex concilio Arelatensi. ij. cap. vi. ¶ CAP. 74.

Illud autem ante omnia claret,quòd cum qui sine conscientia metropolitani constitutus fuerit Episcopus,iuxta magnam synodum esse Episcopum non debere.

Ne episcopi per simoniacam hæresim regiminis locum obtineant. Ex Meldensi concilio, c. xliij.

¶ CAP. 75.

1.q.7.c cauendum. Cauendum,& summopere est præcauendum, ac per virtutem sanguinis Christi interdicendũ Episcopis, & regibus,& omnibus sublimioribus potestatibus,atque cunctis fautoribus & electoribus quorumcunque, atque consensoribus seu ordinatoribus in gradu Ecclesiastico, vt nemo per simoniacam hæresim regiminis locum obtineat, quacunque fautione,calliditate, promissione, seu commoditate, aut donatione per se, aut per submissam personam, cùm Spiritus sanctus inter cætera documenta per os dicat Gregorij: Cur non videtur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus ordinatur? Item. Quisquis contra hanc simoniacam & neophytorũ hęresim vehementer pro officij sui consideratione non arserit, cum Simone mago se non dubitet habere portionem, qui primus cõmisit hoc piaculare flagitium. Et alibi. Quisquis hoc pretio studet accipere, non esse sacerdos,sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Et alibi: Dolens (inquit) dico,gemens denuncio, quia sacerdotium quod apud vos intus cecidit,foris diu stare non potuit.

[Margin: Epist.110. lib.7. — Epist.51.seu c.95. l.4. — Ibidem ep.9]

De his qui pretio sacram mercati sunt dignitatem. Ex Epistola Gelasij Papæ.

[Margin: Ep.9.c.16. 1.q.1 c.quos constiterit. Acto. 8.]

¶ CAP. 76.

Quos constiterit indignos meritos, sacram mercatos esse pretio dignitatem, conuictos oportet arceri, quia dantem pariter, & accipientem damnatio Simonis quam sacra lectio testatur, inuoluit.

[Margin: Ep.25.c. 11.]

De eadem re Ex epistola Hermisda Papæ,

¶ CAP. 77.

Hoc itaque ad priora coniungimus, ne benedictio per impositionem manus, quæ à Deo esse creditur, precio comparetur, quia Simon magus Spiritum sanctum volens pretio mercari, Apostoli Petri fuit detestatione percussus.

*Item de eadem re. Ex canone Apostolorum, cap. *xxx.* ¶ CAP. 78.

[Margin: * xxix. — * Diaconus]

Si quis Episcopus aut Presbyter, aut * Abbas per pecuniã hanc obtinuerit dignitatẽ, deijciatur ipse, & ordinator eius, & à communione sancta modis omnibus abscidatur, & sit anathema, sicut Simon magus à Petro.

Erga simoniacos nullam misericordiam seruandam. Nicolaus iunior Synodo præsidens in Constantinopolitana Ecclesia dixit.

¶ CAP. 79.

Erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate seruanda habendam esse decernimus, 1.q.1.c erga simoniacos. sed iuxta canonum sanctiones, & sanctorum patrum decreta eos omnino damnamus, ac deponendos eos Apostolica authoritate sancimus. *Item.* De cætero, si quis in posterum ab eo quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit, & consecrator & consecratus non disparem dãmnationis sententiam subeat, sed & vterque depositus pœnitentiam agat, & priuatus à propria dignitate persistat.

Quòd si Romanus Pontifex simoniacè, & sine consensu Cardinalium intrusus fuerit, ab eis excommunicandus, & humano etiam indicio à sede pellendus sit. Ibid. cap. ij.

¶ CAP. 80.

Si quis pecunia aut gratia humana, aut populari seu militari tumultu, sine concordi & canonica electione & benedictione Cardinalium, Episcoporum, ac deinde sequentium ordinum religiosorum, Apostolicæ sedi fuerit inthronizatus, non Papa vel Apostolicus, sed Apostaticus habeatur: liceátque Cardinalibus, Episcopis cũ religiosis & Deum timentibus clericis & laicis inuasorem, etiam cum anathemate & humano auxilio & studio à sede Apostolica repellere, & quem dignum iudicauerint præponere. Quòd si hoc intra vrbem perficere nequiuerint, nostra authoritate extra vrbem congregati in loco quo eis placuerit, eligant quem digniorem & vtiliorem Apostolicæ sedi perspexerint, concessa ei authoritate regendi & disponendi res ad vtilitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, secundùm quod ei melius videbitur, iuxta qualitatem temporis, quasi iam omnino intronizatus sit.

Qualiter iudicandi sint qui simoniacè ordines acceperint. Ex decretis Gregorij Papæ vij. c xi.

¶ CAP. 81.

Ordinationes quæ interueniente pretio, vel 1.q 1. c ordinationes. precibus, vel obsequio ea intentione impenso alicui personæ, vel quæ non communi consensu cleri & populi secundùm canonicas sanctiones fiunt, & ab his ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, falsas esse diiudicamus; quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium in- Ioannis 10. trant, id est, per Christum, sed vt ipsa Veritas testatur, fures sunt & latrones.

Quòd ordinatores simoniacorum simul cum ipsis damnandi sunt. Ex Toletano conc. vi. c. iiij.

¶ CAP. 82.

Quicunque Simonis imitator, simoniacæ quoque hæresis extiterit sectator, vt ecclesiasticorum ordinum gradus non dignitate morum obtineat, sed munerum impensione conquirat, & per oblata munera capiat, quibus hanc nec rationis ordo, nec dignitas morum vlla commendat: talis inuentus, sacrorum apices ordinum nullo modo adipisci permittatur; sed & si adeptus fuerit, communione priuatus cum ordinatoribus suis propriorum bonorum amissione damnetur.

Vt qui simoniacè à simoniacis munera acceperint, si clerici fuerint honoris amißione multentur, si laici anathemate damnentur. Ex Toleta. concilio. viij. cap. iij. ¶ CAP. 83.

1. q. 1. c. reperiuntur. Quicunque propter accipiendam sacerdotij dignitatem quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se nouerit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione Christi corporis & sanguinis alienum, ex quo illum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. Quòd si aliquis extiterit qui accuset, ille qui hunc ordinem munerum fuerit datione lucratus, & suscepti honoris gradu priuetur, & in monasterio sub perenni pœnitentia religetur: illi verò qui pro causa hac munerum acceptores exstiterint, si clerici fuerint, honoris amissione multentur, si verò laici, anathemate perpetuo condemnentur.

Quid episcopus vouere debeat ordines accepturus. Ex Toleta. concilio ix. cap. x. ¶ CAP. 84.

Vnusquisque qui ad ecclesiasticos gradus est accessurus, non ante honoris consecrationem accipiat, quàm placiti sui innodatione promittat, vt fidem catholicam sinceri cordis deuotione custodiens, iustè & piè viuere debeat, & in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat, atque vt debitum per omnia honorem, atque obsequij reuerentiam præeminenti sibi vnicuique dependat.

Vt nullus pro gradu sacerdotij conferendo, nec antea, nec post munus sine periculo exigat. Ex Bracarensi concilio iij, cap. vij. ¶ CAPVT 85.

1. q. 1. c. qui per pecuniã. Quicunque pro conferendo cuiquã sacerdotij gradu, aut munus quodcumque, aut promissiones muneris antequam ordinetur acceperit, vel etiam postquam ordinatus fuerit, in aliquo se pro hoc ipso præsumpserit munerari, siue ille qui dederit, siue qui acceperit, iuxta sententiam
cap 2. Chalcedonensis concilij gradus sui periculum sustinebit.

Quod simonia alia ab obsequio, alia à manu, alia à lingua fit. Gregorius in codice quadraginta homiliarum. hom. iij. ¶ CAP. 86.

1 q 1. c sunt nonnulli. Columbas vendere, est impositionem manus, qua Spiritus sanctus datur, non ad vitæ meritũ, sed ad præmium dare. Sed sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, sed tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirùm quòd gratis acceptum est, Matth. 10 gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis, nummum fauoris expetunt. Vnde benè Esaiæ 33. cùm virum iustum describeret propheta, ait: Qui excutit manus suas ab omni munere: Neque enim dicit, qui excutit manus suas à munere, sed adiunxit ab omni. Quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio est subiectio indebitè impensa: munus à manu, pecunia: munus à lingua, fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non solùm nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.

Quòd columbas vendunt, qui manus impositionem ad pretium distribuunt. Ibidem homilia xvij. ¶ CAP. 87.

Nonnullos vestrum cum præmiis ordinationes facere cognouimus, spiritualem gratiam vendere, & de alienis iniquitatibus cum peccati damno temporalia lucra cumulare. Cur ergo ad memoriam vestram non redit, quod vox dominica præcipiens dicit: Gratis accepistis, gratis date? Matth. 10. Cur non ante mentis oculos reuocatis quòd templum redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas euertit, & nummulariorum effudit æs? Matt. 21. Qui namque sunt in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi Ioan. 2. qui in ecclesia pretium de impositione manus accipiunt? per quam videlicet impositionem Spiritus sanctus cœlitus datur. Columba igitur venditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium datur. Sed redemptor noster cathedras vendentium columbas euertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Hinc est enim quod sacri canones simoniacam hæresim damnant, & eos à sacerdotio priuari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretiũ quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas euertitur, quando hi qui spiritualem gratiam vendunt, vel ante humanos, vel ante Dei oculos sacerdotio priuantur.

De eadem re. Homilia xxxix. ¶ CAP. 88.

Vendentes & ementes de templo eliminat 1. q. 3. c. vendentes. Christus, quia vel eos qui pro munere impositionem manuum tribuunt, vel eos qui donum Dei emere nituntur, damnat. *Item.* In templo Ibidem. vendentes sunt, qui hoc quod quibusdam iure competit, ad præmium largiuntur. Iustitiam enim vendere est, hanc pro præmij acceptione seruare. Ementes verò in templo sunt, qui dum hoc quod iustum est proximo persoluere nolunt, dùmque rem iure debitam facere contemnunt, dato patronis * pretio emunt peccatum. * præmio

*De episcopo simoniacè ordinato. Gregorius * Maximino præsumptori ecclesiæ Salonitanæ.* ¶ CAP. 89. * Maximo.

Peruenit ad nos, quòd per simoniacam hæresim fueris ordinatus, sed & alia de te multa hîc lib. 5. regist. epist 3. dicta sunt, de quibus vnum quàm maximè fuit, propter quod necesse habuimus, summopere per scripta nostra prohibere, ne Missarum solennia celebrare debuisses.

Vt dignus vita & moribus ad sacros ordines eligatur. Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum. ¶ CAP. 90.

Christianitatis vestræ sollicitudo diligenter lib. 7. regist. epist. 5. inuigilet, vt nullum qui sub vestro regno est, ad sacrum ordinem ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum, seu proximitatis iure patiatur accedere, sed ille ad episcopatus vel alterius sacri ordinis officium eligatur, quem dignum vita & mores ostenderint.

Vt nullus sacros ordines emat, nec aliquis ex laico habitu ad regimen ecclesiæ perueniat. Gregorius Syagrio, Betherio, Virgilio, & Desiderio episcopis a paribus. ¶ CAP. 91.

Fraternitatem vestram (authore Deo) volumus synodum congregare, atque in ea reuerendissimo fratre nostro * Aregio coepiscopo, lib. 7. regist. epist. 111. * Syagrio & dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate mediantibus, omnia quæ sanctis canonibus (sicut

prædiximus) sunt aduersa, districtè sub anathematis interpositione damnentur, id est, vt nullus pro adipiscendis ordinibus ecclesiasticis dare aliquod commodum præsumat, vel pro datis accipere: neque ex laico habitu quisquam repentè audeat ad locum sacri regiminis peruenire: neque vt aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent, nisi quæ sacris canonibus sunt permissæ.

De simoniaca prauitate extirpanda. Gregorius Theodorico regi Francorum.

¶ Cap. 92.

lib 9 registri epist 55. Iterata vos pro vestra mercede adhortatione pulsamus, vt congregari synodum iubeatis, & sicut dudum scripsimus, corporalia in sacerdotibus vitia, & simoniacæ hæreseos prauitatem, Episcoporum omnium diffinitione damnari, atque à vestri regni amputari finibus faciatis.

De eodem. Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum. ¶ Cap. 93.

lib. 9 registri epist. 57. Synodum congregari præcipite, & peccatum simoniacæ hæreseos de regno vestro inter alia quæ supra scripsimus, diffinitione concilij studiosius prohibete.

Item de eodem. Gregorius Clothario regi Francorum.

¶ Cap. 94.

lib. 9 regist. epist. 55. Quia simoniaca hæresis prima in Ecclesia surgens Apostolorum est authoritate damnata, petimus vt pro mercede vestra synodum congregari faciatis, quatenus omnium sacerdotum diffinitione compressa & radicitus amputata, nullas illic vires de cætero in periculum animarum inueniat, nec vlterius sub qualibet occasione permittatur exurgere.

Ambro. li. de dignit sacerdotali, cap. 5. *Quòd Episcopus simoniacè ordinatus aurum dedit, & animam perdidit: ordinans autem pecuniam accepit, lepram dedit. Ambrosius in pastorali suo.* ¶ Cap. 95.

1. q. 1. c. cùm ordinaretur. Quod dedit Episcopus cùm ordinaretur aurum fuit: & quod perdidit, anima fuit. Cùm alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit: quod dedit, lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum. Interrogo tamen fratrem & coepiscopum nostrum, quia & ego Episcopus sum, & cum Episcopo loquor. Dic ergo mihi paulisper, frater Episcope, cùm dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam Episcopalem accepi. Ergo interrogo te. Hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? Respondit. Cur inquis? Vt reor, quod gratis datur, ideo gratia vocatur. Ergo si gratis gratia datur, & auro non æstimatur, à te cur gratia pecuniis comparatur? Respondit. Non inquit, mihi daretur, si pecunia non emeretur: nec Episcopus fuissem ordinatus, si pecunias non dedissem. Ergo vt apparet, ex responsionibus tuis, gratiam cùm ordinareris non accepisti, quia gratuitò eam non meruisti. Et ideo, frater, si gratiam non accepisti, quomodo Episcopus effici potuisti? Nam & ad discipulos suos Dominus ait, Gratis accepistis, gratis date. (Math. 10.) Cur ergo gratuitam gratiam æstimasti te pretio possidere? Nam vt video aurum dans, perdidisti: & sanctam gratiam non acquisisti.

De eodem. Ambrosius officiorum libro primo. Amb. de dignitate sacerdotali, cap. 5.

¶ Cap. 96.

Si percunctari fideliter velis simoniacos, quis eos fecerit sacerdotes, respondebunt mox & dicent: Ab Archiepiscopo sum nuper Episcopus ordinatus, centúmque ei solidos dedi, vt Episcopalem gratiam consequi meruissem. Quos si minimè dedissem, Episcopus hodie non essem. Vnde melius volui mi Domine aurum de sacello * minuere, quàm * tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi, & episcopatum comparaui: quos tamen solidos, si vixero, recepturum me illicò iterum non diffido. Ordino Presbyterum, consecro diaconum, & aurum accipio. Nam & de aliis nihilominus ordinibus pecuniæ quæstũ flagitare confido. Ecce & aurum quod dedi, in meo sacello recepi, & Episcopatum gratis accepi. Nempe hoc est quod doleo, quia Archiepiscopus carnaliter episcopum fecit: nam propter pecunias spiritualiter leprosum ordinauit. Pecunia, inquit, tua tecumsit in perditionem, (Acto 8.) quia donum Spiritus sancti gratiæ pretio comparasti, & commercium miserabile in animarũ exitium peregisti. Et nescij homines, & indocti inordinationibus eorũ clamant, & dicunt, * Dignus est, iustus est; conscientia misera, indignus, iniustus est dicit. Pronunciat enim Episcopus * hic ad populum, dicens: Pax vobis. Oculis quidem carnalibus videtur magnus Episcopus, & diuinis obtutibus inspicitur magnus leprosus.

* inuehere
* totum
* Dignus es, & iustus es, & conscientia misera. Indignus es, & iniustus es, dicit, &c.
* huiusmodi.
Ad cap. 2. Ioannis.

Item de eodem. Beda in libro homiliarum lxx.

¶ Capvt 97.

1. q. 3. c. non solum. Non solùm venditores sunt columbarum, & domum Dei facunt domum negotiationis, qui sacros ordines largiendo pretium pecuniæ, vel laudis, vel etiam honoris inquirunt, verùm hi quoque qui gradum vel gratiam in Ecclesia spiritualem, quam Domino largiente percepere, non simplici intentione, sed cuiuslibet humanæ causâ retributionis exercent, contra illud Apostoli Petri, qui loquitur, quasi sermones Dei: (1. Petri. 4.) qui ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum. Quicunque ergo tales sunt, si nolunt veniente Domino de Ecclesia auferri, auferant ista de suis actibus, ne faciant domum Dei domum negotiationis.

Quibus in locis Episcopi, quibus Presbyteri esse debeant. Anacletus in tertio decretali suo omnibus episcopis. ¶ Cap. 98.

Episcopi apostolorum, presbyteri verò 72. (Suprà c. 58.) discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in castellis, neque in modicis ciuitatibus debent constitui, sed Presbyteri per castella & modicas ciuitates atque villas debent ab Episcopis ordinari & poni, singuli tamen per singulos titulos suos. Et Episcopus non ab vno, sed à pluribus debet Episcopis ordinari, & vt dictum est, non ad modicam ciuitatem, ne vilescat nomen Episcopi, sed ad honorabilem vrbem titulandus & denominandus est. Presbyter verò ad qualemcunque locum Ecclesiæ in eo constitutæ est præficiendus.

cap. 2. *Irritam esse sententiam Archiepiscopi sine assensu coepiscoporum. Higinius Papa à Petro Apostolo octauus in 1. decretali suo, omnibus episcopis.* ¶ Cap. 99.

9. q. 3. c. salvo. Saluo in omnibus Romanæ Ecclesiæ priuilegio, nullus metropolitanus absque cæterorum omnium comprouincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas reorum: quia irritæ erunt aliter actæ quàm in conspectu eorum omnium ventilatæ: & ipse si fecerit coerceatur à fratribus. Criminationes maiorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni & irreprehensibiles apparuerint, & actis publicis docuerint omni se suspicione carere & inimicitia, atque irreprehensibilem fidem ac conuersationem ducere. Cap. 2. 2. q. 7. c. criminationes.

Vt nullus metropolitanus alterius diœcesani parochianum præsumat excommunicare, vel aliquid de eo agere sine concilio vel iudicio episcopi sui. Calixtus Papa à Petro xv. Benedicto fratri & coepiscopo. ¶ Cap. 100. Epist. 2. episco. Galliæ. c. 3.

9. q. 3. c. nullus primas. Nullus primas vel metropolitanus diœcesani Ecclesiam vel Parochiam, vel aliquem de eius Parochia præsumat excommunicare, vel iudicare, aliquidue agere absque eius concilio vel iudicio, sed hoc obseruet, quòd ab Apostolis ac patribus, & prædecessoribus nostris est statutum, & à nobis confirmatum.

Irritum esse quod facit Archiepiscopus de alterius parochia sine eius voluntate. Idem ibidem.

¶ Capvt 101.

Si quis verò metropolitanus Episcop⁹, nisi quod ad suam solummodo propriā pertinet parochiā, sine * consensu & voluntate omnium comprouincialium episcoporum, extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur, & vacuum? sed * si quid de comprouincialium causis episcoporum, eorùmque ecclesiarum & clericorum atque sæcularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit; hoc cum omnium consensu comprouincialium agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima & concordi administratione, sicut dominus ait: Non veni ministrari, sed ministrare. Et alibi: Qui maior est vestrum, erit minister vester: & reliqua. Similiter & ipsi comprouinciales episcopi cum eius consilio (nisi quantum ad proprias pertinet Parochias) agant iuxta sanctorum constituta patrum, vt vno animo, vno ore concorditer sancta glorificetur trinitas in sæcula. Nullus primas, nullus metropolitanus, nullúsque reliquorum episcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Episcopi Parochiam super * cuiusquam dispositione, nisi vocatus ab eo cuius iuris esse dinoscitur, vt quicquam ibi disponat vel ordinet, aut iudicet, si sui gradus honore potiri voluerit. Sin aliter præsumpserit damnabitur, & non solùm ille, sed & cooperantes, & consentientes illi: quia sicut ordinatio, ita * eius & iudicatio, & aliarum rerum dispositio, prohibetur. Nam qui ordinare non poterit, quomodo iudicabit? Nullatenus proculdubio iudicabit, aut iudicare poterit. Quoniam sicut alterius vxor nec adulterari ab aliquo, vel iudicari, aut disponi nisi à proprio viro eo viuente permittitur; sicut nec vxor episcopi (quæ eius Ecclesia vel Parochia indubitanter intelligitur) eo viuente, * absque eius iudicio & voluntate, alteri iudicari vel disponi, aut eius concubitu frui, id est, ordinatione vllatenus conceditur.

(Marginalia: * consilio; * quicquid; Matth. 20.; Ibidem 23.; * eius; * eis; * iudicio & voluntate alterius iudicari, &c.)

Quòd nullus nisi per gradus ecclesiasticos ad summum sacerdotium peruenire debeat. Zosimus episcopus vrbis Romæ Hesychio episcopo Salonitano, cap. 1. ¶ Cap. 102. Ep. 1. c. 1.

Hoc autem specialiter, & sub prædecessoribus nostris, & nuper à nobis interdictum constat literis ad Gallias, Hispaniásque transmissis, in quibus regionibus familiarior est ista præsumptio, quamuis nec Africa super * hac admonitione nostra habeatur aliena, ne quis penitus contra patrum præcepta, quia ecclesiasticis disciplinis per ordinem non fuisset imbutus, & temporum approbatione diuinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum Ecclesiæ sacerdotium, aspirare præsumeret: & non solùm in eo ambitio inefficax haberetur, verumetiam ordinatores eius carerent eo ordine, quem contra præcepta patrum crediderant præsumendum. * hoc; dist. 36. & 59 et qui Ecclesiast.

Vt si quis episcopus maiorem sedem ambierit, & suam perdat, & illam non obtineat. Leo Anastasio Thessalonicensi Episcopo. Epist. 84. cap. 2.

¶ Cap. 103.

Si quis episcopus ciuitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad maiorem se plebem quacunque * ratione transtulerit, à cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propria: vt nec illis præsideat, quos per auaritiam concupiuit, nec illis quos per superbiam spreuit. Suis ergo terminis quisque contentus sit, nec supra mensuram iuris sui affectet augeri. * occasione

Vt nullus Episcopus sibi eligat successorem. Hilarius Papa synodo præsidens dixit, cap. v. In concilio Romano.

¶ Cap. 104.

Præterea fratres noua & inaudita (sicut ad nos missis de Hispaniis Epistolis sub certa relatione peruenit) in quibúsdam locis peruersitatum semina subinde nascuntur. Denique nonnulli episcopatum, qui non nisi meritis præcedentibus datur, non diuinum munus, sed hæreditarium putant esse compendium, & credunt sicut res caducas atque mortales, ita sacerdotium velut legatorio aut testamentario iure posse dimitti. Nam plærique sacerdotes in mortis confinio constituti, locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare: scilicet vt non legitima expectetur electio; sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. Quod quàm graue sit * existimatis. Atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter ecclesiis auferamus. * æstimate

Quòd non sit principatus per ambitum vel seditionem occupandus, & quòd non sit episcopo manus imponenda, nisi diligenter examinato. Leo Papa vniuersis episcopis per Africam constitutis. Epist. 87. cap. 1.

¶ Cap. 105.

Necessarium fuit, vt dolorem cordis nostri, quo pro dominicorum gregum periculis æstuamus, datis nunc ad vos literis promeremus, mirantes tantùm apud vos, per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem, vt in-

dignis quibusque, & longè extra sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium & gubernatio Ecclesiæ crederetur. Non est hoc consulere populo, sed nocere: nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum; & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipso tamen initij sui est perniciosus exemplo: & difficile est, vt bono peragantur exitu quæ malo sunt inchoata principio. Quod si in quibuslibet ecclesię gradibus prouidenter scienterque curandum est, vt in domo domini nihil sit inordinatum, nihilque præposterum, quantò magis elaborandum est, vt in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inuenitur in capite. Vbi est illa beati Pauli Apostoli per spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei omnium sacerdotum Christi numerus eruditur, & * inde vnicuique nostrum dicitur. Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Quid est citò manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum * tenet in eligendo sacerdote iudicium: ita graui semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum. Non enim in cuiusquam persona prætermittendum est, quod institutis generalibus continetur, nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit contra diuinæ præcepta legis collatus. Meritò patrum beatorum venerabiles sanctiones, quum de sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos sacris administrationibus censuerunt, quorum omnis ætas à puerilibus exordiis, vsque ad perfectiores annos, per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia cucurrisset, vt vnicuique testimonium prior vita perhiberet. Nec potest de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis celsioris loci præmium debetur. Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est peruenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adiuuant: quàm diligens, & quàm prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum, & cœlestium dignitatum, ne in aliquo Apostolica & canonica decreta violentur, & his Ecclesia Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescij, & totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed à summis volunt * accipere principium? cùm valde iniquum sit, & absurdum, vt imperiti magistris, noui antiquis, & rudes præferantur emeritis.

[margin: * proinde; 1. Tim. 5.; * sectatur; Paulò post.; * habere]

Cap. 2.

Ne in ordinandis Episcopis sanctorum patrum statuta negligantur. De superiori Epistola ad Episcopos Africæ.

§ CAP. 106.

[margin: * concordi obedientia]

Superest fratres, vt * concorditer salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionē agentes, sed ad omne studium deuotionis vnanimes, diuinis & Apostolicis constitutionibus pareatis, & in nullo patiamini prouidentissima canonum decreta violari. Quæ enim certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, iusta post vltione plectamus, in eos specialius & propensius commouendi qui in Episcopis ordinandis sanctorum patrum statuta neglexerint, & quos refutare debuerint, consecrarint.

Quòd qui indignos ordinant, ius debeant amittere consecrandi. Ibidem.

§ CAP. 107. [margin: Eodem cap.]

Vnde Episcopi qui talem consecrauerint sacerdotem, qualem esse non liceat, etiam si aliquomodo damnum proprij honoris euaserint, ordinationis tamen ius vlterius non habebunt, nec vnquam ei sacramento intererunt, quod neglecto diuino iudicio, immerito præstiterunt. Illud sanè quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta seruari, vt non quibuslibet locis, neque quibuscunque castellis, & vbi antè non fuerunt Episcopi consecrentur, cùm vbi minores sunt plebes, minorésque conuentus, Presbyterorum cura sufficiat. Episcopalia autem gubernacula non nisi maioribus populis, & frequentioribus ciuitatibus oporteat præsidere, ne quod sanctorum patrum diuinitus inspirata decreta vetuerunt, viculis, & possessionibus, vel obscuris & solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium.

De simoniaca hæresi eradicanda, & de episcopo alterius gratiâ non faciendo. Greg. vniuersis episcopis per Helladiam prouinciam constitutis. [margin: lib. 4. regist. epistola 56.]

§ CAP. 108.

Quibusdam narrantibus agnoui, quòd in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine cōmodi datione perueniat: quod si ita est, flens dico, gemens denuncio, quia cùm sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio, quid redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum, cathedras vendentium columbas euertit. Columbas enim vendere est, de Spiritu sancto quem Deus omnipotens consubstantialem per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo (vt prædixi) malo iam innuitur, quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo iudice cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis propagatur cum augmento, nam ipse quoque cum ad sacrum ordinem præmiis perducatur iam in ipsa prouectus sui radice vitiatus, paratior est aliis vænundare, quod emit. Et vbi est quod scriptum est, Gratis accepistis, gratis date? Et cùm prima contra sanctam Ecclesiam simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem pretio quis ordinat, prouehendo agit, vt hæreticus fiat? Ideóque hortamur vt vestrum nullus denuò hoc fieri patiatur. Sed neque gratiâ alicuius, neque supplicatione aliquos ad sacros ordines audeat promouere, nisi eum quem vitæ & actionis qualitas ad hoc dignum esse monstrauerit. Nam si aliter factum denuò senserimus, districta & canonica illud noueritis vltione compesci.

[margin: 1. q. 1. c. quibusdam.; Matt. 21.; Matth. 10.]

Vt nihil accipiatur pro ordinatione vel pallio vel chartis, eius supra. ¶ Cap. 109.

Antiquam patrum regulam sequens, nihil vnquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallij, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam noua per ambitionem inuenit simulatio, appellatione pastelli. Quia enim ordinando episcopo pontifex manum imponit, euangelicam verò lectionem minister legit, confirmationis verò huius epistolam notarius scribit, sicut episcopum non decet manum quam imponit vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinatione eius, vocem suam, vel calamum vendere. Pro ordinatione ergo, & pro pallio, chartis atque pastello, eundem qui ordinandus est, vel qui ordinatus est, aliqua dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus, si quis aliquid commodi appellatione exigere, vel petere fortè præsumpserit, in districto omnipotentis Dei examine, reatui subiacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, si non explacito, neque exactus, ac petitus, post acceptas chartas & pallium, offerre aliquid cuilibet ex clero, gratiæ tantummodo causâ voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia eius oblatio nullam culpæ maculam gerit, quæ ex ambientis petitione non processit.

Lib 7. regist. epist. 116. *De eodem. Greg. Theodorico & Theodeberto regibus Francorum.* ¶ Cap. 110.

Qua de re vt magnum omnipotenti Deo munus valeatis offerre, synodum congregari præcipite, in qua sicut fratribus coepiscopis nostris mandauimus, præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate, sub anathematis debeat obligatione constitui, nullum pro ecclesiastico ordine aliquid vnquã dare, vel aliquid accipere.

Quòd nullum opus simoniaci valeat, & quòd iram Dei super populum potius prouocat quàm placat. Ibidem paulo post initium.

¶ Capvt 111.

1. q. 1. c. fertur simoniaca Actor. 8. Fertur simoniaca hæresis (quæ prima contra Dei ecclesiam diabolica supplantatione surrepsit, & in ipso ortu suo zelo apostolicæ vltionis percussa, atque damnata est) in regni vestri finibus dominari, cùm in sacerdotio fides sit eligenda cum vita. Si enim vita deest, fides meritum non habet, beato Iacobo attestante, qui ait: Fides sine operibus mortua est. Quæ enim opera esse valeant sacerdotis, qui honores tanti sacramenti conuincitur obtinere per præmium? *Et post pauca.* Hinc igitur non solùm in ordinatoris & ordinati animam lethale vulnus infligitur, verùm etiam excellentiæ vestræ regnum vestrorum episcoporum culpâ (quorum magis intercessionibus iuuari debuerat) prægrauatur. Si enim dignus is sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat vt nihil sibi in honores ecclesiasticos grauitas, nihil sibi defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat, & dum vitia honor remunerat, in locum vltoris is fortasse qui fuerat vlciscendus, adducitur: atque hinc sacerdotes non proficere, sed perire potius iudicantur. Vulnerato namque pastore, quis curandis ouibus adhibeat medicinam? Aut quando populum orationis clypeo tueatur, qui iaculis se hostium feriendum exposuit? Aut qualem fructum producturus est, cui graui peste radix infecta est? Maior ergo calamitas metuenda est fortè locis illis, vbi tales intercessores adducuntur ad locum regiminis, qui iram dei prouocant, quam per semetipsos populis placare debuerant.

Iacob 2. (margin)

*Item de simoniacis. Gregorius * Etherio, Siagrio, Virgilio, & Desiderio, episcopis Galliarum.* ¶ Cap. 112. * Betherio 7. lib. regist. epist 110.

Dum non attenditur, quod diuina voce * dicitur, Gratis accepistis, gratis date, agitur vt crescat & geminata fiat in vno eodémque delicti contagio, ementis scilicet & vendentis. Et cùm liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera surrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica esse detestatione damnatam, cur non perpenditur, cur non cauetur, quia illi benedictio in maledictionem conuertitur, quia ad hoc vt fiat hæreticus promouetur? *Item.* Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur, quia qui hac intentione malè accipit, vt benè dispenset, grauatur potius, quàm adiuuetur.

* præcipitur. Matth 10. Ibidem.

Non esse ordinandum Episcopum sine consensu metropolitani. Innocentius Victricio Rothomagensi episcopo. ¶ Cap. 113. Epist. 2. ca. 1.

Primùm, vt extra conscientiam metropolitani episcopi, nullus audeat ordinare episcopum. Integrum enim est iudicium quod plurimorum sententiis confirmatur. Nec vnus episcopus ordinare præsumat episcopum, ne furtiuum præstitum beneficium videatur. Hoc enim & synodus Nicæna constituit, atque diffiniuit.

De eodem. Hilarius papa Ascanio, & aliis episcopis Tarraconensis prouinciæ. ¶ Cap. 114. Cap. 4.

Hoc autem primùm iuxta eorundem regulas patrum, volumus custodiri, vt nullus præter notitiam atque consensum fratris nostri Ascanij aliquatenus consecretur antistes: quia hoc vetus ordo tenuit, hoc trecentorum decem & octo sanctorum patrum diffiniuit authoritas. Cui quisquis obuias tetenderit manus, eorum se consortio fatetur indignum, quorum præceptionibus resultarit.

De simoniacis cunctis ab ordine & dignitate remouendis. Leo iiij episcopis Britanniæ. ¶ Cap. 115. Ep. 2. c. 1.

Requiritis de his qui turpissimo lucro columbas in templo domini vendere non pertimescunt, & sui acta improba temeritate Simonis hæresi coniungentes: vtrum possint in ordine pœnitentiam agere, aut tantummodo extra ordinem & sacerdotalem fieri gradum. Quibus nos quidem conuictis, & qui tam detestabile nefas (quod iam multis est damnatum conciliis) peregisse noscuntur, nulla pœnitentia possumus subuenire, & tot spiritualibus patribus obuiare, sed in illorum patrum me sententia conuenire omnibus certum sit.

1. q. 7. c. requiritis de his.

Quomodo, aut quot testibus damnandus sit episcopus. Idem. ¶ Cap. 116.

Nullam damnationem episcoporum esse vnquam censemus, nisi aut ante legitimum numerum episcoporum, qui fit per duodecim episcopos, aut certè probata sententia per lxxij. idoneos testes, qui tales sint, qui & accusare possint, & priùs ad sacra Christi quatuor euangelia sacramenta præstent, quòd nil falsum depromant, sicut nobis beatus Syluester tradidit & Romana sancta tenere videtur Ecclesia.

2. q. 4. c. nullam damnationem.

Et si inter eos quos damnandos esse dixerint homines, fuerit Episcopus qui suam causam in, presentia Romanæ sedis Episcopi petierit audiri, nullus super illum finitiuam præsumat dare sententiam, sed omnino eum audire decernimus.

Qualiter Episcopi debeant ordinari. Ex conc. Niceno, cap. iiij. ¶ CAP. 117.

Episcopum oportet ab omnibus Episcopis si fieri potest, qui sunt in prouincia eius, ordinari. Si verò hoc difficile fuerit, vel aliqua vrgente necessitate, vel itineris longitudine, certè tres Episcopi debent in vnum esse congregati, ita vt etiam cæterorum qui absentes sunt, consensum literis teneant, & ita facient ordinationem: potestas sanè vel confirmatio pertinebit per singulas prouincias ad metropolitanum Episcopum.

Cui periculo subiaceat Episcopus vel aliquis de clero per pecuniam ordinatus, vel ad aliquos honores promotus. Ex Chalcedonensi conc. ca. ij.

¶ CAP. 118.

1. q. 1. c. 1. si quis episcopus. Si quis Episcoporum acceptâ pecuniâ ordinationem fecerit, & sub pretium deduxerit impretiabilem gratiâ, atque ordinauerit per pecuniam Episcopũ, siue Chorepiscopum, siue Presbyterum, siue diaconum, aut quemcunque aliũ qui connumeratur inter clericos, aut acceptâ pecuniâ ordinauerit œconomum, id est defensorem, siue paramonarium: quicunque hoc meditatus fuerit, si conuictus fuerit, ipse quidem subeat gradus sui periculum, & qui sic ordinatus fuerit, nullum habeat ex huiusmodi mercimonio & creatione probrosa profectum, sed sit alienus & dignitatis, & sollicitudinis eius, quam per pecunias intrauit: sed & ille qui tam turpibus & illicitis intercessor apparuit, si quidem clericus fuerit, de proprio gradu decidat: si verò laicus siue monachus fuerit, anathema sit.

Quid agendum sit de Episcopo, qui ecclesiam per sæcularem potestatem obtinuerit. Ex canone Apostolorum, cap. xxxi.

¶ CAP. 119.

16. q. 7. c. si quis episcopus. Si quis Episcopus sæcularibus potestatibus vsus Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregentur omnes qui illi communicant.

De eodem. Septima synodus, cap. iij.

¶ CAP. 120.

dist. 63. cap. omnis electio. Omnis electio Episcopi, vel Presbyteri, aut diaconi à principibus facta, irrita maneat, secundùm regulam quæ dicit: Si quis Episcopus sæcularibus potestatibus vsus ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur, & segregentur omnes qui illi communicant.

De eo qui per pecuniam manus impositionem dedit vel accepit, Synodus vij. cap. xx.

¶ CAP. 121.

Omnis Episcopus, vel Presbyter, aut diaconus conuictus quòd per pecuniam manus impositionem dederit vel acceperit, à sacerdotio & gradu decidat. Fortassis autem dicunt aliqui, quia pœnitentiam agimus de peccato, & Deus ignoscit illud. Ita est, quia omnes agentes pœnitentiam Deus suscipit, & indulget per pœnitentiam peccata quæque patrata. *Item.* Qui per pecunias quenquam consecrauerit, vel consecratus est, alienus est à sacerdotio. 1. q. 1. c. qui per pecunias.

Nullum principum, vel potestatum laicorum, electioni episcoporum se inserere violenter debere; & si fecerint quid de eis agendum sit, viij. synodus cap. xi. ¶ CAP. 122.

Promotiones & consecrationes episcoporum concordans prioribus conciliis, clericorum electione ac decreto, & Episcoporum collegio fieri hæc sancta & vniuersalis synodus diffiniuit & statuit, atque iure promulgauit, neminem laicorum principum vel potentum semet *ingerere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel metropolitani, aut cuiuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata & incongrua hinc fiat contentio, vel confusio, præsertim cùm nullam in talibus potestatem, quenquam potestatiuorum, vel cæterorum laicorum habere conueniat. Sed silere & attendere sibi, vsquequo regulariter à collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis. Si verò quis laicorum ad concertandum & cooperandũ inuitatur ab Ecclesia, licet huiusmodi, cum reuerentia, si fortè voluerit, obtẽperare se asciscentibus. Taliter enim dignum pastorẽ sibi regulariter ad suã Ecclesia salutem promouet. Quisquis autem sæcularium principum, vel potentum, vel alterius dignitatis laicus, aduersus communem ac consonantem, atque canonicam electionem Ecclesiastici ordinis agere tentauerit, anathema sit, donec obediat & consentiat, quòd Ecclesia de electione & ordinatione proprij præsulis, se velle monstrauerit.

*inserere

De eodem. Canones apud Parisios sub Ludouico rege. ¶ CAP. 123.

Quia in aliquibus consuetudo prisca negligitur, ac decreta canonum violantur, placuit iuxta antiquam consuetudinem, vt decreta canonum seruentur. Nullus ciuibus inuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & clericorum electio plenissima quæsierit voluntate. Non principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem vel Episcoporum comprouincialiũ ingeratur. Quòd si per ordinationem regiam honoris istius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à comprouincialibus loci ipsius Episcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebitè ordinatum agnoscunt. Si quis de comprouincialibus recipere eum contra interdicta præsumpserit, sit à fratribus omnibus segregatus, & ab ipsorum omnium charitate semotus. Nam de antè actis ordinationibus Pontificum ita conuenit obseruari, vt *metropolitanus cum suis comprouincialibus Episcopis, vel quos vicinos Episcopos eligere voluerit, in loco vbi conuenerit, iuxta antiqua statuta canonum, omnia communi consilio & sententia *decernant.

Conc. Parisien. 1 c. 8.

*metropolis

*decernantur.

Qualiter consecrentur Episcopi. Ex quarto Carthaginensi concilio cap. ij.

¶ CAP. 124.

dist. 23. c. episcopus cum. Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant euangeliorum codicem super caput & super ceruicem eius, & vnò super eum fundente benedictionem, reliqui omnes qui adsunt Episcopi, manibus suis caput eius tangant.

De Episcopo vel clero in alium locum non transferendo. Ex eodem concilio, cap. xxvij.

¶ CAP. 125.

7.q.1 c. episcopus de loco — Vt Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sanè si id vtilitas Ecclesiæ faciendum poposcerit, decreto pro eo clericorum & laicorum episcopis porrecto * in præsentia synodi transferatur, nihilominus alio in locum eius episcopo subrogato. Inferioris verò gradus sacerdotes vel alij clerici concessione suorum episcoporum possunt ad alias ecclesias transmigrare.

*per sententiam

Ne quicquam præmij pro diuinis sacramentis accipiatur. Ex Toletano concilio xi. cap. viij.

¶ CAP. 126.

1 q.1.c. quicquid inuisibilis. Matth. 10. — Quicquid inuisibilis gratiæ collatione tribuitur, nunquam quæstu, vel quibuslibet præmiis vænũdari penitus debet, dicente domino: Quod gratis accepistis, gratis date. Et ideo quicunque deinceps in ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut collatione chrismatis, vel promotionibus graduum pretia qualibet, vel præmia, nisi voluntariè oblata, pro huiusmodi * oblatione susceperit, equidem si sciente loci Episcopo, tale quicquam à subditis perpetratur, idem Episcopus duobus mẽsibus excommunicationi subiaceat, pro eo quod in scientia mala conticuit, & correctionem necessariam non adhibuit. Sin autem suorum quispiam eodem nesciente, quodcunque de supradictis capitulis accipiendum sibi esse crediderit, si Presbyter est, trium mensium excommunicatione plectatur: si diaconus, duobus: subdiaconus verò vel clericus his cupiditatibus seruiens, & competenti pœna & debita excommunicatione plectendus est.

*ambitione

Qua sententia feriendi sint qui simoniacè ad Episcopatum eliguntur, vel electi simoniacè ordinantur. Ex eodem conc. cap. ix.

¶ CAP. 127.

Multæ super hoc capitulo patrum sententiæ manauerũt, scilicet ne impretiabilem Sancti Spiritus gratiam donis vel muneribus quis æstimet comparandam. Sed (quod non sine graui dolore dicendum est) quantò hæc frequenti decretorum est præceptione prohibita, tantò à nobis fraudibus cognoscitur iterata, dum hi qui tali pretio mercari nituntur gratiam, suæ ordinationis tempora præueniunt munere: aut post acceptum honorem, promissis suis conferunt apparitoribus turpis lucri mercedem. Et ideo vt horum & similium argumentorum deinceps amputetur occasio, hæc sancta synodus diffiniuit, vt cùm quisque pontificale culmen ante Domini altare percepturus accesserit, & actione adstringatur, quòd pro conferenda sibi consecratione honoris, nulli personæ cuiuslibet præmij collationem, vel aliquando dedisset, vel aliquando in futurum dare procuret. Sicque aut mundus ab hoc contagio, prælationis consecrationem accipiat; aut publicato hoc scelere manifestè denudatus, coram ecclesia ad honorem quem mercari voluit, non accedat. Illos tamen, quos deinceps post prælationem per præmium ordinatos fuisse patuerit, sub diffinitis pœnitentiæ legibus, vt verè simoniacos ab ecclesia separandos esse censemus, id est, vt duorum annorũ spacio exilio relegati, & digna satisfactione vel excommunicationis sententia coerciti, honoris gradum quem præmiis emerant, lachrymis conquirere & reparare intendant; vt si digna eos satisfactio pœnitentiæ * tempore inuenerit, non tantùm communioni, sed & loco & totius ordinis officiis, à quibus separati fuerant, restaurandi sunt.

*commendauerit, peracto indictæ pœnitentiæ tempore, non tantum &c.

Ne Episcopus per pecuniam aliquem ordinet. Ex ij. Bracarensi concilio, cap. iij.

¶ CAP. 128.

Placuit, vt de ordinatione clericorum episcopi munera nulla suscipiant, sed sicut scriptum est, Quod gratis Deo donante acceperint, gratis dent. Non aliquo pretio gratia, & impositio manuum vænundetur, quia antiqua diffinitio patrum ita de ecclesiasticis ordinationibus statuit dicens: Anathema sit danti & accipienti, propterea quia multi aliquando multis sceleribus obruti, & sancto altari indignè ministrantes non ob testimonium bonorum actuum, sed profusione munerum obtinent. Oportet ergo non per gratiam munerum, sed per diligentem priùs discussionem, deinde per multorum testimonium clericos ordinare. — 1. q.1.c. placuit vt de. Matth. 10.

Non esse faciendum Episcopum præmio, vel personarum patrocinio. Greg. Antonio subdiacono, registri lib. ij epist. xxij. siue cap. lxj.

¶ CAP. 129.

Illud quidem præ omnibus curæ tibi sit, vt in hac electione nec dato quibuscunque modis interueniat præmiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia conualescant. Nam si quorundam patrocinio quisquam fuerit electus, voluntatibus eorum cùm fuerit ordinatus, obedire reuerentia exigente compellitur: sicque fit, vt & res illius minuantur Ecclesiæ, & ordo ecclesiasticus non seruetur. Talem ergo te * imminente, debent personam eligere, quę nullius incongruæ voluntati deseruiat, sed vita & moribus decorata tanto ordine digna valeat inueniri. — 8.q.1.c. illud quidem.

*admonente

Vt nullus priuatum commodum, sed commune quærat in electione episcopi. Idem ad clerum Mediolanensem.

¶ CAP. 130. — Epist. 19. siue c. 68. 8.q.2. c. dilectissimi.

Dilectissimi filij, officij nostri censurâ commoniti, suademus, vt in suscipiendi antistitis causa, nullus vestrum neglecta vtilitate communi, suo lucro proficiat, ne si quisquam propria commoda appetit, friuola æstimatione fallatur: quia nec libero iudicio præferendam sibi personam examinat mens, quam cupiditas ligat. Pensantes ergo quæ cunctis expediunt ei quem vobis diuina gratia prætulerit, integerrimam semper in omnibus obedientiam præbete. Iudicari namque à vobis vltrà non debet semel prælatus, sed tantò nunc subtiliter iudicandus est, quantò postmodum iudicandus non est.

Quid in primitiua Ecclesia, & quid nunc, neophytus vocetur. Idem Virgilio Arelatensi episcopo. — lib. 4 regist. epist. 50.

¶ CAP. 131.

Cùm ad sacros ordines Paulus Apostolus neophytum venire prohibeat, sciendum nobis est, quia sicut tunc Neophytus vocabatur qui adhuc nouiter erat plantatus in fide, ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc nouus est in sancta conuersatione. Scimus autem quòd ædificati parietes non priùs tignorum pondus accipiant, nisi à nouitatis suæ humore siccentur, — dist. 48. c. Sicut. 1. Tim. 3.

L. 4. in 4. c. Lucæ, titulo. de confirmatione eiusdem, exemplo Helisæi & Naaman ne siantè pondera quàm solidentur, accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant.

Quòd inexpiabilis sit culpa venditi mysterij. Ambrosius. ¶ CAP. 132.

4. Reg. 5. Accepisti pecuniam, & possidebis ex ea agrũ, & vineas, & olivueta, & greges, & lepra Naaman *applicabit se in te, & semini tuo vsque in æternum. Vides quia facto authoris successio damnatur hæredis. Inexpiabilis est enim venditi culpa mysterij: & gratiæ vindicta cœlestis transit ad posteros. Denique Moabitæ, & cæteri non intrabunt in ecclesiam Dei vsque in tertiam & quartam progeniem, tamdiu videlicet (vt simpliciùs interpretemur) donec culpam authorum multiplicis successio generationis aboleret. Sed quum illi, qui in Deum idololatriæ errore deliquerunt, in quartam generationem videantur esse multati, profectò durior videtur esse sententia, qua Giezi semen vsque in æternum pro cupiditate habendi prophetica authoritate damnatur: præsertim cùm Dominus noster Iesus Christus per lauacri regenerationem omnibus remissionem dederit peccatorum, nisi vt vitiorum magis, quàm generis semen intelligas. Sicut enim qui filij promissionis sunt, existimantur in semen bonum, ita etiam qui filij erroris sunt, existimantur in semen malum. Nam & Iudæi ex patre diabolo sunt, non vtique carnis successione, sed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes auari, Giezi lepram cum diuitiis suis possident, & malè quæsita mercede non tam patrimonium facultatum, quàm thesaurum criminum congregarunt, æterno supplicio & breui fructu.

* adherebit tibi

Deuter. 23.

Ioan. 8.

*Quòd solius nefas ambitus seuerißimè damnetur. Gregorius ad * Maximum præsumptorem in Salona, ca. xx.* ¶ CAP. 133.

* Maximianum

lib. 3. registri epist. seu cap. 20. Licet cętera cuiuspiam talia vitę sint merita, vt nihil sit quod ex his sacerdotalibus valeat ordinationibus obuiare: tamen solius nefas ambitus seuerissima canonum districtione damnatur.

Quòd non sit consecratio ab excommunicatis celebranda. Idem in eodem cap.

¶ CAP. 134.

* Cognoscimus itaque quòd vel subrepta vel simulat pijssimorum principum iussione, dum vitâ dignus non fueris, te ad sacerdotij ordinem cunctis venerabilem proripuisse. Quod nos ideo sine vlla hæsitatione credimus, quia vitam ætatemque tuam non habemus incognitam, ac deinde quia serenissimi Domini Imperatoris animum non ignoramus, quòd se in causis sacerdotalibus miscere non soleat, ne nostris in aliquo peccatis grauetur. Additur inauditum nefas, quòd post interdictionem quoque nostram, quæ sub excommunicatione tua ordinantiúmque te facta est, cæsis Presbyteris, diaconibus, cæteróque clero, manu militari diceris ad medium deductus. Quam rem nos consecrationem dicere nullomodo possumus, quia ab excommunicatis est celebrata. Quia igitur sine vllius exempli forma violasti talem, tantámque sacerdotij dignitatem, vt vsque dum dominicis vel responsalis nostri cognouerimus apicibus, quòd non subreptitia, sed vera fueris iussione ordinatus, nullatenus tu, ordinatorésque tui attrectare quicquam præsumatis sacerdotalis officij, nec vsque ad rescriptum nostrum, ad cultum vos sacri altaris accedere.

* Cognoscimus

Quòd non oporteat ordinationes episcoporum diu differri. Ex Chalcedonensi concilio cap. xxv.

¶ CAP. 135.

Quoniam quidam metropolitanorum (* quãtum comperimus) negligunt commissos sibi greges, & ordinationes episcoporum facere differunt, placuit sanctæ synodo, intra tres menses ordinationes episcoporum celebrari, nisi fortè necessitas inexcusabilis coëgerit tempus dilationis * extendi. Quòd si hoc minimè fecerit, correctioni Ecclesiasticæ subiacebit. Veruntamen reditus Ecclesiæ viduatæ penes œconomum eiusdem ecclesiæ integri reseruentur.

dist. 75. cap. quoniam quidam.

* sicut ad nos perlatum est

* protelari.

Vt Archiepiscopus infra tres menses pallium suum ab Apostolica sede accipiat, vel dignitate sua careat. Ex decretis Pelagij Papæ, cap. i.

¶ CAP. 136.

Quoniam quidam Metropolitanorum fidem suam secundùm priscam consuetudinem sanctæ sedi Apostolicæ exponere detrectantes, vsum pallij neque expetunt, neque percipiunt, ac per hoc episcoporum consecratio viduatis ecclesiis non sine periculo protelatur: placuit, vt quisquis Metropolitanus vltra tres menses consecrationis suę ad fidem suam exponendam, palliúmque suscipiendum, ad apostolicam sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate, sitque licentia metropolitanis aliis, post secundam & tertiam commonitionem, viduatis Ecclesiis, cum consilio Romani pontificis, ordinando episcopo subuenire. Si verò consecrandi Episcopi negligentia prouenerit, vt vltra tres menses Ecclesia viduata consistat, communione priuetur, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum præbere non differat. Quòd si vltra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam ecclesiam, neque ibi, neque alicubi consecrationis donum percipiat, immo metropolitani sui iudicio cedat.

dist. 100 c. quoniam quidam.

Quomodo quis debeat à vicinis prouinciæ Episcopis ordinari. Ex concilio Sardicensi, ca. v.

¶ CAP. 137.

Osius Episcopus dixit. Si contigerit in vna prouincia, in qua plurimi fuerint episcopi cæteris necessariis rebus occupati, extra prouinciam vnum fortè remanere episcopum, & populi conuenerint, episcopi vicinæ prouinciæ debēt illum priùs conuenire episcopum, qui in ea prouincia moratur, & ostendere quòd populi petant sibi rectorem, & hoc iustum esse, vt & ipsi veniant, & cum ipso ordinent episcopum. Quòd si conuentus literis tacuerit & dissimulauerit, nihilque rescripserit satisfaciendum esse populis, veniant ex vicina prouincia episcopi, & ordinent episcopum.

dist. 65. c. si forte.

Vt Episcopus non consecretur sine tribus Episcopis. Ex concilio Arelatensi ij. cap. v.

¶ CAP. 138.

Nullus Episcopus sine metropolitani permissu, nec metropolitanus sine tribus episcopis comprouincialibus præsumat episcopum ordinare, ita vt alij comprouinciales episcopi admoneantur, vt se suo responso consensisse significent. Quòd si inter partes aliqua fuerit dubitatio, maiori numero metropolitanus in electione consentiat.

De eodem, & vt archiepiscopus ab omnibus comprouincialibus ordinetur, si fieri potest. Ex epist. Aniceti Papæ ecclesiis Galliæ directa.

¶ CAPVT 139.

De ordinationibus Episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, * olim aliis in scriptis prædecessoris nostri Anacleti quædam iam decreta reperimus. Scimus enim beatissimum Iacobum, qui dicebatur iustus, qui etiam secundùm carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis Hierosolymis episcopum esse ordinatum. Si autem non minus quàm à tribus apostolis tantus vir fuit ordinatus, patet profectò, eos formam instituente Domino tradidisse, non minus quàm à tribus Episcopis, episcopum ordinari debere. Sed crescente numero episcoporum, nisi interuenerit necessitas debent etiam plures augeri. Si autem archiepiscopus obierit, & alter ordinandus archiepiscopus fuerit, omnes eiusdem prouinciæ episcopi ad sedem metropolitanam veniant, vt ab omnibus episcopis eligatur & ordinetur. Oportet autem, vt ipse qui illis omnibus præesse debet, ab illis omnibus eligatur & ordinetur. Reliqui verò cõprouinciales episcopi, si necesse fuerit, cæteris consentientibus à tribus, iussu archiepiscopi consecrari possunt episcopi. Sed melius est, si ipse cum omnibus eum qui dignus est elegerit, & cuncti pariter consecrauerint * pontificem. Et licet istud necessitate cogente concessum sit, illud tamen quod de archiepiscopi consecratione prædictum est atque preceptũ, vt omnes videlicet suffraganei eum ordinent, nullatenus immutari licet, quia qui illis præest, ab omnibus episcopis quibus præest, debet constitui. Sin aliter præsumptum fuerit, viribus carere non dubium est, quia irrita erit eius secus acta ordinatio.

* Volumen conciliorũ sic habet: olim in sancti prædecessoris nostri Anacleti ordinationibus quædam iam, &c. *Anacletus epist. 2.*

* pontifices

De episcopo qui alium violenter ordinauit episcopum. Ex epistola Simplicij Papæ missa Ioanni Rauennati episcopo. ¶ CAP. 140.

Si quid esses intuitus ad normam ecclesiasticę disciplinæ, vel si quid apud te sacerdotalis modestiæ teneretur, nunquam plectibiles perpetrarentur excessus. A quibus si nullo te paternarum regularum poteras continere præcepto, saltem sanctæ memoriæ prędecessoris tui fueras reuocandus exemplo, qui cùm faciendo Presbyterum minùs deliquisset, inuitum, senserat tamen dignum pro tali vsurpatione iudicium. Vbi ista didicisti quę in fratrem, & coepiscopum nostrum Gregorum, non electione sed inuidia perpetrasti? Quem inexcusabili violentia pertrahi ad te passus es atque vexari, vt ei honorem tantum non pro animi tranquillitate, sed pro amentia sicut dicendum est, irrogares. Neque enim talia fieri potuissent sanitate consilij. Nolumus exaggerare quod gestum est, nè cogamur iudicare quod dignũ est. Nam priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.

De abiectione eius quem duo præsumpserint ordinare episcopi. Ex concilio Arausico j. cap. xxi.

¶ CAP. 141.

De abiectione eius, quem duo præsumpserint ordinare episcopi, in nostris prouinciis placuit de præsumptoribus, vt sicubi contigerit duos episcopos tertium consecrare, & ipse & authores damnabuntur, quò cautiùs ea quæ sunt antiquitus statuta, seruentur.

dist. 64. c. de abiectione.

De non ordinandis episcopis per vicos & modicas ciuitates. Ex concilio Sardicensi, cap. vi.

¶ CAP. 142.

Licentia verò danda non est ordinandi episcopum, aut in vico aliquo, aut in modica ciuitate, cui sufficit vnus Presbyter: quia non est necesse ibi fieri episcopum, ne vilescat nomen episcopi & authoritas. Non debent ex alia prouincia inuitati facere episcopum, nisi aut in his ciuitatibus quæ episcopos habuerũt, aut si qua talis, aut tam populosa est ciuitas, quæ mereatur habere episcopum. Si omnibus placet? Synodus respondit Placet.

De eadem re. Leonis Papæ.

¶ CAP. 143.

Leo papa, cap. 2. epist. 87. ad episc. Africanos.

Illud sanè quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta seruari, vt nõ in quibuslibet locis, neque quibuscunque castellis, & vbi antea non fuerunt Episcopi cõsecrentur, cũ vbi minores sunt plebes, minorésq; conuentus, Presbyterorũ cura sufficiat: episcopalia autẽ gubernacula, non nisi maioribus ciuitatibus oportet prȩsidere. Namque sanctorum patrum diuinitus inspirata decreta vetuerunt, ne viculis & possessionibus vel obscuris, vel solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium, & honor cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat.

De VVamba rege Hispanorum, qui contra canones in quadam villula episcopatum fecerat, quomodo annullatum sit. Ex xij. concilio Toletano, cap. iiij. ¶ CAP. 144.

Maioribus institutis contraire, & sanctorum patrum decreta conuellere, quid aliud est quàm vinculum societatis Christi abrumpere, & vsurpatæ * præceptionis licentiâ, statum ecclesiæ dissipare? Prosequente igitur venerabili & sanctissimo viro fratre nostro Stephano, Emeritensis sedis episcopo, res nouellæ præsumptionis vsurpatione sese intulit pertractanda, tantò communionis nostræ iudicio conuellenda, quantò & prauitatis vestræ noscitur ausu perpetrata. Dixit enim violentia principali se impulsum fuisse, vt in monasterio villulæ, in qua venerabile corpus sanctissimi * Pigmenij confessoris debito quiescit honore, nouam episcopalis honoris ordinationem efficeret. Et ideo quia indiscreto & facillimo assensu, iniustis VVambæ principis iussionibus parens nouam & iniustam illic pontificalis sedis prælationem induxit, vbi canonica institutio id fieri omnimoda ratione refellit, prędictus idem vir prostratus humi, medicamine nostri præcepti, & sibi dari veniam petit, & quid potissimum fieri oporteat de persona eius qui illic ordinatus fuerat, nostri oris sententia decerni poposcit. Sed quia veraciter, immò communiter noueramus prædictum principem consilio leuitatis agentem, non solùm præcepisse, vt in prædicto loco aliquis Episcopus fieret, sed etiam ita eum obstinationibus definisse, vt in suburbio Toletano in ecclesia Prætoriensi sanctorum Petri & Pauli episcopum ordinaret, nec nõ & in aliis vicis vel villulis similiter faceret; ideo pro tam insolenti huiusmodi extirpationis licentia, quidquid de hac re canonum instituta haberent, in medium proferri præcepimus. Tunc hæc * ordine constituto perlecta sunt. In primis ex epistola Pauli, vbi Tito discipulo suo, vt episcopos per ciuitates constituere deberet

* pręsumptionis

* Pineuij

* in ordine constituta. *Tit. 1.*

*16.si vt fere fit, capita Sardicensis cōcilij addātur Niceno.
Cō. Carth. 2.
* Selemseli tanus, aliàs Selambiai-tanus.
16. q. 1. ca. Felix ep.

præcepit. Item ex concilio Niceno titulo * octauo, vbi inter cætera præcipitur, vt in ciuitate vna non videantur duo episcopi esse. Item ex concilio Laodiceno titulo vij. vbi dicitur, non oportet in vicis, & in viculis, vel in villulis episcopos ordinari, &c. Item ex concilio Africæ secundo, titulo v. vbi Fœlix episcopus * Solensitanus dixit, Etiā, si hoc placet sanctitati vestræ, insinuo, vt diœceses quæ nunquā episcopos habuerunt, non habeant: diœcesis verò quæ aliquādo habuerit, habeat propriū. Secūdùm hanc autem prosecutionem, sanctitatis vestræ est æstimare quæ fieri debeant. Genedius episcopus dixit: Si placet insinuatio fratris, & coepiscopi nostri Fœlicis ab omnibus confirmetur. Ab omnibus episcopis dictum est, Placet. Item ex concilio Africæ tertio titulo xlij. vbi dicitur, vt non accipiat alterum episcopū plebs, quæ in diœcesi semper subiacuit. Epigonius enim episcopus inter cætera sic dixit: Hoc dico, non debere rectorem accipere eā plebem, quæ in diœcesi semper subiacuit, nec vnquam proprium episcopum habuit. Quapropter si vniuerso sanctissimo cætui placet, hoc quod * præfatus sum, confirmetur. Aurelius Episcopus dixit: fratris & consacerdotis nostri prosequutioni non obsisto, sed hoc me & fecisse & facturū esse profiteor. Item ex concilio Sardicensi, vbi inter cætera præcipitur: Licētia passim danda nōn est. Si enim subitò aut vicus aliquis, aut modica ciuitas, cui satis est vnus Presbyter, voluerit sibi episcopum ordinari, ad hoc vt vilescat nomen episcopi, & authoritas, non debent illi ex alia prouincia inuitati, facere episcopum in quibus locis antea non fuit. Item de sententia eorum qui huiusmodi ordinationes faciunt, vel de his qui contra hæc canonum instituta ordinantur, ex concilio Tauritano titulo secundo, vbi dicit: Gestorum quoque * seriem conscribi placuit ad perpetem disciplinam, quæ circa Octauium, Vrsionem, Remigium, ad * Tresæ episcopum synodus sancta decreuit, qui in vsurpationem quandam de ordinatione sacerdotum ad inuidiam vocabantur, quod ita his videtur indultum, vt de cætero hac authoritate commoniti nihil vsurpare conentur. Siquidem se ab hac causa tali excusatione defenderint, qua dicerent priùs se non esse conuentos. Proinde iudicauit synodus sancta, vt si quis ex hoc fecerit contra instituta maiorum, sciat is qui ordinatus fuerit sacerdotis se honore priuandum, & ille qui ordinauerit authoritatem se in ordinationibus, vel in conciliis minimè retenturum. Non solùm autem circa memoratum episcopum hæc sententia præualebit, sed & circa omnes simili errore deceptos, qui ordinationes huiusmodi perpetrarunt. His ergo fortissimis regulis effectum pij operis opponentes in communi deffinitione elegimus, vt in loco Villulæ supradictæ deinceps sedes episcopalis non maneat, neque illic episcopus vltrà constituendus existat. Hic tamen Cōuildus qui contra maiorum decreta illic videtur institutus fuisse episcopus, nulla canonum erit ad condemnationē sui sententiā vlciscēdus, quia non ambitione; sed principis impulsione constitit ordinatus. Ideò hoc illi remedium humanitatis concedimus, vt in sedem aliam decedentis cuiuslibet Episcopi * traducatur, & prædictus locus sub monastica deinceps institutione mansurus, non episcopali vltrà priuilegio fretus, sed sub abbatis regimine sicut hucusque fuit, erit modis omnibus mancipandus. Iam verò * decreto generale * ponentes edictum, Si

Cō. Carth. 3. 16 q. 1. c multis conciljs.

* prosecutus

* serie

* ac Trifesium

* transferatur

* de cætero

* ponamus.

quis contra canonum interdicta venire conatus fuerit, vt in locis illis episcopum eligat fieri, vbi episcopus nunquam fuit, * anathema in conspectu Dei omnipotentis incurrat. Et insuper tam ordinator quàm ordinatus gradum sui honoris perdat, qui non solùm antiquorum patrum decreta, sed Apostolica ausus est conuellere instituta.

* anathema sit in conspectu Dei omnipotentis.

Vt plebs quæ nunquam habuit episcopum, nisi ex consensu non habeat. Ex concilio Africano, cap. lxi. ¶ CAP. 145.

Afric. sub bonifac & cœlest. c. 65.

Placuit & illud, vt plebes quæ nunquam habuerunt proprios episcopos, nisi ex concilio plenario vniuscuiusque prouinciæ & * primati, atque consensu eius ad cuius diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minimè accipiant.

* primatus

Vt nequaquam in duos metropolitanos prouincia diuidatur. Ex Chalcedonensi conc. cap. xij. ¶ CAP. 146.

Peruenit ad nos, quòd quidam præter ecclesiastica statuta facientes conuolarunt ad potestates, & per pragmaticam formam in duo vnam prouinciam diuiserunt; ita vt ex hoc facto duo metropolitani esse videantur in vna prouincia. Statuit sancta synodus de reliquo nihil ab Episcopis tale tentari, alioquin qui hoc adnisus fuerit, amissioni gradus proprij subiacebit. Quæcunque verò ciuitates literis imperialibus metropolitani nominis honore subnixæ sunt, honore tantummodo perfruantur, & qui ecclesiam eius gubernat episcopus, * saluis scilicet veræ metropoli priuilegiis suis.

* Editio secunda sic habet: priuilegio metropolitani episcopi iure proprio reseruato.

De illis qui non sunt recepti ab his ad quos sunt ordinati Ex Ancyrano concilio, cap. xvij. ¶ CAP. 147.

dist. 92. c. Si qui episcopi

Si qui episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parœcia in qua fuerant denominati, volueríntq; alias occupare parœcias, & vim præsulib⁹ earum inferre, seditiones aduersus eos excitando, hos abijci placuit. Quòd si voluerint in Presbyterij ordine, vbi priùs fuerant, vt Presbyteri residere, nō abijciantur propria dignitate. Si autem seditiones commouerint ibidem constitutis episcopis, Presbyterij quoque honor talibus auferatur, fiántque damnatione * notabiles.

* nobiles

De episcopo qui ecclesiam ad quam ordinatus est, adire neglexerit. Ex conc. Antiocheno, c. xvij. ¶ CAP. 148.

dist. 92. c. Si quis.

Si quis episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, & sibi commissum ministerium subire neglexerit, nec acquieuerit ire ad ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communione priuari, donec acceperit coactus officium, aut certè de eo aliquid integra decreuerit eiusdem prouinciæ synodus sacerdotum.

De Episcopo qui non susceperit officium sibi commissum. Ex concilio Arelatensi, cap. xvi. ¶ CAP. 149.

Si quis Episcopus non susceperit officium sibi commissum, hic cōmunione priuetur, quoadusque consentiat, obedientiæ se commendans. Si verò perrexerit, nec receptus fuerit, non pro malitia populi, ipse quidem maneat episcopus, clerici verò ciuitatis communione priuentur, * quòd in erudiendo inobedientes populos diligentes non fuerint.

* quòd erudiendis inobedientes populis nō fuerint.

De Episcopo vacante qui ecclesiam vacantem inuaserit. Ex concilio Antiocheno, cap. xvi.

¶ Cap. 150.

dist 92. cap. Si quis. Si quis Episcopus vacans in Ecclesiam non habentem episcopum subripiens populos, sine consilio integri ordinis irruerit, etiam si populus quem seduxit desideret illum, alienum eum ab Ecclesia esse oportet. Integrum autem & perfectum concilium dicimus illud, cui metropolitanus Episcopus interfuerit.

Cap 10 lib. Martini Brach. ex synodis graecorum.

De episcopo ordinato per contentionem populi. Ex concilio Aurelianensi, cap. x.

¶ Cap. 151.

Si quis ordinatus Episcopus, per contentionem populi, aut pro aliqua ratione, & non pro sua culpa, in parœcia, quæ ei data fuerat, receptus non fuerit, hunc oportet honorem sacerdotij tantummodo contingere, ita vt de rebus Ecclesiæ, in quam venit, sibi nihil præsumat. Sustineat autem quicquid de eo sanctum concilium iudicauerit.

De his qui promouētur ad episcopatum & non recipiuntur. Ex Antiocheno conc. cap. xviij.

¶ Capvt 152.

dist. 92. c. Si quis. episco. Si quis Episcopus ordinatus ad parœciā minime, cui electus est, accesserit, nō suo vitio, sed quòd eum aut populus vetet, aut propter aliam causam, non tamen eius vitio perpetratam: hic & honoris sit & ministerij particeps, dummodo nihil molestus Ecclesiæ rebus assistat, vbi ministrare cognoscitur; quem etiam obseruare conueniet quicquid synodus perfecta prouinciæ iudicando decreuerit.

Quòd authoritas generalium conciliorum congregandorum Apostolicæ sedi priuata potestate commissa sit. Isidorus cap. viij.

¶ Cap. 153.

Synodorum verò congregandarum authoritas Apostolicæ sedi priuata commissa est potestate, nec vllam synodum generalem ratam esse legimus, quæ eius non fuerit authoritate congregata, vel fulta. Hæc authoritas testatur canonica, hæc historia ecclesiastica roborat, hæc sancti patres confirmant.

De synodis, quo tempore sint habendæ. Ex concilio Antiocheno, cap. xx.

¶ Cap. 154.

dist 18. cap. propter ecclesiasticas causas. Propter vtilitates Ecclesiasticas, & absolutiones earum rerum quæ dubitationem controuersiámque recipiunt, optimè placuit, vt per singulas quasque prouincias, bis in anno episcoporum concilia celebrentur. Semel quidem, post tertiam septimanam festi Paschalis, ita vt in quarta septimana quæ consequitur, id est medio temporis inter Pascha & Pentecosten conueniat synodus, metropolitano comprouinciales Episcopos admonente. Secūda verò synodus fiat idibus Octobris, id est, quinto decimo die mensis Octobris, quem Hyperberetæum Græci nominant. In ipsis autem conciliis adsint Presbyteri & diaconi, & omnes qui se læsos existimant, & synodi experiantur examen. Nullis licet celebrare apud se concilia, præter eos, quibus metropolitana iura videntur esse commissa.

De synodo congreganda. Ex concilio Auernensi, cap. * *xxi.*

¶ Cap. 155. * *xv.*

Peractis omnibus quæ ad correptionem nostri ordinis in hoc concilio promulgata sunt, placuit diffinire, vt omni anno ad peragendum celebritatem concilij in metropolitana sede, tempore quo principis, vel metropolitani electio diffinierit, deuotis semper animorum studiis conferamus: nec quibuslibet requisitis occasionibus dissentiamus, sed in præparato die quo indictum fuerit, adunatis in metropolitana sede omnibus prouinciæ pontificibus, concilium Deo præsule celebretur. Quisquis autem episcoporum (excepta ineuitabili causa, vel necessitate) de peragendo se concilio absentauerit, per vnius anni spatium erit communione plectendus. Quòd si deinceps absque celebratione concilij vnius anni metas transierit, omnium in communione pontificum eiusdem prouinciæ sententiam obnoxius retinebit, id est, vt si nulla se impediente principis potestate, vel infirmitate, aut ineuitabili causa, sed solius propriæ voluntatis libitu, sese ad celebrandum concilium non collegerit.

De Archiepiscopo qui tempore pacis vltra biennium synodum annuntiare neglexerit. Ex concilio Meldensi, cap. iij.

¶ Cap. 156.

Quòd si intra biennium diuinitus temporum tranquillitate concessa, * monentibus comprouincialibus, à metropolitano Synodus indicta non fuerit, & metropolitanus ipse prouocationes tardauerit, anno integro missam facere non præsumat. Quòd si & vocati & non corporali infirmitate detenti, adesse sua abusione despexerint, simili sententiæ subiacebunt. * admonitis

De episcopis ad synodum vocatis, si venire contemnant. Ex concilio Laodicensi, cap. xl.

¶ Cap. 157.

Quòd non oporteat Episcopos ad synodum vocatos omnino contemnere, sed protinus ire, & docere vel discere ea quæ ad correctionem Ecclesiæ vel reliquarum pertinent rerum. Seipsum verò accusabit, qui contempserit, nisi fortè per ægritudinem ire non possit. *dist. 18. c. non oportet.*

Quales epistolæ à metropolitano sint dirigendæ. Ex concilio Tarraconensi, cap. xiij.

¶ Cap. 158.

Epistolæ tales per fratres sunt à metropolitano dirigendæ, vt non solùm de cathedralibus Ecclesiæ Presbyteris, verumetiam de diœcesanis ad concilium trahant, & aliquos de filiis Ecclesiæ sæcularium secum adducere studeant. *dist. 18. c. si episcopus.*

Quibus ex causis episcopi ad synodum vocati abesse possint. Ex concilio Agathensi, cap. xxxv.

¶ Cap. 159.

Si metropolitanus episcopus ad cōprouinciales episcopos epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem alicuius fratris, aut ad synodū inuitet, postpositis omnibus, excepta graui infirmitate corporis, aut præceptione regia, ad constitutam diem adesse non differant. Quòd si defuerint, sicut prisca canonum præcepit authoritas, vsque ad proximam synodum charitate fratrum, & Ecclesiæ communione priuentur.

De Episcopo qui in synodo adesse neglexerit. Ex conc. Spalensi, cap. x. ¶ Cap. 160.

Cap. 19. conc. Arelaten. 2. dist 18. c. si quis autem. Si quis autem episcoporum synodo adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequàm concilium dissoluatur crediderit deserendum, alienum se à fratrum communione agnoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.

De episcopis, qui per infirmitatem ad synodum venire non poterunt. Ex decretis Fœlicis Papæ, capitulo xi. ¶ Cap. 161.

Ep. 2. 5 q. 3. cap. si ægrotans. Quòd si ægrotans fuerit episcopus, aut aliqua eum grauis necessitas detinuerit, pro se legatum ad synodum mittat, suscepturus salua fidei veritate quicquid synodus statuerit.

De Episcopis ad synodum vocatis, & venire, vel missos suos mittere dedignantibus. De synodo ad Altheim habito, cap. xi.

¶ Cap. 162.

Placuit sanctæ synodo, Episcopos qui vocati de Saxonia ad sanctum concilium non venerunt, nec secundùm canones sacros missos suos vel vicarios direxerunt, graui increpatione obiurgare, & pro culpa inobedientiæ increpare. Vnde iterum eos fraterna charitate ad condictum concilium inuitamus & vocamus. Quòd si & hoc (quod non optamus) pro nihilo duxerint, iustámque rationem inobedientiæ suæ detrectauerint, Apostolica authoritate interdicit eis sanctus Petrus, & sancti Petri Papæ missus, vna cum sancta synodo missas celebrare, quoadusque Romam veniant, & coram Papa, sancta Ecclesia dignam reddiderint rationem.

Cap. 62. *Concilium vniuersale non nisi necessitate faciendum. Ex concilio Africano, cap. xlij.*

¶ Cap. 163.

Placuit, vt non sit vltrà fatigandis fratribus vniuersalis necessitas, sed quotiens exegerit causa communis, id est, si totius Africæ vndecunque ad hanc sedem, de hac re datæ literæ fuerint, congregandam esse synodum in ea prouincia, vbi oportunitas persuaserit. Causæ autem quæ communes non sunt, in suis prouinciis iudicentur.

Vt Episcopi posteriores, se prioribus suis non præferant. Ex epistola Lucij Papæ occidentalibus missa. ¶ Cap. 164.

Episcopi verò per singulas prouincias obseruent, ne posteriores, se prioribus suis præferant, nec eis inconsultis, nisi quantùm ad propriam pertinet parochiam, aliquid agant, sed omnes de communibus eorum causis consonam sententiam proferant & determinent, quoniam aliter actæ nullas vires habebunt, nec Ecclesiasticæ reputabuntur.

Vt Episcopi sui ordinis tempus obseruent, alter alteri honorem præbens. Ex concilio Cabilonensi, cap. vi. ¶ Cap. 165.

dist. 18. cap. placuit. Item placuit, vt conseruato metropolitani Episcopi primatu, cæteri episcoporum secundùm suæ ordinationis tempus aliùs alij * sedendi deferat locum, qui posteriùs ordinati sunt prioribus se non audeant anteferre.

*sedenti

Vt episcopi posterius ordinati prioribus suis anteferre se non audeant. Ex concilio Africano, cap. liij. ¶ Cap. 166. Et con. Mileuit. ca.

Valentinianus Episcopus dixit: Si permittit bonum patientiæ vestræ, prosequor ea, quę præterito tempore in Ecclesia Carthaginensi gesta sunt, & subscriptionibus fratrum firmata claruerunt, etiam nos seruaturos esse profiteor. Sed illic scimus inuiolatè semper mansisse Ecclesiasticam disciplinam, ita vt nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet anteponere, sed officiis charitatis id semper exhibitum est prioribus, quod ab insequentibus gratanter semper acciperetur.

De rebus dubiis in conciliis episcoporum emergentibus. Ex epistola Bonifacij papæ ad episcopos Galliæ. ¶ Cap. 167.

Si inter Episcopos eiusdem concilij dubitatio emerserit, de Ecclesiastico iure, vel de aliis negotiis, primùm metropolitanus eorum cum aliis quibusdam in concilio considerans rem videlicet diiudicet, & si non adquiescat vtraque pars iudicatis, tunc Primas regionis inter ipsos audiatur, & quod Ecclesiasticis canonibus, & legibus nostris consentaneum sit, hoc definiat: & nulla pars calculo eius contradicere valeat. 6. q. 4. c. si inter episcopos.

*Vt episcopi in synodo residentes quæ ad * commendationem vitæ pertinent, primùm emendent. Ex concilio Auernensi, cap. cap. i.*

* emendationem

¶ Cap. 168.

In primis placuit, vt quotiens secundùm statuta patrum sancta synodus congregatur, nullus episcoporum aliquam priùs causam suggerere audeat, quàm ea, quæ ad emendationem vitæ, ad seueritatem regulæ, ad animæ remedia pertinent, fiant.

De Metropolitano, si comprouincialem episcopum in sua causa audire distulerit. Ex decretis Alexandri papæ. ¶ Cap. 169.

Si metropolitanus à quocunque comprouinciali episcopo *fuerit in causa propria appellatus, & eum audire distulerit, in proxima synodo negotij sui habebit licentiam exercendi, & quicquid propter iustitiam à comprouincialibus suis fuerit statutum, debet custodiri. *bis.

Vt episcopi iusta iudicia semper diiudicent. Ex conc. Remensi, c. xix. ¶ Cap. 170.

Vt Episcopi & iudices discernant iudicia, quia sunt quædam iudicanda modò, quædam Dei iudicio reseruanda. Scriptum est: Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Et illius memores sint, in quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini & vos. 1. Cor. 4. Matth. 7.

Vt canonum statuta ab omnibus ritè custodiantur, & nullus ex suo sensu iudicare præsumat. Ex concilio Meldensi, cap. xi.

¶ Cap. 171.

Canonum statuta sine præiudicio ab omnibus ritè custodiantur, & nemo in actionibus, vel in iudiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum authoritate ducatur. In exponendis etiam vel prędicandis diuinis scripturis, sanctorum catholicorum patrum & probatissimorum sensum

Epist. ad Lætam de inst. filiæ. quisque sequatur; in quorum scriptis, vt dicit beatus Hieronymus, fidei veritas non vacillat.

De dissidentibus episcopis. Ex Carthaginensi conc. iiij. c. xxv. ¶ CAP. 172.

dist. 90. c. dissidentes. Dissidentes Episcopos, si non timor Dei, vel synodus reconciliet.

Vt nullus Episcopus plebes alienas vsurpet. Ex concilio Carthaginensi, cap. xix.

¶ CAP. 173.

Placuit vt à nullo episcopo vsurpentur plebes alienæ, nec aliquis episcoporum supergrediatur in diœcesim collegam suum.

Vt nullus metropolitanus vel primas aliquid agat de clericis vel parœcijs comprouincialium episcoporum, nec de causis eorum sine eorum consilio omnium. Ex epistola Calist. papæ Episcopis per Gallias constitutis missa.

¶ CAP. 174.

De cætero fratres, saluo in omnibus Romanæ Ecclesiæ priuilegio, nullus metropolitanus absque cæterorum omnium comprouincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas, quia irritæ erunt aliter actæ, quàm in conspectu eorum omnium ventilatæ Et si ipse fecerit, coërceatur à fratribus.

De diœcesi per triginta annos possessa. Ex concilio VVormatiensi, cap. xxiij. Con Tolet. 4. c. 33.

¶ CAP. 175.

16. q. 3 c. quicunque episcopus. Quicunque episcopus alterius episcopi diœcesim per triginta annos, sine aliqua interpellatione possederit (*quamuis secundum ius legis, eius *iudicatur esse diœcesis) admittenda non est contra eum actio reposcendi: sed hoc intra vnam *parochiam, extra verò nullo modo, ne dum diœcesis defenditur, prouinciarum termini confundantur.

*quia *videtur *prouinciam

Vt episcopi qui negligunt loca sua, à vicinis Episcopis vt se corrigant, admoneantur. Ex concilio Africano, cap. lxxv.

Con. Afric. can. 88. & Mileui. ca. 24. 16. q. 3 c. placuit.

¶ CAP. 176.

Item placuit, vt quicunque Episcopi negligunt loca ad suam cathedram pertinentia in catholicam vnitatem lucrari, conueniantur à diligentibus Deum vicinis Episcopis, vt id agere non morentur. Quòd si intra sex menses à die conuentionis non effecerint, qui potuerit ea lucrari, ad ipsum pertineant: & ita sanè, vt si ille ad quem pertinuisse videbantur, probare potuerit, magis illius electam negligentiam ab hæreticis, vt impunè ibi sint, & diligentiam suam præuentam, vt eo modo eius cura sollicitior vetaretur: cùm hoc iudices Episcopi cognouerint, suæ cathedræ loca restituant. Sanè si Episcopi inter quos causa versatur, diuersarum sunt prouinciarum, ille primus diiudicet in cuius prouincia est locus de quo contenditur. Si autem ex communi placito vicinos iudices elegerint, aut vnus eligatur aut tres, & si tres elegerint, aut omnium sententiam sequantur, aut duorum.

De episcopis qui contendunt de parochijs. Ex eodem cap. lxxi. ¶ CAP. 177.

c. 87 & Mileu. c. 21. 16 q. 6. c. placuit. Placuit, vt quicunque episcopi plebes quas ad suam cathedram æstimant pertinere, non ita repetunt, vt causas suas Episcopis iudicantibus agant: sed si alio *renitente irruerint, siue volentibus siue nolentibus plebibus causæ suæ detrimentum patiantur. Et quicunque hoc iam fecerunt, si nondum est inter Episcopos finita contentio, sed adhuc inde contendunt, inde ille discedat quem constiterit prætermissis iudiciis Ecclesiasticis irruisse. Nec sibi quisquam blandiatur, si à primate vt retineat, literas impetrarit. Sed siue habeat literas, siue non habeat, conueniat eum qui tenet, & eius literas accipiat, vt eum appareat pacificè tenuisse Ecclesiam ad se pertinentem. Si autem ille aliquam quæstionem retulerit, per episcopos iudices causa finiatur, siue quos ipsi vicinos ex consensu delegerint.

*retinente

Vt in altera parochia clericus alterius diœcesis nullatenus ordinetur. Ex concilio Antiocheno, cap. xxij. ¶ CAP. 178.

Episcopus alienam ciuitatem, quæ non est illi subiecta, non adeat: nec ad possessionem accedat quæ ad eum non pertinet: nec ordinationem ibi facere præsumat, nisi fortè cum concilio, & voluntate regionis Episcopi. Si quis autem tale aliquid facere tentauerit, irrita eius sit ordinatio, & ipse coërceatur à synodo. 9. q. 2. c. episcoporum nō debere.

Vt nullo modo de vna parœcia ad aliam episcopus transeat. Ex eodem cap. xxi.

¶ CAP. 179

Episcopus ab alia parœcia nequaquam migret ad aliam, nec sponte sua prorsus insiliens, nec vi coactus à populis, nec ab Episcopis necessitate compulsus. Maneat autem in Ecclesia quam primitus à Deo sortitus est, nec inde transmigret, secundùm pristinum terminum de hac re constitutum. 7. q. 1. c. episcopum de diœcesi.

De præsumptione alienæ diœcesis. Ex epistola Bonifacij Papæ. ¶ CAP. 180.

Si quis Episcopus non rogatus, de alia prouincia in aliam venerit, præsumptione irruens ad ordinationem & constitutionem clericorum, & ad ea quæ ad illum non pertinent importunus existat, vacua sint & inania omnia quæ ab eo fuerint constituta. Ipse autem increpatione digna excommunicetur, & abominetur à sancto concilio.

Vt ab episcopis alienâ parœcia minimè peruadatur. Ex canonibus apostolorum Titulo xiij. Et Nicæni con. cap. 15. & Antioche. cap. 21.

¶ CAP. 181.

Episcopo non licere alienam parœciam propria relicta peruadere, licet cogatur à plurimis, nisi fortè quæuis eum rationabilis causa compellat, tanquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre, & in causa religionis aliquid profectò prospicere, & hoc non à semetipso pertentet, sed multorum episcoporum iudicio, & maxima supplicatione perficiat.

De eadem re, & causa eius. Ex epistola ij. Euaristi Papæ fratribus per Ægyptum directa, ca iiij.

¶ CAP. 182.

Sacerdotes verò vice Christi legatione funguntur in Ecclesia, & sicut ei sua coniuncta est sponsa, id est, ecclesia, sic episcopis iunguntur Ecclesiæ, vnicuique pro portione sua. Et sicut vir non debet vxorem suam negligere, sed diligere, & castè custodire, & amare atque pruden-

ter regere: ita & Episcopus debet ecclesiam suam. Et velut vxor, quæ sub manu est viri, obedire debet viro suo, eúmque amare & diligere: potius etiam ecclesia episcopo suo in omnibus obedire, eúmque amare & diligere, vt animam suam debet: quia illud fit carnaliter, istud spiritualiter. Et sicut vir non debet adulterare vxorem suam, ita nec episcopus ecclesiam suam, id est, vt illam dimittat ad quam consecratus est, absque ineuitabili necessitate, & Apostolica vel regulari immutatione, & alteri se ambitus causâ coniungat. Et sicut vxori non licet dimittere virum suum, vt alteri (viuente eo) se matrimonio societ, & eum adulteret, licet fornicatus sit vir eius, sed iuxta apostolum, Aut viro suo debet reconciliari, aut manere innupta: ita ecclesiæ non licet dimittere * virum suum, aut ab eo segregari, vt alterum eo viuente accipiat, sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat: id est, ne alterum Episcopo suo viuente accipiat, vt fornicationis aut adulterij crimen incurrat. Nam si adulterata fuerit, id est, si se alteri Episcopo iunxerit, aut super se alterum episcopum addiderit, aut esse fecerit vel desiderauerit, per accerrimam pœnitentiam, aut suo reconcilietur Episcopo, aut innupta permaneat.

1. Cor. 7.

* episcopum

De licita mutatione episcoporum causa communis vtilitatis. Ex epistola Anteri Papæ episcopis per Beticam atque Toletanam prouincias constitutis missa, cap. xiij.

¶ Cap. 54.

De mutatione ergo episcoporum, vnde sanctam sedem apostolicam consulere voluistis, scitote etiam communi vtilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cuiusquam aut dominatione. Petrus sanctus magister * & princeps apostolorum de Antiochia, vtilitatis causâ translatus est Romam, vt ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadã parua ciuitate apostolica authoritate translatus est Alexandriam. Similiter Fœlix de ciuitate in qua ordinatus erat electione ciuiũ, propter doctrinã & bonam vitam quam habebat, communi Episcoporum & reliquorũ sacerdotum, ac populorum consilio, translatus est Ephesum. Non enim transit de ciuitate ad ciuitatem, qui non suo libitu aut ambitu hoc facit, sed vtilitate quadam, aut necessitate aliorum, hortatu & consilio potiorum: nec transfertur de minori ciuitate ad maiorem, qui hoc non ambitu vel propria voluntate facit: sed aut vi propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut vtilitate loci vel populi non superbè, sed humiliter, ab aliis translatus, & inthronizatus est, quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Et dominus per prophetam loquitur dicens: Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem. Non mutat ciuitatem, qui non sua sponte, sed consilio & electione aliorum mutat. Non ergo migrat de ciuitate ad ciuitatem, qui non auaritiæ causâ sponte dimittit suam: sed (vt iam dictum est) aut pulsus à sua, aut necessitate coactus, vel electione vel exhortatione sacerdotum & populorum translatus est ad alteram ciuitatem Nam sicut Episcopi habent potestatem ordinare regulariter Episcopos & reliquos sacerdotes, sic quotiens vtilitas aut necessitas exposcerit, supradicto modo & mutare, & inthronizare potestatem habent.

7. q. 1. mutationes.

* noster

Qua de re plura vide apud Socratem historiæ ecclesiasticæ lib. 7. ca. 36.

1. Reg. 16.
Psalm. 93.

Quòd non licet episcopo relicta sua ciuitate ad aliam transire. Ex canone vj. Apostolorum.

¶ Cap. 84.

Episcopus autem vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat; si verò reiecerit, excommunicetur: sed si perseuerauerit, deiiciatur. dist. 28. c. si quis docuerit.

De eadem re. Ex concilio Sardicensi. cap. 1.

¶ Cap. 185.

Osius episcopus dixit: Non minus mala consuetudo, quàm pernitiosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat episcopo de ciuitate sua ad aliam transire ciuitatem. Manifesta enim est causa, pro qua re hoc facere tentat, cùm nullus in hac re inuentus est episcopus, qui de maiori ciuitate ad minorem transiret. Vnde apparet auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni seruire, vt dominationes agant. Si omnibus placet, huiusmodi pernicies seuerius, & austerius iudicetur, vt nec laicam communionem habeat, qui talis est. Responderunt vniuersi, Placet.

Quòd liceat episcopo, si in sua ecclesia persecutionem sustinuerit, ad aliam confugere. Ex decretis Calixti papæ per Galliam episcopis missis.

¶ Cap. 186.

Si quis episcopus persequutus in sua fuerit ecclesia, fugiendum est illi ad alteram, eique * sociandum, dicente domino: Si persequuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Si autem vtilitatis causâ fuerit mutandum, non per se hoc agat, sed fratribus inuitantibus, & authoritate huius sanctæ sedis faciat, non ambitus causâ, sed vtilitatis.

* solatiandũ, aliàs associandus.
Matth. 10.

De episcopo qui principalem ecclesiæ suæ cathedram neglexerit. Ex concilio Rothomagensi, cap. vi.

¶ Cap. 187.

Vt non liceat episcopo principalem cathedram suæ parœciæ negligere, & aliam ecclesiam in sua diœcesi magis frequentare.

De eadem re diligentius. Ex concilio Sardicensi, cap. xv. ¶ Cap. 188.

Osius episcopus dixit, quia nihil prætermitti oportet. Sunt quidam fratres & coepiscopi, qui non in ea ciuitate resident, in qua videntur esse episcopi constituti, quo vel paruam rem illic habeant, alibi autem idonea prædia habere noscuntur, vel affectione proximorum, quibus indulgeant. Hactenus permitti eis oportet, vt accedant ad possessiones suas, & disponant, vel ordinent fructum laboris sui, vt post quatuor dominicos dies, id est, post tres hebdomadas, si morari necesse est, in suis potius fundis morentur, aut si est proxima ciuitas, in qua est presbyter, nisi ad ecclesiam videantur facere diem dominicum, illuc accedant, vt neque res domesticæ per absentiam eorum detrimentum sustineant, & vt non frequenter veniendo ad ciuitatem in qua episcopus moratur, suspicionem iactantiæ & ambitionis euadant. Vniuersi dixerunt placere sibi.

Videndus est textus Græcus cap. ib. quod interpres sententiam non fit ad secutus.

Vt Episcopus singulis annis parœciam suam circumeat. Ex concilio Spalensi, cap. iiij.

¶ Cap. 189.

Vt singulis annis quisque episcopus parœciam suam circumeat, populúmque confirmet ac

doceat,& ea quæ vitanda sunt prohibeat, & ea quæ agenda sunt, vtiliter agere studeat.

De Episcopis qui rarò aut nunquam per se plebes sibi commissas visitant. Ex concilio Meldensi, cap. v.

¶ CAPVT 190.

Vt episcopi, qui plebes sibi creditas aut rarò aut nunquam per seipsos visitant, iuxta ordinem euangelicum,& apostolicum, atque ecclesiasticum cùm Dominus Ezechieli dicat, Speculatorem dedi te domui Israel, & audies ex ore meo verbum, & annuncies eis ex me, &c. à comprouincialibus episcopis acriùs * coërceantur. *Ezech 3.* * corripiantur.

Conc. Brac. 2. cap. I.

Vt Episcopi presbyteros suos de ministeriis eorum diligenter discutiant. Ex concilio Bracarensi, cap. ij.

¶ CAP. 191.

10. q. 1. c. placuit omnibus episcopis. Placuit nobis atque conuenit, vt episcopi per singulas ecclesias & diœceses euntes, primùm discutiant clericos quomodo ordinem teneant baptismi, vel missarum,& qualiter quæque officia in ecclesia peragant, & si rectè quidem inuenerint, Deo gratias: si verò minimè, docere debent ignaros.

Vt Episcopi cum paucis parœcias suas circumeant. Ex concilio Toletano, cap. v.

¶ CAP. 192.

Cùm episcopus suam diœcesim visitat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec vnquam quinquagenarium numerum euectionis excedat,nec amplius quàm vna die per vnamquamque basilicam remorandi licentiam habeat.

Si Episcopus parœciam suam visitare nequiuerit, viros probabilis vitæ pro se mittat. Ex eodem, cap. vi.

¶ CAP. 193.

Quòd si episcopus languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, visitationem diœceseos explere nequiuerit, presbyteros probabilis vitæ,aut diaconos mittat, qui reditus basilicarum & reparationes, & ministrantium vitam inquirant.

Qualem ministrum iuxta se episcopus habere debeat. Ex concilio Meldensi, cap. iij.

¶ CAP. 194.

forte, quisque. Vt * quisquis episcopus talem iuxta se pro viribus habere decertet, qui iuxta sincerissimum & purissimum sensum catholicorum patrum, fide & obseruatione mandatorum Dei, seu & prædicationis doctrina, Presbyteros plebium assiduè instruat, & informet, ne domus Dei viui (quæ est ecclesia) sine lucerna verbi diuini remaneat. Sed & eisdem talis existat, quem amor pecuniæ non vexet, aut reprobi mores & conuersatio reprehensibilis contemptibilem reddat. Hinc est quòd cùm Moyses querelam in conspectu Dei poneret, non se posse portare tantum onus quod ei fuerat impositum, audiuit à domino: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quòd senes populi sint, ac magistri: & auferam de spiritu tuo, tradámque eis vt sustentent tecum onus populi,& non tu solus graueris. Quid in Moyse nisi summum sacerdotium? quid in septuaginta viris, nisi presbyteros accipimus? Quòd autem dominus aufert de spiritu Moysi, traditque eis, patenter ostendit, quia hi qui ab episcopo in conspectu Dei vocati sunt, vt secum onus populi sustentent, eadem velle & imperito sibi honore totis viribus cooperari debent. *Num. 11.*

Hoc enim significat, quòd non alium, sed eiusdem Moysi spiritum accipiunt.

Ne Episcopus laicum sibi ponat vicarium. Ex concilio Bracarensi, cap. ix.

¶ CAP. 195.

Noua actione didicimus, quosdam ex nostro collegio contra mores ecclesiasticos, laicos habere in rebus diuinis constitutos œconomos. Proinde pariter tractantes, elegimus, vt vnusquisque nostrum secundùm Chalcedonensium patrum decreta,œconomum ex proprio clero sibi constituat. Indecorum est namque laicum esse vicarium episcopi,& sæculares in ecclesia iudicare. In vno enim eodémque officio non debet dispar esse professio. Quod etiam in lege diuina prohibetur,dicente Moyse: Non arabis in boue simul & asino, quod est, homines diuersæ professionis officio vno non sociabis. Vnde oportet nos & diuinis libris, & sanctorum patrum obedire præceptis, constituentes vt hi qui administrationibus ecclesiæ pontificibus sociantur, discrepare non debeant nec professione, nec habitu, nec cohærere & coniungi possunt, quibus studia & vota diuersa sunt. Si quis autem episcopus* ecclesiasticam rem ad laicalem procurationem administrandam elegerit, aut sine testimonio œconomi gubernandam crediderit, verùm & contemptor canonum & fraudator ecclesiasticarum rerum, non solùm Christo de rebus pauperum iudicabitur reus, sed etiam ex concilio manebit obnoxius. *Deuter. 22.* * post,

Vt in circuitione Episcopi omnes qui sunt in parœcia matricum ecclesiarum, exceptis infirmis, ad synodum eius venire debeant. Ex concilio Rothomagensi, cap. xi.

¶ CAP. 196.

Cùm episcopus suam diœcesim circuit, Archidiaconus vel Archipresbyter eum præire debet, vno aut duobus diebus *ad parœcias quas visitaturus est, & conuocata plebe annunciare debet proprij pastoris aduentum, & vt omnes exceptis infirmis ad eius synodum die denominata impræterrnissè occurrant, & omnimodis ex authoritate sanctorum canonum præcipere, & minaciter denunciare debet, quòd si quis absque graui necessitate defuerit, proculdubio à communione Christiana sit repellendus. Deinde adscitis secum presbyteris qui in illo loco seruitium debent exhibere episcopo, quicquid de minoribus & leuioribus causis corrigere potest, emendare satagat, vt pontifex veniens nequaquam in facilioribus negotiis fatigetur, aut sibi immorari amplius necesse sit ibi, quàm expensa sufficiat. Ait enim dominus ad Moysen de huiusmodi cooperatoribus: Vt tecum, inquit, sustentent onus populi, & non tu solus graueris. Et beatus Ioannes baptista aduentum domini præcucurrit prædicando dicens: Pœnitentiam agite, &c. Et idem, Parate viam domini. Siquidem episcopus vicē Christi agere videtur, & ideo cum gaudio & timore, & summa reuerentia à plebibus sibi subiectis suscipiendus est, vt illis cum laude dicatur, quod apostolus discipulis dicit: Testimonium, inquit, vobis perhibeo, quòd ita suscepistis me, sicut Angelum Dei, sicut dominum nostrum Iesum. * per, *Num. 11.* *Matth. 3.* *Galat. 4.*

Vt Episcopi libros gentilium non legant. Ex conc. Carth. iiij. ca. xvi.

¶ CAP. 197. *alias, vt. dist. 37. c. episcopus gentilium.*

Vt episcopi libros gentilium non legant, hæreticorum autem pro necessitate & tempore.

Vt Episcopi prout vulgus intelligere possit, secundùm proprietatem communis linguæ illorum prædicationem temperent. Ex concilio Remensi, cap. xi. ¶ CAP. 198.

cap. 15. Vt Episcopi sermones & homilias, sanctorum patrum, prout omnes intelligere possint, secundùm proprietatem communis linguæ, prædicare studeant.

Reprehensio Episcopi in pulpito paganos libros exponentis. Ex registro Gregorij ad Desiderium Episcopum, ca. clxxx. ¶ CAP. 199.

Li 9. epi. 48. dist 86. cap. cum multa. Cùm multa nobis bona de vestris fuissent studiis nunciata, ita cordi nostro est nata lætitia, vt negare ea quæ sibi fraternitas vestra concedenda poposcerat, minimè pateremur. Sed post hæc venit ad nos, quod sine verecundia memorare non possumus, fraternitatem tuam grammaticam, & illa difficiliora quibusdam exponere. Quam rem ita molestè suscepimus, ac sumus vehementiùs aspernati, vt ea quæ priùs dicta fuerant, in gemitum & tristitiam verteremus, quia in vno ore cum Iouis laudibus Christi laudes esse non possunt. Et quàm graue nefandúmque sit Episcopos canere quod nec laico religioso conueniat, considera. Et quamuis dilectissimus filius noster Candidus Presbyter postmodum veniens, hac de re subtiliter requisitus, negauerit, atque vos conatus fuerit excusare, de nostro tamen adhuc animo non recessit, quia quantùm execrabile est hoc de sacerdote narrari, tantò vtrum ita nec ne sit, districta & veraci oportet satisfactione cognosci. Vndè si fieri potest, hæc euidenter quæ ad nos perlata sunt, inquirere satagemus, vt si falsa esse clauerint, neque nugis & sæcularibus literis studere constiterit, & Deo nostro gratias agamus, qui cor vestrum maculari blasphemiis nefandorum laudibus non permisit, & de concedendis quæ poscitis securi iam & sine aliqua dubitatione tractemus.

Quantum discrimen immineat pastoribus, qui veritatem Christi prædicare negligunt Ex decretis Marci Papæ episc. Ægyp. missis.

¶ CAP. 200.

Væ enim erit nobis, qui huius ministerij onus susceptum habemus, si veritatem saluatoris nostri Iesu Christi, quam Apostoli prædicauerunt prædicare neglexerimus. Væ erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus, qui erogare nummulariis iubemur, id est Christianos populos imbuere & docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonis eius veritatem confundimur prædicare? Quid erit de nobis, cùm de commissis nobis animabus, & de officio suscepto rationem iustus iudex Christus Deus noster districtam exegerit?

Quòd Episcopum sine intermissione oporteat ecclesiam suam docere & amare. Ex decretis Euaristi Papæ fratribus per Ægyptum missis.

¶ CAP. 201.

Episcopum verò oportet oportunè, atque sine intermissione Ecclesiam suam docere, eámque prudenter regere & amare, vt à vitiis se abstineat, vt salutem consequi possit æternam: & illa cum tanta reuerentia eius doctrinam possit, suscipere, eúmque & diligere, vt legatum Dei, & præconem veritatis: quia testante veritate, Quodcunque ligauerit super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque soluerit super terram erit solutum & in cœlis. Matth. 16.

De ignorantia omnibus maxmè sacerdotibus vitanda. Ex concilio Toletano, cap. v. Tol. 4. c. 24

¶ CAP. 202.

Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sancta scriptura admonet, Paulo Apost. dicente ad Timotheum: Intende lectioni & exhortationi. Doctores enim semper se in his permanere sciant. Igitur sacerdotes scripturas sanctas & canones meditentur, vt omne opus in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientiâ, quàm operum disciplinâ. dist. 38. cap. ignorantia mater. 1. Tim. 4.

Vt Episcopus dissidentes concordare compellat. Ex concilio Carthaginensi iiij. cap. xxvi.

¶ CAP. 203.

Studendum est Episcopo vt dissidentes fratres, siue clericos, siue laicos ad pacem magis, quàm ad iudicium hortetur. dist. 90. c. studendum est.

Vt in die dominico rerum diiudicationes non fiant ab Episcopo. Ex concil. Spalensi, cap. ij.

¶ CAP. 204.

Vt nullus Episcopus, vel infra positus die dominico causas iudicare præsumat.

De domestica & interiori conuersatione Episcoporum. Ex concilio Aurel. cap. v.

¶ CAP. 205.

Decreuit sancta synodus, domesticam & interiorem Episcopi conuersationem, totius reprehensionis atque suspicionis impenetrabilem fieri debere, vt iuxta apostolum, prouideamus bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Oportet igitur vt in cubiculo Episcopi & secretioribus quibuslibet obsequiis sinceræ opinionis sacerdotes & clerici assistant, qui vigilantem, orantem, sacra eloquia scrutantem episcopum suum iugiter attendant, eiúsque sanctæ conuersationis testes, imitatores & ad Dei gloriam prædicationis, existant. 2. Cor. 8.

Vt Episcopus quasi hospes se continere debeat. Ex dictis Augustini. ¶ CAP. 206.

Episcopus quasi hospes fieri debet, & priuatam domum non habeat, sed quasi hospes fieri debet, vt Christus ait, Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. Lucæ 9.

Vt Episcopi frequenter missas celebrent. Ex conc. Arausico, cap. iij. ¶ CAP. 207.

Statuimus, vt non tantùm dominicis diebus, & præcipuis festiuitatibus Episcopi missas celebrent, sed cùm possibile fuerit quotidiana quæque * sacramenta frequentent, nec fastidiant. * sacrificia

Ne Episcopus pretio corruptus alterius clericum ordinare præsumat. Ex concilio Nannetensi, c. j.

¶ CAP. 208.

Omnibus ministris ecclesiasticæ dignitatis interdicimus, vt nullus cuiuscunque munere aut fauore corruptus, clericum alterius parœciæ latenter ac furtiuè ad ordinationem subintrodu-

cere præſumat. Quod ſi fecerit, iuxta Chalcedonenſe decretum, is qui mediator exſtitit, ſi clericus, proprio gradu decidat, ſi laicus aut monachus, anathematizetur.

De eadem re. Ex concilio Pariſienſi, ca. xxij.

¶ Cap. 209.

Epiſcopus non conſtituat Presbyteros aut diaconos alteri ſubiectos epiſcopo, niſi fortè conſilio & voluntate ipſius. Si quis autem tale aliquid agere tentauerit, irrita ſit eius ordinatio, & ipſe coerceatur à ſynodo.

Vt nullus Epiſcopus in alterius epiſcopi parœcia ad promotionem miniſterij accedere præſumat. Ex concilio Antiocheno, ca. xiij.

¶ Capvt 210.

9 q. 2. c nullum epiſcoporum. Nullus Epiſcopus ex alia prouincia audeat ad aliam tranſgredi, & ad promotionem miniſterij aliquos in Eccleſiis ordinare, licet conſenſum præbere videantur nonnulli, niſi literis tam metropolitani, quàm cæterorum epiſcoporum, qui cum eo ſunt rogatus adueniat, & ſic ad actionē ordinationis accedat. Si verò nullo vocante, inordinato more deproperet ſuper aliquibus ordinationibus & Eccleſiaſticis negotiis ad eum non pertinentibus, componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur exiſtant, ipſe vero incompoſiti motus ſui, & irrationabilis audaciæ ſubeat vltionem, ex hoc iam damnatus à ſancto concilio.

Ne Epiſcopus alterius Eccleſiæ clericum audacter inuadere audeat. Ex concilio Nicæno, c. xvij.

¶ Cap. 211.

Si quis Epiſcopus clericum ad aliū locum pertinentem, audacter inuadere, & in ſua Eccleſia ordinare tentauerit, non conſentiente Epiſcopo à quo diſceſſit, ordinatio huiuſmodi irrita comprobetur.

De non præſumendis illicitis ordinationibus. Ex epiſtola Simplicij Papæ miſſa Equitio, Florentino & Seuero Epiſcopis, cap. i.

¶ Cap. 212.

Relatio nos veſtræ dilectionis inſtruxit, & geſtorum ſeries plenius intimauit, Gaudentium Oſinienſis eccleſiæ ſacerdotem contra ſtatuta canonum ac noſtra præcepta, ordinationes illicitas perpetraſſe, quarum illi totam penitus auferri præcipimus poteſtatem. Scripſimus enim ad Seuerum fratrem & coepiſcopum noſtrum, vt ſi neceſſe fuerit, ipſe in ſupradicta Eccleſia conſideratis patrum regulis, hoc fungatur officio, quo ille abuſus eſſe conuictus eſt, vt hi qui illicitè ab eodem ſint prouecti, ab Eccleſiaſticis miniſteriis ſint remoti.

De depoſitione eorum, qui ab Epiſcopo ſuo ſolùm manus impoſitionem, & ab alio Presbytero reliquam ordinum benedictionem ſuſceperunt. Ex concilio Carthaginenſi, cap. v.

¶ Cap. 213.

Ad cognitionem noſtri examinis Gabrenenſis diaconi relatu peruenit, de * quibuſdam ipſius Eccleſiæ clericis, quòd dum vnus ad Presbyterij, duo ad leuitarum miniſterium conſecrarentur, Epiſcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper hos tantùm poſuiſſe, & Presbyterum quendam illis contra eccleſiaſticum ordinem benedictionem dediſſe. Qui licet propter tantam præſumptionis audaciam poterat accuſatus iudicio præſenti damnari, ſi adhuc in corpore poſitus, non fuiſſet mortis vocatione præuentus. Sed quia ille examini diuino relictus eſt, humano iudicio accuſari non poteſt: his qui ſuperſunt, & ab eo non conſecrationis titulum, ſed ignominiæ potius elogium perceperunt, ne ſibi licentiam talis vſurpatio faciat, decreuimus vt gradu ſacerdotis, vel leuitici ordinis quem peruersè adepti ſunt, depoſiti, æquo iudicio abijciantur. Tales enim meritò iudicati ſunt remouendi, quia prauè inuenti ſunt conſtituti.

* tribus

Vt non valeat ſententia Epiſcopi, niſi clericorum ſuorum præſentia firmetur. Ex eodem conc. cap. xxiij.

¶ Cap. 214. Conc. Carth. 4. cap 32.

Irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi clericorum ſuorum præſentia confirmetur. 11. q. 2. c ſine exceptione.

Vt Epiſcopus ſecundùm reditus eccleſiarum, numerum clericorum faciat. Ex concilio Spalenſi, cap. i.

¶ Cap. 215.

Ne paſſim Epiſcopus multitudinem clericorum faciat, ſed ſecundum meritum vel reditus eccleſiarum, numerum moderetur.

De Epiſcopis peregrinis Ex conc. Arelatenſi, i. c. xx.

¶ Cap. 216.

De Epiſcopis peregrinis qui in vrbem ſolent venire, quos veraciter epiſcopus ſcimus eſſe, placuit eis locum dari vt offerant.

Vt Epiſcopi leuitate vagantes, ad propria redire cogantur. Ex regiſtro Gregorij ad Syagrium epiſcopum Auguſtodunenſem, cap. cxxij. Lib. 7. ep. 119 ſeu cap. 117.

¶ Capvt 217.

Cùm ſacerdotis dignitas eminere videatur, ita quiſquis ea * ordinatus eſt, cunctis ſe imitandū debet oſtendere, vt exemplo ſui nulli nocere, ſed vitam potius valeat componere ſubiectorum. Nam ſi actus diſſentiant à nomine, quantò pontificatus ipſe plus erigit, tantò magis * abijcit. Itaque Mennatem epiſcopum quendam, qui illuc de * diœceſi noſtræ ordinationis profectus eſt, in tanta ſe leuitate didicimus exhibere, vt & nobis de eo maior ſit verecundia, & illi epiſcopatus nomen non ſit honori, ſed oneri. Quod quia pudoris nobis eſt de eo illa cognoſcere, quæ in aliarum prouinciarum omnino reprehendimus ſacerdotibus, fraternitas veſtra eum illic immorari amplius non permittat, ſed ad nos quantociùs reuerti compellat, ac magis inuenta per omnia occaſione tranſmittat, vt ſub ea qua dignum eſt obſeruantia refrænatus, ſæculares mores ad ſacerdotalem ſtudeat conuertere grauitatem. Nam ſatis noxium atque pernicioſum eſt, vt imitatione ipſius qui ædificari debuerant deſtruantur, in qua re non ſolum ille culpabilis, ſed etiā qui non reſtiterit inuenitur. Nā conſentire videtur errāti, qui corrigēda, vt reſecari debeāt, non occurrit. Quia verò quidā Theodorus epiſcopus de diœceſi reuerendiſſimi fratris noſtri Conſtantij Mediolanenſis Eccleſiæ epiſcopi, diſciplinam (vt dicitur) euitans, illuc veniſſe firmatur, hortamur, vt & iſto diligentiùs requiſito, ad epiſcopum ſuum veſtra fraternitas tranſmittat. Et quia ſicut legitur, Qui abijcit diſciplinam, infœlix eſt: nulla eum illic excuſatione patiamini retinere, quatenus ex his qui leuitatis eorum vitio poſſunt decipi, liberentur, & de ipſis habere mercedē, ne hac ſtultitia pereāt, valeatis. Sapient. 3.

* ornatus

* addicit

* diœceſi Romanæ Eccleſiæ noſtra ordinationis, &c.

Quàmdiu Episcopus in aliena ciuitate morari debeat. Ex concilio Sardicensi, cap. xiv.

¶ CAP. 218.

Osius episcopus dixit: Et hoc quoque statuere debetis, vt ex alia ciuitate quum venerit episcopus ad aliam ciuitatem, & ambitioni magis quàm deuotioni seruiens, voluerit in alia ciuitate multò tempore residere, forte enim euenit episcopum loci non esse tàm instructum neque tam doctum, is verò qui aduenit incipiat contemnere eum, & frequenter facere sermonem, vt dehonestet & infirmet eius personam, ita vt hac occasione non dubitet, relinquere assignatam sibi ecclesiam & transeat ad alienam. Diffinite igitur tempora, quia & non recipi episcopum inhumanum est, & si diutiùs resideat, perniciosum est. Hoc ergo ne fiat, prouidendum est. Memini autem superiori concilio fratres nostros constituisse, vt si quis laicus in ea in qua commoratur ciuitate, quatuor dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrasset conuentum, communione priuaretur. Si hæc circa laicos constituta sunt, multò magis Episcopum nec licet, nec decet, si nulla sit tam grauis necessitas quæ detineat, vt amplius à supradicto tempore absens sit, ab ecclesia sua. Vniuersi dixerunt placere sibi.

De suscipiendis Episcopis qui persecutionem patiuntur. Ex eodem capitulo xxi.

¶ CAP. 219.

Osius episcopus dixit, Suggerente fratre & coepiscopo nostro Olympio, etiam hoc placuit, vt si aliquis vim perpessus est, & iniquè expulsus, pro disciplina & catholica confessione, vel pro defensione veritatis effugiens pericula, innocens & deuotus ad aliam venerit ciuitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu redire possit, aut iniuria eius remedium acceperit: quia durum est eum qui persecutionem patitur non recipi, etiam & larga beneuolentia, & humanitas ei est exhibenda. Omnis synodus dixit, Vniuersa quæ constituta sunt, catholica ecclesia vniuerso orbe diffusa custodiat. Et subscripserunt omnes qui conuenerant.

Concil. Cabillonen. cap. 43.

De illis qui se dicunt Episcopos esse. conc. Remensi, cap. xliij. ¶ CAP. 220.

Sunt in quibusdam locis Scoti, & alij erronei, qui se dicunt episcopos esse, & multos negligentes absque licentia dominorum suorum, siue magistrorum suorum presbyteris & diaconos ordinant. Quorum ordinationem, quia plærunque incidit * hæresim & multis erroribus subiacet, modis omnibus irritam fieri debere, omnes vno consensu decreuimus.

** fortè hæresis*

L. 1. ep. 43.

Qualiter peregrini Episcopi suscipiendi sunt. Ex registro Gregorij vniuersis episcopis per Illyricum dilectis, cap. xlij.

¶ CAP. 221.

Iouinus excellentissimus vir, filius noster, per Illyricū scriptis suis nobis indicasse dinoscitur, à se, sacris apicibus destinatis iussum fuisse episcopos, quos è propriis locis hostilis furor expulerat, ad eos episcopos qui nunc quoque in locis propriis degunt, pro sustentatione ac stipendiis præsentis vitæ esse iungendos, & licet ad hæc fraternitatem vestram iussio principalis admoneat, habemus tamen maius horum mandatum æterni principis, quo ad hæc terribilius peragenda compellimur, vt non dico fratres & coepiscopos nostros, sed etiam ipsos quos nobis contrarios patimur, cùm opportunitas postulat, in conferendis subsidiis necessitatum carnalium, diligamus. Oportet ergo vos ad hanc rem & cœlesti primitus principi obedientes existere, & imperialibus etiā iussionibus cōsentire, quatenus fratres coepiscopósque nostros, quos & captiuitatis & diuersarum necessitatum angustiæ comprimunt, debeatis consolandos conueniendosque vobiscum in ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere, non quidem ad communionem Episcopalis throni & dignitatem, sed vt ab Ecclesia iuxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis in vestris ecclesiis authoritatem tribuimus, sed tantum eos vestris solatiis continere summopere hortamur.

*Episcopos vel presbyteros ignotos ante probationem in ministerium non admittendos. Ex concilio Rothomagensi, cap. * xxiij.* ** xxviij.*

¶ CAP. 222.

Statuimus secundùm canonicam cautelam omnes vndecunque superuenientes ignotos episcopos vel presbyteros, ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium non admittere.

Vt Episcopus hostilitate compulsus, ad aliam vacantem transeat ecclesiam. Ex Registro Gregorij ad Angelum episcopum. *Lib. 2. c. 25. ad Ioannem Squilatinū episc.*

¶ CAP. 223.

7. q. 1. c. pastoralis officii.

Pastoralis officij cura nos admonet destitutis ecclesiis proprios constituere sacerdotes, qui gregem dominicum sollicitudine pastorali debeant gubernare. Propterea te Ioannem ab hostibus captiuatum Lisitanæ ciuitatis episcopum, in Squilatina ecclesia cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem, vt & susceptam semel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas: & licet à tua hoste imminente depulsus sis, alienam quæ pastore vacat, ecclesiam debes gubernare: ita tamen, vt si ciuitatem illam ab hostibus liberam effectam domino protegente, ad priorem statum contigerit reuocari, in eam in qua prius ordinatus es, ecclesiam reuertaris. Sin autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac in qua & à nobis incardinatus es ecclesia, debeas permanere.

De Episcopis, quod omnes homines iure eis obedire debeant. Ex decretis Clementis papæ, cap. xv. *ep. 1. longè ante finem.*

¶ CAP. 224.

Omnes principes terræ, & cunctos homines episcopis obedire, & capita sua submittere, eorúmque adiutores existere Petrus præcipiebat, vt omnes pariter fideles & cooperatores legis Dei monstrarentur, ne de eis dicatur: Confundentur & erubescent omnes, qui pugnant aduersum te, & erunt quasi non sint, & peribunt viri qui contradicunt tibi. Quæres eos & non inuenies, viros rebelles tuos. Erunt quasi non sint, & veluti consumptio hominis bellantis aduersum te. Omnes ergo qui eis contraeunt, ita damnatos & infames vsque ad satisfactionem monstrabat, & nisi conuerterentur, à liminibus ecclesiæ alienos esse præcipiebat. *Esai. 41.* *11 q. 3. c. si autē vobis. contraueniunt.*

Quòd

Ibid. post medium. *Quòd Episcopi claues sint Ecclesiæ. Ex eiusdem decretis ca. xxxvij.* ¶ CAP. 225.

Sanctam ergo Ecclesiam immaculatam omnes seruare debere euangelizabat, cuius claues Episcopos esse dicebat. Ipsi enim habēt potestatem claudere cœlum, & aperire portas eius, quia claues cœli facti sunt. Admonebat autem eos neminem nocere debere, quia oculi Domini sunt, & qui eos tangit, quasi qui tangit pupil-
Zacha. 2. lam oculi eius. Et quanta pœna dignus sit qui eos scandalizat, ipsum dominum docuisse dicebat vbi ait: Qui scandalizauerit vnum de pusil-
Matth. 18. lis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Ibid longè ante finem. *Quòd Episcopos Dominus ad glorificandum se elegerit. Ex eodem, ca. xxix.* ¶ CAP. 226.

Ad glorificandum se, & diuina mandata seminanda, & euangelizanda, episcopos Dominus elegit, & non vt prohibeantur aut perturbentur aiebat, quoniam qui eos lædit eum lædit, cuius legatione funguntur. Prædicare eos assiduè & mandata Domini sine intermissione annunciare rogabat. Opera eorum bona coram hominibus demonstrare, & conscientiam bonam coram Deo habere insinuabat.

Ibid post medium. *De Episcopis quòd se inuicem diligere debeant. Ex eodem ca. xxx.* ¶ CAP. 227.

Episcopos ergo vice apostolorum regere, dominum docuisse dicebat, & reliquorum discipulorum vicem tenere Presbyteros debere insinuabat, & si quis aliquem ex his scandalizaret, grauissimam pœnam inferri debere prædicabat. Cunctos se inuicem diligere & adiuuare debere, & neminem ab adiutorio fratris se subtrahere instruebat.

Ne Episcopus alium episcopum conculcet. Ex concilio Arelatensi primo, ca. xvij.

¶ CAP. 228.

Vt nullus Episcopus alium conculcet, eúmque calumniare, vel iniuriare præsumat. Quòd si fecerit gradus sui periculo subiacebit.

epist. 2. *De Episcopis qui se à fratrum adiutorio subtraxerint. Ex decretis Alexandri Papæ omnibus Episcopis missis, ca. xxij.*

¶ CAP. 229.

* fuerit Qui autem ex vestro collegio * fugerit, & ab auxilio vestro se subtraxerit, magis scismaticus quàm sacerdos esse probabitur. Ecce, inquit
Psal. 132. Propheta, quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum. Illi verò non in vnum habitant, qui à fratrum se solatio subtrahunt, & quod deterius est qui fratribus insidias ponunt, aut laqueos præparant. *Item post pauca.* Nos ergo qui discipuli Domini & dici esse cupimus, portare crucem Domini, & compati fratribus debemus, & non quascunque eis insidias aut fo-
* merenueas præparare, quia talionem * recipiet, qui
tur fratribus foueam parat. Nolite errare fratres,
Galat. 6. quia Deus non irridetur. Huius rei gratiâ Dominus vobis commisit ecclesiam suam, vt pro omnibus laboretis, & cunctis oppressis opem ferre non negligatis. Vnde & Dominus per pro-
Hier. 21. & 22. phetam loquitur, dicens: Hæc dicit Dominus. Iudicate mane iudicium, & eruite vi oppressos de manu calumniantis, ne fortè egrediatur quasi ignis indignatio mea & succendatur, & non sit qui extinguat. Vos ergo qui in summa specula à Domino constituti estis, attendere eos & opprimere oportet, qui inter fratres seditiones & scandala excitant, ne simul cum eis pereatis.

De Episcopis qui se canino dente corroserint. Ex eiusdem ad eosdem, ca. xij. ¶ CAP. 230. Eadem epistola paulò antè.

Si verò (quod absit) discordes fueritis, & canino dente vos derodere ceperitis, non solùm eos non superabitis, sed & vobis ipsis nocebitis, atque ab eis superabimini, & nocenter fortè peribitis.

De Episcopis qui fratribus nocere desiderant. Ex decretis Bonifacij Papæ.

¶ CAP. 231.

Sicut omnis qui diligit fratrem suum, ex Deo est, ita omnis qui odit proximum suum ex diabolo est, dilectione enim sola discernitur, quis ex quo genitus approbetur, dicente Ioanne. In 1. Ioan. 4.
hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. Omnis qui non facit iustitiam & non diligit fratrem suum, non est ex Deo. Quoniam hæc est annunciatio quam ab initio audistis: vt diligamus alterutrum. Et post paululum: Omnis qui 1. Ioan. 3.
odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Ecce homicida esse probabili- Ibidem.
ter declaratur, qui à fraterna societate diuiditur. Nam & si manus non moueat ad occidendum, pro eo tamen quia * munitus est ad nocendum, * immi-
iam à Deo homicida tenetur. Viuit ille, & iste tis ali. ni-
iam interfector conuincitur. Cum his igitur titur ad
præceptis beatus Apostolus Paulus consona nocendū
prædicatione concordat dicens. Non occidat sol Ephes. 4.
super iracundiam vestram, &, Nolite locum dare diabolo. *Item.* Relatæ nobis sunt quorundam sacerdotum personæ, in tantam obstinationis efferbuisse discordiam, vt non solùm illos ab ira occasus solis non reuocet, sed ne annosa quidem transactio temporum, ad bonum charitatis inclinet: quippe in quorum cordibus idem sol iustitiæ Christus occubuit, vt ad lumen * chari- * verita-
tatis redire vix possint. Horum igitur & similiū tis
discordantium fratrum oblationes, iuxta antiquam canonum diffinitionem nullo modo recipiendas esse censemus, personis tamen discordantium in speciali diffinitione præcipimus, vt antequam eos reconciliatio vera innectat, nullus eorum accedere ad altare Dei audeat, vel gratiam sanctæ communionis percipiat, sed geminato tempore per pœnitentiam compensabunt, quo discordiæ seruierunt. Quod si vnus eorum alio contemnente, ad satisfactionem charitatis cucurrerit, ex eo tempore iam pacificus intra ecclesiam recipietur, ex quo ad concordiam festinasse conuincitur, sententia tamen superiori seruata, vt tempus quod in ira expendit, geminatum in pœnitentiæ satisfactione persoluat.

Vt Episcopi à solo Domino sint iudicandi. Ex decretis Clementis Papæ, cap. xxxviij.

¶ CAP. 232.

Episcopos autem à solo Domino iudicandos aut remouendos, & non ab alijs esse dicebat, quia sui sunt, & non alterius. Et quis est qui alterius iudicet seruum? Nam si ista non patiuntur homines, nec Deus * cœlorum, & Dominus * deorum

dominantium hæc vllatenus patitur. Vnde & Prophetas sibi testes esse dicebat, per quos dominus loquitur dicens. Ecce excoxi te, sed non *Esaiæ 48.* quasi argentum elegi te in camino paupertatis. Propter me faciam, vt non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo.

Nimis timendum esse & præuidendum, ne offendantur Episcopi. Ex decretis Euaristi papæ fratribus per Ægyptum missis, cap. vi.

¶ Cap. 233.

Nimis timenda est, fratres, hæc sententia, & præuidendum est vobis, ne offendatis eos qui tantam à Domino habent potestatem, & ideo potius obediendi, diligendi, & non detrahendi vel lacerandi aut eijciendi sunt, sed portandi & *Lucæ 10.* amandi, ipso dicente Domino. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Ideo hæc vobis, & omnibus fidelibus scribimus fratres, vt ab his caueatis, & posteris vestris non malum, sed bonum exemplum relinquatis, quoniam iniuria episcoporum ad Christum pertinet, cuius vice funguntur.

Ne criminatio quium contra episcopum suum recipiatur. Ex prima Epistola Calixti papæ.

¶ Cap. 234.

Calixtus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ, Benedicto fratri, & coepiscopo, salutem in Christo. Criminationes contra doctorem nemo suscipiat, quia non oportet filios patres reprehendere, nec seruos Dominos lacerare. Filij ergo doctorum sunt omnes quos instruunt, & sicut filij patres carnales, sic & hi patres debent diligere spirituales. Non enim benè viuunt qui non rectè credunt, aut patres reprehendunt, vel detrahunt suis. Doctores ergo qui & patres vocantur, magis portandi quàm reprehendendi sunt, nisi in recta fide errauerint. Nullus ergo doctorum per scripta accusetur, nec nisi fideli & legitimo qui etiam irreprehensibilem vitam ac conuersationem ducat, accusatori respondeat, quia indignum est vt doctor stulto, & indocto atque reprehensibiliter viuenti, respondeat, iuxta stultitiam suam, dicente scriptura. Non res- *Prouerb. 26.* pondeas stulto iuxta stultitiam suam. Non benè viuit qui non rectè credit. Nihil mali vult, qui fidelis est. Si quis fidelis est, videat ne falsa loquatur, aut cuiquam insidias ponat. Fidelis homo semper fideliter agit, & infidelis callidè insidiatur, atque fideles & piè ac iustè viuentes perdere nititur, quia similis similem sibi quærit. Infidelis vero homo mortuus est in corpore viuente, è contra sermones fidelis hominis vitam custodiunt auditorum. Doctorem enim Catholicũ, & præcipuè Domini sacerdotẽ, sicut nullo errori implicari, ita nulla oportet machinatione aut cupiditate violari, dicente scriptu- *Eccles. 18.* ra sancta. Post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertaris.

Quòd iniustum iudicium iussu regis vel episcopi, vel alicuius potentis factum, irritum habeatur. Item idem. *Paulò post.*

¶ Cap. 235.

Quicquid irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia. Nulli imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, licet aliquid contra mandata diuina præsumere. Iniustum ergo iudicium & diffinitio iniusta, regio metu aut iussu, aut cuiuscunque Episcopi aut potentis, à iudicibus ordinata vel acta, non valeat. Homini religioso parum esse debet inimicitias aliorum non exercere vel augere, malè loquendo, nisi etiam eas extinguere benè loquendo studuerit. Melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis superba gloriatio.

Ne aliquis alterius terminos vsurpet, nec alterius parœcianum iudicet aut excommunicet. Item in secundo decretali suo.

¶ Cap. 236.

Nemo alterius terminos vsurpet, nec alterius parœcianum iudicare aut excommunicare præsumat, quia talis diiudicatio aut excommunicatio vel damnatio nec rata erit, nec vires vllas habebit, quoniam nullus alterius iudicis nisi sui, sententia tenebitur aut damnabitur. Vnde Dominus loquitur dicens. Ne transgrediaris *Prouerb. 1* terminos antiquos quos posuerunt patres tui.

Qui non debeant recipi ad accusationem, & testimonium contra Episcopos. Anacletus Papa tertius à Petro in primo decretali suo, omnibus Episcopis.

¶ Capvt. 237.

Beatus prædecessor noster Clemens, vir Apostolicus, & spiritu Dei plenus, vna cum reliquis sanctis collegis suis statuit, dicens. Accusandi vel testificandi licentia denegetur his, qui Christianæ religionis & nominis dignitatem, & suæ legis vel sui propositi normam aut regulariter prohibita neglexerint. Transgressor enim sponte legi suæ, eiusque violatores Apostatæ nominantur. Omnis enim apostata refutandus est ante reuersionem suam, nec in accusationem rectè agentium, aut testimonium * recipiendus. ** suscipiendus.* Scimus autem multos ob id infestare doctores, vt eos perdant & propriæ voluntatis placita adimpleant, non propterea tamen doctores in quantum vires suppetunt, à recta æmulatione & bona intentione recedere debent, scientes quia Beati qui persecutionem patiuntur propter iu- *Matt. 5.* stitiam. Nihil est autem illo pastore miserius, qui luporum laudibus gloriatur, quibus si placere voluerit, atque ab his amari delegerit, erit hinc ouibus magna pernicies. Nullus ergo pastorum placere lupis & gregibus ouium potest. Deo enim perfectè sacrificantes non debent vexari, sed portari, consolari, atque ab omnibus venerari.

De eodem expreßius. Idem in secundo decretali suo, Episcopis Italiæ.

¶ Cap. 238.

Accusatio eorum quoque, super qua nos con- *2.q.7.c. accusatio.* sulere voluistis, non nisi ab idoneis & probatissimis viris, qui & suspicionibus & sceleribus careant, fieri debet: quia Dominus sacri sui corporis tractatores à vilibus & reprobis, ac non idoneis personis infamari noluit, nec calumniari: sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes à templo eiecit. Vnde liquet quod summi sacerdotes, id est, episcopi, à Deo sunt iudicandi, non ab humanis aut prauæ vitæ hominibus lacerandi, sed potius ab hominibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante, quan- *Matth 2* do per seipsum, & non per alium vendentes & ementes eiecit de templo sacerdotes. Nullus enim, vt reor, inter nos inuenitur, qui velit seruum suum ab alio, quàm à se, iudicari. Quod si præsumptum fuerit, aut multa indignatione ipse irascitur, aut potius vindictam quærit super eum. Vnde & Dominus ait per prophetam. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi *Zacha 2.* mei. *Et paulò post.* Si detractores quorumcunq,

grauiter iudicantur, & in perditionis laqueum cadunt, multò magis laceratores & detractores atque accusatores famulorum Dei damnantur, & in barathrum nisi se correxerint, & per eorum satisfactionem condignam egerint pœnitentiã, indubitanter vadunt, & vindicibus flammis exuruntur. Hæc & alia periculosa considerantes Apostoli statuerunt ne facilè commouerentur, aut lacerarentur, vel accusarentur columnæ sanctæ Dei Ecclesiæ, quę Apostoli & successores eorum non immeritò dicuntur. Sed si quis aduersus eos vel ecclesias eorum commotus fuerit, aut causas habuerit, prius ad eos recurrat charitatis studio, aut familiari colloquio, ea sanent commoti quæ sananda sunt, & charitatiuè emendent, quæ iustè emendenda cognouerint. Si autem aliqui eos prius quàm hoc egerint lacerare, accusare, aut infestare præsumpserint, excommunicentur, & minimè absoluantur, antequàm per satisfactionem (vt iam dictum est) condignam egerint pœnitentiam, quoniam iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius legatione funguntur. *Item.* Electionem quoque (vt supra memoratum est) summorum sacerdotum sibi Dominus reseruauit: licet electionem eorum bonis sacerdotibus & spiritualibus populis concessisset.

Quòd accusatores & testes esse non possunt, qui ante hesternum diem, aut nudiustertius inimici fuerunt. Idem in tertio decretali suo.

¶ CAP. 239.

3 q. 5. c. accusatores. Accusatores & testes esse non possunt, qui ante hesternum diem aut nudiustertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, vel læsi se vlcisci velint. Inoffensus ergo accusatorum & testium affectus quærendus est, & non suspectus. *Et paulò inferius.* Deteriores quippe sunt qui præpositorum vitam moresque corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque corrumpunt. Sententia quippe Châm filij Noë damnantur, qui suorum præpositorum culpam produnt, ceu Cham qui verenda patris non operuit, sed deridenda monstrauit. Pastor Ecclesiæ si à fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus, sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quàm distringendus: quia rectores ecclesiæ à Deo iudicandi sunt, sicut ait propheta: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat. *Item.* Tam sacerdotes, quàm reliqui fideles omnes summam debent habere curam, de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles * sunt, ab Ecclesia separentur.

Gene. 9. — Psalm. 81. — * apparuerint

Quòd à plebe vel à vulgaribus hominibus non sit arguendus vel accusandus Episcopus. Euaristus Papa Episcopis Africæ.

Epist. 2.

¶ CAP. 240.

2. q. 7. c. non est à plebe. Non est itaque à plebe aut à vulgaribus hominibus arguendus, vel accusandus Episcopus, licet sit inordinatus: quia pro meritis subditorum disponitur vita rectorum. Vnde si qui sunt vituperatores aut accusatores episcoporum, vel reliquorum sacerdotum, non oportet eos à iudicibus ecclesiæ audiri, antequàm eorum discutiatur æstimationis suspicio, vel opinio, qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita, qua conscientia, quóue merito, si pro Deo, aut pro vana gloria, aut inimicitia vel odio, vel cupiditate ista pręsumpserint. *Et paulò post.* Deus omnipotens vt nos à præcipitante sententiæ prolatione compesceret, cùm omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomorum noluit audita iudicare, priusquam manifestè agnosceret, quæ dicebantur. Vnde ipse ait: Descendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Deus omnipotens cui nihil absconditum est, sed omnia ei manifesta sunt, etiam antequàm fiant, non ob aliud hæc & alia multa quæ hic prolixitatem vitantes non inseruimus, per se inquirere dignatus est, nisi vt nobis exemplum daret, nec præcipites in discutiendis & iudicandis negotiis essemus.

2. q. 7. c. Deus omnipotens. — Genes. 18.

De extorta confessione. Alexander Papa quintus à Petro in primo decretali suo omnibus episcopis misso. ¶ CAP. 241.

Si sacerdotibus vel actoribus Ecclesiæ quædam scripturæ quoquomodo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, * vel vt se liberare possent quocunque ab eis conscriptæ vel laboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præiudicium vel nocumentum valere censemus, neque vllam eis infamiam aut calumniam, aut à suis sequestrationem bonis vnquam authore Deo, & sanctis Apostolis eorúmque successoribus sustinere permittimus. Cõfessio enim in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet: omnis enim confessio quæ fit ex necessitate, fides non est. Confessio ergo in talibus non extorqueri, sed debet sponte * proferri: pessimum est enim de suspicione aut extorta confessione quenquam iudicare, cùm magis inspector cordis sit Dominus quàm operis. Non potest autem humano condemnari examine, quem dominus suo reseruauit iudicio. Si omnia namque in hoc sæculo vindicata essent, locum diuina iudicia non haberent. *Et paulò pòst.* Peius malum non esse existimo, quam Christianos suis inuidere sacerdotibus.

* velut — Paulò pòst. — * profiteri — Paulò pòst.

Quo ordine adeundi sint primates vel alij iudices. Idem. ¶ CAP. 242.

Si quis erga episcopum vel actores Ecclesiæ quamlibet querelam iustam habere crediderit, non priùs primates aut alios adeat iudices, quàm ipsos à quibus se læsum existimat conueniat familiariter, non semel, sed sæpissimè, vt ab eis aut iustitiam suam accipiat, aut excusationem. Si autem secus egerit, ab ipsis & ab aliis communione priuetur, tanquam apostolorum patrúmque aliorum contemptor.

Quòd nec oues pastorem suum reprehendere, nec plebs episcopum accusare, nec vulgus eum debeat arguere. Pius papa ix. à Petro omnibus Ecclesiis. ¶ CAP. 243.

Oues pastorem suũ non reprehendant, plebs episcopum nõ accuset, nec vulgus eum arguat, quia non est discipulus super magistrum. Episcopi à Deo sunt iudicandi, qui eos sibi oculos elegit. Nam à subditis aut à prauæ vitæ hominibus nõ sunt arguendi, aut accusandi, aut lacerandi. *Et in sequentibus.* Nemo bonum faciens alteri verbo aut facto nocere vult. Quantò minus in suspicionem debet venire fidelis homo, vt dicat aut faciat ea quæ pati non vult? Quia omnis suspicio est potius repellenda, quàm approbanda vel recipienda. *Item idem in ij. decretali suo.* Sicut qui ecclesiam Dei vastat, eiúsque prędia & donaria expoliat & inuadit, fit sacrile-

6. q. 1. c. oues pastorem. — Matth. 10. — 17 q. 4. cap. sicut qui ecclesiam.

gus: sic & ille qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegij reus existit, & sacrilegus iudicatur. Et sicut peccatũ quod in Deũ cõmittitur grauius est quàm quòd in hominẽ, sic grauius est sacrilegiũ agere, quàm fornicari. Si quis sacerdotum vel reliquorum clericorum suo episcopo inobediẽs fuerit, aut ei insidias parauerit, aut contumeliam aut calumniam, & conuinci potuerit, mox curiæ tradatur, & recipiat quod iniquè gessit.

Paulò pòst. 11.q.1.c si quis sacerd.

De incertis iudiciis vitandis, & quod nec vera sint credenda, nisi certis indicijs probata, & iudiciario ordine publicata. Victor papa fratribus Alexandriæ positis. ¶ Cap. 244.

Ep.1.c.2.

Audiuimus apud vos vestrósque diuersa iudicia fieri, & incerta indicari. Incerta, charissimi, nullatenus iudicemus, quoadusque veniat dominus qui latentia producet in lucem & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quia quamuis vera sint, non tamen credẽda sunt, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur. *Item.* Placuit, vt accusatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopus licenter appellet, & adeat Apostolicæ sedis pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos eius retractari negotium procuret, & dum iterato iudicio pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur episcopus, quoniam quanquam comprouincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen diffinire inconsulto Romano pontifice permissum est. Et alibi in statutis legitur Apostolicis: Si quis putauerit se à proprio metropolitano grauari, apud Patriarcham vel primatem diœceseos, aut penes vniuersalis apostolicæ ecclesię iudicetur sedem. Nihil aliud est, fratres, talis præsumptio, nisi Apostolorum suorúmque * decessorum terminos transgredi, eorúmque decreta violari.

1.Corint 4. — *Paulò pòst. Hæc habetur suprà. c.4.* — *Epist 1. Clementis.* — * successorum

Quomodo iudicandus sit Episcopus, & quot testibus conuincendus. Zephyrinus xiiij. à Petro, in primo decretali suo, omnibus episcopis per Siciliam. ¶ Cap. 245.

Patriarchæ vel primates accusatum discutiẽtes episcopum, non ante sententiam proferant finitiuam, quàm Apostolica fulti authoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes & regulariter examinatos conuincatur testes. Qui minori non sint numero, quàm illi discipuli fuerunt, quos Dominus in adiumentum apostolorum eligere præcepit, id est lxxij. Detractores quoque qui diuina authoritate eradicandi sunt, & * authores inimicorum, ab episcopali submouemus accusatione, vel testimonio. Nec summorum quispiam minorum accusationibus impetatur, aut dispereat, neque in re dubia certa iudicetur sententia, nec vllum iudicium nisi ordinabiliter habitum teneatur. Absens verò nemo iudicetur, quia & diuinæ & humanę hoc prohibẽt leges. Accusatores autẽ eorũ omni careant suspicione, quia colũnas suas Dominus firmiter stare voluit, nõ à quibuslibet agitari. Nullum namque eorũ sententia à suo iudice nõdicta constringat, quia & leges sęculi idipsum fieri pręcipiunt. Duodecim enim iudices quilibet Episcopus accusatus si necesse fuerit eligat, à quibus eius causa iustè iudicetur. Nec priùs audiatur, aut excõmunicetur, vel iudicetur, quàm ipsi per se eligãtur, & regulariter vocato ad suorum primo conuentum episcoporum, per eos eius causa iustè audiatur, & rationabiliter discernatur. Finis verò eius causæ ad sedem apostolicam deferatur, vt ibidem determinetur.

2.q.1.c. primates accusatu. — * *al.* actores — *3 q.4.c detractores.* — *3.q.9.c. absens.verò.* — *5.q.4.c. duodecim.*

Quòd spoliati Episcopi respondere non debeant, nisi res ablatæ priùs eis restituantur. Idem in secundo decretali suo fratribus per Ægyptum. ¶ Cap. 246.

Nunciatum est sedi Apostolicæ per Apocrisiarios vestros, quosdam fratrum nostrorũ episcoporum videlicet, ab Ecclesiis & sedibus propriis pelli, suáque eis auferri supellectilia, & sic nudos & expoliatos ad iudicia vocari. Quod omni ratione caret: quum cõstituta apostolorum eorũmque successorum, & præcepta Imperatorũ, ac constitutiones legum idipsum prohibeant, ac apostolicæ sedis authoritas idipsum fieri vetet. Præceptum est ergo in antiquis statutis, episcopos eiectos, atq; suis rebus expoliatos Ecclesias proprias recipere, & primò sua omnia eis reddi, & tum demum si quis eos iustè accusare voluerit, æquo periculo facere, iudices esse decernentes, Episcopos recta * facientes, & in ecclesia conuenientes, vbi testes essent singulorum, qui oppressi videbantur, nec priùs eos respondere debere, quàm omnia sua eis & ecclesiis eorum legibus integerrimè restituantur.

* sapiẽtes

Iniustè condemnatos oportere restitui. Sixtus papa xxij. à Petro in secundo decretali suo fratribus per Hispaniam. ¶ Cap. 247.

Sixtus 2. epist 2.

Fratres quos timore terreno iniustè damnastis, scitote à nobis iustè esse restitutos. Quibus ex authoritate sancti Petri, Apostolica authoritate omnia quę eis ablata sunt, integerrimè reddi præcipimus, si non vultis & vos, & principes vestri, à collegio nostro & membris ecclesiæ separari. Iusto enim iudicio Dei plærunq; peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequuntur, conceditur, vt qui Spiritu Dei iuuantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores. Illi tamen qui hoc agunt nullatenus euadunt pœnam: quia vt ait Dominus: Væ illi per quem scandalum venit. *Item.* Incerta non iudicemus quoadusque veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et quamuis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ certis indiciis cõprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur. Nullus ergo humano potest condemnari examine, quẽ Deus suo iudicio reseruauit. Hæc omnia summopere sunt præcauenda, ne præsumptores esse videamur. Et accusatio episcoporum non est facilè recipienda, dicente Domino. Non suscipias vocẽ mendacij: & Apostolus inquit, Aduersus presbyterum inscriptionem non esse recipiendam, absque duobus vel tribus idoneis testibus. Si hæc de presbyteris vel cæteris fidelibus sunt præcauenda, quantò magis de episcopis.

2.q.3.c fratres quos. — *Matth 18.* — *Paulo post. 1. Cor. 4.* — *Exod. 23.* — *1. Timo.5.*

Quòd Episcopus accusantium propositionibus non respondeat, nec ad concilium veniat, nisi res ablatæ priùs restituantur, & quales esse debeant accusatores. Fœlix Episcopus, Episcopis Galliæ in secundo decretali suo.

¶ Cap. 248.

Si suis fuerit Episcopus aut Ecclesiæ rebus sibi commissæ expoliatus, aut (quod absit) quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus, à sede propria eiectus, aut in detentione aliqua

3.q.2. c si Episcopus suis fuerit.

à suis ouibus fuerit sequestratus, tunc canonicè antè in pristino statu restituatur, cum omni priuilegio sui honoris, & sua omnia quæ insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerunt, legibus redintegrentur, nec conuocari nec iudicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate minimè tamen iudicandus, aduenire sponte elegerit. Nullatenus ergo à quoquam cogatur antequam integerrimè omnia, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati eius ab honorabili concilio legali ordine redintegrentur: Præsul verò cum omni honore statui pristino reddatur, & ipse dispositis ordinatisque liberè ac securè diu suis rebus, tūc regulariter infra quatuor aut quinq;, aut septem menses iuxta quod possibilitas ei fuerit, & non antè conuocatus, ad tempus, in concilio legitimo, & canonico, veniat ad causam, & si ita iustè videtur, accusantium propositionibus respondeat. *Item.* Quòd si ex vtraque parte ad causam dicendam conuenerint (quia vnus absque altero audiri non debet) quærendum est in iudicio cuius sint conuersationis & fidei, atque suspicionis accusatores, aut qua intentione hoc faciant, quia ad hoc admitti non debent, nisi bonæ conuersationis, & rectæ fidei viri, hi videlicet qui omni suspicione careant, & bonæ vitæ æstimatione clareant, neque infames existant. Quòd si accusatorum personæ in iudicio episcoporum calpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere, non tamen criminales vel Ecclesiasticas voluerint. Infamis enim persona, nec procurator potest esse, nec cognitor. Absente verò aduersario non audiatur accusator, nec sententia absente parte alia à iudice dicta, vllam obtinebit firmitatem, neque absens per alium accusare vel accusari poterit, nec affinis testis admittatur. Neminem ergo exhiberi de prouincia ad prouinciam, vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem iudicis, ad quem fuerit appellatum, id est vt actor semper rei forum sequatur. Si quis autem iudicem aduersum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli oportet negari. Peregrina verò iudicia generali actione prohibemus: quia indignum est, vt ab externis iudicetur, qui comprouinciales, & à se electos debet habere iudices.

3.q.10.c.si accusatorum *3.q.7.c.infamis perso na.* *3.q.9.c.absente aduersario.* *3.q.9.c.absens per aliū* *2.q.6.c.si quis iudicē.* *3.q.6.c.peregrina.*

Quòd Episcopi ad concilium vocati non debeant venire, nisi tanto tempore super sederint, quanto tempore vel Ecclesiis vel rebus suis spoliati sunt. Eusebius Papa in secundo decretali suo, fratribus per Alexandriam & Ægyptum.

¶ CAP. 249.

2.q.2.c.in scripturis. In scripturis vestris reperimus quosdam episcopos vestris in partibus à propriis ouibus accusatos, aliquos videlicet ex suscipione, & aliquos ex certa ratione: & idcirco quosdam suis esse rebus expoliatos, quosdam verò à propria sede pulsos: quos sciatis nec ad synodum comprouincialem, nec ad generalem posse conuocari, nec in aliquo iudicari, antequam cuncta quæ eis sublata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur. Priùs ergo oportet omnia illis legibus redintegrari, & Ecclesias quæ sibi sublatæ sunt, cum omni priuilegio suo restitui, & postmodum non sub angusti temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum exspoliati vel pulsi esse videntur, antequam ad synodum conuocentur, & ab omnibus quisque suæ prouinciæ Episcopis audiatur. Nam nec conuocari ad causam, nec iudicari potest expoliatus, vel expulsus, quia non est priuilegium quo expoliari possit iam nudatus, vnde & antiquitus decretum est, omnes possessiones, & omnia sibi sublata, atque fructus cunctos ante litem contestatam perceptor vel Primas possessori restituat. *Item.* Est in antiquis Ecclesiæ statutis decretum, vt qui aliena inuadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Vnde & in Euangelio scriptum est: Quod si aliquid defraudaui, reddo quadruplum. Et in legibus sæcularibus cautum habetur: Qui rem subripit alienam, illi cuius res direpta est, in vndecuplum quæ sublata sunt restituat.

5.q.2.c.prius ergo. *12.q.2.c.in antiquis.* *Luc. 19.*

Episcopos ab ouibus suis non reprehendendos, nisi in fide errauerint. Ex epist. Anacleti papæ scripta omnibus sacerdotibus Christi, ca. 1. *Epist. 3.*

¶ CAP. 250.

Doctor autem vel pastor Ecclesiæ si à fide exorbitauerit erit à fidelibus corrigendus: sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quàm distringendus, quia rectores ecclesiarum à Domino sunt iudicandi, sicut ait Propheta: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat. Vnde oportet vnumquenque fidelem, si viderit aut cognouerit plebes suas aduersus pastorem suum tumescere, aut * cleri detractionibus vacare, hoc vitium pro viribus extirpare, prudenterque corrigere satagat; nec eis in quibuscunque negotiis misceri, si incorrigibiles apparuerint, antequam suo reconcilientur doctori, præsumat: quoniam tam sacerdotes quàm reliqui fideles omnes, summam debent habere curam, de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur.

Psalm. 81. * clerum. *al.* contra clerum

De eadem re. Ex decretis Clementis Papæ. *Epist. 1.*

¶ CAP. 251.

Ipsi autem Episcopi si exorbitauerint, ab istis non sūt reprehendendi vel arguendi, sed portandi, nisi in fide errauerint. Hi ergo super hos sunt, non illi super istos, quoniam maior à minore non argui nec iudicari potest. Nullus se extollat erga doctores ac magistros suos, quia discipulus super magistrum esse non potest, nec debet. Nullus velit dici sanctus antequam, sit sed priùs sit vt veriùs dicatur. Præcepta Domini doctorúmque ac magistrorum facta quotidiè adimplere, & in Christi nomine pro inimicis orare oportet.

Matth. 10.

De eadem re. Ex epistola Eusebij Papæ, cap. xx. *Anacletus ep. 3. c. 5.*

¶ CAP. 252.

Necesse enim est vt rectores à subditis timeātur, & ab ipsis corrigantur, vt humana formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant. Deteriores quippe sunt qui doctorum vitam moresque corrumpunt, his qui substantias aliorum, prædiáque diripiunt. Ipsi quidem ea quæ extra nos, licet nostra sint, auferunt: nostri verò detractores, & morum nostrorum corruptores, siue qui aduersum nos armantur, propriè nos ipsos decipiunt, & ideo iustè infames sunt, & meritò ab Ecclesia extorres fiunt.

6.q.1.c. deteriores.

Quòd infames sunt qui prælatorum vitam corripiunt, & conuersationi detrahunt. Ex decretis Caij papæ, cap. vij. ¶ CAP. 253. *Euseb. epist. 2. ad episco. Alexandriæ.*

Oues verò quæ pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbi-

tauerit, debent, nec vllatenus accusare possunt, quia facta pastorum oris gladio ferienda non sunt, quanquam rectè reprehendenda videantur.

De non reprehendendis Episcopis. Ex decretis Euaristi Papæ omnibus per Ægyptum fratribus missis, cap. xviij. ¶ Cap. 254.

3. q. 2. c. audiuimus. Audiuimus enim quosdam à vobis infamatos & dilaceratos episcopos & à ciuitatibus propriis pulsos, (* quia alibi episcopi constitui non possunt, nisi in ciuitatibus non minimis)& alios in eis ipsis viuentibus constitutos. Ideo hæc vobis scribimus, vt sciatis hæc fieri non licere, sed proprios reuocari, & integerrimè restitui debere. Illos verò qui adulterina fœditate suas sponsas (quas & vxores eorum præfixo tenore esse intelligimus) tenent, eijci vt adulteros, atque infames fieri, eósque ab ecclesiasticis honoribus arceri iubemus. Si autem aduersus eos aliquam querelam habueritis, his peractis inquirendum erit, & authoritate huius sanctæ sedis terminandum.

* qui

De infamatis & dilaceratis Episcopis, & à ciuitatibus proprijs expulsis sine Romana authoritate. Ex decretis Stephani Papæ omnibus Episcopis, cap. vj. ¶ Cap. 255.

Ep. 2. c. 1.

Nullus enim episcoporum dum suis fuerit rebus expoliatus, aut à sede propria pro qualibet occasione pulsus, debet accusari, aut à quoquã ei potest crimen obijci, priusquam integerrimè restauretur, & omnia quæ ei ablata quocunque sunt ingenio, legibus redintegrentur, & ipse sedi propriæ & pristino statui regulariter reddatur, ita vt omnes possessiones, & cuncta sibi prædia iniustè sublata, atque fructus omnes ante conceptam accusationem primates, & synodus episcopo de quo agitur, funditus restituant: quia hoc non solùm Ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges fieri prohibent. Neque aliquis eorum aut ecclesiarum * actor vel defensor ad aliquos priùs accusari debet, quàm ipse charitatiuè bis aut ter ab eis, qui se læsos æstimant, vel eos pro aliquibus erratibus corripere cupiunt, conueniatur: vt ab eis aut familiarem emendationem, aut iustam percipiat excusationem. Quod qui præsumpserit, liminibus arceatur Ecclesiæ, vsque ad condignam satisfactionem.

* autor

Vt Episcopus non diiudicetur qui suis rebus est spoliatus. Ex decretis Fœlicis papæ episcopis per Ægyptum missis, cap. x.

¶ Cap. 256.

2. q. 2. c. nullus episcop. Nullus enim episcopus qui suis est rebus expoliatus, aut à sede propria vi aut terrore pulsus, antequàm omnia sibi ablata legibus restituantur, & ipse pacificè annum vel plus suis fruatur honoribus, sedique propriæ sit regulariter restitutus, iuxta canonicam institutionem accusari, vocari, iudicari, aut damnari potest.

Vt Episcopi criminati libere apostolicam sedem appellent, & quòd non possunt sine Romano pontifice vel eius vicario iudicari. Ex decretis Iulij Papæ orientalibus episcopis missis, c. xviij.

Sixtus 2. id habet ep. 1.

¶ Cap. 257.

2. q. 6. c. oẽs episcopi. Vt omnes Episcopi qui in quibusdam grauioribus pulsantur vel criminantur causis, quotiens necesse fuerit, liberè apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, vt ab ea (sicut semper fuit) piè fulciantur, defendantur, & liberentur. Cuius dispositioni omnes maiores & ecclesiasticas causas, & episcoporum iudicia, antiqua apostolorum eorumque successorum atque canonum authoritas reseruauit: quoniam culpantur episcopi qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem sedis papæ fieri placuerit. Placuit vt accusatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa episcopus, licenter appellet & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se aut per vicarios suos, eius negotium retractari procuret. Et dũ iterato iudicio Pontifex suam causam agit, nullus alius in eius loco subrogetur, ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam quanquam comprouincialibus Episcopis, accusati causam pontificis liceat scrutari, non tamen diffiniri inconsulto Romano Pontifice permissum est, cum beato Petro Apostolo, non ab alio aliquo quàm ab ipso dictum sit Domino: Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Si quis putauerit se à proprio metropolitano grauari, apud primatem diœceseos aut penes Apostolicæ vniuersalis Ecclesiæ * papam iudicetur. Accusationes quas leges sæculi non asciscunt, & nos vnanimiter submouemus, ne fiat indistricta probatione impietas, quum recta sit iudicij in lectione sententia. Si quis erga episcopum vel * actores Ecclesiæ se proprium habere crediderit negotium, non priùs adeat iudices, quàm ad eos recurrat charitatis studio, vt familiari colloquio moniti ea sanare debeant, quæ in querimoniam deducuntur. Quod si aliter egerit communione priuetur. Nemo Pontificum deinceps aliquem episcopum suis expoliatum rebus, aut à sede pulsum excommunicare præsumat, quia non est priuilegium quo spoliari possit iam nudatus. Pari tenore decernimus, non credi accusatori, qui absente aduersario causam suggerit, ante vtriusque partis discussionem, nec accusatores vel testes suscipi, qui non sunt idonei. Placuit, si accusatus vel damnatus episcopus appellauerit Romanum Pontificem, id statuendum, quod ipse iustè censuerit. Et omnes qui aduersus patres armantur infames esse censemus, neque eos qui cum inimicis morantur ad accusationem vel testimonium recipiendos. Placuit, vt semper in accusationem clericorum primò persona, fides, vita, & conuersatio blasphemantium perscrutetur. Nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis est, nec eis omnino est credendum qui veritatis fidem ignorant, nec rectę conuersationis vitam ducunt: quoniam tales facilè & indifferenter lacerant & criminantur rectè & piè viuentes. Ideo suspicio eorum discutienda est primò & corrigenda, neque accusationibus suspectis, vel de inimicorum domibus prodeuntibus credendum.

Matt. 16.

2. q. 6. c. si quis putau.

* sedem

* authores

Quòd causa pulsati Episcopi per Episcopos iudices iudicanda sit. Ex concilio Spalensi, ca. viij. Hispal. 1.

¶ Cap. 258.

Si quis Episcopus à quoquam impetitur, vel ille aliquam quæstionem retulerit, per episcopos iudices causa * iudicetur, siue quos eis primates dederint, siue quos ipsi vicinos ex consensu elegerint.

* finiatur

Quòd Episcopos iudices non liceat quenquam prouocare. Item ex eodem concilio, cap. ix.

¶ CAP. 259.

Iudices autem episcopos, quos communi consensu elegerint, non liceat quenquam prouocare. Et quisquis probatus fuerit, pro contumacia nolle obtemperare iudicibus, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det literas vt nullus ei communicet episcoporum donec obtemperet.

Vt Episcopi comprouinciales peregrina iudicia non patiantur. Ex decretis Fabiani papæ Hilario episcopo missis, cap. xxvi.

¶ CAP. 260.

Epist. 3. c. 2. 3. q. 6. c. peregrina iudicia. Peregrina verò iudicia salua in omnibus apostolica authoritate generali sanctione prohibemus, quia indignum est, vt ab exteris iudicetur qui prouinciales, & à se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatum. Vnde oportet si aliquis episcoporum super certis accusetur criminibus, vt ab omnibus audiatur qui sunt in prouincia, episcopis, quia non oportet accusatum, alibi quàm in suo foro audiri.

Vt Episcopus criminatus si iudicem suspectum habuerit, liberè sedem apostolicam appellet. Ex decretis eiusdem, ad eundem episcopum.

¶ CAP. 261.

2. q. 6. c. liceat & c. si quis. Si quis verò episcopus iudicem suspectum habuerit, & viderit se grauari, liberè sedem appellet apostolicam: appellãtem autem non habeat afflictio vlla, aut * detentionis iniuriosæ custodia, sed liceat appellatori vitiatam causam, appellationis remedio subleuare; liceat etiam in causis criminalibus appellare, nec appellandi vox denegetur ei quem in supplicium sententia destinarit. ** deceptionis*

Carth. 2. sub Siricio. c. 10. *A quot episcopis Episcopus vel presbyter vel diaconus sint audiendi. Ex concilio Carthaginensi, cap. xij.*

¶ CAP. 262.

3 qu. 8 ca. suggero & 15 q. 7 c. Felix episc. Fœlix episcopus dixit: Suggero secundùm statuta veterum conciliorum, vt si quis episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare, ne in crimine maneat, à duodecim episcopis, & presbyter à septem episcopis, cum proprio suo episcopo audiatur, & diaconus à tribus.

Ant 1. sub Iulio 1. *De Episcopo, si comprouinciales in eius examinatione dissenserint. Ex concilio Antiocheno, ca. xiv.*

¶ CAP. 263.

Si quis episcopus de certis criminibus diiudicatur, & contingat de eo comprouinciales episcopos dissidere, cùm iudicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis æstimatur: propter huius ambiguitatis absolutionem, sanctæ synodo placuit vt metropolitanus episcopus, à vicina prouincia iudices alios conuocet qui controuersiam tollant, & vt per eos simul & comprouinciales episcopos quod iustum visum fuerit, approbetur.

*Vt Episcopis, vel alicui in ordinibus posito, nullus laicus crimen * imponere audeat. Ex decretis Syluestri papæ ca. i.*

¶ CAP. 264. ** intendere.*

In epilogo con. Rom. 2 sub Syluestro. In consensu & subscriptione omnium constitutum est, vt nullus laicus episcopo vel alicui in ordinibus posito, crimen aliquod possit inferre. Et vt presbyter non aduersus episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconum, non acolytus aduersus subdiaconum, non exorcista aduersus acolythum, nec lector aduersus exorcistam, nec ostiarius aduersus lectorem det accusationem aliquam. Et non damnetur præsul nisi in septuaginta duobus idoneis testibus. *2 q. 7. c. nullus laicus.*

Quòd Episcopi accusatorum episcoporum iudices esse debeant. Ex decretis Damasi papæ, cap. iij.

¶ CAP. 265.

Accusatorum episcoporum iudices esse decernimus episcopos sapientes iustè & rectè viuentes.

De legitima vocatione Episcopi accusati. Ex epistola eiusdem ad Stephanum & ad concilium Africæ. ¶ CAP. 266. *Ep. 4. c. 4.*

Vocatio ad synodum iuxta decreta patrum canonica, eius qui impetitur, rationabilibus scriptis per spatium fieri debet congruum, atque canonicum: quia nisi canonicè vocatus fuerit & suo tempore & canonica ordinatione, licet ad conuentum quacunque necessitate venerit, nisi spontè voluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus, quoniam nec sæculi leges hoc permittunt fieri, quantò magis diuinæ? *5 q. 2 c. vocatio ad Synodum.*

Vt primates de accusato Episcopo, non ante sententiam proferant damnationis, quàm aut reum se ipse confiteatur, aut canonicè per innocentes testes conuincatur. Ex epistola Fœlicis papæ Paterno episcopo missa, cap. iv. *Fœlix 1. Epist. 1.*

¶ CAP. 267.

Primates quoque accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant damnationis, quàm apostolica freti authoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes & canonicè examinatos testes regulariter conuincatur: aliter censemus irritam esse, & iniustam episcoporum damnationem, & idcirco à synodo retractandam, ita vt oppressis ab omnibus in cunctis subueniatur causis. *2. q. 1. c. primates.*

Qualiter Primas, & vbi sit faciendus. Ex registro Gregorij ad Gennadium Patricium & exarchum Africæ. ¶ CAPVT 268. *L. 1. ep. 72.*

Concilium verò catholicorum episcoporum admoneri præcipitur, vt primatem non ex ordine loci postpositis vitæ meritis faciat, quoniam apud dominum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. Ipse verò primas non passim sicut moris est, per villas, sed in vna, iuxta eorum electionem, ciuitate resideat.

Vt Episcopi singularum gentium sciant quis inter eos sit primus. Ex epistola Anacleti papæ omnibus episcopis. *Ep. 3. c.*

¶ CAP. 269.

Beati etiam Apostoli inter se statuerunt, vt episcopi singularum scirent gentium quis eos primus esset, quatenus ad eum potior eorum sollicitudo pertineret. Nam inter beatos apostolos quædam fuit discretio. Et licet omnes essent apostoli, Petro tamen à domino concessus est primatus. Et ipsi inter se voluerunt, vt reliquis omnibus præesset apostolis Cephas, id est, vt Petrus principatum teneret apostolatus, quia & eandem formam suis successoribus & reliquis episcopis tenendam tradiderunt. Et non solùm hoc in nouo testamento constitutũ, *Dist. 22. c. sacrosancta.*

sed etiam in veteri testamento fuit. Vnde scri-
Psal.98. ptum est. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, id est, primi inter eos fuerunt. Et quamuis ita sit ordinatum, nemo tamen quod suum est quærat, sed quod alterius, vnde ait beatus Paulus Apostolus: Vnusquisque placeat proxi-
Rom 15. Matt.20. Mar.10. mo suo in bonum, ad ædificationem. Et sicut ipse saluator suis ait apostolis: Qui maior est vestrum, erit minister vester: & reliqua.

Conc. Carth. 3. c 7. *Vt Episcopus accusatus communione non priuetur, nisi statuta die venire noluerit. Ex concilio Carthaginensi cap. vij.*

¶ CAP. 270.

4.q.5.c. quisquis primates. Aurelius episcopus dixit: Quisquis episcoporum accusatur, ad primatem prouinciæ ipsius causam deferat accusator, nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam, electorum iudicio, die statuta, literis euocatus, minimè occurrerit, hoc est, infra spatium mensis ex ea die, qua eum literas accepisse constiterit. Quòd si aliquas *veræ necessitatis causas probauerit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, causæ suæ dicendæ intra alterum mensem, integram habeat facultatem. Verùm post mensem secundum *non communicet, donec *examinetur. Si autem ad concilium vniuersale infra anni spatium occurrere noluerit, vt vel ibi causa eius terminetur, ipse in se damnationis sententiam dixisse iudicetur. Tempore sanè quo non communicat, nec in sua ecclesia vel parœcia communicet: accusator autem eius si nunquam diebus causæ dicendæ defuerit, à communione non remoueatur: si verò aliquādo defuerit subtrahens se, restituto in communione episcopo, ipse remoueatur à communione accusator: ita tamen, vt nec ipsi adimatur facultas causæ peragendæ, si se ad diem constitutum occurrere non voluisse, sed non potuisse probauerit. Illud verò placuit, vt cùm agere cœperit in episcoporum iudicio, si fuerit accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tamen ecclesiasticas, asserere voluerit.

*veras
* tandiu
* purgetur.

De Maximo episcopo variis criminibus infamato, & ad synodum sæpius vocato, qui venire & se excusare neglexerat. Ex ij. epist. Bonifacij Papæ, ad episcopos Galliæ.

¶ CAP. 271.

Bonifacius episcopus, Patroclo, Remigio, Maximo, Hilario, Seuero, Valerio, Iuliano, Castorio, Leontio, Constantino, Ioanni, Montano, Marino, * & cæteris episcopis per Gallias, & per septem prouincias constitutis. Valentinæ nos clerici ciuitatis adierunt, proponentes libellum & crimina, quæ Maximum, teste tota prouincia, asserunt commisisse. Delegata totiens cognitione illum constituta semper subterfugisse iudicia, nec confisum conscientia festinasse, vt si esset innocens examinatis omnibus purgaretur, quæ totiens decreta ex * vestrarum quoque chartarum instructione cognouimus. Qui è contrario probauit de se illa, quæ dicta sunt, *quia ad ea confutanda, cum essent innumera, à decessoribus meis prouincialis est delegata cognitio: Conuentus etiam dicitur euitasse, & adesse minimè voluisse. Et nullus dubitat, quòd ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum vt absoluatur, qui est innocens, quærit. Sed astuta cauillatio eorū, qui versutis agendū credunt esse consiliis, nunquam

* Mauritio.
*nostrarum
*cui

innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere iudicium dilationibus putat. Veniet tamen aliquando ille, qui talis perhibetur, in medium: nec * prodest * proderit
illi totiens latuisse, totiens subterfugisse, quem sui actus, & commissa, quocunque fugerit, ea quæ obijciuntur, illi, si vera sunt, crimina persequuntur. Debueram quidem iam dignam pro eius accusatis in nostro iudicio actibus, qui cognitionem & decretum iudicium sæpe declinando credidit illudendum, dare sententiam. Quam ne aliquis præcoquam forsitan iudicaret, & sibi (qui absens est, licet sit quæsitus) à nobis reseruatum esse nihil diceret, maluimus intercapedine temporis data, differri, quum hoc etiam eius accusatores assererent, de * cuius *quorum
intentionibus & moribus sit * decretum, Maxi- *securū
mum, tantò magis damnanda committere, quantò tardius se constituto iudicio præsentaret. Quem Manichæorum inuolutum caligine, arguunt turpi secta olim ita eum ne possit abluere, animum sordidasse: in probationem obiectæ rei gesta synodalia proferentes, & commissis inuolutum vndique flagitiis, nullum eum sanitatis habuisse respectum quem furore suo, & insana temeritate ad sæcularium quoque iudicum tribunalia subditum quæstioni, quod in vili persona turpissimum est, obiiciunt peruenisse, & homicidij damnatum asserunt, gestis prolatis in medium. Et hunc talem post tanta taliaque commissa, episcopatus adhuc sibi nomen in suis latibulis vēdicare, inpropriè ciuitatis infamiam, nimiis doloribus conqueruntur, & sanctum nomen, vendicando sibi, velle polluere. Ideoque, fratres charissimi, quia hic audiendus præsentare se noluit, ne conuictus forsitan ab accusantibus se clericis, possit digna tandem aliquando, præsentatus episcopali iudicio, pronunciationis congruæ feriri sententia (quanquam illi, cùm hæc docta fuerint, sciamus huius nominis esse iacturam, qui pudorem nunquam habuisse sacerdotij perhibetur, & locum suum ne modico quidem tempore custodisse) dilationem dedimus, & decreuimus, * vestrum debe- *vestrā
re intra prouinciam esse iudicium, & congregari synodum ante diem Calendarum Nouembrium, vt si adesse voluerit, præsens si confidit, ad obiecta respondeat: si adesse neglexerit, dilationem sententię de absentia non lucretur. Nam manifestum est eum confiteri de crimine, qui indulto & totiens delegato iudicio, purgandi se occasione non vtitur. Nihil enim interest, vtrū in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque * professione pro- *pro cōfess.
curata totiens constet absentia. Nos autem per omnes prouinciales literas dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, vt ad prouinciam venire cogatur, & illic se constituto præsentare iudicio. Quicquid autem vestra charitas de hac causa duxerit decernendum, cùm ad nos relatum fuerit, nostra (vt condecet) necesse est authoritate firmetur.

*De Episcopo criminato qui ad synodum vocatus, venire contempserit. De synodo apud * Altheim habita. cap. x.* *Alcheū

¶ CAP. 272.

Richuuinum episcopum, qui contra sanctorum canonum sanctiones Strazburgensem ecclesiam inuasit, quem ad sanctam synodum per literas nostras inuitauimus, & venire contemnens nec vicarium suum misit, authoritate sancti Petri ego Ioannes vicarius Apostolici, ex

præcepto sanctæ synodi iniungendo vocamus iterum, & præcipimus quatenus ad concilium, id est, Moguntiæ indictum à metropolitano suo episcopo ad præsentiam venerabilis Herigeri archiepiscopi & confratrum suorum veniat, suę inobedientiæ & peruersitatis ibidem iustam rationem redditurus. Sin autem negligenter, & hoc agere paruipenderit, abstineat se à proprio gradu, donec Romam veniens coram Domino papa, & sancta Ecclesia reddat rationem.

Qui sint Primates, *qui Metropolitani* Ex *cap. Nicæni concilij, quæ addita sunt à Fœlice papa.*

¶ Cap. 273.

Primates illi & non alij sunt, quàm qui in Nicæna synodo sunt constituti. Reliqui verò qui metropoles tenent sedes, Archiepiscopi vocantur, & non Primates, salua in omnibus Apostolicæ sedis dignitate, quæ ei ab ipso Domino est concessa, & postea à sanctis patribus roborata.

Quòd neganda sit accusatis criminandi licentia priusquam se crimine quo premuntur, exuerint Ex decretis Stephani papæ, omnibus episcopis missis cap. xi. Steph. 1. Ep. 2. c. 7.

¶ Cap. 274.

3. q. 11. c. neganda est. Quòd neganda est accusatis licentia criminandi, priusquam se crimine quo premuntur exuerint: quia non est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus implicati sunt, nisi se priùs probauerint innocentes, quoniam periculosa est, & admitti non debet rei aduersus quemcunque professio. Familiares verò & sponte confessi atque sceleribus irretiti non debent admitti: nec hi qui hesterna die, aut *perendie, aut antè fuerunt inimici.

*pridie

De criminationibus aduersus doctores non suscipiendis. Ex decretis Eusebij papæ cap. xvij.

¶ Cap. 275.

Et licet hæc possint generaliter dicta sufficere vt vel declinemus errata, vel custodiamus Catholica, ab Apostolis tamen eorúmque successoribus nouimus constitutum, criminationes aduersus doctores non debere suscipi, nec peregrina iudicia fieri, nec quenquam alterius iudicis quàm sui, sententia debere constringi.

De eadem re. Ex *concilio Spalensi, cap. iij.*

¶ Cap. 276.

Accusatores aduersus doctorem nemo suscipiat, quia non potest humano condemnari examine, quem Dominus suo iudicio reseruauit.

Vt nemo accuset Episcopum apud sæculares. Ex *epistola Fœlicis papæ ad Ægyptios missa, c. i.*

¶ Cap. 277.

Vt nemo episcopum penes seculares arbitros accuset, sed apud summos primates.

11. q. 1. c. nullus episcopus. *De eodem re. Ex epistola Bonifacij papæ ad episcopos Galliæ.* ¶ Cap. 278.

Nullus episcopus neque pro ciuili, neque pro criminali causa apud quemuis iudicem siue ciuilem siue militarem producatur, vel exhibeatur. Magistratus enim qui hoc iubere ausus fuerit, amissionis cinguli condemnatione plectetur.

Vt non accusetur episcopus à criminosis. Ex epistola Fœlicis papæ supradictis episcopis missa, cap. xviij. ¶ Cap. 279.

Quotiens episcopus super certis accusatur criminibus, si tales fuerint accusatores qui iustè & canonicè recipi debeant, synodo legitima in suo tempore congregata, ab omnibus canonicè audiatur qui sunt in prouincia episcopis. Quòd si legitimi non fuerint accusatores qui iustè & canonicè recipi debeant, non fatigetur episcopus, quia sacerdotes ad sacrificandum vacare debent, non ad litigandum, nec illi qui throni Dei vocantur, prauorum hominum insidiis turbari, Daniel. 7. sed liberè Christo domino famulari.

Vt nullus Episcopus extra suam prouinciam ad iudicium inuitetur. Ex decretis Iulij papæ, orientalibus episcopis missis, c. xviij. Iulius I. Ep. 3. c. 17.

¶ Cap. 280.

Nullus episcopus extra suam prouinciam ad iudicium deuocetur, sed vocato eo canonicè in loco omnibus congruo, tempore synodali ab omnibus comprouincialibus episcopis audiatur, qui concordem super eum canonicámque proferre debent sententiam. Quia si hoc minoribus tam de clericis quàm de laicis concessum est, quantò magis de episcopis seruari conuenit? Nam si ipse metropolitanum aut iudices suspectos habuerit, aut infestos senserit, apud primatem diœceseos, aut apud Romanæ sedis pontificem iudicetur.

Infra quot dies appellandus est. Excerpta de legibus Theodosianis, quas interpretatur Paulus, cap. xxxv. ¶ Capvt 281.

Propter superfluã appellatorum licentiã, ne in retractandis vel reuocandis sententiis liberum habere arbitrium viderentur, & tempora appellationis, & pœnæ constitutæ sunt, vt quicunque apud iudicem qui causam eius audiuit, appellauerit, & ad alium iudicem prouocare voluerit, * infra quinque dies appellet, & in his ipsis quinque diebus, ad iudicem ad quem prouocauerit, sine aliqua dissimulatione perueniat, & ipse dies quo accepit literas, in his quinque diebus specialiter computetur. Quòd si longiùs iter sit, exceptis his quinque, diebus, spatium dierum quo iter agi possit, computetur. 2. qu. 6. c. propter superfluam. *intra.

De accipiendis literis appellationis, cap. xxxvi.

¶ Cap. 282.

Ab eo autem à quo appellatum est ad eum qui de appellatione cogniturus est, literæ dimissoriæ dirigantur, quæ vulgò epistola appellatur, quarum postulatio & acceptatio intra quintum diem ex officio facienda est. Ista iam superius sub titulo de cautionibus & pœnis appellationum interpretata est; qui intra tempora præstituta dimissorias non postulauerint, vel acceperint, vel reddiderint, rescriptione ab agendo submouentur, & pœnam appellationis ferre cogantur. 2. q. 6. c. ab eo.

Quæ appellatio sit accipienda, quæ non, cap. xxxvij.

¶ Cap. 283.

Quicunque non confidentiâ iustæ causæ, sed causâ afferendæ moræ, ne contra eum sententia proferatur, appellauerit, vel si de facto suo confessus ne addicatur, appellare voluerit, huiusmodi appellationes non recipiuntur. 2. q. 6. c. quicunque.

Quid agendum sit de possessione appellantis. cap. xxxviij. ¶ CAP. 284.

2. q. 6. cap. quotiens. Quotiens post auditam causam iudicij possessor appellat, fructus possessionis de qua agitur, dum secundæ audientiæ euetus dubius est, meritò sequestrantur. Nam si petitor appellauerit, hoc ab eo non potest postulari, quia non potest sequestrari quod non habet. Si propter prædia vrbana, vel mancipia appellatur, pensiones eorum, vel mercedes * vecturarum etiam, si de naui agatur, deponi solent.

*vecturæ.

Vt iniustè appellans aduersario sumptus quos sibi expenderit, quadrupliciter restituat, cap. xxxix ¶ CAP. 285.

* probandum.

2 q 6. ca. omnimodo. Omnimodo * puniendum est, vt, quotiens iniusta appellatio pronunciatur, sumptus quos dum sequeretur aduersarius impendit, reddere cogatur non simplos, sed quadruplos.

Quòd ante inscriptionem nemo criminosus inueniatur, de libro nono earundem legum.

¶ CAP. 286.

Ante inscriptionem nemo efficiatur criminosus. Nam inscriptione per ordinem facta, tunc à iudice suscipiendus est reus, & custodiæ cum accusatore tradendus est: ea tamen ratione, vt tam accusati, quàm accusatoris dignitas æstimetur, & vnumquenque ante discussionem ita iudex faciat custodiri, vt eorum natalis aut dignitas patiuntur. Sanè hi qui crimina sua in quæstione confessi sunt, de aliis si dicere voluerint à iudice non credantur; quia iure & legibus constitutum est, vt spontanea professione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est.

Ep. 4. c. 8. *Quæ induciæ accusatis episcopis sint dandæ. Ex epist. decretali Damasi.* ¶ CAP. 287.

3. q. 3. c. induciæ accusatis. Induciæ accusatis in criminalibus episcopis sex mensium, vel eò amplius concedendæ sunt; quoniam & laicis hoc permissum nullus sæcularibus disciplinis imbutus ignorat, quantò magis sacerdotibus, qui superiores eis esse non dubitantur?

Epist. 2. *Quòd de se confesso in alieno crimine non sit credendum. Dionysius Seuero Coepiscopo.*

¶ CAP. 288.

15. q. 3. cap. nemini præterquam. Nemini de se confesso credi potest super crimen alienum, quoniam eius omnisque rei professio periculosa est, & admitti non debet. Similiter alieni erroris socium, vel à sui voluntariè propositi tramite recedentem, aut sacris patrum regulis & constitutionibus inobedientem, suscipere non possumus, nec debemus.

Ep. 2. c. 5. *De accusatoribus & testibus episcoporum qui sint recipiendi, qui non. Ex dec. Calixti papæ episcopis per Galliam constitutis, ca. xvii.* ¶ CAP. 289.

Omnes ergo qui in recta fide suspecti sunt, in accusatione sacerdotum, & eorum super quorum fide non hæsitatur, minimè recipiantur, & in testimonio dubij habeantur. Infirmari ergo oportet eorum vocem de quorum fide dubitatur, nec eis omnimodo esse credendum qui rectam fidem ignorant. Quærendum est ergo in indicio cuius sit conuersationis, ac fidei is qui accusat, & is qui accusatur, quoniam hi qui non sunt rectæ fidei, ac conuersationis, quorum vita est accusabilis, non permittuntur eos accusare, quorum fides, vita & libertas noscitur, neque viles personæ in eorum recipiantur accusationem. Rimandæ sunt accusatorum enucleatim personæ, quæ sine scripto difficile, per scriptum autem nunquam recipiantur: quia per scripturam nullus accusare, vel accusari potest, sed propria voce, & præsente eo quem accusare voluerit, suam quisque agat accusationem, nec absente eo quem accusare voluerit, quisquam accusator credatur. Similiter testes per quamcunque scripturam testimonium nō dicant, nec de aliis causis vel negociis testimonium dicant, nisi de his quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Accusatores verò consanguinei aduersus eos testimonium non dicant, nec eorum familiares, vel de domibus eorum prodeuntes, sed si voluerint & inuicem consenserint, inter se parentes tantum testificentur, & non in alios. Nec accusatores vel testes suspecti recipiantur, quia propinquitatis & familiaritatis ac dominationis affectio, veritatem impedire solet.

2. q. 7. ca. quærendum est. Et in Carthag. 4. c. 96.

3 q. 8. c. accusatorū.

3 q. 9. c. testes.

*De eadem re. Ex decretis Damasi papæ Stephano, & vniuersis episcopis Africæ missis, cap. * xvij.* ¶ CAP. 290. Ep. 4. c. 3. * 10.

2. q. 7. Testes absque vlla. Accusatores autem episcoporum, & testes super quibus rogitastis, absque vlla infamia, aut suspicione, vel manifesta macula, & vera fide pleniter instructi esse debent, & tales, quales ad sacerdotium eligere iubet diuina authoritas, quoniam Sacerdotes vt antiquorum tradit authoritas, criminari non possunt, nec in eos testificari, qui ad eundem non debent, nec possunt, prouehi honorem.

Quæ sint infames personæ. Ex epistola Stephani papæ ad Hilarium. ¶ CAP. 291. Steph 1. ep. 1. c. 1.

6 q. 1. c. infames. Infames autem eas esse dicimus personas, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id est, omnes qui Christianæ legis normam abiiciunt, & statuta ecclesiastica contemnunt. Similiter fures, sacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos, sepulchrorum quoque violatores, & Apostolorum atque successorum eorum atque sanctorum patrum religiosa statuta libenter violantes, & omnes qui aduersus patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur, similiter & incæstuosos, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis publicis fugientes, & qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates ecclesiæ abstrahunt iniustè, & qui fratres calumniantur aut accusant, & non probant, vel qui contra innocentes, principum animos ad iracundiam prouocant, & omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab ecclesia expulsos, & omnes quos ecclesiasticæ vel sæculi leges infames pronunciant: hos verò non ad sacros ordines licet promouere, nec seruos ante legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec bigamos, nec eos qui curiæ deseruiunt, vel qui non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem, vel intellectum, aut inobedientes sanctorum decretis existunt, aut furiosi manifestantur. Hi omnes nec ad sacros gradus debent prouehi: nec isti, nec liberti, nec suspecti, neque rectam fidem, vel dignam conuersationem non habentes, summos possunt accusare sacerdotes.

Fœlix 1. epist. 2.

Quòd absque authoritate Romani pontificis nullus episcopus damnari possit. Ex decretis Fœlicis papæ episcopis per Galliam missis, cap. ix.

¶ CAP. 292.

Si quis episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse ab eis charitatiuè conuentus fuerit, vt ipsam causam emendet, & eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos Primates causa eius canonicè deferatur, qui in congruo loco infra ipsam prouinciam tempore congruo, id est, *aut vernali, aut æstiuo, concilium regulariter conuocare debebunt, ita vt ab omnibus eiusdem prouinciæ episcopis inibi audiatur: quo & ipse regulariter conuocatus, si eum, aut infirmitas, aut alia grauis necessitas non detinuerit, adesse debet, quia vltra prouinciæ terminos accusandi antè licentia non est, quàm audientia rogetur. Quod si quomodo præsumptum fuerit, statuerunt vt antequam proprius locus, & sua omnia ei legibus redintegrentur, nullatenus à quoquam accusetur aut criminetur, & nisi sponte elegerit, cuiquam pro talibus respondeat. Sed postquam, vt præfixum est, restitutus fuerit, & sua omnia ei legibus redintegrata sunt, dispositis ordinatisque suis, magnū spatium tractandi causam ei concedatur, & postea si necesse fuerit, regulariter vocatus veniat ad causam, & si iustè visum fuerit, accusantium propositionibus, sustentatione fratrum, respondeat. Nulla enim permittit ratio, dum ad tempus eius bona, vel ecclesiæ res ab æmulis, aut à quibuscunque detinentur, vt aliquid illi obiici debeat, nec quicquam potest ei quolibet modo maiorum vel minorum obiici, dum ecclesiis vel rebus aut potestatibus caret suis. *Item ex epistola Iulij Papæ orientalibus episcopis missa.* Si quis ab hodierna die & deinceps episcopum præter huius sanctæ sedis sentētiam damnare aut propria pellere sede præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, & proprio carere perpetim honore, eósque qui absque huius sanctæ sedis sententia sunt damnati vel eiecti, huius sanctæ sedis authoritate scitote pristinam recipere communionem, & in propriis restitui sedibus: quoniam & prius à tempore scilicet apostolorum hæc sanctæ huic sedi cōcessa sunt, & postea in memorata Nicæna synodo propter prauorum hominum infestationes, atque hæreticorum persecutiones, & insidiantium molimina fratrum, sunt concorditer ab omnibus roborata, vt magis singuli prouideant ne talia audeant perpetrare.

*autumnali.

Ep. 1. c. 4.

Vt per scripta nullius accusatio suscipiatur eo absente qui accusatur. Ex epistola ij. Stephani Papæ cunctis episcopis missa, cap. iv.

¶ CAP. 293.

2 q 8 c per scripta.

Per scripta enim nullius accusatio accusatoris, eo qui accusatur absente, suscipiatur, sed propria voce (si legitima & condigna accusatoris persona fuerit) præsente videlicet eo, quem accusare desiderat: quia nullus absens aut accusari potest, aut accusare. Nullus tamen præfati ordinis vir aut accusari potest, aut respondere suis accusatoribus debet, priusquā regulariter à suo Primate vocatus sit, locúmque defendendi aut inquirendi accipiat ad abluenda crimina.

Vt difficiliores causæ ad apicem Romanæ sedis referantur, vt apostolico iudicio terminentur. Ex epistola Anacleti papæ omnibus episcopis missa. ¶ CAP. 294.

Si quæ verò causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad huius sedis sanctæ apicem, quasi ad caput referte, vt apostolico terminentur iudicio: quia sic Deum velle, & ab eo ita esse constitutum antedictis terminis declaratur. Hæc verò apostolica sedes, cardo & caput facta est à Domino, & non ab alio constituta, & sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ sedis authoritate omnes ecclesiæ Domino disponente, reguntur.

Quòd omnes Episcopi possint appellare Romanam sedem in necessitatibus. Ex decretis Calixti Papæ, Stephano Africæ missis.

¶ CAP. 295.

Quam omnes appellare si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam (vt nostis) synodum sine eius authoritate fieri non est canonicum, nec episcopus nisi in * canonica synodo, & suo tempore apostolica vocatione congregata diffinitè damnari potest, neque vlla vnquam concilia rata leguntur, quæ non fulta fuerint apostolica authoritate.

* legitima.

Fœlix ep. 2. 1 c 20.

De induciis criminatorum episcoporum quales esse debeant. Ex epist. Fœlicis papæ fratribus per Ægyptum missa, c. xv. ¶ CAP. 296.

3 q 3 c. de induciis.

De induciis verò episcoporum super quibus consuluistis, diuersas à patribus regulas inuenimus constitutas. Quidam enim ad repellenda imperitorum machinamenta, & suas præparandas responsiones, & testes confirmandos, & consilia episcoporum atque amicorum quærenda, annum & sex menses mandauerunt concedi: quidam autem annum, in quo plurimi concordant: minus verò quàm sex menses non reperi; quia & laicis hæc indulta sunt, quantò magis domini sacerdotibus? Nam & à nostris antecessoribus atque reliquis sanctis patribus, multotiens inhibitum est, ne quis domini sacerdotes detractionibus, non ex radice charitatis prolatis, vexet. Quiescite, inquiunt, & nolite persequi eos qui Deo perfectè ministrant, quorum orationibus & terrena bella sedantur, & recedentium à Deo angelorum pelluntur incursus, quique omnes dæmones * corruptores precum assiduitate, confundunt. Induciæ nanque non sub angusto tempore, sed sub longo spatio concedendæ sunt, vt accusati se præparare, vniuersósque communicatores in prouinciis positos conuenire, & testes præparare, atque contra insidiatores se pleniter armare possint. Iudices enim & accusatores tales esse debent, qui omni careant suspicione, & ex charitatis radice suam desiderent promere sententiam.

*al. qui corrupti sunt.

Ib. c. 2B

Quid agendum sit de Episcopo qui causam suam in insynodo agere renuerit. Ex Concilio Africæ, cap. liv. ¶ CAP. 297.

Afric. sub Cælestino & Bonifatio.

De Quoduult deo etiam Centuriensi, quoniam aduersarius illius quum se petisset introduci ad concilium nostrum, interrogatus, vtrū cum eo vellet apud episcopos experiri, primò promiserat & alia die respondit hoc sibi non placere, atque discessit: placuit omnibus episcopis vt nullus eidem Quoduultdeo communicet, donec causa eius qualē potuerit terminū

sumat. Nam adimi ei episcopatus antequam causæ eius exitus appareret, nulli Christiano videri iure potuit.

Iudicium Episcopi qui pro crimine depositus ab officio, postea episcopium more prædonis inuadit. Ex registro Gregorij ad Ioannem episcopum primæ Iustinianæ.

¶ Cap. 298.

Lib 10 registr. ep. 33. 2. q 7 cap. lator.

Quando mala quæ pœnitentiæ fletu purganda sunt, augentur excessibus, ita maior est delinquentibus adhibenda correptio, vt & ipsi facinus suum pœna saltem vindicante cognoscant, & alios ab illicitis ecclesiasticæ tuitionis timor inhibeat. Dilectissimus itaque lator præsentium Nemesion ad nos veniens, indicauit (sicut & gestorum exemplaria, quæ hæc detulit, continebant) Paulum * Declanenæ ciuitatis episcopum inter alia mala, in * corporali crimine lapsum, à suis fuisse clericis accusatum: atque habita cognitione, ita (quod sine dolore dicere non possumus) claruisse, atque insuper postquam conuictus est, etiam libellum illum in quo ea de quibus accusatus fuerat, vera esse confessus est, obtulisse. Qua de re sententia illum episcopali depositum, & se eius loco cum fraternitatis vestræ consensu esse episcopum iudicauimus ordinatũ. Sed nunc eundem Paulum cum auxilio sæcularium iudicum venientem episcopum more prædonis ingressum, ablatisque violenter rebus ecclesiæ ab eo se proiectum, & ad summam iniuriam, ac necem penè perductum cognouimus. Et quoniam tantæ nequitiæ prauitas, nec dissimulanda, nec leuiter arguenda est, fraternitas vestra hæc omnia diligenter curet addiscere. Et si ita se (vt docti sumus) veritas habet, prædictum Paulum districta faciat * executione compelli, vt quodcunque abstulit omni mora vel excusatione cessante restituat. Si verò nihil ecclesiæ, sed proprium se dixerit abstulisse, quamuis graue & iniquum fuit, vt non à vobis, vel à metropolitano eius hoc petierit, sed ausu temerario manu præsumeret agere: veruntamen si quid proprium tulit, sub fraternitatis vestræ debet examinatione constare, si verum est. Sed & illud diligenter quærendum est, si quid malè de rebus dilapidauit ecclesiæ, vt ex eo quod nunc abstulit, hoc reformare, ac satisfacere modis omnibus compellatur. Si autem differre tentauerit, quousque omne quod dilapidauit, vel de substantia tulit ecclesiæ, restituat, in monasterium mittendus est, vt saltem coactus reddat, quod malè auferre non timuit. Quod si fortè (quod non credimus) post depositionem suam * inuerecunda, ac insana mente aliquid de episcopatu loqui, atque rursum ad hoc * per quaslibet personas aspirare præsumptiuè tentauerit, fraternitatis vestræ se contra improbitatem ipsius omnimodo vigor accedat, atque dominici corporis & sanguinis communione priuatum in monasterium eum vsque ad diem obitus sui, ad agendam pœnitentiam curet retrudendum, quatenus perpetrati sceleris maculas dignis discat fletibus emendare, quas magis ad interitum animæ suæ nequiter augere desiderat. Suprascriptus autem dilectissimus frater noster Nemesion in suo loco & episcopatus officio proculdubio reformetur, & ne denuò hac de re iniquietudinem ac molestiam patiatur, sollicitos vos esse necesse est, quia hoc non solùm ad huius munitionem, verùm ad aliorum constat emendationem proficere, vt prauorum hominum præsumptio nil de cætero contra sacrorum canonum statuta vel ecclesiasticam disciplinam, nullo modo audeat attentare.

*Declinenæ, aliàs Docleuenæ.
*corporale crimen.
*excusatione.
*inuerecundè ac mente peruersa.
*qualibet aspirare præsumptione tentauerit, &c.

*Cur sancti apostoli eorúmque successores difficilem esse voluerint accusationem * episcoporum. Ex decretis Fabiani Papæ orientalibus fratribus missis, ca. xix.* ¶ Cap. 299.

Ep. 2. c. 2.
*sacerdotũ.

Talia cogitantes sancti apostoli eorúmque successores spiritu Dei repleti, homines malos præuidentes, & simplices considerantes, difficilè aut nunquam voluerunt esse accusationem sacerdotum, ne à malis potuissent auerti, aut submoueri, quia si hoc facilè concederetur, sæcularibus & malis hominibus, aut nullus aut vix perpauci remaneret, quoniam semper fuit, & est, & (quod peius est) nimis viget, vt mali bonos persequantur, & carnales spirituales infestent. Idcirco, vt prædictum est, statuerunt ne accusarentur, aut si aliter fieri non posset, perdifficilis fieret eorum accusatio, & à quibus, vt prædictum est, non præsumeretur, neque à propriis sedibus aut ecclesiis episcopi eijcerentur.

De Episcopo expulso, si ausus fuerit ingredi ciuitatem. Ex epistola Bonifacij Papæ ad episcopos Galliæ. ¶ Cap. 300.

Bonifac. 1. in decretis c. 6.

Si episcopus expulsus ausus fuerit ingredi ciuitatem, qua expulsus est, vel exire de loco in quo degere iussus est, iubemus eum in monasterium in alia prouincia constitutum, tradi, vt qui in sacerdotio peccauit, degens in monasterio corrigatur.

Vt Episcopis, qui se viuentibus successores eligere desiderant. Ex concilio Antiocheno c. xxiij. ¶ Cap. 301.

Antioch. l. sub Iulio. l.

Episcopo non licere per se successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perueniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse huiusmodi constitutum. Seruetur autem ius ecclesiasticum, id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum synodo & iudicio episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent eum qui dignus extiterit, promouere.

8. q. 1. c. episcopo non licere.

Vt Episcopo viuente nullus superordinetur. Ex concilio Aruernensi, c. xiij. ¶ Cap. 302.

In fragmẽtis conc. Aruer. 2. sub Vigilio capitulo 2. Hispal. 1. in fragmentis c. 8.

Vt nullus viuente episcopo alius superponatur, aut superordinetur episcopus, nisi forsitan in eius loco, quem capitalis culpa deiecerit.

Quòd non liceat Episcopo successorem eligere. Ex concilio Spalensi, c. ix. ¶ Cap. 303.

Episcopo non licet ante finem vitæ alium in loco suo constituere successorem. Si quis autem vsurpare tentauerit, constitutio illa irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet, nisi cum consilio & iudicio episcoporum, qui post exitum prædecessoris potestatem habent dignum eligere.

Vt pro ægritudine Episcopi nullus alius succedat. Ex registro Gregorij Papæ ad Anatholium Constantinopolitanum diaconum.

lib. 9. regist. epist. 41.

¶ Cap. 304.

Scripsit mihi dilectio tua, * reuerendissimo fratri meo Ioanni primæ Iustinianæ episcopo pro ægritudine capitis quam patitur, episcopũ præcipere succedi, ne fortasse dum episcopi iura eadem ciuitas non habeat, (quod absit) ab hoste depereat. Hæc quidem canones nusquam præcipiunt,

*piissimũ dominum nostrũ reuerendissimo, &c.
7. q. 1 c. scripsit mihi.

præcipiunt, vt pro ægritudine Episcopi Episcopus succedat: & omnino iniustum est, vt si molestia corporis irruit, honore suo priuetur ægrotus. Sed suggerendum est, vt si * quis in regimine ægrotat, dispensator illi talis requiratur, qui possit eius curam agere omnem, & locum illius in regimine Ecclesiæ ipso non disposito conseruare, vt neque Deus omnipotens offendatur, neque ciuitas neglecta esse inueniatur.

* is qui est

l. 7 Indict. 2. c. 50.

Vt Episcopo aßidua infirmitate capitis laborante, & diu grauato alter subrogetur. Ex registro Gregorij, c. ccxxxix. ¶ CAP. 305.

7 q. 1. c. qualiter ordinati.

Qualiter ordinati à nobis sacerdotibus corporali (quia notum est) impediente molestia, Ariminēsis Ecclesia pastorali hactenus ac sacerdotali sit regimine destituta, dudum fraternitas vestra cognouit. Quem dudum habitatorem loci illius permoti præorbus, sæpius hortati sumus, vt si de eadem capitis, qua detinebatur, molestia melioratum se esse sentiret, ad suam, auxiliante Deo, reuerteretur Ecclesiam. Qui datis induciis in hoc quadriennio expectatur. Quem dum vos clerici vel ciues illic venientes, nos quoque precibus * arguentes, instantius hortaremur, vt si valeret, cum eis auxiliante domino, remearet: datis scriptis nos supplicatione petiit, vt quia ad eiusdem Ecclesiæ regimen vel susceptum officium pro eadem qua detinetur molestia, assurgere nullatenus possit; Ecclesiæ ipsi ordinare deberemus Episcopum. Vnde quia cunctarum Ecclesiarum iniuncta nos sollicitudinis cura constringit, ne diutius gregi fidelium desit custodia pastoralis, illorum precibus, & huius ex suæ impossibilitatis renunciatione compulsi, iussum est à nobis eidem Ariminensi Ecclesiæ debere Episcopum ordinari, & datis ex more præceptis clerū plebémque eiusdem Ecclesiæ non destitimus admonere, quatenus ad eligendum sibi antistitem concordi prouisione concurrant. Hortamur ergo vt fraternitas vestra eum quem in vno consensu omnes elegerint (sicut & ipsi à nobis poposcisse noscuntur) ad se faciat euocari. Quem cauta ex omnibus examinatione discutite, & si ea in eo quæ in textu * eptatici morte multata sunt, minimè fuerint Domino opitulante reperta, atque fidelium personarum relatione, eius quoque vobis vita placuerit, ad nos eum cum * decreta pagina vestra, addita quoque testificationis epistola, destinate, quatenus eiusdem à nobis Ecclesiæ, disponente domino consecretur antistes.

* vrgentes.

* heptateuchi continentur, minime, &c.

† decreti vestri pagina

De Episcopo, qui per infirmitatem in hebetudinem mentis inciderit. Ex concilio Arausico, c. ij.

¶ CAP. 306.

Vt si quis Episcopus in infirmitatem aut aliquam hebetudinem sensus inciderit, aut officiū oris amiserit, ea quæ Episcopis operari conueniunt, presbyterum agere non permittat, sed Episcopum qui vicinus est vocet, cui quæ in Ecclesia agenda fuerint, imponat.

Lib. 11. Regi. ep. 7.

*Item de Episcopo qui propter dolorem capitis sæpe amentiam incurrit, quod alter ei subrogandus & ipse de rebus Ecclesiæ sit procurandus. Ex registro Gregorij ad * Eleuterium Episcopum.*

* Etheriū

¶ CAP. 307.

7. q. 1. c. quãuis triste.

Quamuis triste sit nobis valde quod loquimur, atque fraterna nos compassio potius * arguat, quàm aliquid de auditis diffinire permittat, suscepti tamē sollicitudo regiminis cor nostrum instanti pulsat aculeo, magna nos Ecclesiis cura prospicere, & ne qua earum possit vtilitas deperire, quid fieri debeat, Deo authore disponere. Peruenit ergo ad nos quibusdam referentibus, quendam Episcopum ita passionem capitis incurrisse, vt quod mente alienata agere soleat, gemitus & fletus audire sit. Ne ergo languente pastore, grex (quod absit) insidiatoris laniandus dentibus exponatur, vel Ecclesiæ ipsius vtilitates depereant, cauta nos necesse est prouisione tractare. Et ideo quia viuentem Episcopum ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco eius * nisi recusante eo nulla sinit ratio ordinari. Sed si interualla ægritudinis habere est solitus, ipse data petitione, non se vlterius ad hoc ministerium intellectum habere, nec ad alia officia subuertente infirmitate, posse fateatur assurgere, aliū suo loco expetat ordinandum. Quo facto omnium solenniter electione alter qui dignus fuerit, Episcopus ordinetur: sic tamen, vt quousque eundem Episcopum in hoc sæculo vita detinuerit, sumptus ei debiti de eadem Ecclesia ministrentur. Enimuero si nullo tempore ad sanæ mentis redit officium, persona fidelis ac vitæ probabilis, est eligenda, quæ ad regimen Ecclesiæ idonea possit existere, atque de animarum vtilitate cogitare, inquietos sub disciplinæ vinculo restringere, Ecclesiasticarum rerum curam gerere, & maturum atque efficacem se in omnibus exhibere: qui etiam Episcopo, qui nunc ægrotat, superstes, loco eius debeat consecrari.

* aggrauat.

al. flere vrgeat

* deest nisi in origin.

Vt Sacerdotes Domini, sicut vulgus facere solet, iurare non præsumant, nec compellantur. Ex decretis Cornelij Papæ.

Epist. 2.

¶ CAP. 308.

Sacramentum hactenus ab Episcopis & reliquis ordinibus exigi, nisi pro recta fide, minimè cognouimus: nec sponte eos iurasse repperimus. Summopere ergo sanctus Iacobus Apostolus prohibens sacramentum, loquitur dicēs: Ante omnia, fratres mei, nolite iurare neque per cœlum, neque per terrā, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester Est, est: Non, non, vt non sub iudicium decidatis.

2. q. 4. c. sacramentū.

Iacob. 5.

*De Episcopo sinistro rumore asperso, per sacramentum autem purgato & absoluto. Ex registro Gregorij Papæ ad Iustinum * Imperat.*

* Prætorem apud Gratianū; presbyterū habet Gregorius.

¶ CAP. 309.

Habet hoc proprium antiqui hostis inuidia, vt quos in prauorum actuum perpetratione * sibi resistentes decipere non valet, opinionem eorum, falsa ad præsens simulando, dilaceret. Quoniam igitur quædam contra sacerdotale propositum de Leone fratre & coepiscopo nostro, sinister rumor asperserat, vtrum vera essent, districta diutius fecimus inquisitione perquiri: & nullam in eo, de his quæ fuerant dicta, culpā inuenimus. Sed ne quid videretur omissū * nostro potuisse cordi dubiū remanere, ad B. Petri sacratissimū corpus districta eū ex abundāti fecimus sacramenta præbere. Quibus præstitis magna sum⁹ exultatione gauisi, quod * huiuscemodi innocentia eius euidenter enituit. Pro qua re gloria vestra prædictum virum cum omni charitate suscipiat, & reuerentiam ei qualem

lib. 2. indict. 10. ep. 23. 2. q. 5. c. habet hoc.

* deo sibi resistēte.

* quod nostro potuisset.

* huiusmodi experimento innocentia, &c.

*nequa in cordibus remaneat

sacerdoti decet, exhibeat, * nec vlla remaneat de his quę iam sunt purgata, dubietas. Sed ita suprascripto vos Episcopo deuotissimè oportet in omnibus adhærere, vt congruè decentérque Deum in eius persona (cuius minister est) videamini honorare.

lib 2 regist. Indict 11. epist 44.

Correptio Episcopi qui concubinam habuerit. Ex registro Gregorij ad Andream Episcopum Tarentinum. ¶ Cap. 310.

Tribunal æterni iudicis securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius, dignâ eum modò pœnitentiâ placare contendit. Habuisse te siquidem concubinam manifesta veritate comperimus, de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium, hoc tuæ conscientiæ eligimus committendum. Qua de re, si in sacro ordine constitutus, eius te permixtione recolis esse maculatum, sacerdotij honore deposito ad administrandum nullo modo præsumas accedere, sciturus in animæ tuæ periculo te ministrare, & Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si huiusmodi sceleris conscius, in eo quo es ordine celans veritatem, permanere volueris. Vnde iterum adhortamur, vt si te deceptum hostis antiqui calliditate cognoscis, competenti eum dum licet pœnitentia superare festines, ne cum eo particeps (quod non optamus) in die iudicij deputeris. Si verò huius rearus tibi conscius non es, in eo te necesse est quo es, ordine permanere. Præterea quoniam mulierem de matticulis contra ordinem sacerdotij cædi crudeliter fustibus deputasti, quam licet post octo menses exinde minimè arbitremur fuisse defunctam, tamen quia ordinis tui habere noluisti respectum, propterea duobus te mensibus ab administratione Missarum statuimus abstinere, in quibus ab officio te suspensum flere conuenit quod fecisti. Nam valdè dignum est, vt postquam te ad vitæ istius tranquillam rectitudinem laudabilium sacerdotum exempla non prouocant, saltem correctionis medicina compellat.

dist 33 c. habuisse.

De Episcopo per sacramenta purgato & absoluto. Ex registro Gregorij ad Brunichildam reginam Francorum. ¶ Cap. 311.

li. 11. regist. ep 8. 2 q 5. c. Mennam.

Mennam verò reuerendissimum fratrem coepiscopumque nostrum, postquam ea quæ de eo dicta fuerant requirentes, in nullo inuenimus eum esse culpabilem, qui insuper ad sacratissimum corpus beati Petri Apostoli sub iureiurãdo satisfaciens, ab his quæ obiecta eius opinioni fuerant se monstrauit alienum: reuerti illum purgatum absolutúmque permisimus: quia sicut dignum erat, vt si in aliquo reus existeret, culpam in eo canonicè puniremus, ita dignum non fuit, vt eum adiuuante innocentia, diutius retinere vel affligere in aliquo deberemus.

lib. 7. regist. indict. 2. epist 1.

Qualiter senex Episcopus corripiendus sit, & mali consiliarij eius excommunicandi. Ex eodem registro ad Ianuarium episcopum Caralitanum. ¶ Cap. 312.

1. Tim. 5.

Prædicator omnipotentis Dei Paulus Apostolus dicit: Seniorem ne increpaueris. Sed hæc eius regula tunc in eo seruanda est, cùm culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuniorum. Vbi autem senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est. Nam scriptum est, Laqueus iuuenum omnes vos. Et rursum propheta dicit: Peccator centum annorum maledictus est. Tanta autem nequitia ad aures meas de tua senectute peruenit, vt eam nisi adhuc humanitus pensaremus, fixa iam malectione feriremus. Dictum quippe mihi est, quod dominico die priusquam Missarum solennia celebrares, ad exarandam messem latoris præsentium perrexisti: & post exarationem eius Missarum solennia celebrasti: post Missarum solennia etiam terminos possessionis illius eradicare minimè timuisti. Quod factum quæ pœna debuit insequi, omnes qui audiunt sciunt. Dubij autem de tanta hac peruersitate fueramus, sed filius noster Cyriacus Abbas à nobis requisitus, dum esset choralis, id est, regionarius, ita se cognouisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur aliquando * resipisce senex, atque à tanta leuitate morum & operum peruersitate compescere. Quantò enim morti vicinior efficeris, tantò fieri sollicitior atque timidior debes. Et quidem pœnæ sententia, in te fuerat iaculanda, sed quia simplicitatem tuam cum senectute nouimus, interim tacemus. Eos verò quorum consiliis hæc egisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus: ita vt si quid eis intra duorũ mensium spatium humanitus euenerit, benedictione viatici non priuentur. Deinceps autem ab eorum consiliis cautus existe. Te quoque sollicitè custodi, ne si eis in malo discipulus fueris, quibus magister in bono esse debuisti, nec simplicitati tuę vlterius, nec senectuti parcamus.

Esai. 42. ibid. 65.

* ἀπὸ τῆς χώρας

De purgatione Leonis Papæ. Leo. 3.

¶ Cap. 313.

Auditum est, fratres charissimi, & diuulgatum per multa loca, qualiter homines mali aduersus me insurrexerunt: & debilitare voluerũt, & posuerunt super me grauia crimina, propter quam causam iste clementissimus ac serenissimus Dominus rex Carolus vnà cum sacerdotibus & optimatibus suis istam peruenit ad vrbem. Quam ob rem ego * Pontifex sanctæ Romanæ Ecclesiæ à nemine iudicatus, neque coactus, sed spontanea mea voluntate purifico me in conspectu vestro coram Deo, & Angelis eius, qui conscientiam meam nouit, & beato Petro principe apostolorum, in cuius conspectu consistimus: quia istas criminosas & sceleratas res, quas illi mihi obijciunt, neque perpetraui, neque perpetrare iussi. Testis est mihi Deus, in cuius iudicium venturi sumus, & in cuius conspectu consistimus. Et hoc propter suspiciones malas tollendas mea spontanea voluntate facio, non quasi in canonibus inuentum sit: aut quasi ego hanc consuetudinem, aut decretum in sancta Ecclesia successoribus meis nec non & fratribus & coepiscopis nostris imponam, sed vt melius à vobis abscidatis rebelles cogitationes.

2 q. 4 c. auditum est.

*Leo

Quòd seipsum damnat quisquis ecclesiastico ordine excommunicatus fuerit, & communicare præsumpserit. Ex Africano concilio c. xxix.

¶ Cap. 314.

Item placuit vniuerso concilio, vt qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, siue episcopus quilibet, siue clericus, & tempore excommunicationis suæ ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationis iudicetur protulisse sententiam.

11. q. 3 c placuit vniuerso.

De ordinatis si aliquis illorum percussor exstiterit. Ex Toletano concilio, cap. vi.
¶ CAP. 315.

23.q.8.c his à quibus. His à quibus Domini sacramenta tractantur, iudicium sanguinis agitare non licet, & ideo magnopere talis excessus prohibẽdus est, ne indiscrete prẽsũptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est sententia propria iudicare præsumant, aut truncationes quibuslibet personis aut per se inferant, aut inferendas præcipiant. Quòd si quisquam horum immemor prẽceptorum, aut in Ecclesię suę familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid perpetrauerit, & concessi ordinis honore priuetur & loco, & sub perpetuę damnationis religetur ergastulo: cui tamen communio exeunti de hac vita, non est neganda propter Domini misericordiam. id legitur post conc. Agath ex Gratia.

Ne Episcopus sua manu aliquem cadat. Ex decretis Bonifacij Papæ. ¶ CAP. 316.

Non liceat Episcopo manibus suis aliquem cędere, hoc enim alienum à sacerdote esse debet.

*De Episcopo qui seipsum & sibi commissos corrigere neglexerit. * Gregorius.* ¶ CAP. 317.
* Augusti.

dist 86.c. non liceat. 2.q.7.c. qui nec. Qui nec regiminis in se rationem habuit, nec sua delicta detersit, nec crimen filiorum correxit, canis impudicus magis dicendus est, quàm Episcopus.

Quòd bonus pastor subditos lauat à crimine. Hieronymus. ¶ CAP. 318.

Vt lixiuia per cinerem humidum fluens lauat, & non lauatur: ita bona doctrina per malum doctorem animas credentium lauat sorde peccatorum.

Quòd malum pastorem oues fugiunt. Ex dictis Augustini. ¶ CAP. 319.

Sicut fugiunt oues vocem pastoris, quem non cognoscunt, & deserta petunt, ità malos pastores ouilia.

Hom. 9. in. Ezech. li. 1. *De eo qui nobilitatem Dei à se eijcit Gregorius.* ¶ CAP. 320.

dist. 40.c. Adam. Epistol. ad Heliodorum. Adam primus homo pro peccato de paradiso eiectus est, hoc est, qui nobilitatem Dei à se proiecit nobilitate loci priuetur.

Quòd non sint omnes filij sanctorum qui tenent loca sanctorum. Ex dictis Hieronymi. ¶ CAP. 321.

dist 40 c. nõ est facile. Non facilè est stare in loco Petri & Pauli, & tenere cathedram regentium cum Christo, quia hinc dicitur, non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

Quòd nullus ex genere, vel ex loco gloriari debet. Gregorius. ¶ CAP. 322.

dist. 40.c. nos qui. Nos qui prẽsumus, non ex locorum nec generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec vrbium claritate sed fidei puritate

De sacerdotibus qui ouibus suis mala præbent exempla. Augustinus. ¶ CAP. 323.

dist. 83 c. nemo quippe. Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet, quàm qui peruersè agens nomen vel ordinem sanctitatis & sacerdotij habet. Delinquentem hunc namque redarguere nullus prẽsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, cùm pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

Vt tantùm curam Ecclesiasticarum rerum Episcopi habeant. Ex canonibus Apostolorum, cap. xxxix. ¶ CAP. 324.

Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curã gerat Episcopus, & ea velut Deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei sunt condonare. Quòd si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione Ecclesiæ negotia deprædentur.

Ne vsu pallij Metropolitanus præsumptiuè vtatur. Ex decretis Honorij papæ, cap. iij. ¶ CAP. 325.

Quicunque Metropolitanorum per plateas, vel in litaniis vti pallio præsumpserit, & non tãtum in præcipuis festiuitatibus & ab Apostolica sede indictis temporibus ad Missarum solummodo solennia, careat illo honore, & vt beatus Papa Gregorius ad Ioannem Panormi Episcopum ait, quia graue iugum atque vinculum ceruicis, non pro Ecclesiastica, sed pro quadam sæculari dignitate, defendat, permissa qua abutitur careat dignitate quia iure priuilegium meretur amittere, qui audacter vsurpat illicita.

Quòd Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ nisi priùs commutet, testamentare non possit. Ex concilio Agathensi, cap. vi. ¶ CAP. 326. con. Agat. cap. 51. 12 q.5. c si Episcopus condito.

Si quis Episcopus condito testamento aliquid de Ecclesiastici iuris proprietate legauerit, aliter non valebit, nisi tantum de iuris proprij facultatibus suppleuerit.

Ne Episcopus res Ecclesiæ parentibus suis indiscretè tribuat. Ex Spalensi concilio, cap. x. ¶ CAP. 327.

Vt Episcopi in rebus Ecclesiæ circa propinquos suos exponendam reprehensionem caueant, & vt discretionis modum teneant.

De eadem re. Ex eodem concilio, cap. v. ¶ CAP. 328.

Quoniam multi Episcoporum amore propinquorum suorũ, de rebus sibi commendatis, suo aut quolibet amicorum nomine, prædia & mancipia emunt, & vt propinquorum suorum ius cedant statuunt, & ob hoc iura Ecclesiastica conuelluntur, & ministerium sacerdotale fuscatur, immò à subditis detrahitur & contemnitur, placuit omnibus vt deinceps hoc genus auaritiæ caueatur, fixumque abhinc & perpetuò mansurum esse, decreuimus, vt Episcopus res sui iuris, quas ante episcopatum, aut certè in episcopatu hæreditaria successione acquisiuit, secundùm canonicam authoritatem quicquid vult faciat, & cui vult conferat: postquam autem Episcopus factus est, quascunque res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo aut alterius nomine qualibet conditione comparauerit, decreuimus, vt non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, iura deueniant.

Ne Episcopus de rebus viduatæ Ecclesiæ quicquam alienare præsumat. Ex decretis Martini Papæ, cap. xx. ¶ CAP. 329.

Si quis Episcopus nulla Ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, in suo clero, aut vbi forte non est Presbyter, de rebus ecclesiasticis aliquid prẽsumpserit vẽdere, res ipsas ecclesiæ restaurare cogatur, & in iudicio Episcoporũ deij- 10.q.3.c. Si quis episcop.

ciatur: & tanquam furti & latrocinij reus, suo priuetur honore.

De sacerdotibus qui ad exequias Episcopi venire contemnunt. Ex concilio Toletano vij. ca. ij.

Conc. Tolet. 7. cap. 3.

¶ Cap. 330.

Ea quæ competunt honestati, contigit sæpe quorundam desidia non impleri. Proinde quia notum est quæ dignitas in exequiis morientis Episcopi ex canonibus conseruetur, traditione moris antiqui hoc tantum adijcimus, vt si quis sacerdotum secundum statuta Valentini concilij ad humanda defuncti Episcopi membra venire cõmonitus, pigra voluntate distulerit, appellãtibus clericis obeuntis episcopi apud synodũ, siue Metropolitanum episcopum, tempore anni vnius nec faciendi Missam, nec communicandi habeat omnimodo licentiam. Presbyteri autem siue cæteri clerici, quibus maior honoris locus apud eundem ecclesiam fuerit, cuius sacerdos obierit, si omni sollicitudine pro exequiis iam mortui, aut cõtinuò antistitis morituri, ad commouendum vicinum episcopum tardi inueniantur, aut per quancunque molestiam animi id negligere * videantur, totius anni spatio ad pœnitentiam monasteriis deputentur.

Cap. 4.

* comprobentur

Vt quod Episcopo pro redemptione animarum datur, Ecclesiæ relinquatur. Ex concilio Agathensi, ca. vj. ¶ Cap. 331.

12 q. 3. ca. pontifices.

Pontificibus verò, quibus in summo sacerdotio constitutis ab * extraneis duntaxat donatur aliquid, vel cum Ecclesia, aut sequestratim dimittitur, aut donatur, quia hoc ille qui donat pro redemptione animæ suæ, non pro commodo sacerdotis probatur offerre, non quasi suum, sed quasi dimissum in facultates Ecclesiæ computetur; quia iustum est, vt sicut sacerdos habet, quod Ecclesiæ dimissum est, ita & Ecclesia habeat quod relinquitur à sacerdote.

* extraneis aliquid, aut cũ Ecclesia, &c.

Vt nullus Episcopus sine concilio aliorum episcoporum & principis, in hostem ire debeat. Capitulum Caroli Imperatoris.

¶ Cap. 332.

Carolus Dei gratia rex Francorum, & deuotus sanctæ Ecclesiæ defensor, atque adiutor in omnibus Apostolicæ sedis. Hortatu omnium fidelium nostrorum, maximè episcoporum, ac reliquorũ sacerdotum consulto, seruis Dei omnibus per omnia armaturam portare vel pugnare, aut in exercitũ, & in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illis tantummodo qui propter diuinũ ministerium, Missarum solennia scilicet adimplenda, & sanctorum patrocinia portanda allecti sunt, id est, vnum vel duos Episcopos cum capellanis Presbyteris, & vnusquisque princeps vnum presbyterum secum habeat, qui peccata confitentibus, indicere possit pœnitentiam.

De eodem. Item eiusdem.

¶ Cap. 333.

Secunda vice propter ampliorem obseruantiã Apostolica authoritate & multorum episcoporum admonitione instructi, sanctorum quoque canonum regulis edocti, consultu videlicet omnium nostrũ nosmetipsos corrigentes, posterisq; nostris exemplum dantes, volumus vt nullus sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel tres episcopi tantum, electione cunctorum, propter benedictionem, prædicationẽ, populique reconciliationem, & cum illis electi sacerdotes, qui benè populis pœnitentiam dare, Missas celebrare, & infirmorum curam gerere, sacratique olei cum sacris precibus vnctionem impendere sciant: & hoc maximè prouidere, ne sine viatico quis de seculo recedat.

Item de eadem re. Nicolaus ad Carolum Imperatorem. ¶ Cap. 334.

Reprehensibile valde esse constat, quod subintulisti, dicendo maiorem partem omnium Episcoporum die noctúque cum aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos inuigilare, ob idque Episcopi impediantur venire: cum * militibus Christi sit Christo seruire: * militibus vero seculi seculo, sicut scriptum est: Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus. Quòd si seculi milites militiæ student, quid ad Episcopos, & milites Christi, nisi vt vacent orationibus?

23. q. 8. c. reprehensibile.

* militum

* milites vero seculi seruiant seculo.

2. Tim. 2.

De accusatis Episcopis qualiter ad Concilium vocari debeant. Ex de. Fel. P. cap. iij.

¶ Cap. 335.

Si primates accusatores Episcoporum cum eis pacificari familiariter minimè potuerint, tunc tempore legitimo eos ad synodum canonicè conuocatam, non infra angusta tempora, canonicè conuocent, priusquam eis per scripta significent quod eis opponitur, vt ad responsionem præparati adueniant. Nam si aut vi, aut timore eiecti, aut suis rebus expoliati fuerint, nec canonicè ad synodum vocari possunt, nec respondere æmulis debent, antequàm canonicè restituantur, & sua omnia eis legaliter reddantur.

5. q. 2. ca. Si primates.

Quòd Papa viuente, nulli alium eo inconsulto eligere liceat. Ex decretis Symmachi Papæ, c. iij.

¶ Cap. 336.

Si quis presbyter, aut diaconus, aut clericus Papa incolumi, & eo inconsulto subscriptionem pro Romano Pontificatu commendare, aut pitacia promittere, aut sacramentum præbere tentauerit, aut aliquod suffragium polliceri, vel de hac causa priuatis conuenticulis factis deliberare atque decernere, loci sui dignitate & communione priuetur.

Ex Syno. 1. Symm. Pap.

De sessione Episcopi. Ex Concilio Carthaginensi.

¶ Cap. 337.

In Ecclesia in consessu presbyterorum Episcopus sublimior sedeat.

Con Carth. 4. cap. 35. dist. 59. c. episcopus in Ecclesia.

De ordinatione Episcopi. Ex dictis Theodoti Archiepiscopi. ¶ Cap. 338.

In ordinatione Episcopi, ipse qui ordinat Missam celebrare debet, & qui ordinatur similiter.

Quæ sacerdotes Domini declinare debeant. Ex Conc. Turonensi, cap. vj. ¶ Cap. 339.

Quæcunque ad aurium & ad oculorum pertinent illecebras, vnde vigor animi emolliri posse credatur, vt de aliquibus generibus musicorum aliisque nonnullis rebus, omnes sacerdotes Domini se abstinere debent: quia per aurium, oculorúmque illecebras vitiorum turba ad animum ingredi solet: histrionum quoque turpium & obscœnorum insolentias iocorum, ipsi animo effugere cæterisque sacerdotibus effugienda prædicare debent.

Ne Episcopi propter suam quietem à ciuitatibus suis diu absint. Ex concilio apud sanctum Medardum, præsente Carolo Imp. ca. v. ¶ CAP. 340.

Prouidendum est, ne Episcopi propter suam quietem ad remotiora loca secedentes, & suum ministerium negligentes, proprias deserant ciuitates, sed aut parœcias suas cum officij efficacia circumeant, aut cum religione in suis ciuitatibus canonicè cum filiis degant. Presbyteros etiam sibi commissos doctrina, castitate, & sobrietate, atque hospitalitate secundum suum ministerium ordinari compellant.

De Episcopis, qui non visitatis parœciis pretium seruitutis requirunt. Ex conc. apud Triburias habito, præsente Arnulfo rege, ca. xxvj. ¶ CAP. 341.

10. q. 1 c. relata est. Relata est coram sancta synodo querimonia plebium, eo quod sint quidam episcopi, nolentes ad prædicandum vel ad confirmandum suas per annum parœcias circuire, qui tamen exigant vt mansiones quibus in profectione vti debuerant, alio pretio redimant qui parare debent: quæ duplex infamia & negligentia, & auaritia sanctæ synodo horrori fuit magno, & statuerunt ne quis vltra exerceat id cupiditatis ingenium, & vt sollicitiores sint episcopi de suis gregibus visitandis.

De purgatione Episcoporum. Ex concilio apud Altheim, præsente Conrardo rege. c. xvi. ¶ CAP. 342.

Statuimus propter Dei dilectionem, & proximi, & fidelium honorem catholicorum, & præcipuè ob multitudinum scandala eruenda, & funditus extirpanda, & perturbationes quæ nouiter exortæ sunt & oriuntur, nec non vt omnes sciant, nos Episcopos tales Dei misericordia nequaquam fuisse quales dicimur, exemplum S. Leonis Papæ, qui super quatuor euangelia iurans coram populo se purgauit, sequi & imitari, salua tamen authoritate canonica.

De eo qui ex monacho factus fuerit Episcopus. Ex eodem comm. c. xxxvi. ¶ CAP. 343.

18. q. 1. c statutum est. Statutum, & rationabiliter secundùm sanctos patres à synodo est confirmatum, vt monachus, quem canonica electio à iugo *regulari monasticæ professionis absoluit, & sacra ordinatio de monacho episcopum facit, velut legitimus hæres, paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat: Sed quicquid acquisierat, vel habere iussus fuerat monasterio relinquat, & abbatis sui qui fuerat, secundum regulam sancti Benedicti, arbitrio. Postquam enim episcopus ordinatur, ad altare ad quod sanctificatur & titulatur secundum sanctos canones, quod acquirere poterit, restituat. (* regulæ.)

De illo qui de aliqua hæresi infamatur, quod in sacro conuentu formulam istius libelli recitare debeat. Ex epistola Cyrilli, ad Ioannē Antiochenum. ¶ CAP. 344.

Ego nomine N. hac scriptura quam manu mea perscripsi, profiteor, sequens sanctum iudicium patrum Nicænæ synodi trecentorum decem & octo, vel Chalcidonensis synodi vniuersale concilium, cuius definitionem sedes apostolica confirmauit, quod etiā beatissimi Papæ Leonis epistola ad sanctæ memoriæ Flauianum Constantinopolitanæ vrbis episcopum data, prædicatione lucidissimę veritatis exposuit: Cōfiteor vnum eundémque Dominum nostrum Iesum Christum, vnigenitum Dei patris, perfectum, eundem in * diuinitate, eundem in humanitate, Deum verum & hominem verum, ipsum eundémque ex anima rationali & carne, consubstantialem patri secundum diuinitatem, consubstantialem nobis secundum humanam rationem, in omnibus similem nobis absque peccato: ante secula quidem de patre genitum secundum diuinitatem, in nouissimis verò diebus eundem propter nos, & propter nostram salutem de virgine Maria natum, quæ eundem Deum peperit secundum humanitatem vnum eundémque Christum, filium Dei Dominum vnigenitum in duabus naturis, inconfusè, inconuertibiliter, indiuiduè, & inseparabiliter cognitum, nequaquam naturarum differentia sublata propter vnitionem, sed potius salua manente proprietate vtriusque naturæ, in vnam non in duas concurrisse personas, sed vnum eundémque filium vnigenitum Deū verum Dominum Iesum Christum, sicut olim prophetæ de eo, vel ipse nos Christus per semetipsum dominus erudiuit. Qui autem ita non sentiunt, cum Nestorio & Eutiche, vel eorum sectatoribus æterno anathemate dignos esse pronuntio. (* deitate.)

Quales debeant ad sacerdotij officium venire. Ex decretis Damasi Papæ, ca. viij. ¶ CAP. 345.

Didicimus etiam licenter & liberè inexploratę vitæ homines, quibus etiam fuerint numerosa cōiugia, ad præfatas dignitates, prout cuiq; libuerit, aspirare: quòd non tantùm illis qui ad hæc immoderata ambitione perueniunt, quantùm Metropolitanis specialiter Pontificibus imputamus, qui dum inhibitis ausibus non obsistunt, Dei nostri, quantum in se est, præcepta contemnunt. Et vt taceamus quod altius suspicamur, vbi illud est quod Deus noster data per Moysen lege constituit, dicens. Sacerdotes mei semel nubant. Et alio loco. Sacerdos vxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem. Quod secutus apostolus ex persecutore prædicator. Vnius vxoris virum, tam sacerdotem quàm diaconum fieri debere mandauit. *Leuit. 21. 1. Tim. 3.*

Vt Metropolitani sua iura seruent. Leo Anast. Thessalonic. episc. c. ij. ¶ CAP. 346. *Epist. 84.*

Igitur secundum sanctorum Patrum canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularū prouinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: ita vt à regulis præstitutis, nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant. *25 q. 2. c. igitur secundū.*

Vt nullus inuitus ordinetur Episcopus, Ibidem ca. v. ¶ CAP. 347.

Cùm ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille modis omnibus præponatur, quem cleri plebísque consensus concorditer postularint, ita vt si in aliam fortasse personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus & studiis *dist. 63. c. Si fortè.*

iuuatur & meritis tantum vt nullus inuitis, & non petentibus ordinetur, ne plebs inuita episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa quàm conuenit, cui non licuit habere, quem voluit.

Vt personam consecrandi episcopi Primas quoque sua authoritate confirmet. Ibidem ca. vi.

¶ CAP. 348.

dist 65.c. de persona. De persona igitur consecrandi episcopi, & de cleri plebisque consensu, metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat, quódque in prouincia benè placuit scire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet authoritas, quæ rectis dispositionibus nihil moræ aut difficultatis debebit adferre, ne gregibus Domini sui diu desit cura pastorum. Metropolitano verò defuncto, cùm in loco eius alius fuerit subrogandus, prouinciales episcopi ad ciuitatem metropolim conuenire debebunt, vt omnium clericorum atque omnium ciuium voluntate discussa, ex presbyteris eiusdem ecclesiæ, vel ex diaconibus optimus eligatur. De cuius nomine ad tuam notitiam prouinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, cùm quòd ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognouerint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præsumi.

Quod Primates & Metropolitani, à Romana Ecclesia sint vocati in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Greg.

¶ CAP. 349.

Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis per Galliam, Europam, Germaniam, & per vniuersas prouincias cõstitutis, Gregorius seruus seruorum Dei. Decreto nostro mandamus, vt si *2. q.6.c. decreto.* aliquis (quod non optamus) suorum æmulorum Ædricum Cenomannicæ Ecclesiæ episcopum accusare damnabiliter attentauerit, liceat illi post auditionem Primatum diœceseos (si necesse fuerit) nos appellare, & nostra authoritate, aut ante nos, aut ante Legatos nostros è latere missos ** exercere* iuxta patrum decreta suas * exequi atque finire actiones, nullúsque illum ante hæc iudicet aut damnare præsumat. Sed si quid (quod absit) graue intolerandúmque ei obiectum fuerit, nostra erit expectanda censura, vt nihil prius de eo, qui ad sinum sanctæ Romanæ confugit Ec- *Suprà c. 11.* clesiæ, eiúsque implorat auxilium, decernatur, quàm ab eius Ecclesiæ fuerit præceptum authoritate, quæ vices suas ita aliis impertiuit ecclesiis, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Proinde dilectio vestra quorum deuotione gaudemus, iungat curã suam dispositionibus nostris, & det operam, vt non cuiusquam præsumptione circa memoratum fratrem nostrum, vestra prouisione vel successorum vestrorum, si ipse superstes fuerit, aliter quàm hîc insertum est, fiat vllomodo. Nam nulli fas est vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium, quod vestram sequi oportet charitatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, ** decretis* quisquis Apostolicis voluerit contraire * mandatis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris à sancto fiat ministerio. Non de eius iudicio quisquam postea curam habeat: quoniam iam damnatus à sancta & Apostolica Ecclesia, ac authoritate, sua de inobedientia atque præsumptione à quoquam esse non dubitatur: quia maioris excommunicationis deiectione est exigendus, cui sanctæ Ecclesiæ commissa fuerit disciplina, qui non solum prælatæ sanctæ Ecclesiæ iussionibus parere debuit, sed etiam aliis ne præterirent, insinuare. Sitque alienus à diuinis & pontificalibus officiis, qui noluit præceptis obtemperare Apostolicis.

Quòd pro quiete contemplationis non est fugiendus locus regiminis. Idem ad Syriacum episcopum Constantinopolitanum. *Lib.6.regi c 169 ep. 8.q.1.in scriptis.*

¶ CAP. 350.

In scriptis autem vestris requiem vos magnopere quæsisse narratis. Sed per hoc ad pastoralem sollicitudinem venisse congruè ostenditis, quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus, & sicut *Hebr. 5.* scriptum est: Nec quisquam sumit sibi honorẽ, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Et rursum idem egregius prædicator dicit: Si vnus pro *2.Cor. 5.* omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, vt qui ** al. deo* viuunt iam non sibi viuant, sed * ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Et pastori sanctæ *Ioannis 2[1]* Ecclesiæ dicitur, Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas. Ex quibus verbis colligitur, quia si is qui valet, omnipotentis Dei oues renuit pascere, ostendit pastorem summum se minimè amare. Si enim vnigenitus patris pro explenda vtilitate omnium, de secreto patris egressus est ad publicum nostrum: nos quid dicturi sumus, si secretum præponimus vtilitati proximorum? Quies itaque nobis & ex corde appetenda est, & tamen pro multorum lucro aliquando postponenda. Nam sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit qui prædicet, occupationis onus libenti necesse est animo subire.

Vt Episcopus pro propria iniuria non excommunicet. Gregorius Ianuario Episcopo Calaritano. ¶ CAP. 351. *lib.2.regi cap.34 23 q.4.inter querelas.*

Isidorus à fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatúmque conquestus est. Quod quamobrem factum fuerit, dum à clerico tuo qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa, nisi quòd te iniuriauerat, factum cognouimus. Quæ res nos vehementer afflixit: quia si ita est, nil te ostendis de cœlestibus cogitare, sed terrenam * mentem te habere significas, dum pro vindicta propriæ iniuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis inuexisti. Vnde de cætero esto circumspectus atque sollicitus, & talia cuiquam pro defensione iniuriæ tuæ inferre denuo non præsumas. ** te habere conuersationem.*

*Episcopo infirmante, nisi de hac vita migrauerit, alter non substituatur, ne commissi talenti pulchritudo deleatur. Nicolaus Aluino * Iouanensi Episcopo.* ** Ianue[nsi]*

¶ CAP. 352.

Pontifices qui aliqua occupantur infirmitate *7 q.1.c pontifices qui* vel ægritudine, abiiciendi non sunt, nec alios in loco eorum consecrari oportet, nisi ex hac fuerint luce subtracti. Quod si de ministerio sibi cõcesso conqueruntur, quæ licita sunt sacerdotes expleant. In his verò quæ eis præsumere non licet, vicinorum vsque ad recuperandam sanita-

tem episcoporum, auxilia subrogentur; & hoc cum cautelæ studio peragatur, ne per necessitatis occasionem præsumptionis pullulet ambitio. Episcopi verò qui dominici gregis susceperunt curam atque sollicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet, vt accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamine eorum salubriter augeatur, & triplicetur.

Quòd Episcopus vel clericus nullo modo venationi debeat insistere. Idem ad eundem.

¶ Cap. 353.

dist.34.c. quorundam relatione. Quorundam relatione fidelium auribus nostris intimatum est, quòd Lanftedus Episcopus, qui & iuuenis esse dicitur, venationi sit deditus. Quod vitium plurimos etiam de clericali catalogo genere duntaxat Germanos & Gallos *irreuerentes implicat. (*reuerētes) Verum iste si ita est vt audiuimus, meritò iuuenis dicitur; qui iuuenilibus desideriis occupatus, nulla senum grauitate constringitur. *Item.* O miseram vitam hominum, & maximè sacerdotum! qui dum lucrandis fidelibus debent insistere, venandis feris incumbunt, & quos capere oportet homines, capiunt aues & bestias, qui dum mortibus student animantium, vitam suarum amittunt animarum. O infœlicem vitam super omnem vitam! Nam in quo magis quisque carnalis apparet, quàm in tali vita? Venatorum enim vita nil præter carnes capit, in qua dum quisque permansit nunquā probatus est. Nam (vt beatus dixit Hieronymus) venatorē nunquam legimus sanctū. Væ huiusmodi præsulibus, qui dū debēt Petrum, Andream, Iacobum & Ioannē, quibus à Domino dictum est: Venite post me, faciam vos piscatores hominum, ad imitationem suam eligere, quorum & discipuli sunt: magis Nemrod & Ismahelem, atque Esau reprobos imitantur, qui huiusmodi adinuentionibus incubuisse referuntur. (*Matth 4 & Mar. 1. Genes 50. Ibid. 21. Ibid. 25. & 27.*) Nihilominus autem de hoc Episcopo relatum est apostolatui nostro, quòd cum quadam filia sua immoderatam teneat familiaritatem: & ob id mala fama ei orta sit: Pro qua re à sanctitate tua cæterisque coepiscopis suis commonitus ac correptus est, sed nullatenus emendatus. Quæ res in hoc maximè displicet, & magis ac magis de se deteriorem reddit opinionem. In quo beatitudini tuæ, & coepiscoporum suorum rationibus non obedit, & per inobedientiam in culpam protoplasti relabitur. Oportet ergo fraternitatem tuam, synodale cum episcopis & suffraganeis tuis conuocare concilium, & hunc salutaribus eloquiis episcopum conuenire, atque illi pastorali authoritate præcipere, quatenus & ab omnium bestiarum, & volucrum venatione penitus alienus existat, atque immoderata filiæ suæ familiaritate semetipsum omnimodo coerceat. Quod si parere contempserit, & tam pro venationis declinatione, quam pro immoderata filiæ suæ vitanda conuersatione, vobis admonentibus obedire distulerit: à vestro collegio excommunicatus abscedat. Quòd si in hoc contumax adhuc apparuerit, à ministerio cessare debebit.

Quòd omnis Metropolitanus infra tres menses consecrationis suæ pro pallio debet Romam mittere, vel ire. Ioannes viij. ex concilio ij. apud Rauennam.

¶ Cap. 354.

Quisquis metropolitanus intra tres menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, palliúmque suscipiendum ab Apostolica sede, nullà ineuitabili necessitate imminente, non miserit, commissa sibi careat dignitate: ita vt tamdiu Episcopali illi sedi cedat, omniq; consecrandi licentia careat, quamdiu in exponenda fide, & in expetendo pallio priscum morem contempserit.

Qualiter honorandi sunt veri sacerdotes, quum Dominus falsos honorauerit. Cyprianus Rogatiano.

¶ Cap. 355.

lib 3 ep 9. dist 93. c dominus noster. Ioan. 18. Dominus noster Iesus Christus rex, & iudex, & sacerdos seruauit honorem malis sacerdotibus vsque ad suam passionem, in qua sacerdotē appellauit, quem sciebat esse sacrilegum, & cùm alapam accepisset, & ei diceretur: Sic respondes Pontifici? nihil contumeliosè locutus est in personam pontificis, sed magis innocentiā suam tuitus est, dicens: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: vt nos eius humilitatis haberemus exemplum, & docuit sacerdotes veros legitimè & plenè honorari, dum circa falsos sacerdotes ipse talis extitit.

Quòd singulæ Ecclesiæ singulos debent habere prælatos. Hieronymus Rustico monacho.

¶ Cap. 356.

7. q 1. c. in apibus. In apibus princeps vnus est: grues vnum sequuntur ordine literato. Imperator vnus, Iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est, duos fratres simul reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. (*Genes. 25.*) In Rebeccæ vtero Esau & Iacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum episcopi, singuli Archiepiscopi, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur.

Vt in Treuerensi vrbe & Coloniensi nullus inconsulto Romano Pontifice eligatur. Nicolaus Lothario regi.

¶ Capvt 357.

Porrò quia relatum est nobis, quod quicunque ad episcopatū in regno tuo promouendus est, non nisi fauentem tibi permittas eligi, idcirco Apostolica authoritate sub diuini iudicij obtestatione iniungimus tibi, vt in Treuerensi vrbe, & in Agrippina Colonia nullum eligi patiaris, antequam relatum super hoc nostro fiat apostolatui.

De professione fidei. Pelagius Childeberto regi.

¶ Cap. 358.

25. q. 1. c. Satagendum. Satagendum est, vt pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostræ regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse scripturæ sanctæ præcipiunt. Veniens autē Rufinus vir magnificus excellentiæ vestræ legatus, confidenter à nobis (vt decuit) postulauit, quatenus vobis aut beatæ recordationis Papæ Leonis tomum à nobis per omnia conseruari significare debuissemus, aut propriis verbis nostræ confessionem fidei destinare: & primam quidem petitiones eius partem quia facilior fuit, mox vt dixit impleuimus, neque in omnibus præsulis tomum pro Catholicæ fidei assertione conscriptum Deo propitio custodire, manus nostræ ad vos professione signauimus. Vt autem nullius deinceps (quod absit) suspicionis resideret occasio, etiam illam aliam partem quam memoratus vir illustris Ruffinus admonuit *facere, scilicet propriis verbis confessionem fidei quam tenemus, *exponens. (*alias facere maturaui. *exposui,)

li.4. epist. 2. ad Antonianum.

Quod post primum per electionem consecratum Episcopum, secundus esse non possit. Cyprianus in epistola sua ad Romanos.

¶ Cap. 359.

7. q. 1. c. factus est.

Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de clericorum omnium testimonio, de plebeio suffragio, de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum consensu, cùm nemo Episcopus inibi factus esset, quum gradus cathedræ vacaret. Quo occupato & omnium vestrum consensu firmato, quisquis iã episcopus fieri voluerit, omnimodis necesse est vt Ecclesiasticam non habeat ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet per consensum, vnitatem. Post primum secundus esse non potest. Quisquis enim post vnum qui per electionem consecratus est, esse voluerit, tam non secundus ille sed nullus est.

li. 4 epist. 9. ad Florentiũ Papianum.

Quod ecclesiæ contradicit qui episcopo contradicit. Cyprianus ad Papianum.

¶ Cap. 360.

7. q. 1 c. scire debet.

Scire debes episcopum in ecclesia esse, & ecclesiam in Episcopo: & si quis cum episcopo non sit, in ecclesia non esse, & frustrà sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt & latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ catholica vna est, scissa non sit, neque diuisa.

De vnitate Ecclesiæ. Cyprianus.

¶ Cap. 361.

Petri vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in ecclesia se esse confidit?

11. q. 4. c. si quis episcopus.

Quid agendum sit dè Episcopo, vel quocunque clerico, qui post depositionem communicare præsumpserit ex concilio Antiocheno, c. 4.

¶ Cap. 362.

Si quis episcopus à synodo fuerit depositus, vel presbyter, vel diaconus à proprio episcopo condemnatus, & præsumpserit sacerdotij seu sacri ministerij quippiam, non ei amplius liceat, neque in alia synodo spem restitutionis habere, neque assertionis alicuius locum: sed & communicantes ei abiici omnes ab ecclesia, & maximè si postquam cognouerunt sententiam aduersus eum fuisse prolatam, ei contumaciter communicauerint.

Ne episcopatus in aliquem, etiam sibi confessum, dicat, quod probare non possit. ex concilio Carthaginensi vi. cap. v.

¶ Cap. 363.

Item placuit, vt si quando episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget: non putet ad iniuriam suam episcopus pertinere, quod illi soli non creditur, & si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicauerit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, vt magis caueat episcopus ne dicat in quenquam, quod aliis documentis conuincere non potest.

con. Vasen. 1. c. 8.

De eodem ex concilio Vasensi. cap. viij.

¶ Caput 364.

6 q. 2. c. si tantum episcopus.

Quod si tãtum Episcopus alieni sceleris conscium nouit; quamdiu probare non potest, nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem eius secretis correptionibus elaboret. Qui si correptus pertinacior fuerit, & se communioni publicè ingesserit, etiam si episcopus in redarguẽdo illo, quem reum iudicat probatione deficiat, indemnatus licet ab his qui nihil sciunt, secedere ad tempus pro persona maioris authoritate, iubeatur: illo quamdiu probari nihil potest in commune omnium, præter quam eius qui eum reum iudicat, permanente.

Qua ætate diaconi consecrandi sint. Ex eodem concilio ca. xvi.

¶ Cap. 365.

con. Agat.

Episcopus benedictionem diaconatus minoribus quam viginti & quinque annorum penitus non committat. Sanè si coniugati iuuenes consenserint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda est, vt sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, postea quàm pariter conuersi fuerint, ordinentur.

c. 16. dist 77. c. episcopus.

Vt Episcopi, Presbyteri, & leuitæ canes ad venandum, & accipitres non habeant. ex concilio Agathensi, cap. 55.

¶ Cap. 366.

dist. 34. c. episcopum.

Episcopis, presbyteris, diaconibus, canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Quod si quis talium personarum in hac * voluntate * repertus fuerit: si episcopus est, tribus mensibus se à cõmunione suspendat. Presbyter duobus mensibus se abstineat. Diaconus verò ab omni officio & communione cessabit.

* volupcate.
* detectus al. detentus.

Quid agendum sit de episcopo vel cuiuscunque ordinis clerico à gradibus suis iniustè deiecto. Ex Toletano concilio, cap. xxviij.

¶ Cap. 367.

con. Tol. 4. cap. 27.

11. q. 3. c. episcopus presbyter.

Episcopus, presbyter, aut diaconus, si à gradu suo iniustè deiectus, in * sancta synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario, de manu Episcoporum. Si Episcopus est, orarium, annulum, & baculum: si presbyter, orarium & planetam: si diaconus orarium & albam: si subdiaconus, patenam & calicem: sic & reliqui gradus, eam reparationem sui accipiant, quam cùm ordinarentur perceperant.

* secũda al. plate-nam.

Quod rectores ecclesiarum magis sint expectandi & corrigendi, quàm statim iudicandi. Gregorius vniuersis episcopus per Galliam, Europam, Germaniam constitutis.

dist 45. c. licet plerumque.

¶ Cap. 368.

Pleraque horum leguntur epi: 84. Leonis pa. 1. ad Anasta. Thessal. episc. c. 1.

Licet plerunque accidant sacerdotibus quæ sunt reprehendenda, plus tamen erga corrigendos agat beniuolentia quàm seueritas, plus cohortatio quàm commotio, plus charitas quàm potestas, quum nemo nostrum sine reprehensione aut sine peccato viuat. Nam si Dominus statim post trinam negationem beatum Petrũ, præceptorem nostrum apostolum iudicasset, non tantum ex eo fructum, sicut fecit, recepisset. Expectandi ergo magis sunt atque corrigendi rectores ecclesiæ, quàm statim absque nostro consulto iudicandi, cùm maiora negotia & difficiliores causarum exitus sanctorum patrum canones spiritu Dei conditi, & totius mundi reuerentia consecrati, iubeant sub nostræ sententiæ exspectatione suspendere nostróque moderamine finiri. Vnde necesse est, hæc & alia quæque negotia ecclesiastica post multarum experimenta causarum, sollicitius perspici, & diligentius præcaueri: quatenus per spiritũ charitatis & pacis omnis

Matth 26.

materies scandalorum, & præsumptio inuidorum, atque oppressio simplicium, fratrum de ecclesiis domini auferantur. Et sicut non vult quisquam fratrum, se aliorum iudicio prægrauari, ita non audeat alij inferre quod sibi non vult fieri.

Vt nullus episcopus cogatur ad seculare iudicium venire, & de pœna eius qui episcopum ad iudicium seculare venire coegerit. De libro constitutionum, cap. vi.

¶ CAP. 369.

Nullus episcoporum cogatur ad iudicium venire dicendi causa, sed iudex apud episcopum mittat suos ministros, vt propositis sanctis euãgeliis quod scit episcopus dicat, secũdum quod sacerdotibus honestũ est. *Ex eodem cap. vij.* Nullus episcopus neque pro ciuili, neque pro criminali causa apud quemuis iudicem siue ciuilem, siue militarẽ producatur, vel exhibeatur, nisi imperialis iussio processerit. Magistratus enim qui hoc iubere ausus fuerit, amissione cinguli & xx. librarum auri condemnatione plectatur, vt istæ viginti libræ ecclesiæ addicantur, cuius episcopus produci vel exhiberi iussus est. Litis autem executor post cinguli amissionem, tormentis subiiciatur, & in eculeo mittatur.

11. q. 1 c. nullus episcopus, sed sub titulo Marcelli papæ.

Ne episcopus aleator, nec aliquis clericus, nec ludorum spectator fiat. Ibidem cap. nono.

¶ CAP. 370.

Neque episcopus, neque presbyter, neque diaconus, neque subdiaconus, neque lector, neque aliuscuiuscunque religiosi consortij vel habitus constitutus, tabolizare audeat, vel socius ludentium fieri, vel spectator, vel in quocunque spectaculo spectandi causa venire. Ac si quis contra hæc fecerit, per tres annos à sacro ministerio prohibeatur.

Vt nullus excommunicetur, antequam causa excommunicationis eius probetur. Ibid c. xi.

¶ CAP. 371.

Nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam ecclesiastici canones hoc fieri iubent. Si quis autem aduersus eam excommunicauerit aliquem, ille qui excommunicatus est, maioris sacerdotis autoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat: is autem qui non legitimè excommunicauit: in tantum abstineat tempus quantum maiori sacerdoti visum fuerit, vt quod iniustè fecit, ipse iustè patiatur.

2. q. 1. c. nemo episcopus.

Vt episcopus omni scientia legis diuinæ sit instructus. Synodi 7. cap. 2.

¶ CAP. 372.

Quoniam psallentes repromittimus Deo: In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos: omnes quidem christianos obseruare saluberrimum est, sed præcipuè hos qui ecclesiasticam consequuti fuerint dignitatem. Vnde diffinimus, omnem qui ad episcopatus prouehendus est gradum, modis omnibus psalterium nosse: vt ex hoc etiam omnis clerus qui sub eo fuerit, ita moueatur & imbuatur. Inquiratur autem diligenter à metropolitano, si in promptu habeat * legem scrutabiliter & non transitoriè, tam sacros canones & sanctum euangelium, quàm diuini Apostoli librum, & omnem diuinam scripturam: atque secundum mandata conuersari, & docere populum sibi commissum: Substantia enim summi sacerdotij nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est, vera diuinarum scripturarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius. Quod si disceptauerit, & ita libenter facere & docere minimè spoponderit, nullatenus consecretur. Ait enim Prophetæ Deus: Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.

Psal. 118. Beth.

* legere.

Oseæ 4.

Quod semel in anno concilia Episcoporum debeant celebrari, & non bis. Ibid. cap. vi.

¶ CAP. 373.

Quandoquidem regula est, quæ dicit: Bis in anno per singulas prouincias oportere fieri per conuentum Episcoporum regulares inquisitiones: propter fatigationem, & vt opportunè habeantur, ad iter agendum, hi qui congregandi sunt, diffinierunt sextæ synodi sancti patres, omni excusatione remota, modis omnibus semel in anno fieri, & deprauata corrigi. Hunc canonem & nos renouamus, & si quisquam princeps inuentus fuerit hoc prohibere, communione priuetur. Si quis verò Metropolitanorum hoc neglexerit agere absque necessitate, vel vi, seu aliqua rationabili * causa, canonicis pœnis subiaceat. Dum autem synodus agitur super canonicis & Euangelicis negotiis, oportet congregatos Episcopos in meditatione & sollicitudine fieri custodiendorum diuinorum & viuificorum Domini mandatorum. In custodiendis enim illis retributio multa: quia & lucerna mandatum: lex autem lux, & via vitæ argutio, & disciplina est: & Mandatum Domini, lucidum illuminans oculos. Porrò non habeat Metropolitanus licentiam ex his, quæ defert Episcopus secum, siue iumentum, siue aliquam speciem * expetendi. Quod si hoc egisse coniunctus fuerit, soluat quadruplum.

dist 18. c. quoniam quidem.

* occasione.

Psal 18. Prouer. 6.

Psal. 18.

* expetendi.

De œconomis per singulas Ecclesias constituendis, ibid. cap. xi.

¶ CAP. 374.

Cùm simus debitores omnes sacras regulas custodire, eam quæ dicit in vnaquaque ecclesia œconomus esse, modis omnibus inuiolabilem conseruare debemus, & siquidem vnusquisque Metropolitanus in sua Ecclesia constituerit œconomum, benè vtique: sin autem ex authoritate propria Constantinopoleos Episcopis licentia est præponendi œconomos in eius Ecclesia, similiter & Metropolitanis, si Episcopi qui sub ipsis sunt non sategerint œconomos statuere in suis Ecclesiis. Idipsum autem seruandum est etiam in Monasteriis.

9. q 3 c cum simus.

Ne Episcopus vel Abbas alicui principium, vel parentibus suis fundum Ecclesiæ largiatur. Ibid. cap. xij.

¶ CAP. 375.

Si quis Episcopus vel Abbas inuentus fuerit, de salariis Episcopi, siue Monasteriis, transferre quicquam in principum manus, vel etiam aliquid personæ alicui cõferre, irritum sit quod datum esse constiterit, secundum canonem sanctorum Apostolorum qui dicit: Omnium Ecclesiasticarum rerum episcopus habeat solcitudinem, vt dispenset eas tanquam Deo contemplante. Non licere autem fraudare ei quicquam ex illis, vel cognatis propriis donare quæ Dei sunt. Quod si pauperes fuerint, vt paupeeribus largiatur, sed non sub horum occasionquæ sunt Ecclesiæ defraudentur. Quod si excu-

ſationem prætenderint, dãnum facere, & nihil ad profectum agrum exiſtere: nec ſic principibus qui loca per illa ſunt, tribuatur ager ille vel locus: ſed clericis vel agricultoribus. Quod ſi calliditate vſus fuerit, & à colono vel clerico émerit princeps agrum, etiã ſic irrita ſit venditio: & reſtituatur in Epiſcopio vel in Monaſterio, & Epiſcopus vel Abbas hoc faciens abiiciatur, Epiſcopus quidem ab Epiſcopio, Abbas autem à Monaſterio: tanquam qui diſpergit malè, quæ non * collegit.

*colligit.

Quod Abbati in proprio tantum Monaſterio lectorem liceat facere. Ibid c.xiv. ¶ CAP. 376.

diſt 69. cap. quoniam videmus

Quia ordo debet in conſecratione cuſtodiri, omnibus modis liquet, & cum diligentia conſequare * ſacerdotũ promotiones, Deo eſt prorſus acceptũ. Et quoniã videmus ſine manus impoſitione, à paruula ætate quoſdã tonſurã clerici accipientes, nondúmq; ab Epiſcopo manus impoſitione percepta, ſuper ambonẽ irregulariter in collecta legentes: præcipimus amodo id minimè fieri. Idipſum quoq; obſeruandũ eſt etiam inter Monachos. Lectoris autẽ, manus impoſitione licentia eſt vnicuique Abbati in proprio Monaſterio ſolummodò faciendi, ſi duntaxat eidẽ Abbati manus impoſitio facta noſcatur ab Epiſcopo, ſecundũ morẽ pręficiendorũ Abbatũ, dũ cõſtet illũ eſſe preſbyterũ. Simili modo ſecũdũ antiquã cõſuetudinem Chorepiſcopũ præceptione Epiſcopi oportet promouere lectores.

* Sacerdotij.

Vt Epiſcopi vel clerici fulgidis & claris veſtibus non ornentur. Ibid. c.xvi. ¶ CAP. 377.

21 q. 4. c. omnis iactantia.

Omnis iactantia & ornatura corporalis aliena eſt à ſacro ordine. Eos ergo Epiſcopos vel clericos, qui ſe fulgidis & claris veſtibus ornãt, emẽdari oportet. Quod ſi in hoc permãſerint epitimio tradãtur: ſimiliter & eos qui vnguẽtis inungũtur. Quoniã verò radice amaritudinis exorta cõterminatio facta eſt in Eccleſia Catholica * Chriſtianos calumniantiũ hæreſis: & hi qui hãc receperũt: nõ ſolũ * imaginarias picturas abominati ſũt, ſed etiã omnẽ reuerentiã repulerũt, eos qui piè ac religioſè viuũt offendẽtes, ac per hoc cõpletur in eis quod ſcriptũ eſt Abominatio eſt peccatori Dei cultus. Igitur ſi inuẽti fuerint deridẽtes eos qui vilibus & religioſis veſtimẽtis amicti ſũt, * per epitimiũ corrigãtur. Priſcis enim tẽporibus omnis ſacratus vir cũ mediocri ac vili veſte cõuerſabatur. Omne quippe quod nõ propter neceſſitatẽ ſuã, ſed propter venuſtatẽ accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodũ magnus ait Baſilius. Sed neq; ex ſericis texturis veſtem quis variatã induebat, neq; apponebant variorũ colorũ ornamẽta in ſummitatibus veſtimentorũ: audierãt enim ex dei ſona lingua: Quia qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt.

* χριστιανοκατηγόρων αἱρέσεις.
* τὰς εἰκονικὰς ζωγραφήσεις.
Prouerb 15.
* δι᾽ ἐπιτιμίου.
Matth. 11.

Nullam dignitatem ſecularem, ſed nec Imperialem, honori vel dignitati Epiſcopali poſſe adæquari. ex epiſt. Greg. ad Herimannum Metenſem Epiſc.

¶ CAP. 378.

diſt. 96. cap. quis dubitet.

Quis dubitet ſacerdotes Chriſti regum & principum, omniũmque fidelium patres & magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubijcere, à quo ſe credit non ſolùm in terra, ſed etiam in cœlis ligari poſſe & ſolui? Hæc (ſicut beatus Gregorius in epiſtola ad Mauricium Imperatorem directa commemorat) Conſtãtinus magnus Imperator omnium regũ & principũ ferè totius orbis dominus, euidenter intelligens, in ſancta Nicæna ſynodo poſt omnes epiſcopos vltimus reſidens, nullam iudicij ſententiam ſupra eos dare præſumpſit: ſed illos etiã dominos vocãs, nõ ſuo debere ſubeſſe iudicio, verùm ad illorũ pendere ſe arbitriũ iudicauit. Supradicto quoq; Anaſtaſio prælibatus Papa Gelaſius perſuadens, ne ille intimatã ſuis ſenſibus veritatem arbitraretur iniuriã, ſubintulit dicens: Duo ſunt quippe, Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, authoritas videlicet ſacra Pontificũ, & regalis poteſtas: in quibus tantò grauius eſt pondus ſacerdotũ, quantò etiã pro ipſis regibus hominum, in diuino reddituri ſunt examine rationẽ. Et paucis interpoſitis ait: Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio: nõ illos ad tuam velle redigi voluntatem. Talibus ergo inſtitutis, talibúſque fulti authoritatibus plærique Pontificum, alij Reges, alij Imperatores excõmunicauerunt. Nã ſi ſpeciale aliquod de perſonis principũ requiratur exemplũ, beatus Innocentius Papa Arcadiũ Imperatorẽ, quia conſenſit vt ſanctus Ioannes Chryſoſtomus à ſede ſua pelleretur, excommunicauit. Alius itẽ Romanus Pontifex regẽ Francorum, non tã pro ſuis iniquitatibus, quàm pro eo, quod tantæ poteſtati erat inutilis, à regno depoſuit, & Pipinũ Caroli Imperatoris patrem in eius loco ſubſtituit, omnéſq; Francigenas à iuramento fidelitatis abſoluit. Quod etiam ex frequenti authoritate agit ſancta Eccleſia, cum milites abſoluit à vinculo iuramenti, quod factum eſt his Epiſcopis, qui Apoſtolica authoritate à Pontificali gradu deponuntur. Et B. Ambroſius, licet ſanctus, nõ tamen vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, pro culpa quæ ab aliis ſacerdotibus, non adeo grauis videbatur, Theodoſium magnum Imperatorẽ excõmunicans, ab Eccleſia excluſit. Qui etiã in ſuis ſcriptis, oſtendit, quod aurum nõ tã precioſius ſit plũbo, quã regia poteſtate ſit altior ſacerdotalis, hoc modo circa principiũ ſui Paſtoralis ſcribens: Honor fratres & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit cõparationibus adæquari. Si regũ fulgori cõpares & principũ diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorẽ compares. Quippe cùm videas regũ colla & principum ſubmitti genibus ſacerdotum, & exoſculata eorum dextera, ſe credant communiri. Et poſt pauca. Hæc cuncta fratres ideo nos præmiſiſſe debetis cognoſcere, vt oſtenderemus nihil eſſe in hoc ſeculo excellentius ſacerdotibus, nihil ſublimius Epiſcopis inueniri. Nonnè ſicut ait B. Gregorius, recordandæ memoriæ Vigilius Papa cõtra Theodoram tunc Auguſtam damnationis * protulit ſententiam? Sic quoque Charibertus Pariſiorum, rex quum Gotbergam legitimam vxorem ſuam, reliquiſſet, & duas ſorores Meroflidem & Marcoueuam in vxores duxiſſet, à beato Germano Pariſiorum Epiſcopo excommunicatus eſt. Et cùm reſipiſcere nollet, non multò poſt diuino iudicio ipſe defunctus eſt.

Diſt. 96. duo ſunt
Habetur hæc epiſtola Gelaſij ad Anaſtaſium Auguſtum tomo 2. cõc.
Ambr. de dignitate ſacerdotali cap. 2.
Ibid cap. 3.
*promulgauit.
al. Ingobergam.



D.
IVONIS CARNOTENSIS
EPISCOPI
DECRETI PARS SEXTA.

De Clericorum conuersatione, & ordinatione, & correctione, & causis.

VNDE CLERICVS DICATVR.
Ex Epist. Hieronymi ad Nepotianum

¶ CAPVT PRIMVM.

12.q.1.c clericus. Isidorus l. 2 off. Eccl. c.1.



CLERICVS qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis diffinitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim cleros Græcè, Latinè sors appellatur, propterea Clerici vocantur, quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse dominus sors, id est, pars clericorum est. * Et quia vel ipse pars domini est, vel domini partē habet, talem se exhibere debet, vt ipse possideat dominum, & ipse possideatur à domino. Qui possidet dominum, & cum Propheta dicit: Pars mea dominus: nihil extra dominum habere potest. Quòd si quippiam aliud habuerit præter dominum, pars eius non erit dominus. Verbi gratiâ: Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus dominus pars eius fieri non dignatur. Si autem ego pars domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Leuita & sacerdos viuo de decimis, & altari deseruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te, & repetens iterum iterúmque monebo, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra sæculi in Christi quæras militia, ne plus habeas quàm quando clericus esse cœpisti, & dicatur tibi, clericatus eorum non proderit eis.

* al. Qui autem.

Psal. 15. & 72.

Psal 104.

Quòd duo sint genera Clericorum. Ex dictis Beati Isidori de generibus clericorum.

¶ CAP. 2.

Eccl. offic. 2 c.3.

Duo sunt genera clericorum; vnum Ecclesiasticorum sub regimine Episcopali degētium: alterum acephalorum, id est sine capite, quem sequantur ignorantium. Hos neque inter laicos sæcularium officiorum studia, neque inter clericos religio retentat diuina: sed solutos atque oberrantes, sola turpis vita complectitur & vaga. * Qui quidem nullum metuentes, explendæ voluptatis suæ licentiam consectantur, quasi animalia bruta libertate ac desiderio suo feruntur: habentes signum religionis, non religionis officium, Hippocentauris similes, neque equi, neque homines, mixtúmque (vt ait Poëta) genus prolésque biformis. Quorum quidem sordida atque infami numerositate satis supérque nostra pars occidua * polluitur.

* Quiq; dum nullum, &c.

Virg. 6. Æn.

* pollet.

Quòd Clericis præcipuè conuenit Deum diligere & proximum, & de conuersatione & officio eorum. Epilogus & regula clericorum breuiter collecta.

¶ CAP. 3.

Legalibus interea institutis & Euangelicis saluberrimis monemur præceptis, vt Dominum Deum nostrum totis præcordiis diligamus, & proximos tanquam nosipsos, & cætera. Si igitur ab omnibus fidelibus his salutiferis præceptis totis nisibus est fauendum, quantò magis ab his qui diuinis cultibus mancipati sunt, & aliis exēplo virtutum condimentum esse debent? Proinde oportet vt primò omnium Dominum Deum diligant ex toto corde, ex tota anima, tota virtute, & proximos tanquam seipsos, & nosse quia in his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Non occidant, neque fratrem oderint, quia, vt ait Apostolus: Qui fratrem suum odit, homicida est Non adulterent. Non faciant furtum. Non concupiscant rem alienam, Non falsum testimonium dicant, & quod sibi nolunt fieri, alteri non faciant. Non sint superbi, aut tumidi, non detractionibus assueti, non ebrietati

Deut 6. Leui. 19. Matth. 22. Marc. 12.

1. Ioan. 3.

seruientes. Non luxuriâ eneruati, non iracundiâ turbidi, non quibuslibet aliis vitiis substrati, non vaniloqui, non inuidi, non somnolenti, non pigri, non murmuratores, nõ susurrones, non vinolenti, non multùm edaces. Fraudes & dolositates caueant, vsuris nequaquam inseruiant, non iurent, ne fortè * peierent, malum pro malo non reddant. Cùm in se aliquid boni viderint, Deo: & malum cum viderint, sibi deputent. Discordiam fugiant, & quos * nouerint discordes, ad charitatis cõcordiam reuocent: & iuxta Psalmistæ vocem, declinent à malo, & faciant bonum. Attendant & Apostolum prohibentem: Non, inquit, in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum. Animaduertant etiam quòd ab his vitiis ab Apostolo prohibitis omnium vitiorum seges emergat, & quòd horum morborum mater superbia sit. Oportet etiam vt animam corpúsque suum ab omni inquinamento carnis & spiritus custodiant, vt iuxta Apostolum integer spiritus eorum, & anima & corpus sine querela in aduentu Domini Iesu Christi seruetur. Sobriè, & iustè, & piè viuãt. Sæcularia negotia prorsus abiiciant: quia iuxta eundem Apostolum: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit. Ieiunium ament, hospites colligant, pauperes recreent, nudos vestiant, infirmos visitent, mortuos sepeliant, in tribulatione positis opem ferant, dolentem consolentur, amori Christi nihil præponant, charitatem non derelinquant, pacẽ, si fieri potest, cum omnibus hominibus habeant. Diei iudicij timeant, vitam æternam spiritualiter concupiscant. Spem suam Deo committant: proprio Episcopo in omnibus secundùm canonicam institutionem obtemperent, magistros suos non temerè reprehendant. Postremò in doctrinis spiritualibus operam dent: lectionibus, psalmis, hymnis, canticis spiritualibus, & cæterorum bonorum operum exercitiis iugiter incumbant. In dormitorio nisi quem infirmitas detinuerit, omnes dormiant. In refectorio pariter reficiantur, quotidiè ad collationem veniant. Mox vt signum datum fuerit, ad Ecclesiam omnes festinatè veniant, & horas canonicas nõ neglig ẽter, sed cũ omni religione pariter celebrẽt, Ecclesiã nõ põpaticè, sed reuerẽter ingrediãtur. In choro cum baculis nõ stent. Vaniloquiis nequaquã insistant, sed cũ omni deuotione & veneratione diuinæ seruitutis opus peragant, sciẽtes Angelorum præsentiam semper illic adesse. E claustris non nisi per licentiam egrediantur. Egressi irreprehensibiliter viuant, vt ab his qui foris sunt bonum testimonium habeant: & religionem ac propositum suum actibus illicitis nequaquam maculent. Sed potiùs omnes quibus se coniunxerint, sale sapientiæ & bonorum operum exemplis condiant. Contubernia fœminarum nullatenus appetant, nõ vanis oculis, aut petulanti tumidóque gestu ac dissolutis renibus incedant. Non spectaculis, non pompis sæcularibus intersint: non aleæ, non quibuslibet venationibus inseruiant: Apostoli namque instructi documento, quo ait: Non in veste pretiosa: nequaquam pretiosis delectentur vestibus. Caueant summoperè ne extra claustra moras faciant: nisi prout sibi à Priore constitutum fuerit, & opportunitas tẽporis dictauerit. Intra claustra positi non otio vacent, sed aut diuinis officiis, aut propriis vtilitatibus, aut certè magistrorum pareant iussionibus, ne otio torpentes ab Apostolo audiant: Qui non vult operari, nec mãducet. Seniores spiritualiter iuniores diligant: iuniores senioribus obsequium dignum exhibeant. Doctiores minus doctis nequaquam se præferant, sed magis eos cum charitate ædificẽt. Neque hi qui nobilitate generis, aut virtutum donis pollent, cæteris se tumidè superextollant. Omnes in congregatione vicissim sibi charitatis officio seruiant. Quibus etiam in refectorio comedẽtibus, & religiosissimè silentiũ tenentibus, continuatim legatur lectio. Delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant, & castigent. Pueros & adolescentes negligentes verborum disciplinis corrigant. Singuli secundùm capacitatem suam diuersarum artium erudiantur disciplinis, vt nullus in collegio canonico inutilis appareat, nec vota fidelium otiosus comedat. Tales quippe esse, imo taliter conuersari decet omnes, qui diuinis officiis se manciparunt. Quapropter studeant hæc breuiter collecta sedula meditatione perlegere & memoriæ commendare, & adiuuante diuina gratia, iuxta vires adimplere, quò facilius & liberius maiora à sanctis patribus edita, exequi valeant. Vocatione ergo qua vocati sunt, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, ambulent: quatenus diuinis iussionibus obtemperantes ad Christum, in cuius sorte esse noscuntur, qui via, veritas, & vita est, eo opitulante, peruenire mereantur.

Marginal notes: * periurent. — * inuenerint discordantes. — Psal. 36. — Rom. 13. — 1. Thess. 5. — 2. Tim. 2. — 1. Timoth. 2. — 2 Thess. 3.

De tonsura clericorum. Isidorus in libro Ecclesiasticorum officiorum. ¶ CAP. 4. *Lib 2. c. 4.*

Tonsuræ Ecclesiasticæ vsus à Nazaræis (ni fallor) exortus est, qui prius crine seruato, denuò post vitæ magnæ * continentiam deuotione cõpleta, caput radebant, & capillos in igne sacrificij ponere iubebantur, scilicet vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent. Huius ergo exempli vsus ab Apostolis introductus est, vt hi qui in diuinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei crine preciso innouentur. Hoc quippe & Ezechieli Prophetæ iubetur, dicente Domino: Tu fili hominis sume tibi gladium acutum, & duces per caput tuum, & barbam. Videlicet quia & ipse sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis deseruiebat. Hoc & Nazaræos illos Priscillam & Aquilam in actibus Apostolorum primùm fecisse legimus. Paulum quoque Apostolum, & quosdam discipulorum Christi, qui in huiusmodi cultu imitandi extiterunt. Est autem in clericis tonsura, signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur: scilicet vt hoc signo in religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur: atque inde innouatis sensibus, vt comis rudibus enitescamus, expoliantes nos, iuxta Apostolum, veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum qui renouatur in agnitionem Dei. Quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi ipsa mens noscitur habitare. Quod verò de tonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur: sacerdotium regnúmque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum. Hæc ex bysso confecta rotunda erat, quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem latitudo * aurea est circuli, quæ regum capita cingit. Vtrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum, vt impleatur etiam quadam corporis similitudine,

Marginal notes: Num 6. — * deuotionem continentia cõpleta, &c. — Ezech. 5. — Actor. 18. — Ibidem 21. — Coloss. 3. — * aurei.

1.Pet. 2. similitudine, quod scriptum est, Petro Apostolo perdocente: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Quæritur autem, cur sicut apud antiquos Nazaræos, non antè coma nutritur, & sic tondetur. Sed qui hæc exquirunt, aduertant quid sit inter illud Propheticum velamentum, & hanc euangelij reuelationem, de qua dicit
2. Cor 3. Apostolus: Cùm transieris ad Christum, auferetur velamen. Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Moysi, & aspectum populi Israel, hoc significabat illis temporibus etiam coma sanctorum.
1.Cor. 11. Nam & Apostolus comam pro velamento esse dicit. Proinde iam non oportet, vt velentur crinibus eorum capita, qui Domino consecrantur: sed tantùm vt reuelentur, quia quod erat occultum in sacramento Prophetiæ, iam in euangelio declaratum est.

Lib. 2. c. 14. *I. De Ostiariis. Idem.* ¶ CAP. 5.

1. Para 9. 23 & 35. Ostiarij sunt, qui in veteri testamento ianitores templi vocabantur: qui præerant portis templi Hierusalem, quique ordinati, per vices suas omnia interiora templi vel exteriora custodiebant. Hi denique inter sanctum & iniquum discernentes, eos tantùm in Ecclesia qui sunt fideles, recipiunt. Intrare enim templum nisi per eos non * possumus. Habent enim potestatem tam bonos recipiendi, quàm reijciendi indignos.

* possunt

Lib. 2. c. 11. *II. De Lectoribus. Idem.* ¶ CAP. 6.

Lectorum ordo formam & initium à prophetis accepit. Sunt igitur lectores, qui verbum
Esaiæ 58. Dei prædicant, quibus dicitur: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Isti quippe dum ordinantur, primùm de eorum conuersatione episcopus verbum facit ad populum, deinde coram plebe tradit eis codicem apicum diuinorum, ad Dei verbum annunciandum. Qui autem ad huiusmodi prouehitur gradum, iste erit doctrina & libris imbutus, sensuúmque ac verborum scientia perornatus, ita vt distinctionibus sententiarum intelligat vbi finiatur iunctura, vbi adhuc pendeat oratio, vbi sententia extrema claudatur. Sicque expeditus * vim pronunciationis tenebit, vt ad intellectum omnium mentes sensúmque promoueat, discernendo genera pronunciationum, atque exprimendo proprios sententiarum affectus, modò indicantis voce, modò * dolentis, modò increpantis, modò exhortantis, siue his similia, secundùm genus propriæ pronunciationis, in quo * magis illa ambigua sententiarum adhibenda cognitio est. Multa enim sunt in scripturis, quæ nisi proprio modo pronuncientur, in contrariam
Rom. 8. recidunt sententiam: sicuti est: Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat? Quòd si quasi confirmatiuè, non seruato genere pronunciationis suæ, dicatur, magna peruersitas oritur. Sic ergo pronunciandum est, ac si diceret: Deúsne qui iustificat? * Subauditur, non. Necesse est ergo in tantis rebus scientiæ ingenium, quo propriè singula cōuenientérque pronuncientur. Propterea & accentuum vim oportet lectorem scire: vt nouerit in qua syllaba vox protendatur pronunciantis. Plærunque enim imperiti lectores in verborum accentibus errant, & solent irridere nos imperitiæ hi qui videntur habere notitiam, detrahentes & iurantes penitus nos nescire quod dicimus. Porrò vox lectoris simplex erit, clara, ad omne pronunciationis genus accommodata, plena virili succo, agrestem & subrusticum effugiens sonum, non humilis, nec adeo sublimis, non fracta vel tenera, nihilque fœmineum sonans, neque cum motu corporis, sed tantùm cum grauitatis specie. Auribus enim & cordi consulere debet lector, non oculis, ne potius ex seipso eos spectatores magis, quàm auditores faciat. Vetus opinio est, lectores pronunciandi causâ præcipuam curam vocis habuisse, vt exaudiri in tumultu possent. Vnde & dudum lectores præcones vel proclamatores vocabantur.

* al. vsum
* iubetis
* maximè
* vt subaudiatur

III. De Exorcistis. Idem. Lib. 2. c. 13.

¶ CAP. 7.

In * ordine & ministerio ecclesiæ esse exorcistas, secundùm officia quæ in templo Salomonis erant disposita, quæque posterius sunt ab Esdra dispertita inuenimus, eosque quos Esdras * actores memorat templi, eos nunc esse Exorcistas in ecclesia Dei. Fuerunt enim sub Esdra actores templi, seruorum Salomonis filij qui actum templi totius sub cura sua haberent, aut sacris * oblationibus deseruirent. Et cùm fuissent ex ordine & ministerio templi, longè fuerunt ab officio altaris Dei: quia nec Psalmistis nec Ostiariis, nec sacrorum seruis, attingere licebat munera altaris, nisi tantummodo leuitis. Quid ergo est? Nullam aliam curam habebant actores templi, nisi ad sarta tecta * farcienda, vt quæcunque fuissent vexata in ædificatione templi, aut dilapsa, per eosdem actores de thesauris dominicis reficerentur atque excolerentur. Ergo actores templi Exorcistæ sunt in * templo Dei. Quomodo enim actor prudens & bonus scit, quis sit Domini sui census, & omnis substantiæ modus, & redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia: sic & exorcista redigit in sua diligentia totius regni domini secreta, vt memoriæ mandet de scripturarum sacramentis, vnde exerceat, scilicet donum quod illi est à spiritu sancto concessum, secundùm Apostoli præconium. Exorcistas enim memorat Apostolus, cùm dicit: Nunquid omnes donationes habent sanatio- 1. Cor. 12. num. Hi enim cùm ordinantur, sicut ait Canon, Con. Carth. 4. canon 7. accipiant de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, accipientes potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptisatos siue catechumenos.

* primo
1. Esd. 2. & 3.
* autores
* actionibus
* reficienda
* populo

IIII. De Acolytis. Idem.

¶ CAP. 8.

Acolyti græcè, latinè ceroferarij dicuntur, à deportandis cereis, quando legendum est Euangelium, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur, non ad effugandas tenebras, dum sol eo tempore rutilet; sed ad signum lætitiæ demonstrandum: vt sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de qua in Euangelio legitur: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Non reperitur hoc caput in exemplaribus Isidori excusis, sed Etymolog. l. 7. c. 12. Et in conc. Aquisgran. Ioannis 1.

V. De Subdiaconibus. Idem. Lib. 2 c. 10.

¶ CAP. 9.

Subdiaconi qui apud Græcos hypodiaconi vocitantur, in Esdra inueniuntur, appellantúrque 1 Esd 2 7 8. ibi * Nathinæi, id est, in humilitate Domino seruientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathanael, qui in Euangelio Ioannis diuina proditione Ioannis 1.

* Nathanei

commonitus, saluatorem meruit confiteri, quíque etiam ad primum diuinitatis indicium fidelis enituit: protestante domino ac dicente: *Ibidem.* Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Denique isti oblationes in templo domini suscipiunt à populis. Isti obediunt officiis leuitarum, isti quoque vasa corporis & sanguinis Christi diaconibus ad altaria Domini offerunt. De quibus quidem placuit patribus, vt qui sacra mysteria contrectant, casti & continentes sint ab vxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi, iuxta quod illis Propheta dicente, iubetur: *Esaiæ 52.* Mundamini, qui fertis vasa Domini. Hi igitur quum ordinantur, sicut sacerdotes & Leuitæ, manus impositionem non suscipiunt: sed patenam tantùm & calicem de manu episcopi, & ab Archidiacono cyphum aquæ cum * aqua, manile & manutergium accipiunt. (* aquamanili)

Lib.2.c.8.

VI. De Diaconis. Ibidem.

¶ Cap. 10.

Diaconorum ordo à tribu Leui accepit exordium. Præcepit enim dominus Moysi vt post ordinationem Aaron sacerdotis & filiorum eius, *Num.1 & 3.* * Leui tribus in diuini cultus ministerio ordinarentur, & consecrarentur domino pro omnibus primogenitis, & seruirent pro Israel coram Aaron & filiis eius in tabernaculo Dei, excubantes in templo Dei, die ac nocte, ipsique gestarent arcam & tabernaculum, & omnia vasa eius, & in circuitu tabernaculi castra ipsi cōstituerent, & in promouendo tabernaculo ipsi deponerent, rursus ipsi componerent. A viginti quinque annis & suprà, in tabernaculo illis seruire mandatum est. Quam regulam sancti patres, & in nouo testamento constituerunt in Euangelio autem primordia eorum, in actibus A- *Actor. 6.* postolorum ita leguntur: Conuocantes autem duodecim Apostoli multitudinem discipulorū dixerunt: Non placet nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Quid ergo est fratres? Considerate ex vobis viros boni testimonij septem, plenos spiritu * sapientiæ, quos constituamus in hanc rem: Nos verò erimus orationi & ministerio sermonis instantes. Et placuit hic sermo coram multitudine: & elegerunt statim Stephanum virum plenum fide & spiritu sancto, Philippum & Prochorum, Nicanorem & Timonem, Parmenam & Nicolaum aduenam Antiochensem. Hos statuerunt ante Apostolos: Et cum orassent, imposuerunt illis manus, verbúmque Dei crescebat, & multiplicabatur numerus credentium. Ex hinc iam decreuerunt Apostoli, vel successores Apostolorum vt per omnes ecclesias septem diacones, qui sublimiori gradu cæteris, proximè circa aram Christi quasi columnæ altaris adsisterent, & non sine aliquo septenarij numeri mysterio. Hi enim sunt, quos in Apoca- *Apoc.8 & 1.* lypsi legimus, septem angeli tubâ canentes. Hi sunt septem candelabra aurea: hi voces tonitruorum. Ipsi enim clara voce in modum præconis, admonent cunctos, siue in orando, siue in flectendis genibus, siue in psallendo, siue lectiones audiendo. Ipsi etiam vt aures habeamus ad dominum clamant, ipsi quoque euangelizant. Sine ipsis sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro sacramenti dispensatio est. Ille orare, hic psallere mandat. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam sacerdotibus propter præsumptionem nō licet de mensa domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit à diaconibus. Leuitæ inferunt oblationes in altaria: leuitæ componunt mensam domini: Leuitæ operiunt arcam testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum quę operiuntur à Leuitis, ne videant qui videre nō debent, & sumant qui seruare non possunt. Qui propterea altario albis induti adsistunt, vt cœlestem vitam habeant, candidique ad hostias & immaculati accedant, mundi scilicet corpore & incorrupti pudore. Tales enim decet dominum habere ministros, qui nullo carnis corrumpantur contagio, sed potius eminentia castitatis splendeant. Quales enim diaconi ordinentur Paulus Apostolus plenissimè scribit ad Timotheum. Nam cùm præmisisset de sacerdo- *1.Tim.3.* tum electione, continuò subiunxit: Diaconi similiter irreprehensibiles hoc est sine macula, sicut episcopi: Pudici vtique, id est, à libidine cōtinentes. Non bilingues, scilicet ne conturbent habentes pacem: Non multo vino dediti, quia vbi ebrietas ibi libido dominatur & furor: Non turpe lucrum sectantes, ne de cœlesti mysterio lucra terrena sectentur. Est quoque & turpis lucri appetitus, plus de præsentibus quàm de futuris cogitare. Post hæc subiecit: Hi autem probentur primùm, & sic ministrent nullum crimen habentes. Hi vtique sicut episcopi, ante ordinationem probari debent, si digni sint, & sic postea ministrare.

(* rursus Leui, &c.) (* Sp. sancto & sapientia)

VII. De Presbyteris. Ibidem. *Lib.2 c.7.*

¶ Cap. 11.

Presbyterorum ordo exordium sumpsit (vt dictum est) à filiis Aaron. Qui enim sacerdotes vocabantur in veteri testamento, hi sunt qui nunc appellantur Presbyteri. Et qui nuncupabantur principes sacerdotum, nunc episcopi nominantur. Presbyteri autem interpretantur seniores: quia seniores ætate Græci presbyteros vocant. His enim, sicut episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim ecclesiæ Christi, & in confectione diuini corporis & sanguinis consortes cum episcopis sunt. Similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. Ad solam authoritatem summi sacerdotij clericorum ordinatio & consecratio reseruata est, ne à multis disciplina ecclesiæ vendicata concordiam solueret, & scādala generaret. Nā Paulus Apostolus eosdē Presbyteros, vt verè sacerdotes sub nomine episcoporū ita asseuerat, loquens ad Titū: Huius, inquit, rei gratiâ *Tit.1.* reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & cōstituas per ciuitates presbyteros, quemadmodū ego tibi disposui. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habēs fideles, non in accusatione luxuriæ, aut nō subditos. Oportet enim episcopū sine crimine esse. Qua sentētia ostēdit etiā presbyteros sub episcoporū nomine taxari. Vnde ad Timotheū de ordinatione episcopi & *1.Tim.3.* diaconi scribens, de presbyteris omnino tacuit, quia eos in episcoporum nomine comprehendit. Secundus enim * primo coniunctus gradus ** al. & penè* est, sicut & ad Philippenses episcopis & diaconibus scribit, cùm vna ciuitas plures episcopos *Philip. 1.* habere non possit. Et in actibus Apostolorum *Actor. 20.* presbyteros ecclesiæ, iturus Hierosolymā congregauit, quibus inter cætera, ait: Videte gregem, in quo vos Spiritus sanctus episcopos ordinauit. Vnde etiā tales in ecclesia Presbyteros constituendos esse sicut episcopos, & Apostolus ad Titum loquitur, & canones ipsi testan- *Tit. 1.* tur: presbyteros autem meritò & sapientia dici,

nacletus. 2.c.2. umero 11. rouer.20. pient.4. non ætate. Nam & Moysi præcipitur, vt eligat presbyteros. Vnde in prouerbiis dicitur: Gloria senum canities. Quæ est hæc canities? Haud dubium quin sapientia, de qua scriptum est, Canities hominum prudentia est. Cúmque nongentos & amplius annos ab Adam vsque ad Abraham, vixisse homines legerimus, nullus alius primus appellatus est presbyter, id est senior, nisi Abraham, qui multò paucioribus annis vixisse conuincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur. Quod si ita est, * mirum cur insipientes constituuntur. *miror.*

Qualiter debeant ordinari Presbyteri. Ex concilio Carthaginensi iiij cap iij. cui interfuit Augustinus.

¶ Cap. 12.

dist.23 cap presbyter. Presbyter cùm ordinatur episcopo eum benedicente, & manum super caput eius tenente etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas iuxta manum episcopi super caput illius teneant.

Qualiter ordinandi sint Diaconi. Ibidem cap. iiij.

¶ Cap. 13.

dist.23. cap. diaconus. Diaconus cùm ordinatur, solus episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

De ordinatione Subdiaconorum. Ibidem cap. v.

¶ Cap. 14.

Dist. 23. ca. subdiaconus. Subdiaconus cùm ordinatur (quia manus impositionem non accipit) patenam de manu episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi accipiat vrceolum cum aqua, manile & manutergium.

De ordinatione Acolytorum, cap. vi.

¶ Cap. 15.

dist. 23. c. acolytus. Acolytus cùm ordinatur, ab episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat ceroferariũ cum cereo, vt sciat se ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & vrceolum vacuum, ad suggerendum vinum in eucharistiam sanguinis Christi.

De ordinatione Exorcistarum, cap. vij.

¶ Cap. 16.

dist. 23 c. exorcista. Exorcista cùm ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, siue baptizatum, siue cathecumenum.

De ordinatione Lectorum, cap. viij. ¶ Cap. 17.

dist. 23. c. lector. Lector cùm ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans eius fidem, ac vitam atque ingenium. Post hæc spectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens: Accipe & esto relator verbi Dei, habiturus si fideliter & vtiliter impleueris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministrauerint.

De ordinatione Ostiariorum. cap. ix.

¶ Cap. 18.

dist. 23. c. ostiarius. Ostiarius cùm ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conuersari, ad suggestionem Archidiaconi tradit ei episcopus claues ecclesiæ de altario, dicens ei: Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ istis clauibus recluduntur.

Qualiter Psalmista ordinetur, cap. x.

¶ Cap. 19.

Psalmista, id est, cantor potest absque scientia episcopi, sola iussione presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: Vide vt quod ore cantas, corde credas: & quod corde credis, operibus probes. *dist 23. c. Psalmista.*

Qualiter ecclesiastica officia ordinentur, & in omnibus gradibus quid ad quemque pertineat. Epistola Isidori Hispalensis episcopi ad Ludefredum Cordubensem episcopum directa.

¶ Cap. 20.

Perlectis sanctitatis tuæ literis gauisus sum, quòd optatam salutem tuam earum relatu cognoui. De his autem quæ in consequentibus insinuare eloquij tui sermo studuit, gratias ago Deo, quòd sollicitudinem officij pastoralis impendis, qualitérque ecclesiastica officia ordinentur perquiris. Et licet omnia prudentiæ tuæ sint cognita, tamen quia affectu fraterno me consulis, ex parte qua valeo expediam, & de omnibus ecclesiæ gradibus quid ad quemque pertineat eloquar. Ad ostiarium námque pertinent claues ecclesiæ, vt claudat, & aperiat templum Dei, & omnia quæ sunt intus extráque custodiat, fideles recipiat, excommunicatos & infideles excipiat. Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manúsque super energumenos & cathecumenos in exorcizando impónere. Ad acolytum pertinet præparatio luminariorum in sacrario. Ipse cereum portat, ipse * suggesta pro eucharistia, * calices præparat. Ad psalmistam pertinet officium canendi, dicere benedictiones, * laudes, sacrificium, responsoria, & quicquid pertinet ad cantandi peritiam. Ad lectorem pertinet lectiones pronunciare, & ea quæ prophetæ vaticinauerunt, populis prædicare. Ad subdiaconum pertinet calicem & patenam ad altare Christi deferre, & leuitis tradere, eísque ministrare: Vrceolum quoque cum aqua, manile & manutergium tenere, episcopoque presbytero, & leuitis pro lauandis ante altare manibus aquam præbere. Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, in patena, & calice. Oblationes quoque inferre & disponere in altari: componere etiam mensam domini atque vestire, crucem ferre, & prædicare euangelium, & * apostolum. Nam sicut lectoribus vetus testamentum, ita diaconibus nouum prædicare præceptum est. Ad ipsum quoque pertinet officium precum & recitatio nominũ. Ipse præmonet aures habere ad dominum, ipse hortatur orare, ipse clamat, & pacem ipse annunciat. Ad presbyterum pertinet sacramentum corporis & sanguinis domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere dona dei. Ad episcopum pertinet basilicarum consecratio, vnctio altaris & confectio chrismatis. Ipse prædicta officia & ordines ecclesiasticos distribuit, ipse sacras virgines benedicit. Et dum præcessit vnusquisq; in singulis, ipse tamen præordinator est in cunctis. Hi sunt ordines & ministeria clericorũ, quæ tamẽ authoritate pōtificali in archidiaconi cura, & primicerij ac Thesaurarij sollicitudine

dist. 25 c. perlectis. * *al* vasa sug. * calices subdiaconis. * *al.* laudis sacrif. * *fortè.* Epistolam.

diuiduntur. Archidiaconus enim imperat subdiaconis & leuitis, ad quem pertinent ista ministeria, ordinatio vestiendi altaris à leuitis, cura incensi, & sacrificij necessaria sollicitudo, quis leuitarum * Apostolum & Euangelium legat, quis preces dicat seu responsorium in dominicis diebus aut solemnitatem decantet. Sollicitudo quoque parœciarum & ordinatio & iurgia ad eius pertinent curam: pro reparãdis diœcesanis basilicis, ipse suggerit sacerdoti. Ipse inquirit parœcias cum iussione episcopi, & ornamenta, vel res basilicarum vel parœciarum: gesta libertatum ecclesiasticarum episcopo idẽ refert. Collectam pecuniam de communione ipse accipit, & episcopo defert, & clericis partes proprias idem distribuit. Ab archidiacono nunciantur episcopo excessus diaconorum. Ipse denunciat sacerdoti in sacrario ieiuniorum dies atque solennitatum, & ab ipso publicè in ecclesia * prædicatur. Quando verò archidiaconus absens est, vicem eius diaconus sequens adimplet. Archipresbyter se esse sub archidiacono, eiúsque præceptis sicut episcopi sui, obedire sciat, & quod specialiter ad eius ministerium pertinet, super omnes presbyteros in ordine positos curam gerere, & assiduè in ecclesia stare, & quando episcopi sui absentia contigerit, ipse vice eius missarum solennia celebret, & collectas dicat, vel cui ipse iniunxerit. Ad Primicerium pertinent acolyti, exorcistæ, psalmistæ atque lectores, signum quoque dandum pro officio clericorum, pro vitæ honestate, & * officium cantandi, & peragendi sollicitè lectiones, benedictiones, psalmum, laudes, offertorium, & responsoria, quis clericorum dicere debeat: ordo quoque & modus psallendi in choro pro solennitate & tempore, ordinatio quoque pro luminaribus deportandis. Si quid etiam necessarium est, pro reparatione basilicarum, quæ sunt in vrbe, ipse denunciet sacerdoti. Epistolas episcopi pro diebus ieiuniorum parœcianis per ostiarios ipse dirigat. Clericos quos delinquere cognoscit ipse distringat: quos verò emendare non valet, eorum excessus ad agnitionem episcopi deferat. Basilicarios ipse constituat, & matriculas ipse disponat. Quando autem primicerius absens est, ea quæ prædicta sunt ipse exquirat, qui ei aut lege est proximus, aut eruditione his explendis certus. Ad Thesaurarium pertinet ostiarij basilicarum ordinatio, incensi præparatio, cura chrismatis conficiendi, cura baptisterij ordinandi, præparatio luminariorum in * sacrificio, & sacrificij.

* Gratianus epistolam.

* prædicatur.

* Officij meditandi.

* al. sacrario & sacrificiis cap. vj.

Qualiter ordinandi ab episcopo examinandi sint. Ex concilio Nannetensi, cap. iij.

¶ Cap. 21.

Episcopus quando ordinationes facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere volunt, feriâ quartâ ante ipsam ordinationem euocandi sunt, ad ciuitatẽ vnà cum * presbyteris qui eos repræsentare debent. Et tunc episcopus à latere suo eligere debet sacerdotes, & alios prudentes viros gnaros legis diuinæ, & exercitatos in ecclesiasticis sãctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum vbi educati sunt, si sint benè literati, si in lege domini instructi, diligenter inuestigent. Ante omnia si fidem catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem quibus hoc committitur, cauere debent, ne aut fauoris gratiâ, aut cuiuscunq; muneris cupiditate illecti à vero deuiẽt, vt indignum & minus idoneum, ad sacros gradus suscipiendos episcopi manibus adplicẽt. Quod si fecerint, & ille qui indignè accesserit ab altari remouebitur, & illi qui donum sancti spiritus vendere conati sunt, coram Deo iam condemnati, ecclesiastica dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies examinentur, & sic sabbato qui probati inuenti sunt, episcopo repræsententur.

dist. 24 c. quando episcopus.

* al. Archipresb.

Quæ presbyteri necessariò discere & scire debeant. Ex dictis Augustini.

¶ Cap. 22.

Quæ ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est liber sacramentorum, lectionarius, baptisterium, computus, canon pœnitentialis, psalterium, homiliæ per circulum anni dominicis diebus, & singulis festiuitatibus aptæ. Ex quibus omnibus si vnum defuerit sacerdotis nomen in eo vix constabit, quia valdè periculosæ sunt minæ euangelicæ quibus dicitur: Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. *Matt. 15.*

*De ordinationibus presbyterorum ac diaconorum. Ex epistola ij. Zepherini papæ, fratribus per Ægyptum missa, cap. * x.* * xxiij. dist. 75. c. ordinationes.

¶ Cap. 23.

Ordinationes verò presbyterorum, * diaconorum, tempore congruo & multis coram * positis solenniter agite, & probabiles ac doctos viros ad * hoc constituite, vt de illorum societate & adiumento plurimum gaudeatis.

* & leuitarum

* adstantibus.

* ad hoc opus prouehite.

*Quòd ordinationes fieri non debeant, nisi in loco certo & religioso. Ex consilio Meldensi, c. * vi.* * 52.

¶ Cap. 24.

Si qui ordinari petunt, nullatenus ordinentur, nisi in loco certo & religioso, vel etiam in ciuitate, saltem vno anno immorentur, vt de vita & conuersatione atque doctrina illorum, certitudo possit agnosci.

Quòd Abraham primus appellatus sit presbyter. & cur presbyter nominetur. Ex epistola Anacleti papæ omnibus episcopis in Italia constitutis cap. xxij. epist. 2. c. 2.

¶ Cap. 25.

Porrò & Moysi præcipitur vt eligat presbyteros, id est, seniores. Vnde & in prouerbiis dicitur: Gloria senum canicies. Hæc verò canicies sapientiam designat: de qua scriptum est: Canicies hominum prudentia est. Cúmque nongentos & amplius annos ab Adam vsque ad Abraham vixisse homines legimus, nullus alius primus appellatus est presbyter, id est senior, nisi Abraham, qui multò paucioribus vixisse annis conuincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur. Initium enim sacerdotij Aaron fuit, licet Melchisedech prior obtulit sacrificium deo, & * posthæc Abraham, Isaac, & Iacob. Sed hi spontanea voluntate, non sacerdotali authoritate ista fecerunt.

dist. 84. c. porro & Moysi. Numer 11. Prouer. 20. Sapien. 4.

Exo. 29. Gen. 14.

* post hunc.

Quòd nulli ordinandi sint, nisi alicubi attitulati sint. Ex Concilio Chalcedonensi, cap. vi. actione 15.

¶ Cap. 26.

Nullum absolutè ordinari debere presbyterum, aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter ecclesiæ ciuitatis, aut possessionis, aut martyrij, aut monasterij

dist. 70. c. neminem.

cui ordinandus est, pronuncietur. Qui verò absolutè ordinantur, decreuit synodus irritam haberi huiuscemodi manus impositionem, & nusquam posse ministrare ad ordinantis iniuriam.

Quòd non oporteat ordinationes celebrari sub aspectu audientium. Ex Concilio Laodicensi, c. iv.

¶ CAP. 27.

De Catechumenis sentit, quos audientes vocat.

Quòd non oporteat ordinationes sub audientium aspectu celebrari.

dist. 63. c. nō est permittendum.

Quòd electione turbarum sacerdos promouendus non est. Ex eodem c. xiij. ¶ CAP. 28.

Con. Agat. c. 17. Dist. 77. c. Episcopus.

Quòd non sit permittendum turbis, electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium prouehendi.

Quòd Episcopum vel presbyterum ante xxx. & Diaconos ante xxv. annos ordinari non licet. Ex eodem c. xiv. ¶ CAP. 29.

Episcopum vel presbyterū, ante triginta annos id est, antequam ad viri * perfectionem perueniat, & Diaconos ante xxv. nullus metropolitanorum ordinare præsumat, ne per ætatem (quod aliquotiēs euenit) aliquo errore * detineantur.

* perfecti ætatem.

* culpentur.

De eadem re. Ex decretis Fabiani Papæ Orientalibus missis. ¶ CAP. 30.

dist 78. c. si quis. Lucæ 3.

Si quis triginta ætatis suæ non impleuerit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiam si valde sit dignus: quia & ipse dominus triginta annorum baptizatus est, & sic cœpit docere. Non oportet ergo eum qui ordinandus est, vsque ad hanc ætatem legitimam consecrari.

Carth. 3 c. 4.

Quòd ante viginti quinque annos Diaconi non sint ordinandi. Ex Carthaginensi concilio, c. xx.

¶ CAP. 31.

dist. 77. c. placuit.

Placuit, vt ante xxv. annos ætatis, nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur, & vt lector populum non salutet.

De eadem re. Ex Concilio Toletano iv. c. xx.

¶ CAP. 32.

Dist. 77. c. in veteri lege Num. 8.

In veteri lege ab anno xxv. Leuitæ in tabernaculo seruire præcipiuntur: cuius authoritatem in canonibus sancti patres secuti sunt. Nos & diuinæ legis, & conciliorum præcepti immemores infantes & pueros leuitas facimus, ante legitimam ætatem, & antè experientiam vitæ. Ideoque ne vlterius fiat à nobis, & diuinæ legis, & canonum admonemur sententiis, sed xxv. annorum diaconi ordinentur: ita vt secundùm Apostolicum præceptum probentur primùm, & sic ministrent nullum crimen habentes.

1. Tim 3.

De Prebyteris sine examine prouectis. Ex Concilio Nicæno, c. ix. ¶ CAP. 33.

dist 81. c. si qui sine.

Si qui presbyteri sine examine sunt prouecti, id est, cùm discuterentur peccata sua confessi sunt, & homines contra canones commoti, manus confessis imponere tentauerunt, tales regula non admittit, quia quod irreprehensibile est, catholica defendit ecclesia.

Habetur in fragmentis cuius Concilij.

De Clericis qui medicorum incisione claudi efficiuntur. Ex Concilio Hilerdensi, c. xx.

¶ CAP. 34.

dist. 55. c. si quis. con. Cart. 4. c. 54.

Si quis in infirmitate positus clericus, in medicorum incisione claudus efficitur, promoueri eum ad sacros ordines non denegamus.

De illis qui inuident fratrum prouectionibus. Ex conc. Africano. c. liv. ¶ CAP. 35.

con Cart. 4. c. 54. dist 46. c. clerici inuidēs.

Clericus inuidens fratrum prouectionibus, donec in vitio est, non promoueatur.

dist 46. c. seditionarios.

Vt seditionarij non ordinentur. Ex eodem c. lxvij.

¶ CAP. 36.

Seditionarios nunquam ordinandos clericos decernimus, sicut nec vsurarios, nec iniuriarum suarum vltores.

Epist. 9. vniuersis episcopis per Lucaniā ca. 18. Leuit 21.

Quòd illiteratus, & aliquo membro imminutus prouehi non debeat. Ex epistola Gelasij Papæ. c. xvj. ¶ CAPVT 37.

Illiteratos quoque, aut in aliqua parte corporis imminutos nullus præsumat ad clerum prouehere: quia nec literis carens sacris esse potest aptus officiis, & vitiosum nihil Deo prorsus offerri legalia præcepta sanxerunt. Similiter qui seipsos abscindunt.

De bonis illorum qui à propriis dominis libertate donantur. Ex concilio Toletano, c. ij.

¶ CAP. 38.

De rebus vero illorum vel peculiari, qui à dominis propriis libertate donantur, vt ad gradus ecclesiasticos promoueri debeant, statutum est, vt in potestate dominorum consistat, quicquid ante libertatem habuerunt, vtrum illis concedere voluerint, an sibi retinere.

De filijs concubinarum. Ex concilio Aurelianensi, cap. x. ¶ CAP. 39.

Aurel. 3 c 9.

De his qui ex concubinis filios habent, & vxores legitimas post habuerint, & defunctis vxoribus sibi concubinas publicè sociant: id obseruandum censuimus, vt sicut eos qui iam clerici per ignorantiam ordinati sunt, non remouemus, iam statuimus ne vlterius ordinentur.

Epist vniu. episc. per Lucaniā c.

Vt dæmonibus similibusque passionibus irretiti sacra non tractent. Ex epistola Gelasii Papæ, c. xxi.

¶ CAP. 40.

21 dist. 33. c. vsque adeo Leuit. 21.

Vsque adeò sanè comperimus illicita quæque prorumpere, vt * dæmonibus similibúsque passionibus irretitis, mysteria sacrosancta tractanda tribuantur. *Et post pauca.* Si corpore sauciatum aut debilem, nequaquam sancta contingere lex diuina permisit, quantò magis doni cœlestis dispensatores esse non conuenit (quod est deterius) mente perculsos.

* Dæmonialis.

Vt nulli de seruili conditione nisi prius liberi facti ordinentur. Ex concilio Triburiensi, c. v.

¶ CAP. 41.

Ca. 19. dist 54. c. nullus.

Vt nulli de seruili conditione ad sacros ordines promoueantur, nisi prius à dominis propriis legitimam libertatem cōsequantur. Cuius libertatis charta, ante ordinationem in ambone publicè legatur, & si nullus contradixerit, ritè consecrabitur. Porrò seruus non canonicè consecratus postquam de gradu deciderit, eius conditionis sit, cuius fuerat ante gradum.

Cap 31. dist. 74. c. si qui.

Vt qui ab Episcopis suis promoueri contemnunt, nec cum illis remaneant vbi volunt. Ex concilio Carthaginensi. ¶ CAP. 42.

Si qui clerici ab Episcopis suis promoueri contempserint, nec illic maneant, vnde recedere noluerunt. *Ex eodem concilio cap. xxxi.* Placuit vt quicunque clerici vel diaconi pro nec

dis. 74. c. placuit. cessitatibus Ecclesiasticarum rerum non obtemperauerint episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in ecclesia sua promouere, nec illic ministrent in gradu suo, vnde recedere noluerunt.

De eadem re. Ex registro Gelasij Papæ.
¶ Cap. 43.

Qui proficere noluerunt, suis reddantur inferioribus posteriores, ipsaque commoda presbyteri propensius quàm diaconi consequantur, vt hac saltem ratione constricti & honorem quem fugiunt, appetere nitantur & quæstum.

Ep. 2 c. 2. *Quòd Presbyteri septuaginta discipulorum typum gerant. Anacletus Papa in ij decretali suo.*
¶ Cap. 44.

Luc. 10. Electi ab apostolis sunt septuaginta duo discipuli, quorum typum gerunt presbyteri, atque in eorum loco sunt constituti in ecclesia, de quorum ordinatione, & reliquorum ministrorum suprà dixisse sufficiat.

Quòd quantò digniores sunt Sacerdotes, tantò facilius exaudiuntur, Alexander in secundo decretali suo. ¶ Cap. 45.

2. q. 1. c. ipsi sacerdotes. Ipsi sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus ea delent atque consumunt. Qui quantò digniores fuerint, tantò faciliùs in necessitatibus pro quibus clamant exaudiuntur.

Ne Clericus comam nutriat. Anicius Papa.
¶ Caput 46.

Anicetus ep Galliæ. 4 dist 23 c prohibete. 1. Cor. 11. Prohibete fratres per vniuersarum regionum vestrarum ecclesias, vt clerici iuxta apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant.

Quales & qualiter ordinandi sint Sacerdotes. Zephyrinus Papa in j. decretali suo.
¶ Cap. 47.

vide suprà c. 23. Ordinationes verò presbyterorũ & leuitarũ tempore congruo, & multis coram astantibus solenniter agite: & probabiles ac doctos viros ad hoc opus prouehite, vt de eorum societate & adiumento plurimùm gaudeatis. Ponite indesinenter corda vestra in virtute Dei, & enarrate hæc, & cætera diuina verba in progenies alteras, quoniam hic est Deus Deus noster in æternum, & ipse reget nos in sæcula. *Psal. 47.*

Epist. 2. ad omnes Galliarũ epise. c. 5. *De lapsis & eorum reparatione. Calixtus Papa Benedicto Episcopo.* ¶ Cap. 48.

Si quis lapsus quoquomodo fuerit, portemus eum, & fraterno corripiamus affectu, sicut ait beatus Apostolus: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Porro sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore permansit. Beatus quoque Petrus amarissimas lachrymas fudit, quando Dominum negasse pœnituit, sed tamen Apostolus permansit. Et Dominus per prophetam peccantibus pollicetur dicens: Peccator in quacumque die conuersus ingemuerit, omnium iniquitatum illius nõ recordabor. Errant enim qui putant sacerdotes post lapsum si condignam egerint pœnitentiam Domino ministrare non posse: & suis honoribus *Galat. 6.* *Ezech. 18.* frui, si bonam deinceps vitam duxerint: & suum sacerdotium condignè custodierint. Et ipsi qui hoc putant, non solùm errant, sed etiam traditas Ecclesiæ claues despicere videntur, de quibus dictum est: Quæcunque solueritis in terra erũt soluta & in cœlo. Alioquin hæc sententia aut Domini non est, aut vera est. Nos verò indubitanter tam Domini sacerdotes, quàm reliquos fideles post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus, testante Domino per Prophetam: Nunquid qui cadit, non adiiciet vt resurgat, & qui auersus est, non reuertetur? Et alibi: Nolo, inquit Dominus, mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et Propheta Dauid pœnitentiam agens dicit: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Ipse namque post pœnitentiam & alios docuit, & sacrificium Deo obtulit: dans exemplum doctoribus sanctæ ecclesiæ si lapsi fuerint, & condignam pœnitentiam Deo gesserint vtrumque facere posse. Docuit enim quando dixit: Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur. Et sacrificium Deo pro se obtulit, dum dicebat: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. *Matth. 18. Hierem 8. Ezech 33. Psal. 50. Ibidem.*

Eadem ep. sub finem. *Non prohibendam esse misericordiam. Idem.*
¶ Cap. 49.

Sententiam fratres, quæ misericordiam vetat, nõ solùm tenere, sed & audire, refugite: quia potior est misericordia omnibus holocautomatibus & sacrificiis. *Oseæ. 6.*

De Clericis incontinentibus. Siricius Papa Himerio Tarrac. Episc. *Epist 1. c. 7.*
¶ Cap. 50.

Plurimos sacerdotes Christi atque Leuitas post longa consecrationis suæ tempora, tam de coniugibus propriis, quàm etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac * præsumptione defendere: quia in veteri lege, sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat quod in lege Moysi passim sacris ordinibus à Deo nostro laxata sunt fræna luxuriæ, cur eos quibus committebantur sancta sanctorum præmonet dicens, Sancti estote quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester? Cur etiam procul à domibus suis, anno vicis suæ in templo habitare iussi sũt sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum vxoribus possent carnale exercere commercium: vt conscientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent. Quibus expleto deseruitionis suæ tempore, * vxoris vsus solius successionis causâ fuerat relaxatus, quia non ex alia, nisi ex tribu Leui quisquam ad Dei ministerium præceptus est admitti. *Item.* Quia aliquanti de quibus loquimur (vt tua sanctitas retulit) ignorantiâ lapsos se esse deflent, his hac conditione, misericordiam dicimus nõ negandam, vt sine vllo honoris augmento, in hoc quo * detecti sunt quandiu vixerint officio perseuerent, si tamẽ post hæc cõtinentes se studuerint exhibere. Hi verò qui illiciti priuilegij excusatione nituntur, & sibi asserunt veteri hoc lege concessum, nouerint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indignè vsi sunt, apostolicæ sedis authoritate deiectos, nec vnquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi dum obscænis cupiditatibus inhiant, priuauerunt. Et quia exempla præsentia ca-

dist 82. ca. plurimos sacerdotes. * *præscriptione.* *Leuit. 21. Leuit. 10. 1 Para. 24. Leuit 21. Lucæ 1.* * *al. vxorius.* *Paulo pòst.* * *deiecti.*

uere nos præmonent in futurum, si quilibet episcopus, presbyter atque diaconus (quod non optamus) deinceps fuerit talis inuentus, iam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est abscindantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.

Vt Clericus qui secundam vxorem duxerit deponatur. c. xi. ¶ CAP. 51.

dist 84. ca. quisquis clericus. Quisquis sanè clericus aut viduam, aut certè secundam coniugem duxerit, omni ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudetur, laica tantùm sibi communione concessa. Quam ita demum poterit possidere, si nihil postea propter quod hanc perdat, admittat.

Quæ fœminæ cum Clericis habitare possint, c. xij. ¶ CAP. 52.

dist 81. c. fœminas. Fœminas verò alias non esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantùm quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem synodus Nicæna permisit.

De Monachorum promotione, cap. xiij. ¶ CAP. 53.

16 q. 1. c. monachos quoque. Monachos quoque, quos tamen morum grauitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari & optamus & volumus.

Ne pœnitens fiat clericus, cap. xiiij. ¶ CAP. 54.

dist 50. c illud quoque. Illud quoque nos par fuit prouidere, vt sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem, nulli vnquam laico liceat honorem clericatus adipisci.

Vt si laicus viduam duxerit, clericus non fiat. Innocentius Papa j. Victorino Episcopo.* ¶ CAP. 55.

* Victricio. Ep. 2. c. 5.

Dist 34. c si viduam licet. Vt is qui viduam licet laicus vxorem duxerit, seu ante baptismum, siue post baptismum, non admittatur ad clerum, quia eodem vitio videtur exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ vxoris consortium relaxatur.

De eadem re, cap. vi. ¶ CAP. 56.

1. Tim. 3. Nec is qui secundam duxerit vxorem Clericus fiat, quia scriptum est, Vnius vxoris virum: Et iterum, Sacerdotes mei semel nubant.

De incontinentia sacerdotum vel Leuitarum. Ex epistola eiusdem ad Exuperium Tolosanum episcopum. ¶ CAP. 57.

Ep. 3. c. 1.

dist 82. c. proposuisti. Proposuisti quid de his obseruari debeat, quos in diaconij ministerio, aut in officio presbyterij positos, incontinentes esse aut fuisse generati filij prodiderunt. De his & diuinarum legum est disciplina, & beatæ recordationis viri, Siricij episcopi monita euidentia commearunt, vt incontinentes in officiis talibus positi, omni honore ecclesiastico priuarentur, nec admitterentur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri.

Quòd si volens partem sibi corporis absciderit clericus esse non possit, nolens autem possit. Ex epist. eiusdem ad Fœlicem episc. Nucerinum. ¶ CAP. 58. Ep 4. ca. 1.

Innocentius Fœlici Episcopo Nucerino salutem. Qui igitur partem cuiuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui verò casu aliquid contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos canones præcipiunt & clericos fieri, & si in clero fuerint reperti, non abiici. In illis enim voluntas est iudicata, quæ sibi ausa fuit ferrum inijcere, quod scilicet, & alij id facere dubitari non possit. In istis vero casus veniam meruit. dist. 55. cap. qui partem.

Quòd non admittantur ad clerum ab hæreticis ordinati. Item cuius suprà. ¶ CAP. 59. Epi 22. c. 3.

Innocentius Rufo, & Eusebio, & cæteris Episcopis Macedonibus. Ventum est ad tertiam quæstionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit disputationem: cùm nos dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput. Vbi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, qua possit recipere sanitatem. Quæ sanitas post vulnus consecuta est, sine cicatrice esse non poterit, atque vbi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse decernimus. Nam si, vt legitur, quod tetigerit immundus, immundum erit, quomodo ei tribuetur, quod munditia ac puritas consueuit accipere? Sed è contra asseritur eum qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Acquiescimus, & verum est certè, quia quod non habuit dare non potuit. Damnationem vtique, quam habuit per prauam manus impositionem, dedit. Et qui particeps factus est dãnato, quomodo debeat honorem accipere, inuenire non possum. At dicitur vera ac iusta legitimi sacerdotis benedictio, auferre omne vitium quod à vitioso fuerat iniectum. 1. q. 1 c. Ventum est. Leuit. 15. Ibid. c. 4.

Quòd in ordinationibus crimina non auferuntur, cap. iiij. ¶ CAP. 60.

Ergo si ita est, applicentur ad ordinationem sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei, quia per benedictionem ordinationis crimina vel vitia putantur auferri: nullus sit pœnitentiæ locus, quia id potest præstare ordinatio, quod longa satisfactio præstare consueuit. Sed nostræ lex est ecclesiæ venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare. Ibidem continuò.

Quòd in ecclesia peccatum populi inultum solet præteriri, capitulo sexto. ¶ CAP. 61.

Peruideat ergo dilectio vestra hactenus talia transisse, & aduertite, quod vtique, vt dicitis, necessitas imperauit, in pace iam ecclesias cõstitutas non posse præsumere. Sed vt sæpe accidit, quoties à populis aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum soleat transire. Priora ergo dico dimittenda Dei iudicio, & de reliquo maxima sollicitudine præcauendum. 1 q 7. c. quoties à populis.

Vt quicunque contra formas canonum ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur, cap. iij. ¶ Cap. 62.

Ep. 23. c. 3. Innocentius vniuersis Episcopis in Tolesana synodo constitutis. Si quis aduersus formas canonum ad ecclesiasticum ordinem, vel ad ipsum sacerdotium venire tentauerit, vnà cum ordinatoribus suis, ipso in quo inuenti fuerint ordine & honore priuentur. Et quamuis dilectioni vestræ, fratres charissimi, regulæ Nicænæ sint cognitæ, secundùm quas ordines faciendos esse per sententiam decernimus, tamen aliquam partem quæ de ordinationibus est prouisa, inserendam putaui: vt secundùm eam ordinationes in posterum celebrandas esse sciamus, ne cui interpretandi aliter liberũ arbitrium relinquatur. Ac primùm quæ sunt prohibita digerantur.

De Nicæno concilio in quo prædicta prohibentur. Idem. ¶ Cap. 63.

Ibid. c. 4. Prohibendum est de curialibus aliquem ad Ecclesiasticum ordinem venire posse, qui post baptismum vel coronati fuerint, vel sacerdotium quod dicitur sustinuerint, & editiones publicas celebrauerint. Nam & hoc de curialibus est cauendum, ne idem qui ex curialibus fuerint, aliquando à suis curiis (quod frequenter videmus accidere) reposcantur, quæ omnia rationabiliter prohibita, oportet modis omnibus custodiri.

Vt nullus Episcoporum seruum alterius ad clericatus officium promouere præsumat. Leo Papa *omnibus episcopis per Campaniam & Picenum.* ¶ Cap. 64.

Leo. 1. epist. 1. cap. 1.

dist. 54. cap. admittuntur passim. Admittuntur passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur, & qui à dominis suis libertatem consequi minimè potuerunt, ad fastigium sacerdotij (tanquam seruilis vilitas hunc honorem iure capiat) prouehuntur: & probari posse Deo creditur, qui domino suo necdum probare se potuit. Duplex itaque in hac parte reatus est, quòd & sacrum ministerium talis consortij vilitate polluitur, & dominorum quantum ad illicitæ vsurpationis temeritatem pertinet, iura soluuntur. Ab his itaque, fratres charissimi, omnes vestræ prouinciæ abstineant sacerdotes, & non tantùm ab his, sed ab aliis etiam, qui aut * originali aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari, nisi fortè eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vendicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis, qui diuinę militiæ fuerit aggregandus, vt à castris dominicis, quibus nomen eius ascribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.

Al. origini

*Quòd vsuras non solum clerici exigere non debeant, sed nec laici, cap. * ij.* ¶ Cap. 65.

*iij.

14. q. 4. cap. nec hoc. Nec hoc quoque prætereundum esse duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos vsurariam exercere pecuniam, & fœnore velle ditescere. Quod nos, vt non dicamus eos qui sunt in clericali officio constituti, sed & in laicos cadere qui Christianos se dici cupiunt, condolemus, quod vindicari acriùs in eos qui fuerint confutati decernimus, vt omnis peccandi oportunitas adimatur.

Vt Clericus nec suo, nec alieno nomine fœnus exerceat, cap. iij. * iiij. ¶ Cap. 66.

Illud etiam duximus præmonendum, vt sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere fœnus attentet. Indecens enim est crimen suum commodis alienis impendere. Fœnus autem hoc solum aspicere & exercere debemus, vt quod hic misericorditer tribuimus, * à Domino qui multipliciter & in perpetuum mansura retribuit, recipere valeamus. Dist. 46. c. sicut non suo * ab eod.

Quomodo Presbyteri vel diaconi in crimine lapsi reconciliari debeant. Leo Rustico Narbonensi *Episcopo, cap. y.* ¶ Cap. 67. Epist. 92.

Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, vt qui in presbyterali honore aut diaconij fuerint gradu consecrati, ij pro crimine aliquo suo, per manus impositionem remediũ accipiant pœnitendi: quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundùm quòd scriptum est: Sacerdos si peccauerit, quis orabit pro illo? Vnde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei, priuata est expetenda * secessio, vbi illis satisfactio fuerit digna, sit etiam fructuosa. dist. 50. c. alienum est. * successio vel cõcessio

Quòd Diaconibus eadem lex continentiæ est, quæ Episcopis & Presbyteris, cap. iij. ¶ Cap. 68.

Lex continentiæ eadem est altaris ministris, quæ Episcopis atque Presbyteris. Qui cum essent laici siue lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm ad prædictos peruenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Vnde vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant sic habere, quò & salua sit charitas connubiorum, & cessent opera nuptiarum. dist. 31. c. lex cõtinentiæ. 1. Corinth 7.

Vt nullus alienum clericum sollicitet inuito Episcopo suo, cap. ix. ¶ Cap. 69.

Alienum clericum inuito Episcopo ipsius nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi fortè ex placito charitatis, id inter dantem & accipientem conueniat. Nam grauis iniuriæ reus est, qui de fratris Ecclesia, id quod est vtilius aut pretiosius, audet vel allicere, vel tenere. Itaque si intra prouinciam res agitur, transfugam clericum ad ecclesiam suam metropolitanus redire compellat. Si autem longius recessit, sui præcepti authoritate reuocabitur: vt nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur. Ep. 84. 19. q. 2. ca. alienum clericum.

Quòd mane dominico continuato ieiunio sabbati possit fieri ordinatio. Epistola Leonis ad Dioscorum Alexandrinum Episc. ¶ Cap. 70. Ep 81. c. 1.

Leo Dioscoro Episcopo Alexandrino. Quòd à patribus nostris propensiore cura nouimus esse seruatum, à vobis quoque volumus custodiri, vt non passim diebus omnibus sacerdotalis vel leuitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati eiúsque noctis quæ in prima sabbati lucescit, exordia consecrandi eligantur, in quibus his qui consecrandi sunt ieiunis, & à ieiunantibus sacra benedictio conferatur. Quod eiusdem obseruantię erit, si mane ipso dominico die continuato sabbati ieiunio celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt: * Quod ad diem resurrectionis (sicut dist. 75. ca. quod presbyteris.

etiam in Pascha domini declaratur) pertinere non dubium est.

Vt in die resurrectionis, sacerdotalis & leuitica fiat ordinatio. Ad eundem.

¶ Cap. 71.

Ibidem. dist 75. ca. quod die. Quòd die dominico ordinationes sacerdotum celebrantur non tantùm ex consuetudine, sed etiam ex Apostolica nouimus venire doctrina, scriptura manifestante, quòd cùm Apostoli Actor. 13. Paulum & Barnabam, ex Spiritus sancti praecepto ad Euangelium gentibus mitterent praedicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus quanta & dantium & accipientium deuotione, curandum sit, ne tantae benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideo piè & laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam, per ecclesias, quibus dominus praeesse te voluit, etiam ipse seruaueris, vt his qui consecrandi sunt nunquam benedictio, nisi in die resurrectionis dominicae tribuatur. Cui à vespere sabbati initium constat ascribi: & tantis diuinarum dispensationum mysteriis est consecrata, vt quidquid est à domino insignius constitutum, in huius diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium. In hac per resurrectionem Christi & mors interitum, & vita accepit principium.

Epist. 88. *Quid plus habeant Episcopi, quàm Chorepiscop. vel presbyteri. Item eiusdem.* ¶ Cap. 72.

Leo Romanae ecclesiae & apostolicae sedis episcopus vniuersis Germaniarum atque Galliarum regionum episcopis. Quamuis cum episcopis plurima chorepiscopis ministeriorum communis sit dispensatio, quaedam tamen authoritate veteris legis, quaedam nouellis, & ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerit: sicut presbyterorum & diaconorum, ac virginum consecratio, sicut constitutio altaris, ac benedictio, vel vnctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec ecclesias, vel altaria consecrare permittimus, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conuersis de haeresi paracletum Spiritum sanctum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptisatorum frontes signare, nec publicè quidem in missa quenquam poenitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Haec etenim omnia illicita sunt chorepiscopis, qui ad exẽplum & formam lxx. discipulorum esse noscuntur, vel Presbyteris, qui eandem gestãt figuram, quoniam quanquã consecrationem habeant, pontificatus tamen apicem non habent. Quae omnia solis deberi summis pontificibus authoritatẽ canonum praecipitur, vt per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur. Sed neque coram episcopo licere Presbyteris in baptisterium introire, nec praesente antistite infantem tingere, aut signare, nec poenitẽtem sine praeceptione episcopi sui reconciliare: nec eo praesente, nisi illo iubente sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere vel benedicere, aut salutare, nec plebem vtique exhortari.

Epist. 1. ad Verg. episcop. *Quòd priorem dignitatem amittit, qui quod non accepit vsurpat. Ex decretis Siluerij Papae.*

¶ Cap. 73.

25 q. 2. c sic decet. Sic decet fidem sanctorum patrũ in ecclesia seruari catholica, vt quod habuit amittat, qui improbabili temeritate quod non accepit, * vsurpauerit. * assumpserit.

Epist. 9. ad epis per Lucaniã, c. 13. dist 75. c ordinationes. *Ordinationes non esse faciendas, nisi in ieiunio quatuor temporum. Ex decretis Gelasij Papae. c. xiij.* ¶ Cap. 74.

Ordinationes etiam presbyterorũ & diaconorum nisi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id est, quarti mensis ieiunio septimi & decimi, sed etiam quadragesimalis initij, ac medianae quadragesimae * die sabbati, ieiunia circa vesperam nouerint celebranda: nec cuiuslibet vtilitatis causã seu presbyterum seu diaconum his praeferre, qui ante ipsos fuerint ordinati. * hebdomadae & sabbati ieiunio circa vesperã, ipsas ordinationes nouerint celebrandas.

Ne illiteratus, vel membro imminutus ad clerum promoueatur. Ex eodem, c. xviij.

¶ Cap. 75.

Illiteratos quoque & nonnulla parte corporis imminutos, sine vllo respectu ad ecclesiasticum didicimus venire seruitium, quod simul antiqua traditio, & apostolicae sedis vetus forma non recepit: quia nec literis carens sacris esse potest aptus officiis, & vitiosum nihil deo prorsus offerri legalia praecepta sanxerunt. Leui. 21. Itaque de caetero modis omnibus haec vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in clerum.

De ministris incontinentibus. Gregorius ciuibus Romae. ¶ Cap. 76.

Oportet sacerdotes, ad quorum curam Dei dist. 81. c. oportet. populus commissus est, cum magna animi constantia vigilare super dominicas oues, vt lupinis morsibus, id est, diaboli stimulis non lanientur. Neque enim hoc silere debeo (quod cum grandi animi tristitia dico) sacerdotes cum foeminis habitare conspicio, quod nefarium est dicere & audire, & contra sanctorum canonum sancita. Vbi enim talis fuerit commorantium cohabitatio, antiqui hostis stimuli non desunt. Ideoque admonendi sunt, vt non antiqui hostis decipiantur fraude, quatenus iuxta apostoli vocem, Non vituperetur ministerium nostrum. 2. Cor. 6. Cauere enim nos oportet, fratres, ab illicitis, vt mundas valeamus ad dominum leuare manus. 1. Tim. 2. Scriptum est enim: Sancti estote quia ego sanctus sum. Leui. 20. Si quis verò praesumpserit aliter agere, sacerdotij sui honore priuetur. Vnde omnino cauendum est, fratres, ne fallamus populum, & impleatur in nobis prophetae dictum: Sacerdotes mei contaminant sancta, & reprobant legẽ. Sopho 3. Quos & alius propheta increpat dicens: Vos ô sacerdotes qui fallitis nomen meum, & dixistis, In qua re fallimus nomen tuum? Malach. 1. Quibus respõsum est: Offerentes ad altare meum panes pollutos. Ibidem. Non mihi voluntas in vobis dicit dominus, & sacrificium non accipiam de manibus vestris, quia polluti estis.

De vitanda familiaritate mulierum. Idem in registro. ¶ Cap. 77. lib. 7. indict. 2. ep. 39.

Legitur quòd B. Augustinus nec cũ sorore sua habitare consenserit dicens: Quae cum sorore mea sunt, sorores meae non sunt. Docti ergo viri cautela, magna nobis debet esse instructio. dist. 81. c. Legitur. Possid. in vita B. Aug.

De non reparandis lapsis. Idem ad Iannarium episcopum Caralitanum.

¶ Cap. 78. lib 3. ep. 26. dist 50 c. peruenit.

Peruenit etiam ad nos, quosdam de sacris,

ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante pœnitentiam ad ministerij sui officium reuocari: quod omnino prohibemus, & in hac re sacratissimi quoque canones contradicunt. Qui ergo post acceptum sacrum ordinem lapsus in pecca tum carnis fuerit, sacro ordine ita careat vt ad altaris ministerium vlteriùs non accedat.

De eodem. Idem Constantino Mediolanensi episcopo.

¶ Cap. 79.

lib 4.ep.17. * *Iouinū.*

* Iobinum de portu Veneris quodam diaconum & Abbatem suo decreuimus priuandum officio, atque vt alter in loco eius debeat ordinari scripsimus. Similiter & tres subdiaconos, quos fraternitas vestra lapsos innotuit, à suo semper vacare, ac decernimus esse priuatos officio, quibus nihil aliud nisi inter laicos sacra est præbenda communio.

Idem de eodem. Ad eundem.

¶ Cap. 80.

ibidē principium est epistolæ dist. 50. c. si lapsis.

Si lapsis ad suum ordinem reuertendi licentia concedatur, vigor canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ, dum pro reuersionis spe, prauæ actionis desideria quisque concipere non formidat. *Et post pauca.* Illud igitur præ omnibus studete, vt lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo reuocare suadeat, ne huiusmodi non statuta, sed temporaliter dilata credatur esse vindicta.

Cum quibus fœminis sacerdotes possint habitare. Idem Symmacho defensori.

¶ Cap. 81.

lib. 1. ep. 50. Dist 81. c. volumus.

Volumus vt sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus conuersentur, excepta duntaxat matre vel sorore, vel vxore quæ castè regenda est.

l. 2. Indict. 10. ep. 32.

Non fieri debere reordinationes. Idem Ioanni episcopo Rauennati.

¶ Cap. 82.

dist. 68. cap. sicut semel.

Illud quod dicitis, vt ille qui ordinatus est iterum ordinetur, valdè ridiculum est. Sicut enim baptisatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non debet iterum consecrari: Sed si quis cum leui forsitan culpa ad sacerdotium venit, pro culpa indici pœnitentia debet, & tamen ordo seruari.

De presbytero qui post depositionem sacrificare præsumpserit. Idem Venantio Lunensi episcopo.

¶ Cap. 83.

lib. 4. ep. 5. dist. 50. c. accedens. c *ex presbyt.

Accedens ad Gorgonam insulam fraternitas vestra discutiat, id quod ad nos de Saturnino * presbytero est perlatum. Peruenit namque ad nos, quia postquam pro crimine lapsus sui à sacerdotij ordine est deiectus, ad explendum presbyterij ministerium præsumpsit accedere, & omnipotenti deo hostias immolare. Quod si ita factum fraternitas vestra reperit, eum sacri corporis & sanguinis dominici participatione priuatum in pœnitentiam redigat, ita vt vsque ad diem obitus sui in eadem excommunicatione permaneat, & viaticum tantummodò exitus sui tempore percipiat. Sin autem eum talem pœnitentiam agere fraternitas tua cognouerit, vt ei iustè ad recipiendam communionem inter laicos, & ante exitum debeat misereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus potestate.

Quòd quæ fuit vxor legitima diaconi non possit nubere alteri. Idem Ioanni episcopo Panormitano.

¶ Cap. 84.

lib. 11. ep. 62. * *Fotinū.*

Itaque peruenit ad nos * Fantinum defensorem vltionem exercere in Petrum latorem præsentium voluisse, pro eo quòd (quantum dicitur) relictam cuiusdam diaconi tempore quo conductor fuerat, marito tradiderit. Sed quoniam iste coniugem diaconi asserit non fuisse, dicens nec illam virginem ad eum venisse: denique nec religiosam vestem mutasse, postquam ille in ordine sacro promotus est, adijciens & priusquam ad diaconatum veniret, & postea, praua illam opinione vixisse: ideò fraternitatem tuam his hortamur affatibus, vt cum dei (sicut decet) timore, causam hanc subtili omninò inuestigatione perquiras, & si in coniugio diaconi mulierē de qua agitur fuisse constiterit, & suprascriptus lator memorato defensori & rectori * patrimonij ad vindictam modis omnibus tradatur, & cum competenti emendatione hi qui malè sociati sunt, disiungantur. Si verò in eius coniugio non fuerit, memoratum Fantinum, ex nostro mandato commonere te volumus, vt ei facere nihil præsumat, nec falsa illum accusatio apud eum in aliquo prægrauet. *patrimonasterij.*

Quomodo lapsi possint restitui. Idem ad Secundinum seruum Dei inclusum.

¶ Cap. 85.

Sanctitas tua hoc à nobis requisiuit, vt tibi rescriberem de sacerdotali officio post lapsum resurgendi, dum dicis de hoc canones diuersos te legisse, diuersásque sententias, alias resurgendi, alias nequaquam. Nam nos generaliter à synodo Nicæna incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur, quæ ipsam sequentes in cunctis sententiis vnanimes concordant. Nos ergo præcedentes patres sequimur, quia authore Deo à sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes vsque in quartum altaris ministrum, hanc formam seruandam cognoscimus, vt quem minorem maior præcedit, sicut est maior honore ita sit in crimine: & quem maior sequitur culpa, maior ei implicetur vindicta: & sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa. Quid enim prodest triticum seminare, & fructum eius non colligere? Aut domum construere, & non illic habitare? Post dignam enim satisfactionem credimus lapsum posse redire ad honorē, propheta dicente: Nunquid qui cadit non adijciet vt resurgat? & qui auersus est, non reuertetur? Idem peccatori ait: In quacunque die conuersus ingemueris tunc saluus eris. Vnde psalmista ait: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, &c. Alienam quippe rex & propheta rapuisse se vxorem tremefactus expauit: Et Propheta indicante flagitium suum, & pœnitentiam agens, addit: Redde mihi lætitiam salutaris tui &c. Si enim ipse dignam Deo pœnitentiam non fecisset, nequaquam aliis prædicaret? Ait enim, Docebo iniquos vias tuas! Dum enim peccata sua perspexit per pœnitentiam mundata, non dubitauit prædicando * castigare aliena. Et sic sacrificium de semetipso offerre Deo studuit cùm dixit: Sacrificium Deo &c. Ad hæc ista sufficerent, sed omnis sententia quò plus sacræ scripturæ testimoniis confirmatur, facilius creditur. De hoc enim propheta dicit: Nolo

lib. 7. Ind. 2. ep 54. dist. 50. ca. quia sanctitas tua. *Psal. 40. Hiere. 8.* *Psal. 50.* *Ibidem.* * *al curare.* *Ibidem.* *Ezech. 18. & 33.*

mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. De hoc, peccantibus dicitur. Peccator in quacumque die conuersus ingemuerit, omnes iniquitates eius in obliuionem tradentur. Si enim redemptor noster qui peccatores non perdere, sed iustificare venit, in obliuione delicta peccantium derelinquit: quis hominum condemnanda reseruet, cum dicit apostolus: Si Deus
om. 8. iustificat, quis est qui condemnet? Ad fontem misericordiæ recurrentes euangelicam proferamus sententiam. Gaudeo, inquit, super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœni-
uc. 15. tentia: & ouem perditam nonaginta nouem non errantibus relictis, in humero reportauit ad ouile. Si ouis errans post inuentionem ad ouile humero reportatur, cur lapsus post pœnitentiam ad ministerium non reuocetur? Quid est ergo grauius, aut carnale delictum admittere (sine quo pauci inueniuntur) aut Dei filium iu-
* al. ver- reiurando negare? In quo * peccato ipsum prin-
bo. cipem apostolorum beatum Petrum (ad cuius nunc corpus indigni sedemus) lapsum esse cognoscimus. Sed post negationem pœnitentia secuta est, & post pœnitentiam misericordia data est qui aillum ab apostolatu non deiecit, quem ante seipsum negaturum esse prædixit. Tibi hæc, fili charissime, dicta sufficiant, vt illum quem conspicis delicta fletu diluere, non dubites in conspectu diuinitatis misericordiam consequi, quia nullum peccantē reuersum despicit, qui peccatores suo sanguine redimere venit.

Quid agendum sit de clericis incontinentibus. Idem Augustino episcopo. (*Responsione ad 2. August. interrogationem.*)

¶ CAP. 86.

dist. 32. c. si qui sunt clerici. Si qui sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri vxores debent, & stipendia sua exterius accipere.
Acto. 4. Quia & de eisdem patribus de quibus præfati sumus, nouimus scriptum, quod diuidebatur
*ergo. singulis prout cuique opus erat. De eorum * quoque stipendio cogitandum atque prouidendum est, & sub ecclesiastica regula sunt tenendi, vt bonis moribus viuant, & canendis psalmis inuigilent, & ab omnibus illicitis & cor, & linguam, & corpus deo authore conseruent.

Vt incontinens presbyter non ministret. Clemens in secunda epist.

¶ CAP. 87.

Ad dominica autem ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem coniuges suas nouerint. Quod si post ordinationem ministro contigerit proprium inuadere cubile vxoris, sacrarii
* al. nec aquā sacerdotibus porr. ad manus. Os. * al. siue calicem ad altare non sufferat. non intret limina, nec sacrificij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad dominici corporis portationem accedat: * sed aquam tantùm sacerdotum manibus porrigat, ostia forinsecus claudat, minora gestet officia, vrceum * sane ad altare suggerat.

De non distrahedis à presbytero ecclesiæ ornamentis. Item eiusdem.

¶ CAP. 88.

17. q. 4. c. si fortè. Si fortè quispiam presbyter siue diaconus sacrarij sindonem vel velum subtracta vendiderit, Iudæ similis æstimabitur Iscariotis. Qui propter cupiditatem fecerit hoc opus, nouerit se supradicti Iudæ suscepturum pœnam.

De vitanda familiaritate fœminarum. Idem eiusdem. (*dist. 81. c. clericus solus.*)

¶ CAP. 89.

Clericus verò solus ad fœminæ tabernaculum non accedat, nec properet sine maioris natu iussione. Nec presbyter solus cum sola adiungatur, sed duobus adductis testibus visitet infirmam: nec solus cum sola fœmina fabulas misceat: nec Archidiaconus, nec diaconus sub prætextu humilitatis vel officij frequentet domicilia matronarum, aut fortè per clericos aut domesticos eius matronæ mandent secreti aliquid. Si cognitum fuerit, & ille deponatur, & illa à liminibus arceatur ecclesiæ. Sed si fortè aliqua intercessio fuerit, episcopo suggeratur. Et si talis est, ad quam debeat ire pro interuentu, ipse pergat. Sin autem, de latere suo dirigat cum duobus aut tribus qui hoc debeant sanare.

Nihil agendum clericis absque licentia episcopi sui. Item eiusdem. (*Epist. 3.*)

¶ CAP. 90.

Cunctis fidelibus, & summopere omnibus presbyteris, & diaconibus, ac reliquis clericis attendendum est, vt nihil absque episcopi proprij licentia agant. Non vtique missas sine eius iussu quisque presbyterorum in sua parœcia agat, non baptizet, nec quicquam absque eius permissu faciat. Similiter & reliqui populi maiores scilicet & minores per eius licētiam quidquid agendum est, agant: nec sine eius permissu à sua parœcia abscedant, vel in ea aduentantes morari præsumant. Animæ enim eorum ei creditæ sunt, ideo omnia eius consilio agere debent, & eo inconsulto nihil. (*16. q. 1. c. cunctis fidelib.*)

Quomodo ad sacros ordines ascendendum sit. Siricius papa Himerio Tarraconensi episcopo. (*Ep. 1. c. 9.*)

¶ CAP. 91.

Quicunque se ecclesiæ vouit obsequiis à sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet ministerio sociari. Qui ab accessu adolescentiæ vsque ad * trigesimum ætatis annum, si probabiliter vixerit, vna tantùm, & ea, quam virginem communi per sacerdotem benedictione percepit, vxore contentus, acolytus & subdiaconus esse debebit: posteáque ad diaconij gradum, si se ipse primitus continentia præeunte dignum probauerit, accedat. Vbi si vltra quinque annos laudabiliter ministrarit, congruè presbyteratum consequatur. Exinde post decennium episcopalem cathedram poterit adipisci, si tamen per hæc tempora integritas vitæ & fidei eius fuerit approbata. (*dist. 77. c. quicumque itaque.* * *al. vigesimū.*)

Quomodo laicus sit proueh:ndus. Idem.

¶ CAP. 92.

Qui verò iam ætate grandæuus melioris propositi conuersatione prouocatus, ex laico ad sacram militiam peruenire festinat, desiderij sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim lectorum aut exorcistarum numero societur, si tamen vnam habuisse vel habere, & hanc virginem accepisse constet vxorem. Qui dum initiatus fuerit expleto biennio, per quinquennium aliud acolytus & subdiaconus fiat, & sic ad diaconatum, si per hæc tempora dignus iudicatus fuerit, prouehatur. Exinde iam accessu temporum presbyterio vel episcopatui, si eum plebis ac cleri euocauerit electio, non immeritò societur. (*Ibid. c. 10.*)

Anast 1. ep 1.c.1. *Non sedendum quando legitur Euangelium. Anastasius papa cunctis Germanicis.*

¶ CAP. 93.

de cons. dist. 1.c. apostolica. Significatis enim quosdam sacerdotes in ecclesia quando legitur euangelium sedere, & domini & saluatoris verba non stantes, sed sedentes audire, & hoc ex maiorum traditione se accepisse narrant. Quod nullatenus fieri deinceps sinatis, Apostolica authoritate mandamus, sed dum sancta euangelia in ecclesia recitantur, sacerdotes & cæteri * fideles non sedentes, sed venerabiliter curui in conspectu euangelij stantes, dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent. * omnes præsentes.

Epis. 2.c.9. *De castitate sacerdotum & leuitarum. Innocentius Victricio Rothomagen episcopo.*

¶ CAP. 94.

Dist 31.c. tenere deb. Præterea quod dignum, quod pudicum, quod honestum est tenere ecclesia omnino debet, vt sacerdotes & leuitæ cum vxoribus suis non misceantur: quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: Sancti estote quoniam & ego sanctus sum Dominus Deus vester. Nam priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant: Sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omninò tangebant, quibus vtique propter sobolis successionem vxoris vsus fuerat relaxatus, quia & ex alia tribu & præter ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quantò magis hi sacerdotes vel leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à sacrificiis diuinis, aut à baptismatis officio vacent? Leuit. 20. Leui. 11. Luc 1. Num. 18.

Ep 4. c.3. Fælici nuceriano episcopo. *Non repellendos omnes laicos à clericatu. Idem Exuperio Tholosano episcopo.*

¶ CAP. 95.

Dist. 51.c. designata sunt. De laicis verò religio tua consuluit, quos canones ordinari prohibent. Certum est quidem hoc & regulas ecclesiasticas continere, sed non ita diffinitum est, vt de omnibus sit laicis constitutum. Neque enim clerici nasci & non fieri possunt. Sed designata sunt genera, de quibus ad clericatum peruenire non possunt, id est, si quis fidelis militauerit, si quis fidelis causas egerit, hoc est postulauerit, si quis fidelis administrauerit. De curialibus autem manifesta ratio est, quoniam & si inueniantur huiusmodi viri, qui debeant clerici fieri, tamen quoniam sæpius ad curiam repetuntur cauendum ab his est, propter tribulationem quæ sæpe de his ecclesiæ prouenit. Laici verò qui habentes vxores baptizati sunt, ac sic se instituerunt, vt opinio eorum in nullo vacillet, vt aut clericis iuncti sint, aut monasteriis ex quo baptizati sunt, adhæserint, si non concubinam, non pellicem nouerint, sed in omnibus operibus bonis vigilauerint, non prohibentur huiusmodi ad clericatus * sortem assumi: ita sanè vt in eis tempora à maioribus constituta seruentur, ne citò quilibet lector cito acolytus, citò diaconus, citò sacerdos fiat. * partem.

Epist. 5. *De presbyteris filios generantibus. Idem Maximo & Seuero episcopis.*

¶ CAP. 96.

Dist. 81.c. maximilianus. Eos presbyteros qui in presbyterio filios procrearunt iubebitis in medio collocari, discussísque obiectionibus quæ ipsis presbyteris impinguntur, si conuicti fuerint, à sacerdotali remoueantur officio, quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt: atque alieni efficiantur à ministerio, quod viuendo illicitè polluerunt. Miramur autem hæc eorum dissimulare episcopos, vt aut * cohibere, aut nescire esse illicita, iudicentur. * al. conniuere

*De reuertentibus ab hæresi. Idem * Ianuario episcopo Aquileiensi.* Leo 1. ep.1. * al. Iuliano.

¶ CAPVT 97.

Saluberrimum, & spiritualis medicinæ vtilitate plenissimum est, vt siue presbyteri, siue diaconi, vel subdiaconi, aut cuiuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, atque ad catholicam fidem quam pridem amiserant, rursum reuerti ambiunt, prius errores suos & ipsos authores erroris à se damnatos, sine ambiguitate fateantur: & sensibus prauis etiam peremptis, nulla sperandi supersit occasio, nec vllum membrum talium possit societate violari, cùm per omnia illis professio propria cœperit obuiare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, vt in magno habeant beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inueniuntur ordine stabilitate perpetua maneant, si tamen iterata tinctione non fuerint maculati. 1.q 7.c Saluberrimũ.

De castitate ministrorum. Item Anastasio episcopo Thessalon. Ep 84.c.3. & 4.

¶ CAP. 98.

Sacerdotum enim tam excellens est electio, vt hæc quæ in aliis membris ecclesiæ non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. Nam cùm extra clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendum tamen perfectæ continẽtiæ puritatem, nec subdiaconibus quidem carnale connubium conceditur: vt & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus est à capite, dignum est custodiri, quanto magis in primo vel secundo, tertióve seruandum est, ne aut Leuitico, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate * luxuriæ necdum refrenasse detegitur? Dist 32.c. omnium sacerdotium. 1.Cor. 7. * vxoria.

Ne diaconi baptizent sine episcopo vel presbytero. Gelasius vniuersis episcopis per Lucaniam. Ep 9.c.9.

¶ CAP. 99.

Diaconos quoque propriam constituimus mensuram, nec vltra tenorem paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus, nihil eorum suo ministerio penitus applicare, quæ prioribus ordinibus propriè decreuit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non præsumant, nisi prædictis fortassis officiis longius constitutis necessitas extrema compellat, quod & laicis Christianis facere plærunque conceditur. Hos non in presbyterio residere cùm diuina celebrantur, vel ecclesiasticus * celebratur quicunq; tractatus: sacríque corporis * prorogationem, sub conspectu episcopi vel presbyteri, nisi his absentibus, ius non habeant exercendi. * al. habetur. * al. prærog.

De

Ibid c 16.

De non recipiendis seruis ad clerum. Idem Gelasius. ¶ CAP. 100.

dist 54. c. generalis.

Generalis etiam querelæ vitanda præsumptio est, qua propemodum causantur vniuersi passim seruos & originarios dominorum iura possessionemque fugientes, sub religiosæ conuersationis obtentu, vel ad monasteria sese cõferre, vel ad ecclesiasticum famulatum conniuentibus quoque præsulibus indifferenter admitti. Quæ modis omnibus est amouenda pernicies, ne per Christiani nominis institutum, aut aliena peruadi, aut publica videatur disciplina subuerti: præcipuè cum nec ipsam ministerij clericalis hac obligatione fuscari conueniat dignitatem, cogatúrque pro statu militantium sibi, conditionéque iurgari, aut videri (quod absit) obnoxia. Quibus sollicita competenter interdictione prohibitis, quisquis episcopus, presbyter, vel diaconus, vel eorum qui monasteriis præesse noscuntur, huiusmodi personas apud se tenentes, non restituendas patronis, aut deinceps vel ecclesiasticæ seruituti, vel religiosis congregationibus putauerit applicandas, nisi voluntate forsitan dominorum subscriptionis testimonio primitus absolutas, vel legitima transactione concessas, periculũ se honoris proprij non ambigant communionísque subituros, si super hac re cuiusquam verax nos querela pulsauerit. Magnis quippe studiis secũdùm beatum Apostolum præcauendum est, ne fides & disciplina domini blasphemetur.

Rom 2. 2.Pet.2.

De baptizatis in ægritudine. Ex concilio Neocæsariensi, cap. xii.

¶ CAP. 101.

dist 57. c Si quis in ægritudine.

Si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est: nisi fortè postea ipsius studium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.

Ne Presbyter diaconum aut presbyterum ordinet. Ex concilio Spalensi ii. c. v.

¶ CAP. 102.

Quinto iudicio ad agnitionem * nostri examinis Gabrensis diaconi relatu deductum est, de quibusdam ipsius ecclesiæ clericis, quorum dum vnus ad Presbyterium, duo ad leuitarum ministerium sacrarẽtur, episcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur super eos manum suam tantùm posuisse, & presbyter quidam illis contra ecclesiasticum ordinem, benedictionem dedisse. Qui licet propter tantam præsumptionis audaciã poterat accusatus iudicio præsenti damnari, si adhuc in corpore positus, non fuisset mortis vocatione præuentus. Sed quia iam ille examini diuino relictus, humano iudicio accusari non potest: hi qui supersunt, & ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiæ potius elogium perceperunt, ne sibi licentiam talis vltrà vsurpatio faciat, decreuimus vt à gradu sacerdotali vel leuitici ordinis, quem peruersè adepti sunt depositi, æquo iudicio abijciantur. Tales enim meritò iudicati sunt remouendi, quia prauè inuenti sunt constituti.

* nostram Aniani

dist 23. c. quorũdam.

Quòd non debeant Presbyteri ecclesias consecrare, vel altaria erigere. Ex eodem concilio, cap. vij. ¶ CAP. 103.

Septimo examine relatum est nobis, venerandissimum quondam Agapium Cordubensis vrbis episcopum, frequenter presbyteros vel chorepiscopos (qui tamen iuxta canones vnum sunt) destinasse, qui absente pontifice altaria erigerent, basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum, id præcepisse virum, ecclesiasticæ disciplinæ ignarum, & statim à sæculari militia in sacerdotale ministerium delegatum. Ergo ne vltrà talis à nobis licẽtia vsurpetur, communi sententia statuendum oportuit, scientes, quia sicut presbytero vel chorepiscopo illicita consecratio est altaris, ita & constitutio. In diuinis enim literis præcipiente Domino, solus * Moyses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse vnxit, vtique quia summus sacerdos Dei erat, sicut scriptum est de eo: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.

* Aaron Exod 40.

Psal. 98.

De seruis super interdictum dominorum ordinatis. Gelasius Rufino & Aprili episcopis.

¶ CAP. 104.

dist 54. c. quis aut.

Quis enim aut leges principum, aut patrum regulas, aut admonitiones modernas dicat debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantum æstimet transire commissum? Actores siquidem filiæ nostræ, illustris & magnificæ fœminæ Maximæ petitorij nobis insinuatione conquesti sunt, Syluestrum atque Candidum originarios suos, contra cõstitutiones quæ supradictæ sunt, etiam contradictione præeunte, à Lucerino põtifice diaconos ordinatos. Et ideò, fratres charissimi, tantæ præuaricationis excessus noueritis sagacius inquirendos. Et si constiterit querelam veritate fulciri, continuò qui contradictione præeunte non legitimè sunt creati, à sacris officiis repellantur.

De iureiurando possessoris. Gelasius Iusto episcopo. ¶ CAP. 105.

Dilectio tua, quæsita omnium fideliter rerum veritate, si de spatiis quibus memoratur orta contentio, diffinitio dudum certa processit, intemerata seruetur. Alioquin, si nihil vnquam cõstiterit terminatum, nunc de præscriptione temporum, si qua pars fidit, præbeat sacramentum: vt tamen quæ hactenus possedisse probabitur, iusiurandum sinatur offerre.

Ne inuitus aliquis ordinetur. Gelasius Victori episcopo. ¶ CAP. 106.

Dist. 74. c. consuluit.

Consulit dilectio tua de suorum promotione clericorum, perhibens quòd diaconi ad presbyterij gradum, quo ecclesiam tuam commemoras indigere, venire detrectãt. Quapropter quia inuitos fieri ecclesiastica moderatio grauitásque non patitur, vt ex nolentibus * sint volentes, ordinatio illa potest proficere: quia scilicet si quos habes vel in acolytis, vel in subdiaconibus maturioris ætatis, & quorum sit vita probabilis, hos in presbyteratum studeas promouere.

* al. fiant.

Quòd sauciatus & debilitatus, in sacerdotio ordinem non amittat. Gelasius Palladio episcopo.

¶ CAP. 107.

dist 55. cap. præcepta canonica.

Præcepta canonũm quibus ecclesiastica regitur disciplina, sicut ad sacerdotium debiles

corpore non patiuntur venire, ita & si quis in eo actu fuerit constitutus, ac fuerit sauciatus, amittere non potest quod tempore suæ sinceritatis accepit. Stephanus siquidem presbyter petitorio nobis defleuit oblato, quod * haberet in subditis, olim sibi, ante plurimos annos collatam presbyterij dignitatem, quam reuera immaculati corporis iudicio suscepit, sed nuper propter prouinciæ * vastitatem, quam Thusciæ præ omnibus barbarorum feritas diuersa sectantium, & ambiguitas inuexit animorum, quum imminentes gladios euadere fugæ præsidio niteretur, acutis sudibus occurrentia sibi septa transiliens, * inferiores partes corporis * in seruisse suggessit, quæ vix adhibita curatione biennio potuisset abstergi. Et ideo, frater charissime, supradicto locum suum, dignitatémque restitue quatenus sacrosancta mysteria sicut consueuit exerceat. Neque enim conuenit ob hoc auferri ante susceptum ordinem, in quo postmodum inualitudinem corporis casu probatur faciente collapsus.

* habetur

* vastitatē Thusciæ, quam præ omnibus prouinciis.

* al. inter

* forte insecuisse

Vt qui à dominis suis manumißi sunt, post ordines ab hæredibus non repetantur. Gelasius Crispino & Sabino episcopis. ¶ Cap. 108.

Syluester & Faustinianus ecclesiæ Grumentiæ clerici lachrymosa nobis insinuatione conquesti sunt, libertatem sibi Domini sui benignitate concessam, hæredum eius oppressione pulsari, sibique in clericatus officio penè ab incunabulis seruientibus, etiam manumissore viuente, in eodem actu nihilominus constitutis, diuinis ministeriis impendere seruitium non licere, cùm (si petitionem veritas subsequatur) contra patris & authoris sui factum venientibus, vt indignis hæreditas legibus auferatur, nec eis liceat hæreditatem capientibus contra authoris sui prosilire iudicium. Et ideo, fratres charissimi, quoniam se etiam ab Archidiacono prædictæ ecclesiæ queruntur oppressos, qui per eorum absentiam moderatoris iudicium promisit eos esse securos, calcatis omnibus * & quæ contra leges diuinas & publicas pulsatis, forum suum putauit auferri, in vestro iudicio * quæso ille qui clericum lacessit aduениat, vt ecclesiæ iura quæ vetusti principes assidua sanctione firmarunt, impetitis clericis non negentur.

11. q. 1. c. Syluester.

* rationibus.

* al. quisquis ille est qui

De eo qui nepotem suum tutandum suscepit, & paternis bonis priuauit. Gelasius Fortunato episcopo. ¶ Cap. 109.

Irreligiosum prorsus & execrabile iudicamus, si quisquam vel extraneos in sua tuitione susceptos, non omni fide & tota animi sui educauerit sanctitate. Ac cùm Olympius diaconus dilectionis tuæ, Fœlicis atque Olympij suggeratur auunculus, eósque paruulos tutelæ vice susceperit nutriendos, vltra latrocinium esse iudicamus, quod eos boniscculis parentum (sicut asserunt) reliquit extorres, alia retinendo, alia contra leges & iura vendendo.

dist. 87 c. irreligiosum.

Quòd ad inuocationem criminosi sacerdotis spiritus sanctus non adueniat. Idem Helpidio episcopo. ¶ Cap. 110.

Sacrosancta religio, quæ catholicam continet disciplinam, tantam sibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet nisi purâ conscientiâ nō audeat peruenire. Nam quomodo ád diuini mysterij consecrationem cœlestis spiritus inuocatus adueniet, si sacerdos & qui eum adesse deprecatur criminosis plenus actionibus reprobetur?

1 q. 1. c. sacrosancta.

Vt qui caret oculo, sacerdotij officium adipisci non poßit. Pelagius Rufino episcopo. ¶ Cap. 111.

Illi cui erutus oculus est, non possunt iuxta canones sacerdotij iura concedi. Neque enim aliquid ei prodest, quòd oculum inuitus amisit, cùm nec volens quisquam oculum amisisse credendus est. Nec sacratissimos canones aliquem casum in amissionem oculi, * ei qui ad sacerdotium adipiscendum non impediret, suis excepisse regulis inuenimus, sed hoc tantummodo ad prohibitionem fecisse videmus patribus, vt qui careret oculo, sacerdotij officium adipisci non possit. Sed nec illi vllatenus quasi in compensationem iniuriæ, sacratus ordo concedi poterit, qui ad tantam sacerdotem proprium potuit iracundiam prouocare, vt & ille officium in quo erat amitteret, & iste prouectus sui perderet facultatem.

Dist. 55. c. Si Euangelica.

* hęc vox abest ab orig. & Grat.

Vt qui Episcopum necessarium habent, concorditer eligant. Pelagius Tuliano episcopo Grumentino. ¶ Cap. 112.

Literas charitatis tuæ suscepimus, quibus significas Latinum diaconum tuum ad episcopatum ecclesiæ Marcellianensis à clero, & ab omnibus illic conuenientibus postulari, de quo, iam ante hoc tempus, retinemus nobis à visitatore & quibusdam loci habitatoribus fuisse relatum. Sed nos credentes quia iam dimissoriam ipsius à tua charitate perceperint, scripsimus eum venire debere. Verùm quia nunc consulis, vtrum nobis de persona eius placeat, & à te debeat relaxari, ad nos nihil attinet, nisi vt qui sacerdotem necessarium habent, concorditer personam eligant, cui canones obuiare non possint. Sed & nunc hoc dicimus, vt si eum omnes eligunt, & vis eum concedere, gratum nobis esse cognosce: & si potest ante diem sanctum festinet occurrere, vt vel sabbato ipso noctis magnæ post baptismum, cum Dei gratia valeat ordinari. Alioquin necesse est eos vsque ad quarti mensis ieiunia sustinere.

dist 63. c literas charitatis.

De eo qui vxorem duxit cum alio ante velatam. Pelagius Marcello episcopo Atoniensi. ¶ Cap. 113.

Valentino clerico, cui mulier cum alio ante velata non tamen ei nupta, sed virgo permanens, post mortem eius, cum quo velata erat * sponsa, coniugali est copula sociata, quia interim velamen accepit, nullum in promouendo generetur obstaculum, quia nihil est (quantum ad hunc articulum pertinet) quod ei de canonicis obuiet institutis.

dist 34. cap. Valentino.

* sponso

Quòd sacerdos homicida non potest in sacerdotio permanere. Ionnes viij. Cennemoco episcopo Venetiensi. ¶ Cap. 114.

Canonem tico Vticensi episcopo in fragmentis.

Miror minus doctam scientiam tuam sacerdotem putare, post perpetratum homicidium posse in sacerdotio ministrare, immo (quod est peius) nobis suadere velle, vt ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens tamque peruersi sensus, tale quid æstimaret, vel post quantamcunque pœnitentiam

dist 50. c. miror minus.

*omnino. concedendum cùm *omni ſit canonicæ diſciplinæ contrarium? Debet ergo ſacerdotio priuatus lachrymarum fonte flagitium tam immane diluere, vt talibus ſaltem remediis curatus, ſalutis poſſit inuenire ſuffragium.

Idem, ad Ludouicum Imperatorem, non conſentiendum malis. ¶ CAP. 115.

diſt. 10. ca. vides. diſt. 86. ca. facientis. Roma. 1. Vides fili chariſſime, quia quod contra leges accipitur per leges diſſolui meretur. *Item.* Facientis proculdubio culpam habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe eſt: Non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, participes iudicantur. Et libat Domino proſpera, qui ab afflictis pellit aduerſa. Et negligere, cùm poſſis deturbare peruerſos, nihil aliud eſt quàm fouere: nec caret ſcrupulo conſenſionis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. Et probat odiſſe ſe vitia, qui condemnat errantes: nec relinquit ſibi locum deuiandi, qui non pepercerit excedenti. Et primus innocentiæ gradus eſt, odiſſe nefanda. Et latum pandit delinquentibus aditum, qui iungit cum prauitate conſenſum, & nihil prodeſt alicui non puniri proprio, qui puniendus eſt alieno peccato.

Epiſt. 4. *Ne quis miſſo Papæ contradicat. Greg. ij. vniuerſis epiſcopis.* ¶ CAP. 116.

Si quis verò (quod non optamus) aduerſando Bonifacio miſſo noſtro, præpedire conatus fuerit laborem, aut contrarius extiterit miniſterio ſibi credito, ſucceſſorúmque eius eundem laborem intrantium, ex diuina ſententia anathematis vinculo percellatur, ac perpetuæ damnationi ſubiaceat.

Epiſt. 5. *De reordinandis presbyteris ab incognitis epiſcopis ordinatis. Gregorius iij. Bonifacio presbytero.* ¶ CAP. 117.

diſt. 68. ca. presbyteri. Preſbyteros quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint viri illi à quibus ſunt ordinati, & dubium eſt fuiſſe epiſcopos an non, qui eos ordinarunt: ſi bonæ actionis & catholici viri ſunt Preſbyteri ipſi, & in miniſterio Chriſti omnique lege ſancta edocti, *à patre vel epiſcopo ſuo benedictionem preſbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur, & ſic miniſterio ſacro fungantur. *al. apti, ab Epiſc. Origin.*

De licita promotione eius cui digitus ab hoſtibus abſciſſus eſt. Stephanus Roberto Metenſi epiſcopo. ¶ CAP. 118.

diſt. 55. c. lator præſentium. Lator præſentium Flauinus ſcilicet clericus ad ſanctam ſedem Apoſtolicam veniens, detulit à te nobis directam epiſtolam, qua indagare ſtuduiſti cùm à Nortmannis nuperrimè captum ſiniſtræ manus digitum haberet abſciſſum, ſciſcitans ſi ob hoc ad eccleſiaſticum ordinem valeat promoueri, an non. Quod & nos reperientes, quia ſolertia tua magis ſuper hoc ſollicita à ſede Apoſtolica doceri flagitat, normam iuſtitiæ ſemper ſequi exoptans, ſtudium tuæ ſanctitatis meritò collaudamus: reuerentiam tuam ſcire volentes, quoniam ſi ita eſt quòd à Nortmannis digitum ipſum habeat abſciſſum, ad promouendum (ſi aliàs dignus fuerit) nil ei nocebit, eò quòd quid de his, qui à dominis vel medicis, ſiue à paganis non ſponte tale quid patiuntur, ſacri cenſeant canones, dilectionem tuam latere non credimus, quos eis obuiare debere, ſi ita eſt, minimè reperimus, monentes religionem tuam, vt circa illum ita peragat, quatenus & mercedem pro eo magnam incurrat, & deſiderium iſtius canonica ei authoritate in aliis non obuiante, Deo adiuuante perficiat.

De ſubdiacono, qui vxorem duxit poſt ordines. Stephanus Adoni Vienenſi Archiepiſcopo. ¶ CAP. 119. *Inter fragmenta epiſt. Nicolai. 1.*

De illo clerico Aluico nomine quem per ordines eccleſiaſticos, vſque ad ſubdiaconatum vixiſſe dicitis, cur veſtra authoritate vxorem duxerit miramur: eò quòd nulli vnquam, exceptis illis quos eccleſiaſtica regula habere permittit vxorem, ducendi licentiam dederimus. *diſt. 32. c. de illo clerico.*

Quòd clericus ſi paganum occiderit promoueri non poſſit. Nicolaus VVilfredo Morinenſis eccleſiæ epiſcopo. ¶ CAP. 120. *In reſcriptis Nicolai 1. collectis ex Gratiano tit 12.*

Clericum autem qui paganum occiderit non oportet ad * gradum maiorem prouehi, qui carere debet etiam acquiſito: homicida enim eſt. Nam cùm diſcreti ſint milites ſæculi à militibus eccleſiæ, non conuenit militem eccleſiæ ſæculo militare, per quod ad effuſionem ſanguinis neceſſe ſit peruenire. Denique ſicut turpe ac pernitioſum eſt, laicum miſſas facere, ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti conficere: ita ridiculum eſt & inconueniens, clericum arma ſuſtollere, & ad bella procedere, cùm Paulus Apoſtolus dicat: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. Acſi liquidò verſa vice dicat: Nemo militans mundo implicat ſe negotiis ſpiritualibus. *diſt. 50. c. clericum. * honorē. 2. Tim. 2.*

Ne presbyteris & diaconis cùm ordinantur manus chriſmate inungantur. Idem Nicolaus Radulpho Bituricenſi Archiepiſcopo. *Nicol. 1. ep. 19. c. 3.*

¶ CAP. 121.

Sciſcitaris vtrum ſolis preſbyteris, an & diaconibus debeant cùm ordinantur, manus chriſmatis liquore perungi. Quod in ſancta hac Romana cui Deo authore deſeruimus, eccleſia neutris agitur. Sed & quia ſit à nouæ legis miniſtris actum, nuſquam (niſi nos fallat obliuio) legimus. Ergo ad beati Innocentij Papæ canonica decreta ſanctitatem tuam tranſmittimus, & quæ tibi ſint in conſecrationibus, & ordinibus obſeruanda, principia paginæ ad Decentium Eugubinum epiſcopum miſſæ, te affatim edocebunt. *Diſt 23. c. Præterea.*

Quòd nemo damnandus ſit niſi ſponte confeſſus, vel canonicè conuictus. Idem Salomoni Conſtantienſi epiſcopo.

¶ CAP. 122.

Preſbyter vel diaconus quem aſſeris crimina nolle publicè confiteri, ſed velle cum ſacramento defendere ſe, & tamen notum eſt epiſcopo eſſe ſcelus ab ipſo perpetratum, non poteſt per aliquam pœnitentiam ſacerdotali vel diaconali officio potiri. Sed mirandum ſi ipſe cõfeſſus non fuerit, quomodo notum poſſit eſſe epiſcopo ſcelus ab ipſo perpetratum, niſi accuſatore fortè idoneo per teſtes idoneos approbante. Vnde ſi examinante epiſcopo cauſam preſbyteri vel diaconi, non fuerit per teſtium approbationem ille presbyter vel diaconus fortè conuictus, non eſt ſcelus epiſcopo legitimè manifeſtatum, niſi preſbyter vel diaconus ſua ſponte ſcelus ipſum confiteatur. Quod niſi fecerit, interim non videmus ſuo debere preſ- *15. q. 5. c. presbyter vel diaconus.*

byterum vel diaconum officio priuari. Sola ergo spontanea confessio, & canonicus numerus vel qualitas testium, decernentibus episcopis, & accusatore quod obiecerat comprobante, clericum priuat proprio gradu.

Ne Diaconus ante presbyterum sedeat. Canonum vi. synodi, c. vij. ¶ CAP. 123.

Dist. 93. c. præcipimus. Præcipimus ne diaconus (quamuis in dignitate, hoc est, in officio quolibet ecclesiastico sit) ante presbyterum sedeat, nisi cùm vices habuerit proprij patriarchæ aut metropolitani, pro aliquo capitulo. Tunc enim sicut illius locum tenens honorabitur. Si quis verò præsumpserit hoc tyrannicè facere, à proprio gradu repulsus, vltimus omnium fiat in ordine suo.

Cap. xi. *De irrecuperabiliter depositis, c. x.* ¶ CAP. 124.

Qui pro culpis suis irrecuperabiliter depositi sunt, & in locum laicorum redacti, si sponte sua conuertantur ad Deum, peccato renunciantes pro quo depositi sunt, & omnino se alienant ab eo, clericalem tonsuram non perdant. Si verò peccato adhæserint, quemadmodum laici comas dimittant, quia mundanam conuersationem cœlesti vitæ præposuerunt.

Conc. Aur. I. c. 10. *Vt seruus nesciente domino suo non ordinetur. Ex concilio Aurelianensi, c. v.* ¶ CAP. 125.

dist. 54. c. si seruus. Seruus si absente domino aut nesciente, episcopo autem sciente quòd seruus sit, diaconus aut presbyter fuerit ordinatus, ipso in clericatus officio permanente, Episcopus eum domino duplici satisfactione compenset. Si verò episcopus eum seruum nescierit, qui testimonium perhibent, aut eum supplicauerint ordinari, simili redhibitione teneantur obnoxij.

Con. Tol. 4. c. 73. *De his qui libertatem ita consequuntur, vt nullum sibi domini obsequium retentent. Ex concilio Toletano, cap. lxxiij.* ¶ CAP. 126.

Dist. 54. c. quicunque. Quicunque libertatem à dominis suis ita percipiunt, vt nullum sibimet in eis obsequium patronus retentet: isti si sine crimine capitali sunt, ad clericatus ordinem liberè suscipiantur, quia directa manumissione absoluti esse noscuntur. Qui verò retento obsequio manumissi sunt, pro eo quòd adhuc patroni seruitute tenentur obnoxij, nullatenus ad ecclesiasticum ordinem promouendi sunt, nequando voluerint eorum domini, fiant ex clerici serui.

De seruis ordinandis quomodo ingenui fieri debeant. Ex Concilio Rhemensi, cap. I.

¶ CAP. 127.

Authoritas Ecclesiastica patenter admonet, insuper & maiestas regia canonicæ religioni assensum præbet, vt quemcunque ad sacros ordines ex familia propria promouere ecclesia quæque delegauerit, in præsentia sacerdotum canonicorum, simul & nobilium laicocorum, eius cui subiectus est subscriptione vel manumissione, sub libertatis testamento, solemniter roboretur.

De eodem. Ex Concilio Toletano. ¶ CAP. 128. *In fragmentis conc. Tolet. I.*

Debent autem suprascriptæ ingenuitatis chartæ non solùm nomen illius, qui has fieri rogat, sed etiam nomina sacerdotum & nobilium laicorum qui ibi fuerint, in ordine digesta, cum signis propria manu impressis continere. Nam sine horum astipulatione pagina authoritate testium nudata pro nihilo deputatur. Oportet etiam vt locus, dies, annus, princeps, & indictiones in fine vel in margine annotata habeantur in hunc modum. Actum in illa ciuitate, in domo sancti Petri, Calendis illis, anno dominicæ incarnationis illo, regnante illo rege, & præsidente in cathedra supradictæ ciuitatis episcopo illo, * vel in monasterio illo, indictione illa, * in Dei nomine fœliciter. Amen. Ait enim Romana authoritas: Quæcunque leges sine die & consule fuerint prolatæ, non valeant. ** quatuor hæc verba nō sunt in originali.*

Item de eodem. Ex eodem concilio.

¶ CAP. 129.

Instruendi sunt præterea laici, vt sciant quòd nullatenus alio loco manumittere proprios possunt seruos, quos dominicis castris aggregari decreuerunt, nisi in sacrosancta ecclesia ordine supranotato. Quomodo enim clerici extra sanctam ecclesiam libertatem consequi possunt, qui à lege mundana extranei sunt? Et quibus interdicitur ne ad sæculare iudicium procedant, quomodo sæculari iudicio à iugo seruitutis absoluuntur? Sed fortasse dicit aliquis: Clericus fieri non permittitur, nisi ante susceptum clericatus officium, ingenuitate potiatur. Reuera verum dicit: Et ideo quod infirmari vel vituperari potest, præcaueri debet. *Ibidem.*

Item de eodem. Ex eodem Concilio.

¶ CAP. 130.

Non solùm autem qui ad clericatus ordinem promouendi sunt, in Ecclesia manumittendi sunt: verùm etiam hi, quos quisque pro remedio animæ suæ emancipari vult, quia sic scriptum quippe est in pacto Francorum. *Ibidem.*

Exemplar libertatis de proprio seruo. Ex eodem Concilio. ¶ CAP. 131. *Ibidem.*

Qui debitum sibi nexum, atque competens relaxat seruitium, præmium in futuro apud dominum sibi prouenire non dubitet. Quapropter ego in Dei nomine, illum pro remedio animæ meæ, vel æterna retributione in ecclesia sancti Petri, vel illius sancti, sub præsentia episcopi vel sacerdotum ibi consistentium, ac nobilium laicorum, ante cornu altaris istius Ecclesiæ, absoluo seruum meum illum, per hanc chartam absolutionis, & ingenuitatis, ab omni vinculo seruitutis: ita vt ab hac die, & deinceps ingenuus sit, & ingenuus permaneat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus, aut procreatus. Eam pergat partem quam maluerit, vel quam ei authoritas canonica permittit: & sicut alij ingenui vitam ducat ingenuam. Nulli autem heredum meorum, ac proheredum, nec cuiquam personæ alij quicquam debeat seruitutis, vel libertatis obsequium, nisi soli Deo, cui

omnia subiecta sunt: vel pro cuius amore ipsum deuotus ad eius seruitium obtuli. Peculiare verò suum quod dominus ei dederit, vel deinceps deo auxiliante * assequi potuerit, concessum in perpetuum habeat: vt inde faciat quicquid illi placuerit, secundùm ecclesiasticas sanctiones. Si quis verò (quod futurum esse non credo) si ego ipse, aut aliquis de hæredibus meis, vel quælibet opposita persona, contra hanc ingenuitatis chartam venire tentauerit, aut eam quolibet modo infringere voluerit, inprimis iram dei incurrat, & à liminibus sanctæ ecclesiæ extraneus efficiatur: & insuper qui litem intulit * quadraginta solidos persoluat, & quod repetit vindicare non valeat: sed præsens ingenuitas mea vel aliorum bonorum hominum manibus roborata, aut astipulatione * subiuncta omni tempore maneat inconuulsa.

*al. laborare

* sexaginta

* al. subnixa

Ibidem.

De seruorum ordinatione. Ex eodem concilio, cap. xxxij. ¶ CAP. 132.

dist. 54. c. de seruorum.

De seruorum ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos in discretè promouentur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordare debere: & statutum est, vt nullus episcoporum deinceps, eos ad sacros ordines promouere præsumat, nisi priùs à dominis propriis consecuti fuerint libertatem. Et si quilibet seruus dominum suum fugiens aut latitans, aut adhibitis testibus munere conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus ecclesiasticos peruenerit, decretum est vt deponatur, & dominus eius eum recipiat. Si verò auus aut pater ab alia patria in aliam migrans in eadem prouincia filium genuerit, & ipse filius ibidem educatus, ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, & vtrum seruus sit ignotum sit, & postea veniens dominus illius legibus eum acquisierit: sancitum est, vt si dominus * ei libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat. Si verò eum catena seruitutis à castris dominicis abstrahere voluerit, gradum amittat: quia iuxta sacros canones vilis persona manens, sacerdotij dignitate fungi non potest.

* eius

Ibidem.

De ecclesiarum seruis. Ex eodem concilio, c. xxxiij. ¶ CAP. 133.

De ecclesiarum verò seruis communi sententia est decretum, vt archiepiscopi per singulas prouincias constituti nostram authoritatem sequantur: Suffraganei autem illorum exemplar illius penes se habeant, & quandocunque de familia ecclesiæ vtilis inuentus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa authoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus & omni clero ante cornu altaris (sicut in nostra authoritate continetur) remota qualibet calliditate, libertatem consequatur, & tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoueatur.

Vt pœnitentes vel bigami non promoueantur. Ex concilio Arelatensi ij. c. ij. ¶ CAP. 134.

dist. 55. c. nullus pœnitentem.

Vt bigami, vel pœnitentes, vel repudiatarum mariti, ad sacerdotium non promoueantur.

De energumenis. Ex concilio Arausico, cap. vi. ¶ CAP. 135.

Arau. 1. c.

Energumeni non solùm assumendi non sunt ad vllum ordinem clericatus, sed etiam qui ordinati sunt, ab imposito officio repellendi sunt.

Item ne pœnitentes ordinentur. Ex concilio Carthaginensi, c. lxxvij. ¶ CAP. 136.

con Car. 4. c. 68. dist. 50. c. ex pœnitentibus.

Ex pœnitentibus, quamuis sit bonus, clericus non ordinetur: Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, deponatur à clero: quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse in pœnitentia. Si autem sciens Episcopus ordinauerit talem, etiam ab Episcopatus sui, ordinandi duntaxat, potestate priuetur.

De actoribus & procuratoribus si ordinari debeant. Ex eodem concilio, cap. ix. ¶ CAP. 137.

Magnus episcopus Astuagensis dixit: Quid dilectioni vestræ videtur, procuratores, & actores, etiam executores pupillorum, si debeant ordinari? Grat⁹ episcopus dixit: Si post disposita vniuersa & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorũ fuerint comprobati in omnibus, debent & cum laude clericatus si postulatum fuerit, honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo sine consideratione fuerint ordinati, ecclesia infamatur. Vniuersi dixerunt: Rectè omnia statuit sanctitas tua, ideoque ita nostra est quoque sententia.

Item de pœnitentibus. Ex Toletano concilio i. c. ij. ¶ CAP. 138.

dist. 50. cap. placuit.

Item placuit, vt pœnitentes non admittantur ad clerum, nisi tantùm, si necessitas aut vsus exegerit *inter ostiarios deputentur: vel inter lectores, ita vt euangelia & apostolum non legant. Si qui autem antè ordinati sunt, inter subdiaconos habeantur, ità vt manum non imponant, aut sacra contingant. Eum verò pœnitentem dicimus, qui post baptismum pro homicidio, aut pro diuersis criminibus grauissimísque peccatis publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio diuino fuerit reconciliatus altario.

* & tunc deputentur

Laicus si secundam vxorem duxerit clericus non fiat. Ex concilio Aurelienensi, cap. viij. ¶ CAP. 139.

con. Aurel. 3. cap. 9.

Si quis de laicis post vxorem aliam cuiuscumque conditionis cognouerit mulierem, in clerum nullatenus admittatur.

Vt nullus alterius parœcianum retinere præsumat. Ex decretis Adriani Papæ, c. xv. ¶ CAP. 140.

Inter 80. canones cõtra falsos accusatores Episcoporũ.

Nullus episcopus alterius parœcianum præsumat retinere aut ordinare absque eius voluntate, vel iudicare: quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita & iudicium: quoniam censemus nullum alterius iudicis, nisi sui sententiâ teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus poterit.

Vt ab alio episcopo ordinatus in clero non maneat. Ex concilio Magontiensi, c. iv. ¶ CAP. 141.

Ordinatus clericus ab alio episcopo, non deprecante vel consentiente suo, in clero non maneat.

De quodam Episcopo, qui alterius episcopi clericum eo nolente ordinauerat. Ex concilio Africano, c. xlij. ¶ CAP. 142.

con Carth. 3. c. 44.

Epigonius episcopus dixit: In multis conciliis hoc statutum est, & nunc confirman-

*beatissimi dum est à vestra prudentia, fratres * charissimi, vt clericum alienum nullus sibi præripiat episcopus, præter eius arbitrium cuius fuerit clericus. Dico autem Iulianum, qui ingratus est Dei beneficiis, per meam paruitatem in se collatis, ita temerarium & audacem extitisse, vt eum qui à me baptizatus est, cùm esset puer egentissimus mihi ab eodem commendatus, cúmque multis annis à me aleretur, atque increscere, hunc (vt dixi) baptizatum esse in ecclesia mea, per manum paruitatis meæ constat: idem in diœcesi Mapaliensi lector esse cœperat, immo annis fermè duobus legerat, nescio quo contemptu * immanissimo idem Iulianus eum arripuit: quem dicit quasi proprium ciuem sui loci Vazaritani me inconsulto vsurpare. Nam & diaconem illum ordinauit. Hoc si liceat, pateat hæc licentia à vobis beatissimi fratres. Sin minus, tam impudens cohibeatur, ne se misceat communioni cuiusquam. Numidius episcopus dixit. Si non postulata neque consulta tua dignatione, id videtur fecisse Iulianus, iudicamus omnes iniquè factum atque indignè. Quapropter idem Iulianus si non correxerit errorem suum, & cum satisfactione eundem clericum quem fuit ausus ordinare, reuocauerit tuæ plebi, contra statuta concilij faciens, contumaciæ suæ separatus à nobis excipiet iudicium. Epigonius episcopus dixit: Ætate pater, & ipse promotione antiquissimus vir laudabilis frater & collega noster Victor, vult hanc petitionem generalem omnibus effici.

*al. humilitatis meæ

con. Carth. 3. c. 21.

Ne alienum clericum quis retineat. Ex concilio Carthaginensi, c. xx. ¶ CAP. 143.

dist. 71. c. clericum alienum.

Vt clericum alienum non concedente proprio episcopo nemo audeat vel retinere, vel promouere in ecclesia sibi credita. Clericorum autem nomen etiam lectores, & psalmistæ & ostiarij retineant.

con. Carth. 1. c. 5.

Vt nullus Episcopus alienum clericum sine literis episcopi sui suscipiat. Ex eodem concilio c. vi. ¶ CAP. 144.

dist. 71. c. primatus.

Primatus episcopus Vegesilitanus dixit: Suggero sanctitati vestræ, vt statuatis non licere clericum alienum ab aliquo suscipi sine literis episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum vsurpare sibi de plebe aliena, vt eum ordinet sine conscientia episcopi eius, de cuius plebe est. Gratus episcopus dixit: Hæc obseruantia pacem custodit. Nam & memini in sanctissimo concilio Sardicensi statutum, vt nemo alterius plebis hominem vsurpet. Sed si fortè erit necessarius, petat à collega suo, & per consensum habeat.

c. 16. 18. 19.

cap. 52.

De Presbyteris & diaconibus qui sine literis Episcopi sui ambulant. Ex concilio Agathensi, c. v. ¶ CAP. 145.

Presbyter & diaconus, aut clericus si sine antistitis sui epistolis ambulant, communionem eis nullus impendat.

De eodem. Ex concilio Laodicensi, c. xli. ¶ CAP. 146.

de cons. dist. 5. cap. non oportet.

Quòd non oporteat sacerdotem vel clericum sine literis proficisci canonicis.

Vt vnusquisque presbyter cùm ordinatur, literas ab ordinatore suo accipiat. Ex concilio Mileuitano, c. xiv. ¶ CAP. 147.

Deinde placuit, vt quicunque deinceps ab episcopis ordinantur, literas accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum subscriptas: continentes * annum Domini & diem, vt nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

* consulem & diē. Orig.

Vt ordinatus in locis ad quæ ordinatus est, permaneat. Ex concilio Agathensi, c. ij. ¶ CAP. 148.

De his qui in quibusdam locis ordinati fuerint, ministri in ipsis locis perseuerent.

De presbytero, qui confessus fuerit ante ordinationem se peccasse. Ex concilio Cabilonensi, c. xxv. ¶ CAP. 149.

cap. 25. Syno græca à Marti. episc. Brac. collectarum. 25 q. 8 c. Si quis presbyter.

Si quis presbyter antè ordinationem peccauerit, & post ordinationem peccata confessus fuerit, quòd antè errauerit: non offerat, sed tamen tantùm pro religione nomen presbyteri portet. Si autem non ipse confessus, sed ab alio publicè conuictus: nec hoc ipsum habeat, vt nomen presbyteri portet. Similiter & de diaconibus obseruandum est: vt si ipse confessus fuerit, ordinem subdiaconi retineat.

De eadem re. Ex concilio Neocæsariensi, c. xiij. ¶ CAP. 150.

cap. 9.

Presbyter si præoccupatus corporali peccato promoueatur, & confessus fuerit de se quòd antè ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Quòd si de seipso confessus non fuerit, & argui manifestè nequiuerit, potestatis suæ iudicio relinquatur.

15. q. 8. c. qui admisit.

De ministeriis presbyterorum, & quid eis commissum sit. Ex dictis Augustini. ¶ CAP. 151.

Vos presbyteri nosse debetis, & semper meminisse, quia nos quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his qui nostrâ negligentiâ pereunt, rationem reddituri sumus: pro his verò quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus. Nobis enim à Domino dictum est: Vos estis sal terræ. Quòd si populus fidelis cibus est Dei, eiusdem cibi condimentum nos sumus. Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum, & penè coniunctum esse. Sicut enim episcopi apostolorum in ecclesia, ita nimirum presbyteri cæterorum discipulorum Domini vicem tenent. Et illi tenent gradum summi pontificis Aaron, isti verò filiorum eius. Vnde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ, quam in manibus suscepistis, vnctionis, vt nec ab eadem dignitate degeneretis, nec vestrā consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro vnguine delibutas peccando polluatis, sed cordis & corporis munditiam conseruantes plebibus exemplum benè viuendi præbentes, his quibus præestis ducatum ad cœlestia regna præbeatis.

Matth 5.

Vt singuli presbyteri singulos clericos habeant. Ex concil. Nannetensi., c. viij. ¶ CAP. 152.

Vt quisque presbyter qui plebem regit, clericum habeat qui secum cantet, & epistolam & lectionem legat, & qui scholam possit tenere: & admoneat suos parœcianos, vt filios suos ad fidem discendam mittant ad ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat.

De discutienda fide Presbyterorum. Ex conc. Maticensi, cap. ij.

¶ CAP. 153.

Primo omnium discutienda est fides sacerdotum, qualiter credant, & alios credere doceant. Ibi exempla proponenda sunt, quatenus creatura creator quantulumcunque possit intelligi.

Quomodo vel quid presbyteri sibi commissos docere debeant. Ex dictu Augustini.

¶ CAP. 154.

Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes vestras. Qui scripturas scit, prædicet scripturas: qui verò nescit, saltem hoc quod notissimum habet plebibus dicat, vt declinent à malo & faciant bonum, inquirant pacem & sequantur eam. Quia oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum. Vultus autem domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Nullus ergo excusare se poterit, quòd non habeat linguam vnde aliquem possit ædificare. Mox enim vt quemlibet errantem viderit, prout valet & potest, aut arguendo, vel obsecrando, vel increpando ab errore retrahat, & ad peragendum opus bonum hortetur. *Psal. 36. & 33.*

De eadem re. Ex concilio Rothomagensi, cap. vj.

¶ CAP. 155.

In primis prædicandum est omnibus generaliter, vt credant patrem, & filium, & spiritum sanctum vnum esse Deum omnipotentem, qui omnia fecit, & vnam esse deitatem & substantiam, & maiestatem in tribus personis patris & filij & spiritus sancti.

Item de eadem re. Ex eodem concilio, cap. ij.

¶ CAP. 156.

Item prædicandum est, quomodo filius Dei incarnatus est de spiritu sancto, ex Maria virgine, pro salute humani generis passus, sepultus, tertia die resurrexit, & in cœlum ascendit, in fine mundi venturus iudicare omnes homines secundùm opera propria: quomodo impij cum diabolo in ignem æternum mittentur, iusti cum Christo in vita æterna erunt.

Item de eodem. cap. ij.

¶ CAP. 157.

Item prædicandum est, quòd omnes homines in propria carne resurgent.

Vt omnis Presbyter per æcianis suis Symbolum, & Orationem dominicam insinuet. Ex concilo Rhotomensi, cap. viij.

¶ CAP. 158.

Vt omnis presbyter omnibus parœcianis suis symbolum & orationem dominicam, aut ipse per se insinuet, aut aliis insinuandum iniungat: vt cùm ad confessionem tempore quadragesimali veniunt, hæc ab vnoquoque memoriter sibi decantari faciat, nec antè sanctam communionem alicui tradat, nisi hæc ex corde pronunciare nouerit. Siquidem sine horum scientia, nullus saluus esse poterit. In vno enim fides & credulitas Christiana continetur, in alio quid orare, & petere à Deo debeamus, exprimitur. Quòd verò sine fide nemo possit esse saluus, Dominus ostendit, quum dicit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Nullus autem credere potest quod nescit, nec audiuit. Ait enim Paulus: Quomodo credent ei, quem non audierunt? Nec sola sufficit fides in corde, nisi etiam verbis enuncietur, vt idem apostolus testis est: Corde enim, inquit, creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Nullus autem de stoliditate sensus vel tenuitate ingenij causetur: quia hæc tam parua sunt, vt nemo tam hæbes & barbarus sit, qui hoc discere, & verbis communibus pronunciare non possit: tam magna, vt qui horum scientiam pleniter capere potuerit, sufficere sibi credatur ad salutem perpetuam. Illud etiam obseruandum, vt nullus suscipiat infantem in baptismo à sacro fonte, antequam idem symbolum & orationem dominicam coram * populo decantent. Et tunc presbyter omnibus patrinis annunciet, quòd debitores sint suis filiolis cum ad intelligibilem ætatem venerint, hæc eadem insinuare. *Math. 16.* *Rom. 10.* *Ibidem.* *presbytero.

De eadem re. Ex concilio Cabilonensi, cap. ij.

¶ CAP. 159.

Iubendum est, vt oratio dominica in qua omnia necessaria humanæ vitæ comprehenduntur, & symbolum Apostolorum in quo fides catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus discatur, tam latinè quàm barbaricè, vt quod ore confitentur, corde credant.

De prædicanda dilectione Dei & proximi. Ex eodem, cap. v.

¶ CAP. 160.

Item prædicandum est, de dilectione Dei & proximi, de fide, & spe in Deo, de humilitate, patientia, castitate, benignitate, misericordia, de eleemosynis, de confessione, vt fratribus ex corde remitatur, quia qui hæc & similia agunt, regnum Dei consequentur.

De criminalibus peccatis. Ex eodem cap. ij.

¶ CAP. 161.

Item prædicandum est, pro quibus criminibus homines cum diabolo deputantur, quæ apostolus sic enumerat: Fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Et ideo hæc omnia cum omni studio prohibeantur. *Galat. 5.*

Vt de auditorio nullus egrediatur sacerdote verbum faciente. Ex concilio Carthaginensi iiij. cap. xxiiij.

¶ CAP. 162.

Sacerdote in ecclesia verbum faciente, qui egressus de auditorio fuerit * sine graui necessitate, excommunicetur. *de con. dist. 1. c sacerdote.* * hæc tria verba desunt in orig.

De eadem re. Ex Canonibus Apostolorum, cap. x.

¶ CAP. 163.

Omnes fideles qui conueniunt in solennitatibus sacris ad ecclesiam, & scripturas apostolorum & Euangelium audiunt, non autem perseuerant in oratione vsque dum missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari. *de consec. dist. 1. cap. omnes fideles.*

Item de eodem. Ex canone Apostolorum.

¶ CAP. 164.

Omnes Christiani qui ingrediuntur in ecclesiam Dei, & scripturas sacras audiunt, neque

communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se à perceptione sacræ communionis auertunt, hi de ecclesia remoueantur, donec per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant.

De precibus post allocutionem. Ex concilio Laodicensi, cap. xix.

¶ CAP. 165.

Quòd oporteat seorsum primum post allocutionem episcoporum vel presbyterorum orationes super catechumenos celebrari, & postquam catechumeni egressi fuerint, super eos qui sunt in pœnitentia preces fieri, his etiam accedentibus ad manum sacerdotis & discedentibus, tres orationes consummari fidelium, ita vt prima quidem sub silentio, secunda verò & tertia per exclamationes solitas expleantur. Et ita demum pacem sibi inuicem dabunt: Et posteaquam dederit Episcopus presbyteris osculum pacis, tunc laici sibi tribuent, & ita sancta celebrabitur oblatio.

Quæ admonere debeant presbyteri. Ex conc. Aurelianensi, cap. iij.

¶ CAP. 166.

Vt sacerdotes admoneant populum, vt eleemosynam dent, & orationes faciant pro diuersis plagis, quas assiduè pro peccatis nostris patimur.

Quomodo vnusquisque orare debeat. Ex eodem, cap. vi.

¶ CAP. 167.

Item instruendus est populus, vt singulis diebus qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, manè scilicet & vespere: dicens Symbolum & orationem dominicam, siue, Qui plasmasti me miserere mei: vel etiam, Deus propitius esto mihi peccatori, & Deo gratias agens pro quotidianæ vitæ commeatibus, & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & à pecudibus segregare. His ita peractis & solo Deo creatore suo adorato, sanctos inuocet, vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur. Hæc faciant, quibus basilicæ locus prope est, in basilica: qui verò in itinere, aut pro qualibet occasione in syluis, aut in agris vbicumque eos ipsa hora matutinalis vel vespertina inuenerit, sic faciant, scientes Deum vbique præsentem esse, dicente psalmista in omni
Psalm. 102. loco dominationes eius.

*De filiis quomodo parentibus obedire debeant. Ex concilio apud Auernas, cap. * vi.*
** iij.*

¶ CAP. 168.

Admonendi sunt fideles sanctæ ecclesiæ Dei, vt filij & filiæ parentibus suis obedientiam exhibeant, dicente domino: Fili honorifica patrem tuum: Nam vt ipsi parentes erga filios suos ac filias modestè se agant, admonendi
Coloss. 3. sunt, dicente apostolo: Et vos parentes nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Nam & hoc dicendum est eis, vt si illi genitali affectu parcere velint iniuriis filiorum, non hos impunitos dominus finit, nisi fortè pœnitentiæ subiiciantur. Sed tamen leuius est filiis parentum qualibet flagella suscipere, quàm Dei iram incurrere.

Vt ad salutationes sacerdotis in Missa omnes respondeant. Ex concilio Aurelianensi, cap.

¶ CAP. 169.

Item intimandum est, vt ad salutationes sacerdotales congruè responsiones discantur, vbi non solùm clerici & Deo dicati, sacerdoti responsiones offerant, sed omnis plebs consona voce deuotè respondere debet.

Ne presbyter relicta ecclesia sua, per sancta loca discurrat. Ex dictis Augustini.

¶ CAP. 170.

Interdicendum est, vt nullus ordinatus migret de sua parœcia ad aliam nec in limina Apostolorum causâ orationis, suæ ecclesiæ curâ derelictâ, nec ad palatium causâ interpellandi. Quod si fecerit, nihil valet huiusmodi aut ordinatio vel demigratio. Et hoc omnibus denunciandum, vt qui causâ orationis ad limina beatorum apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, & sic proficiscantur, qui à proprio episcopo suo, aut à sacerdote ligandi aut soluendi sunt, non ab extraneo.

Nihil agendum sine licentia Episcopi. Ex epistola Clementis.

¶ CAP. 171.

Nullum enim presbyterum in alicuius episcopi parœcia aliquid agere debere, absque eius permissu docebat. Cunctos presbyteros propriis episcopis in omnibus absque mora obedientes (instituente Domino) esse debere docebat. Nullum aliena concupiscere aut præsumere quæ eorum erant, sed vnumquemque suis sibique commissis contentum esse docebat. Neminem etiam alicui aliquid facere, nisi quod sibi vult fieri, instruebat. *Epist. 1. ante finem.*

Ne presbyteri relictis locis sibi commissis ad alia transeant. Ex concilio Arelatensi, cap. ij. *Con. Arel. 1. cap. 2.*

¶ CAP. 172.

De presbyteris aut diaconibus, qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, & ad alia loca se transferunt: placuit vt iisdem locis ministrent quibus præfixi sunt. Qui si derelictis locis suis ad alium se locum transferre voluerint, deponantur.

Quòd non liceat clericum in duarum ciuitatum simul conscribi ecclesiis. Ex concilio Chalcedonensi, cap x.

¶ CAPVT 173.

Non licere clericum in duarum ciuitatum conscribi simul ecclesiis, sed in qua ab initio ordinatus est ministret: nec ad aliam confugiat, quasi potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes reuocari debent ad suam ecclesiam, in qua primitus ordinati sunt, & ibi tantummodo ministrare. *Actione 15. 21. q. 1. c. clericum duarum. in*

Ne quis ordinatus de ciuitate in ciuitatem transferatur. Ex concilio Niceno, cap. xv. *Et Aquisgr. c. 43. 7. q. 1. c. non oportet.*

¶ CAP. 174.

Propter multam perturbationem, seditionesque quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa: ita de ciuitate in ciuitatem non episcopus, non presbyter, non diaconus transferatur. Si quis autem post diffinitionem sancti & magni concilij tale quid agere tentauerit, & se huiusmodi negotio man-

ciparit, hoc factum prorsus irritum ducatur, & restituatur ecclesiæ cui fuerit episcopus aut presbyter, aut diaconus ordinatus.

De eadem re. Ex eodem concilio, cap. xvi.

¶ Cap. 175.

Quicunque temerè aut periculosè neque timorem domini præ oculis habentes, nec agnoscentes ecclesiasticam regulam discedunt ab ecclesia commissa Presbyteri aut Diaconi, vel quicunque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem conuenit illis imponi, vt ad suas parœcias reuertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communione priuari.

Ne Presbyteri per diuersa loca legati mittantur, dimissâ curâ animarum. Ex concilio Arelatensi, cap. iij.

¶ Cap. 176.

Statutum est, vt presbyteri sicut hactenus factum est, indiscretè per diuersa non mittantur loca, nec ab episcopis nec ab aliis prælatis, nec etiam à laicis: ne fortè propter eorum absentiam & animarum pericula fiant, & ecclesiarum in quibus cõstituti sunt negligãtur officia.

Quod Presbyteri assiduè legere debeant & orare. Ex dictis Augustini.

¶ Cap. 177.

Presbyteri, oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi: quia vita viri iusti lectione instruitur, oratione ornatur, & & assiduitate lectionis munitur homo à peccato, iuxta illum qui dicebat: In corde meo abscondi eloquia tua vt non peccem tibi. Hæc sunt enim arma videlicet lectio & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur: His armis vitia comprimuntur: his alimentis virtutes nutriuntur. Sed & si quando à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia ociositas inimica est animæ. Et antiquus hostis quem à lectione, siue ab oratione vacantem inuenerit, facilè ad vitia rapit. Per vsum namque lectionis discetis qualiter & vos viuatis, & alios doceatis Per vsum orationis & vobis, & his quibus in charitate coniuncti estis, prodesse valebitis. Per manuum operationem & corporis macerationem, & vitiis alimenta negabitis, & vestris necessitatibus subuenietis, & habebitis vnde necessitatem patientibus porrigatis.

Psalm 118.

Ephes. 4.

Vt Presbyteri sine orariis non vadant. Ex conc. Magontiensi.

Con. Magõ. sub leone 3. cap. 28.

¶ Cap. 178.

Presbyteri sine intermissione vtantur orariis, propter differentiam sacerdotalis dignitatis.

Vt Clericus honesto artificio victum sibi quærat. Ex concilio Affricano.

Con. Carth. 4. cap. 51. dist. 91. cap. clericus.

¶ Cap. 179.

Clericus * quilibet verbo Dei eruditus, artificio honesto victum quærat.

* Quantumlibet dist. 91. c. clericus victum.

De eadem re. Ex eodem, cap. liij.

¶ Cap. 180.

Clericus quilibet verbo Dei eruditus artificio vel agricultura, absque officij sui duntaxat detrimento, præparet sibi victum & vestimentum.

De Presbyteris quid matutinali officio expleto agere debeant. Ex concilio Nannetensi, cap. lx.

¶ Cap. 181.

Presbyter mane, matutinali officio expleto pensum seruitutis suæ canendo Primam, Tertiam, Sextam, Nonámque persoluat: ita tamen vt postea horis competentibus, & signis designantibus iuxta possibilitatem aut à se, aut à scholaribus publicè compleantur. Deinde peractis horis, infirmis visitatis, si voluerit ad opus rurale exeat ieiunus, vt iterum necessitatibus peregrinorum & hospitum, siue diuersorum commeantium, infirmorum quoque atque defunctorum succurrere possit, vsque ad statutam horam, pro qualitate temporis & opportunitate.

dist. 91. cap. presbyter mane.

De eadem re. Ex dictis sancti Benedicti.

Regulæ suæ cap 16.

¶ Cap. 182.

Propheta dicente: Septies in die laudem dixi tibi, Qui septenarius sacratus numerus à nobis sic implebitur, si matutino Primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, completoriique tempore nostræ seruitutis officia persoluamus: quia de his dixit Propheta: Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus referamus laudes creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ.

Psal. 118.

Ibidem.

Vt Presbyteri super eos solliciti sint quorum bonis participantur. Ex dictis Augustini.

¶ Capvt 183.

Admonendi sunt presbyteri, vt perpendant quia quicquid à fidelibus datur, redemptio peccatorum est. Et ideo non glorientur talibus sumptibus vti: sed magis timeant quod in veteri testamento de sacerdotibus dictum est: Iniquitatem populi eos debere portare. Et ideo cum magno timore super eos solliciti sint, quorum * bonis participantur: quia magnum periculum est iudicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.

Leuit 10. Numero 18.

* donis.

Vt Presbyteri iuxta ecclesiam hospitentur. Ex conc. Meldensi, cap. v.

Cap. 36.

¶ Cap. 184.

Vt presbyteri nullatenus vbicunque hospitari sinantur, aut aliquomodo ipsi præsumant, sed assiduè omnes apud ecclesias suas esse studeant, propter sacra mysteria vel ministeria fi-* delibus exhibenda: nec etiam alibi habitare permittantur. Neque mulieres quãcunq; * habitationem habeant in locis, in quibus presbyteri aliquem recursum habuerint. Quod si obseruare parui penderint, ita vt transgressores, & qui contra interdicta fecerint, iudicentur.

* al. frequentationem.

Vt presbyter si vxorem duxerit deponatur. Ex concilio Neocæsariensi, cap. j.

¶ Cap. 185.

Presbyter si vxorem acceperit ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetrauerit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. Simili modo etiam diaconus, si eidem peccato succubuerit, ab ordine ministerij subtrahatur.

dist. 28. cap. presbyter si vxorẽ cap. 10.

De eadem re. Ex concilio Nicæno, cap. iij.

¶ Cap. 186.

Interdixit per omnia magna synodus non dist. 32. cap

Interdixit per omnia. episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas quæ suspiciones effugiunt.

epist. 1. dist. 18. ca. feminas. *De eodem. Ex decretis Syricij papæ, cap. xij.*

§ Cap. 187.

Fœminas verò non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantùm quas propter solas necessitudinis causas habitare cum iisdem synodus Nicæna permisit.

Cap. 3. *Item de eodem. Ex decretis Syricij papæ, cap. ij.*

§ Cap. 188.

Statutum est ab episcopis de presbyteris, qui fœminas secum indiscretè habitarè permittunt, & propter hoc malæ opinionis suspicione denotantur: vt si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores sanctorum canonum, canonica inuectione feriantur.

Cap. 10. *Cum quibus mulieribus presbytero habitare liceat. Ex concilio Agathensi, cap. iij.*

§ Cap. 189.

Id etiam ad custodiendam vitam & famam nostra speciali ordinatione præcipimus, vt nullus clericorum extraneæ sit mulieri qualibet * consolatione, aut familiaritate coniunctus: & non solùm in domum illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi extraneam mulierem habeat potestatem, sed cum matre tantùm, & sorore, & nepte si habuerit, aut voluerit, liberam habeat viuendi potestatem: de quibus nominibus, nefas est aliud quàm natura constituit suspicari.

* al. collatione.

Agathen. c. *Vt ancillæ à cellario fratrum remoueantur. Ex conc. Rhemensi, cap. iiij.*

§ Cap. 190.

Ancillas vel libertas à cellario, vel à secreto ministerio, & ab eadem mansione in qua clericus manet, placuit remoueri.

Vt nullus clericorum cum extraneis fœminis habeat familiaritatem Ex concilio Turonico, cap. vi.

Cap. 191.

Con. Turo. 1. c. 3. Ephes. 4. Et quia diabolo nullum locum dare oportet, hoc præcipuè custodiendum decernimus, vt nulli clericorum cum extraneis fœminis habeant familiaritatem, nec vllum malè loquendi vel sentiendi hominibus aditum tribuant: quia frequenter per hanc indecentem occasionem contingit vt diabolus qui insidiatur sicut leo in cubili suo de ruinis seruorum dei insultet. Si quis verò clericus post interdictum episcopi sui * his inhærere præsumpserit, à communione habeatur alienus.

* Illicitis familiaritatibus extranearum fœminarum *orig. cap. 3.*

De eadem re. Ex concilio Nannetensi, cap. x.

§ Cap. 192.

Inhibendum & modis omnibus interminandum est, vt nullus sacerdos eas personas fœminarum (sicut & in canone insertum continetur) de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat: sed neque illas, quas canones concedunt, matrem, amitam, sororem: quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio presbyteri, habeat in vico aut in villa domum longè à presbyteri conuersatione, & ibi eis subministret quæ necessaria sunt. Sed hoc secundùm authoritatem canonum modis omnibus prohibendum, vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare aut sedere.

De incontinentibus clericis. Ex Canonibus Apostolorum, cap. xxij.

§ Cap. 193.

De presbyteris & diaconibus diuinarum legum est disciplina, vt incontinentes in officiis talibus positi omni honore ecclesiastico priuentur, & ad tale ministerium non recipiantur, quod sola continentia oportet impleri.

De eadem re. Ex eisdem.

§ Cap. 194.

Præterea quod dignum & pudicum, & honestum est tenere ecclesia omnino debet, vt sacerdotes & leuitæ cum mulieribus non coëant, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est: Sancti estote quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. *Leui. 11. 19 20.*

De clericis vsuram exigentibus. Ex concilio Nannetensi. *cap. 195.*

Episcopus, presbyter, aut diaconus vsuras à debitoribus exigens, aut desinat, aut certè damnetur. *apost. cano. 43. dist. 47 c. episcopus.*

De eadem re. Ex concilio Nicæno, cap. xvij.

§ Cap. 196.

Quoniam multi sub regula constituti auaritiam & turpia lucra sectantur, oblitique diuinæ scripturæ dicentis, Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram: mutuum dantes centesimas exigunt: iustè censuit sancta & magno synodus, vt si quis inuentus fuerit post hanc diffinitionem vsuras accipiens, aut adinuentione aliqua, vel quolibet modo negotium transigens: aut hemiolia, id est, sexcupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratiâ, deijciatur à clero, & alienus existat à regula. *dist. 47. c. quoniam multi. Psalm. 14. 1. Cor. 5.*

Item de eadem re. Ex concilio Tarraconensi, cap ij.

§ Cap. 197.

Quicunque esse voluerit in clero, emendi vilius & vænundandi carius studio non vtatur. Quod certè si voluerit exercere, cohibeatur à clero. *Sub Hormisda. 14. q. 4. c. Canonum.*

Item de eodem. Ex concilio Agatensi, cap. 1.

§ Cap. 198.

Item placuit, vt clericus si commodauerit pecuniam, pecuniam accipiat, si speciem, eandem speciem, quantum dederit accipiat. *Car. 3. c. 16. 14. q. 4. c. nullus.*

*Vt presbyteri plebes sibi commissas ab vsuris abstinere doceant. Ex concilio * Aurelianensi, cap. xxxvi.* * A relatensi.

§ Cap. 199.

Vt presbyteri à turpibus lucris & vsuris non solùm ipsi abstineant: verum etiam plebes sibi subditas abstinere instruant.

Quid sit vsura. Ex concilio Carthaginensi, cap. xiij. [*con Agat. cap 16.*]

¶ Cap. 200.

Vsura est vbi plus requiritur quàm datur. Verbi gratiâ: Si dederis solidos decem, & amplius requisieris: vel dederis frumenti modium vnum, & super aliquid exegeris. [*14. q. 3. c. vsura est.*]

De eadem re. Ex decretis Iulij papæ vsurariis missis, cap. cxxxi.

¶ Cap. 201.

Quicunque enim tempore messis vel vinde* miæ non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam vel vinum, verbi gratia de duobus denariis comparat modium vnum, & seruat vsque dum venundetur denariis quatuor aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus. [*14 q. 4. c. quicunque.*]

Quòd qualitas lucri, negotiantem aut excusat, aut arguit. Ex decretis Leonis papæ. [Leo 1. epist. 90. ad Rusticũ episc. *de cons dist. 5. qualitas.*]

¶ Cap. 202.

Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit, quia est honestus quæstus & turpis. Verumtamen pœnitenti vtilius est dispendia pati, quàm periculis negotiationis astringi: quia difficile est inter ementis vendentisque commercium, non interuenire peccatum.

Vt nullus ecclesiastici ordinis, tabernas ingrediatur. Ex dictis Aug.

¶ Cap. 203.

Canonum statuta prohibent, vt nullus ecclesiastici ordinis sumendi cibi aut potus causâ, nisi peregrinationis necessitate compulsus, tabernas * ingrediatur. Sed si aliquis hæc interdicta violauerit, vt sanctorum canonum contemptor, acerrimis corripiatur disciplinis. [*al. ingredi habeat.*]

De eadem re. Ex concilio Carthaginensi, cap xxv. [*con. Car. 3. cap. 27. dist. 44. c. clerici edendi.*]

¶ Cap. 204.

Vt clerici edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur: nisi peregrinationis necessitate compulsi.

Item de eodem. Ex concilio Laodicensi, cap. xxiiij.

¶ Cap. 205.

Quòd non oporteat sacro ministerio deditos à Presbyteris vsque ad diaconos, & reliquum ecclesiasticum ordinem, id est vsque ad subdiaconos, lectores, cantores, exorcistas, ostiarios & ex numero continentium & monachorum, ingredi tabernas. [*dist. 44. c. non oportet.*]

Vt quibus licentia nubendi non est, nuptias deuitent. Ex Epistola Leonis Papæ. ¶ Cap. 206.

Quibus licentia vxores ducendi non est, alienarum nuptiarum euitent conuiuia.

Vt presbyter bigami nuptiis non intersit. Ex concilio Neocæsariensi, cap. vij.

¶ Cap. 207.

Presbyterum in nuptiis bigami prandere non conuenit: quia cum pœnitentia bigamus egeat, quis erit presbyter, qui propter conuiuium, talibus nuptiis possit præbere consensum? [*3. q. c. de his qui.*]

Vt presbyteri, & diaconi, & reliqui clerici nuptiarum euitent conuiuia. Ex dictis Augustini.

¶ Cap. 208.

Presbyteri, diaconi, * vel deinceps quibus ducendi vxores non est licitum, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia, neque his cœtibus admisceantur vbi amatoria cantantur, & turpia carmina, aut obscœni motus corporum * choris & saltationibus efferuntur, ne auditus & obtutus sacris * mysteriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur. [* *al.* Subdia- …] [conf *origo.* *con Veneti 1. c. 11. & Agat c. 39. dist. 34. c. presbyteri.*] [* *al.* choreis.] [* *al.* ministeriis.]

De eadem re. Ex decretis Martini papæ, cap. i.

¶ Cap. 209.

Non liceat sacerdotibus vel clericis aliqua spectacula in nuptiis vel conuiuiis spectare, sed oportet antequam ingrediantur ipsa spectacula, surgere & * redire inde. [*Ex decretis Martini Bracar. cap. 60.*] [* *al.* recedere.]

Vt nullus clericus in aliena ciuitate suscipiatur sine commendatitiis literis. Ex canonibus apostolorum, cap xiij.

¶ Capvt 210.

Vt si quis clericus vel laicus ad alteram properat ciuitatem, & suscipitur præter commendatias literas, & qui susceperit, & qui susceptus est communione priuetur.

De eadem re. Ex concilio Antiocheno, cap. vij. [*Ant. 1. sub Iulio*]

¶ Cap. 211.

Nullus peregrinorum sine pacificis, id est, commendatitiis suscipiatur epistolis. [*dist 71. c. nullum absque.*]

Item de eodem. Ex concilio Aurelianensi, cap. viij.

¶ Cap. 212.

In concilio Antiocheno, similiter & in Chalcedonensi præcipitur, vt fugitiui clerici & peregrini à nullo suscipiantur, nec ordinentur, nisi cum commendatitiis literis, & sui episcopi vel abbatis licentia.

Vt clerici in aliena ciuitate non maneant, nisi causas eorum episcopus cognouerit. Ex concilio Carthaginensi, cap xxxv. [*Car. 3. c. 37.*]

¶ Cap. 213.

Vt clerici in aliena ciuitate non immorentur, nisi causas eorum iustas episcopus loci, vel presbyteri locorum peruiderint.

Ne clerici vel monachi sine commendatitiis literis vagentur. Ex concilio Carthaginensi, cap. xxxvi.

¶ Cap. 214.

Clericis vel monachis sine literis commendatitis licentia non pateat euagandi. [*con. Vene. 1 cap. 5.*]

De eadem re. Ex concilio Neocæsariensi, cap. vij.

¶ Cap. 115.

Clericis sine commendatitiis epistolis episcopi sui, licentia non pateat euagandi. In monachis quoque præsentis sententiæ forma seruetur. [*con Agath. cap. 38.*]

Vt pauperibus exulantibus pacificis tantùm literis subueniatur. Ex concilio Chalcedonensi, cap. xi.

¶ Cap. 216.

Omnes pauperes & indigentes auxilio, cùm proficiscuntur, sub probatione epistolis vel ecclesiasticis pacificis tantummodo commendari decreuimus, & non commendatitiis literis, propter quod commendatitias literas honoratioribus tantummodo præstari personis conueniat. [*Actione 15.*]

Quando Clerici formatis literis vti debeant. Ex conc. Meldensi, cap. ij. [*sub Sergio 2. cap. 51.*]

¶ Cap. 217.

Quicumque cum senioribus suis de aliis pro-

* ad nostras parochias orig. — uinciis * in aliam prouinciam veniunt, sine formata ministrare non permittantur: quam & si attulerint, & ministrare idonei inuenti fuerint: instruantur quàm religiosè atque studiosè sacrum ministerium peragant, & in quibus locis illud agere * debeant.
* nō deb. orig.

Actione 15. *Ne clerici vel monachi possessiones conducant, aut negotiis sæcularibus se misceant. Ex concilio Chalcedonensi, cap. iij.*

¶ Cap. 218.

dist. 86. c. peruenit. Peruenit ad sanctam synodum, quòd quidam qui in clero videntur electi, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua suscipiant. Dei quidem ministerium paruipendentes, sæcularium verò discurrentes domos, & propter auaritiam patrimoniorum sollicitudinem sumentes. Decretum itaque est, nec clericum, nec monachum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, præter ecclesiasticarum rerum sollicitudinem.

cap 50. *Vt nullus laicus presbyterum villicatione implicare præsumat. Ex concilio Meldensi. cap. vi.*

¶ Cap. 219.

Item iubendum est, vt nemo laicorum presbyteros ecclesiarum suarum turpi villicationi, & secundùm apostolum sæculari, & inhonesta negotiatione implicare, nec secum aliorsum contra authoritatem præsumat ducere, quo ministerium sibi commissum cogantur negligere. Quòd si contra interdicta præsumpserit, excommunicetur.
2. Tim. 2.

Capitulor. l. 5. c. 173. *De illis presbyteris qui contra statuta canonum villici fiunt. Ex eodem concilio, cap. xv.*

¶ Cap. 220.

Similiter de illis presbyteris qui contra statuta canonum villici fiunt, tabernas ingrediuntur, turpia lucra sectantur, & diuersissimis modis vsuris inseruiunt: & aliorum domos inhonestè & impudicè frequentant: & comessationibus & ebrietatibus deseruire non erubescunt, & per diuersos mercatus indiscretè discurrunt: obseruandum iudicauimus, vt ab hinc districtè seueritérque coerceantur, ne per eorum illicitam & indecentem actionem, & ministerium sacerdotale vituperetur, & quibus debuerant esse, in exemplum, deueniant in * scandalum.
* opprobrium orig.

Leo 1. epist. 84. cap. 4. *Quòd nec Subdiaconis connubium carnale concedatur. Ex epistola Leonis papæ, cap. xxxiij.*

¶ Cap. 221.

Nam cùm extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum * arbitrium, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: vt & qui habent sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus est à capite, dignum est custodiri: quantò magis in primo, aut secundo, vel tertiò seruandum est, ne aut * leuitico, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentiæ quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate vxoria necdum frænasse detegitur.
* arbitr. non est in originali.
1. Corint. 7.
* leuitico ministerio.

con Tol 4. cap. 30. 23. q. 8. c. sæpe principes. *De principibus qui solent illorum sacerdotes, ministeriales facere. Ex concilio Toletano v. cap. xxx.*

¶ Cap. 222.

Sæpe principes contra quoslibet maiestatis obnoxios, sacerdotibus negotia sua committunt: & quia sacerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus fieri iudices, vbi iureiurando supplicij indulgentia promittitur, non vbi discriminis sententia præparatur. Si quis ergo sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud ecclesiam perdat proprium gradum.

De eo qui auribus principis suggestionem attulerit sine consensu episcopi. Ex concilio Carthaginensi, cap. vij.

¶ Cap. 223.

Nicasius Euaristanus episcopus dixit: Credo placere suggestorem abiici oportere, non solùm à communione, verùm & ab honore cuius particeps videtur existere, qui venerandi principis auribus molestiam tentauerit inferre, contra leges ecclesiæ. Si igitur contra principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu & consilio metropolitani, & cæterorum episcoporum qui in eadem prouincia commorantur: qui etiam proficiscentem suis sequantur epistolis. *Aliter omnino habetur hoc caput in originali Concilij Carthag. 1. cap. 6. In MS. Victor. & apud Gratianum 21. q. 3. c. credo. sic autem ibi:* Nicasius Episcopus Culusitanus dixit: Credo placere suggestionem meam sanctitati vestræ, & displicere vobis vt qui seruiunt Deo, & annexi sunt clero, accedant ad actus seu administrationem vel procurationem domorum. Gratus Episcopus dixit: Et Apostolorum statuta sunt, qui dicunt, nemo militans Deo * ingerit se negotiis sæcularibus: proinde aut Clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum vniuersi dixerunt, hoc obseruamus.
* Implicat

De presbytero deposito, si ministerium præsumpserit. Ex concilio Toletano, cap. vi.

¶ Cap. 224.

Si quis presbyter ab episcopo suo fuerit degradatus, aut ab officio pro certis criminibus suspensus, & ipse per contemptum, & superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit: & pòstea ab episcopo suo correptus incœpta præsumptione perdurauerit: hic omnimodis communicetur, & ab ecclesia expellatur. Et quicumque cum eo communicauerit, similiter se sciat excommunicatum. Similiter de clericis, laicis, & fœminis excommunicatis obseruandum est. Quòd si aliquis ista omnia contempserit, & episcopus emendare non potuerit, regis iudicio exilio damnetur.
in codice regio v... riat ordo sed nos Colonien... non rece... simus. Ioan. M... lin. varia... etiam in MS. Vi... ctorino.

Ant. 1. ... Iulio 1. *De Presbytero damnato qui Imperatoris auribus molestus extiterit. Ex concilio Antiocheno, c. xij.*

¶ Cap. 225.

Si quis à proprio episcopo presbyter, aut diaconus, aut à synodo fuerit episcopus fortè damnatus, & Imperialibus auribus molestus extiterit: oportet ad maius episcoporum conuerti concilium, & quæ putauerint habere iusta plurimis episcopis suggerant, eorúmque discussiones ac iudicia præstolentur. Si verò hæc paruipendentes molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutioni penitus aperiri diiudicamus.
21. q. 5. c. ... quis à p... prio.

De

fragmen- · cap 5. *De Presbytero qui prauis exemplis mala de se suspicari permiserit. Ex concilio Agathensi, cap.iiij.*

¶ CAP. 226.

Si quis presbyter vitæ suæ negligens prauis exemplis mala de se suspicari permiserit, & populus ab episcopo iuramento, seu banno Christianitatis constrictus, infamiam eius patefecerit: & certi accusatores criminis eius defuerint, admoneatur primò seorsum ab episcopo, deinde sub duobus vel tribus testibus. Si non emendauerit, in conuentu presbyterorum episcopus eum publica increpatione admoneat. Si verò neque sic se correxerit, ab officio suspendatur, vsque ad dignam satisfactionem: ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. Si autem accusatores legitimi non fuerint, qui eius crimina manifestis indiciis probare contenderint, & ipse negauerit, tunc ipse cum septem socijs suis eiusdem ordinis, si valet, à crimine semetipsum expurget. Diaconus verò si eodem crimine accusatus fuerit, semetipsum cum tribus expurget. (q. 4. c. si · gitimi.)

Quomodo controuersia inter clericum & laicum exorta finiatur. Ex concilio Triburiensi, cap.xxi.

¶ CAP. 227.

Si quis presbyter contra laicum, vel laicus contra presbyterum aliquam habet querimoniæ controuersiam, episcopo præcipiente sine personarum acceptione finiatur. Laicus per iuramentum si necesse sit, se expurget. Presbyter verò vice iuramenti per sanctam consecrationem interrogetur: quia sacerdotes ex leui causa iurare non debent. Manus enim per quam corpus & sanguis Christi conficitur, iuramento polluetur? Absit. Cùm dominus in euangelio discipulis suis (quorum vicem nos indigni in sancta gerimus ecclesia) dicat: Nolite iurare omnino: Sit autem sermo vester est est, non non, Quod autem his abundantius est, à malo est. (q. 5. c. si · is presby. · atth. 5.)

Ne clericus aduersus clericum habens negotium, ad sæcularia recurrat indicia. Ex concilio Calcedonensi, cap.ix. (tione 15.)

¶ CAP. 228.

Si quis clericus aduersus clericum habet negotium, non deserat episcopum suum, & ad sæcularia percurrat iudicia, sed priùs actio ventiletur apud proprium episcopum: vel certè consilio eiusdem episcopi, apud quos vtræque partes voluerint, iudicium obtinebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subiacebit. (q. 1. c. si · ricus.)

De presbyteris qui à plebibus suis infamantur, quomodo purgari debeant. Ex concilio Hilerdensi, cap.x. (ter frag- · enta.)

¶ CAP. 229.

Si quis presbyter à plebe sibi commissa mala opinione informatus fuerit, & episcopus legitimis testibus approbare non potuerit, suspendatur * Presbyter vsque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. Digna enim satisfactio est, si eis à quibus reus creditur, post * factam securitatem de imposito crimine, innocens esse manifestetur. Quod ita à nobis & à maioribus constitutum esse docetur. Sed siue secundùm canones, siue ad arbitrium Episcopi, sibi collegas septem coniungat, & iuret in sacro coram posito euangelio, quòd eum sancta Trinitas, & Christus filius Dei qui illum fecit & docuit quod euangelium continet: & sancti quatuor euangelistæ qui illud scripserunt, sic adiuuent quòd ille prænominatã actionẽ ita non perpetrarit, sicut ei de illo oblatum est. Et in hac satisfactione purgatus, securè deinceps suum exerceat ministerium. Quam satisfactionem nonnulli præcedentium patrum sanctum papam Leonem in basilica sancti Petri apostoli, coram reuerendissimo Cæsare Carolo, ac clero, & plebe, ita fecisse commemorant, atque ita mox venerandum principem contra eiusdem sancti Papæ aduersarios, dignæ vltionis vindictam exercuisse. (q. 4. c. · esbyter si · plebe. · ab offi- · o in · ne. · al. re- · am.)

Quòd nullus ordinatus ab episcopo suo damnatus, ab aliquo defensari debeat. Ex concilio Africano, cap.xxix. (sub Bonif. & Cœlest.)

¶ CAP. 230.

Et illud petendùm, vt statuere dignentur, vt si quis cuiuslibet honoris clericus iudicio Episcopi quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum, siue ab ecclesiis, quibus præfuit, siue à quolibet homine defensari, interposita pœna damni pecuniæ & honoris, quò nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipiant. (21 q. 5. c. si quis cuiuslibet.)

De presbytero à populo accusato. Ex epist. Gregorij papæ.

¶ CAP. 231.

De presbytero vel quolibet * in clero, à populo accusato, si certi non fuerint testes, qui crimini illato veritatem dicant, iusjurandum erit in medio, & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia: sicque maneat in proprio gradu. (Greg. 2. epist. 13 c. 3. 2. q. 4. c. presbyter. * sacerdote.)

De clericis conuictis & confessis si intra annum causam suam finire contempserint. Ex concilio Africano, cap.xlvi.

¶ CAP. 232.

Rursum constitutum est, vt aliquotiens clerici conuicti & confessi in aliquo crimine, vel propter eorum quorum verecundiæ parcitur, vel propter ecclesiæ opprobrium, aut insolentem exultationem hæreticorum atque gentilium, si fortè causæ suæ adesse voluerint, & innocentiam suam asserere, intra vnum annum excommunicationis hoc faciant. Si verò intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur. (Et con Carth. 5. cap. 12. 11 q. 3. c. rursus)

Vt nullus ex ordinatis laico iurare præsumat. Ex concilio Rhemensi, cap.v.

¶ CAP. 233.

Vt nullus ex Ecclesiastico ordine cuiquam laico quicquam supra sacrosancta euangelia iuret, sed simpliciter cum veritate & puritate dicat, est est, non non. Sed si est aliquid quod eis à laicis objiciatur ad episcopum in cuius territorio est, deferatur: & iuxta id quod illi qui eiusdem sunt ordinis diiudicarint, aut corrigatur, aut expurgetur. (22. q. 5. cap. nullus.)

De Presbytero si in aliquo criminali peccato deprehensus fuerit. Ex canonibus apostolorum, cap.xxv.

¶ CAP. 234.

* Presbyter aut diaconus qui in fornicatione, aut periurio, aut in furto, aut * homicidio captus est, deponatur: non tamen communione priuetur. Dicit enim scriptura, Non * iudicat dominus bis in idipsum. (* Episcopus presb. in orig. dist 81. c. presbyter, * hoc verbum non est in orig.)

De ordinatis, si aliquis illorum percussor extiterit. Ex concilio Agathensi, cap.iiij.

¶ CAP. 235.

Si quis aliquo ecclesiastico gradu sacratus percussor extiterit, corripiatur accerrimè. Si non emendauerit, deponatur. (Οὐκ ἐκ-δικήσει. Naum j secundū aliā literā. apud 70. Inter.)

De Presbyteris qui suo vitio degradantur. Ex con. Mogontiensi, ca.lx.

¶ CAP. 236

Dictum est nobis presbyteros propter suam

dist.81. c. dictum est. negligentiam canonicè degradatos, & sæculariter gradu amisso viuere, & pœnitentiæ agendæ bonum negligere. Vnde statuimus vt gradu amisso, agendæ pœnitentiæ gratiâ in monasterio aut canonico aut regulari mittantur, Si verò quid horum fieri causa quælibet prohibuerit, vbicumque sint pœnitentiam agere non desistant. Si autem amisso gradu sæculariter viuere voluerint, & pœnitentiam agere neglexerint, ab ecclesiæ communione separentur.

con Tol. 4. cap.27. *Quomodò restituendi sint qui iniustè degradantur. Ex eodem conc cap.xxviij.*

¶ Cap. 237.

11. q. 3. c. episcopus, presbyter. Episcopus, presbyter, aut diaconus si à gradu suo iniustè deiectus in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manu episcoporum. Si episcopus est, orarium, annulum, & baculum, Si presbyter, orarium & planetam. Si diaconus, orarium, & albam. Si subdiaconus, patenam & calicem. Sic & reliqui gradus in reparatione sui recipiant, quæ, cum ordinarentur perceperant.

sub Iulio 1. *De clericis qui proprium Episcopum contempserint. Ex concilio Antiocheno, cap.v.*

¶ Capvt 238.

Si quis presbyter aut diaconus episcopum proprium contemnens se ab ecclesia sequestrauerit, & seorsum colligens altare constituerit, & commonenti episcopo non acquieuerit, nec consentire vel obedire voluerit, semel & iterum conuocatus hic damnetur omnino, nec vltrà remedium consequatur, quia suam non potest recipere dignitatem. Quòd si Ecclesiam conturbare & sollicitare persistat, tanquam seditiosus per potestates exteras * opprimatur. * castigetur.

alia versio. con. Carth. 2. cap. 8. *De Presbytero, qui contra episcopum suum schisma fecerit. Ex concilio Carthaginensi, cap.xi.*

¶ Cap. 239.

11 q.3. cap. Si quis presbyter. Ab vniuersis episcopis dictum est: Si quis presbyter ab episcopo suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet vtique apud vicinos episcopos conqueri, vt ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Quod si non fecerit, sed superbia (quod absit) inflatus secernendum se ab episcopi sui communione duxerit: ac separatim, cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Si querimoniam iustam aduersus episcopum non habuerit, inquirendum erit.

Annectitur con Carth. 3. capitulo 3. *De illis qui aliquem ex ordinatis falso crimine appetierint. Ex eodem cap.v.*

¶ Cap. 240.

2. q 3. cap. Si quis episcopum. Si quis episcopum, aut presbyterum, vel diaconum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit: non nisi in fine dandam ei esse communionem.

Vt nullus clericorum alium nisi scripto criminetur. Ex concilio Aurelianensi, cap.x.

¶ Cap. 241.

Illud præterea omni ecclesiastico ordini omnino obseruandum est, vt nullatenus aliquis præsumat in concilio vel synodali conuentu aliquem confratrum accusatione pulsare, nisi prius ipsum accusationis crimen & litigationis causas literis per ordinem comprehensas manu propria * conscripserit, & episcopo vel sacræ synodo porrexerit, vt iustè canonicè litigantium controuersiæ finiantur. Non enim licet, vt authoritas Romana testatur, nisi inscriptione celebrata reum quenquam fieri, nec ad iudicium exhiberi: quia sicut conuictum de crimine pœna constringit, ita & accusatorem, si non probauerit quod obiecit. * subscripserit.

Vt nullus ex clero conductor priuatorum fiat. Ex eodem cap.xiiij. Carthag.3. c 15.

¶ Cap. 242.

Item placuit vt episcopi, presbyteri, diaconi, vel clerici non sint conductores aut procuratores priuatorum: neque vllo turpi & inhonesto negotio victum quærant, quia respicere debent scriptum esse: Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus. 2. q. 3. c. placuit vt. 2. Timoth. 2.

Vt clericus non habeatur qui intra ciuitatem manens ad quotidianum sacrificium non venerit. Ex concilio Toletano j. cap. v.

¶ Cap. 243.

Presbyter, diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet ecclesiæ deputatus clericus, si intra ciuitatem fuerit, vel in loco in quo ecclesia est, aut in castello, aut in vico, vel in villa, si ad ecclesiam ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur, si castigatus non emendauerit.

De eadem re. Ex concilio Venetico cap. vi.

¶ Cap. 244. Con. Venet. 1. cap. 14.

Clericus qui intra muros ciuitatis manet, * qua die matutinis hymnis sine ægritudine defuerit, septem dies à communione habeatur extraneus, quia ministrum sacrorum eo tempore quo non potest ab officio suo vlla honesti necessitas occupare, fas non est à salubri cessare. * & cadie.

Quòd omnes sacerdotes doceri oporteat, vt cæteros instruant, & sibi proficiant. Ex epist. Anacleti papæ, cunctis fidelibus missa. cap.x.

¶ Cap. 245. Ep.c.2.x.

Doceri ergo omnes oportet qui domini sacerdotio funguntur, & vt cæteros instruant, & sibi proficiant. Scriptum enim est: Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et alibi: Populus autem sciens dominum suum obtinebit & faciet, & docti in populo docebunt multos. Ipsa enim veritas per se infert, & dicit: Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Ille proculdubio scandalizatus est in Deum, qui * rectà non docet, & qui eius scandalizat episcopum vel sacerdotem. Daniel.12. Ibidem 11. Matth.11. Lucæ 7. * rectè.

*Vt Presbyteri singulis annis episcopo de ministerio suo rationem reddant. Ex concilio Mogontiensi à * Richelpho eiusdem sedis archiepiscopo habito, cap.x.* * Richulfo.

¶ Cap. 246.

Vnusquisque presbyter per singulos annos episcopo suo rationem ministerij sui reddat, tam de fide catholica, quàm de baptismo atque omni ordine ministerij sui.

Vt omnis Presbyter sibi subditos fidem discere constringat. Ex concilio Gangrensi, cap. v.

¶ Cap. 247.

Symbolum quod est signaculum fidei, & orationem dominicam discere semper admoneant sacerdotes populum Christianum: volumúsque vt disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, siue in ieiunio, siue in alia castigatione. Propterea dignũ est, vt filios suos ducant ad scholam, siue ad monasterium, siue foras presbyteris, vt fidem catholicam rectè discant, & orationem dominicam, vt domi alios edocere valeant. Qui verò aliter non potuerint, vel in lingua sua hoc discant.

Qualem professionem Presbyteros aut diaconos episcopo suo facere oporteat. Ex concilio Toletano, cap. xxvij.

¶ Cap. 248.

Quando presbyteri aut diaconi per parœcias constituuntur oportet eos professionem episcopo suo facere, vt castè & piè viuant, sub Dei timore, vt dum eos talis professio alligat vitæ sanctæ disciplinam teneant.

Ne monachi vel laici qualicunque scientia instructi prædicare audeant. Ex epistola Leonis papæ.

¶ Cap. 249.

De his verò quæ in sæpe dicto concilio illicita contra venerandos Nicænos canones præsumptione tentata sunt, ad fratrem & coepiscopum nostrum Antiochenæ sedis præsulem scripsimus. Adijcientes & illud, quod nobis propter improbitatem monachorum quorumdam *regionis vestræ verbo mandastis per vicarios nostros, & hoc specialiter statuentes, vt præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare, seu monachus, siue ille sit laicus, qui cuiuslibet scientiæ nomine glorietur.

Vt clerici ab episcopis suis canones discant. Ex concilio Aurelianensi, cap. vi.

¶ Cap. 250.

Vt parœciani clerici à pontificibus suis necessaria sibi statuta canonum legenda percipiant,* ne vel ipsi vel populi quæ pro salute eorum decreta sunt, excusent se postmodum ignorasse.

Quòd nulli sacerdotum liceat canones ignorare. Ex epistola Cœlestini papæ, cap. xx.

¶ Cap. 251.

Cœlestinus vniuersis episcopis per Apuliam & Calabriam constitutis. Nulli sacerdoti liceat suos canones ignorare: nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res dignè seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentiâ populis permissâ frangatur?

Vt presbyteri quando ad collectam veniunt, minimè se inebriare præsumant. Ex concilio Nannetensi, cap. x.

¶ Cap. 252.

Vt nullus presbyterorum quando ad anniuersarium diem xxx. aut vij. vel iij. alicuius defuncti, aut quacumque vocatione ad collectam presbyteri conuenerint, se inebriare nullatenus præsumat: nec præcatus in amore sanctorum, vel ipsius animæ, bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare, nec plausus & risus inconditos & fabulas inanes ibi referre aut cantare præsumat: vel turpia ioca, vel vrso, vel tornatricibus ante se *facere permittat. Nec laruas dæmonum ante se ferri consentiat, quia hoc diabolicum est, & à sacris canonibus prohibitum.

Quàm religiosè in conuiuio se presbyteri habere debeant. Ex eodem concilio, cap. xi.

¶ Cap. 253.

Quando autem conuenerint presbyteri ad aliquod conuiuium, prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat: & tunc secundùm ordinem sedeant, alter alteri honorem præbentes, & per vices cibum & potum benedicant: & aliquis de illorum clericis aliquid de sancta scriptura legat. Et post refectionem similiter sanctum hymnum dicant, ad exemplum Domini, sicut in cœna fecisse legitur? & sic contineant se omnes presbyteri maximè in talibus locis, vt non vituperetur ministerium illorum.

De eadem re. Ex eodem, cap. xij. ¶ Cap. 254.

Summopere etiam quisque presbyter caueat, sicut de statu suo vult gaudere, vt non quacunque occasione patrem suum aut alium quemlibet ad iram & ad rixam, quantominus ad pugnam, vel ad cædem aliquo verbo irritet seu prouocet, nec prouocatus ad hæc quisquam prosiliat: quia in talibus comessationibus & potationibus semper se immiscet diabolus.

Item de eadem re. Ex eodem, cap. xiij.

¶ Cap. 255.

Quando presbyteri per calendas simul conueniunt post peractum diuinum * ministerium ad necessariam collationem, non quasi ad plenam refectionem, sed quasi ad prandium ibi ad tabulas residéant, ne per talia inhonesta conuiuia se inuicẽ grauent: quia indecens est & onerosum. Sæpè etiam tardè ad ecclesiam redeuntes maius damnum de reprehensione conquirunt, (*quod de grauedine mutua contrahunt) quam lucrum ibi faciant. Nam de huiusmodi conuentu Paulus Corinthios reprehendit, qui inconuenienter cœnam dominicam manducare conueniebant. Sic & qui ad cœnam dominicam, Id est ad collationem verbi sub occasione conueniunt, & ex *ingluuietate ventris causa, coniunguntur, reprehensibiles coram Deo & hominibus habentur. Et ideo peractis omnibus, qui voluerint, panem cum charitate in domo fratris sui simul cum fratribus frangant: & singuli singulos bibere faciant: maximè vt vltra tertiam vicem poculum non contingant, & sic ad ecclesias redeant.

Ne clerici nec religiosi laici, ante horam tertiam conuiuia ineant. Ex concilio Carthaginensi, cap. xij.

¶ Cap. 256.

Non oportet clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire conuiuia, neque aliquando clericos nisi hymno dicto ecclesiæ panem sumere, & post cibum gratias authori Deo referre.

Vt presbyteri hospitales sint. Ex concilio Nannetensi, cap. iij. ¶ Cap. 257.

Vt curam hospitum, maximè pauperum atque debilium, orphanorum quoqua atque peregrinorũ habeat presbyter: hos quoque ad prandium suum quotidie iuxta possibilitatem conuocet, eisque hospitium tribuat.

De eadẽ re. Ex eodem concilio, cap. v. ¶ Cap. 258.

Vt autem omnis rapinæ tollatur occasio, volumus, vt presbyteri qui bonum exemplum charitatis omnibus ostendere debent,

Marginal notes (left, partly cut off): ...gontiac. ...p 45. | ...letan. 4. ...6. | ...st. 28. c. ...ando pres... | ...ist. 63. ad ...eodoretũ. | ...5. q. 1. c. ...dicimus. | ...al. religionis.] | ...m. Aureli ...c. 6. | ...ne rei ...si, &c. | ...celest. 1. ...3. c. 1. | ...st. 38. cap. ...lli sacer... ...tum. | ...st. 44 cap. ...llus pres... ...terorum.

Marginal notes (right): *fieri patiatur. | dist 44. ca. quando veniunt. | Matth 26. Mar. 14. | dist. 44. ca. quãdo presbyteri. | * mysterium. | * & | 1. Corint. 11. | * veritate.

hospitales, existant, iuxta dominicum & apostolicum praeceptum, vt humanitatem praebeant iter facientibus, quia per hospitalitatem placuerunt quidam Deo angelis hospitio receptis. Et dominus in die iudicij dicturus est electis: Hospes eram & suscepistis me: Et Iob dicit: Ostium meum semper viatori patuit.

Hebr. 13. *Matth. 25.* *Iob 31.*

Adiungitur huic concilio. *De eodem. Ex concilio apud Aruernas.*

¶ Cap. 259.

Placuit vt presbyteri suas plebes admoneant, vt ipsi hospitales sint, & nulli iter facienti mansionem denegent. Et vt omnis rapinae occasio tollatur, nihil carius vendant transeuntibus, nisi * quantum in mercato vendere * possint. Quod si carius vendere voluerint, ad presbyterum transeuntes hoc referant, & illius iussu cum humanitate eis vendant.

¶ quanto.

Conc. Tol. 3. cap. 7. *Vt cibis sacerdotum semper diuina lectio misceatur. Ex concilio Africano, cap. vij.*

¶ Cap. 260.

dist. 44. c. pro reuerentia.

Pro reuerentia Dei & sacerdotum, id vniuersa sancta synodus statuit, vt quia solent crebro mensis otiosae fabulae interponi, in omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarum scripturarum misceatur. Per hoc enim & animae aedificantur ad bonum, & fabulae * recenseri prohibetur.

* non necessariae orig.

De clericis inter epulas cantantibus. Ex concilio Carthaginensi, cap. lxij.

¶ Cap. 261.

Cart. 4. c. 62. 22. q. 1. cap. clericum. Ponitur post concilium Carth. 3. c. 4.

Clerici inter epulas cantantes ab officio detrahendi sunt.

De clericis scurrilibus. Ex eodem cap. lxxx.

¶ Cap. 262.

dist. 46. ca. clericum.

Si quis clericus aut monachus scurrilia, iocularia, risumque mouentia verba loquitur, acerrime corripiatur.

De eadem re. Ex Carthag. 4. cap. lx.

¶ Cap. 263.

Clericos scurriles & verbis turpibus iocundatores ab officio detrahendos.

Vt clericus fideiussor non sit. de eodem cap. lxx.

¶ Cap. 264.

Ex canoni. apost. c. 20.

Clericus fideiussionibus inseruiens abijciatur.

Ne clericus comam vel barbam nutriat. Ex eodem cap. xliij.

¶ Cap. 265.

Clericus nec comam nec barbam nutriat.

Ne clericus per creaturam iuret. Ex eodem cap. lxi.

¶ Cap. 266.

22. q. 1. c. clericum.

Clericum per creaturam iurantem acerrime obiurgandum: si perstiterit in vitio, excommunicandum.

De clericis adulatoribus Ex eodem cap. lvi.

¶ Capvt 267.

dist. 46. c. clericus qui adulationibus.

Clericus qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.

Ne quis ex clero sine consensu episcopi ad Imperatorem querimoniam deferat. Ex concilio Antiocheno. cap. xi.

¶ Cap. 268.

23. q. 8. c. Si quis episcopus.

Si quis episcopus aut presbyter, aut quilibet regulae subiectus ecclesiae, praeter consilium & literas episcoporum prouinciae & praecipue metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari, & abiici oportere non solum a communione, verum & ab honore cuius particeps videtur existere: quia venerandi principis auribus molestiam tentauit inferre contra leges ecclesiae. Si igitur adire principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu & consilio metropolitani & caeterorum episcoporum qui in eadem prouincia commorantur, qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis.

Vt nullus ex clero se proclamet in synodo nisi scriptis. Ex concilio apud sanctum Medardum, cap. vij.

Suessione sub Leone 4. initio cap. 269.

¶ Cap. 269.

Hincmarus archiepiscopus Rhemorum suis accusatoribus dixit: Quae est vestra petitio, fratres? Misericordiam, inquiunt, petimus nobis a vestra paternitate impendi de ministratione ordinum ecclesiasticorum, ad quos a Domino Ebbone quondam prouecti, a vestra authoritate suspensi sumus. Hincmarus Archiepiscopus dixit, Habetis libellum reclamationis siue postulationis, sicut ecclesiastica se habet traditio? Illi autem responderunt se prae manibus nullum habere libellum. Hincmarus Archiepiscopus dixit: Legum ecclesiasticarum consuetudo & authoritas talis est, vt in causis gestorum, semper scripturam requirat: adeo vt qui ad sacrum fontem accedit, suum dare nomen praecipiatur: & qui ad summum sacerdotium prouehitur, decreto manibus omnium roborato eligitur. Ordinatus autem a suis ordinatoribus literas accipere iubetur. Qui etiam ab ecclesiastica societate quolibet excessu discinditur, libellari inscriptione recipitur aut deiicitur. Sed qui accusatur, vel aut recipitur qui excommunicatur, seu reconciliatur, per scripturam accusari vel reconciliari iubetur. Et sic in caeteris huiusmodi in tantum scriptura deposcitur, vt sicut beatus Gregorius in commonitorio ad Ioannem defensorem ex Romanis legibus sumens scribit: Sententia quae sine * scripturum profertur, nec nomen sententiae habere non meretur. Quapropter fratres & filij, oportet vos secundum ecclesiasticam authoritatem reclamationem vestram libelli serie allegare, eamque manibus vestris roboratam, synodo sacrae porrigere, vt conuenienter & canonice vobis valeat responderi. Et tunc ipsi fratres libellum conscribentes, eique sua nomina subscribentes porrexerunt Hincmaro Archiepiscopo, qui tunc vna cum * Vuenilone Senonensi archiepiscopo, & * Amalrico Turonensi aeque archiepiscopo sub praesentia gloriosi regis Caroli synodo praesidebat.

Regist. l. 11. epist. 54. in fine. Codic. lib. 7. tit. 44. * scripto.

* Mucloni Senensi. * Almarico.

Ne Presbyteri relictis paroeciis suis ad alias migrent, nisi certis de causis. Ex concilio Cabilonensi ij. cap. xli.

¶ Cap. 270.

Presbyter proprio loco dimisso ad alium migrans nequaquam recipiatur, nisi suae migrationis causam dixerit, & se innocenter vixisse in paroecia in qua ordinatus est sub testibus probauerit. Literas etiam habebit, in quibus sint nomina episcopi & ciuitatis plumbo impressa. Quibus cognitis, & talibus inuentis, quibus fides adhiberi possit, recipiatur.

Vt accusatores clericorum si vnum de obiectis probare non potuerint, ad caetera non admittantur. Ex concilio Africano. cap. lxxv.

Conc. Afric. 97. & Car 7. cap 3.

¶ Cap. 271.

Item placuit vt quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina obijciuntur, & vnum ex ipsis de quo prius egerint probare non valuerint, ad caetera non admittantur.

3. q. 10 cap. placuit.

Quomodo episcopi, vel presbyteri de obiecto crimine se expurgare debeant. Ex concilio VVormatiensi, cap. vij.

¶ Cap. 272.

Si episcopo aut presbytero causa criminalis, hoc est homicidium, adulterium, furtum & maleficium imputatum fuerit, pro

sub Adriano 2. cap 10. 2. q. 4. ca. episcopo.

singulis missum * tractare debet, & secretam publicè dicere, & communicare, & de singulis sibi imputatis innocentem se ostendere. Quod si non fecerit quinquennio à liminibus ecclesiæ extraneus habeatur.

Vt clerici alienis iudicibus non constringantur. Ex decretis Adriani Papæ, c. xxxviij.

¶ CAP. 273.

In clericorum causa huiusmodi forma seruetur, vt nequaquam eos sententia non à suo iudice data constringat.

Vt verberibus publicè castigatus in exilium deputetur, qui alij crimen iniustè intenderit quod non probauerit. Ex registro Gregorij ad Anthemium subdiaconum Campaniæ, cap. cci.

¶ CAP. 274.

Cùm fortius punienda sint crimina quæ insontibus maximè sacratis ordinibus ingeruntur: quàm sitis culpabiles omnes qui in causa Ioannis diaconi resedistis, attendite, vt * Hilarium criminatorem ipsius nulla ex diffinitione vestra pœna veniens castigaret. Nec illud ad excusationem vestram esse credatis idoneum, quod vobis quasi iudicare volentibus solus frater & coepiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viguisset, facilius vni à multis rationabiliter suaderi, quàm multi ab vno poterant sine causa differri. Quia ergo tantæ nequitiæ malum sine digna non debet vltione transire, suprascriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, vt eundem Hilarium prius subdiaconij, quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publicè castigatum, faciat in exilium deportari, vt vnius pœna multorum possit esse correctio.

Ne ecclesiastici, seculares potestates habere desiderent. Ex epistola Gregorij Secundino incluso directa. ¶ CAP. 275.

Certum namque est, non vos antè exercitui ducem præponere, nisi vobis labor eius fidésque complaceret, & nisi eum anteactæ vitæ virtus & sollicitudo aptum esse monstraret. Si verò non aliis nisi huiusmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis dux esse debeat animarum, ex istius bonæ rei comparatione colligitur. Sed verecundum nobis est dicere, & pudet, quia sacerdotes sibi ducatum arripiunt, qui exordium religiosæ militiæ non viderunt.

Vt pœnam accusati suscipiat, qui non potest probare quod intendit Ex concilio Bracarensi, c. viij.

¶ CAP. 276.

Placuit, vt si quis aliquem clericorum in accusatione fornicationis impetit, secundùm præceptum apostoli Pauli duo vel tria testimonia requirantur ab illo. Quòd si non potuerit datis testimoniis approbare quod dixit, * accusationem accusati accusator accipiat.

Vt sicut laici clericos in sua accusatione in secularibus non recipiunt, ita nec ipsi in eorum accusatione recipiant. Ex concilio Aurelianensi, c. v.

¶ CAP. 277.

Omnes episcopi in tertia sessione acclamauerunt. Sanè dignum est, vt sicut sacerdotes vel clericos in sua accusatione, vel secularibus iudiciis laici non recipiunt: ita ipsi in sacerdotum vel clericorum accusationibus seu ecclesiasticis negotiis, nisi sponte collaudetur, non recipiantur. Quoniam inconueniens est, vt hi qui hos respuunt, ab his recipiantur.

Vt testimonium laici contra clericos nemo recipiat. Ex concilio Triburiensi, cap. iv.

¶ CAP. 278.

Testimonium laici aduersus clericum nemo suscipiat.

De prædicatione presbyterorum. Ex eodem concilio, cui interfuit Arnulfus rex.

¶ CAP. 279.

Præcipimus vobis, vt vnusquisque vestrum super duas seu tres hebdomadas diebus dominicis seu festiuitatibus sanctorum, populum sibi commissum, doctrinis salutiferis ex sacra scriptura sumptis, in ecclesia sibi commissa, post euangelium perlectum, instruere studeat, & iubeat illis, vt nullus de ecclesia exeat antequam à presbytero siue à diacono vltima laus, id est, Benedicamus domino, aut Ite missa est pronuncietur.

De ordinatis, quot testibus discuti debeant, si accusati fuerint. Ex concilio Carthaginensi, c. xx.

¶ CAP. 280.

Si qui presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex vicinis locis episcopus proprius legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petierint, id est, vnà secũ in presbyteri nomine sex, in diaconi tribus, ipsorum causas discutiat, eadem dierum & dilationum, & à communione remotionum, & discussione personarum, inter accusatores, & eos qui accusantur formâ seruatâ. Reliquorum autem clericorum causas etiam solus episcopus loci agnoscat & finiat.

Substantia defuncti sacerdotis cuius esse debeat. Ex concilio Triburiensi, cap. xxij. cui interfuit Arnulfus rex. ¶ CAP. 281.

Sancto concilio allatum est, quòd quidam laici improbè agant contra presbyteros suos, ita vt de morientium presbyterorum substantia partes sibi vendicent, sicut de propriis seruis. Interdicimus itaq; canonica authoritate, ne hoc vlterius fiat, sed sicuti liberi facti sunt ad suscipiendum gradum & agendum diuinum officiũ ita nihil ab eis exigatur, præter diuinum officiũ. De peculiari verò sacerdotum nihil sibi vsurpet, sed totum diuidatur in quatuor partes: vna episcopo, alia altari, tertia pauperibus, quarta parentibus. Et si non sunt idonei parentes, episcopus eam recipiat, & in vsum ecclesiæ diligenter distribuat. Et si quis contra hoc facere præsumpserit, anathematizetur.

De clericis qui sine testamento discesserunt. Ex eodem conc. c. xiv. ¶ CAP. 282.

Si quicunque ex gradu ecclesiastico sine testamento, & cognitione decesserit, hæreditas eius ad ecclesiam vbi seruiuit deuoluatur. Similiter & de sanctimonialibus.

De clericis qui laicalibus vestimentis induuntur. Ex eodem concilio, c. xxvij.

¶ CAP. 283.

Vt laicalibus vestimentis clerici non vtantur, id est, mantello vel coto, siue cappa, nec preciosis & ineptis calciamentis, & aliis nouitatum vanitatibus, sed religioso & decenti habitu induti incedant.

Marginalia: * cele-/…rare. | …nter canones 80. …driani i. …d Ingelrã…um. | …ib. 9. epist. 6. | * Hilarũ | …nc. Brat. 2. 8. | …q. 5. c. pla…it. …Tim. 5. | …excõ…unica…onem. …rigin. | 11. q. 1. c. testimonium. | con Carth. 3. c. 8. | 15. q. 7. c. si autem presbyteri.

con. Carth. 4. cap. 45. *De eadem re. Ex concilio Carthaginensi, cap. xliiij.*

¶ Cap. 284.

dist. 42. c. clericus. Clericus professionem suam etiam habitu & incessu probet, & ideo nec in vestibus, nec calciamentis decorem quærat.

Ibidem. *De clericis qui ociosè in nundinis deambulant. Ex eodem concilio, cap. xlviij.*

¶ Cap. 285.

* qui nō pro emēdo aliquid in n. orig. sub Sergio 2. c. 37. Clericus * qui pro commodo aliquo in nundinis, vel in foro deambulat, ab officio suo degradetur.

Vt nullus ex clero arma militaria portet. Ex concilio Meldensi, cap. xviij.

¶ Cap. 286.

23. q. 8. c. quicunque. Quicunque ex clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum canonum contemptores & ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, proprij gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo & sæculo militare.

De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap. ix.

¶ Cap. 287.

Omnimodis dicendum est presbyteris & diaconibus vt arma non portent: sed magis confidant in defensione Dei, quàm in armis.

Nec ecclesiasticæ personæ canes aut accipitres habeant. Ex concilio Meldensi, cap. viij.

¶ Cap. 288.

dist. 34. c. episcopum. presbyterū. Episcopum, presbyterum, aut diaconum canes ad vænandum, aut accipitres, aut huiusmodi res habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluntate sæpius detectus fuerit, si episcopus est, tribus mensibus à communione suspendatur: presbyter duobus mensibus: diaconus vero ab omni officio & communione suspendatur.

De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap. ij.

Cap. 289.

dist. 34. c. omnibus seruis. Omnibus seruis Dei venationes, & syluaticas vagationes cum canibus, & vt accipitres & falcones non habeant interdicimus.

con. Carth. 4. c. 59. *Vt clericos discordantes episcopus sua potestate conciliet. Ex concilio Africano, cap. lix.*

¶ Cap. 290.

dist. 90. c. discordantes. Discordantes clericos, Episcopus vel ratione vel potestate ad concordiam trahat, inobedientes synodus per audientiam damnet.

con. Hilerdensi c. 11. *De clericis qui proruperint in mutuam cædem. Ex concilio Hilerdensi, cap. vi.* ¶ Cap. 291.

Si qui clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, à Pontifice districtius vindicetur.

Inter fragmenta. *De eadem re. Ex eodem, cap. vij.* ¶ Cap. 292.

Frater in fratrem si ausus fuerit manum mittere, legitimam disciplinam accipiat.

epist. 1. initio. *Quod septem diaconi sufficiant in vnaquaque ecclesia. Ex epistola Fabiani papæ, cap. ij.*

¶ Caput 293.

Septem ergo diaconi sunt in vrbe Roma per septem regiones ciuitatis, sicut à patribus accepimus, qui per singulas hebdomadas & dominicos dies atque festiuitatum solemnia, cum subdiaconibus & acolytis ac sequentium ordinum ministris, iniuncta sibi obseruent ministeria, & parati omni hora ad diuinum officium sint, & quicquid eis iniungitur peragendum Similiter & vobis, prout oportunum fuerit, per singulas ciuitates est faciendum, vt diuinum absque vlla mora aut negligentia studiosè ac solenniter agatur officium.

De eadem re. Ex concilio Neocæsariensi, cap. xiiii.

¶ Cap. 294.

Diaconi septem esse debent iuxta regulam, licet & valdè magna sit ciuitas. Idipsum autem & Actuum apostolorum liber insinuat. dist. 93. c. diaconi septem. Act. 6.

Item de eadem re. Ex concilio episcoporum qui in Ancyra & Cæsaræa conuenerunt, cap. ix.

¶ Cap. 295.

Diaconi septem esse debent secundùm regulam, quamuis magna sit ciuitas: cui regulæ authoritas erit liber Actuum apostolorum. Act. 6.

Vt diaconi coram presbyteris non sedeant. Ex concilio Laodicensi, cap. xx. Et cōc. Agathen. c. 65.

¶ Cap. 296

Quòd non oporteat diaconum coram presbytero sedere, sed iussione presbyteri sedeat. Similiter autem diaconis honor habeatur ab obsequentibus, id est, à subdiaconis, & omnibus clericis. dist. 93. c. nō oportet.

Ne diaconi presbyteris se anteponant. Ex concilio Toletano, cap. xxx. con. Tol. 4. cap. 38.

¶ Cap. 297.

Nonnulli diacones in tantam erumpunt superbiam, vt sese presbyteris anteponant, atque in primo choro ipsi priores stare præsumant, presbyteris in secundo choro constitutis. Ergo vt sublimiores sibi presbyteros agnoscāt, tam hi quàm illi in vtroque choro consistant. dist. 93. ca. nonnulli diaconi

Vt exorcistæ energumenis manus imponant. Ex concilio Carthaginensi, cap xx. con. Carth. 4. c. 90. de cons. dist. 5. c. omni die.

¶ Cap. 298.

Omni die exorcistæ energumenis manus imponant.

De honore vniuersis ordinibus competente. Ex decretis S. Syluestri papæ, cap iij.

¶ Cap. 299.

Ita fratres iubet authoritas diuina & affirmat vt à subdiacono vsque ad lectorem omnes subditi sint diacono. Cardinali vrbis Romæ in ecclesia honorem repræsentantes tantum. Pontifici verò presbyter diaconus, subdiaconus acolytus, exorcista, lector, abbas, monachus in omni loco repræsentent obsequium, siue in publico siue in gremio ecclesiæ.

De sacerdotibus qui ministerium suum adimplere nesciunt, nec discere volunt. Ex concilio Aurelianensi, cap vi.

¶ Cap. 300.

Sacerdotes qui ritè non sapiunt adimplere ministerium suum, nec discere iuxta præceptum episcoporum suorum, pro viribus satagunt, & contemptores canonum existunt, ab officio proprio sunt submouendi, quousque hæc pleniter emendata habeant.

Vt

Vt clerici non reputentur qui sub nullius episcopi disciplina inueniuntur. Ex concilio Parisiensi, c. x.

¶ CAP. 301.

dist. 93. c. nulla ratione. Nulla ratione clerici aut sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius episcopi disciplina & prouidentia gubernantur. Tales enim acephalos, i. sine capite, prisca ecclesiæ consuetudo nominauit.

Vt clerici liberi facti à dominis suis, eos honorent & canonicè seruiant. Ex Concilio apud * *Altheim habito, c. xxxviij.* ¶ CAP. 302.

* Altenm

Nullus clericus ad gradum presbyterij promoueatur, nisi vt scriptum in canonibus habetur: Si enim propter Dei dilectionem quis de seruis suis quenquam elegerit, & docuerit literas, & libertati condonauerit, & per intercessionem erga episcopum presbyterum effecerit, ille autē postea in superbiam elatus, missam dominis suis & canonicas horas seruare & psallere renuerit, & eis iustè obedire, dicens se liberum esse, noluerit, & quasi liberè cuius vult homo fiat, hæc sancta synodus anathematizat, & illū à sancta communione arceri iudicat, donec resipiscat, & domino suo obediat secundùm canonica præcepta. Si autem obstinato animo & hæc contempserit, accusetur apud episcopum qui eum ordinauit, & degradetur, & fiat seruus illius, id est, domini sui, sicut natus fuerat. Quisquis verò talem secum habuerit, posteaquam rem illius prædictam audierit, & domino suo non reddiderit, vel à se proiecerit siue episcopus, siue comes, siue clericus, siue laicus anathematis illius societate nodatus pœnam excommunicationis luat.

De illis qui fugam fratris celauerint. Ex dictis Basilij. ¶ CAP. 303.

Si quis eum qui districtionem ecclesiasticam non ferens, fugam meditari, cognouerit: si non statim prodiderit, proditionis illius participem se esse non dubitet: & tamdiu à conuentu fratrum est sequestrandus, quamdiu ille valeat reuocari.

De illis qui presbyteros suos malè tractauerint. Ex concilio apud Aruernas, c. vii.

¶ CAP. 304.

Si quis presbyterum proprium inhonorat, aut verbo, aut facto contumeliam fecit, tamdiu à liminibus ecclesiæ arceatur, quousque per condignam pœnitentiam satisfaciat. Ait enim
1. Tim. 5. Apostolus: Presbyteri qui benè præsunt duplici honore digni habeantur. Item alibi dicit: Obe-
Hebr. 13. dite præpositis vestris, & subiecti estote eis. Et cætera.

Vasense 1. c. 2. *Vt nomen Papæ in ecclesiis sanctis recitetur. Ex concilio Vasensi ij cap. iv.*

¶ CAP. 305.

Et hoc iustum visum est nobis, vt nomen domini Papæ quicunque sedi Apostolicæ præfuerit in * vestris ecclesiis recitetur.

* nostris Orig.

Vt Presbyteri & Diaconi in villis habitantes summas festiuitates in ciuitatibus celebrent. Ex concilio Aruernensi, c. xiv.

¶ CAP. 306.

Si quis presbyter aut diaconus, qui non in ciuitate canonicus esse dinoscitur, sed in villis habitans in oratoriis officio sancto deseruiens, celebrāt diuina mysteria: festiuitates præcipuas, Domini Natalem, Pascha, Pentecosten, & si quæ principales sunt festiuitates reliquæ, dehinc ne faciat commonemus, & nusquam alibi, nisi cum episcopo suo in ciuitate festiuitates supradictas celebret. Quicunque sunt ciues laici natu maiores, pari modo in vrbibus ad pontifices suos in prædictis festiuitatibus veniant, & ibi diuina mysteria celebriter audiant. Quòd si qui improba temeritate hæc contempserint, à communione pellantur.

Vt Presbyteris potestas prædicandi in suis plebibus concedatur. Ex concilio Vasensi ii. cap. y. Vasense 2 c. 2.

¶ CAP. 307.

Hoc etiam pro ædificatione omnium ecclesiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit, vt non solùm in ciuitatibus, sed etiam in omnibus parœciis verbum faciendi daremus presbyteris potestatem: ita vt si presbyter aliqua infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum patrum homiliæ à diaconibus * probatis recitentur. prob. deest in orig.

De Clericis qui in rixa interficiuntur. Ex concilio Triburiensi, c. l. cui interfuit Arnulphus rex.

¶ CAP. 308.

Quicunque clericus aut in bello, aut in rixa, aut gentilium ludis mortuus fuerit, neque oblatione pro eo postuletur, sed in manus incidat iudicis. Sepulturâ tamen non priuetur. 23 q 8 cap. quicunque clericus.

De Presbyteris qui capitali crimine accusati excusare se non possunt. Ex eodem concilio, c. vi.

¶ CAP. 309.

De presbyteris qui de crimine fornicationis, siue aliquo capitali flagitio accusantur, & non habent collegas cum quibus se * excusare possint: aut si fortè lapsi fuerint, quomodo satisfaciāt. In quorum iudicio neque ad dexteram neque ad sinistram declinandum est, sed rectâ viâ gradiendum. In cōcilio namque Neocæsariensi capitulo primo scriptum est: Presbyter si vxorem acceperit, deponatur ab ordine: si verò fornicatus fuerit aut adulterium perpetrauerit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

Annectitur cōc. Aruern.
al. expurgare.
Dist 28. c. presbyter.

Vt viri veraces & Deum timentes in ciuitatibus & vicis constituantur. Ex concilio Rothomagensi, c. ix.

¶ CAP. 310.

Vt populus admoneatur, vt in dominicis & festis diebus omnes ad vesperas & nocturnas vigilias, & ad missam omnimodo occurrant: & vt decani in ciuitatibus & in vicis publicis viri veraces & Deum timentes constituantur, qui desides & negligentes commoneant, vt ad Dei seruitium absque occasione properent, & vt ipsi decani sacramento astringantur, vt nulla interueniente causa, scilicet aut amoris, aut timoris, aut propinquitatis, aut muneris, negligentes & transgressores reticeant, quin sacerdotibus proprias eorum culpas manifestent. Sacerdotum autem erit ita eorum vitia Zelo & amore diuino cum debita disciplina corrigere, sicut ipsi nolunt pro aliorum erratis sententiam iustæ damnationis suscipere. Et vt dies festi à vespere vsque ad vesperam absque opere seruili cum debito honore celebrentur.

Ne aliquis clericorum in duabus ecclesiis facile connumeretur. vij. synodi, cap. xv.

¶ CAP. 311.

Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus ecclesiis. Negotiationis enim est hoc & turpis cōmodi proprium, & ab ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Audiuimus enim ex ipsa dominica voce, quia, Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit & alterum diliget, aut vnum sustinebit & alterum contemnet. Vnusquisque enim secundùm apostolicam vocem quo vocatus est, in hoc debet manere, & in vna locari ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt à Deo: ad vitæ verò huius necessitatem studia sunt diuersa. Ex eis ergo qui voluerit acquirat corporis oportuna. Ait enim apostolus: Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrauerunt manus istæ. Et hæc quidem in hac seruanda vrbe. Cæterum in villis quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.

Lucæ 16. 1. Corin. 7. Actor 20.

Ante discussionem non esse suscipiendos accusatores. Anacletus in tertio decretali suo.

Euaristus ep 2. ante medium.

¶ CAP. 312.

2. q. 7. c si qui sunt vituperatores.

Si qui sunt vituperatores aut accusatores episcoporum vel reliquorum sacerdotum, non oportet eos à iudicibus ecclesiæ audiri, antequam eorum discutiatur æstimationis suspicio, vel opinio, qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita, qua conscientia, quóve merito, si pro Deo, aut pro vana gloria, aut inimicitia vel odio, vel cupiditate ista præsumpserint, nec ne.

cap. 3. *Clericos non esse accusandos à laicis. Telesphorus papa in primo decretali suo omnibus episcopis.*

¶ CAP. 313.

Sicut laici sæculares homines nolunt clericos recipere in accusationibus, & infamationibus suis: ita nec clerici debent eos recipere in pulsationibus suis: quoniam in omnibus discreta debet semper esse & segregata vita, & conuersatio clericorum ac sæcularium laicorum.

cap. 2. *Vulgus non esse recipiendum in accusatione sacerdotum. Paulò post in eodem decretali.*

¶ CAP. 314.

6 q. 1. cap. sacerdotes. ** fortè obaudiendi.*

Sacerdotes qui proprio ore corpus Domini conficiunt, ab omnibus sunt * obediendi & timendi, non dilacerandi aut detrahendi: quia à quibus se domini populus benedici, saluari & instrui cupit, nullatenus eos debet arguere, nec vulgus in eorum accusationem suscipi. Populus enim ab eis docendus est & corripiendus, non ipsi ab eo: quia non est discipulus supra magistrum. Dei ergo ordinationem accusat, qui eos qui ab eo constituuntur sacerdotes accusat vel damnare cupit.

Matth. 10. post pauca.

cap. 4. *Accusatori non esse credendum qui absentem accusat. Ibidem post pauca.*

¶ CAP. 315.

Accusatores & accusationes quas leges sæculi non admittunt, & nos submouemus, & accusatori omnino non credi decernimus, qui absente aduersario causam suggerit ante vtriusque partis iustam discussionem. Nec hi qui non sunt idonei suscipiantur ad accusationem, & omnes qui aduersus patres,* id est sacerdotes, armantur, infames esse censemus. Patres enim omnes, i. sacerdotes, venerandi sunt, non respuendi, aut accusandi vel insidiandi.

** I. sac. abest ab orig.*

Finitiua tantùm clericorum iudicia, deferenda ad apostolicam sedem. Eleutherus papa duodecimo loco succedens Petro in primo decretali suo, ecclesiis Galliæ. *epistolæ sua c. 2.*

¶ CAP. 316.

De accusationibus ergo clericorum, de quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad sedem Apostolicam deferri, finitiua tantùm Episcoporum iudicia huc deferantur, vt huius sanctæ sedis authoritate finiantur, sicut ab apostolis eorúmque successoribus multorum consensu episcoporum, iam diffinitum est. Nec in eorum ecclesiis alij aut præponantur, aut ordinentur, antequàm hîc eorum iustè terminentur negotia. Quoniam quamuis liceat apud prouinciales & metropolitanos atque primates, eorum ventilare accusationes vel criminationes, non tamen licet diffinire secus quàm prædictum est. Reliquorum verò clericorum causas apud prouinciales & metropolitanos, & primates ventilare, & iustè finire licet. Iudicantem tamen oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi ac proponendi adiiciendíque præbitâ patientiâ ab eo, vt ibi actio ambarum partium limitata sit pleniter.

3. q 6. c. quamuis.

Non esse iudicandum donec vtrinque sit peroratum. Ibidem. *Consequenter.*

¶ CAP. 317.

Nec litigantibus iudex priùs suâ velit sententiâ obuiare, nisi quando ipsi iam peractis omnibus nihil habeant in quæstione quod proponant, & tamdiu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perueniatur. Frequenter interrogare oportet, ne aliquid prætermissum fortè remaneat, quod adnecti conueniat. Induciæ enim non modicæ ad inquirendum dandæ sunt, ne aliquid præproperè agiâ quacunque parte videatur, quia per subreptionem multa proueniunt: Nihil tamen absque legitimo & idoneo accusatore fiat. Nam & Dominus noster Iesus Christus Iudam esse furem sciebat: sed quia non est accusatus, ideo non est eiectus: & quicquid inter Apostolos egit, pro dignitate ministerij, ratum mansit. Nam si leges sæculi accusatores requirunt, quantò magis ecclesiasticæ regulæ? Docent enim terrestria & humana quæ sint ecclesiastica atque cœlestia.

3. q. 3. induciæ nō mod. *2. q. 1. c. nihil contra.*

Intra prouinciam exercendas pulsati actiones. Idem. *cap 3. & in epist. 1. Fœlicis 1. 3. q. 6. c si quis clericus.*

¶ CAP. 318.

De accusatoribus verò comprouincialibus ita legitur esse statutum. Si quis super quibuslibet criminibus quemlibet clericum pulsandum crediderit, in prouincia, in qua consistit ille qui pulsatur suas exerceat actiones: nec æstimet eum alibi aut longius ad iudicium protrahendum. Illi verò qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum habuerit, liceat appellare.

Ex conc. Carth. 4 c. 30. 3. q. 9 c. caueant Iudices.

Non esse iudicandum de absente. Idem.

¶ Cap. 319.

Caueant etiam iudices ecclesiæ, ne absente eo cuius causa ventilatur, sententiam proferant: quia irrita erit, immo & causam in synodo pro facto dabunt. Proditoris verò nec calumnia nec vox audiatur. Nemo enim debitorem amplius potest cognoscere, quàm ille qui iniuriam eiusque sustinuit nequitiam.

cap. 2.

Quòd laici non debeant clericos accusare. Fabianus in secundo decretali suo Orientalibus episcopis.

¶ Cap. 320.

2. q. 7. c. sicut sacerdotes.

Sicut sacerdotes vel clerici reliqui à sæcularium excluduntur accusatione, ita illi ab istorum sunt excludendi & alienandi criminatione. Et sicut isti ab illis, ita & illi ab istis non recipiantur: quoniam sicut domini sacerdotum segregata debet esse conuersatio ab eorum cõuersatione, ita & litigatio: quia seruum Dei non oportet litigare. Hæc ideo præmisimus, vt cognoscatur ab his quibus incognitum est, quia & sacerdotes quos sibi Dominus de omnibus adsciuit, & suos esse voluit, non sunt leuiter tractandi, nec lacerandi, nec temerè accusandi, aut reprehendendi, nisi à magistris suis: quoniam eorum causas sibi Dominus reseruare voluit, & suo iudicio *iudicari.

2. Tim. 2. post pauca.

* vindicari

Ibidem non ita procul à fine.

De ordine causæ, & numero personarum. Idem.

¶ Cap. 321.

4. q. 4 c. nullus vnquã.

Nullus vnquam præsumat accusator simul esse, & iudex, & testis: quoniam in omni iudicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est iudices electos, & accusatores, ac defensores, atque testes. Similiter statuentes apostolica authoritate iubemus, ne pastorem suum oues quæ ei commissæ fuerint, nisi in fide errauerit, reprehendere audeant: quia facta præpositorum oris gladio ferienda non sunt, neque potest esse discipulus super magistrum.

Matth. 10.

Item non esse contradicendum authoritati. Ibidem.

¶ Cap. 322.

paulo post. 11. q. 3. c. qui omnip.

Qui omnipotentem Deum metuit, nec contra Euangelium, nec contra Apostolos, nec contra Prophetas, vel sanctorum patrum instituta, aliquid agere vllo modo consentit.

ad Hilariũ episc. c. 3 q. 6. c. pulsat°.

De pulsatis vbi respondere debeant, vbi non. Idem in tertio decretali suo. ¶ Cap. 323.

Pulsatus, ante iudicem suum causam dicat, & ante non suum iudicem, pulsatus si voluerit, taceat: & vt pulsatis quotiens appellauerint, induciæ dentur.

Ibidẽ paulò pòst. 2 q. 3. & de pœniten. dist. 1. c. Si quis iratus.

De conuiciis pro accusatione non habendis. Idem.

¶ Cap. 324.

Si quis ergo iratus crimen aliquod cuilibet temerè obiecerit, conuitium non est pro accusatione habendum: sed permisso tractandi spatio, id quod iratus dixit per scripturam se probaturum esse fateatur: vt si fortè resipiscens, quæ pro iracundia dixit, iterare aut scribere noluerit, non vt reus criminis teneatur. Omnis ergo qui crimen obijcit, scribat se probaturum. Reuera ibi semper causa agatur, vbi crimen admittitur. Et qui non probauerit quod obiecit, pœnam quam intulerit, ipse patiatur.

3. q. 6. c. qui crimen.

De alieno iudicio Cornelius Papa in secundo decretali suo Rufo Episcopo. ¶ Cap. 325. Cap. 2.

Nullus sacerdotum causam suam alieno cõmittat iudicio, nisi ad sedem apostolicam fuerit appellatum: sed vnusquisque prouinciales iudices, & notos habeat, nisi aliquam vim temerariæ multitudinis illic timuerit: aut infestos vel suspectos inibi iudices habuerit: pro quibus causis ad maioris authoritatis iudices, & ad alias prouincias appellare & venire concessum est. Omnia ergo quæ aduersus absentes in omni negotio aut loco aguntur, aut iudicantur, omnino vacuentur: quoniam absentem nullus addicit, nec vlla lex damnat. 3. q. 9. c. omnia quæ.

Quòd qui crimina intendunt per se accusare debeant. Lucius Papa xxi. à Petro, in primo decretali suo, omnibus episcopis tam Galliæ, quàm Hispaniæ. Cap. 2.

¶ Cap. 326.

Constitui placuit, vt criminationes maiorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni & irreprehensibiles apparuerint, & actis docuerint publicis omni se carere suspicione, atque inimicitia: & irreprehensibilem fidem ac cõuersationem ducere. Vnde placuit, vt à quibuscunque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos vbi maior est authoritas, si fuerit prouocatum, audientia non negetur. 2. q. 7. c. criminationes. 2. q. 6. c. placuit vt.

Quæ accusationes recipi non debeant. Stephanus Papa j. in secundo decretali suo. Cap. 3.

¶ Cap. 327.

Accusatores & accusationes quas sæculi leges non recipiunt, & antecessores nostri prohibuerunt, & nos submouemus. Nullus enim alienigena aut accusator eorum fiat, aut iudex. Itẽ. Repellantur habitantes cum inimicis & omnes laici: quia infestationem blasphemiæ affectio inimicitiæ incitare solet. Nec illi in vestra suscipiendi sunt accusatione, qui vos in sua nolunt recipere infamatione. Nullus enim anathematizatos suscipiat, nec à quoquam credantur, quæ ab eis vel dicuntur vel conscribuntur. Eos dico anathematizatos esse, quos episcopi suis scriptis anathematizauerunt, aut eorum statuta anathematizant. 3. q. 5. c. accusatores. Idem suprà c. 315. 3. q. 4. c. nullus anathem.

Quòd per scriptum nullus sit accusandus. Idem. Cap. 4.

¶ Cap. 328.

Per scripta enim nullius accusatio suscipiatur, sed propria voce, si legitima & condigna accusatoris persona fuerit, præsente videlicet eo quem accusare desiderat: quia nullus absens aut accusari potest, aut accusare. 2. q. 8. c. per scripta.

De incertis iudiciis. Felix Papa j. xv. à Petro, in primo decretali suo, Paterno coepiscopo.

¶ Cap. 329.

In re dubia certa non iudicetur sententia, nec vllum iudicium nisi ordinabiliter habitum teneatur. Si quis super quibuslibet criminibus clericum pulsandum crediderit, in prouincia in qua consistit ille qui pulsatur, suas * exerat actiones, nec æstimet eum accusator alibi aut longius pertrahendum ad iudicium. Idem suprà habetur c. 318. * al. exerceat

Proximè post.

De appellatione eius qui iudices suspectos habet. Idem. ¶ CAP. 330.

Ille verò qui pulsatus fuerit, si iudices suspectos habuerit, licet appellare primates.

Item de eodem, & quæ accusationes non sint recipiendæ. Idem episcopis Galliæ in secundo decretali suo. ¶ CAP. 331.

3.q.7.c. infamis. 3.q.9.c. absente.

Infamis enim persona nec procurator potest esse, nec cognitor. Absente verò aduersario non audiatur accusator, nec sententia absente parte alia à iudice dicta vllam obtinebit firmitatem. Neque absens per alium accusare aut accusari potest, nec affinis testis admittatur. Neminem ergo exhiberi de prouincia ad prouinciam, vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem iudicis ad quem fuerit appellatum, id est, vt actor semper rei forum sequatur. Si quis autem iudicem aduersum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli oportet negari. Peregrina verò iudicia generali sanctione prohibemus, quia indignum est, vt ab externis iudicetur, qui comprouinciales & à se electos debet habere iudices.

3 q.6.c. peregrina.

De ordine accusationis, & vinculo inscriptionis Eutychianus Papa episcopis per Siciliam. ¶ CAP. 332.

Ep. 2 c. 2.

2.q.8.c. quisquis.

Accusationis ordinem talem & didicimus, & seruari iubemus: id est, si quis clericorum in crimine impetitur, non statim reus æstimetur qui acusari potuit, ne suspectam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est, qui crimen intendit in iudicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiat similitudinem: habita tamen dignitatis æstimatione * potiatur: Nec fore nouerit sibi licentiam mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij.

* patiatur, ne fortè. Orig.

Qui non sint admittendi ad accusationem. Idem. ¶ CAP. 333.

Consequenter.

Hæretici enim omnes, & suspecti, & excommunicati, homicidæ quoque atque malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui sortilegos magósque * consuluerint, nullatenus ad accusationem sunt admittendi. Nulli infami vnquam, aut sacrilego de quocúque negotio liceat aduersus religiosum Christianum, quamuis humilis seruilisque persona sit, testimonium dicere, nec de qualibet ratione, vel inscriptione Christianum impetere.

* concurrerint. Orig.

Sub quot testibus cuiusque ordinis accusatio fieri debeat. Ex synodalibus gestis Syluestri Papæ. ¶ CAP. 334.

Presbyter autem Cardinalis nisi in quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus cardinalis constitutus vrbis Romæ, nisi in xxxvi. non condẽnabitur. Subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, ostiarius, nisi sicut (scriptum est) in septem testibus non condemnabitur. Testes autem & accusatores, sine aliqua sint infamia, vxores, & filios habentes, & omnino Christum * timentes. Testimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat. Nemo enim clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in ecclesia. Nemo enim clericus, vel diaconus, aut Presbyter propter quamlibet causam intret in curiam: nec ante iudicem cinctum causam dicere præsumat: quoniam omnis curia, à cruore dicitur & immolatione simulachrorum. Et si quis clericus accusans clericum in curiam introierit, anathema suscipiat.

* prædicantes

De petendis induciis Fœlix Papa in primo decretali suo Anastasio & Ægyptiis. c. xiv. ¶ CAP. 335.

Felix 2. ep. 1. c. 8. Cum ad iudic.

Cùm ad iudicium quis venerit, si voluerit & necesse fuerit induciæ ei petenti à patribus constitutæ absque impedimento concedantur, & iudices à se electi tribuantur, vt in loco vnde est ille qui accusatur, aut si ibi aliquam temerariæ multitudinis vim metuerit, locum eligat sibi congruum, quò absque timore suos si necessitas exposcerit testes habere, & absque impedimento suam canonicè sententiam finire valeat: quia multa per subreptionem euenire solent.

De differentia ecclesiasticæ & sæcularis causæ. Idem, c. xvj. ¶ CAP. 336.

Eutychia. Pa. epist. 2. episcopis per Siciliam. 2.q.6.c. non ita.

Non ita in ecclesiasticis agendum negotiis est, sicut in sæcularibus. Nam in sæcularibus, postquam legibus vocatus quis venerit, & in foro decertare cœperit aliquis, non licet ante peractam causam recedere. In ecclesiasticis verò dictâ causâ recedere licet, si necesse fuerit, aut si se prægrauari viderit.

De non permiscendis personis causæ. Ex epistola decretali Damasi Papæ ad Stephanum Archiepis. Mauritaniæ. ¶ CAP. 337.

Ep. 4. c. 7.

Nullus introducatur personaliter (ad causam) sed accusatores & accusati æqua audiantur ratione, iuxta quod gestorum ordo exigit. Accusatores verò & iudices non iidem sint, sed per se accusatores, per se iudices, per se testes, per se accusati, vnusquisque in suo ordinabiliter ordine. Nam inscriptio primò semper fiat, vt talionem calumniator recipiat, quia ante inscriptionem nemo debet iudicari vel damnari, cùm & sæculi leges hæc eadem retineant.

4.q.4. nullus introducatur.

De Maximo episcopo. Ex epistola Bonifacij Papæ ad episcopos Galliæ, cap. i. ¶ CAP. 338.

Bonif. 1. epi. 2.

Bonifacius episcopis Galliæ. Decreuimus vestram debere intra prouinciam esse iudicium, & congregari synodum ante diem calendarũ Nouembrium: vt si adesse voluerit Maximus præsens, si confidit, ad obiecta respondeat. Si verò adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto & totiens delegato iudicio, purgandi se occasione non vtitur.

3.q.9.c. decernimus.

De abiiciendis familiaribus inimicis. Leo Papa Anatholio episcopo. ¶ CAP. 339.

Epist. 76.

Illud sanè mihi plurimum displicere significo, quod *inter ditionis tuæ clericos quidam esse dicuntur, qui aduersariorum * conueniant prauitati, & * vesaniæ vasis misericordiæ vasa misceantur: quibus inuestigandis & seueritate congrua coercendis debet diligentia tua vigilanter insistere: ita vt his quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscisio. Oportet enim nos euangelici meminisse mandati, quo ab ipsa veritate præcipitur, vt si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizauerit manus, à compage corporis auferatur: quia melius sit his in * ecclesia carere membris, quam cum ipsis in æterna ire supplicia. Nam superfluo extra

24.q.3. cap. illud sanè.

* iurisdictionis tuæ clerici. * conniueant. * iræ.

Matth. 18.

* sæculo

ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt, in eis quos decipiunt, vulneramur. Abijcienda prorsus pestifera hæc à sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit.

Ex lib. Ennodij, in 4. syn. *Episcopum accusatum non esse deserendum à suis ante finem causæ. In quinta synodo Symmachi Papæ.* ¶ CAP. 340.

3 q 4 c nōne directa. Nonne directa sunt verba canonum, quicumque clericorum ab episcopo suo ante sententiæ tempus pro dubia suspicione discesserit, manifestam eum manere censuram?

proximè post. *De eodem in eadem.* ¶ CAP. 341.

Lex ecclesiastica pontificem ab aliis accusatum, priusquam sub luce obiecta constiterint, exigit non relinqui.

lib. 2 indict. 10. ep. 14. & *De depositione eius qui Archidiaconatum alterius inuaserat. Gregorius Natali episcopo Salonitano.* ¶ CAP. 342.

16. 7. q. 1. c. eum qui contra. Eum qui contra iustitiæ regulam in archidiaconatum alterius se prouehi consensit, ab eiusdem archidiaconatus honore deponimus. Qui si vlterius in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione communionis sacræ nouerit esse priuatum.

lib. 11. c. 50. vel ep. 52. *Quòd nullam vim habeant iniusta iudicia. Ioanni defensori Gregorius, c. xl.* ¶ CAP. 343.

2. q. 1. c. in primis. Quod quidam frater de falsis se capitulis accusatum, neque aliquid ordinabiliter factum, sed iniustè se asserit condemnatum: diligenter quærendum est, primò, si iudicium ordinabiliter est habitum: si alij accusatores, alij testes fuerint: deinde causarū qualitas, si digna exilio vel depositione fuit: si eo præsente sub iureiurādo contra eū testimonium dictū est, si scriptis actū est, si ipse licentiam respondendi ac defendēdi se habuit. Sed & de personis accusantiū ac testificantium subtiliter quærendum est cuius conditionis, cuiusue opinionis, & ne inopes sint, ne fortè aliquas contra præfatum pastorem inimicitias habuissent: vtrum testimonium ex auditu dixerint, aut certè specialiter se scire testati sunt, si scriptis iudicatum est, & partibus præsentibus sententia recitata est. Quod si fortè hæc solemniter acta non sunt, neque causa probata est, quæ exilio vel depositione digna sit, in ecclesiam suam modis omnibus reuocetur.

apud Ioan. Diaconū in vita B Gregorij n. 54. *Vt singulis personis singula ecclesiæ tribuantur officia. Gregorius omnibus episcopis.* ¶ CAP. 344.

dist. 89. c. singula ecclesiastici. Singula ecclesiastici iuris officia, singulis quibusque personis, singulatim debere committi iubemus. Neque enim vni quamlibet exercitatæ personæ vno tempore duarum rerum officia censemus committenda. Quia si totum corpus

Rom 12. oculus, vbi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diuersa officia & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarum nihilominus per officia distributa, & fortitudinem & venustatem sanctæ Dei ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est, vt in corpore humano alterutrum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium simúlque turpissimum, si singula rerum ministeria, personis totidem non fuerint distributa.

Vbi fieri debeant ecclesiastica iudicia. Ex prima epistola Clementis. ¶ CAP. 345. post initiū.

Si qui ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores sęculi non iudicentur, sed apud presbyteros ecclesiæ quicquid illud est, dirimatur, & omnimodo obediant statutis eorum. 11 q 1. c si qui ex fratribus.

De abominabili crimine conspirationis. Calixtus in secunda epistola. ¶ CAP. 346. cap. 1.

Conspirationum verò crimina in vestris partibus vigere audiuimus, & plebes contra episcopos suos conspirare nobis mandatum est. Cuius criminis astutia non solùm inter Christianos abominabilis est, sed etiam inter ethnicos, & ab exteris legibus prohibita. Et idcirco huius criminis reos non solùm ecclesiasticæ, sed etiam sęculi damnant leges. Et non solùm conspirantes, sed etiam consentientes eis. Antecessores verò nostri cum plurima turba episcoporum, quicunque eorum in sacerdotali honore sunt positi, aut existunt clerici, honore quo vtuntur carere præceperunt: cæteros verò communione priuari, & ab ecclesia extorres fieri iusserunt; omnésque simul vtriusque ordinis viros infames esse censuerunt: & non solùm facientes, sed & eis consentientes. Iustum est enim vt qui diuina contemnunt mandata, & inobedientes patrum existunt iussionibus, seuerioribus corrigantur vindictis, quatenus timorem cæteri habeant talia committere, & Deus gaudeat fraternitate ac concordia, & cuncti sumant seueritatis ac bonitatis exemplum. Nam si (quod absit) ecclesiasticam sollicitudinem vigorémque negligimus, perdit desidia disciplinam, & animabus fidelium profectò nocebitur. Hi verò in nullius sunt accusatione recipiendi, nec eorum vel anathematizatorum vox, vllum nocere aut accusare potest. (11 q. 1 c conspirationū. — 23 q. 3. c. Iustum est. — 3. q. 4 c. conspiratores.)

De modo accusandi. Damasus in secunda epistola. ¶ CAP. 347. Ep 4. c. 8.

Habetur quoque in decretis patrum sancitum, non fore canonicum, quemquam sacerdotum iudicare vel damnare, antequam accusatores canonicè examinatos præsentes habeat, locúmque defendendi accipiat, id est, inducias ecclesiasticas ad abluenda crimina & cætera: nec extra propriam fiat prouinciam prima discussionis accusatio, sine Apostolica præceptione, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri: quoniam & antiqua docet hoc patrum regula, in qua & imperialia pariter statuta concinunt. 3 q. 9 c habetur.

De eadem re. Idem in epistola vltima. ¶ CAP. 348. Epist 7 ad episc. Italiæ

Qui alium accusare elegerit, præsens per se & non per alium accuset, inscriptione videlicet præmissa. Neque vllus vnquam iudicetur, antequam legitimos accusatores præsentes habeat, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina. 3 q 9. c. qui accusare.

De curialibus ad clerum non promouendis. Innocentius Victricio Rothomagensi Archiepiscopo. ¶ CAP. 349. Epis 2. c. 11.

Præterea frequenter quidam ex fratribus vestris curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt: quibus posteà maior tristitia cùm de reuocandis eis aliquid ab Imperatore præcipitur, quàm gratia nascitur de adscito. Constat enim eos in ipsis muniis * voluptates exhibere, quas à *mimis (dist 51. c. præterea frequenter.)

Diabolo inuentas esse non dubium est, & ludorum aut *numerum apparatibus aut præesse, aut forsitan interesse. Sit certè in exemplum sollicitudo & tristitia fratrum, quam sæpe pertulimus Imperatore præsente, cũ pro his sæpius rogaremus, quã ipse nobiscum positus cognouisti, quibus non solum inferiores clerici ex curialibus, verumetiam iam ex sacerdotio constituti, ingens molestia vt redderentur, instabat.

*mimorum

Quòd id quod necessitas reperit pro remedio, cessante necessitate, debet vtique cessare. Idem Rufo, & Eusebio Macedonibus episcopis. Ep.22.c.5.

¶ CAP. 350.

1.q.7.c quod pro remedio Sacerdotum summa deliberatio hæc fuit, vt quos Bonosus ordinauerat, ne cum eodem remanerent, ac ne fieret non mediocre scãdalum, ordinati reciperentur. Vicimus (vt opinor) ambigua. Iam ergo quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse, ac fuisse regulas veteres quas ab Apostolis aut Apostolicis traditas ecclesia Romana custodit, custodiendásque mandat his, qui eam audire consuerunt. Sed necessitas temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio reperit, cessante necessitate, debet vtique cessare pariter quod vrgebat: quia alius est ordo legitimus, alia vsurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit. Sed canones apud Nicæam constituti de Nouatianis fieri permiserunt. Prius ille canon à patribus institutus ponendus est, vt possimus aduertere, vel quid, vel qualiter ab eisdem sensum sit vel præceptum. De his, inquit, qui nominant seipsos Catharos, id est, mundos, & aliquando veniunt ad catholicam ecclesiam, placuit sanctæ & magnæ synodo, vt accepta manus impositione, sic maneant in clero. Possumus verò dicere de solis hoc Nouatianis esse præceptum, nec ad aliarum hæreseon clericos pertinere. Nam si vtique de omnibus ita definirent, addidissent à Nouatianis, aliísque hæreticis reuertentes debere in suũ ordinem recipi. Quod ita non esse, etiam illud maximè quod de Paulianistis dictum est, poterit confirmare, à quibus venientes etiam baptizari præcipiuntur. Nunquidnam cùm de Paulianistis iubent, omnes qui ab hæreticis reuertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cùm nullus audeat facere, de ipsis tantùm esse præceptum ratio ipsa demonstrat.

1.q.1.c quod pro necessitate.

can. 8. Nic. Synodi.

Dè his qui virginitatis sponsionem irritam faciunt. Idem. ¶ CAP. 351.

Conc. Ancy. sub Syluestro, c. 18. 27. q.1.c. quotquot.

Quotquot virginitatem promittentes, irritam faciunt sponsionem, inter bigamos censeantur.

De peregrè baptizatis. Ex concilio Eliberitano, cap. xxiv. ¶ CAP. 352.

dist 98.c. omnes qui.

Omnes qui peregrè fuerint baptizati, eò quòd eorum minimè sit cognita vita, placuit ad clerum non esse promouendos in alienis prouinciis.

De seruis sine consensu dominorum ordinatis. Gelasius Martyrio & Iusto episcopis.

¶ CAP. 353.

Actores siquidem illustris viri filij nostri Amandiani grauiter conqueruntur, homines suo iuri deditos alios adhuc clericos, alios iam diaconos ordinatos, cum non solùm post modernum (quod tantorum pontificum collectione sub omnium saluberrimæ prouisionis assensu constat esse perfectum) huiusmodi personas suscipi non debere, verum etiam si qui fortè in diuinæ cultum militiæ, ante fuerint ignorantia faciente suscepti, eliminare prorsus, & exutos religioso priuilegio ad dominorum possessiones iusta debuerint admonitione compelli. Et ideò fratres charissimi eos quos supradicti viri actores in clericatus officio mõstrauerint attineri, discussos & obnoxios ac probatos custodito legum tramite sine intermissione restituite: ita vt si quis iam presbyter reperitur, in eodem gradu, peculij sola amissione permaneat. Diaconus verò aut vicarium præstet, aut si non habuerit, reddatur. Residua officia sciant neminem posse ab obnoxietate, si conuincitur, vindicari, quatenus ordine custodito nec dominorum iura, nec priuilegia vlla ratione turbentur.

De eadem re. Gelasius Herculentio, Stephano, & Iusto episcopis. ¶ CAP. 354.

Nuper etenim actores illustris fœminæ Placidiæ petitorij oblatione conquesti sunt, Sabinum Marcellianensis siue Cusilinatis vrbis antistitem, Antiochum seruum iuris patronæ suæ absentis dominæ occasione captata, ad presbyterij honorem vsque perductum, eiusque fratrẽ Leontium clericalis officij priuilegio decorasse. Et ideò fratres charissimi inter supradictos actores, & eos qui conditionis extremæ repetuntur, obiectam cognitionem vobis nostra auctoritate deputamus, vt omni veritate discussa, si reuera obiectam sibi maculam iustitiæ, refragationis non potuerit ratione diluere, Leontium clericum, quem gradus præfinitus legibus non defendit, ad sequendam cognitionis suæ necessitatem modis omnibus redhibete. Antiochum verò, quia per sacerdotium non iam potest retolli, si in suam ecclesiam in hoc in quo est honore, desiderat collocare, non velut redditum sibi, sed habeat pro ministeriorum celebratione susceptum.

De reuerentia exhibenda prius ordinatis. Nicolaus Papa Michaeli Imperatori. Ep.8.ante medium.

¶ CAP. 355.

Denique si in epistola ad Hebræos legitur, quòd minor à maiore benedicatur: restat profectò vt exigente ratione etiam maledicatur. Siquidem hoc vtique prænoscentes periculosa tempora, illi qui ante nos fuerunt prouidam in ecclesiis consuetudinem tradiderunt, hodiéque in Romana ecclesia (quæ magistra est omnium ecclesiarum) impræetermissè seruatur, ita vt nullus sacerdos maiori suo interueniente consacerdote cuilibet rei benedicere nitatur. Sed & anterior stans ad pronunciandum aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet benedicere. Cur hoc? Nunquid benedicere peccatum est? Absit. De maledicis enim, non benedicis dicit Apostolus: Quia regnum Dei non possidebunt. Sed per hoc innuitur quantæ censuræ fræno inferiores quique ad suos iudicandos præpositos coërcendi sunt, si his nec etiam benedicendi ius, illum pœnitus obtineant.

dist.21.c.denique. Hebr.7.

1.Cor.6.

De puero

In rescriptis Nicolai i. tit.13 c. 2.

De puero sine propria voluntate cucullato. Nicolaus Papa i. omnibus Episcopis in regno Ludouici.

¶ CAP. 356.

20. q. 3. c. praesens clericus.

Præsens clericus nomine Lambertus, vnà cũ patre suo nomine Atho, quondam videlicet comite, nunc autem clerico, ad limina Apostolorum properans adiit præsentiam nostram, asserens qualiter idem pater eius in laicali adhuc * habitu in prædiis propriis ædificasset monasteria, duo voluntatem gerens, vt post suum discessum præsens filius eius Lambertus in locum ei succederet. Quem infra teneram ætatem inter viij. & xi. annum constitutum, memoratus pater proprio arbitrio absque regulari institutione extra omnem voluntatem illius cucullam induit. Igitur post quoddam ipsius temporis spatium, vt ipse dicit, Salomon episcopus cum cum quibusdam aliis eidem Lamberto, absque patris oblatione vel Abbatis percepta benedictione, monasticum illum induere fecit habitum, vt fertur, inuitum, & sub hac occasione paterna seu materna hereditate à fratribus suis priuatum esse, atque contra omnem (vt dictum est) voluntatem suam quasi regularem illum monachum permanere voluit. Super qua re diligenti cura inuestigantes, etiam sub adiuratione patrem ipsius si verum diceret, interrogauimus. Sed idem clericus Atho respondit se talem habuisse & habere voluntatem, vt suus filius verus monachus fuisset, & in locum ei successisset. Sed sub testificatione iureiurando firmabat, quòd quando primitus ei cucullam induit, idem Lambertus semper restitit & nunquam se monachum fieri consensit, sed demum ab insequentibus monachico habitu violenter indutus fuerit, asserens quia nunquam regulam aliquando promisit, neque ego pater eius * palla altaris inuolutum illum obtuli, neque à quocumque sacerdote vel abbate (vt mos deposcit) benedictione percepta regulæ vnquam *subactum fuisse monachum. Super his omnibus etiam protestatus est præfatus clericus Atho, quia si eo tempore tam duræ obseruantiæ monasticam intellexisset regulam, nunquam eundem filium suum Lambertum coegisset portare cucullam. Quapropter Psalmographi consultè verba recolentes, quibus voluntariè se Deo sacrificare pronunciat, & voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat: præsentem, vt dictum est, clericum nomine Lãbertum minimè debere existimauimus sub tali violentia fieri monachum. Quod enim quis non elegit, nec optat, profectò non diligit. Quod autem non diligit, facilè contemnit. Nullum quippe bonum, nisi voluntariũ. Idcirco & Dominus non ferendã in via virgam, per quã violẽtia vlli inferatur, præcepit. Quapropter consultius agitur, si piis suasionibus contemptũ mũdi, & amorẽ Dei prædicãdo, quàm violentiã inferendo ad cœlestem amorẽ illum accenderitis. Vnde omnium vestrûm charitati hãc nostri Apostolatus mandare decreuimus epistolã, monentes atque præcipientes, quatenus si ita est verum, vt isti dicunt, nullus episcopus vel Abbas seu monachorum reliquorum conuentus monasticis illum regulis inuitum subiacere compellat: neque vllo modo fratres illius per hanc occasionem licentiam habeant paterna seu materna illum (quod absit) hereditate priuare, sed vsque dum diuina inspiratione compunctus propria voluntate regulis se subdat, liceat illum à mundanis, & laicalibus remotum vagationibus vel negotiis inter religiosos & ecclesiasticos viros in canonica degere vita. Non enim putamus (quod absit) religiosos canonicos à sanctorum monachorum vita & consortio seiunctos, quia vnusquisque secundùm Apostolum propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. *1. Cor. 3.*

Marginal notes: * ordine orig. — * al. pallio alt. indutum. — * se fieri monachũ subiectum promisit. — *Psal. 53. Psal. 118.* — *Matth. 10.*

Quòd clericus à suo excommunicatus episcopo ab alio episcopo non est recipiendus. Ex concilio Sardicensi, cap. xvi. ¶ CAP. 357.

Osius episcopus dixit: Si hoc quoque omnibus placet, vt siue diaconus, siue presbyter, siue quis clericorum ab episcopo suo fuerit communione priuatus, & ad alterum perrexerit episcopum, & scierit ille ad quem confugerit, eum ab episcopo suo fuisse abiectum, non oportet vt ei communionem indulgeat. Quod si fecerit, sciat se conuocatis episcopis causam esse dicturum. Vniuersi dixerunt: Hoc statutum & pacem seruabit, & concordiam custodiet.

Vt clerici episcopis suis subiecti sint. Ex concilio Chalcedonensi. cap. viij. *Actione 15.*

¶ CAP. 358.

Clerici in * parœciis, & in monasteriis, aut martyriis constituti, sub potestate sint eius, qui in ea est ciuitate episcopus, secundùm traditionem sanctorum patrum, nec per præsumptionem recedant à suo episcopo. Eos verò qui ausi fuerint rescindere huiusmodi institutionem quocunque modo, vel si noluerint subiacere proprio episcopo, siquidem fuerint clerici personarum ordinatione, subiaceant condemnationibus canonum.

Marginal notes: * Ptochiis orig. — *18 q. 2. c. quidam monachi*

De eadem re. Ex eodem. *Ibidem sed ex alia versione.*

¶ CAP. 359.

Clerici qui pauperum dispositioni vel monasteriorum vel martyriorum præsunt, sub potestate singularum ciuitatum episcoporum, secundùm sanctorum canonum traditionem perdurent, nec per suam temeritatem episcopi sui moderationem declinent. Qui autem huiusmodi dispositionem quolibet modo subuertere ausi fuerint, & episcopo suo non obedierint, si quidẽ clerici fuerint, canonicæ dãnationi subiaceant, si autem monachi aut laici sint, à communione suspendantur.

Quòd non oporteat clericos prætermisso episcopo ad sæcularia iudicia commeare. Ex eodem conc. c. ix. ¶ CAP. 360.

Si clericus aduersus clericum habeat negotium, non relinquat suum episcopum, & ad sæcularia iudicia concurrat; sed prius negotium agitetur apud proprium episcopum, vel certè (si fuerit iudicium ipsius episcopi) apud arbitros ex vtraque parte electos audiatur negotium. Si quis verò contra hæc fecerit, canonum subiacebit correctionibus. Et si clericus aduersum suũ seu alium episcopum habeat causam, apud audientiam Synodi prouinciæ * conqueratur. Si verò contra ipsius prouinciæ metropolitanum episcopum episcopus siue clericus habeat controuersiam, pergat ad ipsius diœcesis Primatem, aut certè ad Constantinopolitanæ regiæ ciuitatis sedem, vt eorum ibi proprium negotium exquiratur.

Marginal notes: *11 q. 1. c. si clericus* — * cõquirat orig.

Quòd minimè liceat clericis transmigrare in aliam ciuitatem, nisi pro persecutione. Ex eodem concilio, c. xx. ¶ CAP. 361.

Clericos in singulis ecclesiis constitutos, sicut iam decreuimus, non licere in alterius ciuitatis ecclesiis ordinari, sed acquiescere in ea in qua ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis qui proprias ciuitates perdiderunt, & ex necessitate ad alias ecclesias migrauerunt. Si verò quicunque episcopus post definitionem istam ad alium episcopum pertinentem clericum susceperit, placuit sanctæ Synodo & hunc qui suscipit, & eum qui susceptus est, tamdiu excommunicatos manere, quamdiu ipse clericus ad propriam reuertatur ecclesiam.

Vt clerici publica iudicia non appellent. Ex concilio Carthaginensi iij. cap. ix. ¶ CAP. 362.

11. q. 1. c. placuit. De diuersis ordinibus ecclesiæ seruientibus, vt si quis in causam criminis incurrerit, & abnuerit iudicium ecclesiasticum, debeat periclitari: vt & filij sacerdotum spectacula sæcularia non adeant. Item placuit vt quisquis episcoporum, presbyterorum & diaconorum, seu clericorum, cùm in ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat: & hoc in criminali * actione: In ciuili verò perdat quod euicit si locum suum obtinere * maluerit.

* iudicio orig.
*voluerit orig.

Quid agendum sit si prouocatum fuerit de ecclesiasticis, ad alios ecclesiasticos iudices. Ex eodem, cap. x. ¶ CAP. 363.

2. q. 6. cap. placuit. Hoc etiam placuit vt à quibuscunque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos, vbi est maior authoritas, fuerit prouocatum, nō eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauatos esse. Sanè si ex consensu partium iudices electi fuerint, etiam à pauciore numero quàm constitutum est, non liceat prouocari. 2. q. 6. c. sane.

Qui ad testimonium non sint admittendi. Ex concilio Carthaginensi vij. c. iv. ¶ CAP. 364.

2. q. 1. c testes autem. Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem infra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur.

Quòd electorum iudicum sententia sperni non debeat. Ex concilio Mileuitano, c. xxiv. ¶ CAP. 365. Mileuit. 2.

2 q. 6. c. à iudicibus. A iudicibus autem quos communis consensus elegerit, non liceat prouocare. Et quisquis probatus fuerit * pro contumacia nolle obtemperare iudicibus, cùm hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det literas, vt nullus ei communicet episcoporum, donec obtemperet.

*percont. orig.

De contumacibus clericis, & ad officium tardis. Ex conc. Agathensi, cap. ij. CAP. 366.

dist. 50 cap. cōtumaces. Contumaces verò clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab episcopis corrigantur. Et si qui prioris gradus elati superbiâ, communionem fortasse contempserint, aut ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita vt cùm eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatémque recipiant.

Vt clericus inconsulto episcopo suo ad sæcularem iudicem non pergat. Ex eodem concilio, c. xxxij. ¶ CAP. 367.

Clericus nec quenquam præsumat apud sæcularem iudicem, episcopo non permittente pulsare: sed qui pulsatus fuerit non respondeat, nec proponat, nec adeat criminale negotium in iudicio sæculari. Si quis verò sæcularium per calumniam ecclesiam, aut clericum fatigare tentauerit, & victus fuerit, ab ecclesiæ liminibus, & catholicorum communione, nisi dignè pœnituerit, arceatur. 11 q. 1 & ... c. Clericum.

Quòd liceat presbytero vel diacono à communione suspenso, si necesse fuerit baptizare. Ex concilio Aurelianensi, c. vij. ¶ CAP. 368. Conc. Aurel. 1. cap. 14.

Si diaconus vel presbyter pro reatu suo se ab altaris communione, sub pœnitentis confessione submouerint, sic quoque si alij defuerint, & causa certæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare. dist 81. c. Si diaconus.

Vt clerici si quid præstiterint sine vsura recipiant. Ex concilio Tarraconensi, c. iij. ¶ CAP. 369. Sub Hormisda.

Si quis clericus in necessitate solidum præstiterit, hoc de vino, vel de frumento accipiat, quod mercandi causâ tempore statuto decretum fuerit vænundari. Cæterum si speciem non habuerit necessariam, ipsum quod dedit sine vllo augmento recipiat. 14 q. 4. c. Si quis clericus.

Vt nullus clericorum seruum vel discipulum suum ab ecclesia extrahere audeat. Ex concilio Hilerdensi, c. viij. ¶ CAP. 370.

Nullus clericorum seruum aut discipulum suum ad ecclesiam confugientem extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Quod si fecerit, donec dignè pœniteat, à loco cui honorem non dedit * sequestretur. 17 q. 4. c. nullus Cler.

* segregetur. orig.

De clericis qui monachorum propositum appetunt. Ex concilio Toletano, cap. liv. ¶ CAP. 371. Conc. Tol. 4 cap. 49.

Clerici qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. 19. q. 1. c. clerici qui.

Ne stipendia clericorum à iure alienentur ecclesiarum. Ex concilio Toletano vij. c. v. ¶ CAPVT 372. Tolet. 6.

Sæpe fit, vt proprietati originis obsistat longinquitas temporis. Quapropter prouidentes decernimus, vt si quis clericorum stipendium de rebus ecclesiæ cuiuscunque episcopi percipit largitate, sub precariæ nomine debeat professionem scribere, nec per retentionem diuturnā præiudiciū afferat Ecclesiæ, & quæcunque in vsu perceperit, debeat vtiliter laborare, vt nec res diuini iuris videantur aliqua occasione negligi, & subsidiū ab ecclesia cui deseruiūt, percipere possint clerici. Quod si quis eorū cōtēpserit facere, ipse se stipēdio suo videbitur priuare. 12. q. 2. cap sæpe fit.

Quòd clericis seruis ecclesiarum dare debeant episcopi libertatem. Item ex concilio Toletano ix. cap.ix. ¶ CAP. 373.

dist.54 ca. qui ex familijs.

Qui ex familiis ecclesiæ seruituri deuocantur in clerum, ab episcopis suis libertatis necesse est vt percipiant donum: & si honestæ vitæ claruerint meritis, tunc demum maioribus fungãtur officiis. Quos verò flagitiis ordinauerit incorrigibilis noxa, perpetua seruitus conditionis religet in cathena.

Ex decretis Martini Bracarensis.

De eunuchis qui ab aliis fiunt, vel qui sibi naturalia abscindunt. Ex decretis Martini Papæ, c.xxi. ¶ CAP. 374.

dist 55 .c.Si quis per ægritudinem.

Si quis pro ægritudine naturalia à medicis habuerit secta: similiter & qui à Barbaris aut dominis stultis fuerint castrati,& moribus digni fuerint visi, hos canõ admittit ad clericatus officium promoueri. Si quis autem sanus non per disciplinam religionis & abstinentiæ, sed per abscissionem plasmati à Deo corporis, existimãs posse à se carnales concupiscentias amputari, castrauerit se, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium. Quod si iam antè fuerat promotus ad clerum, prohibitus à suo ministerio deponatur.

Quòd non liceat Diacono ante presbyterum sedere cap.xl. ¶ CAP. 375.

Non liceat ante presbyterum diacono sedere, nisi cum iussione presbyteri.

cap 39.

Vt ordinandus ad diaconatum matrimonio renunciet, cap.xli. ¶ CAPVT 376.

dist.27.c. diaconus qui.

Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit se non posse in castitate permanere, hic nõ ordinetur. Quòd si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desiderauerit, alienus sit à ministerio, & vacet à clero.

ibid.c.41.

Quòd non liceat cuilibet vasa dominica tangere. Ex eodem conc. cap. xlij. ¶ CAP. 377.

dist.23.c.nõ liceat.

Non liceat quemlibet ministeria tangere, nisi subdiacono, aut acolyto in secretario vasa dominica.

De tondenda coma clericorum & habitu ornato. Ex eodem conc. cap. lxvi. ¶ CAP. 378.

dist 23 c.nõ oportet

Non oportet clericos comam nutrire & sic ministrare, sed attonso capite patentibus auribus, & secundùm Aaron talarem * tunicam induere, vt sint in habitu ornato.

* vestem orig.

Epist.19.

De non ordinandis inuitis vel deijciendis immeritis. Gregorius Papa Natali episcopo in primo libro Registri. ¶ CAP. 379.

dist 74 ca. gesta quæ.

Gesta quæ nobis in concilij vestri confecta secretario direxisti, in quibus Archidiaconus honoratus addicitur, plena esse cognouimus seminé iurgiorum, cùm vno eodémque tempore vna persona nolens ad sacerdotij ordinem prouehitur, quæ tanquam immerita a diaconatus officio remouetur. Et sicut iustum est vt nemo crescere compellatur inuitus, ita censendum puto, similiter, ne quisquam insons ab ordinis sui ministerio deijciatur iniustè.

Li.1.ep 42.

Quid agendum sit de rebus lapsorum clericorum Gregorius Petro subdiacono. ¶ CAP. 380.

16.q de lapsis.

De lapsis sacerdotib⁹, vel Leuitis, vel quolibet, ex clero obseruare te volumus, vt in rebus eorũ nulla contaminatione misceearis: sed pauperrima regularia monasteria require, quę secundũ Deum viuere * sciuntur: & in eisdem monasteriis ad pœnitentiam lapsos trade: vt res lapsorum in eodem loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur: quatenus ipsi ex rebus eorum subsidium habeant, qui de correctione eorum sollicitudinem gerunt. Si verò parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur, ita tamen vt eorum stipendia qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeant procurari. Si qui verò ex familia ecclesiastica sacerdotes vel Leuitę, vel monachi, vel Clerici, vel quilibet alij lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus: sed res eorum Ecclesiastico iuri non subtrahi. Ad vsum tamen suum accipiant vnde ad pœnitentiam subsistant, ne si nudentur, locis in quibus * damnati fuerint, onerosi sunt.

* sciunt orig. * dati orig.

Quæ pœna sequatur occultè infamantem. Gregorius clero & populo Rauennæ in libro sexto Registri. ¶ CAP. 381.

L.5.ep.30.

* Quia maligni spiritus consilio repletus, contra Castorium notarium ac responsalem nostrũ nocturno silentio in ciuitatis loco contestationẽ posuit in eius crimen loquentem, mihique etiam de facienda pace callidè contradicentem. Et quia quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare, oportet vt publicè exeat, & quæcunque in contestatione sua loqui præsumpsit, ostendat. Quòd si non exierit, neque publicè confessus fuerit, quisquis ille sit qui hoc agere præsumpsit, vel consensum in tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex Dei & Domini nostri Iesu Christi * sententia definimus, vt sancti eius corporis & sanguinis participatione priuatus sit. Si verò quia latet, & quoniam nescitur, teneri à disciplina non valet, si tanti mali conscius, & prohibitus, corpus & sanguinem Domini percipere præsumit, anathematis vltione percussus vt fallax ac pestifer, à sanctę ecclesię corpore sit diuisus. Si quis autem fortasse talis est, quem nos huius facti authorem ac participem esse nescientes, ad eum bona optantes epistolas transmittamus, ipsa pro eo apud omnipotentem Deum deprecatio sit vacua. Sin autẽ in eadem ciuitate egressus ad publicum, potuerit docere quæ dixit, vel certè sciens se non posse quę scripsit ostẽdere, errorẽ suum fuerit apertè confessus, dominici corporis & sanguinis participatione non sit priuatus, neque à sanctæ ecclesiæ corpore alienus existat, quia nos apud omnipotentem Deum ex nostris quotidie culpis agnoscimus, vt quamuis seruato disciplinæ moderamine, aliorum tamen erratibus parcamus.

* Quidã orig. * spiritu orig.

De bigamis & concubinarijs. Hieron. in epist. ad Oceanum. ¶ CAP. 382.

Tomo 2. incipit Sophronius Eusebius. Leuit. 21.

Nullo pacto digamos vel concubinarum catenis insertos decet subire ministerium. In leuitico scriptum est, ac pręfinitum quales eligi debeant sacerdotes. Sic habes: Et dixit Dominus ad Moysen: Sacerdos vxorem accipiat virginem de semine patrum suorum: viduam verò & & destitutam, aut à viuo marito derelictam non accipiat. Benè audiui pręcipiente Domino Moysi, quia nec vxor debet sacerdoti digama conuenire, ne honorem poluat sacerdotij. Sicut vnius vxoris virum, sic vnius viri mandat vxorem. Si ergo clericus monogamus fuerit, & vxor eius digama noli eum ministerio applicare:

Titum 1. digamam enim duxit vxorem. Hæc Tito præcepta Apostolus de ordinandis clericis dedit. Et quia liber finem expectat, ad id redeamus vnde digressi sumus. Nec si duæ aut tres pariter Dei ancillæ morentur, solum ad eas decet ingredi sacerdotem. Si quis hæc præcepta non obseruauerit, hostis est animæ suæ. Quòd si post nostra monita, agapetas aliquis clericus amplius quæsierit amare quàm Christum, secundùm synodalem regulam conueniatur, & præcepta patrũ in Nicæa diffinita ei legantur. Iam verò si conuersus prædicta reliquerit, consequuti sumus maximum lucrum. Alioquin talis ab ecclesia anathematizandus est. Germinant enim fœminæ cum viris habitantes spinas, & arcana mentium acuto mucrone percutiunt. Proh nefas. Dolor est dicere, sed præterire non decet Christo istæ vouerunt nubere, non clericis.

Cap. 5. *Vt Christiani scholastici solœcismos quorundam tolerent sacerdotum. Augustinus ex libro de catechizandis rudibus.*

¶ CAP. 383.

dist. 38 c sedulò mon. Sedulò monendi sunt scholastici, vt humilitate induti Christiani discant non contemnere, quos cognouerint morum vitia quàm verborum amplius deuitare: & corde casto linguam exercitatam nec conferre audeant, quam etiam Paulò post. præferre consueuerant. His enim maximè vtile est nosse ita esse præponendas verbis sententias, vt præponitur animus corpori. Ex quo fit, vt ita malle debeant veriore, quàm disertiores audire sermones: sicut malle debent prudentiores, quã formosiores habere amicos. Nouerint etiam nõ esse vocem ad aures Dei, nisi amici affectum. Ita enim non irridebunt si aliquos Antistites & ministros ecclesiæ fortè animaduerterint, vel cum barbarismis & solœcismis Deum inuocare, vel eadem verba quæ pronunciant non intelligere, perturbatéque distinguere: non quia ista minimè corrigenda sunt, vt populus ad id quod planè intelligit, dicat Amen: sed tamen piè toleranda sunt ab eis qui didicerint, vt sono in foro, sic voto in ecclesia benedici. Itaque forensis illa nonnunquam fortè bona dictio, nunquam tamen benedictio dici potest.

Epist. 109. ad Monachas. *Pro excessu correctionis non esse veniam petendam à subditis Augustinus de vita clericorum.*

¶ CAP. 384.

dist 86 c. quando nec. * minoribus, Orig. Quando necessitas disciplinæ * moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, si etiã in ipsis modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis: ne apud eos quos oportet esse subiectos, dùm nimium seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium domino, qui nouit eos quos plus iusto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis.

Epist 50. nõ ita procul à fine. *Cur permittuntur fungi officiis suis reuertentes ab hæresi. Idem in epistola ad Bonifacium.*

¶ CAP. 385.

23 q. 4 c. ipsa pietas. Si inquiunt, oportet, vt nos extra ecclesiam & aduersus ecclesiam fuisse pœniteat, vt salui esse possimus: quomodo post istam pœnitentiam apud vos clerici vel etiam episcopi permanemus? Hoc non fieret, quoniam reuera (quod fatendum est,) fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur. Sed sibi hoc dicant & multò maximè humiliter doleant qui in tanta morte præcisionis iacent, vt isto quodam vulnere matris catholicæ reuiscant. Cùm enim præcisus ram⁹ inseritur, fit aliud vuln⁹ in arbore, quo possit recipi vt viuat, qui sine vita radicis peribat. Sed cũ receptus recipienti coaluerit, & vigor consequitur & fructus: Si autem non coaluerit, ille quidem arescit, sed vita arboris permanebit. Est enim & tale inserendi genus, vt nullo præciso ramo qui intus est, ille qui foris est inseratur, non tamen nullo, sed vel leuissimo arboris vulnere. Ita ergo & isti cùm ad radicem catholicam veniunt, nec eis quamuis post erroris sui pœnitentiam honor clericatus, aut episcopatus aufertur: fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris, contra integritatem seueritatis: veruntamen quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, ad Dei misericordiã 1. Cor 3. precibus fusis coelescente insitorũ pace ramorum: charitas cooperit multitudinem peccatorum.

Cur publicè pœnitentes non sint in clericatu. Item ibidem. Consequẽte

¶ CAP. 386.

Vt enim constitueretur in ecclesia ne quisquã dist. 50. c. constitueretur. post alicuius criminis pœnitẽtia clerum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu permaneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claues datas ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est: Quæ solueritis in terra: soluta erunt in cœlo. Sed ne forsitan etiam de cæteris crimi- Matth. 16. nibus spe honoris ecclesiastici, animus intumescens superbè ageret pœnitentiam, seuerissimè placuit, vt post actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo sit clericus, vt desperatione temporalis altitudinis medicina maior & verior esset humilitatis. Nam & sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum quãdo amarissimas lachrymas fudit, vtique dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mãsit. Sed non ideò superuacua putanda est posteriorum diligentia, qui vbi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias, per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas inuenire medicinas, multorum experimenta morborum. Verum in huiusmodi causis, vbi per graues dissentionum scissuras, non huius aut illius hominis est periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis charitas sincerè subueniat.

Cur Donatistæ correcti ministrare permissi sint. Ibidem. Paulò post.

¶ CAP. 387.

Hoc erga istos ab initio seruauit Africana Catholica ex Episcoporum sententia, qui in ecclesia Romana inter Cæcilianum & partem Donati iudicauerunt, damnatóque vno quodam Donato qui author schismatis fuisse manifestatus est, cæteros correctos, etiamsi extra ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt: non quò etiam foris ab vnitate corporis Christi possent habere spiritũ sanctum, sed maximè propter eos quos foris positi possent decipere, & à susceptione illius muneris impedire: deinde vt etiam ipsorum infirmitas lenius excepta intus sanabilis fieret: iam nulla pertinacia claudente oculos cordis, aduersus euidentiam veritatis.

Epist. 137. *De præiudicio vitando. Idem in epistola ad clerum, & vniuersam plebem ecclesiæ Hipponensis.*

¶ CAP. 388.

2. q. 1 c. nomen presbyteri. Nomen presbyteri propterea non ausus sum de numero collegarum eius vel supprimere vel delere, ne diuinæ potestati, sub cuius examine causa adhuc pendet, facere viderer iniuriam, si illius iudicium meo vellem iudicio præuenire. Quod nec in negotiis sæcularibus iudices faciunt, quando causæ dubitatio ad maiorem potestatem refertur: vt pendente relatione aliquid audeant commutare. Et in episcoporum concilio constitutum est, nullum clericum, qui nondum conuictus sit, suspendi à communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentauerit.

Epist. 148. *De onere presbyterij. Augustinus in epistola ad Valerium Episcopum.*

¶ CAP. 389.

Dist 40. c. ante omnia. Domino beatissimo & venerabili, & in conspectu Domini sinceriter charissimo patri Valerio Augustinus Presbyter in Domino salutem. Ante omnia peto, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore facilius & leuius, & hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius & tristius & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet. Quis autem iste sit modus, nec à pueritia, nec ab adolescentia mea didici. Et eo tempore quo discere cœperam, vis mihi facta est, merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem nescio, vt secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noueram.

Epist 169. *De inordinato accessu sanctimonialium. Augustinus in epistola ad Eusebium.*

¶ CAP. 390.

14. q. 1. Subdiaconus. Subdiaconus quondam Spaniensis ecclesiæ, vocabulo Primus, cùm ab accessu indisciplinato sanctimonialium prohiberetur, atque ordinata & sana præcepta contemneret, à clericatu remotus est.

Proximè post. *Vt transiens ab hæreticis in humilitate pœnitentiæ recipiatur. Idem in eadem epistola.*

¶ CAP. 391.

Ego, si Domino placet, istum modum seruo, vt quisquis apud eos propter disciplinam degradatus ad catholicam transire voluerit, in humiliatione pœnitentiæ recipiatur, quo & ipsi eum forsitan cogerent, si apud eos manere voluisset.

Epist. 174. *Vt quisque alterius iudicium suscipiat, quod ipse de alio iudicare velit. August. in epistola ad Pascentium comitem Africanum.*

¶ CAP. 392.

2. q 6. c. Iniquum est. Iniquum est, vt quisque iudicare de alio velit, & iudicari de se nolit.

Epist. 9. li 1. eius epist. 6. *Ne clerici sæcularia negotia tractent. Epistola Cypriani ad presbyteros & diaconos, plebemque Furnensem.*

¶ CAP. 393.

21 q 3. c Cyprianus. Cyprianus presbyteris & diaconibus & plebi Furnis consistentibus salutem. Iam pridem concilio episcoporum statutum est, ne quis de clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo *nominauerit: quoniam singuli *constituat *orig.* diuino sacerdotio honorati, & in clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deseruire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: Nemo militans Deo, obligat se molestiis sæcularibus, vt possit placere ei cui se probauit. 2. Timot. 2. Quod episcopi antecessores nostri religiosè considerantes & salubriter prouidentes, censuerunt, ne quis excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. *Post aliquot versus.* Neque enim apud altare Dei *meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros *voluit auocare. *merentur *volunt

De eadem re. Ex eadem epistola.

¶ CAP. 394.

Ibidem aliquanto superius. 21 q. 3. cap. Mollitiis. *Mollitiis & sæcularibus rebus laqueisque obligari non debent, qui diuinis rebus & spiritualibus occupati sunt, nec ad terrenos & sæculares actus vacare. *molest. & laq. sæcul. orig.

Item de eodem. ¶ CAP. 395.

Ibidem paulò inferius. 21 q. 3. c. hi qui in ecclesia. Hi qui in ecclesia Domini adordinationem clericalem promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur: *ne molestiis & sæcularibus negotiis alligentur: nec ab altariis & sacrificiis recedant, sed die ac nocte cœlestibus rebus & spiritualibus seruiant. *nec

De eadem re. Idem. ¶ CAP. 396. *Ibid. in calce epist.*

Sacerdotum decretum religiosè & necessariè factum seruetur à nobis. Simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis sacerdotes & ministros Dei altari eius & ecclesiæ vacantes, ad sæculares molestias deuocet. Obseruari enim de cætero poterit, ne quis vltrà hoc faciat circa personam clericorum, si quod nunc factum est, fuerit vindicatum.

Qui Clerici recipiendi sint post lapsum, qui non. Isidorus ad Massonem episcopum. *Inter opera D. Isidori. De lapsu sacerdotis & reparatione.*

¶ CAP. 397.

Quod in epistolis venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla est in huiusmodi sententiis decretorum diuersitas intelligenda, quod alibi legitur in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post pœnitentiam, alibi post huiusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui * *honoris meritum. Hæc diuersitas hoc modo distinguitur. Illos enim ad pristinos officij gradus redire canon præcepit, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio, & digna peccatorũ confessio. At contrà hi qui nec à vitio *corruptionis emendantur, atq; hoc ipsum carnale delictum quod admittũt vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum vtique honoris, nec gratiã communionis accipiunt. Ergo ita est vtraque dirimenda sententia, vt necesse sit illos restaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam meruerunt reconciliationem diuinæ pietatis. Nec immeritò hi consequuntur *adeptæ dignitatis statum, qui per pœnitentiam recepisse noscuntur vitæ remedium. * ordinis *orig.* & *vict.* *correpti *orig.* * ademptæ *or.*

Quare septem anni abstinentiæ pœnitentibus iniungantur. Ibidem.
¶ Cap. 398.

Nec ipsum quod canonum censura post septem annos remeare pœnitentem in statum pristinum præcipit, electione proprij arbitrij, sed potius sancti patres ex sententia diuini iudicij sanxerunt. Nam legitur quod Maria soror Aaron prophetissa dum detractionis aduersus Moysen incurrisset delictum, ilico stigmate lepræ * percussa est: Cúmque peteret Moyses vt emundaretur, præcepit eam Dominus extra castra septem diebus egredi, & post emundationem rursus eam intra castra admitti. Maria ergo soror Aaron, caro intelligitur sacerdotis, quæ dum superbiæ dedita sordidissimis cogitationum * illecebris maculatur: extra castra septē diebus, hoc est, extra collegium sanctæ ecclesiæ septem annis proiicitur, vbi post emendationē vitiorum, loci vel pristinę dignitatis recipit meritum. *Et post pauca.* In fine autem epistolæ, hoc adiiciendum putaui, vt quotiescunque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius magis teneatur sententia, cuius antiquior & potior extat authoritas.

Num. 12.
* perfusa *orig. & Vict.*
* contagiis *Orig.*

In eius regula, c. 4.

De diligenti inuestigatione iudicij Fructuosi episcopi. ¶ Cap. 399.

Quælibet causa in conuentu omnium fratrū est ventilanda, & iustè ac subtiliter perscrutandame fortè dolositate, & malitia senioris innocens iunior opprimatur. * Rectori iuxta personæ acceptionem, non liceat iudicare, neque aliquē fraudulenter, vel iniustè damnare: sed (vt dictū est) spiritualium vel veridicorum fratrum in huiuscemodi rebus est alia tradenda, & retinenda sententia, qui sibi Dei iudicium ponentes præ oculis, non permittant pessimè opprimere animam innocentis.

* *adde* Ab Abbate vel præposito. *ex or.*

Rabanus c. 1. lib. pœnitentium.

De his qui post ordinationem vel antè, crimina publicè commiserunt. Ex epistola Rabani Archiepiscopi ad Heribaldum, ex concilio Hilerdensi, cap. x. ¶ Cap. 400.

dis. 50. c. de his.

De his verò visum est nobis scribendum, qui sacros ordines habent, & ante vel post ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur. In quibus (vt mihi videtur) hæc distantia esse debet, vt hi qui deprehensi vel capti fuerint publicè in periurio, furto, atque fornicatione, & cæteris huiusmodi criminibus, secundùm sacrorum canonum instituta, à gradu proprio deponantur: quia scandalum est populo Dei tales personas * superpositas habere, quas vltra modum vitiosas esse cōstat. Nempe inde detrahunt homines sacrificio Dei, sicut quondam filiis Heli peccantibus fecisse leguntur: & rebelles hinc atque contrarij existentes eorum prauis exemplis quotidiè peiores fiunt. Qui autem de prædictis peccatis abscondite à se admissis per occultam confessionem coram oculis Dei, præsente etiam sacerdote, qui eis indicturus est pœnitentiam confitentur, & semetipsos grauiter deliquisse queruntur: si se per ieiunia & eleemosynas, vigiliásque & sacras orationes cum lachrymis purgare certauerint, his etiam gradu seruato spes veniæ de misericordia Dei promittenda est.

* super se pos. *Orig.*
1. Reg. 2.

De iniuriis Clericorum, & compositione eorum. Ex libro capitulorum. *l. 5. c. 184.*
¶ Cap. 401.

Si quis ministros ecclesiæ subdiaconum, lectorem, exorcistam, acolytum * iniuriauerit, aut percusserit, vel * plagiauerit, componat hoc tripliciter, sicut solent componere parentes eius. Diaconi verò, presbyteri, atque episcopi iniuria in quadruplum componatur. Reliquorum autem clericorum iniuria componatur sicut parentum eorum. Monachorum quoque qui secundùm regulam in monasterio viuunt, iniuria dupliciter componatur, secundùm genealogiam suam: * & reuerentia sit Deo & ecclesiæ, & pax eis qui illi seruiunt.

* Ostiarium *Orig.*
* *al.* plagauerit
* vt *Orig.*

Quomodo Canonici in claustro viuere debeant. Ex c. 115. lib. v. capitulorum, cap. clxxxv.
¶ Cap. 402.

In omnibus igitur (quantùm humana permittit fragilitas) decreuimus, vt canonici clerici canonicè viuant, obseruantes diuinæ scripturæ doctrinam, & documenta sanctorum patrum, & nihil sine licentia episcopi sui, vel magistri eorum * incompositè agere præsumant. In vnoquoque episcopatu vt simul manducent & dormiant, vbi his facultas id faciendi suppetit: vel qui de rebus ecclesiasticis stipendia accipiunt in suo claustro maneant, & singulis diebus mane * prima ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundùm canones, suis magistris * faciant.

de cons. dis. 5. c. in omnibus.
* compositè *orig.*
* primo
* exhibeant *Orig.*

Vt anathematizentur qui Clericis iniurias inferunt. Ibi. cap. cxci. ¶ Cap. 403.

Quicunque iudex, aut sæcularis presbytero aut diacono, aut cuilibet clerico, aut de iunioribus, absque audientia episcopi vel archidiaconi, aut archipresbyteri iniuriam inferre præsumpserit, anathema ab omnium Christianorum consortio habeatur.

Quid agendum sit de occultè infamantibus. Item.
¶ Cap. 404.

Qui famosam chartam ad cuiuscunque iniuriam & maculam conscripserit in secreto, & in publico affixerit, inueniendámque proiecerit, illum contra quem posita chartula est non nocebit, nec famæ eius aliquid derogabit: sed si inueniri potuerit, qui huiusmodi chartulam fecit, constringatur vt probet quæ scripsit: Qui si etiam quæ scripsit probare non potuerit, fustigetur, qui infamare maluit, quàm accusare.

De presbytero caduco morbo laborante. Alexander ij. Genobardo Iuuanensi archiepiscopo.
¶ Cap. 405.

* Viuacensi, *al.* viennensi *Grat.*

In literis tuis continebatur sic. Hic clericus ordinem habet presbyterij, sed quia caduco morbo laborat, & ipsi hoc impræsentiarū agnouimus, non ausi fuimus ei concedere, vt offerret, vel Missam celebraret. Quia verò languor non in culpa est, super hac re authoritatis nostræ decreto * consulendum deliberauimus. Cōsulimus itaque vt si frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione omnimodis & Missarum celebratione prohibeatur. Indecens enim est & periculosissimum, vt hoc ei accidat, quatenus in consecratione Eucharistiæ morbo victus epileptico cadat. Si verò Dei misericordia conua-

7 q. 2. c. in literis.
* consulendo *Gratian.*

fuerit, quandoquidem non culpa sed infirmitas est in causa, cum sacrificare iam non interdicimus.

*De ordinatis ab excommunicatis. Vrbanus secundus * Gebbardo Constantiensi episcopo.* ¶ CAP. 406.

* Gebeardo.

9.q.1 c ab excommunicatis.

Vt ab excommunicatis quondam tamen catholicis episcopis ordinatos, siquidem simoniacè ordines ipsos non acceperint, & si episcopos ipsos simoniacos non fuisse constiterit, ad hoc si eorum religiosior vita & doctrinæ prærogatiua visa fuerit promereri, pœnitentiâ indictâ quam congruam duxeris, in ipsis quos acceperunt ordinibus, permanere permittas. Ad superiores autem ascendere non concedimus, nisi necessitas & vtilitas maxima flagitauerit, & ipsorum sancta conuersatio promeruerit, & hoc tamen ipsum rarius cum cautela est præcipua concedendum.

De modo reconciliandi. Idem Anselmo Mediolanensi archiepiscopo. ¶ CAP. 407.

Epist. 4.

Discretioni nostræ videtur, quatenus secundùm præcepti nostri tenorem, quando secundùm Ecclesiæ vestræ morem sacros daturus quibuslibet aliis ordines, benedicere cœperis, eos quos tua duxerit solertia reconciliandos, inter benedicendum & manus imponendum facias interesse, quibus cætera omnia consecrationis instrumenta præter vnctionis explebis, & sic ad sancta ministeria reconciliabis.

Vt nullus sæcularis super clericos habeat potestatem. Vrbanus ij. Radulpho comiti. ¶ CAP. 408.

Epist. 14.

Nosse te volumus quia nulli sæculari Domino potestatem in clericos habere licet; sed omnes clerici episcopo soli esse debent subiecti. Quicumque verò aliter præsumpserit, canonicæ proculdubio sententiæ subiacebit.

*De eo qui sine subdiaconatu factus est diaconus. Alexander secundus * Rumaldo Constantiensi episcopo.* ¶ CAP. 409.

* Grimaldo.

dist. 52 c. sollicitudo.

Sollicitudo dilectionis tuæ studuit consulere, vtrum portitor istarum literarum diaconatus & presbyteratus officium sit idoneus peragere, necne: cùm ad id præpropero cursu videlicet sine subdiaconatus ordine, negligentiâ potius quàm superbiâ cognoscatur ascendisse. Vnde nos consulendo charitati tuæ, mandamus, vt ab officio sacerdotali eum prohibeatis, donec proximo quatuor temporum ieiunio subdiaconatus ministerium sibi ritè imponas, & sic deinceps ad maiora officia eum redire concedas.

De filiis sacerdotum. Decretum Gregorij vij, & Vrbani ij. ¶ CAP. 410.

Conc. Melfitanum c. 14. dist 56 c. presbyterorum.

Presbyterorum filios à sacri altaris ministeriis remouendos decernimus, nisi aut in cœnobiis, aut in canonicis * regularibus religiosè probati fuerint conuersari.

* reg. non habetur in orig.

De stabilitate canonicorum regularium. Vrbanus ij. Abbati S. Rufi. ¶ CAP. 411.

Statuimus ne professionis canonicæ quispiam, postquam Dei vice super caput sibi hominem imposuerit, alicuius leuitatis instinctu, vel districtioris religionis obtentu ex eodem claustro audeat sine Abbatis totiusque congregationis permissione discedere: discedentem verò nullus Abbatum, vel episcoporum, & nullus monachorum, sine communi literarum cautione, suscipiat.

De ordinatis à non suis episcopis. Vrbanus Hugoni Lugdunensi episcopo. ¶ CAP. 412.

Lugdunensis * Ecclesiæ clericos, quos contra statuta canonum ab alterius parœciæ episcopis ordinatos literarum tuarum significatione monstrasti, cum graduum suorum honore recipere religionis tuæ poterit prudentia, si eos aliàs canonicè & sine prauitate aliqua constiterit ordinatos; si tamen eorum vitam probabilem id indulgentiæ perspexeris promereri. Legimus quippe sanctum Epiphanium episcopum è diœcesi sancti Ioannis Chrysostomi quosdam clericos ordinasse. Quod sanctus vir omnino non fecisset, si eis detrimentum fore perpenderet. Quos ergo recipiendos moderatio tua arbitrata fuerit, iniuncta satisfactionis gratia, propter ecclesiam quam offenderunt, congrua pœnitentia, miserationis intuitu, in suo quemque honore recipies, salua in omnibus sanctorum canonum disciplina.

9.q 2.c. Lugdunensis. * Parochiæ Gr. & vict.

Vide Socratë ecclesiasticæ historiæ li. 6. c. 11 & 13.

Non obesse inhonestatem parentum filijs honestè viuentibus. Hieronymus in Epistola contra Rufinum. ¶ CAP. 413.

L. 2. Ep ad Pammach. aduersus errores Ioannis Hierosolym.

Nasci de adulterio non est eius culpa qui nascitur, sed illius qui generat. Quomodo in seminibus non peccat terra, quæ confouet: non semẽ quod in sulcis iacitur: non humor & calor quibus temperata frumenta in germen pullulant, sed verbi gratiâ, fur & latro qui fraude & vi eripit semina. Sic genus humanum recipit terra (id est vulua) quod suum est, & receptum confouet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit: & inter illas sacri ventris angustias Dei manus semper operatur, idémque est corporis creator & animæ. Noli despicere bonitatem figuli, qui te plasmauit & fecit vt voluit: ipse est Dei virtus, & Dei sapientia quæ in vtero Virginis ædificauit sibi domum. Iephte inter viros sanctos apostoli voce numeratus meretricis est filius. Esau ex Rebecca & Isaac hispidus tam mente quàm corpore, quasi bonum triticum in lolium auenasque degenerat, quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis causa vitiorum est atque virtutum.

dist. 56 c. nasci de adulterio hic variat ordo capitum in Victor.

1. Cor. 1.

Heb. 11. Iudi. 11. Gen. 25.

De eodem Chrysostomus super Matthæum homilia iij. ¶ CAP. 414.

Ad locum Mat Iudas autẽ genuit Phares c 1. dist. 56. c. nunquam.

Nunquam de vitiis erubescamus parentum, sed vnum illud quæramus semper, amplectamúrque virtutem. Huiusmodi enim etiamsi alienigenam habeat matrem, etiam si fornicatione pollutam, vel quolibet huiusmodi dedecore sordidatam, nihil tamen de eius aut vilitate fuscabitur, aut crimine polluetur. Quòd si fornicatorem ipsum ad meliora conuersum nequaquam prior vita commaculat, multò magis ex meretrice natus & adultera, si propria virtutẽ decoretur, parentum suorum non decoloratur opprobriis. *Item.* Non est omnino, non est nec de virtute, nec de vitio parentum aut laudandus aliquis aut culpandus, nemo inde verè aut obscurus aut clarus est. Immo etiam (vt consideratius aliquid dicamus ac expressius) nescio quomodo magis ille resplendet, qui natus est ex parentibus à virtutibus prorsus alienis, ipse tamen fuerit de virtute mirabilis.

De eadem sententia Augustini de bono coniugali, cap. xvi. ¶ Cap. 415.

dist 56. c. vndecunque Vndecunque nascantur homines, si parentum vitia non sectentur, & Deum rectè colant, honesti & salui erunt. Semen enim hominis ex qualicunque homine Dei creatura est, & eo malè vtentibus malè erit, non ipsum aliquando malum erit. Sicut autem filij boni adulterorum nulla defensio est * adulterij, sic mali filij coniugatorum nullum crimen est nuptiarum. *adulteriorum *or. & vict.*

Item de eodem. Idem in Epistola ad Hieronymum presbyterum de origine animæ. ¶ Cap. 416.

Epist 28. in medio. Illud quod in libro aduersus Rufinum posuisti, quosdam huic sententiæ calumniari, quòd Deum dare animas adulterinis conceptibus videatur indignum, vnde conantur adstruere meritis gestæ ante carnem vitæ, animas quasi ad ergastula huius mundi iustè posse perduci: non me mouet multa cogitantem, quibus hæc calumnia possit refutari. Et quod ipse respondisti, non esse vitium sementis in tritico, quod furto dicitur esse sublatum, sed in eo qui frumentum furatus est: nec idcirco terram non debuisse gremio suo semina confouere, qui sator immunda ea projecerit manu, elegantissima similitudo est. Quam & antequam legerem * nonnullas mihi obiectio ista de adulterinis fœtibus, in hac quæstione faciebat angustias, generaliter intuenti multa bona Deum facere, etiam de nostris malis nostrisque peccatis. Animalis autem cuiuscumque creatio, si habeat prudentem piúmque consideratorem, ineffabilem laudem creatori excitat, quantò magis creatio non cuiuslibet animalis, sed hominis? *nullas *or. & vict.*

De baptismo, & parentum sacrilegio in filijs. Augustinus ad Bonifacium de baptismo. ¶ Cap. 417. *Epist. 23.*

1. q 4. c. iam itaque. Iam itaque cùm homo in seipso est ab eo qui genuit, alter est effectus, peccato alterius sine sua consensione, non tenetur obnoxius. Traxit ergò reatum, quia vnus erat cum illo, & in illo à quo traxit, quando quod traxit admissum est. Non autem trahit alter ab altero, quando sua vnoquoque propria vita viuente, iam est vnde dicatur: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. *Ezech. 18.* Vt autem possit regenerari per officium voluntatis alienæ cùm offertur consecrandus, facit hoc vnus spiritus, ex quo regeneratur oblatus.

Quòd infamis de propria possit agere causa. Fœlix papa tertius, in decretali suo episcopis Galliæ. ¶ Cap. 418.

4. q. 6 & 3. q. 10 c si accusatorum. Si accusatorum personæ in iudicio episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere, & non tamen criminales, vel ecclesiasticas voluerint.

Quomodo purgare se debeant accusati sacerdotes. Decretum & responsio Leonis Papæ ad Carolum Imperatorem. ¶ Cap. 419. *Capitul. l 5. c. 34. & l 7. c. 205.*

2 q 5 c. omnibus vobis Omnibus vobis * visum, aut auditu notum esse non dubitamus, quòd sæpissimè (suadente antiquo hoste) sacerdotibus crimina diuersa obijciantur. Sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio & satisfactio fiat, licet tempore bonæ memoriæ domini genitoris * vestri Pipini, siue priscis temporibus à sanctis patribus, & à reliquis bonæ deuotionis hominibus sæpissimè ventilatum fuerit: nos tamen pleniter, & ad liquidum diffinitum reperire minimè quiuimus. Nostris quippe temporibus idipsum à sanctis episcopis, & reliquis sacerdotibus, ac cæteris ecclesiasticæ dignitatis ministris * vestris in regnis seu in aliis Deo degentibus, nobisque vnà cum eis agentibus sæpissimè propter multas & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diuersis partibus venerunt, ventilatum est. Sed qualiter consultu Domini & patris nostri Leonis apostolici, cæterorúmque Romanæ Ecclesiæ episcoporum, & reliquorum sacerdotum, siue orientalium & Græcorum patriarcharum, & multorum sanctorum episcoporum & sacerdotum, nec non & nostrorum episcoporum omnium, cæterorúmque sacerdotum ac leuitarum authoritate & consensu, atque reliquorum fidelium & cunctorum consiliariorum nostrorum consultu diffinitum est, omnes vos vtriusque ordinis ministros scire volumus. Statutum est namque ratione & necessitate atque authoritate prædicta, consultu omnium, vt quotienscunque cuiquam sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit, vt recipi debeat, (quia quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant in canonibus pleniter expressum est) si autem, vt dictum est, ille accusator qui canonicè est recipiendus, eum cum legitimo virorum numero & bonorum testium approbare in conspectu episcoporum poterit, tunc canonicè diiudicetur, & si culpabilis inuentus fuerit canonicè damnetur. Si verò eum supra scripto prætextu approbare ipse accusator minimè potuerit, & hoc canonicè diiudicetur. Ipse ergo sacerdos si suspiciosus aut incredibilis suo episcopo aut reliquis suis consacerdotibus, siue bonis & iustis de suo populo vel de sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine aut prædicta suspicione remaneat cum tribus aut quinque vel septem bonis ac vicinis sacerdotibus, exemplo Leonis Papæ qui duodecim episcopos in sua purgatione habuit, vel eo amplius si episcopo suo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi perspexerit, & cum aliis bonis & iustis hominibus se sacramento coram populo, super quatuor euangelia dato, purgatum Ecclesiæ reddat. Si quis autem scire desiderat quales testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, & * quid de accusatore faciendum sit, pleniter in canonibus reperire poterit. *visu *or. & vict. *nostri *nostris *quicquid. *or. & Grat.*

De eadem re. Hincmarus Rhemorum episcopus & plebis Dei famulis dilecto fratri & venerabili coepiscopo Ioanni salutem. ¶ Cap. 420. *Epist. 53.*

Si mala fama ex similitudine per parœciam de presbytero exierit, & accusatores ac testes legales defuerint, ne contra apostolum, infirmorum corda de mala fama Presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores presbyteri existentes, licentius in peccatum labantur, secundùm decreta maiorum, cum denominatis sibi vicinis presbyteris, quos scimus se nolle periurare, sacramento famam suam purget. *2. q. 4. c. si mala fama.*

De Clericis apostatis. Constitutio vi. ex lib. constitutionum, cap. vij. ¶ Cap. 421.

Quisquis siue lector, siue subdiaconus, siue diaconus, siue presbyter clericatus honorem *Iusti. Imp. nouell. const. tit. 6.*

contempſerit, & in aliam vitam tranſierit, duorum alterum vel curiali conditioni cum ſuis facultatibus ſubijciatur, vel ſi plures curiales ciuitas habeat, * ſiue ipſe vilior ſit ad officialem conditionem tradatur taxeoticam.

* Grecè eſt ἢ ἐν ἀπορίᾳ τῇ ταξεωτικῇ κατενεχθήσεται τύχῃ, quæ verba Agyleus ſic vertit: aut egens ad apparitorum conditionem dejciatur.

De caſtitate Clericorum. Conſtitutio xxxvij, cap. xxviij. ¶ CAP. 422.

Clericus qui ſuper lectores & cantóres eſt, veluti ſubdiaconus vel diaconus nullas nuptias contrahere audeat, alioquin à ſacerdotio cadat. Lector quoque ſi ſecundas contraxerit nuptias ad maiorem gradum ordinis Eccleſiaſtici prohibetur accedere. Laicus etiam ſi appareat vxori coniunctus eſſe quæ alium maritum habuit, aut ſi non iure coniunctus ſit, aut ſi ipſe aliam vxorem hebuit: neque ſubdiaconus neque diaconus neque Preſbyter fieri poteſt. Et ſi clandeſtinis artibus ad conſecrationem irrepſerit, honore eius cadat.

Ne Laicus in Eccleſia quam facit, ex propria eleemoſyna ſine licentia epiſcopi clericos conſtituat. Conſtit. xlix, cap. ij. ¶ CAP. 423.

Si quis Eccleſiam ædificauerit, aut clericis annonam ex ſubſtantia ſua dederit, non liceat ei quos voluerit clericos in eadem Eccleſia facere. Sed ſi voluerit quoſdam ſibi conſecrari, offerat eos beatiſſimo Patriarchæ, & ſi ille viderit eos dignos, conſecret, & ſi non probauerit, arbitrio ſuo reijciat.

De eodem. Conſtitutio l. cap. primo. ¶ CAP. 424.

Si quis in domo ſua oratorium habuerit, non audeat in eo facere ſacras miſſas, niſi clericos Catholicæ fidei habuerit, qui deputentur ei ex iuſſu religioſi epiſcopi ciuitatis, vel beatiſſimi Patriarchæ. Si quis autem aduerſus ea fecerit, domus ipſius fiſci iuribus addicatur. Si clerici ab eccleſiis deſtiterint, alios clericos in locum eorum ordinare neceſſe eſt, vt ſcilicet annonas & dona eccleſiaſtica quæ illis lectoribus præſtabantur, accipiant, & ſi poſtea redierint, nihil eis præſtetur, quia annonæ eorum aliis clericis pro ipſis ſubrogatis præſtitæ ſunt.

De damnatione filiorum ſacerdotum. Ex conc. Toletano ix. cap. x. ¶ CAP. 425.

15 q. 8 c cum multæ.

Cùm multæ ſuper incontinentia ordinis clericorum hactenus emanauerint ſententiæ patrum, & nullatenus ipſorum firmari quiuerit correptio morum, vſque adeo ſententiam iudicantium protraxere commiſſa culparum, vt non tantùm feriretur vltio in actoribus ſcelerum, verùm etiam in progenie damnatorum, ideóque quilibet ab epiſcopo vſque ad ſubdiaconum deinceps vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ deteſtando * connubio in honore conſtituti filios procrearint, illi quidem ex quibus geniti probabûtur, canonicâ cenſurâ damnentur, proles autem ab hac pollutione nata non ſolùm parentum hereditatem vſquam accipient, ſed etiam in ſeruitutem eius eccleſiæ, de cuius ſacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt, iure perenni manebunt.

* cōiugio

Quòd qui Monaſterio ſe tradit, de rebus ſuis poſtea diſponere non poßit. Conſtitutio lxvij. cap. j. ¶ CAP. 426.

Quicunque in monaſterium intrant, videant ſubſtantias ſuas in monaſterio conſecrari. Nam ante introitum liberam habent facultatem, quomodo voluerint bona ſua diſtribuere. Poſtquam autem intrauerint talem licentiam non habent, quamuis liberos habeant.

Apud quos iudices quæ cauſæ clericorum ſint terminandæ. Conſtitutio lxxxiij. cap. j. ¶ CAP. 427

Si quis cum clerico litigium habuerit, ſi quidem de cauſa pecuniaria, adeat priùs epiſcopum cuius iudicio clericus ſuppoſitus eſt. Ille autem ſine damno & ſine dilatione, competentem finem liti impoſiturus eſt. Sin autem noluerit Epiſcopus litem dirimere, tunc ad ciuiles iudices diſceptatio cauſæ proueniat. Vbi autem cauſam dirimere vult Epiſcopus, ſine ſcriptura omnia procedant, & diffinitiua ſententia ab eo ſine ſcripturis inſeratur. Quòd ſi de criminali cauſa litigium emerſerit, tunc competentes interpellati conſentaneum legibus terminum cauſę imponant: ita tamen, vt diſceptatio litis duorum menſium ſpatium non excedat, à litis conteſtatione numerandum. Non aliter autem puniatur clericus, niſi obnoxius repertus ſacerdotio * priuatus fuerit à ſuo epiſcopo, vel clericatus honore. Sin autem crimen eccleſiaſticum eſt, tunc ſecundùm canones epiſcopo ſoli cauſæ examinatio & pœna procedat, nullam communionem aliis iudicibus in huiuſmodi cauſis habentibus.

11. q. 1. c. Si quis cum clerico.

* nudatus vict.

*De eo qui infirmitate depreſſus monachum ſe fieri promiſit Alexander ij. * Vdoni Treuerenſi, & Theodorico Virdunenſi epiſcopis.* ¶ CAP. 428.

* Hugoni

Præſentium lator Coſaldus Preſbyter ad limina apoſtolorum veniens, querelam Apoſtolicæ ſedi depoſuit, beneficium & altaria quæ per canonicam Virdunenſis Eccleſiæ obtinere ſolebat, à quodam diacono Richerio nomine ſibi ablata eſſe. Dixit enim quòd quondam in infirmitate feruore poſſionis oppreſſus monachum ſe facere promiſerit, non tamen vt monaſterio vel Abbati ſe tradiderit, vel promiſſionem ſcripſerit, ſed confitetur quòd pręfatum beneficium in manu aduocati Eccleſiæ refutauerit. At poſtquam conualuit, monachum facere mox negauit. Dixit etiam quòd cùm infirmus iaceret pręfatus Richerius beneficium ſuum ab epiſcopo Virdunenſi acquirere potuiſſet, quia dixit eum monachum iam factum eſſe. Cauſa differtur in Treuerenſem ſynodum in qua præfatus Richerius diaconus mala fide acquiſiſſe, ac malè intraſſe conuictus eſt. Quapropter quia beati Benedicti, canonicâque & præcipuè patris & prædeceſſoris noſtri ſancti Gregorij Papę conſtitutio interdicit, ante vnius anni probationem effici monachum: ſi ita eſt vt dixit, iudicamus & authoritate Apoſtolica præcipimus, vt diligentiâ veſtrâ atque clementiâ horum portitor Coſaldus * Preſbyter videlicet, beneficia & altaria recipiat, habeat, & quiete retineat.

17. q. 2. c. Conſaldus.

* presbyteri

De Preſbytero qui ſine culpa perdiderat eccleſiam ſuam. Nicolaus Airardo Turonenſi archiepiſcopo. ¶ CAP. 429.

In reſcriptis Nicolai 1. tit. ij. c. 4.

Notum ſit tuæ fraternæ charitati, quod iſte Preſbyter pauper nomine Chriſtophorus, de ſua anguſtia ad noſtram clementiam lachrymabiliter ſit conqueſtus, dicens ſe falſis criminibus impetitum, & ab eccleſia ſua non conuictum neque confeſſum, irrationabiliter fuiſſe eiectum. Nam (vt ipſe refert) tua diligentia per tres vi-

2 q 1 c notum ſit.

cesinquisitione facta, nulla in se neque de fornicationis crimine, neque de homicidij * consensu (de quibus impetebatur) potuit culpa reperiri: nisi quia suæ paupertatis causa quod petebatur, aut consentire noluit, aut implere non potuit: quod suus tamen æmulus vltroneus egit, qui illius ecclesiam iniustè præripuit. Idcirco magnopere monemus reuerentiam tuam, vt quæ te fortè ignorante Giezica cupiditate peracta esse videntur, tuæ fraternitatis censurâ celeri emendatione corrigantur: scilicet restituendo Ecclesiæ propriæ iam dictum sacerdotem, atque eidem reddendo tua pietate quem perdidit pristinum honorem, & nullatenus canonica instituta alicuius temeritate contemni permittatis, quia facientem & consentientem par pœna constringit.

* confessione er.

De Diacono, de crimine iniustè infamato. Stephanus Papa quintus Leoni episcopo Thiauensi.

¶ CAP. 430.

15 q. 5. c. de crimine.

De crimine sibi illato diaconus tuus verissimè se fatebatur immunem, Veruntamen si suspicio habetur, & accusatores idonei reperiuntur, & testes quales sacri canones sanciunt: adscito tecum certo episcoporum numero veniant accusatores: vocetur & ipse Aldericus diaconus: & si negauerit, ventiletur causa canonicè: & si vel spontè confessus, vel legitimis testibus fuerit approbatus, canonicâ feriatur sententiâ. Quod si nec spontè confitetur, nec accusatores & testes legitimi reperti fuerint, & mala fama crebrescit, non publico examine, sed coram te & aliquantis reuerendissimis Presbyteris & diaconibus Ecclesiæ tuæ secreto iuramento se purificet, & tu deinceps boni testimonij eũ annuncia, & compesce ac admone Ecclesiæ tuæ filios, ne sacerdotem Dei infamare vlterius præsumant, timentes maledictionem Cham, qui patris verenda derisit.

Genes. 7.

Manifestam causam non egere testibus. Idem.

¶ CAP. 431.

2. q. 1. c. de manifesta. In 5. capite statim post initium.

De manifesta & nota plurimis causa non sunt quærendi testes: vt beatus Ambrosius in epistolam ad Corinthios scribit de fornicatore sententiam exponens Apostoli: Iudicis, inquit, non est sine accusatore damnare: quia dominus Iudam cùm fuisset fur, quia non est accusatus, minimè abiecit. Ac mox. Cognito autem opere isto pellendum illum de cœtu fuisse fraternitatis censuit. Omnes enim crimen eius sciebant, & non arguebant. Publicè enim nouercam suam loco vxoris habebat. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiuersatione aliqua poterat tegi crimen. Et paulò pòst. Absens facie, præsens autem authoritate spiritus qui nusquam abest, iam iudicaui vt præsens, eum qui hoc admisit tradi Sathanæ in interitum carnis.

Rem in contentione positam, non licere donare vel vendere. Ex lib. capit. ca. 357.

¶ CAP. 432.

Rem in contentione positam non licet donare vel vendere.

De modo conficiendarum epistolarum formatarum, quem Nicæna Synodus inter episcopos in faciendis epistolis conseruandum esse instituit.

¶ CAP. 433.

Græca elementa literarum numeros etiam exprimere, nullus qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis (quas mos latinus formatas appellat) aliqua fraus falsitatis temerè præsumeretur, hoc à patribus trecentis octodecim Niceæ congregatis saluberrimè inuentum est & constitutum, vt formatæ Epistolæ hanc calculationis seu supputationis suæ habeant rationem, id est, vt assumantur in supputationem prima Græca elementa Patris, & Filij, & Spiritus sancti id est, π. υ. α. Quæ elementa octogenarium quadringentesimum & primum seruant numeros. Petri quoque Apostoli prima litera id est π. quæ numerum octogesimum significat. Eius qui scribit epistolam prima litera, cui scribitur secunda, accipientis tertia, ciuitatis quoque de qua scribitur quarta, & indictionis, quæcunque est illius temporis, numerus assumatur: atque ita his omnibus Græcis literis, quæ (vt diximus) numeros exprimunt, in vnum ductis vnam quæcunque collecta fuerit, summam Epistola teneat. Addat præterea separatim in epistola etiam nonagenarium & nonum numeros, qui secundum Græca elementa significant, ἀμήν. Tres igitur prædictæ literæ Græcæ, id est, π. υ. α. & prima litera ex nomine Petri, id est π. quingentesimum & vnum faciunt numeros π. enim prima, quæ est in nomine summi Patris, sexagesimum numerat: υ. verò, quæ est prima in nomine Filij, octoginta numerat: α verò, quæ prima est in nomine Spiritus sancti, vnum indicat. Si addas π quæ in nomine Petri est prima, id est quadringenta reperies octoginta, Αμήν. verò, quod in fine prędictæ epistolę scriptum est quingẽta sexaginta vnũ, indicat. α enim vnũ μ nonaginta nouẽ, η quadraginta octo, ν nonaginta numerum, qui nonaginta nouem efficiunt numeros. Si verò totam summam simul iungas sexcentas-sexaginta, epistola numeros tenet. Sed propter minus scientes ponenda videntur elementa ipsa Greca cum numeris propriis.

dist. 73 c. qualiter.

I.	II.	III.	IIII.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.	X.	XX.	XXX.	XL.	L.	LX.	LXX.	LXXX.	XC.	C.
α.	β.	γ.	δ.	ε.	ς.	ζ.	η.	θ.	ι.	κ.	λ.	μ.	ν.	ξ.	ο.	π.	ϛ.	ρ.
CC.	CCC.	CCCC.	D.	DC.	DCC.	DCCC.	DCCCC.	M.										
σ.	τ.	υ.	φ.	χ.	ψ.	ω.	ϡ.	α.										

Numerantur autem ita

ἓν δύο. τρία. τέσσαρα. πέντε. ἕξ. ἑπτά. ὀκτώ ἐννέα. δέκα. εἴκοσι τριάκοντα τεσσαράκοντα. πεντήκοντα. ἑξήκοντα. ἑβδομήκοντα. ὀγδοήκοντα. ἐννενήκοντα. ἑκατόν. διακόσια. τριακόσια. τετρακόσια. πεντακόσια. ἑξακόσια. ἑπτακόσια. ὀκτακόσια. ἐννεακόσια. χίλιοι.

Exemplum Epistolæ formatæ.

¶ CAP. 434.

Simile ferè habetur dist. 73 c in nomine.

In nomine π Patris, & υ Filij, & α Spiritus sancti, Rathbodus sanctæ Treuerensis Ecclesiæ ac plebis ipsius humilis famulus Rotberto reuerendæ sanctæ Metensis ecclesiæ antistiti in Christo principe pastorum mansuram cum gaudio prosperitatis ac perpetuitatis gloriam. Decreta sanctorum trecentorum decem & octo patrum Niceæ constitutorum saluberrima seruantes, Deo dignam piámque fraternitatem vestram canonicè aggredimur, & sub nomine formatæ Epistolæ reuerenter vestram sanctitatem adimus, vobis videlicet intimando, quia præsenti Presbytero nostro nomine Gislemaro, has di-

missorias dedimus literas, quem in nostra diœcesi ecclesiasticè educatum, de ordine clericatus ad presbyteratus proueximus gradum, vt his canonicis munitus apicibus, cum nostra licentia ei in vestra parœcia sub defensione ac regimine vestræ charæ dilectionis degere liceat, illúmque in sinu sanctæ matris ecclesiæ canonicè fouendum ac regendum vobis committimus. Hanc ergo epistolam Græcis literis hinc inde munire decreuimus, & annulo Ecclesiæ nostræ bullare censuimus. Christus pastorum princeps interuentu beati Petri, cui specialiter ouile dominicum commissum est, fraternitatem vestram ad custodiam sui gregis diu nobis conseruet incolumem, ἀμήν. Summa horum Mille Dxxxix. π. υ. α. π. ρ. ο. σ. υ. θ. ἀμήν.
Data Treueris. Idib. Octob. Anno Dominicæ incarnationis, D. cccc. vi. Indict. viiij. π. υ. α. π. δ. α. ρ δ θ.

Item aliud exemplum formatæ.
§ CAP. 435.

Reuerendissimo & sanctissimo Rathbodo sanctæ Treuerensis Ecclesiæ Archiepiscopo Dado Virdunensis ecclesiæ deuotus gregis Christi famulus in Domino vero Rege summæ fœlicitatis beatitudinem. Cùm sancta catholica ecclesia prompta sit sequi documenta euangelica,
Matth.10. quæ dicunt, Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui
Rom. 12. recipit iustum in nomine iusti, & cætera. Et Apostolus iubeat hospitalitatem sectari, & necessi-
1. Tim. 4. tatibus sanctorum virorum communicare, tamen propter eos qui cauteriatam habent suam conscientiam, dicentes se esse simplices, cùm sint astutia diabolica repleti, & pro opere pietatis dicunt se de loco ad locum transire, cùm sint sua malitia faciente fugitiui, & dicunt se esse ministerio sacro insertos, cùm non sint: statutum est à sanctis patribus neminem clericum alienum & ignotum recipi ab aliquo episcopo, & intronizare in sua Ecclesia, nisi habeat à proprio episcopo epistolam, quæ in canonibus nominatur formata. Ideo notum facimus paternitati vestræ, quod præsens frater noster harum literarum portitor, nomine Adruinus, non pro sua nequitia expulsus est à nobis, sed postulantibus fratribus nostris, eo quod ex familia nostra fuit, dedimus ei libertatem receptam à cornu altaris canonicè, & ordinauimus eum ad gradum Presbyterij. Cui etiam has dimissorias siue commendatitias literas fecimus, & eum ad vestram dilectam fraternitatem dirigimus, vt in vestra parœcia sub vestro sacro regimine, & defensione consistere valeat. Ego inquam in nomine π Patris, & υ Filij, & α Spiritus sancti, & in vnitate sanctæ Ecclesiæ, in qua Petro datum est ius ligandi atque soluendi, absoluo Dado humilis episcopus presbyterum Adruinum de ciuitate Virdunensi, Indict. viiij. Et licentiam do vobis Rathbode venerabilis Archiepiscope, intronizandi eum in quacunque ecclesia vultis vestræ parœciæ. Dilectam paternitatem vestram virtutum floribus insignitam omnipotens Deus conseruare dignetur. ἀμήν. D. cc. lxxviij. π. υ. α. π. δ. α. λ. θ. Data v. idus Mai. Anno Dominicæ incarnationis D. cccc. vj. Indict. viiii.





D.
IVONIS CARNOTENSIS
EPISCOPI
DECRETI PARS SEPTIMA:

DE MONACHORVM ET MONACHARVM singularitate & quiete: Et de reuocatione & pœnitentia eorum qui continentiæ propositum transgrediuntur.

VT MONACHI PER SINGVLAS CIVITATES SVBIECTI sint Episcopis, & quieti operam dantes, ieiuniis & orationibus intendant. Ex concilio Chalcedonensi, cap. iiij.

❡ CAPVT PRIMVM.

Actione 15. 16 q.1.c.qui verè.



QVI verè & purè solitariam eligunt vitam, digni sunt conuenienti honore. Quia tamen sunt quidam monachi habitantes indifferenter per ciuitates, nec non & per monasteria seipsos præsumptione propria commendantes: placuit neminem aut ædificare, aut construere monasteria, aut oratorij domum, sine conscientia ipsius ciuitatis episcopi. Eos verò qui per singulas ciuitates seu possessiones in monasteriis sunt, subiectos esse debere episcopo, & quieti operam dare, atque obseruare ieiunia & orationes, in locis in quibus semel Deo se deuouerunt, permanentes: & neque communicare ecclesiasticis, neque sæculares aliquas attrectare actiones, relinquentes propria monasteria: nisi fortè iubeantur propter vrgentes necessitates ab ipsius ciuitatis Episcopo. Et neminem seruorum suscipi in monasterium, vt sit cum eis monachus, nisi cum domini proprij conscientia. Prætereuntem verò hæc decreuimus extra communionem esse, ne nomen Domini blasphemetur. Conuenit verò ciuitatis Episcopo curam sollicitudinémque necessariam monasteriis exhibere.

L.2 ep 14.

De monachorum singularitate. Hieronymus in Epistola ad Paulinum presbyterum de institutione clericorum.

❡ CAP. 2.

16.q.1 c.si cupis.

Si cupis esse quod diceris, monachus, id est solus, quid facis in vrbibus quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Habet vnumquodque propositum principes suos. Et vt ad * vestra veniamus, Episcopi & presbyteri habeant ad exemplum apostolos & apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur & meritum, nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios. Habeto simplicitatem columbæ, nec cuiquam machineris dolos, & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis. Non multùm distat in vitio vel decipere posse, vel decipi Christianum. Quem senseris tibi aut semper aut crebrò de nummis loquentẽ, exceptâ eleemosynâ quæ indifferenter omnibus patet, institorem potius habeto quàm monachum. Præter victum & vestimentum, & manifestas necessitates, nihil cuiquam tribuas, * nec filiorum panem canes comedant.

** nostra orig.*

** ne orig.*

De eodem. Idem in Epistola ad Riparium & Desiderium Presbyteros.

L.3 ep vlt. circa finem.

❡ CAP. 3.

16. q. 1 c. monachus.

Monachus non doctoris habet, sed plangentis officium, qui vel se vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum. Qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile quod portat, timet offendere ne impingat & corruat atque frangatur. Vnde & mulierum maximéque adolescentularum vitat aspectum: & intantum castigator sui est, vt etiam quæ tuta sunt pertimescat. Cur, inquis, pergis ad eremum? Videlicet vt te non audiam, non videam, vt tuo furore

furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis, hoc non est pugnare, sed fugere; sta in acie, aduersariis armatus obsiste, vt postquam viceris coroneris. Fateor imbecillitatem meam: nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.

L.2.ep.13. *Item de eodem. Idem in Epistola ad Rusticum monachum, de labore monachorum.*

¶ Cap. 4.

Mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est. Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur? Exod. 3. Moyses vt præesset populo Iudæorum quadraginta annis eruditur in eremo: pastor ouium, hominum factus est pastor. Lucæ 5. Apostoli de piscatione lacus Genezareth, ad piscationem hominum transierunt. Tunc habebant patrem, rete, nauiculam: secuti Dominum protinus omnia reliquerunt, portantes quotidie crucem suam, & ne virgam quidem in manu habentes. 16. q. 1. c. si clericatus. Hæc dico, vt si clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere, & rationabilem hostiam offeras Deo, Rom. 12. ne miles antequam tyro, ne priùs magister sis quàm discipulus. Non est humilitatis meæ, neque mensuræ iudicare de cæteris, & de ministris ecclesiarum sinistrum quippiam dicere. Habeant illi ordinem & gradum suum: quem si tenueris, quomodo tibi in eo viuendum sit, editus ad Nepotianum liber docere te poterit. Nunc monachi incunabula moresque discutimus: & eius monachi, qui liberalibus studiis eruditus in adolescentia, iugum Christi collo suo imposuit. Primùmque tractandum est, vtrum solus an cum aliis in monasterio viuere debeas. Mihi placet, vt habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es.

Post quædã. *Vt monachus semper laboret. Idem in eadem epistola.*

¶ Cap. 5.

De conf. dist. c. nunquã de manu. * recedat orig. Nunquam de manu aut oculis tuis liber psalterij * descendat, discatur ad verbũ. Oratio sine intermissione: vigilet sensus, nec vagis cogitationibus patens: corpus pariter animúsque tendatur ad Deum. Iram vince patientia. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia nõ amabis. Nec vacet mẽs tua variis perturbationibus, quæ si pectori insederint dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis, vt semper te diabolus inueniat occupatum. 2. Thess. 2. Si apostoli habentes potestatem de Euangelio viuere, laborabant manibus suis, ne quem grauarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorũ pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in vsus tuos successura non præpares? Vel fiscellam texe iunco, vel canistrum lentis plecte viminibus: sarriatur humus: areolæ æquo limite diuidantur: in quibus cùm olerum iactata fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, Virgilius 1. lib. Georg. aquæ ducantur irriguæ. Hinc pulcherrimorum versuum spectator assistas: Ecce supercilio cliuosi tramitis vndam Elicit, illa cadens raucum per læuia murmur Saxa ciet, scatebrísque arentia temperat arua. Inserantur fructuosæ arbores, vel gemmis vel surculis: vt paruo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Prouer. 6. Apum fabricare aluearia, ad quas te mittunt Salomonis prouerbia. Monasteriorum ordinem ac regiam disciplinam in paruis disce corporibus. Texantur & lina capiendis piscibus. Scribantur & libri, vt & manus operetur cibos, & anima lectione saturetur. In desideriis est omnis ociosus. Proverb 13. iuxta 70. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque opere ac labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quàm propter animæ salutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus, Ezech. 16. & instar fornicantis Hierusalem, omni transeunti diuaricent pedes suos.

Quòd non peribunt omnes habitantes in vrbibus. Et in sequentibus.

¶ Cap. 6.

Quid ergo? Peribunt omnes qui in vrbibus habitant? Ecce illi fruuntur suis rebus, ministrant ecclesiis, adeunt balnea, vnguenta non spernũt, & tamen in omnium ore versantur. Ad quod & antè respondi, & nunc breuiter respondeo: me in præsenti opusculo, non de clericis disputare, sed monachum instituere.

De monachis fugitiuis non promouendis ad clerum. Augustinus in epistola ad Aurelium. Epist. 76.

¶ Cap. 7.

Legi epistolam benignitatis tuæ de Donato & fratre eius: Et quid responderem diu fluctuaui. 16. q. 1. c. legi epistolam. Sed tamen etiam atque etiam cogitanti quid sit vtile saluti eorum, quibus nutriendis in Christo seruimus, nihil mihi aliud occurrere potuit, nisi non esse istam viam dandam seruis Dei, vt se facilius putent eligi ad aliquid melius, si facti fuerint deteriores. Et ipsis enim facilis lapsus, & ordini clericorum fit indignissima iniuria, si desertores monasteriorum ad militiam clericatus eliguntur, cùm ex his qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in clerum assumere soleamus; nisi fortè (sicut vulgares dicunt) malus choraula bonus symphoniacus est: ita idem ipsi vulgares de nobis iocabuntur dicentes: Malus monachus, bonus clericus est. Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam monachos * subrigimus, & tam * surrigamus orig. & Grat. graui contumelia clericos dignos putamus. In quorum numero sumus, quum aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat: si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas. Sed de istis credo quod arbitrata sit beatitudo tua, nostra voluntate, vt suis potius conregionalibus vtiles essent de monasterio recessisse: sed falsum est. Sponte abierunt, sponte deseruerunt, nobis quantum potuimus, pro eorum salute renitentibus.

De quiete monachorum. Idem in epistola ad Eudoxium. Epist. 81.

¶ Cap. 8.

Domino dilecto, & exoptatissimo fratri, & cõpresbytero Eudoxio, & qui tecum sunt fratribus, Augustinus & qui mecum sunt fratres in Domino salutem. Quando quietem vestram cogitamus quam habetis in Christo, etiam nos quamuis in laboribus variis asperisque versemur, in vestra charitate requiescimus. Vnum enim corpus sub vno capite sumus, vt & vos in nobis negotiosi, & nos in vobis ociosi simus. Quia si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & si glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra. 1. Cor. 12. Admonemus ergo & petimus & obsecramus per Christi altissimam humilitatem, & misericordissimam celsitudinem, vt nostri memores sitis in sanctis orationibus vestris, quas vos vigilantiores & magis sobrias credimus habere. Nostras

enim sæpe sauciat & debilitat caligo & tumultus sæcularium actionum: quas etsi sinistras non habemus, eorum tamen qui nos angariant mille passus, & iubemur ire cum eis alia duo, tanta nobis ingerūtur, vt vix respirare possimus: credentes tamen quòd ille in cuius cōspectu intrat gemitus compeditorum, perseuerātes nos in eo ministerio in quo collocare dignatus est, cū promissa mercede adiuuantibus orationibus vestris, ab omni angustia liberabit. Vos autem, fratres, hortamur in Domino, vt propositum vestrum custodiatis, & vsque ad finem perseueretis. At si * quam operam vestram mater Ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis: sed miti corde obtemperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mansuetos vias suas: nec vestrum ocium necessitatibus ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inueniretis.

Matth.5. *Psal.78.* *16.q.1.c. vos autem.* * qua ope ra *or. Vict. Pann.* *Psal.24.*

De voto Bonifacij Comitis. August. in epist. ad Bonifacium comitem.

¶ Cap. 9.

Epist.70.

Nos nouimus, nos testes sumus quòd nobiscum apud Tubanas de animo & voluntate tua fuerimus colloquuti. Soli tecum eramus ego & frater Alipius. Non enim existimo tantum valuisse terrenas curas quibus impletus es, vt hoc de memoria tua penitus delere potuerint. Nempe omnes actus publicos quibus occupatus eras, relinquere cupiebas; & te in ocium sanctum conferre, atque in ea vita viuere, in qua serui Dei monachi viuunt. Cum ergo te esse in hoc proposito gauderemus, nauigasti, vxorémque duxisti. Si enim coniugem non haberes, dicerem tibi quod & Tubanis diximus, vt in castitate continentiæ viueres, adderem quod tunc fieri prohibuimus, vt iam te quantum rerum humanarum salua pace potuisses, ab istis bellicis rebus abstraheres, & huic vitæ vacares, & societati sanctorum cui tunc vacare cupiebas, vbi in silentio pugnant milites Christi, non vt occidant homines, sed vt expugnent principes & potestates & spiritualia nequitiæ, id est, diabolum & angelos eius. Sed vt te ad istam vitam non exhotter coniunx impedimentum est, sine cuius consensione continenter tibi non licet viuere.

17.q.2 cap. nos nouim⁹. *Post aliquot versus sub finem.* *Ephes.6.* *Post pauca.*

Non solui coniugium, si mulier nescia de voto viri nupsit ei. Idem in eadem epistola.

¶ Cap. 10.

Quia & si tu eam post illa tua verba Tubanensia ducere non debebas, illa tibi tamen nihil eorum sciens, innocenter & simpliciter nupsit. Atque vtinam posses ei persuadere continentiam, vt sine impedimento redderes Deo quod te debere cognoscis. Sed si cum illa agere non potes, saltem serua pudicitiam coniugalem, & roga Deum qui te de necessitatibus eruit, vt quod non potes modò, possis aliquando. Verumtamen vt Deum diligas, non diligas mundum, vt in ipsis bellis si adhuc te in eis versari opus est, fidem teneas pacémque quæras, vt ex mundi bonis facias opera bona: & propter mundi bona non facias opera mala, aut non impedit coniunx, aut impedire non debet. Hæc ad te, fili charissime, vt scriberem charitas iussit, qua te secundùm Deum, non secundùm hoc sæculum diligo: quia & cogitans quod scriptum est: Corripe sapientem & amabit te, corripe stultum & adijciet odisse te: non te vtique stultum, sed sapientem debui cogitare.

Prouerb.9.

De quiete monachorum. Decretum sancti Gregorij Papæ.

¶ Cap. 11.

lib 7. Ind 1 ep 18. Mariniano episcopo. 18.q.2.c. quam sit necessarium.

Quàm sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteactum * nos officium quod in regimine cœnobij * exhibuimus informat. Et quia in plurimis monasteriis multa à præsulibus præiudicia atque grauamina monachos pertulisse cognoscimus, oportet vt nostræ fraternitatis prouisio de futura quiete eorum, salubri disponat ordinatione: quatenus conuersantes in illis in Dei seruitio, gratia ipsius suffragante, mente libera perseuerent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine, quisquam monachis quicquam molestiæ præsumat inferre, necesse est vt hęc quæ inferius enumeranda curauimus, ita studio fraternitatis episcoporum debeant custodiri, vt ex eis non possit vlterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Iesu Christi, & ex authoritate beati Petri Apostolorum principis prohibemus, cuius vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, vt nullus episcoporum aut sæcularium vltrà præsumat de reditibus, vel rebus, vel chartis monasteriorum, vel de cellis, vel villis, quæ ad ea pertinent, quocunque modo vel qualibet occasione minuere, vel dolos vel immissiones aliquas facere. Sed si qua fortè causa inter terram venientem ad partem suarum ecclesiarum & monasteriorum euenerit, & pacificè non potuerit ordinari, apud electos abbates & alios patres timentes Deum sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Euangeliis finiatur. Defuncto verò abbate cuiusque congregationis, non extraneus nisi de eadem congregatione quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit, & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quòd si aptam inter se personam inuenire nequeunt, solerter sibi de aliis monasteriis similiter eligant ordinandum. Neque constituto abbate, quæcunque persona qualibet occasione præponatur, nisi fortè extantibus (quod absit) criminibus, quæ sacri canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est, vt inuito abbate ad ordinandum alia monasteria, aut ad ordines sacros vel clericatus officium, tolli exinde monachi non debeant.

* vos *or.* * exhibuistis *orig.*

De eodem. Greg. cap. lxxxvii. Castorio Episcopo Ariminensi.

¶ Cap. 12.

L.4.ep. 43. 18 q.2.cap. Luminoso.

Luminoso abbate referente, plurimis in monasteriis multa à pręsulibus pręiudicia atq; grauamina monachos pertulisse comperimus. Oportet ergo vt tuæ fraternitatis prouisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatenus conuersantes in illis in Dei seruitio gratia illius suffragante, mente libera perseuerent.

Ne publicè Missæ fiant in cœnobiis. Gregorius.

¶ Cap. 13.

Missas quoque publicas in cœnobio fieri omnimodo prohibemus, ne in Dei seruorum recessibus & eorum receptaculis vlla populis præbeatur occasio conuentus: quia non expedit animabus eorū. Nec audeat illic episcopus cathedrā collocare, vel quamlibet potestatē exercere

imperandi, nec aliquam ordinationem quamui leuissimam faciendi, nisi ab abbate fuerit rogatus: quatenus monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate: vt remotis vexationibus ac cunctis grauaminibus diuinum opus cum summa deuotione animi perficiant inperpetuum. vale optime pater memor nostri.

Ind 1. lib 7. epist. 18. in fine. *Ne monasterium grauet Episcopus. Idem Gregorius.* ¶ CAP. 14.

18. q 2. cap. visitandi. Visitandi exhortandique gratiâ ad monasterium quotiens placuerit, ab antistite ciuitatis accedatur. Sed sic charitatis officium illic impleat episcopus, vt grauamen aliquod monasterium non incurrat.

Greg 3 ep. 4. vel 13 c. 7 ad Bonifac. *De oblatis à parentibus. Epist. Greg. ad Augustinum Anglorum Pontificem.* ¶ CAP. 15.

20 q. 1. cap. addidisti. Addidisti adhuc, quòd si pater vel mater filium filiámque intra septa monasterij infantiæ annis sub regulari tradiderunt disciplina, vtrum liceat eis postquam pubertatis inoleuerint annos, egredi, & matrimonio copulari. Hoc omninò deuitamus: quia nefas est, vt oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur.

Epist. 1. *De monachis & virginibus propositum non seruantibus. Epistola Syricij, cap. vi.* ¶ CAP. 16.

Præterea monachorum quosdam atque monacharum abiecto proposito sanctitatis in tantam protestaris dimersos esse lasciuiam, vt prius clanculo velut sub monasteriorum prætextu illicita ac sacrilega se contagione miscuerint: Postea verò in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearint, quod & publicæ leges & ecclesiastica iura condemnant. Has ergo impudicas detestabilésque personas, à monasteriorum cœtu ecclesiarúmque conuentibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantū facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoqui, vt eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam posśit indulgentia subuenire.

De virginibus sacratis, si lapsæ fuerint. Ex dec. Innocentij Papæ, cap. xij. ¶ CAP. 17.

Innocentius ep. 2 ad Victricium episc. 27. q 1 cap. quæ Christo. Item quæ Christo spiritualiter nubunt, & à sacerdote velantur, si postea vel publicè nupserint, vel occultè corruptæ fuerint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se iunxerant de hac vita discesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, vt quæcunque viuente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi vnus ex eis fuerit defunctus, quantò magis de illa tenenda est, quæ antea immortali se sponso coniunxerat, & postea ad humanas nuptias transire elegit?

De virginibus non velatis si deuiauerint. Ibidem cap. xiij. ¶ CAP. 18.

27. q. 1. c. hæ verò quæ. Hæ verò quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulauerunt permanere, licet velatæ non fuerint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est: quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quantò magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigerunt, solui sine vindicta non poterit?

Qua Pœnitentia purgandus sit qui propositum monachi deseruerit. Leo Rustico Narbonensi episcopo. ¶ CAP. 19. Ep. 92. c. 12. vel inquis. 14.

Propositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato: Quod enim quis vouit Deo, debet & reddere. Vnde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias deuolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est: quia & si innocens militia & honestum potest esse coniugium, electionem tamen meliorum deseruisse transgressio est. 20. q. 3 cap. propositum. Deuter. 23. Psal. 49. & 115.

Quòd puellæ spontaneum virginitatis propositum deserentes delinquunt. Ibidem. cap. xiij. ¶ CAP. 20.

Puellæ quę non parentum coactæ imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atq; habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, præuaricantur, * etiamsi nondum eis gratia consecrationis accessit. Cuius vtique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent. 20. q. 1. cap. puellæ. * etiamsi consecratio non accessit or. & Gr.

De consecratis si nupserint. Ibidem cap. xiiii. ¶ CAP. 21.

Ambigi non potest magnum crimen admitti, vbi & propositum deseritur, & consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impunè calcari, quid * de his manebit, qui corruperint diuini fœdera sacramenti? * eos

Quòd liceat monachis cum sacerdotali officio vbique ministrare. Ex concilio Bonifacii Papæ, qui quartus à beato Gregorio fuit. ¶ CAP. 22.

Non vllo fulti dogmate, audacissimè quidam magis zelo amaritudinis quàm dilectionis inflammati, asserunt monachos, quia mundo mortui sunt & Deo viuunt, sacerdotali officio indignos, neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absoluere posse per sacerdotalis officij iniunctam gratiam, sed omnino labuntur. Nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ sedis compar beatus Gregorius monachico cultu pollens, ad summum nullatenus apicem conscenderet, cui quidem ostiatim fungendi, ligandi, soluendique officio potestas summa conceditur. Augustinus quoque eiusdem sactissimi Gregorij discipulus, Anglorum prædicator egregius: ac Pannoniensis beatus Martinus, aliíque quamplurimi viri sanctissimi preciosorum monachorū habitu fulgentes, nequaquã annulo pontificali subarrharentur. Sed quia monachi fuerunt, prædictis vti perhibentur. Neque enim Benedictus monachorum pręceptor huiuscemodi rei aliquomodo fuit interdictor, sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes forè solummodo, quod quidem apostolicis documentis, & omnium sanctorum patrū institutis, non solùm monachis, verùm etiam canonicis maximopere imperatur. Vtrisque enim præfatorum patrum exemplis perspicacibus circunquaque vt mudo mortui sint, euidentissima ratione præcipitur. Tantorum ergo patrum institutis & exemplis periculosum est refragari. Credimus ergo à sacerdotibus monachis ligandi soluendique potestatem atque officium Deo operante haud indignè administrari, 16. q. 1. c. sunt nonnulli.

si eos dignè contigerit ad hoc ministerium sublimari. Quod incunctanter & euidenter affirmat quisquis statum monachorum & habitum potentatúmque euidenter considerat. Verbi gratiâ: Angelus Græcè, Latinè nuncius dicitur. Sacerdotes igitur monachi atque canonici, qui quotidie sancta Dei præcepta annunciant, Angeli vocantur, ratione non incongrua. Sed vnusquisque angelicus ordo quantò claritatem Dei vicinius contemplatur, tantò dignitate sublimior affirmatur. Nam vti Cherubin, monachi sex alis velantur. Duæ quidem in capitio quo caput tegitur veri similibus demonstrantur assertionibus. Illud verò tunicæ quod brachiis entenditur, alas duas esse dicimus: & illud tandem quo conditur corpus, sex alarum numerum certissimè implere asseritur. Decertantes igitur monachicæ professionis presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio, omnimodo præcipimus, vt ab huiuscemodi nefandis ausibus reprimantur in posterum, quia quantò quisque celsior, tantò potentior.

Ne monachus defensor fiat Pelagius Antoninæ Patriciæ & Deciæ. ¶ CAP. 23.

Infragm. Pelagij 2. 16. q. 1. c. de præsentium.

De præsentium portitore quod defensor factus non est, nulla animi molestia sit: quia verè satis amarissimum habeo de isto proposito ad illud officium homines deduci, in quo nullo modo quæ à monachis Deo promissa sunt valeant adimpleri. Omnimoda enim & illius habitus, & istius officij diuersitas est. Illic enim quies, oratio, labor manuum: at hic causarum conditio, conuentiones, actus, publica litigia, & quæcunque vel Ecclesiastica instituta vel supplicantiū necessitas poscit. Faciat autem Deus, vt tales sint qui vel à vobis in isto habitu nutriuntur, vel in monasteriis crescunt, vt prouecta ætate & probata vita, non ad litigiorum officia, sed ad sacerdotium valeant promoueri.

*Qualis & à quibus debeat Abbas eligi. Pelagius * Melleo subdiacono.*

* Mellito

¶ CAP. 24.

18 q. 2. cap. abbatem.

Abbatem in eodem * monasterio illum volumus ordinari, quem sibi de sua congregatione & monachorum electio, & possessionis Dominus, & (quod magis obseruandum est) ordo vitæ ac meritum poposcerit ordinari.

* loco

Ne duplex monasterium fiat. Ex septima synodo, cap. xi. ¶ CAP. 25.

Synod. vij. œcu. c. 20. 18. q. 2. c. diffinimus.

Ex hoc diffinimus, minimè duplex fieri monasterium, quia scandalum id & offendiculum multis efficitur. Si verò aliqui cum cognatis abrenunciare & monasticam vitam sectari voluerint, debent viri quidem virorum adire cœnobium, fœminæ verò mulierum ingredi monasterium: in hoc enim placatur Deus. Quæ autem hactenus sunt dupla secundùm regulam sancti Patris Basilij, & secundùm præceptionem eius ita formentur: Non habitent in vno monasterio monachi & monachæ. Adulterium enim intercipit cohabitatio, si habeat aditum monachus ad monacham, vel monacha ad monachum secretò ad collocutionem. Non cubat monachus in muliebri monasterio, neque cum monacha singulariter conuiuetur, & quando necessaria vitæ à virorum parte ad regulares deferuntur monachas, extra portam hæc suscipiat abbatissa monasterij fœminarum, cum quadam vetula monacha. Porrò si contigerit, vt aliquam propinquam suam videre voluerit monachus, in præsentia abbatissæ huic confabuletur, per modica & compendiosa verba, & in breui ab ea discedat.

De his qui se ante legitimos annos totonderint & velauerint. Ex concilio Mагontino, cui interfuit Carolus Imperator & Richolfus archiepiscopus in claustro sancti Albani, cap. xx.

¶ CAP. 26.

Si quis ante annos legitimos tonsuratus est sine consensu parentum suorum, & si ipsi parentes infra annum non se reclamauerint ad principem, aut ad proprium episcopum, aut ad missum dominicum, in ipso clericatu permanet. Si verò post legitimos annos per vim clericus factus est, & infra annum ad supra memoratas personas minimè se reclamauerit, in clericatu permaneat, sicut is de quo superius dictum est. Si verò præfatæ personæ infra annum reclamationem fecerint, hi qui eos clericos fecerunt ipsis sine parentibus eorum hoc per legem exoluant, quod contra eos contraxerunt. Ille verò qui ante legitimos annos tonsuratus est, vtrum in eadem tonsura permanere debeat nec ne, in potestate sit parentum. Si verò is qui tonsuratus est, alicuius fuit seruus, domino per legē emendetur, quicquid de eius seruo contra eum contractum est. Ille verò qui tonsuratus est, vtrū in eadem tōsura permaneat, in potestate sit domini sui. Si verò hi qui liberi sunt, ante legitimos aut post legitimos annos hoc modo (sicut superius taxatū est) tonsurati sunt, & ad gradus ecclesiasticos peruenerint, in eisdē gradibus perseuerare cogātur. Si verò seruus qui superius taxato modo tonsuratus est, & ad gradus ecclesiasticos peruenerit, Domino suo per legem emendetur: & ei redditus in suo gradu permaneat. Hoc & de velandis puellis obseruandum est.

De regular. tit 31. c. si quis.

De illis quos vnus aut ambo parentes sanctæ religioni tradiderunt. Ex concilio Toletano, ca. vi.

Tolet. 10.

¶ CAP. 27.

Quoniam huc vsque dissolutæ operationis effectus, interdum fecit nutare honestum, constitutionis edictum proponimus, ne resolui putetur quod indissolubili sanctionis authoritate tenetur: ideo quicquid obuium ex incerto occurrerit, euidenter abijci debet: vt de cætero nihil supersit, quod in dubiū nutet. Ideóque si in qualibet iuniori ætate vel religione tonsuram, vel religioni debitam vestem, in vtroque sexu, filiis aut vnus aut ambo parentes dederint, certè vel nolentibus aut nescientibus se susceptam, & nō mox visam in filiis abdicauerint: sed vel coram se, vel coram Ecclesia palámque in conuentu eosdem filios talia habere permiserint, ad sæcularem reuerti habitum ipsis filiis quandoque penitus non licebit: sed conuicti quod tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitúmque reuocentur, & sub strenua districtione huiusce obseruantiæ inseruire cogantur. Parentibus sanè filios suos religioni contradere non amplius, quàm vsque ad duodecimum ætatis eorum annum licentia poterit esse. Postea verò an voluntate parentum, an suæ deuotionis solitarium sit votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum. Quisquis autem vel abolitione tonsuræ, vel sæcularis vestis assumptione detectus fuerit attigisse transgressionem, excommunicationis censuram accipiat, & religioni semper inhæreat.

20. q. 2. si in qualibet.

De illis qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam expetiuerunt. Ex concilio Chalcedonensi, cap. vij. (Actione 15.)

¶ Cap. 28.

(20. q. 3. c. eos qui semel.) Qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam expetiuerunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam: & hoc tentantes & non agentes pœnitentiam, quò minus redeant, ad hoc quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari.

Vt canonici inter monachos conuersantes, aut monachi fiant, aut canonicè viuere cogantur. Ex concilio Magontiensi, cap. xvij. (Cõ. Magont. 1 sub Leone 3. cap. 21.)

¶ Cap. 29.

Præcipimus, vt vnusquisque Episcopus sciat per singula monasteria, quantos quisque Abbas canonicos in monasterio suo habeat: & hoc omnino ambo pariter prouideant, vt si monachi fieri voluerint, regulariter viuant: Sin autem, canonicè viuant omnino.

Quòd monachum paterna deuotio, vel propria professio faciat. Ex concilio Toletano iiij. cap. xlviij. ¶ Cap. 30.

(20. q. 1. cap. monachum.) Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit *alligatum, tenebit. Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus. (* al. allegatum)

De clericis qui se fingunt monachos esse. Ex eodem concilio. ¶ Cap. 31.

(Capitul. l. 1. c. 77. De regular. tit. 31. c. vt clerici.) Vt clerici qui se fingunt habitu & nomine monachos esse, & non sunt, omnimodis corrigantur, atque emendentur, vt vel veri monachi sint, vel veri canonici.

Vt monacho sine consensu sui abbatis votum vouere non liceat. Ex dictis Basilij.

¶ Cap. 32.

(20. q. 4. ca. monacho.) Monacho non licet votum vouere sine consensu abbatis sui. Si autem vouerit, frangendum erit.

*De virginibus quæ ante annos xij insciis * mundiburnis suis velamen sibi imposuerint. Ex concilio Triburiensi, cap. xxiiij.* (* mundibardis)

¶ Cap. 33.

Virgines quæ ante xij. annos insciis * mundiburnis suis sacrum velamen capiti suo imposuerint, & illi mundiburni annum & diem hoc tacendo consenserint, in suo sancto proposito permaneant. Et si in prædicto anno & die pro illis se proclamauerint, petitioni eorum assensus præbeatur: nisi fortè Dei timore * tactæ, cum eorum licentia in religionis habitu perseuerent. (*patronis Orig.) (* tacti)

Vt clericus in qua Ecclesia semel legerit, deinceps maneat. Ex concilio Africano, cap. lvij.

¶ Cap. 34.

Item placuit vt quicunque in Ecclesia vel semel legerit, ab alia Ecclesia ad clericatum non teneatur.

De viris ac fœminis sacrum propositum transgredientibus. Ex concilio Toletano vj. c. vj.

¶ Cap. 35.

(20. q. 3. cap. procliuis.) Procliuis cursus est ad voluptatem, & imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quisquis virorum vel mulierum habitum semel induerint spontaneè religiosum, aut si vir deditus Ecclesiæ choro, vel fœmina fuerit aut fuit delegata puellarum monasterio, in vtroque sexu præuaricator ad propositum inuitus reuerti cogatur: vt vir detondeatur, & puella * monasteriũ ingrediatur. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sententia ita à Christianorum cœtu habeantur extorres, vt nec locus eis vllus sit * communis, viduas quoque vniuersalis iamdudum statuit synodus professionis vel habitus sui desertrices, vt superiori sententia condemnentur. (* ad mon. regrediatur. orig.) (* communionis orig.)

Quo tempore velamen sacris virginibus imponi debeat. Ex decreto Gelasij Papæ, cap. xij. (Cap. 14. ep. 9 ad episc. per Lucan.)

¶ Cap. 36.

Deuotis quoque Deo virginibus nisi aut in Epiphania, aut in albis Paschalibus, aut in Apostolorum natalitiis sacrum minimè velamen imponatur (& non ante xxv. annos: nisi fortè (sicut de baptismate dictum est) graui langore correptis, ne sine hoc munere de sæculo exeant, implorantibus non negentur. (20 q 1 cap. deuotis Deo virginib.)

Quòd non obsit Episcopo, si pro necessitate ante xxv. ætatis annum virginem velauerit. Ex concilio Mileuitano, cap. xxvi. (Carth. 3. c. 4. Africanum c. 93.)

¶ Cap. 37.

Item placuit, vt quicunque episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cùm vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquando mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velauerit virginem, seu velauit intra xxv. annos ætatis, non ei obsit concilium, quod de isto numero annorum constitutum est.

De Monialibus quæ alias velare præsumunt. Ex decretis Eutychiani Papæ, cap. xiij. (In fragm. cap. 2.)

¶ Cap. 38.

Nihilominus etiam in quibusdam locis inolitum inuenimus vsum stultitiæ plenum, & Ecclesiasticæ authoritati contrarium, eo quod videlicet nonnullæ abbatissæ, & aliquæ ex sanctimonialibus viduis, & puellis virginibus contra fas velum imponere præsumant, & ideo nonnullæ iniustè velatæ, putant se liberius suis carnalibus desideriis posse inseruire, & suas voluntates explere. Quapropter statuimus, vt si abbatissa, aut quælibet sanctimonialis post hanc diffinitionem in tantam audaciam proruperit, vt aut viduam aut puellam virginem velare præsumpserit, iudicio canonico vsque ad satisfactionem subdatur. (20. q. 1. c. statuimus.)

De virginibus quæ ætate velari debeant. Ex decretis Pij Papæ. ¶ Cap. 39.

Vt virgines non velentur ante xxv. annos ætatis, nisi fortè necessitate periclitantis virginalis pudicitiæ. Et non sunt consecrandæ alio tempore, nisi in Epiphania & albis paschalibus, & in Apostolorum natalitiis: nisi causa mortis vrgente. (20. q. 1. cap. virgines.)

Quòd desponsatam puellam non liceat alij viro dare, licere autem si voluerit monasterium ingredi. Ex decretis Eusebij Papæ. (In fragm. c. 3.)

¶ Cap. 40.

Desponsatam puellam non licet parentibus dare alij viro: tamen monasterium licet eligere, si voluerit. (27. q. 2. c. desponsatam)

Capitular. l. 5. c. 227.

Vt nullus incognitus citò in monasterium monachorum recipiatur. Ex concilio Toletano, cap. v.

¶ CAP. 41.

17 q. 2. c. si quis incognitus. Si quis incognitus monasterium ingredi voluerit, ante triennium monachi habitus ei non præstetur. Et si intra tres annos aut seruus, aut libertus, vel colonus quæratur à domino suo, reddatur ei cum omnibus quæ attulit, fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium non fuerit requisitus, postea quæri non potest, nisi sit tam longè quod inueniri non possit: sed tantùm ea quæ in monasterio adduxit dominus serui recipiat.

De virginibus sacris quæ propter strictiorem vitam ad aliud monasterium transire disposuerunt. Ex conc. Triburiensi, cap. xxvi.

¶ CAP. 42.

12 q. 4. ca. virgines. Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ, propter districtiorem vitam ad aliud monasterium ire disposuerint, ibique manere decreuerint, synodus concedit: si verò fugâ disciplinæ alium locum quæsierint, redire cogantur.

Quo vestitu virgines ad consecrationem venire debeant. Ex conc. Carthaginensi iij. ca. xi.

¶ CAP. 43.

dist. 23 cap. Sanctimonialis. Sanctimonialis virgo cùm ad consecrationem episcopo suo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est professioni & sanctimoniæ aptis.

Vt præter scientiam domini sui seruus non efficiatur monachus. Ex concilio Arelatensi, c. iij.

¶ CAP. 44.

Placuit in monasterio non esse suscipiendum seruum ad monachum faciendum, præter domini proprij voluntatem. Qui verò hoc constitutum nostrum excesserit, eum à communione suspendi decreuimus, ne nomen Domini blasphemetur.

Martinus Bracarens. cap. 47.

Ne quis causa religionis seruum doceat contemnere dominum suum. Ex concilio Bracarensi ij. cap. xlvij.

¶ CAP. 45.

17. q. 4. c. si quis ser. Si quis seruum alienum causâ religionis docet contemnere dominum suum, & recedere ab eius seruitio, durissimè in omnibus arguatur, & ad pœnitentiam compellatur.

De fugitiuis clericis seu monachis. Ex decretis Leonis Papæ.

¶ CAP. 46.

Fugitiuum verò clericum, aut monachum deserentem disciplinam, velut contemptorem placuit reuocare.

Tol. 4. c. 54. *De his qui cùm semel tonsi fuerint, laici efficiuntur. Ex conc. Tolet. v. cap. xlv.*

¶ CAP. 47.

Quicunque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam se totonderunt, & rursus præuaricantes laici effecti sunt: comprehensi ab episcopo suo, ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, reuocentur. Quòd si aliqui per pœnitentiam irreuocabiles sunt, nec admoniti reuertuntur, verè vt apostatæ coram ecclesia anathematis sententiâ condemnentur: non aliter & hi qui tonsi collaudantibus parentibus fuerunt, aut sponte sua amissis parentibus seipsos religioni deuouerũt, & postea habitum sæcularem sumpserunt, vt iidem à sacerdote comprehensi, ad cultum religionis, actâ priùs pœnitentiâ, reuocetur. Quòd si reuerti nolunt, verè vt apostatæ anathematis sententiæ subijciantur. Quæ forma seruabitur etiam in viduis, virginibúsque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctimonialem habitum induerunt, & postea aut vestem mutauerunt, aut ad nuptias transierunt.

Ne seruus nesciente domino suo in monasterio recipiatur. Ex concilio Chalcedonensi, cap. iij. Actione 15.

¶ CAP. 48.

Nullum verò recipere seruum in monasteriis obtentu monachi, præter domini sui conscientiam, licet. 16. q. 1. c. qui verè.

Quòd non liceat Deo sacratis nuptialia iura contrahere. Ex concilio Chalcedonensi, cap. xvi.

¶ CAP. 49.

Virginem quæ se Deo consecrauit, similiter & monachum, non licere nuptialia iura contrahere. Quòd si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem decreuimus, vt habeat authoritatem eiusdem loci episcopus, misericordiam humanitatémque largiri. 27 q. 1 c. Si qua virgo

Vt sine spe coniugij maneant, qui sanctimoniales in matrimonium duxerint. Ex epistola Paschalis Papæ, ca. xi.

¶ CAP. 50.

Hi qui scientes sanctimonialibus fœminis, in matrimonio sunt ad iniuriam Christi copulati, iuxta censuram Christiani zeli separentur, & nunquam eis concedatur iugali vinculo religari, sed in pœnitentiæ se lamentis vehementer, dum viuunt, afficiant. 27. q. 1. c. hi ergo.

De virginibus sacris, quæ præuaricatæ sunt: Ex decreto Gelasij Papæ, cap. xx. Epist. 9. ad episc. Lucaniæ, cap. 22.

¶ CAP. 51.

Virginibus sacris temerè se quosdam sociare cognouimus, & post dicatum Deo propositum incæsta fœdera sacrilegáque miscere. Quos protinus æquum est à sacra communione detrudi: & nisi per publicam probatámque pœnitentiam omnino non recipi: sed tamen his viaticum de sæculo transeuntibus, si * dignè pœnituerint, non negetur. 27. q. 1. cap. virginibus. * tamen orig.

Vt viduæ velum sibi non imponant inconsulto episcopo suo, & ne presbyteri eis imponere præsumant, quod & episcopis non licet. Ex concilio Rothomagensi, cap. ix.

¶ CAP. 52.

Statutum est, viduas non debere velari. Simul & hoc statutum est, vt si quisquam presbyterorum deinceps huius constitutionis normę contumaciter transgressor exstiterit, scilicet vt aliquas viduas velare præsumat, quia hoc & episcopis non licet, gradus sui periculum incurrat. Similiter & de puellis virginibus à presbyteris non velandis statutum est, vt si quis hoc facere tentauerit, tanquam transgressor canonum damnetur.

Quòd viduæ sub nulla sint benedictione velandæ. Ex decretis Gelasij Papæ, cap. xxi. Ca. 23 ep 9. ad episc. per Lucan.

¶ CAP. 53.

Nam de viduis sub nulla benedictione velandis superius latius duximus disserendum. Quæ si propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mutabili mente calcauerint, periculi earum intererit, quali Deum debeant satisfa-

1. Tim. 5. factione placare, quia iuxta Apostolum primam fidem irritam fecerunt. Sicut enim si se forsitan continere non poterant, secundùm Apostolum, 1 Cor 7. nullatenus nubere vetabantur, sic habita secū deliberatione, promissam Deo pudicitiæ fidem Ibidem. debuerunt custodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus inijcere, sed solas adhortationes præmij sempiterni pœnásque proponere diuini iudicij, vt nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cauendum est quippe quod de earum 1. Tim 5. moribus actibúsque beatus Paulus testatur Apostolus, quod plenius exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri, quàm admoneri videatur.

De viduis quæ semel sacratæ conuersationis velamen susceperunt. Ex concilio Aurelianensi, c. iij.

¶ CAP. 54.

27. q. 1 c. viduas quæ. Viduæ quæ spontanea voluntate ab altari sacræ conuersationis velamen suscipiunt, decreuit sancta synodus in eodem proposito eas permanere. Non enim fas esse decernimus, vt postquam se Domino semel sub velo consecrauerint, * & inter velatas oblationes fecerint, iterum eis concedi Spiritui sancto mentiri.

* Hæc desunt apud Grat.

Conc. Tribu. c. 25. *Vt nullus viduas velare attentet. Ex concilio Magontiensi, c. vi.* ¶ CAP. 55.

27 q. 1. cap. viduas Gelaj c. 13. ep. 9. 1. Cor. 7. Viduas autē velare pontificū nullus attentet, prout statutū est in decretis Gelasij Papæ c. xiij. quod nec authoritas diuina, nec canonum forma præstitit. Quæ si propria fuerit voluntate continentiam professa, vt in eiusdem Gelasij c. xxi legitur, eius intentio pro se reddat rationem Deo, quia sicut secundùm Apostolum si se continere non poterat, & nullatenus nubere vetabatur, sic secum habita deliberatione promissam fidem pudicitiæ Deo debet custodire. Nos autem authoritate patrum suffulti in hoc sacro conuentu sancimus & liberè iudicamus, si sponte velamen quamuis non consecratum sibi imposuerit, & in ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, sanctimoniæ habitum vlterius habere debet, licet sacramento confirmare velit eo tenore & ratione velamen sibi imposuisse, vt iterum posset deponere.

In capitul. adiectis, additione 2. c. 15. *De nobilibus velatis quæ postea domi in delicijs residere delectantur. Ex concilio apud Aquisgranum Ludouico Pio præsente, c. vi.*

¶ CAP. 56.

De nobilibus fœminis quæ amissis viris repentè velantur, & in propriis domibus diuersas necessitates opponentes residere delectantur, de quibus in aliis conuentibus coram serenitate vestra iamdudum ventilatum est & definitum, maiori solertique studio admonendas & instruendas ab episcopis statuimus, quatenus suæ saluti consulant: nec sic indiscretè viuendo, & propria noxiáque libertate vtendo, & per diuersa vagando periculum animarum suarum incurrant, semper illud Apostolicum ante oculos habentes quod dicitur: Vidua quæ in deliciis 1. Tim. 5. est, viuens mortua est.

Ca 23. conc. Triburien. *De his qui velatas & Deo sacratas in coniugium duxerint. Ex concilio Aurelianensi, c xxiij.*

¶ CAP. 57.

27. q. 1 c. Si quis sacro. Si quis sacro velamine consecratā in coniugiū duxerit, & post dicatum Deo propositū incæsta fœdera sacrilegáque miscuerit, vt in constitutis Gelasij Papæ c. xx. legitur, protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatámque pœnitentiam omnino nō recipi. Si tamen pœnituerint transeuntibus de sæculo viaticum non negetur. In Chalcedonensi concilio cap. xvi. hoc perpetrantes excommunicantur: confitentibus autem authoritate episcopi misericordia largiatur. In epistola Syricij Papæ cap. vi. Velatæ & Deo consecratæ si abiecto proposito sanctitatis clanculum sacrilega se contagione miscuerint, & illicitis complexibus publicè & liberè filios procreauerint, has * nuptias detestabiles à monasteriorum cœtu & ecclesiarum conuentibus eliminandas esse iudicatum est, quatenus detrusæ ergastulis tantum facinus continua lamentatione defleāt. Vnde verbo Domini, & canonica authoritate in hac sancta synodo præcipimus, vt omnimodo separentur, & iuramento colligentur, vlterius sub vno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in ecclesia aut in publico, aut rem vllam habere communem, vnde suspicio illecebrosi desiderij, aut scandalum libidinosi facti iustè possit oriri. Si quæ etiam inter se diuidenda sunt diuidant, & vterque sua prouideat & incæstuosus sine spe coniugij maneat.

* impudicas detestabilesque personas. orig. & Grat.

De viduis quæ professam continentiam præuaricatæ sunt. Ex conc. Carthaginensi iv. c. iv.

¶ CAP. 58.

Sicut bonum est castitatis præmium, ita & maiori obseruantia & præceptione custodiendum est: vt si quæ viduæ, quamlibet adhuc in minoribus annis positæ, & in matura ætate à viro relictæ, se deuouerint Deo & veste laicali abiecta sub testimonio episcopi & ecclesiæ religioso habitu apparuerint: postea verò ad nuptias sæculares transierunt secundùm Apostolum damnationem * habebunt, quia fidem castitatis quam Deo vouerunt, irritam facere * visæ sunt. Tales ergo personæ à Christianorum communione sequestrentur: neque etiam in conuiuio cum Christianis communicent. Nam si adulteræ coniuges * reæ sunt, si suis viris obnoxiæ fuerint, quantò magis viduæ, quæ Dei religiositatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, si deuotionē quam sponte nec coactè Deo obtulerūt, libidinosa * voluntate corruperint, atque ad secundas nuptias transitū fecerint? Quæ etsi violentia irruente ab aliquo oppressæ fuerint, ac postea delectatione libidinis permanere in coniugio raptori, vel violento viro consenserint, damnatione superiùs dicta teneantur obnoxiæ. De talibus ait Apostolus: Cū enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

27 q. 1. c. sicut. 1. Tim. 5. * habeant * nisæ. aliàs ausæ orig. * reatu sunt viris suis obn. orig. * voluptate. orig. 1. Tim. 5.

De eodem. Ex decretis Zepherini Papæ, c. iv.

¶ CAP. 59.

Vt viduæ in deliciis non sint, sed secundùm Apostolū sub potestate episcopi viuant: Præcipe, inquit, vt viduæ irreprehēsibiles sint. Vidua deligatur non minus xl. annorum, in operibus bonis testimonium habens: Si filios educauit, & cætera. Adolescentiores viduas deuita. Cū enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt, simul & ociosæ loquentes quod non oportet. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratiâ. Iam enim quædam conuersæ sunt retrò post Sathanam.

Cōc. Aquisgra. cap. 35. 1. Tim. 5.

Capitul. l. I. cap. 102. *Ne fœminæ, quarum mariti obierunt, citò se velent. Ex concilio Aurelianensi, cap. v.*

¶ Cap. 60.

De fœminis quæ viros amittunt, placet ne se (sicut hactenus) indiscretè velent, sed xxx. dies post decessum viri sui expectent: Et post tricesimum diem, per consilium episcopi sui, vel si episcopus absens fuerit, consilio aliorum religiosorum sacerdotum, suorúmque amicorum id quod eligere debent, eligant. Et vt rogetur princeps à sacro conuentu, vt hi qui publicam egerint pœnitentiam, & fœminæ quæ viros amittunt, sua authoritate donentur, deliberent quid agant, tueantur, & specialiter pro his capitula fieri, & legis mundanæ capitulis inserenda decreuimus.

Cō. Arausi. I. cap. 27. *Vt viduitatis professio coram Episcopo fiat. Ex concilio Arausico, cap. vi.*

¶ Cap. 61.

27. q. I. cap. viduitatis. Viduitatis seruandæ professionem coram episcopo in secretario habitam, imposita coram episcopo veste viduali non esse violandam. Ipsam autem talis professionis desertricem, meritò damnandam esse decernimus.

Vt nullus vetet viduas nubere, si voluerint. Ex concilio Toletano iij. cap. x.

¶ Cap. 62.

32. q. 2. cap. hoc sanctum. Pro consultu castitatis, quod maximè hortamento concilij proficere debeat, annuente glorioso Domino nostro Recaredo rege, hoc sanctū * confirmat concilium, vt viduæ, quibus placuerit tenere castitatem, nullâ vi ad nuptias iterandas venire cogantur. Quòd si priusquàm profiteantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, quos propria voluntate voluerint habere maritos. Similis conditio & de virginibus habeatur, nec contra voluntatem parentum vel suam cogantur maritos accipere. Si quis verò propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit, à sancta communione & à liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus.

*affirmat er. & Gr.

Capitul. addit. 4. c. 65. fusius. *Vt viduæ à proposito viduitatis discedentes excommunicentur. Ex Epistola sancti Gregorij Papæ missa ad Bonifacium.*

¶ Cap. 63.

27. q. I. cap. viduas. Viduas à proposito discedentes viduitatis, super quibus nos consulere voluit dilectio tua, frater charissime, credo te nosse à sancto Paulo & à multis sanctis patribus, nisi conuertantur, olim esse damnatas: quas & nos apostolica authoritate damnandas, & à communione fideliū, atque à liminibus ecclesiæ arcendas fore censemus, vsquequò obediant suis episcopis, & ad bonum quod cœperunt, inuitæ aut voluntariæ reuertantur. De virginibus autem non velatis si deuiauerint, à sanctæ memoriæ prædecessore nostro Papa Innocentio taliter decretum habemus: Hę verò quæ necdum sacro velamine tectę, tamen in proposito virginali semper se simulauerunt permanere, licet velatæ non fuerint, si nupserint, aliquanto tempore his agenda pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonę fidei contractus nulla ratione dissolui, quantò magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigit solui sine vindicta non poterit? & cętera. Nam si virgines nondum velatæ taliter pœnitentiâ publicâ puniuntur, & à cœtu fidelium vsque ad satisfactionem excluduntur: quantò potius viduæ, quæ perfectioris ætatis & maturioris sapientiæ atque consilij existunt, virorúmque consortio multoties vsæ sunt, & habitum religionis assumpserunt, & demum apostatauerunt, atque ad priorem vomitum sunt reuersæ, à nobis & ab omnibus fidelibus à liminibus ecclesiæ & à cœtu fideliū vsque ad satisfactionem sunt eliminandæ, & carceribus tradendæ, qualiter iuxta B. Apostolum Paulum tradentes huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. De talibus enim & Dominus per Moysen loquitur, dicens: Aufer te malum de medio vestri. De quibus & per Prophetam ait: Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. De talibus namque & eorum similibus, atque eisdem consentiētibus dicitur: Quia non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, rei iudicandi sunt.

2. Pet 2. 1 Corint 5. Deuter 13. Psalm. 57. Rom 1.

Vt viduæ velatæ ad nuptias non transeant Ex decretis Gelasij Papæ, ad Sicilienses episcopos. ca. ix.

¶ Cap. 64.

Neq; viduas ad nuptias trāsire patimur, quæ in religioso proposito diuturna obseruatione permanserunt. Similiter & virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasterio ætatem peregisse contigerit. 27. q. I. cap. neque viduas.

De vidua quæ sub obtentu religionis velum sibi ad tempus imposuerit. Ex Epistola Nicolai Papæ, cap. v.

¶ Cap. 65.

Inter restricta Nic. I. tit. 15 c. 1. dist. 27. c. Quod interrogasti.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei reuerendissimo & sanctissimo confratri nostro Adaluvvino sanctæ * Viennensis Ecclesiæ archiepiscopo. Quod interrogasti de fœmina, quę post obitum mariti sui velamen sacrum super caput suum imposuit, & finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse, postea verò ad nuptias rediit: bonum mihi videtur, quia per hypocrisim ecclesiasticam regulam conturbare voluit, & non legitimè in voto suo permansit, vt pœnitentiam agat de illusione nefanda, & reuertatur ad id quod spopondit, & in sacro ministerio inchoauit. Nam si consenserimus quòd omnia sacramenta Ecclesiastica quisque prout vult fingat, & non verè faciat, omnis ordo ecclesiasticus conturbabitur, nec Catholicæ fidei iura consistent, nec canones sacri ritè obseruabuntur. Quid enim profuit Simoni mago baptismum sacrum fictè suscipere, & in Christianitate permansurū se finxisse, cùm per Apostolum fraude eius detecta, quid sibi futurum esset prænunciatum est? Ait enim: Pecunia tua tecum sit in perditionem, cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse. Ideò tales nisi resipiscant, spirituali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui sancto mentiri, sicuti Ananias & Saphira mentiti sunt, & statim perierunt.

* Vinanensis. Actor. 8. Actor. 5.

De viduis & puellis quæ in domibus propriis habitum religionis susceperunt. Ex concilio Toletano iiii. cap. lvii.

¶ Cap. 66.

Conc Paris. v. cap 3. Capitul. l. 7. c. 257.

De viduis & puellis quæ habitum religionis in domibus propriis tam à parentibus, quàm per se mutauerunt, si postea contra instituta 27. q. I c. de viduis et.

patrum vel præcepta canonum coniugia crediderint copulanda, tamdiu * vtrique habeantur à communione * suspensi, quo vsque quod illicitè perpetrauerunt, emendent. Quod si emendare neglexerint, à communione, & omnium Christianorum conuiuio, in perpetuum sint sequestratæ.

*vtreque Grat.
* suspēsæ Grat.

Quòd sanctus Gregorius quandam fœminam velatam, quæ sacrum propositum transgressa erat, comprehendi iusserit. Ex registro Gregorij ad Vitalianum Sipontinum Episcopum. Lib. 7. Registri, c. 9.

¶ Cap. 67.

27. q. 1. cap. si custos.

Si custos religiosi habitus fuisses, aut esse nosses episcopus, filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, te illic posito, nec proiectis religiosis vestibus, ad sæcularem reuerti habitum, nec ad nos licuisset peruersam epistolam destinare. Sed quia nimia desidia ac torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præsens illicita impunè commissa est. Nam (sicut præfati sumus) si sollicitus esses, priùs ad nos vltio mulieris prauissimæ, quàm culpa debuit peruenire. Quia igitur tantùm hebes, tantùmque es negligens, vt nisi canonicam in te fueris coertionem expertus, in aliis districtiorem disciplinam nescias custodire, qualiter debeas esse sollicitus, congruo tibi (si Domino placuerit) tempore demōstrabimus. Præsentia igitur scripta suscipiens euigila, & excitatus saltem exequere, quod pressus nunc vsque ignauia distulisti. Instantiæ ergo tuæ sic prædictam mulierem vna cum Sergio defensore * comprehendere, & statim non solùm ad malè contemptum habitum sine excusatione aliqua reuocare, sed etiam in monasterio, vbi omnino districtè valeat custodiri, detrudere: & ita omnem circa illam sollicitudinem exhibere, vt quàm sit nefarium quod cōmisit ex tua possit districtione cognoscere. Qua in re si quis (quod non credimus) laicorum aliquo tibi ingenio tentauerit obsistendum, à sanctissimæ eum communionis participatione suspende, nobísque renunciare festina, vt quantum sit execrabile quod præsumit, postquàm consideratione propria non aduertit, emendationis qualitate cognoscat. In his autem omnibus ita cautum ac stude vigilantem te ostendere, vt culpam tuam non geminare neglectus, sed aliquantisper valeat & sollicitudo minuere.

*nostro orig.

De viduis velatis si voluptatibus carnis inseruire accusantur. Ex concilio Meldensi, cap. ij. sub Sergio 2. cap. 70.

¶ Cap. 68.

Vt illæ quæ quasi sanctimoniales sub velamine religionis degere videntur, sed potius in deliciis viuentes mortuæ in diuinis oculis computantur, per prouincias discurrentes * curiosæ & verbosæ, si libidinibus cæterísque carnis voluptatibus inseruire accusantur, si manifestè detegi potuerint, episcopali authoritate & regia potestate, in talibus locis residere sub testimonio religioso cogantur, vbi pœnitentiam si fecerint dignam, assequantur etiam fructuosam. Si enim manifestè detegi non valuerint, erga ecclesiam suæ opinionis malam famam canonicè purgare cogantur: & vt religiosius de cætero viuant, & in monasteriis conseruentur, episcopali decreto & regia potestate coërceantur. De his enim Apostolus dicit: Quæ cùm fornicatæ fuerint in Christo, nubere volunt.

1. Tim. 5.
* ociosæ
1. Tim. 5.

Vt sacrilegi iudicentur, qui se sacris fœminis miscuerint. Ex concilio Arelatensi, c. vii. In fragm.

¶ Cap. 69.

Sciendum est omnibus, quòd Deo sacratarum fœminarum corpora, per votum proprię sponsionis & verba sacerdotis, Deo consecrata templa esse, scripturarum testimoniis comprobantur: & ideò violatores earum, sacrilegi ac iuxta Apostolum filij perditionis esse noscuntur. 27 q. 1. cap. Sciendum. 1. Cor. 3.

De his qui sanctimoniales virgines, vel viduas rapiunt. Ex concilio Meldensi, c. vi. Cap. 67.

¶ Cap. 70.

Qui sanctimoniales virgines, vel viduas rapiunt, & progressu etiam criminis in coniugium sumunt, publicæ pœnitentiæ * subigantur. Ipsæ verò fœminæ locis congruis pœnitentiæ retrudantur, & ad habitum religionis redire cogantur. * Ipse autem incæstuosus sine spe vxoriæ copulationis perēniter máneat, * nisi nescisse se velatam expurgare potuerit. Si verò (quod absit) coniugia iterare præsumpserint, acriori subdantur vindictæ, & amplius propellātur. * Quod si fortè obedire monitis salutaribus noluerint, anathematizentur.

* Iuxta modum quibus præuiderit Episcopus. orig.
* vterque autē sine orig.
* hæc absunt ab orig.
* Qui orig.

Quòd clerici & laici cum bono testimonio cum sacris puellis loqui debeant. Ex concilio Spalensi, cap. x. ¶ Cap. 71.

Hæc cautela circa omnes seruetur, vt laici remoti à peculiaritate virginum, nec vsque ad vestibulum habeant accedendi familiare permissum. Nec ipse qui præest cum sola colloqui debet, sed sub testimonio duarum aut trium sororum, ita vt rara sit accessio, breuísque locutio.

Quòd mulieres velatæ aut in monasteriis aut in domibus suis habitum obseruent. Ex decretis Eugenij Papæ, c. xxvi. ¶ Cap. 72.

Mulieres obtentu religionis velatæ, aut in monasterio regulariter viuant, aut in domibus suis susceptum habitum castè obseruent. 27. q. 1. c. mulieres.

Vt adolescentiores viduæ vel sanctimoniales ab episcopo non negligantur. Ex concilio Carthaginensi. iv. cap. cij. ¶ Cap. 73.

Ad reatum episcopi pertinet vel presbyteri, qui parœciæ præest, si sustentandæ ab ecclesia vitæ præsentis causâ adolescentiores viduæ, vel sanctimoniales, * eorum familiaritatibus subijciantur. dist 81. c. ad reatum.

* Clericorum. orig.

Vt vnusquisque episcopus clericos in suo episcopio vagantes ad suum episcopum redire faciat. Ex concilio Magontiensi, c. xix.

¶ Cap. 74.

Vt vnusquisque episcopus in sua parœcia diligenter presbyteros vel clericos inquirat vnde sint, & si aliquem fugitiuum inuenerit ad suum episcopum redire faciat.

Item de clericis vagis. Ex eodem, c. xviii. Cap. 22.

¶ Cap. 75.

De clericis vagis seu acephalis, id est, de his qui sunt sine capite, neque in seruitio domini nostri, neque sub episcopo, neque sub abbate, sed sine canonica vel regulari vita degentes, vt in libro Officiorum secundo, cap. iij. de his dicitur: hos neq; inter laicos inter sæcularium officiorum studia, neque inter clericos religio- Isidorus officio. eccle. lib. 2. c. 3.

retentat diuina, sed solutos atque oberrantes sola turpis vita complectitur & vaga: quiq; dum nullum metuunt, explendæ voluptatis suæ licētiā sectātur, & quasi animalia bruta libertate ac desiderio feruntur, habētes signum religionis nō religionis officium, hippocentauris similes, nec equi nec homines: tales omnino præcipimus, vt vbicunque inuenti fuerint, episcopi sine vlla mora eos sub custodia constringant canonica, & nullatenus eos amplius ita errabundos & vagos secundùm desideria voluptatum suarum viuere permittant. Sin autem Episcopis suis canonicè obedire noluerint, excommunicentur vsque ad iudicium * Episcopi regionis illius. Sin autem nec illi eos corrigere valuerint, omnino sub vinculis constringantur vsque ad synodum, vt eis ibi iudicetur, vtrum ad iudicium * principis, an ad vniuersalem synodum deferantur sub custodia publica.

*Archiep orig.

* Domini nostri. or.

Vt monachæ monasticè viuant & canonicè, secundùm vitam canonicam. Ex eodem concilio, cap. xiij. cui interfuerunt Carolus Imperator, & Richolfus archiepiscopus in claustro sancti Albani.

CAP. 76.

Abbatissas autem cum sanctimonialibus omninò rectè & iustè viuere censemus. Quæ verò professionem secundùm regulam sancti Benedicti fecerunt, regulariter viuant. Sin autem, canonicè viuant pleniter, & sub diligenti cura custodiam habeant, & in claustris suis permaneant, nec foras exitum habeant. Sed & ipsæ Abbatissæ in monasteriis sedeant, nec foras vadant sine licentia & consilio episcopi sui.

Vt sanctimoniales non egrediantur sine licentia Abbatissæ. Ex eodem conc. cap. xiiij.

Cō Cabillō 2 sub Carolo Magno cap. 62.

¶ CAP. 77.

Sanctimoniales, nisi fortè Abbatissa sua pro aliqua necessitate incumbente illas mittente, nequaquàm de monasterio egrediantur. Hæ verò quæ famulos aut famulas non habent ad exercenda negotia, ad mediam monasterij portam perueniant, & ibi coram testibus negotium suum exerceant.

De fœminis quæ propter continentiam assumunt virilem habitum. Ex conc. Gangrensi, c. xiij.

¶ CAP. 78.

dist 30. c. Si qua mulier.

Si qua mulier propter continentiam quæ putatur, habitum mutat, & pro solito muliebri, amictum virilem sumit, anathema sit.

De illo qui virginitatem obseruans, nuptias execratur. Ex eodem concilio, cap. ix.

¶ CAP. 79.

dist 30. c. Si quis vel.

Quicunque virginitatem custodiēs, aut continentiæ studens, velut horrescens nuptias temerat: nec propter hoc quod bonum & sanctum est, nomen virginitatis assumit: anathema sit.

De fœminis quæ propter religionem crines totonderunt. Ex eodem concilio, cap. xvij.

¶ CAP. 80.

dist. 30. ca. quæcunque mulieres.

Si qua mulier propter diuinum cultum vt existimat, crines attondet, quos ei Deus ad subiectionis memoriam tribuit, tanquam præceptum dissoluens obedientiæ, anathema sit.

De illis qui propter continentiam palliis vestiuntur. Ex eodem c. xij. ¶ CAP. 81.

dist 30. c. Si quis virorū.

Si quis virorum, propter continentiam quæ putatur, amictu pallij vtitur, quasi per hoc habere se iustitiam credens, & despicit eos qui cum reuerentia & birris, & aliis communibus & solitis vestibus vtuntur: anathema sit.

Ne continens aduersus coniugatos extollatur. Ex eodem concilio cap. x.

¶ CAP. 82.

Si quis ex his qui virginitatem seruant propter Deum, extollitur aduersum coniugatos, anathema sit.

Quòd non sit permittendum, monachos & monachas in eodem monasterio simul habitare. Ex registro sancti Gregorij.

¶ CAP. 83.

In nullo loco monachos & monachas permittimus vnum monasterium habere: sed nec ea quæ duplicia vocant. Et si quid tale est, religiosus episcopus mulieres quidem in suo loco studeat manere, monachos autem aliud monasterium ædificare cogat. Si autem plurima sint talia monasteria, separentur in aliis monasteriis monachæ, & in aliis monachi. Res autem quas habent communes, secundùm iura eis competentia distribuantur.

Episcopi monasteria monachorum & monacharum frequenter visitent. Ex concilio Rothomagensi, cap. iii. ¶ CAP. 84.

Vt Episcopus monasteria monachorum & sanctimonialium frequenter introeat, & cum grauibus & religiosis personis in eorum vitam vel in earum conuentu residens, eorum vitam & conuersationem diligenter discutiat: & si quid reprehensibile inuenerit, corrigere satagat. Sanctimonialium etiam pudicitiam subtiliter inuestiget, & si aliqua inuenitur quæ neglecto proposito castitatis clerico aut laico impudenter misceatur, acriter verberibus coerceatur, & in priuata custodia retrudatur, vbi quod malè admisit dignè pœniteat. Interdicat etiam ex authoritate sanctorum canonum, vt nullus laicus aut clericus in earum claustris & secretis habitationibus accessum habeat, neque presbyteri, nisi tantùm ad Missam. Expletâ Missâ ad Ecclesias suas redeant. Omnibus præterea publicè & priuatim denunciet, quantum piaculum sit, qui sponsam Christi vitiare præsumit. Si enim ille reus tenetur, qui sponsam hominis violat, quantò magis reus maiestatis efficitur, qui sponsam omnipotentis Dei corrumpit?

Vt Abbates in potestate episcoporum consistant. Ex concilio Aurelianensi, cap. iij.

¶ CAP. 85.

Con Aurel. 1. cap. 21. 18 q 2. cap. Abbates. Et c. non semel.

Abbates pro humilitate religionis in episcoporum potestate consistant, & si quid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigantur. Non semel, sed sæpius in anno Episcopi visitent monasteria monachorum, & si quid corrigendum fuerit, corrigatur. Monachi autem abbatibus omni obedientia & deuotione subiaceant. Quòd si quis per contumaciam extiterit indeuotus, ac per loca aliqua vagari, aut peculiare aliquid habere præsumpserit, omnia quæ acquisierit ab abbatibus auferantur, secundùm regulam sancti Benedicti, monasterio profutura. Ipsi autem qui fuerint peruagati, vbi inuenti fuerint, cum auxilio episcopi tanquàm fugaces, sub custodia reuocentur & constringantur.

De monachis qui filios procreauerint. Ex dictis Isidori. ¶ CAP. 86.

Monachi filios procreantes in carcerem retrudantur, tantum facinus continua lamentatione deflentes, vt eis vel ad mortem sola misericordia in communionis gratia possit indulgeri.

Dist. 87. ad Conc. Africanos, cap. 2. *De sanctimonialibus quæ vim barbaricam pertulerunt. Ex decretis Leonis Papæ.* ¶ CAP. 87.

De his autem quæ in sacro virginitatis proposito constitutæ barbaricam pertulere violentiã, & integritatem pudoris non animo, sed corpore perdidêre: ea nobis videtur seruanda moderatio, vt neque in viduarum deijciantur gradum, neque in sacrarum & perseuerantium virginum numero censeantur. Quibus, si in omnibus virginalibus obseruationibus perseuerant, & castimoniæ soliditatem mente custodiunt, sacramentorum non est neganda communio: quia iniustum est illas in eo vel argui vel notari, quod non voluntas admisit, sed vis hostilis eripuit.

L. 7. Ind. 2. ca. 107. aliàs cap. 108. *De quadam Abbatissa, quæ se proclamauerat super militibus in claustro suo hospitantibus. Ex registro Gregorij ad Fortunatum episcopum Neapolitanum.* ¶ CAP. 88.

Insinuauit nobis latrix præsentium Agnella Abbatissa, quòd intra monasterium ipsius milites hospitentur. Et omninò de fraternitatis vestræ sollicitudine mirati sumus, cur hoc patienter tulerit, & non illud cum omni celeritate fecerit emendare. Vnde hortamur, vt vel nunc studij vestri sit, instanter eis quorum interest imminere, quatenus sine aliqua exinde excusatione tollantur, & nullus illic vlteriùs meatum accipiat, ne callidus hostis occasionem inueniens, de deceptione religiosi habitus (quod absit) valeat exultare.

Quòd res Ecclesiasticæ à laicis non sint disponendæ. Ex concilio apud Compendium, cap. x. ¶ CAP. 89.

Synodali decreto sancitum est, ne laici vel sæculares de viris Deo dicatis ecclesiæque facultatibus aliquid ad se putent vel præsumant præter reuerentiam, pertinere, quorum quarũmque sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa esse docetur. Si quis contra hæc venire præsumpserit, anathemate feriatur.

De eodem. Ex eodem concilio, cap. iij. ¶ CAP. 90.

De viris Deo dicatis, vel ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi, nulla legitur laicis quamuis religiosis vnquam attributa facultas.

Ne Abbates ad synodum ire cogantur, nisi pro rationabili causa. Ex conc. Turonico, cap. xi. ¶ CAP. 91.

dist 18. cap. episcopus. c. 10. Et Agath. cap. 58. Episcopus non debet cogere Abbatem ad synodum ire, nisi aliqua rationabilis causa consistat.

Vt congregationes monachorum absque consensu episcopi non fiant. Ex conc. Epaunensi, cap. xi. ¶ CAP. 92.

18. q. 2. c. cellulas. Cellulas nouas aut congregatiunculas monachorum absque notitia episcopi prohibemus institui.

Et Carth. 3. cap. 33. *De virginibus sacris quæ parentibus priuantur. Ex concilio Africano, cap. xi.* ¶ CAP. 93.

Vt virgines sacræ, si parentibus à quibus custodiebantur priuatæ fuerint, ab episcopo custodiantur. Vbi autem episcopus absens est, prouidentia grauioribus fœminis commendetur, vt simul habitantes inuicem se custodiant, ne passim vagando Ecclesiæ lædant * æstimationem. * existimat. orig. Con. Carth. 4 cap. 97.

Quis sit religiosis fœminis præponendus. Ex concilio Carthaginensi, cap. xxvij. ¶ CAP. 94.

Qui religiosis fœminis præponendus sit, ab episcopo probetur. 18 q. 2. c. qui religiosis. Cõc. Cabillo. 2. sub Carolo magno cap. 59.

Quid sanctimoniales in claustro facere debeant. Ex concilio Magontiensi. ¶ CAP. 95.

Sanctimoniales in monasterio constitutæ habeant studium in legendo, & in cantando, & horas canonicas solenniter pariter celebrent, & omnes (exceptis quas infirmitas tenet) in dormitorio dormiant, & omnibus diebus ad capitulum & ad collationem veniant, & regulam à sanctis patribus illis constitutam diligenter obseruent.

Vt nullus claustra sanctimonialium ingrediatur, nisi ad opera exercenda. Ex eodem conc. c. xvi. Cõc. Cabillo. 2. cap. ¶ CAP. 96.

Nullus vassus Abbatissæ, aut minister aliquis, nec clericus, nec laicus claustra ancillarum Dei ingrediatur, nisi fortè quando necessitas operandi incumbit.

Vt ianitrix non eligatur, nisi boni testimonij. Ex eod. cap. xi. ¶ CAP. 97. Cõc. cabillo. 2. cap. 64.

Portaria non eligatur, nisi quæ ætate matura sit, & testimonium habeat bonum, & vitæ probabilis sit.

Vt Abbatissa nisi per licentiam sui Episcopi, è monasterio non egrediatur. Ex concilio Gangrensi, cap. viij. ¶ CAP. 98. Cõc Cabillõ. 2. ca. 57.

Abbatissa quæ in ciuitate monasterium habet, nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam episcopi sui. Et si quando foras pergit, de sanctimonialibus quas secum ducit, curam maximam habeat, vt nulla eis detur occasio peccandi.

Vt nullus Abbas duobus monasteriis præsit. Ex conc. Arausico, c. liij. ¶ CAP. 99. Cõc. Agath. cap. 57. 21. q. 1. cap. vnum.

Vnum Abbatem duobus monasteriis interdicimus præsidere.

Vt monachi vel monachæ compatres non habeant. Ex concilio Augustodunensi, cap. v. ¶ CAP. 100.

Vt monachi & monachæ compatres habere non præsumant.

Quòd fœminæ in conuentu docere non possint. Ex concilio Carthaginensi, cap. j. Cõc. Carth. 4. cap. 99. ¶ CAP. 101.

Mulier quamuis docta, in conuentu docere non audeat. dist. 22. cap. mulier.

Quòd fœminæ pœnitentiam dare non possint, nec inter sacerdotes in conuiuio sedere. Ex conc. Rhemensi, c. v. præsente Ludouico Imper. ¶ CAP. 102.

Fœmina non det pœnitentiam, nec corporale cum oblatione, nec calicem super altare ponat,

nec inter ordinatos stet in ecclesia, nec sedeat inter sacerdotes in conuiuio.

Sub Formoso c.19. *De mulieribus virorum causas discutientibus. Ex concilio Nannetensi, cap. vij.*

¶ Cap. 103.

1.Cor. 14. Cùm Apostolus dicat: mulieres in ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui: turpe est enim mulieri in ecclesia loqui: mirum videtur quod quædam mulierculæ contra diuinas humanásque leges attrita fronte impudenter agentes, placita generalia & publicos conuentus indesinenter adeant, & negotia regni vtilitatésque Reipublicæ magis perturbent, quàm disponant: cùm indecens sit, & etiam apud Barbaras gentes reprehensibile mulieres virorum causas discutere, & quæ de lanificiis suis operibus textrilibus & muliebribus, inter genitiarias suas residentes debuerant disputare, in conuentu publico, ac si in curia residentes, senatoriam sibi vsurpant authoritatem. Quæ ignominiosa præsumptio fautoribus magis imputanda videtur, quàm fœminis. Vnde quia diuinæ leges (vt supra monstratum est) hoc contradicunt, & humanæ nihilominus idipsum prohibent, vt fœminæ nihil aliud prosequantur in publico, quàm suam causam: ait enim lex Theodosiana. Nulla ratione fœminæ amplius quàm suas causas agendi habeant potestatem, nec alicuius causam à se nouerint prosequendam, idcirco ex authoritate canonica interdicimus, vt nulla sanctimonialis virgo vel vidua conuentus generales adeat, nisi à principe fuerit euocata, aut ab episcopo suo, nisi fortè propriæ necessitatis ratio impulerit, & hoc ipsum cum licentia *& nuncio episcopi sui.

** & nun. desunt in origin.*

Quòd abbas pro humilitate locum suum relinquere possit. Ex concilio Magontiensi, c. xviii.

¶ Cap. 104.

18. q. 2 c. Abbas potest. Abbas potest pro humiliatione, & cum permissione episcopi locum suum *deserere. Tamen fratres eligant sibi abbatem de ipsis, sin autem de extraneis. Nec episcopus debet abbatem violenter retinere in loco suo. Congregatio debet sibi eligere Abbatem post mortem Abbatis sui, vel eo viuente si ipse discesserit vel peccauerit. Ipse enim non potest aliquem ordinare de suis propinquis, vel amicis, sine voluntate fratrum.

** derelinquere.*

Inter Herardi Tur. Arch. capitula, c. 136. *Quòd laicus in ecclesia lectionem recitare non possit. Ex eodem, cap. ix.* ¶ Cap. 105.

Laicus non debet in ecclesia lectionem recitare, nec Alleluia dicere, nisi psalmos tantùm & responsoria, sine Alleluia.

Quòd non liceat episcopo rem monasterij abstrahere. Ex eodem concilio, cap xx.

¶ Cap. 106.

16. q. 6. c. episcopo. Episcopo non licet tollere possessionem monasterij, quamuis Abbas peccauerit: sed mittat eum in aliud monasterium in potestatem alterius Abbatis.

Cont. Magon. 1. c 12. c. 65. regulæ S. Benedicti. *Ne monachi placita sæcularia adeat. Ex eodem concilio, cap. xxi.* ¶ Cap. 107.

Ac deinde decreuimus, sicut sancta regula dicit, vt monasterium vbi fieri possit, per decanos ordinetur: quia illi præpositi sæpe in elationem *1. Tim. 3.* incidunt, & in laqueum diaboli. Hoc tamen omninò volumus, vt non monachi ad sæcularia placita vllatenus veniant, neque ipse abbas sine licentia episcopi sui: & cùm necessitas exigit, tunc per iussionem & consilium episcopi sui illuc vadat. Nequaquam tamen contentiones aut lites aliquas ibi mouere præsumat, sed quicquid quærendum vel etiam respondendum sit, per aduocatos suos hoc faciat. Abbates & monachi vsque ad interrogationem silentium habeant: & cùm interrogantur cum humilitate & reuerentia respondeant: alias querelas omnino deuitent. In eorum claustro permaneant, nullúsque ex eis foras vadat, nisi per necessitatem ab Abbate mittatur in obedientiam, nec foras manducet, neque bibat sine permissione Abbatis, nec ad conuiuia sæcularia vadat.

Quæ sint sæcularia negotia. Ex eodem, c. xxij.

¶ Cap. 108.

Ministri autem altaris Domini vel monachi, *Ibid. c. 14.* nobis placuit, vt à negotiis sæcularibus omninò abstineant. Multa sunt ergo negotia sæcularia: de his tamen pauca perstringamus, ad quæ pertinet omnis libido, non solùm immunditia carnis, sed etiam omnis carnalis concupiscentia. Quicquid plus iustò appetit homo, turpe lucrũ est. Munera iniusta accipere vel etiam dare, pro aliquo sæculari conquestu, pretio aliquem conducere, contentiones, lites, & rixas amare, in placitis sæcularibus disputare excepta defensione orphanorum aut viduarum, conductores aut procuratores esse sæcularium rerum, turpis verbi vel facti *iaculatorem esse, vel iocum sæ- ** ioculatorem.* cularem diligere, aleas amare, ornamentum inconueniens proposito suo quærere, in deliciis viuere velle, gulam & ebrietatem sequi, pondera iniusta vel mensuras habere, negotium iniustum exercere. Nec tamen iustum negotium est contradicendum, propter necessitates diuersas, quia legimus sanctos Apostolos negotiasse, & in regula sancti Benedicti precipitur præuidere, *Cap. 57.* per quorum manus negotium monasterij transeat. Canes & aues sequi ad venãdum, & in omnibus quibuslibet causis superfluum esse. Ecce talia, & his similia ministris altaris Domini nec non & monachis omninò contradicimus, de *2. Tim. 2.* quibus dicit Apostolus: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.

De clericis vel monachis iniustè tonsuratis. Ex eodem conc. cap. xxiij. ¶ Cap. 109.

De clericis verò hoc statuimus, vt hi qui hactenus inuenti sunt, siue in canonico, siue in monachico ordine tonsurati, sine eorum voluntate, si liberi sunt, vt ita permaneant: & deinceps cauendum vt nullus tondeatur nisi legitima ætate, & spontanea voluntate, vel cum licentia domini sui, vel consensu parentum. *Con. Rhem. 1. c. 17.*

Vt Episcopi vel Abbates turpes iocos ante se fieri non permittant. Ex eodem, cap. xxiv.

¶ Cap. 110.

Vt episcopi vel Abbates ante se ioca turpia fieri non permittant, sed pauperes secum ad mẽsam habeant, & lectio diuina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione & laude Domi- *1. Cor. 10.* ni secundùm Apostolum: Siue manducatis, siue bibitis, omnia in laudem Dei faciatis.

Cabilon.2.c.17. *De illis qui ab Episcopis seu ab aliis seductis se totonderunt. Ex eodem, cap. xxiij.*

¶ Cap. III.

16 q.7.c.cōstituit sanè. Constituit sanè sacer iste conuentus, vt episcopi siue abbates, qui non in fructum animarū, sed in auaritiam & turpe lucrū inhiantes, quoslibet homines illectos circūueniendo totonderunt, & res illorum tali persuasione non solùm acceperunt, sed potius surripuerunt, pœnitentiæ canonicæ siue regulari (vtpote turpis lucri sectatores) subiiciantur. Hi verò qui vanis promissionibus illecti, vel quibuslibet machinationibus persuasi, mentis inopes effecti, rerum suarum domini esse nescientes, comā deposuerūt, in eo quod cœperunt perseuerare cogantur. Res náque quæ ab illectis & negligentibus datæ, ab auaris & negligentibus nō solū acceptæ, sed raptæ noscuntur, heredibus reddantur qui dementiā parentum, & auaritiā incentorum exheredati esse noscuntur. Si verò nescientibus episcopis aut abbatibus, ministri eorum quilibet, videlicet in clero hoc fecisse conuincuntur, episcopi & abbates de desidia, illi verò rapacitate & auaritia iudicentur. Hoc verò quod quis Deo iuste & rationabiliter de rebus suis offert, firmiter ecclesia tenere debet.

Ibid c 54. *Vt Abbatissa magnam curam habeat de congregatione sua. Ex eodem cap. xxvi.*

¶ Cap. 112.

Abbatissa diligentem habeat curam de congregatione sibi commissa, & prouideat vt in lectione & in officio & in modulatione psalmorum, ipsæ sanctimoniales strenuæ sint, & in omnibus bonis operibus illa eis ducatum præbeat, Heb.13. vtpote pro animabus earum rationem reddituræ in conspectu Domini, & stipendia sanctimonialibus præbeat necessaria, ne fortè per indigentiam cibi aut potus peccare compellantur.

Ibid c. 61. *Vt sanctimoniales in domibus suis cum masculis manducare vel bibere non præsumant. Ex eodem cap. xxvij.*

¶ Cap. 113.

Non debere sanctimoniales in propriis mansionibus cum aliquibus masculis clericis siue laicis, consanguineis siue extraneis bibere siue comedere, sed si quando id agendum est, in auditorio agatur. Et cum nullo masculo colloquium eis habere liceat, nisi in auditorio, & ibi coram testibus idoneis.

Qualiter indignus abbas deponendus sit. Ex concilio Triburiensi, cui interfuit Arnulphus rex, cap.xv. ¶ Cap. 114.

31 q 1. c.Si quis abbas. Si quis autem abbas cautus in regimine, humilis, castus, sobriúsque, misericors, discretus non fuerit, ac diuina præcepta verbis & exemplis non ostenderit, ab episcopo, in cuius territorio consistit, & à vicinis abbatibus, & ceteris Deum timentibus, à suo * deponatur honore, etiamsi omnis congregatio vitiis suis consentiens, abbatem eum sibi habere voluerit.

* arceatur

Quid agendum sit clericis qui tonsuram dimiserunt, & vxores duxerunt. Ex eodem concilio, c.xvi. ¶ Cap. 115.

Clericus si tonsurâ dimissâ vxorem acceperit, qui quidem sit sine gradu, nec ad monasteriū aliquod à parentibus traditus, si vxorem habere permittitur, iterū tōderi cogatur, nec in vita sua tonsurā negligere audeat. Quem autē progenitores ad monasterium tradiderunt, & in ecclesia cœperit cantare, & legere, nec vxorem ducere, nec monasteriū deserere poterit: sed si discesserit, reducatur. Si tonsuram dimiserit, rursum tondeatur. Vxorem si vsurpauerit, dimittere compellatur.

De puellis quæ se ante legitimos annos sua sponte sacræ religioni tradiderunt. Ex eodem concilio, c.xxiv. ¶ Cap. 116.

Puella si ante duodecim annos ætatis suæ, sponte sua sacrum sibi velamen assumit, possunt statim parentes vel tutores eius id factū irritum facere, si volunt. At si annum & diē id dissimulādo consenserint, vlteriùs nec ipsa, nec ipsi mutare hoc poterunt. Porrò si in fortiori ætate adolescentula vel adolescēs Deo seruire elegerint, non est potestas parentibus hoc prohibendi. 20.q 2.cap. puella.

Vt qui voluerit, filiam aut neptem seu parentem suam Deo offerat. Ex eodem concilio, c.vi.

¶ Cap. 117.

Quicunque filiam suā aut neptē vel parentē suam Deo omnipotenti offerre voluerit, licentiā habeat. Sin autē virum accipiat, domi infantes suos nutriat, & non aliā infra monasteriū mittere nutriendi gratiā præsumat, nisi eam quā firmiter in ipso loco in Dei seruitio perseuerare voluerit, secundùm statuta sanctorum patrum, seu secundùm canonicam authoritatem.

Vt nullus filium suum vel parentem in monasterio puellarum nutriendos ponat. Ex eodem concilio, c. vij. ¶ Cap. 118.

Omninò prohibemus, vt nullus filiū, aut nepotem, vel parentem suum in monasterio puellarum ad nutriendum commendare præsumat, nec quisquam vllum ibi suscipere præsumat.

Ne abbas mulieres monasterium ingredi, aut festiuitates ibidem spectare permittat. Ex concilio Vrbico. ¶ Cap. 119.

Si abbas mulierem in monasterium suum ingredi permiserit, aut festiuitates aliquas ibidem spectare, tribus mensibus in alio monasterio retrudatur, pane & aqua tantùm contentus.

Quòd virginitas voluntaria sit, non ex lege vel imperio. Ambrosius in libro exhortationis ad virgines. ¶ Cap. 120. post initiū.

Integritas corporis expetenda à nobis est, quā ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. Sola est enim virginitas quæ suaderi potest, imperari non potest, res magis voti, quàm præcepti. 23 q.2.c integritas.

De eadem re. Beda de tabernaculo. De tabernaculo lib. 3 c.9.

¶ Cap. 121.

Aaron octo vestibus induebatur: fœminalibus videlicet lineis, tunica linea, hyacinthina, superhumerali, rationali, baltheo, tiara, petalo aureo: filij verò eius quatuor tantùm ex his, id est fœminalibus, linea stricta, cingulo, & tiara vtebatur. Verū quia de cæteris suprà tractatum est, fœminalia hæc quæ ad operiendā * carnem turpitudinis filiis Aaron dantur, illam castimoniæ portionem, quæ * appetitum copulæ coniugalis propriè cohibet, designant: sine qua nemo vel sacerdotium suscipere, vel ad altaris

* carnis turpitudinem fieri mandatur, illā, &c.orig.

* ab appetitu.orig.

potest ministerium consecrari, id est, nisi aut virgo permanserit, aut cum vxore coniunctionis fœdera soluerit. Quod videlicet genus virtutis nulli per legem Dei necessariò imperatum, sed voluntaria est deuotione Domino offerendum: dicente ipso de hoc: Non omnes capiunt verbũ
Matth. 19. istud. Ad quam tamen benigna mox exhortatione eos qui possunt, inuitat dicens: Qui potest capere capiat. Et paulò post, eisdem qui vel vxorem, vel alios cognatos, & huius mundi implicamenta propter ipsum reliquerint, centuplum promittit in hac vita præmium, & in sæculo futuro vitam æternam. Vnde certè gratiâ distinctionis non Moyses hoc indumento vestire Aaron fratrem suum & filios eius cũ eo iubetur: sicut de prioribus dicitur: Vestiésque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios
Exod. c. 28. eius cum eo: Sed facies, inquit, fœminalia linea, vt operiant carnem. Ipsi, inquit, operiant carnẽ turpitudinis suæ. Tu fœminalia pontifici, & filiis eius facies, tu regulam castitatis docebis, tu abstinendum ab vxorio complexu eis qui sacerdotio functuri sunt, intimabis. Nulli tamen violentum huiusmodi continentiæ iugum impones: sed quicunque sacerdotes fieri, ac ministerio altaris inseruire volunt, ipsi sua sponte vxorum serui esse desistant. Quod vbi perfecerint, susceptóque semel continentiæ proposito, ministros se sanctuarij atque altaris fore cõsentiunt, aderit lex diuina, quæ * velut cæterum
**velut illis habitum.* illius habitum sacerdotibus congruum imponens, quomodo viuere vel docere debeant, abundanter instituat, congaudénsque spontaneæ ipsorum deuotioni, dignum sacerdotio decus sapientiæ, patientiæ, mansuetudinis, zeli spiritualis, humilitatis, misericordiæ, timoris Domini, cæterorúmque huiusmodi ornamentorum superaddat: alioquin iniquitatis rei moriuntur. Mortem namque certissimam incurrit animæ, si quis luxuriosè viuens, sacerdotalem sibi vsurpare gradum præsumit.

Lib. 1. Regist. c. 40.

Quid agendum sit de monachis vxores ducentibus. Gregorius Antonio subdiacono.

¶ CAP. 122.

27. q. 1. c. Et quia aliquos. Quia aliquos monachorum vsque ad tantum nefas prosiluisse cognouimus, vt vxores publicè sortiantur, sub omni eos vigilantia requiras, & inuentos coërtione debita in monasteriis quorum monachi fuerant, retransmittas. Sed & de clericis ad monachatum venientibus, sicut suprà diximus, peragere non omittas.

Regist. lib. 3. c. 9.

Qualiter monachæ pœnitere debeant in adulterium delapsæ. Gregorius Ianuario episcopo Caralitano.

¶ CAP. 123.

27. q. 1. Si qua monacharum. Si qua monacharum vel per anteriorem licẽtiam, vel per impunitatis prauam consuetudinem, ad lapsum adulterij deducta est, aut in stupri fuerit perducta voraginem: hanc post competentis seueritatem vindictæ, in aliud districtius virginum monasterium in pœnitentiam redigi volumus, vt illic orationibus, atque ieiuniis vacet, & sic pœnitendo proficiat: & metuẽdum cæteris arctioris disciplinæ præstet exemplum. Is autem qui cum huiusmodi fœminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, * cõmunione
**omni com. orig. Paris.* priuetur, si laicus est: si verò clericus est, à suo quoque remotus officio, pro suis continuè lugendis excessibus in monasterium detrudatur.

Quòd corruptio velatæ virginis pro incœstu reputatur. Hieronymus contra Iouinianum, libro primo.

¶ CAP. 124.

Si nupserit virgo non peccauit: non illa virgo quæ se semel Dei cultui dedicauit. Harum enim *1. Tim. 5.* si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis dictum obiecerit, quantò magis de virginibus præualebit, cùm etiam his non liceat, quibus aliquando licuerat? Virgines eum quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incœstæ.

Quid agendum sit de ijs, si lapsi fuerint monachi vel monachæ. Pelagius Secundino defensori.

¶ CAP. 125.

Quicunque de his qui ecclesiæ militare videntur, vel in habitu (vt dictum est) monachorum, monacharum ita inueniuntur inhærere consortiis: vt aliqua turpis ex eis (quod absit) possit esse suspicio, te exequente Secundino præsententur episcopo, vt canonica in eis possit vindicta procedere.

De eodem. Idem Seuerino.

¶ CAP. 126.

Iurasti nobis (quod negare non potes) te Iulianam, cuius nec habitum nec consecrationem veritus, Deo in corruptione ipsius iniuriam irrogas: vt si cognosceres quia re vera à te vellet discedere, mox eam nobis tuipse deduceres.

De virginibus quæ cum masculis in eodem lecto deprehensæ, corruptionem non fatentur. Cyprianus ad Pomponium de virginibus. *Lib. 1. ep. 11. al. epist. 62.*

¶ CAP. 127.

* Legi literas tuas, frater charissime, quas ** legimus. orig.* per Paconium fratrem nostrum misisti, postulans & desiderans, vt tibi scriberemus quid nobis de his virginibus videatur, quæ cùm semel statum suum continenter ac firmiter tenere decreuerint, detectæ sunt postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis: ex quibus vnum Diaconum esse dicis: Planè easdem quæ se cum viris dormisse confessæ sunt, asseuerare non decet se integras esse. Circa quam rem quoniam consilium nostrum desiderasti, &c. Primùm igi- *Ibidem paulo post.* tur frater charissime, & præpositis & plebi nihil aliud elaborandum est, quàm vt Deum timeamus, nec patiamur errare fratres nostros, nec virgines cum masculis habitare: non dico simul dormire, sed nec simul viuere. Quando & se- *Post aliquot versus.* xus infirmus & ætas adhuc lubrica, per omnia frænari à nobis & regi adhuc debeat: ne diabolo insidianti, ad nocendum detur occasio: quia graues multorum ruinas hinc fieri videmus, & per huiusmodi illicitas & perniciosas coniunctiones corrumpi plurimas virgines cõspicimus. Quòd si se ex fide Christo dicauerunt pudicè & castè sine vlla fabula perseuerent: ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem pro præmio virginitatis perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant, quàm * igne delicti sui cadant, ** in igne delictis suis. orig.* & certè nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Nec aliqua putet se excusatione defendi, quod inspici & probari po- *Post pauca.* test an virgo sit: cùm & manus obstetricum &

oculus sæpe fallatur, & si incorrupta fuerit inuenta virgo ea parte qua mulier potest esse, poterit tamen & ex alia corporis parte peccasse, quæ corrumpi potest, & tamen inspici non potest. Certè & ipse concubitus, ipse complexus, ista confabulatio, ista duorum iacentium turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitentur?

Item de examinatione virginum quæ in vno lecto cum masculis iacuerunt. Idem. [idem.]

¶ CAP. 128.

Consultè fecisti, frater charissime, abstinendo diaconum, qui cum virgine mansit, sed & cæteros qui cum virginibus dormire consueuerunt. Quòd si pœnitentiam illiciti cõcubitus sui egerunt, & à se inuicem recesserunt: inspiciantur interim virgines ab obstetricibus diligenter, & si virgines inuentæ fuerint, * in accepta cõmunione admittantur: hac tamen interminatione, vt si ad eosdem masculos postmodum reuersæ fuerint, aut si cum eisdem in vna domo, & sub eodem tecto simul habitauerint, grauiori censura eiiciantur: nec in ecclesiam postmodum facilè recipiantur. Si autem de eis aliqua fuerit corrupta, & deprehensa, agat pœnitentiam plenã, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est. Et ideò æstimato iusto tempore posteà exomologesi facta ad ecclesiam redeat. Quòd si obstinatè perseuerant, nec ab inuicem se separant, sciant se cum hac impudica obstinatione nunquam à nobis admitti in ecclesia posse.

[* acc. cõmunicatione in ecclesiã vig.]

*Ad Regem Anglorum de prohibendo matrimonio sanctimonialium & consanguinearum. Bonifacius martyr * Hileribaldo regi Anglorum.*

[* Hiltribaldo. Victor.]

¶ CAP. 129.

Si (quod absit) vt multi dicunt, nec legitimam accepisti vxorem, nec castitatis abstinentiam pro Deo seruasti, sed libidine dominante in scelere luxuriæ & adulterij, famam gloriæ tuæ coram Deo & hominibus confuderis, in hoc valdè contristamur: quia & in conspectu Dei flagitium, & coram hominibus famæ confusio esse dinoscitur: & adhuc quod peius est qui nobis narrant adiiciunt, quòd hoc scelus ignominiæ, maximè cum sanctimonialibus & Deo sacratis virginibus per monasteria commissum sit. Nam hoc peccatum non dubium est esse duplex peccatum, vt verbi gratiâ dicamus, cuius vindictæ reus sit puer apud dominum suum, qui vxorem domini sui adulterio violauerit: quantò magis ille, qui sponsam creatoris Christi cœli & terræ putredine suæ libidinis commaculauit? *Item.* Apud Græcos & Romanos quasi blasphemiam Deo irrogasset, qui in hoc reus sit, vt propriè de hoc peccato ante ordinationem interrogatus, si reus inuentus fuerit, vt cum velata & consecrata nonna concubuisset, ab omni gradu sacerdotum Dei prohiberetur. Propter hoc, fili charissime, sollicitè considerandum est, quanti ponderis hoc peccatum esse iudicetur ante oculos æterni iudicis, quod facientem inter idololatriæ seruos constituit, & diuino ministerio altaris abiicit, licet antè peractâ pœnitentiâ reconciliatus sit Deo.

*Quòd maior sit incestus sanctimonialium, quàm adulterium. Ioannes * quartus Bultredo regi saxonum.* [* Octauus]

¶ CAP. 130.

Quoniam sicut audiuimus, fornicationis in vobis peccatum maximè regnat, eò quòd sanctimoniales & Deo iam deuotas fœminas, atque de propria consanguinitate homines regni vestri, vltra sanct. Gregorij statutum nouello tunc populo necessario mandatum, vxores ducere præsumant: quod nimirum scelus grauéque delictum, his Apostolatus nostri literis, omnes qui sub iure vestro existunt, tam laicos quàm clericos, amodò & deinceps cauere, ac propriam de factis pœnitentiam dignam peragere, & vltrà talia nunquam committere monemus, hortamur, atque præcipimus. Quòd si vobis hoc impium emendare fortassè graue videtur, pro quo talia sustinetis aduersa, nostræ paternitati vestris innotescite literis, vt Apostolicæ sedis eos qui tali nefando operi eneruiter subiacent, corripiamus, & modis omnibus * aggrauemus decretis. [* arguamus. Vict.]

De excommunicatione eius qui velatam duxerat. Stephanus omnibus episcopis per Italiam.

¶ CAP. 131.

Vestræ fraternitati fortasse non manet incognitum, qualiter Giseltruda relicta quondam Petri, Deo contempto, & sacro velamine relicto, cum VVinnigildo cognato suo, (quod valdè dolendum dicimus) stuprum est operata. Vnde nos hoc audito, quia magis ac magis tale nefandissimum scelus deleri voluimus, & ita statuere ne aliis exemplum tribuatur, eos vtrosque ad satisfactionem vocauimus, & sæpe vt venirent, & à tali impio scelere resipiscerent, monendo, ad nos venire decreuimus. Qui quoniam venire nolentes, sed in eadem inobedientia perseuerantes, monita nostra pro nihilo duxerunt: ideò illos canonico conuentu celebrato excommunicauimus, & nisi ad veram satisfactionem accurrere studuerint, perpetuò anathemati commisimus.

De eodem. Honorius Papa Ioanni episcopo, & Gaudio notario Campaniæ. ¶ CAP. 132.

Præsentium lator interclusa voce, & suspiriis atque gemitibus, lachrymísque indesinentibus supplicatione sua nobis exorsus est, eò quòd quidam illic alumnus filiam supplicantis in sacris vestibus constitutam, assiduitate sua decepit, quoad vsque in stuprum corporis adulterio perpetrato deciderit: ita vt post compertum flagitium, in opprobrio totius generalitatis illic commorantis, ipse perditissimus conuersetur, atque omissa insecutione huc vsque quorundam forsitan patrocinio eundem ipsum impunitum seruari. Vnde dilectio tua diuino zelo succensa, iurisdictioni competenti imminere non * desinas, quousque perpetrator sceleris quæstioni communis & seuerissimo præsentatus examini, vltimi supplicij pœnam suscipiat, ne retardata in eum animaduersione, diuini iudicij in plurimos propagetur sententia. [* fortè desinat.]

De pœnitentia sacratæ virginis si lapsa fuerit. Nicolaus Papa Carolo Archiepiscopo, & eius suffraganeis. ¶ CAPVT 133.

Fœminæ quæ sacro sunt consecratæ velamine, si fuerint (quod nolumus) fornicatæ, velamen

deponere non præsumant: sed pœnitentiæ iugo submissæ, summopere decertare festinent, vt ad indulgentiæ & remissionis valeant gratiam peruenire.

Cap 9. quod est in corruptorem virginis.

Quòd corruptio sacratæ virginis sacrilegium sit. Ambrosius ad virginem lapsam.

¶ CAP. 134.

O fili serpentis, minister diaboli, violator virginis, id est, templi Dei, qui in vno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium vtique, & sacrilegium. Sacrilegium planè, vbi vas Christo oblatum, Deo dicatum, dementi temeritate polluisti.

Ibidē c. 10.

Lamentatio violatæ virginis pœnitentis. Item.

¶ CAP. 135.

Accipe lamentum: & primùm quidem nullo die quinquagesimus psalm⁹ intermittatur, quia in negotio tali cantatus est. Et vsque versiculum illum: Cor contritum & humiliatum Deus non spernit: tum lachrymis gemitúque percurrens: insuper etiam hanc lamentationem non sine compunctione cordis in conspectu Dei iudicis funde: *Hierem. 9.* Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & defleam vulnera animæ meæ? Conuersi sunt dies festi mei in luctum, & cantica in lamentationem: Recessit sonus hymnorum & lætitia psalmorum, & successit stridor dētium & fletus oculorum. *Psal. 38.* Obmutui & humiliata sum, & silui à bonis, & dolor meus renouatus est. Concaluit cor meum intra me & in meditatione mea exardescet ignis. *Psal 54.* Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Abyssus me circundedit, postremò mersit caput meum, in fissuras montium. Heu me quia facta sum sicut Sodoma & com- *Genes. 19.* busta sum sicut Gomorrha. Quis miserebitur cineres meos? Durius offendi quàm Sodoma, quia illa legem nesciens deliquerat, ego autem acceptâ gratiâ peccaui Domino. Si homo peccet in *1. Reg. 2.* hominem, erit qui interueniat: Ego quæ peccaui in dominum, quem propitiatorem inueniam? *Psal. 7.* Concepi dolorem, & peperi iniquitatem, lacum aperui & offendi eum, & incidi in foueam quā feci. Ideò conuersus est dolor meus in capite meo, & in vertice meo iniquitas mea descendit. Immunditia mea ante pedes meos: non fui memor nouissimorum, & cecidi mirabiliter, nec est qui consoletur. O quàm acerbus fructus luxu- *Psal. 72.* riæ, amarior felle, crudelior gladio! Quomodo facta sum in desolationem? subitò defeci, perij propter iniquitatem meam, velut è somno exurgens, ideò in ciuitate domini nullificata est imago mea. Deletum est de libro nomen meum, facta sum sicut noctua in domicilio, sicut passer vnicus in ædificio: non est qui consoletur me. *Psalm. 101.* Considero à dextris, & video, & non est qui *Psal. 141.* agnoscat me. Periit fuga à me, & non est *Psal. 141.* requirat animam meam. Factus sum sicut vas perditum, audiui vituperationem omnium circa me habitantium. Væ diei illi in quo me infœlix genuit pater, & lux ista crudelis excepit. Oportuerat me non fuisse natam, quàm sic in gentibus fabula fierem. Propter me confusio facta est omnibus famulis Domini, & condignè colentibus. Lugete montes & colles, lugete fontes & flumina, quia fletus filia ego sum. Lugete me syluarum bestiæ, reptilia terræ, & volucres cœli, & omnis anima quæ vita frueris. Nam vos beatæ feræ & volucres cœli, quibus nullus metus * ab inferis, neque post mortem reddenda est ratio. *(* de)* In nos manet pœna crudelis Tartari, qui habentes sensum deliquimus, ideo non est pax peccatoribus.

* Meum peccatum, mea iniquitas non sunt *Esaiæ 57.* consimilia offensæ hominum, quia impietas est, carnem pollicitam seruare virginem, & castam, professa publicè mentita sum Domino. Ideò non est mihi fiducia inuocandi Dominum altissimum, quia obstructum est os delinquentium. Nam meum malum Prophe-pheta cecinit, quòd qui se elongant à Domino peribunt, disperdit omnem fornicantem à se. Et iterum: Adhæsit lingua mea faucibus meis, & in puluerem mortis dedu xisti me. Verumtamen clamabo ad Dominum Deum, dum adhuc tempus est, dum datur spatium, quia in morte non est memoria, & in inferno non est confessio. Domine nē in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & nec est sanitas in carne mea *Psal. 62.* *Psal. 72.* A vultu iræ tuæ, non est pax ossibus meis, à *Psal. 21.* facie peccatorum meorum. Quoniam ini- *Psal. 37.* quitates meæ supergressæ sunt caput meum, sicut onus graue grauatæ sunt super me. Computruerunt, & deteriorauerunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Miseriis afflicta sum & curuata sum vsque in finem, rugio à gemitu cordis mei. Cor meum conturbatum est intra me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est me- *Psal. 59.* cum. Deus repulisti me, & destruxisti me, ostendisti mihi dura, potasti me vino compunctionis. Expulsa sum ab oculis tuis, iam non *Esaiæ 24.* adiiciam vt resurgam ad templum sanctum *Psal 40.* tuum, & facta sum in exterminio. Quæ vtilitas *Psal. 29.* *Psal 87.* in sanguine meo, dum descendo in corruptio- *Ezech. 33.* nem? Nunquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt? Tuus sermo, tua promissio est. Nolo mortem peccatoris, sed conuertatur & viuat. Ad te Deus mea conuersio, qui solus potes nouare omnia: & ab inferis animas reuocas. *Psal 145.* *Ps. 118 Tau.* Tu soluis compeditos & allisos erigis, cæcos illuminas, mortuos suscitas. Er- *Psal. 3.* raui sicut ouis perdita, require famulam tuam, *Ps. 118. Caph* ne lupus crudelis glutiat me. Multi dicunt animæ meæ, non est illi salus in Deo eius. Sed tuum consilium tecum est. Quot sunt dies famulæ tuæ, quando facies meum iudicium? *Ibidem.* Defecit anima mea in salutari tuo, oculi mei in lachrymis defecerunt: effusa est in terra gloria mea. Quando respiciens restitues ani- *Psal. 38.* mam meam? Propter iniquitatem corripuisti *Psal 102.* me, & tabescere fecisti sicut araneam, animam *Psal. 24.* meam. Memento Domine, quia puluis sum. Vide *Psal. 38.* humilitatem meam & laborem meum: & dimitte omnia peccata mea. Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam; & amplius non *Iob 9.* ero. Nec in inferno erit redemptio. Po- *Psal 29.* tens es Domine conscindere saccum meum, & *Psal. 115.* *Psal. 84.* præcingere me lætitia. Potens es Domine vincula mea dirumpere, quibus ligata sum atque constricta. Iram tuam Domine aufer à me, quia peccaui tibi crudeliter, donec iustifices causam meam, & educas me in lumine Deus virtutum. Da pœnitentiæ effectum, pœnitentiæ perseuerantiam, ne me induret deceptor animæ. Hoc mihi dona, hanc gratiam de tuo fonte præstare digneris. Qui viuis & regnas in Trinitate in sæcula sæculorum.

Ambros. hodie sic habet. Meum est peccatum, mea iniquitas. Nō sunt similia offensa hominum: quia horribilis hæc impietas est, carne pollicita seruare virginem, & castitatem professa publice, &c.

pistolarū l. ep.64 vel 6.ep.46.

De accusatione virginis. Epistola Ambrosij ad Syagrium episcopum Veronensem.

¶ CAP. 136.

Si habuisset probationes nunquam inspectationem genitalium virginis tua sententia flagitasset. Quid ergo sibi velit, & quò spectet quod obstetricem adhibendam credideris, non possum aduertere. Itáne ergo liberum erit accusare omnibus, & cùm probationes destiterint, patebit vt genitalium secretorum petant inspectionem, & addicentur sacræ virgines semper ad huiusmodi ludibria, quæ & visu & auditu horrori, & pudori sint? *Item.* Virgo domini suis est nexa fulcris, ad sui probationem: nec alienis dotibus eget, vt se virginem probet: & nec abditorum occultorúmque inspectio, sed obuia omnibus modestia astipulatur integritati. *Item.* Illud non arbitror iustum, quod tuis comprehendisti literis, quia nisi inspecta fuerit, *virginitas periclitetur, & *incerta sui fluctuet. Ergo omnes quæ inspectæ non sunt, periculum subierūt pudoris. Ergo & quæ nupturæ sunt, priùs inspiciantur vt nubant. Probatiores ergo quæ velandæ sunt, prius subijciendæ sunt huic attrectationi? &c.

idem. idem. integri-s. orig. incerto. ig.

Non posse corpus corrumpi, nisi prius corruptus sit animus. Ambrosius de virginibus, lib. ij.

¶ CAP. 137.

q.5 c tolerabilius. & pauca.

Tolerabilius est mentem virginem, quam carnem habere. Vtrunque bonum, si liceat: si non liceat, saltem non homini casti, sed Deo simus. Virgo prostitui potest, adulterari non potest. Vbicunque Dei virgo est, Dei templum est: nec lupanaria infamant castitatem, sed etiam castitas loci abolet infamiam.

De eodem. Ambrosius de lapsu virginis consecratæ.

¶ CAP. 138.

mb. c 4. ad virnē lapsā q.5 c. revera.

Reuera non potest caro antè corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta.

Quòd non polluitur corpus vbi integer est animus. Augustinus de ciuitate Dei libro primo, c. xviij.

¶ CAP. 139.

q.5 c ita aliquem.

Ne aliquem polluat aliena libido, metuitur? Non polluet, si aliena erit: si autem polluet, aliena non erit. Sed cùm pudicitia virtus sit animi, comitémque habeat fortitudinem, quā potius quælibet mala tolerare, quàm malo consentire decernat. Nullus autem magnanimus & pudicus in potestate habeat, quid de sua carne fiat, sed tantùm quid annuat mente, vel renuat: quis tandem sana mente putauerit se perdere pudicitiā, si fortè in apprehēsa vel oppressa carne sua exerceatur & expleatur libido non sua? *Itē.* Proposito animi permanente, per quod etiā corpus sanctificari meruit, ipsi corpori nō aufert sanctitatē violentia libidinis alienæ, quā seruat perseuerātia suæ continētiæ. An verò si aliqua fœmina mente corrupta, violatóque proposito, quod Deo vouerat, pergat vitiāda ad suum deceptorē, adhuc eam pergentē sanctam vel corpore dicimus, ea sanctitate animi per quā corpus sanctificabatur amissa atque destructa? Absit hic error: & hinc potius admoneamur, ita amitti corporis sanctitatē, etiam intacto corpore. *Item* Lucretiam matronam nobilem veterémq; Romanam pudicitiæ magnis efferūt laudibus. Huius corpore cùm *violentus Tarquinij Regis filius libidinosè potitus esset, illa scelus improbissimi iuuenis marito Collatino & propinquo Bruto viris clarissimis & fortissimis indicauit, eósque ad vindictam constrinxit. Deinde fœdi in se commissi ægra atque impatiēs, se peremit. Quid dicemus? Adultera hæc, an casta dicenda est? Quis in hac controuersia laborabit? Egregiè quidam ex hoc, & veraciter declamans ait: Mirabile dictu: duo fuerunt, & adulterium vnus commisit. Splendidè atque verissimè. Intuens *cōmixtione enim in duûm corporum commissione, vnius inquinatissimam cupiditatem, alterius castissimā voluntatem: & non quid coniunctione corporū, sed quid animorum diuersitate ageretur attendens: duo, inquit, fuerunt, & vnus adulterium admisit.

idem post ea. idē c.19.

*violēter orig. *cōmixtione orig.

De eodem. Augustinus de libero arbitrio. Lib. 1. c. 5.

¶ CAP. 140.

De pudicitia quis dubitauerit, quin ea sit in ipso constituta, quandoquidem virtus est? Vnde à violento stupratore nec ipsa eripi potest.

32. q. 5. de pudicitia.

Item de eodem. Hieronymus super epistolam ad Romanos. ¶ CAP 141.

Fieri non potest, vt nisi quis mœchetur prius in corde, mœchari possit in corpore.

Item de eodem. Isidorus in Synonymis.

¶ CAP. 142.

Non potest corpus corrumpi, nisi prius corruptus animus fuerit. *Item.* Munda à contagione animi caro non peccat.

Quòd capitalem sententiam subeat, qui sacratam virginem rapuerit. Nouellarum constitutio vndecima. ¶ CAP. 143.

Si quis rapuerit, vel sollicitauerit, vel corruperit matricuriam, vel diaconissam, vel monasteriam, vel etiam fœminam religiosum habitum habentem, vel religiosam vitam ducentē: bona ipsius, & eorum qui huiusmodi sceleris communione contaminati sunt, religioso loco vendicentur, in quo talis mulier habitabat, per religiosos episcopos, œconomos, & per prouinciarum præsides, & eorum officiales: ipsi autem capitali periculo subijciantur. Mulier autem vbique inuestigetur, & cum suis rebus monasterij cautioni tradatur.

27 q. 1. cap. si quis rapuerit.

De prohibendis nuptiis viduis & virginibus in monasterio diu conuersatis. Gelasius Papa Cæsario, c. iv. ¶ CAP. 144.

Symmach. epist. 5.

Viduas ad nuptias transire non patimur, quæ in religioso proposito diuturnà obseruatione permanserunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis ætatem egisse contigerit.

27. q. 1. c nec que viduas.

De eodem. Nicolaus Carolo Archiepiscopo & eius suffraganeis. ¶ CAP. 145.

In rescriptis tit 13. c. 3.

Vidua quidem quæ capiti imposuerit sacrum velamen, si inter cæteras velatas fœminas in ecclesia orauerit, & oblationem cum illis obtulerit: si professa est se in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis velamen deponere, à religionis obseruantia discedere non præsumat.

27. q. 1. c vidua quidē.

Cap.8. *Item de eodem. Augustinus lib. de bono viduitatis.* ¶ CAP. 146.

27 q 1. cap. vidua. Viduæ quæ se non continent nubant, antequam professæ continentiam Deo voueant: quod nisi reddant, iure damnantur.

Item de eadem re. Ex concilio iv. Carthaginensi, c. iv. ¶ CAP. 147.

27. q 1. cap. sicut bonū. Si quæ viduæ quamlibet adhuc in minoribus annis positæ, & immatura ætate à viro relictæ, se Deo vouerunt, & veste laicali abiecta, sub testimonio episcopi & ecclesiæ religioso habitu apparuerūt: postea verò ad nuptias sæculares trāsierunt, secundùm Apostolum damnationem habebunt, (1.Tim 5.) quoniam fidem castitatis, quam Deo vouerant, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sine Christianorum communione maneant, quæ nec etiam in conuiuió cum Christianis communicent.

* Catello. * Amiternino. De eadem re. * Catellino Reatino presb. & Marcello * Amertino episcopis. ¶ CAP. 148.

Tuizia à filio veniens nostro clarissimo viro Georgio Comite, & agente vices illustris viri clarissimi Marcellini vicarij, questa mōstratur, quòd eam Maximus, quē suum coniugem perhibebat, nulla extante legitima necessitate vel ratione desereret, & ob hoc sponsaliorum sibi promissorum, quæ compleri poterat quantitatem, vel cætera quæ iniustè repudiantibus leges infligunt, eum debuisse subire dispendia. Cuius tali querela deposita prædictum Maximum memoratus filius noster comes Georgius per publicum fecit officium detineri. Qui tentus asseruit eandem causam charitatis vestræ iudicio cognitam vel diffinitam, & illam mulierem ob hoc quod non paucis annis in conuersationis officium fuerit commorata, & diabolico fuerit subripiente spiritu concitata, deposito ancillæ Dei habitu ad sæcularem fuerit reuersa lasciuiam, in monasterium fuisse detrusam, & ex eodem nunc latenter monasterio discessisse. Cuius excessione cognita, necesse habuimus æquitatis consideratione permoti, propter inquirendam rerum gestarum plenius veritatem, absolutum prædictum Maximum à præfati viri clarissimi Georgij comitis iudicio, ad dilectionis vestræ qui cognitores fuisse dicimini, cū prædicta Tuizia destinare præsentiam: hoc scilicet decernentes, vt residente vobiscum eo cui memoratus noster Georgius comes præfatam causam scripserit, sine vllo dilationis obstaculo cognoscatis: & si sæpe dictam fœminam propter præcedentes excessus, charitatis vestræ prouidentia retineatis in monasterio constitutam, in his quę pro Dei timore à vobis salubriter statuta sunt permanentes, eandem in ipsum de quo discessit monasterium sollicitius & arctius constituite retinendam, nulla ei quolibet tempore discedendi concessa licentia.

Quòd episcopus monachus factus ad pontificatum reuerti non potest. Ex actione 5. Synodi Constantinopolitanæ trecentorum & octoginta triū patrum, sub Ioanne Papa viij. cui præfuit Petrus prebyter cardinalis & Paulus Anconitanus episcopus & Eugenius Ostiensis episcopus.

¶ CAP. 149.

7. q. 1. c hoc nequaquā. Apocrisiarij Papæ dixerunt. Hoc nequaquam apud nos habetur, vt quicunque de pontificali ordine ad monachorum, id est pœnitentium descenderit vitam, vlterius possit ad pōtificatum reuerti. *Item.* Præcepit sancta Synodus, vt quicunque de pontificali dignitate ad monachorū vitam, & ad pœnitentiæ descenderit locum, nequaquam iam ad pontificatum resurgat. Monachorum enim vitam subiectionis verbum habet & discipulatus non docendi, vel præsidendi, vel pascendi alios.

De rapacitate monachorum. Decretum Leonis Papæ. ¶ CAP. 150.

Relatū est auribus nostris esse quosdam peruersè agentes, qui subuertere atque diuidere conantur ecclesiæ vnitatem: videlicet abbates & monachi, qui non studio charitatis, sed zelo rapacitatis inuigilant, & docent atque seducere non cessant sęculares homines, quos illaqueare possunt, vt res suas atq; possessiones in vita vel in morte in monasteriis eorum tradant, & ecclesiis quibus subiecti esse videtur, & à quibus baptismum, pœnitentiam, eucharistiam, nec non pabulum vitæ cum lacte carnis acceperunt vel accipiunt, nihil de bonis suis relinquant. Hanc denique famam discordiæ nos animaduertentes omnibus modis inhibere volumus, & ne amplius fiat omnino prohibemus, considerantes non esse bonū, vt illi qui olim fuerunt socij passionum secundùm Apostolum, sint immunes à societate consolationū, (2. Cor. 1.) & quia dignus est operarius mercede sua. (Matth. 10. Lucæ 10.) Ideóque pręcipimus atque iubemus, vt quicūque amodo in monasterio cōuerti voluerit, siue in vita, siue in morte, vt omniū rerū suarum atq; possessionum, quas pro salute animæ suæ disponi decreuerit, medietatem ecclesię cui ipse pertinere dinoscitur, relinquat: & sic demum in monasterio pro vt sibi libitum fuerit eundi conuertendíque habeat licentiā. Quicunque autem huius nostri decreti contradictor, conuulsor, ac temeratòr extiterit, gladio anathemati subiaceat.

De prohibenda vagatione monachorum. Alexander ij. clero & populo Florentino.
¶ CAP. 151.

Iuxta Chalcedonensis tenorem optimi concilij, cuius series annectitur inferius, monachis quamuis religiosis ad normam sancti Benedicti inter claustra morari præcipimus: vicos, castella, ciuitates peragrare prohibemus, à populorum omnino prędicatione cessare censuimus, nisi fortè quis de suæ salute animæ sollicitus, vt eorum habitum assumat, eos intra claustrum consulere voluerit. (16. q. 1. cap. iuxta Chalcedonensis.)

De fœmina quæ sibi velamen imposuit, & post ad nuptias rediit. Nicolaus Alumino Iunariensi episcopo.
¶ CAP. 152.

Quod interrogasti de fœmina, quæ post obitum mariti sui velamen sacrum super caput suū imposuit, & finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse, postea ad nuptias rediit: bonum mihi videtur quia per hypocrisim ecclesiasticam regulam conturbare voluit, & non legitimè in voto suo permansit, vt pœnitentiam agat de illusione nefanda, & reuertatur ad id quod spopondit, & in sacro ministerio inchoauit. Nam si concesserimus, quòd omnia sacramenta ecclesiastica quisque provt vult, fingat, & non verè faciat, omnis ordo ecclesiasticus est turbatus, nec Catholicæ fidei iura (Habetur supra c. 65.)

consistunt, nec canones sacri ritè obseruantur. Quid enim profuit Simoni mago baptismum sacrum fictè suscipere, & in Christianitate permansurum se finxisse: cùm per apostolum eius fraude detecta, quod sibi futurum esse prænunciatum est? Ait enim: Pecunia tua tecum sit in perditionem: cor enim tuum non est rectum coram Domino. Pœnitentiam itaque age ab hac tua nequitia, & roga Deum vt fortè dimittatur hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse. Ideo tales nisi resipiscant spirituali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui sancto mentiri sicut Ananias & Saphira mentiti sunt, & statim perierunt.

Actor. 8. *Actor. 5.*

titulo 5. c. 2. *Ne qui monachus fieri vult, statim habitum sumat. Ex libro constitutionum, Constitutio v. cap. j.*

¶ CAP. 153.

Qui monachus fieri vult siue liber, siue seruus, non statim monachus fiat, sed per trienniũ tonsura quidem & veste laicorum vtatur, & diuinas scripturas addiscat, & confiteatur suam conditionem, id est vtrum ingenuus sit an seruus, vel alterius cuiuscunque conditionis vel status: & narret causas propter quas ad solitariam vitã migrare desiderauerit, ne fortè malæ sint, & Deo displiceant. Oportet autem & monachos verba ei afferre quæ mores eius & vitam corrigant. Et si per triennium talis appareat, vt videatur dignus tonsura, & veste religiosa, tunc & tondeatur, & stolam monachicam vestiat, siue liber sit, siue seruus, & nulla ei molestia inferatur, neque de seruili, neque de libertina conditione. Si autem intra triennium aliquis retrahere eum vt seruum suũ voluerit, & dicat quòd res suas furatus ad monasterium concurrerit, non statim eum abstrahat, sed priùs probet quòd & seruus est, & furto, vel vita mala & peccatis atrocibus timuit & fugit, & si hæc vera sunt, reddatur seruus domino suo cum rebus surreptis, si etiam ipse quoque in monasterio fuerit. Dominus autem eum recipiens fidem ei præstet, quòd nullum ei malum propter hæc quę iam peccauit facturus sit. Quòd si nullo delicto seruum suppositum dominus esse probauerit, & ipse seruus ex castitate morum suorum bona testimonia habeat, & si nondum triennium præterierit, tamen maneat in eodem monasterio. Triẽnio autẽ semel transacto, & inter monachos seruo Dei numerato, nulla sit posteà licentia, qualemcunque molestiã ei inferre, siue verè famulus sit, siue ingenuus, sed omnimodo in solitaria vita permaneat, etiam si peccatum in priori vita admissum sit. Ea autem quæ furto subrepta sunt, proculdubio si inueniantur, domino reddi oportet.

De seruo qui seruitium fugiens monachus factus est. cap. ij. *Ibid.*

¶ CAP. 154.

Sin autem seruitutem effugiens, veniat quis ad monasterium, postea autem reliquerit venerabilem locum, & in aliam vitæ figuram transierit: liceat domino retrahere eum, & probanti quòd seruus est, * in seruum eum habere. ** vt*

Quid agendum sit de bonis eius qui monachus factus apostatauerit. cap. iij. *Cap. 4.*

¶ CAP. 155.

Si quis in monasterio se consecrauerit, & postquàm religiosa veste vestitus est, à monasterio recesserit: omnia bona ipsius quæ in monasterio introduxit, ad ipsum monasterium pertineant. Idem est ex alia constitutione, & si non introduxit, omnes enim res eius dominij monasterij sint.

De eadem re. cap. iiij. ¶ CAP. 156. *Cap 7.*

Si quis introierit in monasterium, & post religiosam vestem recesserit & militauerit, vel simpliciter laicus factus fuerit: spolietur cingulo militari, & vita libera non potiatur, sed officio Præsulis Prouinciæ seruire cogatur, substantia autem eius in monasterio maneat.

Item de eodem, cap. vi. ¶ CAP. 157. *Et Capitul. l. 5. c. 226.*

Si quis in monasterio consecratus fuerit, postcáque in aliud monasterium transire maluerit, substantia quidem eius à priori monasterio vendicetur, aliorum autem monasteriorum primates, prohibeant eum transire & in alio monasterio non recipiatur. Et hoc curare debent non solùm religiosissimi episcopi, sed etiam reuerendissimi Archimandritæ.

Vt qui monachus fieri vult, ante ingressum de substantia sua disponat, quia postea non licet. Constitutio lxvj. cap. j.

¶ CAP. 158.

Quicunque in monasterium intrant, videant substantias suas in monasterio consecrari. Nam ante introitum liberam habent facultatem quomodo voluerint, bona sua distribuere. Postquàm autem intrauerint, talem licentiam non habent, quamuis liberos habeant.



D.

IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI

DECRETI PARS OCTAVA.

DE LEGITIMIS CONIVGIIS. DE virginibus & viduis non velatis. De raptoribus earum & de eorum separatione. De Concubinis & transgressione coniugij, deque pœnitentia singulorum.

*QVID SIT MATRIMONIVM. EX LIBRO * CONSTITVTIONVM primo, titu. ix.* * *institut.*

¶ CAPVT PRIMVM.

29.q.1.in principio. NVPTIÆ siue matrimonium est, viri mulierisque coniunctio, indiuiduam consuetudinem vitæ continens.

Cap 5 & 6. lib de institutione virginis. *Quando fiat coniugium. Ambrosius ad virginitatis exhortationem, lib. ij.*

¶ CAP. 2.

27.q.2.c. cũ initiatur. Desponsata viro, coniugis nomen accepit. Cùm enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen assumitur: Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cùm iungitur puella coniugium est, non cùm viri admixtione cognoscitur.

Cap. 8. *De eodem. Isidorus Etymologiarum lib.ix.c.vij.*

¶ CAP. 3.

27.q.2.cap. coniuges. Coniuges verius appellantur, à prima desponsationis fide, quamuis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus.

Ep.1.c.2. *Descriptio legitimi coniugij. Euaristus Episcopis Africæ, cap. ij.* ¶ CAP. 4.

30.q.5.c. aliter. Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur; & suo tempore sacerdotaliter (vt mos est) cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, & à paranymphis (vt consuetudo docet) custodita, & sociata à proximis congruo tempore petita, legibus detur, ac solenniter accipiatur, & biduò vel triduò orationibus vacent, & castitatem custodiant.

Item de eodem, ¶ CAP. 5.

Ita peracta legitima scitote esse connubia, aliter verò præsumpta, non coniugia, sed adulteria vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius, quàm legitima coniugia esse non dubitate: nisi voluntas propria suffragauerit, & vota succurrerint legitima.

De benedictione sponsi & sponsæ. Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, libro primo. *Cap. 3.*

¶ CAP. 6.

Nostrates tam mares quàm fœminæ, non ligaturam auream vel argenteam, aut ex quolibet metallo compositam quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt: sed post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissa fœdera, quæque consensu eorum qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt celebrantur, & postquàm arris sponsam sibi sponsus per digitum fidei à se annulo insigni- *30.q.5. cap. nostrates.*

tam desponderit, dotémque vtrique placitam sponsus ei cum scripto pactum hoc continente, coram inuitatis ab vtraque parte tradiderit, aut mox aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid fieri præsumatur, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur: & primùm quidem in Ecclesia Domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per sacerdotis manum statuuntur, sicque demum benedictionem & velamen cœleste suscipiunt. *Item.* Hæc sunt præter alia quæ ad memoriam non occurrunt pacta coniugiorum solennia. Peccatum autē esse, si hæc cūcta in nuptiali fœdere non interueniant, non dicimus. *Concilium iiij. Carthagin. cap. xiij.* Sponsus & sponsa cùm benedicendi sunt à sacerdote, à parentibus suis vel à paranymphis offerantur: Qui cùm benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia benedictionis in virginitate permaneant.

q. 5. cap. ... sus.

Cur sponsæ velentur. Isidorus de officiis lib. ij. cap. xix. ¶ Cap. 7.

Quòd fœminæ dum maritantur, velantur, significat vt nouerint semper se viris suis esse subiectas & humiles.

Quid significent insignia sponsarum. Ibidem. ¶ Cap. 8.

Quòd nubentes post benedictionem vittæ, vno inuicem vinculo copulantur, videlicet ne compagem coniugalis vnitatis dirumpant. At verò quòd eadem vitta candido purpureóque colore permiscetur, candor quippe est, munditia vitæ, purpura ad sanguinis posteritatē adhibetur: vt hoc signo & continentiæ lex tenenda ab vtrisque ad tempus admoneatur, & post hæc reddendum debitum non negetur. *Item.* Quòd imprimis anulus ab sponso sponsæ datur, fit hoc nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis, vt eodem pignore eorum corda iungantur. Vnde & quarto digito anulus inseritur, id est, quod in eo vena quædam (vt fertur) sanguinis ad cor vsque perueniat.

Inuiolabile esse coniugij sacramentum. Augustinus de bono coniugali, cap. vij. ¶ Cap. 9.

...7. c. in... ueniente. Interueniente diuortio non aboletur confœderatio nuptialis, ita vt sibi coniuges sint etiam separati, cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam post suum repudium copulati. Nec tamen nisi in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius talis est causa cum vxore. Cæterum aliter se habere iura gentilium, quis ignorat? Vbi interposito repudio, & illa cui voluerit nubet, & ille quam voluerit, ducit.

...14. *Quòd concubinæ fieri possunt vxores. Ibidem.* ¶ Cap. 10.

...q. 2. c. cō... ...næ. Nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causâ coucumbant, iustum faciunt concubinatum suum. Posse sanè fieri nuptias ex malè coniunctis. Honesto postea placito consequente, manifestum est.

...8. *Quòd nemo est pudicus corpore, nisi pudicus sit spiritu. Idem in libro de sancta virginitate.* ¶ Cap. 11.

Sicut nemo impudicè vtitur corpore, nisi spiritu priùs concepta nequitia: ita nemo pudicitiam seruat in corpore, nisi spiritui priùs insita castitate.

Inuiolabile esse sacramentum coniugij. Idem de nuptiis & concupiscentia. Cap. 10. l. 1.
¶ Capvt 12.

Vsque adeo manent inter viuentes semel inita iura nuptiarum, vt potius sint inter se coniuges etiam separati, quàm cum his quibus aliis adhæserunt. 32. q. 7. cap. vsque adeo.

Item ibidem, de eodem. ¶ Cap. 13.

Et paulò pòst. Manet inter viuentes quoddam coniugale, quod nec separatio, nec cum adultero copulatio possit auferre, sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittat, quod lauacro regenerationis accepit. Redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicij, non ad meritum præmij.

Item ibidem, de eodem. ¶ Cap. 14. Cap. 11.

Quibus verò placuerit ex consensu ab vsu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit vt vinculum inter illos coniugale rumpatur. Immo firmius erit, quò magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiúsque seruanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum est ad Ioseph: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniunx vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat carnis vlla commixtio. Propter quod fidele coniugium parentes Christi ambo vocari meruerunt, & non solùm illa mater, verùm etiam ille pater eius, sicut coniunx matris eius: vtrunque mente non carne.

De tripartito bono nuptiarum, Ibidem. Sub finem.
¶ Cap. 15.

Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum dominū. Fidem, quia nullum adulterium. Sacramentū, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat, sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato: sine qua concipi voluit, qui futurus sine peccato erat. 27. q. 2. cap. omne. Cap. 12.

Quòd sine consensu vxoris non liceat viro continenter viuere. August. in epistola ad Bonifacium comitem. ¶ Cap. 16. Epist. 70.

Nos nouimus, nos testes sumus, quòd nobiscum apud Tubanas de animo & voluntate tua fuerimus collocuti. Soli tecum eramus, ego & frater Alypius. Non enim existimo tantum valuisse terrenas curas, quibus impletus es, vt hoc de memoria tua delere pœnitus potuerint: nempe omnes actus publicos, quibus occupatus eras relinquere cupiebas, & te in otium sanctū conferre, atque in ea vita viuere, in qua serui Dei monachi viuunt. Cùm ergo te esse in hoc proposito gauderemus, nauigasti vxorémque duxisti. Si enim coniugem non haberes, dicerem tibi quod & Tubanis diximus, vt in castitate continentiæ viueres. Adderem quod tunc fieri prohibuimus, vt iam te (quantum rerum humanarū salua pace potuisses) ab istis rebus bellicis abstraheres, & huic vitæ vacares & societati san- Sub finem.

ctorum, cui tunc vacare cupiebas, vbi in silentio pugnant milites Christi, non vt occidant homines, sed vt expugnent principes & potestates, & spiritualia nequitiæ, i. diabolum, & angelos eius. Sed vt te ad istam vitam non exhorter, coniunx impedimento est, sine cuius consensu continéter tibi nō liceat viuere. Quia & si tu eā pôst illa tua verba Tubanensia, ducere non debebas: illa tibi tamen nihil eorum sciens, innocenter & simpliciter nupsit, atque vtinā posses ei persuadere continentiā, vt sine impedimento redderes Deo quod te debere cognoscis. Sed si cum illa agere non potes, serua saltem pudicitiam coniugalem, & roga Deum, qui de necessitatibus eruit, vt quod non potes modò, possis aliquando. Veruntamen vt Deum diligas, non diligas mundum: vt in ipsis bellis, si adhuc te in ipsis versari opus est, fidem teneas pacémque quæras, vt ex mundi bonis facias opera bona, & vt propter mundi bona non facias opera mala, id non impedit coniunx, aut impedire non debet. Hęc ad te fili charissime vt scriberem charitas iussit, qua te secundùm Deum, non secundùm hoc sæculū diligo, quia & cogitans quod scriptum est: Corripe sapientem, & amabit te: corripe stultum & adijciet odisse te: non te vtique stultum, sed sapientem debui cogitare.

Ephes. 6. *Psalm. 24.* *Prouerb. 19.*

Quòd consensus matrimonium faciat. Nicolaus Hicmaro Episcopo. ¶ Cap. 17.

Ad consulta Bulgar. c. 3.

Sufficiat secundùm leges solus eorum consensus, quorum de coniunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus fortè defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, Ioanne Chrysostomo magno doctore testante, qui ait, Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.

27 q. 2 cap. sufficiat. *Homilia 33. super Mat. in opere imperfecto.*

Vt vidua ante professionem continentiæ, nubat cui vult è Toletano concilio iij. cap. 18.
¶ Cap. 18.

27. q. 1. c. viduæ. Viduæ si priusquam continentiam profiteantur nubere elegerunt: illis nubant quos propria voluntate voluerint habere maritos.

Ne virgo, vel vidua cogatur nubere cui non vult. ex eodem. ¶ Cap. 19.

Similis conditio & de virginibus habeatur, nec extra voluntatem parentum, vel suam cogantur accipere maritos.
De eodem. Ambrosius super epistolam ad Corinth. cap. xxxix. in caput vij. Nubat vidua cui vult, tantum in Domino) id est, quem sibi aptum putauerit, illi nubat: quia inuitæ nuptiæ solent malos prouentus habere. Tantùm autem in Domino, id est, vt & sine suspicione turpitudinis nubat, & religionis suæ viro nubat.

Quòd in sponsalibus, sicut in nuptiis, consensus requirendus est. Pandectarum lib. xxiij. titulo primo. ¶ Cap. 20.

In sponsalibus consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. Intelligitur tamen semper * filiam patri consentire, nisi euidenter dissentiat.

** filiæ patrem orig.*

Quòd alij viro mulier legimè nubere poßit, si inuita & repugnans alteri à patre tradita fuerit. Item. ¶ Cap. 21.

Sponsalia sicut nuptiæ consensu fiunt contrahentium, & ideo sicut nuptiis ita sponsalibus filiamfamilias consentire oportet. Quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. Tunc autem dissentiendi à patre licentia conceditur, si indignus moribus vel turpis sponsus ei à patre eligitur. Filiofamilias dissentiente, sponsalia eius nomine fieri non possunt.

Item. De eodem. ¶ Cap. 22.

In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium diffinita non est, vt in matrimoniis. Quapropter à primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modò id fieri ab vtraque persona intelligatur, id est, si non sint minores quàm septem annis.

Vt nullus mulierem inuitis parentibus rapere præsumat. Iudicium Vrbani Papæ de filia Iordani principis. ¶ Cap. 23.

Si verum esse constiterit quod nobis legati Iordani principis retulerunt, scilicet quod ipse coactus & dolens filiam suam infantulam, nolentem, flentem, & pro viribus renitentem, non assentientibus, sed valde dolentibus, matre & parentela, Raynaldo Ridelli filio desponsauerit, quoniam canonum & legum authoritas talia sponsalia (vt infrà ostenditur) non approbat, ne ignorantibus leges & canones nimis durum, quod dicimus videatur, ita sententiam temperamus: vt si principes cum assensu filiæ, matris & parentelæ, id quod cœptum est perficere voluerint, concedamus. Sin autem, legatus noster vtrasque partes audiat, & si nihil fuerit ex parte supradicti Raynaldi amplius quod impediat, ab ipso Iordane sacramentum quod ita constent. Hæc vt dicta sunt, accipiat: & nos canonū ac legum scita sequentes, deinceps non prohibemus, quin alij viro si voluerit, prædicta filia eius tantùm in Domino nubat.

31. q. 2. c. Si verum esse.

*Quòd raptus pro stupro reputatur. Vrbanus * Satino regi Aragonum.* ¶ Cap. 24.

** Sacratio legit Gratianus.*

De neptis tuæ coniugio, quam te cuidam militi daturum necessitatis instante articulo, sub fidei pollicitatione firmasti. Hoc æquitate dictante decernimus, vt si illa virum illum omnino vt dicitur, renuit, & in eadem voluntatis authoritate persistit, vt viro illi prorsus se deneget nupturam, nequaquam eam inuitam & renitentem eiusdem viri cogas coniugio sociari. Quorum enim vnum corpus est, vnus debet esse & animus: ne fortè cùm virgo fuerit alicui inuita copulata, contra Domini Apostolique præceptum, aut reatúm dissidij, aut crimen fornicationis incurrat. Cuius videlicet peccati malum in eum redundare constat, qui eam coniunxit inuitam: quod pari tenore de viro est etiam sentiendum.

31. q 2 c. de neptis.

De vindicta raptus Parisiacense concilium. i. c. vi. ¶ Cap. 25.

Nullus aut viduam aut filiam alterius extra parentum voluntatem, aut rapere præsumat, aut regis beneficio æstimet postulandam: quod si fecerit, ab Ecclesiæ communione remotus, anathematis gladio feriatur.

36 q. 2. cap. nullus.

Quomodo rapta reddenda sit. Isidorus Etymologiarum libro v. cap. xxiij. ¶ Cap. 26.

Cap. 26.

Raptus, propriè est illicitus coitus, à corrumpendo dictus, vnde & qui rapto potitur, stupro fruitur. *Item. Capitularium libro primo, cap. xcix.*

27. q. 2. cap. raptus. cap. 105.

7 q 2 cap raptor. Raptor publica pœnitentia mulctetur. Raptam verò si sponsus recipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuit, licentia nubendi alij non negetur. Quod & si ipsa consensit, simili sententiæ subiaceat. Quod si ipsi post hæc se coniũgere præsumpserit, vtrique anathemizentur. *Libro iiij. Capitulorum.* Si quis sponsam alienam rapuerit, aut patri eius, aut ei qui legibus eius defensor esse debet, cum sua lege eam reddet, & quicquid cum ea abstulerit, vnamquamque rem secundùm legem reddat. cap 22.

Vt puella si patrem habuerit seruum, auum verò liberum: aui potius electione quàm presbyteris nubat. Pelagius Potentio defensori.

¶ Cap. 27.

Patrem puellæ Ecclesiæ nostræ famulũ, auum verò liberis ortum constat esse natalibus: & ideo aui magis electione de coniunctione neptis, quàm patris, cuius nullo modo liberum esse potest arbitrium, decernimus attendi.

Quòd rapta præcipitur fieri coniunx. Gregorius Pantaleoni notario.

¶ Cap. 28.

lib 2 regist cap. 79. Questus nobis est Euangelus Sipontinæ Ecclesiæ diaconus, filiam suam à Fœlice (quod dici nefas est) fuisse stupratam. Pro qua re huius præcepti suffultum authoritate ad Sipontinam ciuitatem te proficisci necesse est, & adhibitis tibi sapientibus illic viris, cum omni subtilitate veritatem curabis addiscere: & si ita repereris, eam quam stuprauit, aut vxorem factis nuptialibus instrumentis accipiat, aut corporaliter castigatum, in monasterium eum, priuatum communione, vbi pœnitentiam peragat, dare festinabis.

De eadem re. Idem Fœlici episcopo Sipontino.

¶ Cap. 29.

lib. 2 regist cap. 81. Peruenit ad nos, quòd Fœlix nepos tuus Euangeli diaconi tui filiam stupro deceperit. Quod si verum est, (quamuis graui esset de lege pœna puniendus) nos tamen aliquatenus legis duritiam mollientes, huiuscemodi disponendo, id est, vt aut quam stuprauit vxorem habeat, aut certè si renuendum putauerit, districtus, aut corporaliter castigatus, excommunicatúsque in monasterium vbi pœnitentiam peragat retrudatur.

sermone 65 ***De prohibendis concubinis. Sermo Ambrosij de sancto Ioanne, qui sic incipit. Diximus superiori dominica.***

¶ Cap. 30.

Dicat aliquis: vxorem non habeo, ideo mihi ancillam sociaui. Audi quid dicat scriptura ad
Genes. 21. Abraham: eijce ancillam & filium eius: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Si
Galat 4. igitur ancillæ filius heres non est, ergo nec filius est. Cur autem quæritur tale coniugium, de quo susceptus filius nec successionis possit heres esse, nec sanguinis? Nec enim habere potest hereditatis consortium, qui non habet originis priuilegium. Cur inquàm quæritur tale contubernium de quo nati filij non matrimonij, sed testes sunt adulterij? Cur huiusmodi suscipiuntur adulterini, qui patri pudori sunt, non hono-
Sapient 3. ri? Dicit scriptura: adulterorum filij in consummatione erunt, &c. Mulier igitur tua si talibus moribus prædita est, vt mereatur consortium, mereatur & nomen vxoris. Præsta concubinæ tuæ libertatem, & nomen vxoris, ne tu adulter sis potius quàm maritus.

Si concubina vsque ad mortem cum aliquo nobili permanserit, vt ab heredibus eius cum filiis suis liberetur. Codicum libro septimo, cap. xv titulo iij.

¶ Cap. 31.

Si quis sine vxore constitutus, ancillam suam nomine habeat concubinæ, & in eadem vsque ad mortem consuetudine permanserit, & forsitan ex ea liberos susceperit, sancimus omninò non concedi heredibus defuncti eandem vel liberos eius, si etiam liberos habuerit, in seruitutem deducere, sed post mortem Domini eripiatur in libertatem, vnà cum sobole sua.

Vt filij de concubina nati, quæ posteà in vxorem ducta est, legitimi liberi sint priores, sicut posteriores. Sacrarum institutionum libro iii. titulo i.

¶ Cap. 32.

Si quis mulierem in suo contubernio copulauerit, non ab initio affectione maritali, eam tamen cum qua poterit habere coniugium, & ex ea liberos sustulerit, posteà verò affectione procedente etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, filiósque vel filias habuerit, non solùm eos liberos, qui post dotem editi sunt, iustos, & in potestate esse patris, sed etiam anteriores: * quia & his qui posteà nati sunt, occasionem legitimi nominis præstiterunt. Quod obtinere censuimus, etiam si non progeniti fuerint post dotale instrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce subtracti fuerint. * qui & orig.

Ne sponsæ pactæ statim tradantur. August. lib. viij. confessionum.

¶ Cap. 33.

Institutum est, vt iam pactæ sponsæ non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam suspirauerat sponsus dilatam. 27.q 2 cap institutum,

De eo qui cum muliere quam ducere potuit, consuetudinem habuerit. Nouellarum constitutionum xxxij. cap. iij.

¶ Cap. 34.

Si quis cum muliere consuetudinem habuerit, cuius nuptiæ interdictæ non sunt, & liberos ab eo illa procreauerit, postéaque dotalia instrumenta composuerit ei, non solùm iam nati filij legitimi & in potestate eius sint, sed etiam posteà procreati.

Ne legitima repudiatur. Constitutio xxxvij. cap. vij.

¶ Cap. 35.

Si quis sine dotalibus instrumentis, affectione maritali vxorem duxerit, non audeat sine causa legibus cognita repudium ei mittere.

Quòd de concubina potest legitima fieri. Constit. lxiij. cap. xiij.

¶ Cap. 36.

Si quis cum muliere libera consuetudinem habeat non affectione maritali, & ex ea liberos procreauerit, eósque velit liberos legitimos & in potestate sua habere, liceat ei cum matre eorum instrumenta dotalia componere. Nam filij qui ante naturales erant, post compositionem instrumentorum dotalium sui & in potestate patris efficiuntur, siue postea nati filij viuunt, siue mortui sunt, siue omnino nullus alius procreatus est.

Quòd liceat meretricibus honestam vitam eligere. Constitutio nouellarum xlvi. cap. i.

¶ CAP. 37.

Princeps constituit, vt liceat meretricibus honestiorem vitam eligere sine aliquo timore, quamuis iuratoriam cautionem exposuerint. Hi autem qui tale iusiurandum exegerunt, & contra castitatem operam suam dederunt, pœnæ nomine x. libras auri persoluant iisdem meretricibus, quæ sacramenta dederunt: pœna autem x. librarum officio præsidis flagitetur. Quod si præses neglexerit, de suo patrimonio pœnam præstare cogatur: & magistratu sibi commisso cadat, & non solùm mulieribus, sed etiam heredibus & aliis successoribus earum, pœnam soluat. Hoc si probatum sit, quòd sacramentum à meretrice exegerit. Si autem sacramentum non exegerit à meretrice, ne teneatur quidem ea pœna.

De Osee Propheta qui meretricem duxit. Hier. super Osee. lib. i. Ad cap. I.

¶ CAP. 38.

32.q 1 c non est culpandus Non est culpandus Osee Propheta, si meretricem quam duxit conuerterit ad pudicitiam, sed potius laudandus quòd ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet ipse polluitur si societur malo, sed qui malus est, in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. Ex quo intelligimus non prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam quam antea non habebat.

Quare matrimonium inter cognatos sit prohibitum. Augustinus in lib. de ciuitate Dei, lib. xv. cap. xvi.

¶ CAP. 39.

Cum igitur genus humanum post primam copulam viri facti ex puluere, & coniugis eius ex viri latere marium, fœminarúmque coniunctione opus haberet, vt gignendo multiplicarent, nec essent vlli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri coniuges sorores suas acceperunt. Quod profectò quantò est antiquius compellente necessitate, tantò posteà factum est damnabilius religione prohibente. Habita est enim ratio rectissima charitatis, vt homines quibus esset vtilis, atque honesta concordia, diuersarum necessitudinum vinculis necterentur. Nec vnus in vno multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos, ac si ad socialem vitam diligentius plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe, & Socer duarū sunt necessitudinū nomina. Vt ergo alium quisque habeat patrem, aliū socerum, numerosius se charitas porrigat. Vtrumque autem vnus Adam esse cogebatur & filiis, & filiabus suis, quando fratres, sororésque coniugio iungebantur. Sic & Eua vxor eius, vtrique sexui filiorū fuit & socrus & mater. Quæ si duæ fœminæ fuissent, mater altera, & socrus altera, copiosius se socialis dilectio colligaret. Sed hoc vnde fieret tunc non erat, quando nisi fratres, & sorores ex illis duobus primis, nulli homines erant. Fieri ergo debuit quando potuit, vt existente copia, inde ducerentur vxores, quæ non erant iam sorores, vt non solùm illud vt fieret necessitas esset, verum etiā si fieret nefas esset: quod humano genere crescente, etiam inter impios deorū multorum falsorúmque cultores, sic obseruari cernimus, vt etiamsi peruersis legibus permittantur fraterna coniugia, melior tamen consuetudo ipsa malit exhorrere licentiā, sicque auersetur, quasi nunquam licere potuerit. Copulatio ergo maris & fœminæ, quantum attinet ad genus humanum, quoddam seminarium est ciuitatis. Cœlestis verò ciuitas opus habet, vt noxam generationis euadat.

De tribus legitimis coniugijs. Hieronymus.

¶ CAP. 40.

Tria legitima coniugia in scripturis leguntur. 36 q 2. cap. tria.
Primum legitimū coniugium est virgo casta in virginitate viro data legitimè, & reliquæ sequūtur in prædictis. Secundum, virgo in ciuitate deprehensa à viro, & illi per vim copulata, si voluerit pater eius, dotabit eam iste vir, quantum iudicauerit pater, & dabit pretiū pudicitiæ eius. Tertium, filia prædicta deprehensa, si non fuerit voluntas patris, trahet eam à viro prædicto, & tradet eam alij & dotabit eam, & legitima erit ei. Sed primum his duobus præfertur.

De quarto legitimo coniugio. Hieronymus.

¶ CAP. 41.

Additur itaque aliud quartū legitimum coniugiū. Dum mortua fuerit vxor eius, licet illi accipere aliam, sed non repudiatam, nec desponsatā viro sed filiam. Similiter debet & mulier. Vnde Paulus ait: Mulier quæ sub viro est, ligata est sub lege viri, quamdiu vir eius viuit. Igitur viuente viro eius, vocabitur adultera, si iuncta fuerit alteri viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ita vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

27.q.2 cap. additur

Rom. 7.

Quòd in coniugio quasi adulterium sit voluptuosus concubitus & immoderatus. Hieronymus.

¶ CAP. 42.

In legitimo coniugio adulterium est cauendū, non quantū voluptas expetierit, sed quantum modus naturæ, & causa posteritatis postulauerit. Et non licet illi habere alteram, præter vxorem suā. Si enim habuerit, non erit legitima, quę licita fuit. Paulus quoque apost. ait. Omne peccatum quodcunque homo fecerit, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat: hoc est in coniugio positus, quæcunque fecerit peccata, non infuscant vxorem propriam. Si autem fornicatur cum aliis, maculat eam vt non sit licita, sed quasi adultera. 1. Corint. 6.

Quòd propter fornicationem licet vxorem dimittere, non tamen aliam ducere. Idem Hieronymus. Lib. 3. in Matth. ad caput 19.

¶ CAP. 43.

Ait Dominus in Euangelio: Quicunque dimiserit vxorē, nisi ob fornicationem, & aliā duxerit, mœchatur. Et qui dimissam duxerit, mœchatur. Sola fornicatio est quæ vxoris vincit affectū, immò cum illa vnam carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione separauerit à marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente scriptura. Qui adulterā tenet stultus & impius est. Vbicunque est igitur fornicatio, aut fornicationis suspicio, liberè vxor dimittitur. Et quia poterat accidere vt aliquis calūniam faceret innocenti, & ob secundā copulam nuptiarū veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere iubetur vxorem, vt secundam prima viuente non habeat. Quod enim dicit, tale est: Si non propter libidinem, sed propter iniuriam dimittis vxorem, quare expertus infœlices priores Prouerb. 18.

priores nuptias, nouarum te immittis periculo? Nec non quia poterat euenire, vt iuxta eandem legem vxor quoque marito daret repudium: eadem cautela præcipitur, ne secundum accipiat virum, & quia meretrix, & quæ semel fuerat adultera, opprobrium non timebat, * secundo non nubere præcipitur viro, quod si talem duxerit, sub adulterij crimine sit.

* Hieron. excusus sic habet secundo præcipitur viro, &c.

Quòd legitima sit, quæ interposito sacramento assumpta fuerit. Nouellarum constitutionum lxv. cap. i. ¶ CAP. 44.

30.q.5.cap. si quis. Si quis diuinis tactis scripturis iurauerit mulieri se eam legitimam vxorem habiturum, vel si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illa legitima vxor, quamuis nulla dos, nulla scriptura alia interposita sit.

Vt talis sit vir vxori, qualem sibi vult esse vxorem. Augustinus de verbis Domini, tractatu xlvij.
¶ CAP. 45.

Si ducturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris. Quales eas vultis ad vos venire, tales vos debent, & ipsæ inuenire. Quis iuuenis est qui non castam velit ducere vxorem? Et si accepturus est virginem, quis non intactam desiderет? Intactam quæris? intactus esto. Puram quæris? noli esse impurus. Non enim illa potest, & tu non potes.

Ne parentes fidem sponsaliorum frangant. Ex Eliberitano concilio cap. liiij.
¶ CAP. 46.

Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorũ, triennij tempore abstineant se à communione. Si tamen * idem sponsus vel sponsa in graui crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes.

* ijdẽ or.

Ne vxor in quadragesimali tempore ducatur. Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, cap. xlviij. ¶ CAP. 47.

3.q.4 cap. nec vxorem. Nec vxorem ducere, nec conuiuia facere in quadragesimali tempore conuenire posse, nullatenus arbitramur.

Ne presbyter in nuptiis bigami prandeat. Ex Neocæsariensi concilio cap. vi.
CAP. 48.

.q.1.cap. ...bis. Presbyterum prandere in nuptiis bigami non conuenit. Quia cum pœnitẽtia bigamus egeat, quis erit Presbyter qui propter conuiuium talibus nuptiis possit præbere consensum?

Ne nuptiæ in quadragesimali tempore fiant. Laodicense concilium, cap. lii.
¶ CAP. 49.

q.4 c non oportet. Non oportet in quadragesima aut nuptias aut natalitia celebrare.

Vt prædicator continentiæ nuptias non celebret. Hieronymus ad Nepotianum.
¶ CAPVT 50.

Prædicator continentiæ nuptias non conciliet. Quia apostolũ legit: superest, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint, cur virginem cogit vt nubat? Qui de monogamia sacerdos est, quare viduam hortatur vt bigama sit.

Corint. 7.

De his qui fiscalinas vxores ducunt. Capitularium libro iij. cap. xvi. ¶ CAP. 51.

De liberis hominibus qui vxores fiscalinas regias, & de fœminis liberis qui homines fiscalinos regios accipiunt, vt non de hereditate parentum, vel de causa sua quærenda, nec de testimonio pro hac re abiiciantur.

Vt ingenua si seruum duxerit ancilla sit. Lib. v cap. xx. ¶ CAP. 52.

Si mulier ingenua acceperit seruum, sciens quod seruus esset, habeat eum: vna autem lex erit & viro & fœminæ. 29 q 2.c.si fœmina.

Vt liber si ancillam duxerit non dimittat eam, lib. vi. cap. xcv. ¶ CAP. 53. c.94.

Si quis liber ancillam in matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam, si prius amborum consensu coniuncti sint. 29.q.2.c.si quis.

Quòd coniugium non dirimitur inter seruum & ancillam etiam si diuersos dominos habeant. Adiecti capitulares cap. lv.
¶ CAP. 54.

Coniugia seruorum non dirimantur, etiamsi diuersos dominos habeant, sed in vno coniugio permanentes dominis suis seruiant. Hoc in illis obseruandum est, vbi legalis coniunctio fuit, & per voluntatem dominorum.

De quodam famulo ecclesiæ, qui eiusdem ecclesiæ ancillam relinquere volebat. Pelagius Melleo subdiacono. ¶ CAP. 55.

Dulcitia Ecclesiæ nostræ famula in Tarpeiana massa consistens, huiusmodi querelam suam nostris sensibus intimauit, dicens, quod posteà quàm eam marito suo defuncto contigit viduari, Clerentius quidam nomine ex ancilla (vt perhibetur) Ecclesiæ procreatus, diuersis blandiciis atque suasionibus præfatæ mulieris animos inclinando in suo eam curasset afficere consortio, ex qua etiam filium procreasset. Nunc autem post coniunctionis suæ non paruum tempus, quippe iam nato & educato filio nullis (vt perhibetur) rationalibus causis extantibus, eandem mulierem deseruisse, atque in eam prosiluisse contumaciam, vt ad declinandam seruitutem debitam, curialis sibi nomen audeat vsurpare: qui & primam in ecclesiæ possessione genitam ex colonis ecclesiæ habuisse memoratur vxorem. Ex cuius peculio quendam agellũ dicitur hactenus detinere: sed & alia non pauca in suo fertur habuisse peculio. Quapropter experientia tua præsentis iussionis vigore suscepto, eodem detento Clarentio causæ totius veritatem diligenter agnoscens, quæ de memorati persona seu rebus, ecclesiastica requirit vtilitas exequatur, & si eum de ecclesiæ ancilla genitũ, vel alio modo legitimo iuri Ecclesiæ constat obnoxium reperiri, cum omnibus rebus suis in massam ecclesiæ festinet reuocare, & ei præfatã mulierem, quam sibi ipse adsciuit in consortium, sociare, nullatenus habituro de cætero eam relinquendi licentiam.

Si quis per errorem duxerit ancillam vxorem, liberam eam putans: vel si qua seruum duxerit maritum, non subsistere tales nuptiæ. Nouellarum constitutionum xxxvii.
¶ CAP. 56.

Si quis per errorem ancillam mulierem duxerit vxorem, liberam eam esse putans, vel ex cõtrario si libera mulier seruo per errorem iuncta sit, posteàque veritas reperta fuerit, dicendum est omninò nuptias non constitisse. Inter liberum enim & ancillam, seruũ & liberam mulierẽ nuptię cõtrahi nõ possunt. Quòd si calliditate &

conniuentia domini seruus vel ancilla matrimonium contraxerit cum libera persona (fortè enim dominus ancillam suam vt liberam viro ingenuo coniunxit,& dotem pro ea præstitit, vt propter nuptias donationem lucretur totam vel pro parte.) Si quid ergo tale contigerit, ipsam donationem dotis,& ancillam liberam faciat & nuptiæ consistant,nulla lege,quantum pertinet ad seruitutem, huiusmodi matrimonium concutiente.Sin autem dominus specialiter quidem in nuptias ancillæ suæ vel serui non consenserit, sciens autem quòd non cohibuerit (fortè enim ideo hoc facit, vt posteà negotium moueat homini libero quod eius ancillam duxit vxorem, vel ingenuæ mulieri quod seruo eius nupta est) Si quid ergo tale euenerit, & specialiter dominus non consenserit, attamen nesciens non prohibuerit, & nuptiæ integro iure consistant, & seruilis conditionis persona eripiatur, ad ingenuitatem illo sine dubio aperto, quòd liberi qui ex huiusmodi nuptiis procreati fuerint, tam ingenui quàm legitimi sunt.

Quòd liberta quæ patrono suo nupsit eo inuito alij iungi non poßit, cap. xxv.
¶ Cap. 57.

Si liberta mulier patrono suo copulata nuptiis quidem eius renunciauerit,ad secundum autem matrimonium migrare voluerit,id facere inuito patrono non poterit. Alioquin si contra voluntatem eius nupserit,non fiunt nuptiæ,sed vt meretrix coniuncta esse videatur. *Constitutio lxix. cap. iij.* Si quis libertam suam vxorem ducere voluerit, dotalia instrumenta cum ea componat, & habebit legitimam vxorem,quamuis ipse summa dignitate præfulgeat.Et si liberi ex tali connubio procreati fuerint,legitimi successores patri suo succedant.

De quodam, qui filiolo suo ancillam suam copulauit, & postea abstulit. Gregorius Maximiano episcopo syracusano. ¶ Cap. 58.

Lib.3 regist. cap.12. Præsentium portitor lachrymabiliter questus est,ante plurimos annos ab homine(nescio quo) de possessione Massanensis Ecclesiæ, de fontibus se susceptum, & violenter diuersis persuasionibus puellæ iunctum, ex qua filios iam iuuenculos habere se asserit, quam nunc violenter huic disiunctam abstulisse dicitur, atque cuidam alij vænundedisse.Quod si verum est,quàm sit inauditum atque crudele malum, tua dilectio perspicit. Ideóque admonemus,vt hoc tantum nefas,sub ea viuacitate, quam te in causis piis habere certissimè scimus,requiras atque discutias, & si ita, vt supradictus portitor insinuauit, esse cognoueris: non solum quod malè factum est ad statum pristinum reuocare curabis,sed & vindictam quæ Deum possit placare, exhibere modis omnibus festinabis.

Quòd nulli liceat duas habere legitimas Stephanus v. Theodosio episc. ¶ Cap. 59.

Nunquidne duabus simul sponsis nubere barbaricam gentem instruis? Nunquidne sacramẽtum ecclesiæ exponentem apostolum non legisti, *1. Corint. 6.* Erunt duo in carne vna? an forsitan tui codices falsò tres in carne vna asserunt? Desine iam *Genes. 2.* tali tabescere ignauia, & disce paternis obedire *Prouerb.22.* regulis, ne inueniaris statutos à patribus terminos transgredi, vel per ambitionem de maiori ad maiorem transire ecclesiam, quod tentantem laica etiam communione sacri priuant canones.

Quòd nec concubinam habeat qui cum pluribus concumbere solet. Nouellarum constitutionum lxxxix. ¶ Cap. 60.

Nemo intelligatur concubinam habere, qui cum multis mulieribus concumbere solet. Nam quemadmodum qui legitimam vxorem habet, aliam habere durante eodem matrimonio non potest: ita & qui vnam concubinam habet, non potest alias eo tempore habere.

Quòd Ismael non fuit eiectus propter matrem ancillam, sed propter fraternam discordiam. Aug. de vnico baptismo, lib i. *Lib 1 de baptis contra Donat fine cap.13.*
¶ Cap. 61.

Ismael vt separaretur à populo Dei non obfuit mater ancilla, sed obfuit fraterna discordia. *dist 56 cap. Ismael. Genes. 21.* Et non profuit potestas vxoris, cuius magis filius erat, quia per ipsius iura coniugalia, & in ancilla seminatus erat, & ex ancilla susceptus.

Quòd in liberæ mulieris consuetudine nuptiæ intelligendæ sint. Pandectarum libro xxiij. tit. ij. ¶ Cap. 62.

In liberæ mulieris consuetudine non concubinatus, sed nuptiæ intelligendæ sunt, si non corpore quæstum fecerit.

De pœnitentia eius qui duas vxores nititur habere. Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, cap. li. ¶ Cap. 63.

Apud quem vno tempore duæ vxores inueniuntur, interim priore retenta, posteriorem cogatur amittere: insuper & pœnitentiam quam loci sacerdos præuiderit, compellatur suscipere.

Vt habens concubinam si alia non vtatur, communione non priuetur. Ex Toletano conc. i. c. xvij.
¶ Cap. 64.

Si quis habens vxorem fidelem, concubinam *dist.34.ca. Is qui non.* habeat, non communicet. Cæterum is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur, tantùm vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ (vt ei placuerit) sit coniunctione contentus. Aliàs vero abijciatur, donec desinat, & ad pœnitentiam reuertatur.

Quòd quasi matrimonium sit, si quis concubina sic vtatur, vt alteram non habeat, nec habere desideret. August. de bono coniugali, cap. v.
¶ Cap. 65.

Solet quæri, cùm masculus & fœmina nec ille *32.q 2.cap. Solet.* maritus, nec illa vxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitus causâ copulantur, ea fide media, vt nec ille cum altera id faciat, vtrum nuptiæ sint vocandæ. Et potest quidem fortasse non absurdè hoc appellari connubium, si vsque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit, & prolis generationem, quamuis non ea causa coniuncti sunt: non tamen vitauerunt, vt vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agãt ne nascantur. Cæterum si vel vtrunque, vel vnum horum desit, non inuenio quemadmodum has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi ad tempus adhibuerit, donec illam dignam honoribus, vel suis facultatibus inueniat, quam comparem ducat, ipso animo adulter est, nec cum illa quam cupit inuenire, sed cum ista cum qua sic cubat, vt cum ea non habeat maritale consortium.

Quòd vnum tantum liceat habere Christiano. Isidorus de consonantia noui & veteris testamenti, cap. iij. ¶ Cap. 66.

ist. 34. c. Christiano. Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi vnam tantùm, aut vxorem, aut certè loco vxoris, si coniunx deest, concubinam.

Quòd non sit legitimus à nobili & ab ancilla genitus. Pelagius Sindula magistro militum. ¶ Cap. 67.

Hortamur, vt nihil vlterius Montanianus, qui se contra omnem veritatem, & contra leges, dũ sit ex ancilla genitus, legitimum filium tentat astruere, sensibus vestris qualibet fortè subripiat, quia Montanianum illum de cuius substantia agitur, constat sine propriis liberis decessisse, & germani fratris filios, qui ei legitima ratione succedunt superstites dimisisse, ac propterea istum Montanianum de cuius substantia agitur, nullam habere in illius defuncti successione personam. Nam etsi principalia sacra promeruit, hoc illis legitimis successoribus præiudicare nil poterit, quia ipse clementissimus imperator generales leges protulit, quibus iubet nulli qui in precibus suis deprehenditur esse mentitus, ea sacra prodesse quæ meruit. Qui cùm esset naturalis, se contra veritatem dicit esse legitimum, quod nulla ratione monstrari lege potuit.

Quòd de legitimis nuptijs procreati patrem, vulgò quæsiti matrem sequantur. Pandectarum lib. i. tit. v. ¶ Cap. 68.

Cum legitimæ nuptiæ factæ sunt, patrem liberi sequuntur, vulgò quæsiti matrem sequuntur.

Quis sit vulgò quæsitus. Item. ¶ Cap. 69.

Vulgò concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt: & qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet.

Quòd matrem potius quàm patrem sequuntur, de non legimo coniugio nati. Item. ¶ Cap. 70.

Lex naturæ hæc est, vt qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur. Qui in vtero sunt, in toto penè iure ciuili intelliguntur in rerum natura esse. Nam & legitimæ hereditates restituuntur his: ita vt si prægnans mulier ab hostibus capta sit, & id quod natum erit, quamuis apud bonæ fidei emptorem peperit, tanquàm furtiuum vsu non capitur.

Quòd liberorum status dependeat à conditione matris, non patris. Libro j. constitutio. tit. iiij. ¶ Cap. 71.

Ingenuus est, qui statim vt natus est, liber est, siue ex duobus ingenuis matrimonio editur, siue ex libertinis, siue ex altero libertino & altero ingenuo. Sed & si quis libera de matre nascitur, patre seruo, ingenuus nihilominus nascitur: quemadmodum qui ex matre libera & incerto patre natus est: quoniam vulgò conceptus est. Sufficit autem liberam habuisse matrem eo tempore quo nascitur, licet ancilla conceperit: & econtrariò, si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat. Placuit enim qui nascitur liberum nasci, quia non debet calamitas matris ei nocere qui in vtero est. Ex his & illud quæsitum est, si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta peperit, liberum an seruum pariat. * Marcellus probat liberum nasci, * Martianus
Sufficit enim ei qui in ventre est, liberam matrem vel medio tempore habuisse: quod & verum est. *Isidorus. Etymologiarum lib. ix. cap. v.* 32.q. 4. cap. lib. ri dicti.
Liberi dicti sunt, qui ex libero matrimonio sunt orti. Nam filij ex libero & ancilla, seruilis conditionis sunt. Semper enim qui nascitur deteriorem parentis statum sumit. *Eiusdem lib. ix. cap. v.* Naturales filij dicuntur ingenuarum concubinarum filij, quos sola natura genuit, nõ honestas coniugij. *Item.* Hi qui non sunt de legitimo matrimonio, matrem potius, quàm patrem sequuntur.

Quòd coniugia quibusdam conceduntur, quibusdam non. Augustinus de conflictu vitiorum atque virtutum. cap. xxij. ¶ Cap. 72. Cap. 24.

Nubendi licentia quibusdam tribuitur, hoc est qui virginitatem vel castimoniam vidualem nequaquam professi sunt: quibusdam autem non tribuitur, id est qui virgines aut continentes esse decreuerunt: fornicatio verò nulli impunè conceditur. 27. q. 1. c. nubendi.

Quòd multa licent ante votum, quæ post votum non licent. Augustinus de adulterinis coniugijs, lib. j. ¶ Cap. 73. Cap. 24.

Non solùm mœchandum non est, quod * faciunt quidam, sed omnis qui dimittit vxorem suam & ducit alteram, etsi propterea duxerit, Christianam vt faciat: sed etiam quisquis non alligatus vxori continentiam Deo vouerit, nullo modo debet ista compensatione peccare, vt ideò vxorem credat sibi esse ducendam, quia promisit, quæ nuptias eius appetit, futuram se esse Christianam. Quod enim cuiquam antequam vouisset licebat, cùm id se nunquam facturum vouerit, non licebit: si tamen id vouerit, quod vouendum fuit: sicuti est perpetua virginitas, vel continentia vidualis post experta connubia solutis à vinculo coniugali: vel ex consensu vouentibus, & carnalia debita sibi inuicem relaxantibus fidelibus castísque coniugibus: quod alterum sine altera, vel alteram sine altero vouere fas non est. Hæc ergo & si qua alia sunt quæ rectissimè vouentur, cùm homines vouerint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine vlla conditione vouerunt. 32. q. 8 c. nõ solùm. * facit nõ quidã, or.

Quòd nuptiæ habent in se Christi & Ecclesiæ sacramentum. Leo Rustico Narbonensi. ¶ Cap. 74. Ep. 92. c. 4.

Cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet etiam in se Christi & ecclesiæ sacramentum, dubium non est eam mulierem ad matrimonium non pertinere, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. 27. q. 2. c. cũ societas.

Quòd pudor est fœminis nuptiarum præmia non habere. Ambrosius super Lucam lib. i. ¶ Cap. 75. Sub finem ad c. 1 Lucæ De Elizabeth agit Amb.

Sara partus sui erubescebat ætatem, & rursus se caruisse gaudebat opprobrio. Pudor est enim fœminis, nuptiarum præmia non habere, quibus hæc sola causa est nubendi. 32. q. 2. c. pudor.

Quòd præmium nuptiarum partus sit fœminarum. lib. ij. ¶ Cap. 76. Statim post principium.

Quum coniugij præmium & gratia nuptiarum partus sit fœminarum, non mediocris 32. q. 2. c. pudor.

causa est, vt virginitas Mariæ falleret principem mundi.

Quòd tantùm procreatio filiorum sit vinculum nuptiarum. Augustinus contra Iulianum lib. ij.

¶ CAP. 77.

32. q. 1. c. non enim. Non in sola (vt deliras) commixtione maris & fœminæ nuptiarum veritas est, quamuis sine illa nuptiæ filios propagare non possint. Sed alia sunt ad nuptias propriè pertinentia, quibus ab adulteriis nuptiæ decernuntur. Sicuti est thori coniugalis fides, & cura ordinatè filios procreandi, & (quæ maxima differentia est) bonus vsus mali: hoc est, bonus vsus concupiscentiæ carnis, quo * malo adulteri vtuntur malè. * al. bono

Quid viro faciendum sit si mulier nulla ratione ei debitum reddere poterit. Gregorius iunior Bonifacio Episcopo. Gregorius. 2. ep 13. c. 2.

¶ CAP. 78.

32. q. 7 c. quod proposuisti. Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta nunquam valuerit viro debitum reddere, quid eius faciat iugalis. Bonum esset si sic permaneret, vt abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen ei subsidij opem subtrahat ab illa * quod infirmitas propedit, cùm non detestabilis culpa excludit. * quam

De repudio mariti si debitum vxori reddere non poterit. Codicum lib. v. cap. xix. tit. x.

¶ CAP. 79.

Si maritus vxori ab initio matrimonij vsque ad duos continuos annos computandos coire minimè propter naturalem imbecillitatem valeat, possit mulier vel eius parentes, sine periculo dotis amittendæ repudium marito dicere.

Cap. 55. *De eadem re. Capitularium lib. vi. cap. xcj.*

¶ CAP. 80.

Si vir & mulier coniunxerint se in matrimonio, & posteà dixerit mulier de viro non posse nubere cum eo: si potuerit probare quod verum sit accipiat alium: eò quòd iuxta apostolum non potuit illi reddere vir suus debitum. 1. Corint. 7.

De eadem re. Constitutio nouellarum xxxvij.

¶ CAP. 81.

Si quis non potest cum vxore sua misceri, etiam sine repudio matrimonium dissoluatur.

Quòd propter spem prolis coniugia copulanda sint. Augustinus contra faustum lib. i.

¶ CAP. 82.

Ad explendam tantùm libidinem fœminis impudica coniunctione miscentur Manichæi: filios autem inuiti suscipiunt, propter quod solum coniugia copulanda sunt. Quomodo ergo non prohibes nubere, quando id conaris auferre de nuptiis, vnde sunt nuptiæ? Quo ablato mariti erunt turpiter amatores, meretrices vxores, thalami fornices, socer i lenones.

Quòd dominica die ab vxore abstinendum sit. Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, cap. lxiij.

¶ CAP. 83.

Consulitis præterea, si liceat viro, dominico nocturno tempore vel diurno cum vxore sua coniungi, aut dormire. Quibus respondemus, Quoniam si dominico die ab opere mundano cessandum est, sicut suprà docuimus, quantò magis à voluptate carnali, & omnimoda corporis pollutione cauendum.

De eadem re. Ambrosius super epistolam primam ad Corinthios.

¶ CAP. 84. ad c. 7. init.

Si causa creandorum filiorum ducitur vxor, non multum tempus concessum videtur ad vsum ipsum: quia & dies festi & dies processionis, & ipsa ratio conceptus & partus iuxta legem cessari temporibus his debere demonstrant. 33. q. 4. cap. si causa.

Vt mulier dominio viri sui subiecta sit. * *Ambrosius in libro quæstionum veteris & noui testamenti, cap. xlv.* * Augustinus

¶ CAP. 85.

Mulierem constat dominio viri subiectam esse & nullam authoritatem habere; nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dicere, nec iudicare: quantò magis non potest imperare. 33. q. 5. cap. mulierem.

Quòd vir non debet mulieri subtrahere debitum. Hieronymus super Ezechielem lib. vij.

¶ CAP. 86.

Caueat vxor ne fortè victa desiderio coëundi cælet virum: & maritus ne vim faciat vxori, putans omni tempore subiectam sibi debere coniugij voluntatem.

Vt communicaturi se eo tempore ab vxoribus abstineant. Sermo Hieronymi in vigilia paschæ, qui sic incipit, Hodie fratres charissimi populis Israel. Tomo 9: sermone 33. de esu agni sed qui inter nothos.

¶ CAP. 87.

Sciatis fratres charissimi, quoniam quicunque vxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus agni comedere. *Item.* Si panes propositionis ab his qui vxores suas tetigerant comedi non poterant, quantò magis panis ille qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui coniugalibus paulò ante hæsere complexibus, violari atque contingi? Non quòd nuptias condemnemus: sed quòd eo tempore quo carnes agni manducaturi sumus, vacare à carnis operibus debeamus. 33. q. 4. cap. sciatis. Post vnum atque alterum versum. 1. Reg. 21.

Ne mariti cum vxoribus suis puerperis congrediantur ante tempus purgationis. Beda in historia anglorum, lib. j. cap. xxvij. Gregorius respondet Augustino. Greg ad 10. August interrogationem.

¶ CAP. 88.

Ad enixæ mulieris concubitum vir suus accedere non debet, quoadusque quigignitur ablactetur. Praua autem in coniugatorum moribus consuetudo surrepsit, vt mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant, eósque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet solâ causâ incontinentiæ videtur inuentum. Quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos ex praua consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus trāsierit, viris suis non debent commisceri: Quippe cùm & sine partus causa, dum in consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur, ita vt morte lex sacra feriat, si quis vir ad mulierem menstruatam accedat. Quæ tamen mulier dum consuetudinem menstruam patitur, prohiberi ecclesiam intrare non debet, quia ei naturæ superfluitas in culpam non valet reputari, & per hoc quod inuita patitur, iustum non est, vt ab ingressu Ecclesiæ priuetur. *Item.* Vir cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua intrare ecclesiam non debet, sed neque lotus statim intrare debet. *Item.* Romanorum semper ab dist. 5. c. ad eius verò. Leuit. 20. Ibidem aliquātò post. 33. q. 4. c. vir cùm.

Post aliquot verius. antiquioribus vsus fuit, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quæ ere, & ab ingressu Ecclesiæ paululùm reuerenter abstinere. Nec hæc dicentes culpã deputamus esse coniugium: sed quia ipsa licita admixtio côiugum sine voluptate carnis fieri non potest, à sacri loci ingressu abstinendum est, quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. *Item.* (Paulò pòst.) Oportet legitima carnis copula vt causa prolis sit, non voluptatis: & carnis commixtio creando-rum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorũ. Si quis verò sua coniuge non voluptatis cupiditate raptus, sed solummodo creandorum liberorum gratiâ vtitur, iste profectò siue de ingressu Ecclesiæ, siue de sumendo dominici corporis & sanguinis mysterio, suo est relinquendus iudicio: quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cùm verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere cõmixtionis, habẽt etiam coniuges, quod de sua cõmixtione defleãt. *Item.* (Ad calcem.) Tunc vir qui post admixtionem coniugis lotus aquâ fuerit, etiam sacræ communionis mysterium valet accipere, cùm ei iuxta præfinitam sententiam ecclesiam etiam licuerit intrare.

Quòd Christiano cum vxore aliquando licet conuenire, aliquando non. Augustinus in libro quæstionum veteris & noui testamenti c. cxxvij.

¶ CAP. 89.

(dist 88. c. fornicari.) Fornicari omnibus semper non licet, negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari: facto iam non licet. Et christiano cum vxore sua conuenire aliquando licet, aliquando verò non licet. Propter dies enim processionis aliquando non licet conuenire, quia etiam à licitis abstinendũ est, vt facilius impetrari possit, quod postulatur. Vnde apostolus, ex consensu, ait, abstinendum est ad tempus, vt vacetis orationi. (1. Cor. 7.) Nam & secundùm legem in ieiunio cædere & iurgari non licet, postea licet.

Vt vir, si litigium inter eos fuerit domet vxorem suam. Sermo lxv. Amb. de verb. domini.

¶ CAP. 90.

Si in vna domo litem inter se habeant vir & vxor, ad hoc debet laborare vir vt domet vxorem, domita vxor subiugetur viro. Subiugata vxore viro: fiat pax in domo.

(Lib. 5. c. 7.) *Vt mulier subiecta sit viro. Ambrosius hexaemeron in tractatu diei quarti.*

CAP. 91.

(33 q. 5. cap. Adam. Genes. 3.) Adam per Euam deceptus est, non Eua per Adam, quem vocauit ad culpam mulier. Iustum est vt * eam in gubernationem assumat, ne iterum fœminea facilitate labatur. (* eũ gubernatorem orig.)

(Ad 11. c. 1. ad Corint.) *Quare mulier debeat velare caput suum. Ambrosius super prima epistola ad Corinthios.*

¶ CAP. 92.

(33 q. 5. c. mulier. 1. Cor. 11.) Mulier debet velare caput, quia non est imago Dei, sed vt ostendatur subiecta. Et quia præuaricatio per illam inchoata est, hoc signi debet habere * in ecclesia propter reuerentiam Episcopalem non habeat caput liberum, sed velamine tectum: nec habeat potestatem loquendi, quia episcopus personam habet Christi. Quasi ergo ante iudicem sic ante Episcopum quia vicarius Domini est, propter reatus originem subiecta debet videri. (* vt in. orig.)

Quòd vir debet imperare, mulier obtemperare. Augustinus super Ioannem parte prima tractatu 2.

¶ CAP. 93.

Caro in scriptura ponitur pro vxore, quomodo aliquando spiritus pro marito. Et quare? Quia ipse regit, hæc regitur: ille imperare debet, hæc seruire. Nam vbi caro imperat, & spiritus seruit, peruersa domus est. Quid peius domo, vbi fœmina habet imperium super virum? Recta autem illa domus est, vbi vir imperat, fœmina obtemperat.

Quòd naturalis ordo sit vt mulier seruiat viro. Augustinus lib. quæstionum super Genesim cap. cliij.

¶ CAP 94.

Est ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ viris, & filij parentibus: quia & illis hæc iustitia est, vt inferior seruiat maiori. (33 q. 5. c. est ordo.)

De eodem. Aug. li. quæstionum de veteri & nouo testamento, cap. cvi.

¶ CAP. 95.

Hæc imago Dei est in homine, vt vnus factus sit ex quo cæteri oriantur, habens imperium Dei, quasi vicarius eius: quia omnis rex Dei habet imaginem. Ideóque mulier non est facta ad Dei imaginem, sic etenim dicit: Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum. Hinc est, vnde apostolus, vir quidem ait, non debet velare caput, quia imago & gloria Dei est: Mulier autem ideo velat, quia non est gloria, aut imago Dei. (33. q. 5. cap. imago. Genes. 1. Sapient 2. 1. Corint. 11. Li. 5 quæst. super Deuter. quæst. 33. Deuter. 22.)

Item de eodem. Augustinus.

¶ CAP. 96.

Satis hinc apparet quemadmodum subditas fœminas viris, & penè famulas lex esse voluerit vxores, quòd dicens aduersus vxorem vir testimonium, vnde lapidaretur illa, si hoc verum esse demonstraretur, ipse tamen non vicissim lapidaretur si hoc falsum esse constiterit: sed tantummodo castigatur, & damnificatur: eique perpetuò iubetur adhærere qua carere voluerat. In aliis autem causis, eum qui testimonio falso cuiquam nocuerit, * quod si probaretur, iussit occidi: eadem pœna plecti iubet, qua fuerat, si verum esset, iste plectendus. (33. q. 5. cap. satis. * quasi Vict.)

Quòd, sicut vir Christo: ita mulier viro suo subiecta esse debet. Hieronymus super epistolam ad Titum. (Ad cap. 2.)

¶ CAP. 97.

Cùm caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus, quæcunque vxor non subiicitur viro, hoc est, capiti suo, eiusdem criminis rea est, cuius & vir, si non subiiciatur capiti suo Christo. Verbum autem Domini blasphematur, vel cùm contemnitur Dei prima sententia, & pro nihilo ducitur, vel Christi infamatur euangelium, dum contra legem, fidémque naturæ, ea quæ christiana est & ex Dei lege subiecta, viro imperare desiderat: cùm etiam gentiles fœminæ viris suis seruiant communi lege naturæ. (33. q. 5. c. cum caput. Genes 3. 1. Cor 14. Coloss 3.)

Quòd mulier votum abstinentiæ reddere non possit, nisi permittente viro. Augustinus lib. quæstionum in numeri cap. liij. (Li. 4. quæst. super nume. quæst. 59.)

¶ CAP. 98.

Noluit ita lex aliquid vouere Deo aduersus animam suam, vt non in aliquarum rerum licitarum, atque concessarum abstinentia in ijsdem votis fœminæ valeat authoritas, sed virilis: ita (33. q. 5. c. noluit. Num. 30.)

vt si adhuc innuptæ concesserat pater vota persoluere, antequam persoluerit nupserit, & viro eius hoc cognitum non placuerit, non persoluat: & hoc omninò sine peccato, quia Deus mundauit eam, sicut dicit lex, id est mundam iudicauit. Neque hoc contra Deum fieri putandum est, cùm ipse Deus hoc præceperit, hoc voluerit. *Item.* Manifestum est, ita voluisse legem, fœminam sub viro esse, vt nulla vota eius quæ abstinentiæ causâ vouerit, reddantur ab ea, nisi author vir fuerit permittendo. Nam cùm ad peccatum eiusdem viri pertinere voluerit, si priùs permiserit, & posteà prohibuerit, etiam hîc tamen non dixit vt faciat mulier quod vouerat, quia permissa priùs à viro fuerat: viri dixit esse peccatum, quia abnuit quod priùs concesserat: non tamen mulieri vel ex hoc permissum dedit, vt cùm priùs vir ei concesserit, posteà si prohibuerit, * contemnatur.

Ibid aliquãtò post. 33 q. 5. c. manifestum.

* condemnetur. *or.*

Quòd adulterium secundũ locum in pœnis obtineat. Ex Epistola i. Clementis ad Iacobum.

¶ Cap. 99.

32 q 7. c. quid in omnibus.

Quid in omnibus peccatis est adulterio grauius? Secundum namque in pœnis obtinet locum: quoniam quidem primum illi habent, qui aberrant à Deo, etiam si sobriè vixerint.

De adulterio. Gregorius in moralibus lib. xxi.

c. 9. init.

¶ Cap. 100.

Cùm turpiter, vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur.

Quid sit adulterium. Ambrosius ad Paternum.

ep. 66 init.

¶ Cap. 101.

27 q 2. c si quis.

Si quis desponsata sibi, & tradita vtatur, coniugium vocat. Qui alienæ expugnat pudorem, adulterium facit: cuius vel solo nomine reprimitur plerumque tentandi audacia.

De eodem. Augustinus de bono coniugali.

Cap. 4.

¶ Cap. 102.

32. q. 5. c. illæ autem.

Adulterium dicitur, cùm vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel altera, contra pactum coniugale concumbitur: atque ita frangitur fides, quæ in rebus etiam corporeis, & abiectis magnum animi bonum est. Et ideò eam saluti quoque corporali, qua etiam vita ista continetur, certum est debere præponi.

Quòd templum Dei violat qui adulterium facit. Idem de verbis Domini cap. xvij.

Sermone 18. c. 10. 1. Cor. 3. & 6

¶ Cap. 103.

Ipsum corpus tuum, templum est spiritus Dei. Iam vide quid facias de templo Dei. Si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid te esset sceleratius? Modò autem tu ipse es templum Dei.

Qui alienam coniugem concupiscit, ita vt si locus detur, ea sit abusurus, iam reus est facti. Augustinus de libero arbitrio lib. i.

Cap 3.

¶ Cap. 104.

De pœniten. dist. 1. c. si cui.

Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena: planum tamen aliquomodo sit id eum cupere, & si potestas detur esse facturum, non minus reus est quàm si in ipso facto deprehenderetur.

Quòd non est faciendum adulterium, nec spe generandi regenerandos. Augustinus ad Claudium contra Iulianum, lib. v.

c 8 initio

¶ Capvt 105.

32. q 4 c si non facie de

Sic non facienda sunt adulteria, etiam voluntate generandi regenerandos, quemadmodum nec furta sunt facienda, etiam voluntate pascendi pauperes sanctos: quod tamen faciendum est, non furta perpetrando, sed benè vtendo mammona iniquitatis.

Quid sit adulterium. Isidorus lib. sententiarum, cap. xxxix.

lib. 2.

¶ Cap. 106.

Fornicatio carnis adulterium est: Fornicatio animæ, seruitus idolorum est.

Quòd adulterium facit, qui propter suam ad alteram vadit. Isido. super Exod. c. xxix.

¶ Cap. 107.

32. q. 5 c non mœchaberis

Non mœchaberis, id est, ne quisquam præter matrimonij fœdera aliis fœminis misceatur ad explendam libidinem. Nam adulterium facit specialiter, qui præter suam ad alteram accedit.

Quòd reus est adulterij qui semel fecerit illud, etiamsi nunquam amplius facturus sit. Aug. ad Valerium de nuptiis & concupisc.

L. 1. c. 26.

¶ Cap. 108.

Si quis fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterij, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum quamuis illud iam non sit quod admisit, quia cum tempore, quod factum est, periit.

Quomodo repudianda sit adultera. Nouellarum constitut. c. v. cap. vij.

¶ Cap. 109.

Si in adulterio maritus putauerit suam vxorem conuinci, prius debet inscriptiones deponere, vel contra mulierem vel contra adulterum: & si talis accusatio vera comprobata fuerit, tunc repudium mittat.

Marito in accusatione succumbente, eadem pœna quæ vxori conuictæ irroganda, cap. viij.

¶ Cap. 110.

Si vitæ mulieris quocunque modo insidiatus fuerit maritus, vel si aliis hoc facientibus conscius non manifestauerit mulieri, & secundùm leges eam non iudicauerit: si mulieris castitati insidiatus fuerit, vel aliis eam in adulterium prodere conatus fuerit, item si maritus ei de adulterio inscriptiones posuerit, & adulterium probare non poterit, liceat mulieri repudium mittere marito. *Item.* Illis pœnis subijciatur maritus, si accusationem adulterij probare non poterit, quas mulier passura fuisset, si conuicta fuisset. *Item.* Si in eadem domo, in qua mulier cum ipso habitat, contemnens eam cum alia muliere frequenter manens conuincatur, & semel & bis criminatus, vel per parentes suos, vel per mulieris parentes, vel per alias idoneas personas huiusmodi turpitudine non abstinuerit: liceat mulieri dissoluere nuptias.

Quòd liceat marito occidere eum, quem postquàm ter prohibuerit, cum vxore sua in vna domo inuenerit. cap. xiiij.

¶ Cap. 111.

Si quis suspicatus fuerit de aliquo, velle eum

pudori vxoris suæ illudere, liceat ipsi marito testationes in scriptis habitas ad suspectum hominem mittere, & ter ei denunciare per testationes ipsas idoneos testes continentes, ne cum vxore sua inueniatur. Et si post tres testationes in scriptis habitas, & idoneos homines habentes, inuenerit eum quem contestatus est cum vxore sua, vel in sua domo vel in domo mulieris, vel in domo illius adulteri, vel in * popina, vel in prastino, liceat marito sine vllo periculo manibus suis illum occidere. Sin autem in alio loco deprehenderit eum colloquium habentem cum vxore sua, conuocatis tribus testibus idoneis, per quos possit probare apud iudicem inuenisse eum cum vxore sua colloquium habentem, tradat eum iudici, & si iudex inuenerit post tres testationes suspectum hominem collocutum mulieri fuisse, nullo alio exquisito quasi adulterum puniat.

* propinquo

Vt maritus si post tres contestationes inuenerit vxorem suam cum suspecto homine in loco sacro colloquentem, ab episcopo eos ad pœnam requirat, cap. xv. ¶ Cap. 112.

Si post tres * testationes inuenerit maritus vxorem suam in sacro loco cum suspecto homine colloquium habentem, tradat eos Ecclesiæ defensori, vel aliis clericis, vt separatim custodiantur in periculo defensoris vel clericorum, vt auditos iudex mittat ad religiosum ciuitatis Episcopũ, & authoritate ipsius accipiat eos, & pœnis cõtra adulteros positis vtrosque afficiat nullo alio requisito, si post tres attestationes inuentus est cũ muliere locutus. Est autem iustissimũ, neque adulteros, neque raptores mulierum, sacrorum septis vindicare, & multò magis si quis de ipso adulterio intra sacra alienæ mulieri locutus est. Et generaliter definimus, si quis inuenerit vxorem suam, vel filiam, vel neptem, vel nurum, & deprehenderit cum aliquo colloquiũ habentem, & suspicatus fuerit turpitudinis causâ eos conuenisse, liceat ambos Ecclesiæ tradere defensori, vel aliis clericis, periculo eorum separatim custodiendos, donec iudici innotescere fecerit, & ille secundùm leges personas acceperit, & causam discusserit.

* testificationes

De adulterio, post quinquennium quàm admissum est, neminem posse accusari. Codicum lib. ix. tractatu v. ¶ Cap. 113.

Adulter post quinquennium quàm commissum adulterium dicitur, quod continuum numeratur, accusari non potest.

Quòd maritus non potest inferre crimen adulterij vxori in matrimonio retentæ. Tractatu xi. ¶ Cap. 114.

Crimen adulterj maritum retenta in matrimonio vxore inferre non posse, nemini dubium est.

Quòd proximis tantùm accusare licet de adulterio. Tract. xxix. ¶ Cap. 115.

Ne volentibus, temerè liceat fœdare connubia: proximis necessariisque personis solummodo placet deferri copiam accusandi adulterium: hoc est fratri, patri, nec non patruo & auunculo, quos verus dolor ad accusationem impellit. Sed & his personis legem * ita ponimus, vt crimen abolitione si voluerint compescant. Imprimis maritum thori genitalis iudicem esse oportet, cui quidem ex suspicione ream coniugem facere licet. Extraneos procul arceri ab hac accusatione censemus.

mpo-
nus.
ct.

De Lothario rege & vxore eius, quòd per monomachiam non est conuincenda. Nicolaus Papa Carolo regi. ¶ Cap. 116. Epist. 49.

Sicut multorum relatu didicimus, Lotharius rex conuentum celebrare disponit, & Theibergam reginam examini proprio & iudicio meditatur subijcere: & siquidem eam præstigiis falsitatis suæ potuerit exhibere, quasi non fuerit legitima sua vxor, vult eam penitus à se sequestrare. Sin autem vult eam tanquam propriam vxorem dimittere, sed deinde quasi mœchata fuerit insimulare, atque pro hoc hominem suum, & hominem Theibergæ ad monomachiam impellere, & si homo ipsius reginæ ceciderit, disponit hanc sine dilatione perimere.
Item. Præterea siue de coniugij fœdere, siue de adulterij crimine iudicium sit agitandum, nulla * ratio patitur Theibergã cum Lothario posse inire conflictum, vel legitimum controuersiæ inire certamen, nisi priùs ad tempus fuerit suæ potestati * & consanguineis propriis sociata, inter quos etiam locus præuidendus est, in quo nulla sit vis multitudinis formidanda, & non sit difficile testes producere, vel cæteras personas, quæ tam à sanctis canonibus quã à venerandis Romanis legibus in huiusmodi controuersiis requirãtur. Hæc idcircò diximus, vt ostendamus quem legũ conflictum. Lotharius congredi posse autumat cũ persona, quam in suis penetralibus quotidie fatigat, & conterit. Quando vult ad iudicium, quando vult ad claustra reducit, & quando educta fuerit, nisi ea profiteatur quæ ipse præceperit, punit. Propriæ igitur libertati cõmitti, & ab omni oppressione atque potestate illius cũ quo initur conflictus oportet liberari, atque suis liberaliter vti, & suspectas personas conuenit declinare, quæ se ab obiectis ostendere cupit immunem.

* ratione patet. orig.
* reddita. origin.

Confessionem quamvis extorsit, nequaquam pro confessione esse habendam. Nicolaus Theibergæ reginæ. ¶ Cap. 117. Epist. 48.

Nos hanc confessionem tuam, quã non voluntas, sed vis extorsit, nequaquã pro confessione recipimus: tantũ vitium radices extendere nec permittimus, quod nisi euulsum intimè fuerit, ad multorũ perniciem potest accrescere. Denique si hoc licet, omnes viri possunt quas iure sortiti sunt fœminas, si has odio habuerint, diuersis afflictionibus macerare, & quod legitimè non fuerint assumptæ statim cogere, quinetiam vt mortale crimen contra se dicant, illatis intolerabilibus pœnis, compellere.

*Vt nobili viro Radulpho vxor iniustè ablata restituatur. Ioannes viij. Theibergæ & * Alderico filio eius.* ¶ Cap. 118. * Alberico.

Iterum iterúmque vos admonemus, & præsentibus Apostolatus nostri literis hortamur fœminam suã nobili viro Radulpho, sicut iam antè diximus maturius restituere, & viro suo adhærere, secundum legem Domini facere: non enim lex vlla permittit quò minus, aut iniectum sibi crimen confiteatur, aut certè à crimine iniecto, legitima præmissa purgatione soluatur. Quod si neutrum agere illa delegerit, sed sola obstinatione vsa, nulli satisfactioni dare operã procurauerit: liquet apertè quia crimen quod

non diluit, proculdubio confitetur. Solæ nãque vt sanctus Papa scribit Hormisda, examen effugiunt conscientiæ, quæ recta sunt non tenentes. Ergo si is, vel illa, vel vos Apostolatus nostri decretis obedire postponentes, sæpe memoratam fœminã aut à viri potestate, aut à legis examine nulla rationabili causa exstante, subducere amplius conati fueritis, tã illa quàm vos Theiberga & Alderice quousque sanctioni nostræ pareatis, Dei omnipotentis iudicio, & beatorũ Petri & Pauli Apostolorum, sententia principũ, excommunicati & à corpore & sanguine domini nostri Iesu Christi sitis alienati, vnà cum fautoribus, consentaneis, sequacibus & complicibus vestris, vtpote diuinarum & humanarum legum violatores, sedisque Apostolicæ decretorum contemptores, & totiens ac multipliciter infractores.

De eodem, & purgatione eius. Ioannes viij. Ausberto Archiepisc. Mediolanensi.

¶ CAP. 119.

Vir spectabilis Radulphus nomine, imperatorius homo nos nuper adierat, queritans & asseuerans se vxorem suam nomine Bauam zelo pudoris feruente obscœnæ suspicionis macula denotasse, ac sinistra crebrescente fama carnalis accusatione criminis impetisse. Qui cùm hanc ad purgandũ secundùm legis propriæ tenorem, parentibus eius & consanguineis tradidisset, vltra spatium anni fuerit sub criminaliũ reatu calumniarum retenta. Qua de re nos æquitatis amore succensi, Apostolica parentibus eius authoritate præcipimus, quatenus mediãte mense Augusto præteritæ septimæ indictionis, siue purgatam, siue aliter eandem fœminã viro proprio reddidissent, haud dubium quin subiturã si non sæcularis legis, saltẽ ecclesiasticæ pietatis medelam. Alioquin, corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi se noscent cum ea cõmunione priuandos, qui nec mundanarum vel diuinarum legum censuram, nec Apostolicæ sedis reuerentes decretum, horum nihil (vt prædictus vir ad nos iteratò veniens retulit, & ipsius rei exitus innuit) agere curauerunt. Quamobrẽ in sacro cõmunionis munere, secundũ quod illis intentando cõminati fueramus, eos meritò priuaremus, nisi alterã partem audiendã fore iudicaremus. Vnde quia nos esse iustos mediatores oportet, vnius autẽ mediator non est, eosdémque vexare longius proficiscendo nolumus, sanctitati tuæ super huiusce controuersiæ circunstantia, vice nostra delegata hortamur, vt statuto & indicto tempore venerabiles Luitfridũ Ticinensem, Paulum Placentinum antistites ad certũ accersas, & vxore iã memorati Radulphi missis vestris & literis aduocata, quæ legis siue mundanæ siue diuinæ sunt, super vtroque coniuge incunctanter exerceas, secundùm pręstitutam vobis sacerdotalis mensurã duntaxat officij. Quæ si post vocationem vestrã quam tertiã esse post secundã nostrã proculdubio cõstat, ad virum propriũ collata sibi legali & indubitabili se libertate purgandi, minimè redire delegerit, examénque sanctitatis vestræ subterfugiẽs declinauerit, à sacri corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi cõmunione in idipsum vnà cum spiritu nostro conuenientes, tam ipsam quàm nequiter eam tuentes & defendentes cõsanguineos, quinimo fautores eius, & omnes omninò communicatores, donec obediant, sequestrate. 1. Cor. 5.

De pudicitia sermo Ambrosij de accusato Domino, quæ sic incipit, Mirum forsitan. Ser. 49 qui est Maximi episc. falsò Ambr. inscriptus.

¶ CAP. 120.

Pudicitiæ causam, nisi vir pudicus, audire non debuit. Talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia.

Vt is peccatum damnet, qui eiusdem peccati reus non est Ambr. ad Irenæum. Lib 9. epist. 76. ad Studium.

¶ CAP. 121.

Dominus dixit. Qui sine peccato est, prior lapidet adulteram. Quid tam diuinum, quid tam iustum, quàm vt is peccata censeat, qui expers peccati sit? Quomodo enim feras alieni vltorẽ, & proprij criminis defensorem? *Item.* Cùm accusatur mulier, caput Christus inclinat. Eleuat autem, vbi defecit accusator. Ita nullum damnari vult, absolui omnes. Ioan. 8. Paulò post.

De eodem Augustinus de verbis Domini, tractatu xlviij. ¶ CAP. 122. Serm 47. de verb Do. vel tract 33. in Ioan.

Dicit Dominus, quod dicere debet & mansuetus & iustus: Qui sine peccato est, prior in adulteram lapidem mittat. Hæc vox iustitiæ est. Puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus. Impleatur lex, sed non à præuaricatoribus legis. Hæc vox omninò iustitiæ est.

Quomodo accusandus sit seruus de adulterio dominæ suæ infamatus. Pandectarum lib. 1. tit. xij.

¶ CAP. 123.

Si quis seruum suum adulterium commisisse dicat in vxorem suam, apud præfectum vrbis erit audiendus.

Ne vxor pro adulterio secundùm diuinas leges occidatur. Nicolaus Carolo Archiepiscopo, & eius suffraganeis. ¶ CAP. 124. A luino Ianuensi Archiep inter rescripta tit. 18 c. 8.

Inter hæc vestra sanctitas addere studuit, si cuius vxor adulterium perpetrauerit, vtrum marito liceat secundùm mundanam legem interficere eam. Sed sancta Dei ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus; non habet gladium nisi spiritualem; non occidit sed viuificat. 33. q. 2. cap. inter hæc.

De eodem. Nicolaus Radulpho Bituricensi Archiepiscopo. ¶ CAPVT 125. tit. 17. c. 3.

Interfectores suarum coniugum sine iudicio, cum non addis adulterarum, vel aliquid huiusmodi, quid aliud habendi nisi homicidæ? Ac per hoc ad pœnitentiam redigendi, quibus coniugium penitus denegatur, exceptis adolescentibus, de quibus est beati Leonis Papæ xxv. regula decretalium, immò indulgentia obseruanda. 33. q. 2. c. interfectores.

De pœnitentia eius qui propriæ vxoris necem perpetrauit: quodque nec diuina lex, nec humana aliquem condemnat, vnius, etiam probatissimi, testimonio. Stephanus v. Hastulpho.

¶ CAP. 126.

Admonere tecum lachrymis, & multo gemitu cordis curamus, fili Hastulfe, sed non filius dici debes, qui tam crudeliter infœlix homicidium perpetrasti. Nam occidisti vxorem tuam partem corporis tui legitimo matrimonio tibi sociatam, sine causa mortis: non tibi resistentẽ, non insidiantem quocunque modo vitæ tuæ. Nõ inuenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem, sed concitatus à diabolo impio furore 33. q. 2. c. admonere.

flammatus, latronum more atrocius eam gladio tuo crudelior omni bestia, interemisti, & nūc post mortem eius addis iniquitatem super iniquitatem. Filiorum tuorum improbe prædo, qui matri non pepercisti, & filios tuos orphanos fecisti: inducere super eam vis mortis causam, post mortem, per vnum homicidam & reprobū testem. Quoniam nec Euangelium nec vlla diuina humanáque lex vnius testimonio etiam idoneo, quempiam condemnat, vel iustificat: quantò magis per istum flagitiosissimum & scelestum, nec illa viua debuit condemnari, nec tu post mortem eius excusari. Prius causa criminis subtiliter erat inuestiganda, & tunc si ita fuisset inuenta, secundùm legis tramitem debuit excipere vltionis vindictam. Nam si verum (quod absit) fuisset, sicut adulter mentitus est, post octo annos pœnitentia forsitan peracta dimittere eā per approbatam causam poteras, si voluisses, occidere tamen eam nullatenus debuisti. Non
Ezech.33. enim Deus vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur ad pœnitentiam & viuat. Idcirco placeat tibi consilium nostrum, & facias hoc quod tibi melius & leuius videri potest. Miserere animæ tuæ, vt non sis tuus tibimetipsi homicida. Relinquere quapropter te rogamus hoc malū, secundùm quod te traxit ad tam immanissi nū peccati facinus. Ingredere in monasterium, humiliare sub manu abbatis, multorum fratrum precibus adiutus, obserua cuncta supplici animo quæ tibi fuerint imperata, si fortè ignoscat infinita dei bonitas peccatis tuis, & refrigeret anima tua priusquam crucieris perpetuis flammis. Hoc melius & leuius certissimè scias. Sin autē publicam pœnitentiam permanens in domo tua, vel in hoc mundo, vis agere, quod tibi peius & durius & grauius esse non dubites, ita vt agere debeas exhortamur. Omnibus diebus quibus pœnitere debes, vinum & omnem siceram non bibas, carnem nunquam vllo tempore comedas præter Pascha, & diē Natalis Domini. In pane & aqua, saléque pœnitere debes. In vigiliis, in ieiuniis, orationibus, & eleemosynis omni tempore perseuera. Armis nunquam cingere, nec in quolibet loco litigare præsumas. Vxorem nunquā ducere, concubinam non habere, nec adulterium cō̄mittere. In balneo nunquam lauare, in conuiuiis lætantium nunquā te miscere. In ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium, & postes humiliter te reponere, ingredientium & regredientiū suppliciter orationibus commendare. Communione corporis & sanguinis domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes. In vltimo tamen exitus vitæ tuæ die si merueris, pro viatico, si sit qui tribuat, tantūmodo venialiter vt accipias tibi cō̄cedimus. Sunt & alia multa quæ tibi durius & satis acrius erant iuxta magnum pondus peccati, infœli adiicienda. Sed si hæc omnia quæ suprà misericorditer dicta sunt, perfecto corde domino auxiliante feceris & custodieris, confidimus de immensa Dei clementia, remissionem te tuorum habiturum peccatorum, & secundùm iusti
dictum bonique pastoris * donum, resoluet te sancta
ict. & ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, vt per
rat. ipsius gratiam qui eam sanguine suo acquisiuit, solutus sis in cœlis. Sin autem aliter feceris, & sanctæ matris ecclesiæ tam salubrem admonitionem despexeris, ipse tibi sis iudex, & in laqueo diaboli quo irretitus teneris, permanebis. Sanguis tuus super caput tuum, nos alieni à consortio tuo pro aliorum filiorum Dei salute, ipso opitulante, omni sollicitudine nitimur desudare, & domini attentius misericordiam quotidie implorare. Qui cum patre, &c.

Vt nec pro religiosa vita vir ab vxore, nisi consensu eius recedat. Eugenij Papæ synodus tempore Ludouici & Lotharij Augustorum, c. xxxvi.

¶ Cap. 127.

Si vir & vxor diuertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine conscientia episcopi fiat, vt ab eo singulariter prouiso constituantur loco. Nam vxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non soluitur. *27. q. 1. c. Si vir & vor.*

De eodem. Nicolaus Papa Carolo regi. *in rescr tit. 18 c. 2.*

¶ Cap. 128.

Scripsit nobis Theiberga regina, se velle dignitate seu copula exui, & * sola priuata vita esse contentam desiderare. Cui nos scripsimus, non hoc aliter fieri posse, nisi eandem vitam coniunx eius Lotharius elegerit. *27. q. 2 cap. scripsit nobis* * solam

Non solui coniugia causâ religionis. Greg. Theotistæ patriciæ. *L. 9. ep. 39. c. 2.*

¶ Cap. 129.

Si dicunt aliqui religionis causâ coniugia debere dissolui, sciendum est, quia & si hoc lex humana concessit, lex tamen diuina prohibuit. Per se enim veritas dixit: Quæ Deus iunxit homo non separet. Quæ etiam ait, non licet dimittere vxorem exceptā causâ fornicationis. *Item.* Si vir & vxor vna caro sunt, & religionis causâ vir dimittat vxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel fortasse ad illicita migrantē, quæ ista conuersio in qua eadem caro, & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione? Si verò vtrisque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? *Item.* Cùm boni coniuges aut meritum augere desiderant, aut anteactæ vitæ culpas delere, vt se ad continentiam adstringant, & meliorem vitam appetant, licet. Si verò continentiā, quam vir appetit, vxor non sequitur: aut quam vxor non appetit, vir recusat, diuidi coniugium non licet. *27. q. 2. cap. sunt qui* *Matth 19.* *Genes. 2.*

Ne vir abstinens vxori occasionem fornicandi faciat. Sermo Chrysostomi, de titulo Psalm. l. *Sub finē 1. homiliæ in Psal. 50.*

¶ Cap. 130.

Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis illi fornicandi licentiam, & peccatum illius abstinentiæ imputabitur tuæ. *27. q. 2. si tu abstines.*

Quòd inter separatos manet vinculum coniugij. Nicolaus episcopus Britanniæ.

¶ Cap. 131.

Scriptum est: Quod Deus coniunxit homo nō separet. Tamen nuptiæ vt maximi, & religiosi viri sanxerunt, suo sunt ordine peragendæ. Nā de raptis & huiusmodi copulatis, patrum est regula subsequenda. Rursum * sine elationis causa, vel vacandi Deo separari ab vxore maluerit vir, ex consensu ambarum partium fore debebit, vt neuter eorum ad alias transeat vllo modo nuptias. *Matth. 19.* * *Fortè* si vel orationis causa.

De eodem. Augustinus de nuptiis & concupiscentia. *Lib. 1. ca. 11.*

¶ Cap. 132.

Quibus placuerit ex consensu ab vsu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit vt vinculum inter eos coniugale rumpatur;

immò firmius erit, quò magis ea pacta secum inierunt, quæ charius concordiúsque seruanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum.

L. 1. c. 2. *Vt nec causa orationis inuicem se fraudent coniuges debito carnali, nisi ex consensu. Augustinus de adulterinis coniugiis.*

¶ CAP. 133.

33 q. 4. c. Apostolus. 1. Cor. 7. Cap. 3. Apostolus nec ad tempus, vt vacetur orationi, nisi ex consensu, voluit coniuges carnali inuicem fraudare debito. *Item.* Si dicat vir dimitto quidem vxorem meam sine vlla causa fornicationis, sed continens permanebo, ideone dicemus eum impunè fecisse quod fecit? Quis hoc dicere audebit, qui voluntatem domini hæc dicentis intelligit, quoniã nec continentiæ causâ dimitti coniugem voluit, qui solam fornicationis causam excepit? *Item.* Ecce placuit continentia mulieri, viro non placuit; discessit à viro mulier, & cœpit viuere continenter, ipsa scilicet casta mansura, sed factura quod dominus non vult adulterum virum: qui cùm se non continuerit alteram quæret. Quid sumus dicturi mulieri, nónne quod dicit ecclesiæ sana doctrina: Redde debitum viro, ne dum tu quæris vnde amplius honoreris, ille vnde damnetur inueniat?

Cap 4. 1. Cor. 7.

Epist. 45. *Quod nulla vouenda sunt à coniugatis, nisi ex consensu. Idem ad Armentarium, Riparium, & Paulinam.*

¶ CAP. 134.

33. q. 5. c. vna. Vna sola causa esse potest, qua te id quod vouisti non solùm non cohortaremur, verùm etiã prohiberemus implere, si fortè tua coniunx hoc tecum suscipere animi seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vouenda talia non sunt à coniugatis, nisi ex consensu & voluntate communi. Et si præproperè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm persoluenda promissio. Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid vouerit, sed potius vsurpare vetat alienum.

Quòd viuente vxore pro quacunque causa dimissa, altera duci non possit. Beda super Marcum, cap. xxxi.

¶ CAP. 135.

Vna solummodò carnalis est fornicatio, vna spiritualis. Timor Dei facit vt vxor dimittatur, sicut multi religionis causâ fecisse leguntur. Nulla autem causa est Dei lege præscripta, vt viuente ea quæ relicta est, alia ducatur.

Epist. 199. *Quòd votum est tenendum quod coniuges ex consensu vouerint, aliter non. Augustinus ad Editiam.*

¶ CAP. 136.

33. q. 5. cap. quod Deo. Quod Deo pari consensu ambo voueratis, perseueranter vsque in finem reddere debuistis. A quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissimè perseuera, quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consenserat. Nam si nunquam tenuisses eius assensum, numerus te nullus defendisset annorum. *Item.* Non quia pariter temperabatis à commixtione carnali, ideò tuus maritus esse destiterat. Immò verò tantò sanctius inter vos coniuges manebatis, quantò sanctiora concorditer placita seruabatis. Nihil ergo de tua veste, nihil de auro, nihil de argento, vel quacunque pecunia, vel rebus illis terrenis tuis sine arbitrio eius facere debuisti. *Item.* Est quidam pro modulo personæ habitus matronalis à viduali veste distinctus, qui potest fidelibus coniugatis salua religionis causa vel obseruantia conuenire. Hunc te maritus si deponere noluit, ne te velut viduam illo viuente iactares, puto quia non fuerat in hac re, vsque ad dissensionis scandalum perducendus, magis inobedientiæ malo quàm vllius abstinentiæ bono. Quid enim est absurdius, quàm mulierem de humili veste viro superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quàm nigellis vestibus repugnare? Quia etsi te indumentum monachæ delectabat, etiam hoc gratius posset marito obseruato exoratóque sumi, quàm illo inconsulto contemptóque præsumi. Quod si omninò non sineret, quid tuo proposito deperiret? Absit vt hinc displiceres Deo, quòd coniuge tuo nondum defuncto non indueretis sicut Anna, sed sicut Susanna.

Post pauca.

Quòd post votum sit necessarium, quod antea fuit voluntarium. Augustinus in epistola ad Armentarium, Riparium, & Paulinam. Epist. 45.

¶ CAP. 137.

Possim pro modulo meo eosdem ipsos pertinentes ad dexteram regnúmque cœlorum in suis gradibus meritísque distinguere, atque ostendere, quo differat vita coniugalis, filios procreantium patrum matrúmque familias, verumtamen religiosorum ac piorum, ab ea vita quàm vos Deo vouistis, si nunc ad eam vouendam exhortandus esses. Sed quia iam vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quò esses inferior, quamuis non sit gratulanda libertas, qua fit vt non debeatur quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud dominum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vouisti qualis mansisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses, non peior. Modò autem tantò (quod absit) miserior, si fidem Deo fregeris, quantò beatior, si persolueris. Nec ideò te vouisse pœniteat, immo gaudeat iam tibi licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus & dicta imple factis, ipse adiuuabit qui vota tua expetit: fœlix est necessitas, quæ in meliora compellit. Vna sola esse causa posset qua te id quod vouisti, non solùm non hortaremur, verùm etiam prohiberemus implere, si fortè tua coniunx hoc tecum suscipere animi seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vouenda talia non sunt coniugatis, nisi ex consensu & voluntate communi. Et si præproperè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm persoluẽda promissio. Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid vouerit, sed potius vsurpare vetat alienum. Diuina quippe de hac re per apostolum est prolata sententia: Vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir. Similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.

Suprà c. 134. 1. Corint. 7.

De Demetria virgine. Augustinus in epistola ad Iulianum. Epist. 143.

¶ CAP. 138.

Ministerij nostri adiuuante gratia & misericordia saluatoris, in domo vestra tantus fructus exortus est, vt humanis nuptiis iam paratis sancta Demetrias spiritualem sponsi illius præferret amplexum, cui specioso præ filiis hominum

ad habendam spiritus vberiorem fœcunditatẽ, nec ad amittendam carnis integritatem virgines nubunt. Nesciremus autem quemadmodum nostra illa tunc exhortatio, à fideli & nobili virgine fuisset accepta, nisi nobis profectis, cùm post paululum professa fuisset sanctimoniam virginalem, hoc ingens Dei donum, quod per seruos quidem suos plantat & rigat, sed per seipsum dat incrementum, nobis operariis prouenisse, vestrarum literarum lætissimo nuncio, & veraci testimonio disceremus.

Quòd non erret qui filiam suam dat viro habenti concubinam. Ex decretis Leonis *Papæ.* ¶ CAP. 139.

(Leo 1. epist. 2. ad Rustic. episc. c 4.)

(2. q 2. c. nõ omnis.) Non omnis mulier viro iuncta vxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarũ autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales, & multò prius hoc ipsum domino constituente, quàm initium Romani iuris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud concubina: sicut est aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandã harum personarum discretionẽ, testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abrahæ: Eijce ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cũ filio meo Isaac. Vnde cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuũ coniunctionem haberet in se Christi & ecclesiæ sacramentum: dubium non est eam mulierẽ non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cuiuslibet loci * laicus si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam coniugato dederit, nisi fortè illa mulier & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptiis honestata videatur: quia paterno arbitrio viris coniunctæ carent culpa, si mulieres, quæ a viris habebantur, in matrimonio non fuerint, quia aliud est nupta, aliud concubina.

(Gala. 4. Genes. 21. Genes. 2. Ephes 5.) (* clericus orig.)

Qualis vxor legitima esse debeat. Ex epistola Leonis *Papæ.* ¶ CAP. 140.

(30 q 5 c. Qualis.) Qualis vxor esse debeat quæ habenda est secundùm legem. Virgo casta & desponsata in virginitate, & dotata legitimè, & à parentibus tradita, & à sponso, & à paranymphis accipienda, & ita secundùm legem & Euangelium publicis nuptiis honestè in coniugium liquidè sumenda, & omnibus diebus vitæ (nisi ex consensu & causâ vacandi Deo) nunquam propter hominem separanda, & si fornicata fuerit dimittenda: sed illa viuente, altera non ducenda quia adulteri regnum Dei non possidebunt, & pœnitentia illius per scripturas recipienda.

(1. Cor. 6.)

Vt nullus occultè nuptias celebret. Ex decret. Hormisdæ *Papæ, cap. vi.* ¶ CAP. 141.

(In frag.)

(30. q. 5 cap. Nullus.) Vt nullus fidelis cuiuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat: sed benedictione à sacerdote accepta, publicè nubat in Domino.

Quo tempore nuptiæ celebrandæ sint. Ex conc. Ilerdensi, c. iij. ¶ CAP. 142.

(33 q 4 c. nõ oportet.) Quòd non oporteat à septuagesima vsque in octauas Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ, & ab aduentu Domini vsque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur.

Qualiter benedicantur à sacerdote nubentes. Ex concilio apud Valentias, cap. cj. ¶ CAP. 143.

(sub Ioan 1. In fragmẽtis & Carth. 4. c. 13.)

Sponsus & sponsa cùm benedicendi sunt à sacerdote, à parentibus vel paranymphis in ecclesia sacerdoti offerantur, & cùm benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant. (Dist 23. c. sponsus.)

Vt nullum coniugium sine dote fiat. Ex conc. Arelatensi iij. cap. vij. ¶ CAP. 144.

(In fragm.)

Nullum sine dote fiat coniugium: iuxta possibilitatem fiat dos, nec sine publicis nuptiis quisquam nubere vel vxorem ducere præsumat. (30. q. 5. cap. nullum.)

Vt sponsus & sponsa ante nuptias à sacerdote benedicantur. Ex decretis Sotheris Papæ, cap. v. ¶ CAP. 145.

Vt sponsus ac sponsa cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicantur: & legibus sponsetur ac donetur, & à paranymphis custodiatur, & publicè solemnitérque accipiatur. Biduo etiam ac triduo se abstineant, & doceantur vt castitatem interse custodiant, certísque temporibus nubant: vt filios non spurios, sed hæreditarios Deo & sæculo generent.

De primi coniugij benedictione. Ex concilio Mediolanensi, c. ij. ¶ CAP. 146.

In primo coniugio debet presbyter missam agere & benedicere ambos, & posteà se abstineant ab ecclesia xxx. diebus.

Quòd vir fidelis à muliere infideli separari non debeat. ¶ CAP. 147.

Apostolus dicit: Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virũ infidelem, & hic consentit habitare cum illa, nõ dimittat virum. Sanctificatus enim vir erit infidelis in muliere fideli, & sanctificata erit mulier infidelis per virum fidelem. (1. Cor. 7.)

Vt in Christianorum nuptiis non saltetur. Ex concilio Laodicensi, cap. liij. ¶ CAP. 148.

Quod non oporteat Christianos euntes ad nuptias * plaudere vel saltare, sed venerabiliter cænare vel prandere, sicut Christianos decet. (* βαλλίζειν origin.)

Vt viduam nemo furetur in vxorem. Gregorius dicit. ¶ CAP. 149.

(Conc. Rom. 1. sub Greg. 2. c. 10.)

Si quis viduam furatus fuerit in vxorem, vel consentiens ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit. (36. q. 2. c. si quis.)

Vt virginem nemo furetur in vxorem, item eiusdem. ¶ CAP. 150.

Si quis virginem nisi desponsauerit, furatus fuerit in vxorem, vel consentiens ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, anathema sit.

De virgine vel vidua furata. Ex decretis Eusebij Papæ c. x. ¶ CAP. 151.

Si quis virginem vel viduam furatus fuerit in vxorem, nisi à se desponsatam, anathema sit. (Ibid. cap. xij.)

De virginibus quæ virginitatem ante nuptias non custodierint. Ex concilio Eliberitano, c.v.

¶ CAP. 152.

Cap. 14. Virgines quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem qui eas violauerint, maritos acceperint, eò quòd solas nuptias violauerint, post pœnitentiam vnius anni reconcilientur. Si alios cognouerint viros, eò quòd mœchatæ sint, quinquennio pœniteant, & sic ad communionem accedant.

Lib. 50. hom 49. *Quòd nulli liceat concubinam habere. Ex dictis Augustini.* ¶ CAP. 153.

dist 34. cap. audite. Audite, charissimi, membra Christi & matris Catholicæ ecclesiæ filij. Quod dico competentibus, audiant fideles. Quod dico fidelibus, audiant competentes. Quod dico fidelibus & cōpetentibus, & pœnitentibus: audiant & catechumeni, audiant omnes, timeant, & nemo contemnat. Sit mihi in consolationem vester auditus, ne vobis sit in testimonium dolor meus. Compentibus dico: Fornicari vobis non licet, sufficiant vobis vxores, concubinas vobis non licet habere. Audiat Deus si vos surdi estis: audiant Angeli eius, si vos contemnitis, concubinas non licet vobis habere. Et si non habetis vxores, tamen non licet vobis habere concubinas, quas postea dimittatis & ducatis vxores. Tantò maior damnatio vobis erit, si volueritis habere & concubinas & vxores. Non licet vobis habere vxores, quarū priores mariti viuunt. Nec vobis fœminæ habere viros licet, quorum priores vxores viuunt. Adulteria sunt ista coniugia, non sunt iure cœli, sed iure sæculi. Nec illam fœminam licet habere, quæ per repudium decessit à marito. Solius fornicationis causâ licet vxorem adulteram dimittere: sed illa viuente, non licet alteram ducere.

Serm. de tēpore 143. *De illis qui ante nuptias concubinas habuerunt. Item Augustinus.* ¶ CAP. 154.

Quale est, quòd multi virorum ante nuptias concubinas sibi adhærere non erubescunt, quas post aliquot annos dimittunt, & sic postea legi-
Paulò pòst. timas vxores accipiunt. Vnde corā Deo & coram angelis eius contestor atque denuncio, Deum & ista semper prohibuisse, & nunquam ei placuisse, quia præcipuè temporibus christianis, concubinas habere nunquam licuit, & nunquam licebit.

Item de concubinis. Ex concilio Arelatensi c.xv.

¶ CAP. 155.

Nulli liceat vllo tempore duas vxores habere, sed neque vnquam concubinam.

In fragm. *De ancilla, vtrum proprio domino suo legitima fieri poßit. Ex decretis Iulij Papæ, c.iv.*

¶ CAP. 156.

29 q. 2. si quis ancillā. Si quis ancillam suam libertate donauerit, & in matrimonio sibi sociauerit: dubitabatur apud quosdam, vtrum huiusmodi nuptiæ legitimæ esse videantur, an non. Nos itaque vetustam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima esse censuimus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, & nihil impium & legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare prædictas nuptias inhibendas existimauerimus?
Matth. 6. Omnibus vobis vnus est pater in cœlis, & vnusquisque diues & pauper, liber & seruus, æqualiter pro se & pro animabus eorum rationem daturi sunt. Quapropter omnes cuiuscunque conditionis sint, vnam legem quantum ad Deum habere non dubitamus.

De illo qui seruum suum & ancillam in matrimonium coniunxerit. Ex concilio Matiscensi, c.x.

¶ CAP. 157.

Si seruum & ancillam dominus amborum in matrimonium coniunxerit, & posteà liberato seruo vel ancilla non potest redimi qui in seruitio est, ideo matrimonia non soluuntur.

De multinubis. Ex concilio Bracarensi, c.lxxxi. Martinus Braca. in capitulis synodorum græ. c. 80. Epist 9.

¶ CAP. 158.

Si quis multis nuptiis fuerit copulatus, pœnitentiam agat. Conuersatio autem & fides pœnitentis compendiat tempus.

Quòd secunda coniugia sæcularibus non negentur, quibus tamen ad clerum minimè venire conceditur. Ex decretis Gelasij Papæ, c.xxiv.

¶ CAP. 159.

Secundas nuptias sicut sæcularibus iniri conceditur, ita post eas ad clericale nullus finitur venire collegium. Alia est enim humanæ fragilitati generaliter concessa licentia, alia debet esse vitadiu inarum rerum seruitio dedicata.

De illis qui in plurimas nuptias inciderint. Ex concilio Neocæsariensi cap. iii.

¶ CAP. 160.

De his qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem præfinitum manifestum est, sed conuersatio eorum & fides tempus abbreuiat. 31. q. 1. c. de his qui.

De illis qui tertiò nuptias celebrauerint. Ex decretis Hermisdæ Papæ, cap. ii.

¶ CAP. 161.

Ne quisquam amplius quàm duas accipiat vxores, quia iam tertia superflua est.

De Bigamis. Ex concilio Laodicensi c.i.

¶ CAP. 162.

De his qui secundùm ecclesiasticam regulam liberè ac legitimè secundis nuptiis iuncti sunt,* nec occultè nuptiarum copulam fecerūt, oportet vt paruo tempore transacto, vacent orationibus & ieiuniis. Quibus etiam iuxta indulgentiam, communionem reddi decreuimus. *μὴ λαθρογαμίαν ποιήσαντας.*

De numero maritorum. Ex dictis Hieronymi. Tomo 3. cōtra Iouinianum lib. 1.

¶ CAP. 163.

Vbi fuerit numerus maritorum, ibi vir proprius vnus esse desistit.

De ingenuo si alterius ancillam pro ingenua acceperit, & posteà ancillam esse intellexerit. Ex conc. apud Vermeriam, cui interfuit rex Pipinus, c. vij.

¶ CAP. 164.

Si quis ingenuus homo ancillam alterius acceperit, & æstimat quòd ingenua sit, si ipsa fœmina postea fuerit in seruitute detecta, si eam à seruitute redimere potest, faciat: si non potest, si voluerit aliam accipiat. Si autem seruam eam scierat & collaudauerat: pòst vt legitimam habeat. Similiter & mulier ingenua de seruo alterius facere debet. 29 q. 2. c. si quis ingenuus.

De

De fœmina ingenua si seruum maritum acceperit. Ex eodem conc. cap. viij.
¶ Cap. 165.

29. q. 2. c. Si fœmina. Matth. 6. Si fœmina ingenua acceperit seruum, sciens quia seruus esset: habeat eum, quia omnes vnũ patrem habemus in cœlis. Vna lex erit & viro & fœminæ.

De legitimè coniunctis, si alter illorum in amentiam deuenerit. Ex epistola Nicolai ad Carolum Maguntiensem episcopum missa. In rescript. c. 18. c. 7.
¶ Cap. 166.

32. q. 7. c. hi matrimonium. Si qui matrimonium sani contraxerint, & vni ex duobus amentia aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit: ob hanc infirmitatem coniugia talium solui non possunt. Similiter sentiendum de his, qui ab aduersariis excæcantur, aut membris detruncantur.

De legitimis matrimoniis seruorum. Ex conc. Cabilonensi ij. cap. xxx.
¶ Cap. 167.

29. q. 7. c. dictum est. Matth. 19. Dictum est nobis, quòd quidam legitima seruorum matrimonia, potestatiuà quadam præsumptione dirimant, non attendentes illud Euãgelicum, Quod Deus coniunxit homo non separet. Vnde nobis visũ est, vt coniugia seruorũ non dirimantur, etiamsi diuersos dominos habeant: sed in vno coniugio permanentes, dominis seruiant suis. Et hoc in illis obseruandum est, vbi legalis coniunctio fuit, & per voluntatem dominorum.

Ad calcem decretorũ. *De furiosorum matrimoniis. Ex decretis Fabiani Papæ, c. v.* ¶ Cap. 168.

32. q. 7. c. neque furios. Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separentur.

De desponsata puella, vtrum alter eam in matrimonium accipere possit. Ex epistola j. Siricij Papæ, c. iv. ¶ Cap. 169.

27. q. 2. c. de coniugali. De coniugali autem violatione requisisti, si desponsatam alij puellam alter in matrimoniũ possit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegij instar est, si vlla transitione violetur.

De his qui sponsas alienas rapiunt. Ex concilio Meldensi, c. v. ¶ Cap. 170.

Sub Sergio c. cap. 68. De his qui sponsas alienas rapiunt, antiqua & synodalis sententia obseruetur. Quòd & si fortè in ecclesia euentus talis reperiri dinoscitur, vt pro salutis & religionis competentiis humanius quiddam debeant tractare pontifices, sicut canonica (vt eisdem verbis vtamur) docet authoritas: quia prior, inquiens, definitio durius, posterior autem quiddam tractauit humanius, nullomodo, vt ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsæ acceptor sine publica transeat pœnitentia. Quòd si * hæc obedire renuerit, sine vlla refragatione anathematizetur. Fautores verò illius iuxta modum culpæ episcopi decreto pœniteant. Si verò (quod non optamus) de gradu ecclesiastico talibus nuptiis se consensorem vel interuentorem manifestè prodiderit à gradu proprio repellatur: & si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsatus, canonicè se purget.

* his orig.

De eadem re. Ex concilio apud Aquisgranum c. iij. ¶ Cap. 171.

Placuit, vt hi qui rapiunt fœminas vel furantur aut seducunt, eas nullatenus habeant vxores, quamuis eis postmodum conueniat, aut eas dotauerint, vel nuptialiter cum consensu parẽtum suorum acceperint. Si quis autem vxorem habere voluerit, canonicè & legaliter eam accipiat, & non rapiat. Qui verò eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit, numquam eam vxorem habeat.

Item de eadem re. Ex concilio Meldensi, c. x. Sub Serg. 2. c. 66.
¶ Cap. 172.

Qui verò deinceps rapere virgines præsumpserint vel viduas, secundùm synodalem beati Gregorij definitionem, ipsi & complices eorum anathematizentur, & raptores sine spe coniugij perpetuò maneant. Conc. Rom. sub Greg. 2. c. 10.

De his qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi. Ex concilio Chalcedonensi, c. xxvij. Actione 15.
¶ Cap. 173.

Eos qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi, cooperantes autem & conniuentes raptoribus, decreuit sancta synodus, vt si quidem clerici sint, decidant de gradu proprio: si verò laici, anathematizentur. 36. q. 2. c. eos qui rapiunt.

De puellis raptis nondum desponsatis. Ex conc. Cabilon. c. xxvij. ¶ Cap. 174.

36. q. 2. c. de puellis. De puellis raptis necdũ desponsatis in Chalcedonensi concilio scriptum est: Eos qui rapiunt puellas, sub nomine simul habitandi, cooperantes & conniuentes raptoribus, decreuit sancta synodus, vt si quidem clerici sunt, decidant de gradu proprio: si verò laici, anathematizentur. Quibus verbis datur intelligi, qualiter huius mali authores damnandi sint: quando participes consilij & conniuentes tanto anathemate feriuntur, vt iuxta canonicam authoritatem ad coniugia legitima raptas sibi iure vindicare nullatenus possunt.

De eadem re. Ex concilio Toletano.
¶ Cap. 175.

Proinde placuit atque statutum est à sacro conuentu, vt si aliquis sponsam alterius rapuerit, publicâ pœnitentiâ mulctetur, & sine spe coniugij maneat. Et si ipsa eidem crimini consentiens non fuit, licentia nubendi alij non negetur. Quòd si & ipsi posthæc se coniungere præsumpserint, vtrique vsque ad satisfactionem anathematizentur.

De eadem re. Ex concilio Ancyrano, c. xi. Cap. 10.
¶ Cap. 176.

Desponsatas puellas & post ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi quibus antè fuerant desponsatæ, etiam si eis à raptoribus vis illata constiterit. 27. q. 2. c. desponsatas.

De eadem re. Ex concilio Meldensi, c. lxv.
¶ Cap. 177.

* Si autem necdum eas quas rapuerant, cum voluntate parentum sub præfato desponsionis vel dotalitij nomine, in coniugium sumptas habent, quando in omniũ aures hæc fuerit constitutio promulgata, ab earum coniũctione separentur, & publicæ pœnitentiæ subigantur. Raptæ autem parentibus legaliter restituantur. * hi a. qui orig.

Post actam verò publicam pœnitentiam, si ætas & incontinentia exegerit, legitimo ex vtrisque partibus placito coniugio socientur. Nam in his non regulam constituimus, sed (vt verbis magni Leonis vtamur) quòd sit tolerabilius æstimamamus. Quòd si vnus ex coniugatis obierit: is qui publicam pœnitentiam exegerit & superstes extiterit, iterare coniugium non præsumat, nisi fortè episcopus præuiderit aliquam concedere indulgentiam, vt grauiorem possit amouere offensam.

De illis qui matrimonio iuncti sunt, & concumbere non possunt. Ex epistola Gregorij ad Ioannem Rauennatem episcopum.

¶ Cap. 178.

Quòd autem interrogasti de his, qui in matrimonio iuncti sunt, & nubere non possunt, si ille aliam vel illa alium ducere possit, quibus scriptum est: Vir & mulier si se coniunxerint, & postea dixerit mulier de viro, quòd non possit coire cum ea: si potest probare per iustum iudicium quòd verum sit, accipiat alium: si autem ille aliam acceperit, separentur.

De eadem re. Ex concilio apud Vermeriam, temporibus Pipini regis, c. xvij. ¶ Cap. 179.

Si qua mulier se proclamauerit, quòd vir suus nunquam coisset cum ea, exeant inde ad crucem, & si verum fuerit separentur, & illa faciat quod vult.

De eadem re. Ex concilio apud Compendium, cap. xx. ¶ Cap. 180.

33. q. 1. c. Si quis. 1. Cor. 11. Si quis accepit vxorem, & habuit ipsam aliquo tempore, & ipsa fœmina dicit quòd non coisset cum ea: & ille vir dicit quòd sic fecit: in veritate viri consistat, quia vir caput est mulieris.

Con. Tribu. c. 41. *De eadem re. Ex concilio Triburiensi, c. iii.*

¶ Cap. 181.

27. q. 2. cap. quidam desponderit. Vir si duxerit vxorem concumbere cum ea non valens, & frater eius clanculò eam vitiauerit, & grauidam reddiderit, separentur. Considerata autem imbecillitate, misericordia eis impartiatur ad coniugium, tantùm in Domino. 1. Cor. 7.

Item de eadem re. Ex epistola Gregorij.

¶ Cap. 182.

33. q. 1. c. requisisti. De his requisisti, qui ob causam frigidæ naturæ se dicunt non posse inuicem operam carnis dantes, commisceri. Iste verò si non potest ea vti pro vxore, habeat quasi sororem. Quòd si retinaculum iugale volunt rescindere, maneant vtrique innupti. Nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conueniet? Igitur si vir aliam vult accipere vxorem, manifesta ratio patet, quia succendente diabolo odij fomitem, exosam eam habuit, & idcircò illam dimittere mendacij falsitate molitur. Quòd si mulier causatur & dicit, volo mater esse & filios procreare, vterque eorum septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis, iureiurando dicat, vt nunquam per commixtionē carnis coniuncti vna caro effecti fuissent: tunc videtur mulierem secundas posse contrahere nuptias. Humanum dico, propter infirmitatem (Rom. 6.) carnis eorum Vir autem qui frigidæ naturæ est, maneat sine coniuge. Quòd si & ille aliam copulam acceperit, tunc qui iurauerint periurij crimine rei teneantur, & pœnitentiā peractā priora cogantur recipere connubia.

De coniugatis qui sæcularia relinquere desiderant. Ex dictis Basilij episcopi.

¶ Cap. 183.

Si quis coniugatus vult conuerti ad monasterium, non est recipiendus, nisi priùs à coniuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Nam si illa, viuente illo, per incontinentiam alteri nupserit, procul dubio adultera erit, nec recipitur apud Deum eiusmodi viri conuersio, cuius sequitur coniugalis fœderis prostitutio. Tales igitur tunc sine culpa sequuntur Christum relicto sæculo, si habeant ex pari voluntate castitatis consensum. Ex syn. 8 sub Phot. Constant. celebrata penulti. ca. no. cui al. quot inter fuere epi. copi Basil. nomine.

De viro qui vxorem suam velari permiserit. Ex concilio Rhemensi, capitulo iv.

¶ Cap. 184.

Qui vxorem suam permiserit velare, aliam non accipiat, sed similiter conuertatur. 31. q. 5. c. qui vxorem.

De muliere, si sine licentia viri sui velum sibi imposuerit. Ex concilio apud Compendium, c. vi.

¶ Cap. 185.

Mulier si sine licentia viri sui, velum in caput miserit, si viro placuerit, recipiet eam iterum ad coniugium. 33. q. 5. c. mulier si sine.

De eadem re. Ex registro Greg. ad Adrianum notarium, lib ix. c. xliv. ¶ Cap. 186.

Agathosa latrix præsentium questa est maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Vrbici abbatis esse conuersum. Quod quia ad eiusdem abbatis culpam & inuidiam non est dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, vt diligenti inquisitione discutiat, ne fortè cum eius voluntate conuersus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc repererit, & illū in monasterio permanere prouideat, & hanc sicut promisit, mutare compellat. Si verò nil horum est, nec quoddam fornicationis crimen propter quod viro licet vxorem relinquere, prædictam mulierem cōmisisse cognoueris, ne illius conuersio vxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus, vt maritum suum illi, & si iam tonsuratus est, reddas omni excusatione cessante. Nam exceptā fornicationis causâ, virum vxorem relinquere nulla ratione cōceditur: quia postquàm copulatione coniugij viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte in sæculo manere. 27. q. 2. cap. Agathosa.

De singulari certamine, quòd Lotharius molitus est contra Theibergam vxorem suam. Nicolai Papæ. In rescr. ti. 20. c. 1.

¶ Cap. 187.

Monomachiam verò in legem non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus. Quam licet iniisse quosdam legamus, sicut sanctum Dauid & Goliam sacra prodit historia, nusquam tamen vt pro lege teneatur, alicubi diuina sanxit authoritas: cùm hoc & huiuscemodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur. 2. q. 4. c. monomachiā. 1. Reg 17.

De eadem re, eiusdem Nicolai ad Lotharium. Epist. 51.

¶ Cap. 188.

Itaq; summo studio Theibergā coniugē tuā, 27. q. 2. cap. scripsit.

tanquam propriam carnem fouere ac diligere procurato,& ne illam vllo pacto consentias discedere à te, vigilanter attendere. Vnde si vult à te discedere,corripe,imo corrige eam, & à tali intentione per omnia reuocare satage. Iam verò si amore pudicitiæ separationem quærit,& coniugalis connubij solutionem efflagitat, certum est Apostolo dicente quia mulier sui corporis potestatem non habet,sed vir. Verùm si & ipse pudicitiam sectatus religionis obtentu copulam dissoluere vis, tantùm ne simulatè fiat concedimus. Nam licet sit scriptum quod Deus coniunxit homo non separet, Deus tamen, & non homo separat, quando diuini amoris intuitu, ex consensu vtriusque coniugis matrimonia dissoluuntur. Si ergo hoc modo vis, gratuito permittimus animo, celerémque præbemus assensum: aliter autem fieri mutuam separationem vestram prohibemus.

Cor.7. Matth.19. Genes 2.

De illis qui in alias prouincias fugerint, aut suos seniores secuti fuerint, vxoribus suis domi relictis. Ex conc. apud Vermeriam, c.vi.

¶ CAP. 189.

Si quis necessitate ineuitabili cogente, in aliú ducatum seu prouinciam fugerit, & vxor eius cùm valet & potest amore parentum aut rerum suarum eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quamdiu vir eius quem secuta non fuit, viuit, semper innupta permaneat.

...q.2.c.Si ...us necessitate.

De fœminis quæ captiv viris, vel in captiuitatem missis aliis nupserint. Ex epistola Leonis Papæ, cap.xlij.

¶ CAP. 190.

Quòd debeant fœminæ,quæ captis viris & in captiuitatem ductis aliis viris nupserant, putãtes interemptos maritos, remeatis de captiuitate prioribus viris copulari: vt cuique id quod legitimè habuit reformetur, & recipiat vnusquisque quod suum est,& redintegrentur fœdera nuptiarum.

Id Nicetã ...quilien... ...m epist. ...9 c.1.quãuam non ...dem omnino verbis.

Quod non probetur esse culpabilis, qui vxorem captiui in matrimonio videtur esse sortitus. Ex epistola eiusdem, c. xliij.

¶ CAP. 191.

Nec tamen culpabilis iudicetur, & tanquam alieni iuris peruasor habeatur, qui personam eius mariti qui iam non esse existimabatur, assumpsit. Sic enim multa quæ ad eos qui in captiuitatem ducti sunt pertinebant, in ius alienum transire potuerunt: tamen plenum iustitiæ est, vt eiusdem reuersis propria reformetur. Quod si in mancipiis,vel in agris, aut etiam in domibus ac possessionibus ritè seruatur, quantò magis in coniugiorum redintegratione faciendum sit, vt quod bellica necessitate turbatum est,pacis remedio reformetur?

Ibidem c. 2.

Vt si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ ecclesiastica communione priuandæ sunt eiusdem Leonis c.xlv.

Ibidem c.4.

¶ CAP. 192.

Si autem aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ vt malint his cohærere, quàm ad legitimum redire consortium: meritò sunt notandæ, ita vt ecclesiastica communione priuentur, * quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt: ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse, quod iusta remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione coniugia, neque vllo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit: quia sicut hæ mulieres, quæ ad viros suos reuerti noluerint, impiæ sunt habendæ, ita illæ, quæ in affectum ex Deo initum redeunt, meritò sunt laudandæ.

...4 q.2.c Si autem. * quia ...hexcusabiliter ...ôt. orig.

Vt si viri de captiuitate regreßi, intemperantia vxorum offensi non fuerint, & voluerint eas in coniugio recipere, liberam habeant facultatem. Item Leonis Papæ,c.xliv.

Ibidem c. 3.

¶ CAP. 193.

Et ideò si viri post longam captiuitatem reuersi, ita in dilectione suarum coniugum perseuerent, vt eas cupiant in suum redire consortium, omittendum est, & inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit, & restituendum est quod fides possit.

Quid agendum sit si per sortiarias vel maleficas, concubitus impeditus fuerit. Hincmarus Rhemensis episcopus.

¶ CAP. 194.

Si per sortiarias atque maleficas occulto, sed nunquam iniusto Dei iudicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista eueniunt vt corde cõtrito & spiritu humiliato Deo & sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lachrymis ac largioribus eleemosynis & orationibus atque ieiuniis domino satisfaciant: Et per exorcismos ac cætera medicinæ ecclesiasticæ munia, ministri ecclesiæ tales quantum annuerit dominus, qui Abimelech, ac domum eius, Abrahæ orationibus sanauit, sanare procurent. Qui fortè si sanari non potuerint, separari valebunt. Sed postquàm alias nuptias expetierint, illis in carne viuentibus quibus iunctæ fuerint prioribus quos reliquerant, etiã si possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.

33.q.1.c.si quis per sortiarias. Genes 20.

De illo qui in paganismo vxorem suam dimiserit. Ex decretis Eutychiani Papæ.

infra g decr. 5.

¶ CAP. 195.

Si quis gentilis gentilem dimiserit vxorem ante baptisma, post baptismũ in potestate eius erit eam habere, vel non habere.

28 q.1.c si quis gẽtilis.

De baptizato, si vxor eius infidelis conuerti noluerit. Ex dec. eiusdem.

cap.6.

¶ CAP. 196.

Simili modo si vnus ex coniugatis baptizatus est,& alter gentilis,& sequi non vult, sicut dicit Apostolus, infidelis si discedit discedat.

28.q 1.c similimodo. 1.Cor. 7.

De illo qui ante baptismum mulierem virginem acceperat. Ex concilio Meldensi, c ij.

¶ CAP. 197.

Si quis habuerit vxorem virginem ante baptismum, viuente illa, post baptisma alteram habere nõ potest. Crimina in baptismo soluuntur, non coniugia.

28.q.2.c si quis vxorẽ.

De illis fœminis quæ nulla causa interueniente reliquerunt viros suos. Ex concilio Eliberitano, c.viij.

¶ CAP. 198.

Item fœminæ quæ nulla præcedente causa reliquerunt viros suos, & alteri se copulauerunt,& in hoc permanere voluerint, nec in fine accipiant communionem.

De fœmina quæ adulterum reliquerit, & adulterum acceperit. Ibidem, cap. ix.

¶ Cap. 199.

32 q. 7. c. fidelis. Item fœmina fidelis quæ adulterum maritũ reliquerit fidelem, & * adulterum ducit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit, non priùs accipiat communionem, quàm is quem reliquit de sæculo exierit, nisi fortè necessitas infirmitatis dare compulerit.

* alterũ orig.

Quòd neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito alteri coniungantur. Ex conc. Africano, c. lxix. ¶ Cap. 200.

Et cõ. Milcuit. c. 17.

32 q. 7. c. placuit. Placuit vt secundùm Euangelicam & Apostolicam disciplinã, neque dimissus ab vxore, neq; dimissa à marito alteri coniũgantur: sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.

De illo qui viuente marito coniugem illius adulterasse accusatur, & eam post mortem sumpsisse dinoscitur. Ex conc. Meldensi, c. lxix.

Et cõc. Triburi. c. 51.

¶ Cap. 201.

31. q. 1. c. si quis viuens. Is qui viuente marito coniugem illius adulterasse accusatur, & eo in proximò defuncto eandem sumpsisse dinoscitur, omnimodis publicæ pœnitentiæ subigatur. De quo etiam post pœnitentiam præfatam (si expedierit) seruabitur regula, nisi fortè idem aut mulier virum qui mortuus fuerat, occidisse notentur, aut propinquitas, vel alia quælibet actio criminalis impediat. Quod si probatum fuerit, sine vlla spe coniugij cum pœnitentia perpetuò maneant. Si autem negauerit se eandem fœminam viuente viro nequaquam adulterasse, & præfati homicidij neuter eorum conuinci potuerit, purgent legaliter famam suæ opinionis, & sumpto vtantur coniugio, si alia vt diximus non impedierit ratio.

De eadem re. Ex concilio Triburiensi, c. xl.

¶ Cap. 202.

31. q. 1. c. relatum. Relatum est auribus sanctorum sacerdotum, quendam alterius vxorem stupro violasse, insuper & mœchæ viuente viro suo iuramentum dedisse, vt post legitimi mariti mortem si superuixisset, duceret vxorem. Quod & factum est. Tale igitur connubium prohibemus & anathematizamus.

cap. 47. *De illo qui vxorem habet, & sæpius mœchatus fuerit. Ex concilio Elibertino, c. vij.*

¶ Cap. 203.

Si quis fidelis habens vxorem, non semel, sed sæpius fuerit mœchatus, in fine mortis est conueniendus. Quòd si se promiserit cessaturum, detur ei communio.

Quòd non conueniat cum hæreticis Christianos nuptialia iura contrahere. Ex concilio Laodicensi, cap. xxxi.

Et cõc. Agathen. c. 67.

¶ Cap. 204.

28. q. 1. c. nõ oportet. Quòd non oporteat cum hæreticis vniuersis nuptiarum fœdera celebrare, nec eis filios dare vel filias: sed magis accipere, si tamen Christianos se fieri promittant.

Si laicus absolutus cum laica absoluta peccauerit. Ex conc. Meldensi, cap. vij.

¶ Cap. 205.

Si laicus cum laica fœmina, id est, vterque absolutus à lege coniugij concubuerit, tres annos pœniteat. Et quantò sæpius & negligentius ea peccata commiserit, tantò magis & tempus addatur & modus pœnitentiæ.

De vxore quæ conscio marito mœchata fuerit. Ex concilio Maguntinensi, cap. ix.

¶ Cap. 206.

Si conscio marito & ipso consentiente vxor fuerit mœchata, placuit nec in fine dandam eis communionem. Si verò eam reliquerit, & separati fuerint, & dignè pœnituerint, post x. annos accipiant communionem.

De viro vxorem non habente si cum alterius vxore adulterium perpetrauerit. Ex concilio Nannetensi, cap. vi. ¶ Cap. 207. Sub Forme c. 14.

Quòd si vir non habens vxorem cum alterius vxore adulterium perpetrauerit: aut si qua mulier non habens virum cum alterius viro, ille qui fœdus violauit coniugij, vij. annos (vt supradictum est) pœniteat. Ille qui lege coniugij non tenetur v. annos pœniteat. Neque enim æqualis pœnitentia danda est his, quibus sufficere poterat ad explendam libidinem suam coniugum amplexus, & illis qui coniugè carentes, ardore libidinis impellente in fornicationem ciderunt.

De coniugatis qui aliqua certa re dißidium fecerint, vt innupti maneant. Ex dictis Augustini.

Lib. 1. de sermone Domini in monte c. 28.

¶ Cap. 208.

1. Corint. 7.

32 q. 7. ca. Apostolus. Apostolus Paulus dicit: His qui sũt in cõiugio præcipio nõ ego sed Dominus, vxorẽ à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptã, aut viro suo reconciliari. Potest enim fieri, vt discedat ea causa qua Dominus permisit. Aut si fœminæ licet virum dimittere etiam propter causam fornicationis, quid respondebimus de hoc quod dicit posterius: & vir vxorem non dimittat? Quare non addidit exceptâ causâ fornicationis quod Domin⁹ permittit, nisi quia similẽ formã vult intelligi, vt si dimiserit (quod causâ fornicationis permittitur) maneat sine vxore aut reconcilietur vxori? *Et post pauca.* Dominus autem permisit causâ fornicationis vxorem dimitti: sed quia permisit, non iussit.

De illis qui interueniente repudio aliis se in matrimonio copulauerint. Ex decretis Innocentij Papæ, cap. xxvi. ¶ Cap. 209. Epist. 3. c.

De his etiam requisiuit dilectio tua, qui interueniente repudio aliis se matrimonio copulauerunt: quos in vtraque parte adulteros esse manifestum est. Qui verò vel vxore viuente, quamuis dissociatum esse videatur coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum vt hæ etiam personæ quibus tales coniuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur: secundùm illud, quod legimus in Euangelio, Qui dimiserit vxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur. Et ideò omnes à communione fidelium decreuimus abstinendos. De parentibus autem aut propinquis eorum, nihil tale statui potest: nisi si incentores illiciti consortij fuisse * videantur.

Mat. 5. & 19.

* detegantur, orig.

Si cuius vxor constuprata fuerit & propterea maritus perdere illam machinauerit. Ex conc. Triburiensi, cui interfuit Arnulphus rex, cap. xlvi.

¶ Cap. 210.

Si cuius vxor constuprata fuerit, & propterea maritus capitali sententia delere illam

machinauerit: ipsa verò vrgente mortis periculo ad episcopum confugerit, & auxilium quæsierit, operosiori tamen si potest episcopus labore desudet, ne occidatur: si verò non potest, nullo modo liceat ei requirenti eam reddere ad occidendum, quæ se ei obtulit ad defendendum Sed solerti cura transmittat eam ad locum quē ipsa delegerit, vt secura possit viuere. Si verò interdum maritus eam inuenerit & repetierit, secundùm sæculum potestatem habebit quid ei agere velit. Sed audiat sanctum Augustinum dicentem: Cùm enim vir à virtute nomen accipit, & mulier à mollicie, id est fragilitate, quare contra crudelissimam libidinis bestiam vult vnusquisque vxorem suam esse victricem, cùm ipse ad primum libidinis ictum victus cadat? Nā quicquid contra fidem catholicam non licet mulieribus, nec viris licebit. Si autem eadem mulier timore perterrita, à loco vbi eam episcopus destinauit aufugerit, & vir eius ab episcopo semel aut bis vel sæpius repetierit, si vitam ei obtinere possit, perquirat & reddat. Sin autem, omnino non reddat. Maritus verò quamdiu ipsa viuat, nullo modo alteram ducat.

[Ser]mone de [temp]ore 243. *[A]liquanto [po]st.* *[Ha]ctenus [A]ugusti.*

De eo, si quis cum vxore alterius viuente eo fornicatus fuerit. Ex concilio apud Altheum habito, præsente Conrado rege, cap. v.

¶ CAP. 211.

[..] q. 2 c. [Illu]d verò.

Illud verò communi decreto secundùm canonum instituta definimus, & præiudicamus, vt si quis cum vxore alterius viuente eo fornicatus fuerit, moriēte marito synodali iudicio aditus ei claudatur illicitus: ne vlteriùs ei coniungatur matrimonio, quam priùs polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ religioni conuenit, vt vllus ducat in coniugium quam priùs polluit per adulterium.

De ingenuo si ingenuam acceperit vxorem, & postea se seruum esse profitetur. Ex concilio Triburiensi, cap viij. ¶ CAP. 212.

[..] q. 2. c. [Per]latum est.

Perlatum est ad sanctam synodum, quòd quidam ingenuus ingenuam acceperit vxorem, & post filiorum procreationem occasione diuortij cuiusdam seruum se fecerit, vtrum necessariò mulierem tenere debeat, & si tenuerit, vtrum illa quoque secundùm sæcularem legem seruituti subijci debeat. Iudicatum est, vxorem minimè debere dimitti: non tamen ob Christi legem mulierem in seruitutem redigi, dum ille non ex consensu coniugis se seruum fecerit, quem liberum ipsa maritum accepit.

De illis coniugatis quorum leges diuersæ sunt. Ex eodem concilio, cap. xxxix.

¶ CAP. 213.

De Francia nobilis quidam homo, nobilem de Saxonia Saxonum lege duxit vxorem. Tenuit multis annis, & ex ea filios procreauit. Verùm, quia non iisdem vtuntur legibus Saxones & Franci, causatus est quòd eam non sua, id est, Francorum lege desponsauerit, vel acceperit, aut dotauerit: dimissaque illa duxit alterā. Definiuit super hoc sancta synodus vt ille transgressor Euangelicæ legis subigatur pœnitentiæ. A secunda coniuge separetur, priorem resumere cogatur.

Cur communicentur viri adulteri, cum adulteris vxoribus non communicetur. Ex decretis Innocentij Papæ, cap. xxiiij. ¶ CAP. 214. *Epist 3 c. 4.*

Et illud desideratum est sciri, cur communicantes viri cum adulteris vxoribus non conueniant, cùm contra vxores in consortio adulterorum virorum manere videantur, dum super hoc Christiana religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnet. Sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberiùs vxores adulteras apud sacerdotes deferre consueuerunt, & ideo mulieribus prodito earum crimine, communio denegatur: virorum autem latente commisso, non facilè quisquam ex suspicionibus abstinetur: qui vtique submouebitur, si eius flagitium detegatur. Cùm ergo par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.

32 q 5 c. Christiana.

Iudicij examinatio. ¶ CAP. 215.

De hoc quod mihi reputatum est, in hac synodo, quòd simul cum ista fœmina adulterium vel fornicationem fecissem, quod ego non ita feci, nec inde me culpabilem recognosco, sic me Deus adiuuet, & istud iudicium.

Separatio incœstæ copulationis.

¶ CAP. 216.

Ab isto die in antea, cum ista fœmina cum qua adulterium vel fornicationem fecisti, vnde disciplinam vel pœnitentiam suscepisti, amplius non adulterabis, nec fornicaberis cum ea, nec aliam vxorem accipies: nisi post peractam pœnitentiam tibi licentia data fuerit ab episcopo aut ab eius misso: Sic te Deus adiuuet. *35. q. 6. c. ab isto die.*

Reconciliatio coniugatorum.

¶ CAP. 217.

Ab isto die in antea, istam tuam coniugem nomine N. quam iniustè dimiseras, ita tenebis, sicut per rectum maritus suam debet habere coniugem in dilectione, & debita disciplina. Nec eam per vllum malum ingenium à te separabis, nec ea viuente aliam accipies: sic te Deus adiuuet. *35. q. 6. c. ab isto.*

De eadem re. ¶ CAP. 218.

A modò in antea istum tuum maritum, quem iniustè dimiseras ita tenebis, & amplexaberis, & ei in seruitio, & in amore, & in timore, ita eris subiecta & obediens, sicut per rectum vxor suo debet subiecta esse marito. Nec vnquam ab eo te separabis, nec illo viuente, alteri viro te sociabis, nec coniugio aut adulterio: sic te Deus adiuuet.

De vxore cuiusdam, quæ propter suspicionem fornicationis eo relicto, postea ad eum reuersa est. Gregorius Secundino episcopo Taurominitano. *Lib 8 regist. epistola 31.*

¶ CAP. 219.

Præsentium portitor Leo Chartularius ad nos veniens, indicauit vxorem suam, quæ relicto eo pro fornicationis crimine, quo vehementiùs stimulatam aiebat, atque ob hoc religiosam vestem induerat, culpabilem nullatenus extitisse, neque post initum coniugium in fornicationis culpam collapsum. Adijciens quoque quòd eidem vxori suæ districtissima sacramenta præbuerit, insontem se de ea re, vnde illam mordebat suspicio, permansisse, & idcirco propria eam voluntate reuersam. Sed quia communione illam cum familia sua pro hoc solo à fraternitate vestra priuatam asserit, quòd

ad eum clam postpositis vobis redierit, volumus vt familia quidem ipsius sacram communionem recipiat, & dominæ eam culpa in huius
* familiā afflictionis pœna * diu non teneat. De ipsa verò
orig. vxore prædicti portitoris hoc vos obseruare necesse est, vt si manifestè constat quia contra coniugem suum dicere nihil potuit, sed insuper suspicio ipsius præstito, vt edocti sumus, sacramento amputata est, atque post hoc, sua ad eum sponte reuersa est, & in ea quoque ita temperanda est censura iudicij, vt longo iam tempore communione minimè priuetur.

Epist. 11. *Ne vxor sine voluntate viri ab eo separetur. Alexander Papa ij. Landulpho in Corsica.*

¶ Cap. 220.

33 q. 5. c. notificasti. Notificasti te morte tenus infirmatum, & peccatorum tuorum recordatione & terrore valdè pauefactum, anxiè quæsisse monachum fieri, & à tua vxore minis & terroribus eam occidendi, ad hoc licentiam extorsisse, & sic te monachicam vestem sine Abbate sumpsisse, & monasterium petiisse. Posteà verò cùm sanus factus esses, tuæ vxoris reclamationibus, eiulationibus, & planctibus, tuæque familiæ dispersionibus, vtpote * pœnitens deuictus domum remeasse, & post multos dies quorundam sapientum consilio ad iam dictæ cubile mulieris rediisse. Nunc autem si tibi tua vxore vti liceat, nostrum requiris consilium. Si ita denique est, vt tuus nuncius narrat, non videtur nobis rationabiliter, neque sana mente id factum: quoniam cum omni homini ad monachicam vitam tendenti legaliter, sanctè, & iustè sit peragendum, tu contra leges minaciter & violenter à tua vxore, partim terrore mortis partim tuæ infirmitatis doloribus exanimatus, deuia secutus, nulla (vt dicitur) licentia accepta, recessisti, & monasterium petisti. Non enim violentia, sed ex pari voluntate & consensu, (sicut sancti patres dicunt,) hoc fieri debet: neque vir in monasterium recipiendus est, nisi vxor illius fœmineum monasterium elegerit, aut professa continentiam, habitum cum festinatione mutauerit. Sanctus enim Basilius de hac re taliter dicit: Si quis coniugatus vult conuerti ad monasterium, non est recipiēdus, nisi prius à coniuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Nam si illa, viuente illo, per incontinentiam alteri nupserit, proculdubio adultera erit, nec recipitur apud Deum eiusmodi viri conuersio, cuius sequitur coniugalis fœderis prostitutio. Tales igitur tunc sine culpa relicto sæculo sequuntur Christum, si habeant ex pari voluntate castitatis consensum. Itaque, fili charissime, perpende, & vide si sic canonicè à tua es absolutus vxore, & tua vxor ita pollicita est: & tu & illa adimplete bonum incœptum, & votum vestrum: aliter autem non debemus vobis necessitatem imponere separationis.

* penitus deu. orig. & pann.

27 q. 2. c. si quis coniugatus.

De illis qui vxoribus suis dimißis, ad alias nuptias transierint. Nicolaus Archiepiscopo Rauennæ.

¶ Cap. 221.

De senatoris coniuge, quam adulteram esse dicitis, & propter adulterii reatum disiunctam à viro suo esse iudicatam, & monachicam vestem indutam, atque velatam: nescimus vtrum iustè, an aliter hoc sit terminatum iudiciū: & si adultera apparuit, hoc magis à viro suo debuit esse inquisitum: & si à viro suo requisitum fuit, indagatiuorum vel iudicum præsentiâ debuerat examinatum esse, atque terminatum: & post terminationem & approbationem atque manifestationem, tunc aut legali calculo aut canonico iudicio ipsius causæ sententiæ diffiniri. Etsi nec hoc, nec illud factum est, quis eam ausus est religiosa induere veste, & sacro cooperire velamine? Tamen id subtilius Dei præ oculis habentes timorem, præcipimus, vt præsentia missi vel vicarij vestri, in vero examine præsente viro suo examinatio fiat. Et si iusta & rationabilis eorum causa apparuerit, maneat. Et si aliter apparuerit (vt prætulimus) secundùm Dei omnipotentis voluntatem atque timorem, eorum definiatur causa.

De eodem Ioannes viii. Totzili comiti.

¶ Cap. 222.

Porrò eos qui vxores suas dimiserunt, vel ad alias illis viuentibus nuptias migrauerunt, tādiu eos cum consentaneis eorum excommunicamus, quousque posterioribus remotis, priores pœnitendo receperint. Sicut enim nuptiæ à Deo, ita diuortium à diabolo est, teste sancto Augustino, repertum. Quod enim Deus coniunxit homo non separet: præcipuè cùm hæc pessima consuetudo ex paganorum more remanserit, quorum in talibus non alius nisi ipse diabolus erat magister & author. Matth. 19.

De eodem, idem eidem. ¶ Cap. 223.

Prudentissime vir stude & præuide, vt duo viri illi qui vxores suas, quas Deus illis præparauit & iunxit, abiecerunt, eas repellere minimè permittantur: quia impium est, vt qui authore Deo legali fœdere copulati sunt, pro humano libitu, imò fraude diabolica separentur. *Idem Commonitorium Paulo episcopo.* Præuide vt de separatione coniugatorum maximam curam geras, ita vt qui à susceptione sedis Apostolicæ literarum separati sunt, inculpatè reducant priores vxores, iniuncta conuenienti pœnitentia, dimissis quas postmodum sunt sortiti. Quod si noluerint, extra ecclesiam facite vnà cum his, qui eos in communione recipiunt, donec emendent quæ admiserunt.

*De gente Anglorum secundam fornicationem exercente * Bonifacius martyr Hiltribaldo regi Anglorum.* * Alias ite idem.

¶ Cap. 224.

Si gens Anglorum (sicut per istas prouincias diuulgatum est, & nobis in Francia & in Italia improperatur, & ab ipsis paganis improperium est) spretis legalibus connubiis, adulterando & luxuriando ad instar Sodomitanæ gentis fœdam vitam vixerit: de tali commixtione meretricum æstimandum est, degeneres populos & ignobiles, & furentes libidine fore procreandos, & ad extremum vniuersam plebem ad deteriora & ignobiliora vergentem, & nouissimè nec in bello sæculari fortem, nec in fide stabilem, & nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam, sicut aliis gentibus Hispaniæ, & Prouinciæ, & Burgundionum populis contigit, quæ sic à Deo recedentes fornicatæ sunt. Donec * talium criminum vltrices pœnas per ignorantiam legis Dei & per Sarracenos venire & * sæuire permisit. dist. 56. c. si gens Anglorum.

* Iudex & vindex omnipotens orig.
* al. seruire

Alias idem. *De Lothario rege qui legitima sua relicta aliam duxerat.* * *Nicolaus omnibus archiepiscopis per Galliam & Germaniam constitutis.*

¶ CAP. 225.

Iuxta statutum nostrum, cùm duos partes in illas destinaremus episcopos, accidit ad nostram peruenire notitiam, quòd Lotharius prima & legitima repulsa, secundam sibi adsciuerit coniugem, neque sedis nostræ petitum aut permissum expectans, neque canonico iudicio vspiam succumbens. Qua ex re quid aliud datur intelligi, nisi quia vbi populorum iudicium præuenit, ibi suo iudicio præuaricatorem se iudicauit.

nc Rom 3 Nicol. 1. *De depositione duorum archiepiscoporum Lothario in ipsius errore consentientium. Nicolaus episcopis & archiepiscopis per Galliam, Italiam, Germaniam atque per vniuersas prouincias constitutis.*

¶ CAPVT 226.

q. 1. c sce-. Scelus quod Lotharius Rex (si tamen rex veraciter dici possit, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrænat, sed lubrica eneruatione magis illicitis ipsius motibus cedit) in duabus fœminis Theiberga scilicet, & VValdrada commisit, omnibus manifestum est. Sed & dudum Episcopos Teugaldum & Gunthariū in tali facto eum habuisse tutores atque fautores penè totus nobis orbis vndique ad limina seu sedem confluens Apostolicam referebat. *Et paulò post.* Igitur decernente nobiscum sancta synodo in præsentia depositi, & ab officio sacerdotali excommunicati, atque à regimine episcopatus alienati indubitanter existunt. *Item infrà.* Teugaldum Treuerensem, & Primatem Belgicæ prouinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ archiepiscopos nunc coram nobis & sancta synodo sub gestorū insinuatione, qualiter causam Lotharij regis & duarum mulierū eius Theibergæ & VValdradæ recognouerunt, & iudicauerunt, scriptum super hoc propriis manibus roboratum afferentes, nihilque se plus vel minus aut aliter egisse, ore proprio multis coram positis affirmantes: & sententiam quam à sede apostolica in Geltruden Bosonis vxorem sanctissimus frater noster Mediolanensis Archiepiscopus Thado & cæteri coepiscopi nostri petiuerant emittendam, nósque diuino succensi zelo sub anathematis obtestatione canonicè protuleramus, publicè vna voce se violasse confitentes: in quibus omnibus inuenimus eos apostolicas atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse, & æquitatis normam nequiter temerasse, omni iudicamus sacerdotij officio penitus alienos, Spiritus sancti iudicio & beati Petri per nos authoritate episcopatus exutos regimine, subsistere definientes.

ap. 2. q 3. cap. ugaldum

n rescrip. it. 7. c. 5. *De correctione Lotharij Idem Lothario regi.*

¶ CAP. 227.

1. q. 3. c ita orporis. P, al. 39. Ita corporis tui motibus cedere consensisti, & relaxatis habenis voluptatum temetipsum in lacum miseriæ & in lutum fæcis pro libitu deiecisti, vt qui positus fueras ad gubernationem populorum, effectus sis ruina multorum. Probat hoc Teugaldi & Guntarij episcoporum dudum legitimus casus, qui pro eo quod te minimè cōpetenter erudierunt, quinimo quia præuaricationem tuam tegere argumentis suis sub quadam iustitiæ specie fuscatis, quibusdam & exquisitis adinuentionibus æquitatem obruere studuerunt, nostra sunt authoritate depositi, & ab omni episcopatus regimine regulariter sequestrati. *Item infrà.* An non districta vltione feriendus es, qui in duabus vxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus dinosceris esse? Quod Dominus non nisi post lxxvij. generationes suo salutifero aduentu deleuit, cùm Cain fratricidium vij. generatione aquis abolitum sit cataclismi. Cap 7. 24. q. 3. c. an nō districta. Genes. 4.

Quòd sola causa fornicationis vxor dimitti possit. Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, cap. xcvi.

¶ CAP. 228.

Quicquid mulier tua cōtra te cogitauerit, aut fecerit vel si te accusauerit, non est exceptâ causâ fornicationis reijcienda, vel odio prorsus habenda, quæ est, apostolo præcipiente, sicut Ecclesia à Deo diligenda. 32. q 5. cap. quicquid mulier. Ephes. 5.

Ne mulier à viro discedat. Gangrense concilium cap. xiiij.

¶ CAP. 229.

Si qua mulier virum proprium relinquens discedere voluerit, nuptias execrata, sit anathema. dist. 30 c si qua mulier.

Vt dimissus ab vxore & dimissa à viro alij non nubant. Con. Mileui. cap. xvij.

¶ CAP. 230.

Neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito alteri iungatur. Sed ita maneant, aut sibi reconcilientur.

De his qui consortium coniugale sine graui culpa dimittunt. Ex concilio Agathensi, cap. xxv.

¶ CAP. 231.

Sæculares qui coniugale consortium nulla culpa grauiore dimittunt, vel etiam dimiserunt: & nullas causas dissidij probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, vt illicita aut aliena præsumant, si antequam apud episcopos comprouinciales dissidij causas dixerint, & priùs vxores quàm iudicio damnentur abiecerint, à communione ecclesiæ & * sui populi cœtu, pro eo quòd fidem coniugij maculant, excludantur. 33. q. 2. cap. saeculares. * sanctæ orig.

Ne incultus & horridus vir ab vxore dimittatur. Hexaëmeron Ambrosij, in titulo diei quartæ.

¶ CAP. 232. Lib. 5. c. 7.

Sed * horrendus & incultus est vir. Semel placuit. Nunquid vir alius eligendus est? Comparē suum & equus diligit, & si mutetur alius, trahere iugum nescit compar alterius, & se non totum putat. Tu iugalem repudias tuum, & sæpe putas mutandum, & si vno defecerit die, superducis riualem, & statim incognita causa quasi cognita, pudoris exequeris iniuriam. 32. q. 5. cap. horrendus. * horrid.

Quòd sicut crudelis & iniquus est, qui castam dimittit: sic fatuus est & iniustus, qui retinet meretricem. Chrysostomus super Matthæum, cap. cix.

¶ CAP. 233. Homel. 32. in Matth. in opere imperfecto.

Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, mœchatur. Omnis res per quas causas nascitur, per ipsas absoluitur. Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas: & ideo illud non soluit separatio corporis, sed voluntatis: ideo qui dimittit vxorem suam, & alteram non accipit adhuc maritus est. Nam & si corpore iam separatus est, tamen adhuc voluntate coniunctus est: Cùm ergo alteram acce-

perit, tunc plenè dimittit. Non ergo qui dimittit mœchatur, sed qui alteram ducit. Sicut autem
Prouerb 18. crudelis est & iniquus, qui castam dimittit: sic fatuus est & iniustus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis eius est, qui crimen cælat vxoris.

Quòd quicquid inter se coniugati immodestum vel sordidum gerunt, vitium sit hominum, non culpa nuptiarum: sed propter illas ignosci. Augustinus de bono coniugali.

Cap 6. ¶ Cap. 234.

32. q. 2. cap. quicquid inter. Quicquid inter se coniugati immodestum, inuerecundum, sordidúmue gerunt, vitium est hominum non culpa nuptiarum. Iam in ipsa quoque immoderata exactione debiti carnalis,
1. Cor 7. quam eis non secundùm imperium præcepit, sed secundùm veniam concedit apostolus, vt etiam præter causam procreandi sibi misceantur, etsi eos praui mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi coniugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causâ, (quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas) verumetiam infirmitatis inuicem excipiendæ ad illicitos concubitus euitandos mutuam quodammodo seruitutem, vt etsi alteri eorum continentia perpetua placeat, nisi ex alterius consensu non possit.

Quòd licitè dimittitur coniunx causâ fornicationis, manere tamen vinculum prioris. Item.

¶ Cap. 235.

Ibidem. Reddere verò debitum coniugale, nullius est criminis: exigere autem vltra generandi necessitatem, culpæ venialis: Fornicari verò vel mœ-
Ibid. c. 7. chari puniendi criminis. Cauere debet charitas coniugalis, ne dum sibi quærit vnde amplius ho-
Mat. 5 & 19. noretur, coniugi faciat vnde damnetur. Qui enim dimittit vxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, facit eam mœchari. Vsqueadeo fœdus illud initum nuptiarum cuiusdam sacramēti res est, vt nec ipsa separatione irritum fiat: quandoquidem viuente viro, & à quo relicta
Ibidem eodem cap. est, mœchatur, si alteri nupserit: & ille huius
32 q 7 cap. interueniēte. mali causa est, qui reliquit. *Item, Aug. de bono coniugali* Interueniente diuortio, non aboletur confœderatio nuptialis: ita vt sibi coniuges sint etiam separati, cum illis autem adulterium cōmittant quibus fuerint etiam post suum repudium copulati, vel illa viro vel ille mulieri.
Ibid. c. 18. *Item.* A viro viuo in alterius transire connubium nec tunc licuit, nec nunc licet, nec vnquā licebit. Apostatare quippe ab vno Deo, & ire in alterius adulterinam superstitionem semper
Cap. 4. est malum. *Augustinus de adulterinis coniugijs,*
32. q. 7 cap. licitè. *lib. ij.* Licitè dimittitur coniunx ob causam for-
Ibid. c. 5. nicationis, sed manet vinculum prioris: Propter quod fit reus adulterij dimissam qui duxerit, etiam ob causam fornicationis. Sicut enim manente in se sacramento regenerationis, excommunicatur quisquis reus criminis, nec illo sacramento caret, etiamsi nunquam reconcilietur Deo: ita manente in se vinculo, non caret coniugij sacramento, etiamsi nunquam reconcilietur viro: carebit autem, si mortuus fuerit vir eius. Reus verò excommunicatus ideò nunquam carebit regenerationis sacramento, etiam non reconciliatus: quia nunquam moritur.

Ne vxor propter fornicationem dimissa ab alio ducatur. Item lib. i. ¶ Cap. 236. Cap. 9.

Non est quisquam ita absurdus, qui mœchum neget esse qui duxerit eam, quam maritus propter causam fornicationis abiecit: cùm dominus mœchum dicat eum, qui duxerit eam quæ præter fornicationis causam abiecta est. Matth 19.

Vt non facilè dimittatur vxor. Aug. de sermone domini in monte. ¶ Cap. 237. Lib. 1. c. 20.

Dominus ad illud confirmandum, vt non facilè dimitatur vxor, solam fornicationis causam excepit: cæteras verò vniuersales molestias si quæ extiterint, iubet pro fide coniugali, & pro castitate fortiter sustineri, & mœchum dicit etiam qui eam duxerit, quæ soluta est à viro. *Item.* Fieri potest, vt vir dimittat vxorem causâ fornicationis, quam dominus exceptam esse voluit. Iam verò, si nec illi nubere conceditur viro viuo à quo recessit, neque huic alteram ducere, viua vxore quam dimisit, multò minus fas est illicita eum cum quibuslibet stupra committere. 32 q 7 c dominus ad illud. Mat. 19. Ibid. paulò post 32 q. c fieri potest.

Item, quod non sit vxor abijcienda pro qualibet carnis infirmitate. ¶ Cap. 238. Ibid. c. 27.

Si vxorem quis habeat siue sterilem siue deformem corpore, siue debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, siue morbis & doloribus laboribúsque confectam, & quicquid (excepta fornicatione) cogitari potest vehementer horribile, pro societate & fide sustineat. 32. q 5. c. Si vxorem.

Quòd viuente viro, dimissa nulla de causa alteri nubere potest. Hieronymus ad Amandum Presbyterum. ¶ Cap. 239. Tomo 3. epistolo cuius initium, Breuis epistola longas.

Omnes causationes apostolus amputans apertissimè definiuit, viuente viro esse adulteram mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris * præstationem, patris authoritatem, propinquorum cateruam, seruorum insidias * & parentum, damna rei familiaris. Quamdiu viuit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc scelera derelictus, maritus est reputatus cui alterum virum accipere non licet. 32. q. 7 c. omnes causationes. 1. Corint 7. * persuasionē, or. *atque contemptum, or.

Quòd fœminis non licet æquè nec maritis licere. Idem ad Oceanum de morte Fabiolæ. Tomo 1. in epitaphio Fabiolæ, cuius initium: Plures anni sunt.

¶ Cap. 240.

Præcepit dominus vxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis: & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quicquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat in fœminas. Neque enim adultera vxor, dimittenda est, & vir mœchus tenendus est. *Item.* Apud nos quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem seruitus pari conditione censetur. 32. q. 5. cap. præcepit. Mat. 5. & 19. Ibidem paulò post. 32. q. cap. apud nos.

De pœna eius qui vxore relicta aliam duxerit. Capitularium lib. v. cap. ccc. ca. 149.

¶ Cap. 241.

Quicunque propria vxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit: armis depositis publicam agat pœnitentiam. Et si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur. 33. q 2 cap. quicunque.

Quòd non sit durum reconciliari vxori post adulterium. Augustinus de adulterinis coniugijs, libro secundo. ¶ Cap. 242.

p. 6. q 1. cap. Quod autem ... durum. Quod tibi durum videtur, vt post adulterium reconcilietur coniugi coniunx, si fides adsit non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros quos vel baptismate ablutos, vel pœnitentia credimus esse sanatos? Hæc crimina in veteri Dei lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ noui testamenti sanguine sine dubitatione mundantur, & ideò tunc omnimodo prohibitum est ab alio contaminatam viro recipere vxorem: Reg. 18. Quamuis Dauid Saulis filiam, quam pater eiusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri, tanquam noui testamenti præfigurator sine contaminatione receperit. Nunc autem posteaquam Christus ait adulteræ: annis 8. Nec ego te condemnabo, vade, deinceps noli peccare: quis non intelligit debere ignoscere maritum, quod videt ignouisse Dominum amborum, nec iam se debere adulteram dicere, cuius pœnitentis crimen diuina credit miseratione deletum? *Item.* id. ca 8. q 6 cap Indignantur. Indignantur mariti, si audiant alteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas: cùm tantò grauius eos puniri oportuerit, quantò magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. *Item.* d cap. 9. q 1 c non turpis. Non erit turpis neque difficilis, etiam post patrata atque purgata adulteria reconciliatio coniugum, vbi per claues regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum: non vt post viri diuortium adultera reuocetur, sed vt post Christi consortium, adultera non vocetur. *Item.* id. ca 13. q 5 c puto Christia num. Puto Christianum neminem reluctari adulterum esse qui vel diu languente, vel diu absente, vel continenter viuere cupiente vxore sua, alteri commixtus est fœminæ. *Item.* id. ca. 15. q 2 cap. quod verius. Si (quod verius esse dicitur) non licet homini Christiano adulteram coniugem occidere, sed tantùm dimittere: quis est tam demens, qui ei dicat, fac quod non licet, vt liceat tibi quod non licet? Cùm enim vtrúque secundùm legem Christi illicitum sit, siue adulteram occidere, siue illa viuente alteram ducere, ab vtroque est abstinendum, non illicitum pro illicito faciendum. Si enim facturus est quod non licet, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium: vt viuente vxore sua alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat.

De eodem. Hermes in libro pastoris, mandato iiij.

¶ Cap. 243.

q 2 cap. ego dixi. Ego dixi pastori: Domine, si quis habuerit vxorem fidelem in Domino, & hanc inuenerit in adulterio, nunquid peccat vir, si conuiuit cum illa? Et dixit mihi: Quamdiu nescit peccatum eius, sine crimine est viuens cum illa: si autem scierit vir vxorem suam deliquisse, & non egerit pœnitentiam mulier, & permanet in fornicatione sua, & conuiuit cum illa vir, reus erit peccati eius, & particeps mœchationis eius. Et dixi illi: Quid ergo, si permanet in vitio suo mulier? Et dixit: Dimittat illam vir, & vir per se maneat. Quod si mulier dimissa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum suum reuerti, non recipietur à viro suo? Dixit: Immo si non receperit eam vir suus, peccat, & magnum peccatum sibi admittit. Sed debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam agit, sed non sæpe. Seruis enim Dei pœnitentia vna est. Propter pœnitentiam ergo non debet dimissa vxore sua aliam ducere. Hic actus similis est in muliere & viro. Non solùm mœchatio est illi, qui carnem suam coinquinat, sed etiam qui simulachrum facit, mœchatur. Quòd si in his factis perseuerat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli conuiuere cum illa. Sin autem, & tu particeps eris peccati illius. Propter hoc præceptum est vobis per vos manere, siue viro siue mulieri, potest enim in eiusmodi pœnitentia esse.

Vt fœminæ quæ captiuatis viris suis & diu desentis, aliis nupserint, prioribus reddantur si redierint. Leo Nicetæ Aquileiensi episc. cap. j. Epist. 79.

¶ Capvt 244.

Cùm per bellicam cladem, & per grauissimos hostilitatis incursus, ita quædam dicatis esse diuisa coniugia, vt abductis in captiuitatem viris fœminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios interemptos putarent, aut nunquam dominatione crederent liberandos: & in aliorũ coniugium sollicitudine cogente transierint: cúmque statu rerum (auxiliante Domino) in meliora conuerso, nonnulli eorum qui putabantur periisse, remearint: meritò charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus quæ aliis sunt iunctæ viris, à nobis debeat ordinari. Sed quia nouimus scriptum quod à Domino iungitur viro mulier: & iterum præceptum agnouimus, vt quæ Dominus iunxit homo non separet: necesse est, vt legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, & remotis his quæ hostilitas intulit, vnicuique id quod legitimè habuit, reformetur: Omníque studio procurandum est, vt recipiat vnusquisque quod proprium est. Nec tamen culpabiles iudicentur, si in ius alienum transire potuerunt: & tamen plenum iustitiæ est, vt eisdem reuersis propria reformentur. Quòd si in mancipiis vel in agris aut etiam in domibus ac possessionibus * rectè seruatur: quantò magis in coniugatorum redintegratione faciendum est, vt quod clade bellica turbatum est, pacis remedio reformetur? Et ideò, si viri post longam captiuitatem reuersi, ita in dilectione suarum coniugum perseuerant, vt eas cupiant in suum redire consortium, omittendum est, & inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit, & restituendum quod fides poscit. Si autem aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, vt malint his cohærere, quàm ad legitimum redire consortium, meritò notandæ sunt, ita vt ecclesiæ communione priuentur.

34. q. 2 c. cũ per bellicam. Prouerb. 9. Matth. 19. Cap. 2. * ritè, orig. Cap. 3. Cap. 4.

Vt vir si vxore sua captiuata aliam duxerit, priori reddatur. Innocentius Probo. Innocen. I. Epist 9.

¶ Cap. 245.

34 q. 2. c. cũ in captiuitate. Cùm in captiuitate Vrsa mulier teneretur, aliud coniugium cùm Restituta Fontanum inisse cognoscimus. Sed fauore Domini reuersa Vrsa, nos adijt, & nullo diffitente, vxorem se memorati esse perdocuit. Qua de re, domine fili meritò illustris, statuimus fide Catholica suffragante, illud esse coniugium, quod erat primitus gratiâ diuinâ fundatum: conuentúmque secundæ mulieris priore superstite, nec diuortio eiecta, nullo pacto esse posse legitimum.

Vt donec certum est virum in captiuitate viuere, nunquam vxor alium ducat. Pandectarum lib. xxiiij. tit. ij. ¶ Cap. 246.

Generaliter definiendum est, donec certum est maritum viuere in captiuitate constitutum, nullam habere licentiam vxores eorum migrare ad aliud matrimonium.

Cap. 17. *Quòd infidelitas fornicatio sit. Augustinus de adulterinis coniugiis, lib. i.*

¶ CAP. 247.

Si propter fornicationem carnis permittitur homo à coniuge separari, quantò magis in coniuge mentis fornicatio detestanda est, id est infidelitas. *Item.* Infidelis hominis fornicatio est maior in corde: nec vera eius pudicitia dici potest cum coniuge, quia omne quod non est ex fide peccatum est.

Ibid cap 18. Rom. 14.

Quòd dimittenda sit vxor si cogit virum à Deo fornicari. Augustinus de sermone Domini in monte, lib. i.

Cap. 22. 28 q 1 c. Idololatria.

¶ CAP. 248.

Idololatria, quam sequuntur infideles & quælibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causâ fornicationis vxorem dimitti. Sed quia permisit non iussit, dedit locum Apostolo monendi, vt qui voluerit non dimittat vxorem infidelem, quò sic fortasse posset fidelis fieri.

Deuter 24. Matt 5 & 1. Corint. 7.

Item. de eadem re. ¶ CAP. 249.

Ibid. ca. 23. Si infidelitas fornicatio est, & idololatria infidelitas, & auaritia idololatria: non est dubitandum & auaritiam fornicationem esse. Quis ergo iam quamlibet illicitam concupiscentiam potest rectè à fornicationis genere separare, si auaritia fornicatio est?

Lucæ 10.

Vt vxor dimittatur, vbi aut Christus aut vxor est dimittenda. Item. ¶ CAP. 250.

Proximè. post. Ex quo intelligitur quòd propter illicitas concupiscentias, non tantùm quæ in stupris cum alienis viris aut fœminis committuntur, sed omninò quaslibet quæ animam corpore malè vtētem à lege Dei aberrare faciunt, & perniciosè turpitérque corrumpi, possit sine crimine & vir vxorem dimittere & vxor virum: quia exceptā facit dominus causam fornicationis, quam fornicationem (sicut suprà consideratum est) generalem & vniuersalem intelligere cogimur. Cùm autem ait, exceptâ fornicationis causâ, non dixit cuius ipsorum, viri, an fœminæ. Non enim tantùm fornicantem vxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque vxorem dimittit, à qua ipse cogitur fornicari, causâ fornicationis vtique dimittit. Velut si aliquem cogat vxor sacrificare idolis: qui talem dimittit, causâ fornicationis dimittit, non tantùm illius, sed & suæ: illius quia fornicatur, suæ ne fornicetur. Nihil autem iniquius quàm fornicationis causâ dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud: In quo enim alterum iudicas teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Quapropter quisquis fornicationis causâ vult abiicere vxorem, prior debet esse à fornicatione purgatus. Quod similiter etiam de fœmina dixerim.

Matth. 19. 1. Retract. cap. 19. Rom. 2.

Cap. 16. *De eadem re. Augustinus de fide & operibus.*

¶ CAP. 251.

28 q 1. cap. vxor legitima. Vxor legitima societate coniuncta sine vlla culpa relinquitur, si cum viro Christiano permanere noluerit. Non attenditur eo modo eam rectissimè dimitti, si viro suo dicat: Non ero vxor tua nisi mihi de latrocinio diuitias congeras, aut nisi solita lenocinia quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas, aut siquid aliud vel facinorosum, vel flagitiosum in viro nouerat, quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornatior: tunc enim ille cui hoc vxor dicit, si veraciter egit pœnitentiam ab operibus mortuis quando accessit ad baptismum, habétque in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, proculdubio plus tenebitur amore diuinæ gratiæ, quàm carnis luxuriæ, & membrum quod eum scandalizat fortiter amputabit.

Galat 5. Matt 5. & 18.

Item de eadem re. Rabanus super Matthæum lib. ij. ¶ CAP. 252.

August lib 1 de serm. domini in monte cap. 21.

Exoritur quæstio, cùm dominus causâ fornicationis permittat dimitti vxorem, quatenus hoc loco intelligenda sit fornicatio: vtrum quousque intelligunt homines, id est, vt eam credamus fornicationem dictam quæ in stupris cōmittitur, an quemadmodum scripturæ solent fornicationem vocare (sicut supradictum est) omnem illicitam corruptionem, sicut idololatria vel auaritia, & ex eo iam omnis transgressio legis propter illicitam concupiscentiam. Quis ergo iam quamlibet illicitam concupiscentiam potest rectè à fornicationis genere separare, si auaritia fornicatio est?

Item de eadem re. * *Ambrosius ad Hilarium.* CAP. 253.

* Augustinus Ep. 89. 28 q 1. c si infidelis. 1. Corint. 7.

Si infidelis (dicit Apostolus) discedit, discedat: non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi: id est, si infidelis noluerit esse cum coniuge fideli, hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita se subiectum deputet seruituti, vt ipsam dimittat fidem, ne coniugem amittat infidelem. Hoc & de filiis atque parentibus, hoc & de fratribus ac sororibus intelligitur, propter Christum esse omnes dimittendos, cùm ponitur ista conditio vt Christum dimittat, si * eum secum habere desiderat. Hoc ergo & de domo & de agris, hoc * est de his rebus quæ iure pecuniario possidentur.

* illos orig. * & or.

Quòd vxor propter sterilitatem non est dimittenda, & alia fœcunda ducenda. Augustinus de bono coniugali, cap. vij. ¶ CAP. 254.

Tantùm valet sociale vinculum, vt cùm causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi soluatur. Posset enim homo dimittere sterilem vxorem, & ducere de qua filios habeat, & tamen non licet. *Item.* Manet vinculum nuptiarum, etiamsi proles cuius causâ initum est, manifesta sterilitate non subsequatur, ita vt scientibus coniugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsâ causâ filiorum atque aliis copulare non liceat. Quod si fecerint, cum iis quibus se copulauerint adulterium committunt: * ipsi autem coniugi manente planè vxoris voluntate adhibere aliam, vnde communes filij nascantur, vnius commixtione ac semine alterius autem iure ac potestate, apud antiquos patres fas erat, vtrum & nunc fas sit, temerè non dixerim.

32. q 7. cap. tantū valet. Ibid. cap. 15. *Ipso aut tē coniugio manente planè &c. originale sic habet ipsi autem coniuges manēt Planè, &c.

Adulter est etiam is qui vxore ob fornicationem dimissa ea superstite alteri sese copulauerit. August. de adulterinis coniugiis, lib. i.

Cap. 9.

¶ CAP. 255.

Quemadmodum rectè dici non potest, si nescit homo, non peccat: sunt enim etiam peccata ignorantium, quamuis minora quàm scientium: Ita non rectè dici potest, si causâ fornicationis dimiserit vir vxorem & aliam duxerit, non mœchatur. Est enim mœchatio etiam eorum qui

32. q 7. cap. quēadmodū.

alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus: ſed vtique minor, quàm eorum qui non propter fornicationem dimittunt, & alteras ducunt.

19. *De eo qui adulterauit vxorem fratris ſui. Capitularium lib. v. c. xxi.* ¶ CAP. 256.

Si quis homo habens mulierẽ legitimam, ſi frater eius adulterauerit cum ea, ille frater vel illa fœmina qui adulterium perpetrauerunt, interim quod viuunt nunquam habeant coniugium.

Vt mulier à viro propter fornicationem diſcedens, innupta permaneat, vel eidem reconcilietur. Ambroſius in 1. epiſt. ad Corint.

¶ CAP. 257.

[…]·7 ante […]d.

Hos alloquitur, qui matrimonio iuncti ſunt, ore dominico, Vxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam. Hoc apoſtoli conſilium eſt, vt ſi diſceſſerit propter malã conuerſationẽ viri, iã innupta maneat. Aut viro ſuo reconciliari. Quod ſi ſe continere (inquit) non poteſt, quia pugnare nõ vult contra carnẽ, viro recõcilietur. Nõ enim permittitur mulieri vt nubat, ſi virũ ſuũ cauſâ fornicationis dimiſerit aut apoſtatauerit, aut ſi * impellente laſciuia vſum quærat vxoris inuertere: quia inferior non omninò hac lege vtitur qua potior. Si tamẽ apoſtatauerit, aut vſum vxoris quærat inuertere: nec alij poteſt nubere mulier, nec reuerti ad illum. Et virum vxorem non dimittere. Subauditur autem exceptâ fornicationis cauſâ.

[…]poſta- […]. orig. […]llicite.

Vt quantumuis adoleſcentes, viuentibus vxoribus ſuis alias non ducant. Arelatenſe concil. i. cap. x.

¶ CAP. 258.

De his qui coniuges ſuas in adulterio deprehendunt, & ijdem ſunt adoleſcentes fideles, & prohibentur nubere: placuit, vt quantum poteſt, conſilium eis detur, ne viuentibus ſuis vxoribus licet adulteris, alias accipiant.

16. *Quòd lex Dei non compellat hominem malum facere, quamuis per eam aliquando malum fiat. Auguſtinus de adulterinis coniugiis, lib. ij.*

¶ CAP. 259.

Non dubitas eſſe adulterium, ſi quiſquam ducat viuentis vxorem, à viro ſuo per libellum repudij ſine vlla mulieris fornicatione dimiſſã. Quid ergo, cum viderit ſe nec ad baptiſmum admitti, ſi catechumenus eſt, nec vtiliter agere pœnitentiam, ſi baptizatus hoc fecerit, non corrigendo & linquendo quod fecit: ſi eum voluerit & potuerit occidere, cuius duxit vxorem: vt hoc ſcelus vel baptiſmate diluatur, vel pœnitendo ſoluatur, atque ita etiam illud adulteriũ non permaneat, euacuata muliere à lege viri poſt mortem viri, ſed de tranſacto quod actum eſt per pœnitentiam ſatisfiat, vel regeneratione deleatur? Nunquid propterea eſt accuſanda lex Chriſti, tanquam compulerit fieri homicidium, cum ſine crimine fornicationis repudiatam ducere, dicit eſſe adulterium?

De cauſa Lotharij regis & vxoris ſuæ. Hincmarus Rhemenſis archiepiſcopus, c. xij.

¶ CAP. 260.

[…].de di[…]io Lo[…]ij & […]ib. in[…]og. 13.

Si fortè (vt fertur) rex de quo agitur, poſt legaliter initum coniugium cum alia aliqua carnis commixtione negotium concumbendi exercuit, negari non poteſt adulterium perpetraſſe, etiamſi fœmina quam duxit vxorem, de his de quibus accuſatur, rea fuerit fortaſſis inuenta, quoniam poſt legaliter initum coniugium, ante legalem definitionem præſumpſit illicita.

Vt nullus eam cum qua adulterauit, niſi peracta pœnitentia ducat vxorem. cap. xx. Interr. 11. circa med.

¶ CAP. 261.

Scripturarum teſtimoniis atque ſanctorum dictis manifeſtatur, quòd concubinam cum qua adulteraſſe dicitur rex, ſi voluerit, in coniugium ſibi ſociare præualeat: videlicet ſi aut vxor legaliter accepta, & innoxia erga illum inuenta, mortua fuerit corpore, vel ſi inuenta fuerit anima adeò mortua, vt ipſius cum ea copula inceſtus, & nullo coniugij nomine deputandus legaliter cõprobetur. *Item.* Eſt aliud obſeruandum, ne ante legitimam pœnitentiam ſecundũ leges eccleſiæ ſuſceptam atque peractam, & reconciliationem adeptam, * multò minus eidem de qua agitur, concubinæ ſe copulet. Quoniam nec Dauid ſine pœnitentia Bethſabee cum qua adulterauerat, coniugem habuit.

* coniugio. *orig.* 2. *Reg* 12.

Vt par pudicitiæ forma ſit inter virum & vxorem. De adulterinis coniugiis, Aug. lib. ij. Cap. 8.

¶ CAP. 262

Illi quibus diſplicet, vt inter virum & vxorem par pudicitiæ forma ſeruetur, & potius eligunt maximéque in hac cauſa, mundi legibus ſubditi eſſe, quàm Chriſti: quoniam iura forenſia non iiſdem, quibus fœminas pudicitiæ nexibus, viros videtur * aſtringere: legant quid Imperator Antoninus, non vtique Chriſtianus, de hac re cõſtituerit: Vbi maritus vxorem de adulterij crimine accuſare non ſinitur, cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exemplum, ita vt ambo damnentur, ſi ambos pariter impudicos conflictus ipſe conuicerit. Nã ſupradicti Imperatoris hæc verba ſunt, quæ apud Gregorianum leguntur: Sanè, inquit, literæ meæ nulla parte cauſæ præiudicabunt. Neque enim ſi penes te culpa fuit, vt matrimonium ſolueretur, & ſecundùm legem Iuliam Eupaſia vxor tua nuberet, propter reſcriptum meum adulterij damnata erit, niſi conſtet eſſe commiſſum. Habebũt autem ante oculos inquirere, an cùm tu pudicè viueres, illi quoque bonos mores colendi author fuiſti. Periniquum enim videtur mihi eſſe, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibet.

* obſtr. *orig.*

Quòd vir exemplum caſtitatis debeat eſſe vxori. Auguſtinus lib. de decem chordis. Cap. 3.

¶ CAP. 263.

Non mœchaberis: id eſt, non ibis ad aliam aliquam præter vxorem tuam. Tu autem exigis hoc ab vxore, & non vis reddere hoc vxori? Et cùm debeas in virtute præcedere vxorem (quoniam caſtitas virtus eſt) tu ſub vno impetu libidinis cadis, & vis vxorẽ tuam victricẽ eſſe, & tu victus iaces? Et cũ tu caput ſis vxoris, præcedit te ad Deũ, cuius caput es. Vis tuã domũ capite deorſum pendêre? Caput eſt enim mulieris vir. Vbi autem melius viuit mulier quã vir, capite deorſum domus pendet. Si caput eſt vir, melius debet viuere vir, & præcedere in omnibus bonis factis vxorem ſuam.

32. q. 6. c. nõ mœchaberis. Exod. 20. Deut 5. Epheſ. 5.

De pœnitentia viri, cuius conſcientia vxor mœchatur. Concilium Eliberitanum c. lxx.

¶ CAP. 264.

Si conſcio marito, vxor fuerit mœchata, pla-

cuit, nec in fine dandam ei communionem. Si verò eam reliquerit, post annos x accipiat communionem, si eam, cùm scierit adulteram, aliquo tempore in domo sua retinuerit.

Idem refert lib. de bono cõiuga. c.18. Rursum de fide & oper. c.7.

Ne propter filiorum desiderium alteri fœcunda vxor tradatur. Augustinus contra Iulianum ad Claudium. lib.v. c.ix.

¶ CAP. 265.

Sicut fecisse Cato perhibetur, ab eo viro qui plures non vult suscipere filios, alteri * fœcunda vxor non tradatur.

*fœtãda

De abijcienda adultera. Codicum lib.ix. t.ix. tit.ij. ¶ CAP. 266.

Tit.9 ad legem Iuliam de adult & stupr. l.2.

Crimen lenocinij contrahunt, qui deprehensam in adulterio vxorem ad matrimonium detinuerint, non qui suspectam adulteram habuerint.

De excusatione Saræ. Haimo super Genesim.

¶ CAP. 267.

32 q. 1.cap apud miseri cordem Genes c.20.

Excusari potest Sara in hoc, quòd in domum Pharaonis translata est inuita vel coacta: non solùm in hoc, quia non coinquinatur corpus, nisi ex consensu mentis: sed etiam in hoc, quòd conueniente & permittente viro factum est hoc.

Cap.12.

Nec plures nuptias laudari, nec quantaslibet damnari. Augustinus de bono viduitatis.

¶ CAP. 268.

31.q.1.c. quod si dormierit Ibidem sub finem cap.

De tertiis & de quartis, & de vltrà pluribus nuptiis, solent homines mouere quæstionem. Vnde vt breuiter respondeam, nec vllas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. *Item.* Nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, vt quotiens voluerit viris mortuis nubat fœmina: nec ex meo corde præter scripturæ sanctæ authoritatem, * quotaslibet nuptias audeo condemnare.

* quãntaslibet. orig.

Cap.9.

Quòd secundæ nuptiæ licitæ sint. Augustinus contra aduersarium legis & Prophetarum, lib.ij.

¶ CAP. 269.

32 q 4 cap. iste Abrahæ Genes. 25.

Iste Abrahæ etiam vsque ad decrepitam senectutem fornicationis obiicit crimen: profectò quia & post mortem Saræ alteram duxit. Vbi etsi nullum intelligeretur rei abditæ sacramentum: propter hoc solum id facere debuit Abraham, ne putarent hæretici aduersus Apostolum (quibus etiam Tertullianus astipulator assistit) post vxoris mortem, crimen esse ducere vxorẽ. *Item.* Deus qui masculum & fœminam propagandi generis causâ nuptiali castitate coniunxit, & secundas nuptias quæ in * nouo quoque testamento permittuntur, licitas esse monstrauit.

1.Cor.7. Lib de Monogamia. Ibidem c.11.

* vnoquoque.

Tomo 3. ep. cuius initiũ. Quod ad te.

Quòd sicut nec secundæ, ita nec plures damnentur nuptiæ. Hieronymus ad Pammachium.

¶ CAP. 270.

31. q.1.cap. aperiant. Ibidem aliquanto post. Nõ ita procul à fine.

Aperiant quæso aures obtrectatores mei, & videant me secũdas & tertias nuptias in Domino consensisse. Qui secundas & tertias non dãnaui, primum potui damnare matrimonium? *Item.* Non damnaui digamos, imò nec trigamos, & si dici potest octogamos. *Item.* Ego nunc libera voce proclamo, non damnari in ecclesia digamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto, & sexto, & vltrà, quomodo & secundo marito nubere.

Vt matres quæ tutelam filiorum suscipere volunt, ad alias nuptias non transeant. Libro v.c.xxxiij.

¶ CAP. 271.

Matres quæ amissis viris, tutelã administrandorum negotiorum in liberos postulant: priusquam confirmatio officij talis in eos iure eueniat fateantur actis sacramento præstito, ad alias se nuptias non venire. Sanè in optione huiusmodi nulla cogatur, sed libera in conditiones quas præstitimus, voluntate descendat. Nam si malunt alia optare matrimonia, tutelas filiorum administrare non debent.

De pœna nubentis viduæ intra annum luctus. Nouellarum constitutionum xxxvij. c. xi.

¶ CAP. 272.

Similiter, si mulier post mortem mariti, nondum annali spatio cõpleto, ad secundas properauerit nuptias, omni quidẽ modo inter infames erit: sed si quidem liberos non habeat ex priore matrimonio, infamiam quidem soluere poterit, si preces imperatori porrexerit, & diuino principis nutu priori opinione restituta fuerit. Res autem à priore marito sibi relictas nullo modo lucrabitur.

Vt mulier si ad secundas nuptias migrauerit, prioris mariti priuilegio non vtatur. c.xxij.

¶ CAP. 273.

Mulier quæ ad secundas migrauit nuptias, priuilegiis vel dignitatibus prioris mariti non vtitur. Si autem hac obseruatione contenta secundas contraxerit nuptias, non solùm res ipsius, id est matris, liberis eius hypothecæ titulo supponatur: sed etiam res vitrici, ex præsentis constitutionis authoritate.

De eodem. Constitutio lxxxiv.c.j.

¶ CAP. 274.

Si mater marito defuncto filiorum suorum tutelam gubernare maluerit, renunciet secundis nuptiis in iudicio, siue in iusiurando, res autem suas filio suo impuberi obliget; atque ita ei tutela committatur.

Quid sit fornicatio. Augustinus super epistolam ad Galatas. ¶ CAP. 275.

In c 5 ad ... lum locum Manifesta sunt autem opera carnis ante fin.

Fornicatio, est amor legitimo connubio solutus & vagus, explendæ libidinis consectando licentiam.

Quantum peccatum sint cubilia & impudicitia. Augustinus ad Aurelium episcopum.

Epist. 64.

¶ CAP. 276.

Ait vas electionis, Non in comessationibus & ebrietatibus, nõ in cubilibus & impudicitiis, nõ in cõtentione & dolo: horũ triũ, cubilia & impudicitiæ ita malũ crimẽ putãtur, vt nemo dignus non modò ecclesiastico ministerio, sed ipsa etiã sacramentorum communione videatur, qui se isto peccato maculauerit: & rectè omnino.

Rom.13.

Quòd non omne matrimonium sit coniugium. Hieronymus libro iij. super epistolam ad Ephesios.

In c. 5. ... med.

¶ CAP. 277.

32.q 2.c. ... cut non om... nis.

Sicut non omnis congregatio hæreticorum Christi ecclesia dici potest, nec caput eorum Christus est: sic non omne matrimonium quo non vxor viro secundùm Christi præcepta coniungitur, ritè coniugium appellari potest, sed magis adulterium.

Quòd

Quòd omnis immunda pollutio, fornicatio dicitur. Isidorus sententiarum lib. ij. cap xxxix.

¶ CAP. 278.

Omnis immunda pollutio, fornicatio dicitur, quamuis quisque diuersa turpitudinis voluptate prostituatur. Ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus Dei regnum clauditur, & homo * ab eo separatur. à Deo *or.*

Quòd nomine mœchiæ, omnis illicitus concubitus in lege intelligatur. Augustinus lib. quæstionum in Exodum. n libro quæ ionum se- ... n 10 ca. xod. quæst. 11

¶ CAP. 279.

Omnis mœchia etiam fornicatio in scriptura dicitur: sed vtrum etiam omnis fornicatio mœchia dici possit, in eisdem scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed si omnis fornicatio etiam mœchia dici non potest: vbi sit in decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri qui vxores non habent cũ fœminis quæ * viros non habent, vtrum inueniri possit, ignoro. Sed si furti nomine benè intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed vtique à parte totum intelligi voluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur) profectò nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus prohibitus debet intelligi. maritos rig.

Pœnitentiam coniugatis non nisi ex consensu dandam. Concilium Arelatense ij. cap xxij.

¶ CAP. 280.

Pœnitentiam coniugatis non nisi ex consensu dandam.

De pœnitentia vxoratorum si semel lapsi fuerint. Eliberitanum concilium, cap. lxix.

¶ CAP. 281.

Si quis habens vxorem semel fuerit lapsus, placuit eum quinquennio agere debere pœnitentiam. *Item.* Hoc & circa fœminas obseruandum est. 3 q. 4. cap. ... nitentiã idem

De pœnitentia eius qui habens vxorem, cum Iudæa vel gentili lapsus fuerit. cap. lxxviij.

¶ CAP. 282.

Si quis fidelis habens vxorẽ cum Iudæa vel gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta pœnitentia legitima poterit dominicæ communioni sociari.

Quid agendum sit de vxoribus clericorum, si peccauerint. Ex Toletano concilio j cap. vij.

¶ CAP. 283.

Placuit, vt si quæcunque clericorum vxores peccauerint, (ne fortè licentiam peccandi plus habeant) accipiant mariti earum hanc potestatem, præter necem, custodiendi ac ligandi in domo sua, ad ieiunia salutifera, non mortifera eas cogentes: ita vt inuicem sibi clerici pauperes auxilium ferant, si seruitia non habeant. Cum vxoribus autem ipsis qui peccauerint, nec cibos sumant: nisi fortè ad timorem Dei, actâ pœnitentiâ, reuertantur. .q. 1. c pla it vt si or.

De pœnitentia laicorum, si adulterium fecerint. Canones Martini ad laicos, cap. viij. synο. ... ærorum arti Bra- ... ca. in iuersum interlai- um 8.

¶ CAP. 284.

Si cuius vxor adulterium fecerit, aut vir in alienam vxorem irruerit, vij. annos pœnitentiam agat. *Et Ancyranum concilium, cap. xix.* Si cuius vxor adulterata fuerit, vel ipse adulterium fecerit, vij. annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi, secundùm pristinos gradus.

De pœnitentia clericorum si adulterio sese commacularunt. Synodus Aurelianensis iij. tempore Childeberti regis cap. vij.

¶ CAP. 285.

Si quis clericus adulterasse aut confessus aut conuictus fuerit, depositus ab officio suo communione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore trudatur. *dist. 81 c. Si quis clericus.*

Si clerici inconsulto Episcopo vxores duxerint. Toletanum concilium iiij. cap. xliij.

¶ CAP. 286.

Clerici qui sine consultu Episcopi sui vxores duxerint, aut viduam, aut repudiatam, vel meretricem in coniugium acceperint, separari eos à proprio episcopo oportebit.

Vt bigamus ad sacros ordines non accedat. Canon. Apost cap. xvij.

¶ CAP. 287.

Si quis post baptisma secundis nuptiis fuerit copulatus, aut concubinam habuerit, non episcopus, non Presbyter potest esse aut diaconus, non prorsus ex eorum numero qui ministerio sacro deseruiunt. *dist 33 c. Si quis post.*

De eodem. Gregorius Ioanni Episcopo Squilatino. *L. 2 regist. cap 25.*

¶ CAP. 288.

Præcipimus, ne vnquam illicitas ordinationes facias: ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus vxorem, aut ignorantem literas, aut in qualibet parte corporis vitiatum, pœnitentem, aut cuilibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines permittas accedere: sed si quos huiusmodi homines repereris, non audeas promouere. *dist. 34. ca. præcipimus.*

Item de eodem. Gregorius Etherio Episcopo. *L. 11 ep 8. ad Brunichil.*

¶ CAP. 289.

De quodam bigamo requisisti, an ad sacrum ordinem potuisset accedere: & iuxta canonicam regulam vetuimus.

De eadem re. Ambrosius in Epistola ad Vercellensem ecclesiam. ¶ CAP. 290. *L. 10 ep 82. post med.*

Qui sine crimine est, vnius vxoris vir, tenetur ad legem sacerdotij suscipiendi. Qui autem iterauerit coniugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogatiuâ exuitur sacerdotis. *Item.* Cognoscamus non solùm de Episcopo & Presbytero Apostolum statuisse, sed etiam patres in concilij Nicæni tractatu addidisse, clericum quenquam non debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit. *dist. 26. cap. qui sine crimine Post versum.*

Quòd bigamus ante baptismum ad sacros ordines non accedat. Ambrosius de officiis. Lib. primo.

¶ CAP. 291. *Ca. vltimo.*

Vna tantùm, nec repetita nobis permittitur copula. Et in ipso coniugio lex est, non reiterare coniugium, nec secundæ coniugis sortiri coniunctionem. Quod plærisque mirum videtur, cur etiam ante baptismum iterati coniugij ad electionem muneris & ordinationis prærogatiuã, impedimenta generentur: cùm etiam delicta *dist 26. cap. vna tantum*

obesse non soleant, si lauacri remissa fuerint sacramento. Sed intelligere debemus, quia baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In coniugio non culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur, in baptismo relaxatur: quod legis est, in coniugio non soluitur. Quomodo autem potest hortator esse viduitatis, qui ipsa coniugia frequentauerit?

De dignit. sacerdotali, c. 4. init.

Simplex expositio, & mystica, quid sit, Vnius vxoris virum. Pastoralis Ambrosij.

¶ Cap. 292.

1. Tim. 3. Vnius vxoris virum, si ad superficiem tantùm literæ respiciamus, prohibet bigamum Episcopum ordinari. Si verò ad altiorem sensum conscendimus, inhibet Episcopum duas vsurpare ecclesias. Et si adhuc introrsus profundiora perscruteris, monet ne per catholicum dogma, sensum inueniatur Episcopus habere hæreticum, sed Christianam tantùm catholicam ** vt orig.* & orthodoxam sibi associet fidem, * & vnius vxoris tantummodo & catholicæ ecclesiæ vir, Episcopus vocetur.

Ep 87. ad episc. Africanos, ca. 1.

Vt bigami vel viduarum mariti in sacerdotio non maneant. Leo episcopis vniuersis per Africam, cap. j. ¶ Cap 293.

Eos qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se coniugio sociarunt, in sacerdotio manere non patimur. Et multò magis illum, si fuerit in vestro iudicio confutatus, qui (sicut ad nos relatum est) duarum simul est maritus vxorum, vel illum qui prima vxore dimissa alteram duxisse perhibetur, priuandum honore decernimus.

Episcopum vnius vxoris virum esse oportere, non propter sanctitatem sacramenti. Augustinus de bono coniugali. ¶ Cap. 294.

Cap. 18.

Sacramentum nuptiarum temporis nostri, sic ad vnum virum & vnam vxorem redactum est, vt ecclesiæ dispensatorem non liceat ordinari, *1. Tim. 3. dist 26. c. acutius.* nisi vnius vxoris virum. Quod acutiùs intellexerunt qui nec eum qui catechumenus vel paganus alteram habuerit, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato: nam in baptismo omnia peccata di- *1. Cor. 7.* mittuntur. Sed qui dixit, Si acceperis vxorē non peccasti, etsi nupserit virgo, non peccat, & quod vult faciat, non peccat si nubat: satis declarauit nuptias nullum esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut fœmina etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari: ita non absurdum visum est, eum qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam sacramenti amisisse: non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessariam.

Quæ sint quæ impediant ne quis ad clerum promoueatur. Augustinus de ecclesiasticis regulis, cap. lxxj.

¶ Cap. 295.

dist 33. cap. maritum. Maritum duarum post baptismum matronarum, clericum non ordinandum: nec eum qui vnam quidem sed concubinam, non matronam habuit: nec illum qui repudiatam, nec meretricem, nec viduam sumpsit, aut eum qui semetipsum, quolibet corporis sui membro indignatione aliqua iusto iniustóque timore superatus truncauerit: neque illum qui aliquando vsuras accepisse conuincitur, aut in scena lusisse probatur: neque eum qui publica pœnitentia crimina mortalia deflet: neque illum qui aliquando in furiam versus insaniit, vel afflictione diaboli est tentatus: neque eum qui per ambitionem ad imitationem Simonis magi pecuniam offert expetendo honorem. *Actor. 8.*

De eodem. Hieronymus ad Oceanum. *Tomo 2. ep. cuius initiū, Sophronius Eusebius.*

¶ Cap. 296.

Si clericus monogamus fuerit, & vxor sua digama, noli eum officio applicare: digamam enim duxit vxorem.

Quid sit vidua, quid eiecta, quid meretrix. Hieronymus ad Fabiolam de veste sacerdotali. *Tom 4. epist. cuius initiū vsque hodie, ante med.*

¶ Cap. 297.

Vidua est, cuius maritus est mortuus. Eiecta, quæ à marito viuente proijcitur. Meretrix, quæ multorum libidini patet. *dist 34 ca. vidua est.*

Quòd digamus in clerum non eligatur. Hieronymus contra Iouinianum, libro primo. *Tom 2 longe ante med.*

¶ Cap. 298.

Quàm sancta sit digamia hinc ostenditur, quod digamus in clerum eligi non potest.

De eodem. Hieronymus ad Geruntiam de monogamia. ¶ Cap. 299. *Tom 1. epist. cuius initiū est: In vetere via ante med.*

Nos putamus tantùm sacerdotum hoc esse priuilegium, vt non ad mittatur ad altare, nisi qui vnam tantùm vxorem habuerit. Non solùm enim ab officio sacerdotij digamus excluditur, sed ab eleemosyna ecclesiæ, dum indigna sit stipe, quæ ad secunda coniugia deuoluta est: quanquam in lege sacerdotali teneatur & laicus, qui talem se præbere debet, vt possit eligi in sacerdotium: non enim eligitur si digamus fuerit. Porro ex laicis sacerdotes eliguntur.

Quòd sacerdos vel monogamus, vel virgo eligatur. Isidorus lib. ij. de officiis ecclesiasticis, cap. v.

¶ Cap. 300.

Sacerdotem quærit Ecclesia aut de monogamia ordinatum, aut de virginitate sanctum.

De pœna episcopi qui bigamum ad sacros ordines promouerit. Aurelianum concilium tertium, tempore Childeberti regis, cap. decimo.

¶ Cap. 301.

Si quis episcoporum sciens aut bigamum, aut internuptæ maritum ad officium Leuiticæ dignitatis siue Presbyterij, contra ius canonicum promoueri præsumpserit: sciat se vnius anni spatio ab omni sacerdotij dignitate suspensum. Qui si fortè sententiæ subiacere noluerit, à communione eius vsque in aliam synodum se fraternitas vniuersa suspendat. Illi verò qui illicitè promoti sunt, degradentur.

Quòd non potest promoueri qui viduam duxerit. Innocentius Fœlici episcopo Nucerino. *Ep. 4. c 2.*

¶ Cap. 302.

De digamis nec consuli debuit, quod mani- *1. Tim. 3. Tit. 1.* festa lectio sit Apostoli, Vnius vxoris virum, ad sacerdotium vel ad clericatum admitti debere, & hanc ipsam tamen si virginem accepit. Nam ea quæ habuerit ante virum, licet defunctus sit, tamen si clerico fuerit copulata, postea clericus esse non poterit qui eam acceperit. Quia in lege *Leuit. 21.* cautum est, non abiectam habere posse coniugem sacerdotem.

Vt non promoueatur qui ante baptismum vnam habuit, & postea aliam vxorem duxerit. Innocentius Rufo & Eusebio, cæterisque episcopis Macedoniensibus. ¶ CAP. 303.

Eos qui viduas accepisse suggeruntur, non solùm clericos effectos agnoui, verùm etiam vsque ad infulas sacerdotij summi peruenisse, quod contra legis præcepta esse nullus ignorat. Nam cùm Moyses legislator clamitet, sacerdos virginem vxorem accipiat: & ne in hoc præcepto aliquid putaretur ambiguum, addidit, non viduam, neque eiectam, contra quod præceptũ diuina authoritate subnixum nulla defensio mandati alterius * summouetur, nisi consuetudo vestra, quæ (vt ipsi fatemini) ex ignorantia (vt verecundius dicam) non ex Apostolica traditione & ratione, integra est. Nos autem omnésque per orientem occidentémque ecclesia's nouerit vestra dilectio, hæc penitus non admittere, nec ad vltimum ecclesiastici ordinis locum tales assumere, & si reperti fuerint, summouere. Deinde ponitur, non dici oportere, eum digamũ qui catechumenus habuerit atque amiserit vxorem, si post baptismum fuerit aliam sortitus, eámque primam videri quæ nouo homini copulata sit. Quia illud coniugium per baptismi sacramentum cum cæteris criminibus sit ablutũ. Quod cùm de vna vtique dicitur, certè si tres habuerit in veteri positus homine, vxor erit eius, quæ post baptismum quarta est, sic interpretantibus prima * virginísque hæc nomen accipiet, quæ quarto ducta est loco. Quis oro istud non videat contra Apostoli esse præceptũ, qui ait vnius vxoris virum oportet fieri sacerdotem? Sed obijcitur: quod in baptismo quicquid in homine gestum, totum fit lotum. Dicite mihi, (cum pace vestra loquor) crimina tantùm dimittuntur in baptismo, an illa quæ secundùm Dei præcepta, ac Dei instituta complentur? Vxorem ducere crimen est, aut non est crimen? Si crimen est, ergo (quod præfata venia dixerim) ipse author est in culpa, qui vt crimina committerentur in paradiso, cùm ipse eos iungeret, benedixit. Si verò non est crimen, quia quod Deus instituit nefas sit crimen appellari. Et Salomon addidit. Etenim à Deo præparatur viro vxor: quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod Deo authore legitur consummatum? Quid de talium filiis percensetur? Nunquid non erunt admittendi in hæreditatis consortio, quia ex ea suscepti sunt, quæ ante baptismum fuit vxor? Erúntque appellandi naturales, vel quia non legitimum est matrimonium (vt vobis videtur) nisi illud quod post baptismum assumitur? Ipse Dominus cùm interrogaretur à Iudæis, si liceret dimittere vxorẽ, atque exponeret fieri non debere: addidit, quod Deus coniunxit, homo non separet. Ac ne de his locutus esse credatur, qui post baptismum vxores sortiuntur, meminerint hoc & à Iudæis interrogatum, & Iudæis esse responsum. Quæro, & sollicitus quæro si vna eadémque sit vxor, qui ante catechumenus, postea fidelis fit, filiósque ex ea cùm esset catechumenus susceperit, & postea alios cùm fidelis: vtrum sint fratres appellandi, an non habeant postea defuncto patre hæreditatis consortium, quibus filiorum nomen regeneratio spiritualis dicitur abstulisse. Quod cùm ita iudicare atque sentire absurdum est, quæ ratio est, hoc malum defendi, & vacua magis opinione iactari, quam aliqua authoritate roborari, cùm non possit inter peccata deputari, quod lex præcepit, & Deus coniunxit, & lex iungit? *Item.* Nuptiarum copula quia Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum: & peccatum non est, quod inter peccata deputari omnino non debet, eritque integrum æstimare, aboleri non posse prioris nomen vxoris, cùm non dimissum sit pro peccato, quia ex Dei sit voluntate completum.

Ep. 22. cap. 1. — *Leuit 21.* — * opponitur *orig.* — *Ibid. cap. post 26 c. eiusdem.* — * virginis què nomen. — *1. Tim. 3. Tit. 1.* — *Genes 2.* — *Prouerb 19.* — *32. q. 1. c. Nunquid.* — *Matth. 19.* — *Ibid. paulò post*

Quòd lenocinium facit, qui quæstuaria mancipia habuerit. Quartus liber Pandectarum, titulo ij.

¶ CAP. 304.

Lenocinium facit qui quæstuaria mancipia habuerit. Sed & qui in liberis hunc quæstum exercet, in eadem causa est, siue autem hoc principaliter negotium gerat, siue alterius negotiationis accessione vtatur: vt puta si caupo fuit vel stabularius, mancipia talia habuit ministrantia, & occasione ministerij quæstum facientia: siue balneator fuerit vel (vt quibusdam prouinciis fit) in balneis ad custodienda vestimenta conducta habent mancipia.

Vt Lenones in ciuitatibus non sint. Nouellarum Constitutio. xxxi. cap. primo.

¶ CAP. 305.

Hæc constitutio iubet neminem lenonem esse, neque in vrbe imperiali, neque in prouinciis: & hoc prohibere debent prætores & præsides. Vltimo tamen supplicio subijciuntur, qui contra constitutionis normam lenones esse ausi sunt. Omnia autem instrumenta & fideiussiones apud lenones interpositas, vel à lenonibus factas, contra bonos mores, infirmas atque inualidas esse constitutio iubet.

Vt quæ suum vel alienum corpus vendiderit, nec in fine communicet. Eliberitanum concilium, cap. xij. ¶ CAP. 306.

Mater aut parens, vel quælibet fidelis si lenocinium exercuerit, eo quod alienum corpus vendiderit vel * suum, placuit nec in fine communicandam. * potius *orig.*

Quòd turpitudo dantis est non accipientis, in hoc quod meretrici datur. Pandectarum lib. xii. titul. iiij. ¶ CAP. 307.

Quod meretrici datur repeti non potest, vt Labeo & Marcellus scribunt, sed noua ratione, id est non quia vtriusque turpitudo versatur, sed solius dantis: illius est enim turpiter facere, quòd sit meretrix, non turpiter accipere cùm sit meretrix.

Quòd adhærens meretrici vnum corpus efficitur. Ambrosius in epistola prima ad Corinthios. *In cap. 6. post med.*

¶ CAP. 308.

Qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur. Hoc dicit, quia qui contaminationi se admiscet, vnum fit cum eo cui se admiscet. Fornicatio enim ambos vnum facit, vt quomodo in natura, sic & in macula vnum sint.

De correptione cuiusdam episcopi prostitutis consentientis. Honorius Petro episcopo Syracusano.

¶ CAP. 309.

Quorundam relatione didicimus quòd in

causis criminalibus tua fraternitas miscetur, & quòd sacris canonibus interdictum, non tantũ lectionibus, quantùm etiam ipsis quotidianis vsibus scire proculdubio coarctatur. Nã & hoc pari modo ab ea incautius gestum fuisse audiuimus, quia cum ccc. & amplius prostitutis hora iam penè prandij elapsa ad eminentissimum filium nostrum præfectum in balneo constitutum sit profecta, & concateruata pestiferis præfatarum malè viuentium vocibus imminebat, vt his qui super eas curator pridem fuerat constitutus, ab eis modis omnibus tolleretur, & alter in eius loco nihilominus subrogaretur, Et si ita est, deflere potius libuit, quàm ista corrigere. Sed ne tale tantúmque flagitium diu videretur permanere inultum, quia & actum est, sacerdotali contrarium, simul & vitæ habitui inimicum, quid de hoc fieri debeat veritate patefacta, filio nostro Cyriaco diacono iniunximus, quatenus ea quæ illicita & contra pudoris reuerentiam perpetrantur, ense canonico iuxta ecclesiasticam disciplinam radicitus amputentur.

Quòd maior sit fornicatio post euangelium, quàm sub lege. Hieronymus super Iesu naue, Homilia v. ¶ CAP. 310.

Origenes in 5. ca. Iesu Naue Hom. 5 ex interpretatione Hiero aut potius Ruffini.

Multò maioris opprobrij est, qui post euangelium, quàm qui sub lege positus fornicatur: quia iste tollens membra Christi facit membra meretricis. Denique iam nemo reum stupri te arguit, sed sacrilegij scelere condemnat.

De prohibitione meretricum. Augustinus lib. quæstionum Deuteronomij, cap. xxxvij. ¶ CAP. 311.

Quæst. 37. ad Deut. cap 23 lib. 7. quæstionum.

32 q 4 cap. meretrices. Meretrices esse, & ad meretrices accedere prohibet Dominus, quarum publicè vænalis est turpitudo. In Decalogo autem mœchiæ nomine non videtur hoc apertè prohibuisse, quoniam mœchia non nisi adulterium intelligi solet.

De pœna eius quæ defuncto marito clanculò concepit. Nouellarum constitutionum xxxviij. cap. ij. ¶ CAP. 312.

Si mulier defuncto marito, antequam annus legitimus transeat ad secundas quidem nuptias non migrauerit, more autem meretricum ab aliquo stuprata conceperit & pepererit, vt sit clarum id quod natum est, defuncti mariti non esse: easdem pœnas patiatur quas ex superiori constitutione patitur ea, quæ ante tempus legitimum nuptias secundas contraxit.

Quòd adhærens meretrici vnum corpus cum illa efficitur. Sermo Augustini de tribus charitatibus, qui sic incipit, De charitate nobis. ¶ CAP. 313.

Sermone 52. de tempore.

1. Cor. 6. Nescitis quoniam qui adhæret meretrici vnũ corpus est? Et testimonium de scriptura dedit, *Genes. 2.* quòd scriptum est, Erunt duo in carne vna. Dictum est enim hoc diuinitus, sed de viro & vxore, vbi licet, vbi concessum est, vbi honestum est, non vbi turpe, non vbi illicitum, non vbi omni ratione est damnabile. Sicut autem vna fit caro in permixtione licita viri & vxoris, sic vna fit caro in permixtione illicita meretricis & *Aliquantò post.* amatoris. *Item.* Qui non habent vxores, sunt quasi meretricum licentius amatores. Ideò dixi, quasi, quia & ipsi damnantur, si iam sunt fideles.

De mulieribus quæ fornicatæ partus suos necant. Cap. xxi. ¶ CAP. 314.

De mulieribus quæ fornicantur, & partus suos necant, sed & de his, quæ agunt secum vt vtero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio vsque ad exitum vitæ eas ab ecclesia remouet. Humanius autem nunc definimus vt eis decem annorum tempus pœnitentia tribuatur.

Ne presbyter secundis nuptiis intersit. Ex concilio Neocæsariensi quod prius fuit Nicæno, cap. vij.

¶ CAP. 315.

Presbyterum connubio secundarum nuptiarum interesse non debere maximè cùm præcipiatur secundis nuptiis pœnitentiam tribuere, quis erit presbyter qui propter conuiuium illis consentiat nuptiis? *31. q 1. cap. de his qui frequenter.*

De his qui de virginitate superbiunt. Ex concilio Gangrensi, cap. x. ¶ CAP. 316.

Si quis propter Deum virginitatem professus in coniugio positos per arrogantiam vituperauerit, anathema sit. *dist 30. ca si quis propter Deum.*

Ne mulier spretis nuptiis à viro discedat. Ibidem cap. xiiii. ¶ CAP. 317.

Si qua mulier derelicto viro discedere voluerit, soluto vinculo coniugij nuptias contemnendo, anathema sit. *dist 30. c. si qua mulier.*

De eodem. cap. xv. ¶ CAP. 318.

Si quis dereliquerit proprios filios, & non eos aluerit, & (quod pietatis est) necessaria non præbuerit, sed sub occasione continentiæ negligendos putauerit, anathema sit. *dist. 30. ca. si quis dereliquerit.*

Ne filii occasione religionis parentes suos despiciant. Ibidem, ca. xvi. ¶ CAP. 319.

Si qui filij parentes, maximè fideles deseruerint occasione Dei cultus, hoc iustum esse iudicantes, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, vt ipsum in eis venerentur, quòd fideles sint, anathema sit. *dist. 30. c. si qui filij.*

Caput mulieris tonderi non debere. Cap. xvii.

CAP. 320.

Quæcunque mulier religioni iudicans conuenire, comam sibi amputauerit, quam Deus ad velamen eius & ad memoriam subiectionis illi dedit, tanquam resoluens ius subiectionis, anathema sit. *dist 30. ca. quæcunque mulier. 1. Cor. 11.*

Ne quis de habitu religionis superbiat, vel noua præcepta in ecclesiam inducat. De eodem concilio. ¶ CAP. 321.

Subscriptio est episcoporum in concil. Gangren. c. 21.

Hæc autem scripsimus, non abscindentes eos, qui in Ecclesia Dei secundùm scripturas sanctũ propositum continentiæ eligunt: sed eos qui suscipiunt habitum eius, & in superbiam efferuntur aduersus eos qui simplicius viuunt. Sed & hos condemnamus qui se extollunt aduersũ scripturas, & ecclesiasticos canones, & noua introducunt præcepta. Nos autem & virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiã cum castitate & religione Deo acceptissimam

dicimus, & renunciationem sæcularium negotiorum atque actuum cum humilitate approbādo laudamus: & nuptiarum vinculum quod secundùm castitatem secum perdurat honoramus: & diuites cum iustitia & operibus bonis non abijcimus: & parsimoniam cum veste humili non reprobamus: sicut etiam ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus. Dissolutos autem in vestibus & fractos incessu non recipimus, & domos Dei honoramus & conuentus qui in his fiunt tanquam sanctos & vtiles recipimus: pietatem in priuatis domibus non concludentes, & omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus, & congregationem in ecclesia factam ad vtilitatem communem recipimus, & bona opera quæ supra vires inter fratres pauperes exercentur secundùm ecclesiasticas traditiones beatificamus, & omnia quæ conueniunt traditionibus apostolicis & sacrarum scripturarum præceptis in ecclesia fieri exoptamus.

De his qui sibi rapiunt vxores. Ex conc. Chalcedonensi, cap. xvij.

¶ CAP. 322.

Actio.15. c. 27. *32.q 2 cap. eos qui.* Eos qui sibi rapiunt vxores, vel eos qui eis auxilium præstiterint, statuit sancta synodus siquidem clerici fuerint, cadere de proprio gradu: si verò laici fuerint, anathema esse.

Vt laicus præsentibus clericis non doceat. Ex concilio Carthaginensi iiij. cui interfuit Augustinus, cap. xcviij. ¶ CAP. 323.

**iubentibus or.* Laicus præsentibus clericis, nisi ipsis * rogantibus, docere non audeat.

Ne mulier doceat. Ibidem cap. xcix.

¶ CAP. 324.

dist 23. ca. mulier. Mulier quamuis docta & sancta, viros in conuentu docere non audeat.

Ne mulier baptizet. Cap. c.

¶ CAP. 325.

Mulier baptizare non præsumat.

De viduis adolescentulis & infirmis. Cap. ci.

¶ CAP. 326.

Vt viduæ adolescentes quæ corpore debiles sunt, sumptu Ecclesiæ cuius viduæ sunt, sustententur.

De viduis quæ Ecclesiæ stipendiis sustentantur. Cap ciij. ¶ CAP. 327.

dist.81. cap. viduæ. Viduæ quæ stipendio Ecclesiæ sustentantur, tam assiduæ in Dei opere esse debent, vt & meritis & orationibus suis ecclesiam adiuuent.

Agath c. 25. *De his qui vxores suas sine causa relinquunt. Cap. xxv.* ¶ CAP. 328.

33 q. 2. cap. sæculares. Hi verò sæculares qui coniugale consortium nulla culpa grauiore dimittunt vel dimiserunt, & nullas causas dissidij probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, vt aut illicita, aut aliena præsumant; Si antequam apud episcopos comprouinciales dissidij causas dixerunt, & priùs vxores quàm iudicio damnentur, abiecerint; à communione ecclesiæ, & sancto populi cœtu, pro eo quod fidem & coniugia maculant, excludantur.

De his qui vxores suas diuortio incidente reliquerunt. Ex concilio Toletano xij. Cap. viij.

¶ CAP. 329.

Præceptum Domini est, vt, exceptâ fornicationis causa, vxor à viro dimitti non debeat. Et ideò quicunque citra culpam criminis supradicti vxorem suam quacunque occasione reliquerit, (quia quod Deus iunxit, ille separare disposuit) tamdiu ab ecclesiastica communione priuatus, & à cœtu hominum Christianorum maneat alienus, quamdiu societatem relictæ coniugis sinceriter amplectatur & foueat: * ita tamen qui iam moniti à sacerdote semel & bis térque vt corrigerentur, ad thori suæ coniugis noluerint redire consortium, ipsi suis meritis & à palatinæ dignitatis officio separabuntur, & insuper generosæ dignitatis testimonia quamdiu in culpa fuerint amissuri sunt, quia carnem suam dissidij iugulo tradiderunt. *32 q 5 cap. præceptum domini Matt 5. & 19.* **Hi tam. orig.*

De eo quòd non liceat mulieres Christianas in lanificiis aliquid obseruare. Ex concilio Martini Papæ cap. lxxvj. ¶ CAP. 330.

Non liceat mulieres Christianas aliquam vanitatem in suis lanificiis obseruare, sed dominum innocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donauit. *Cap. 75. synodorum Græcarum Marti. Bracar. episco. 26. q. 5 c. non liceat Christianis.*

De mulieribus fornicariis, & abortum facientibus. Ex eodem concilio cap. lxxviij. *cap. 77.*

¶ CAP. 331.

Si qua mulier fornicauerit, & exinde infantem qui fuerit natus occiderit, & quæ studuerit abortum facere; & quod conceptum est necare, aut certè ne concipiat elaborare, siue ex adulterio siue ex legitimo coniugio, has tales mulieres * in morte recipere communionem priores canones decreuerunt, nos tamen pro misericordia, siue tales mulieres, siue conscias scelerum ipsorum, x. annis agere pœnitentiam iudicamus. **nec in m. alia versio.*

De multinubis. Ibidem cap. lxxxi.

¶ CAP. 332. *Cap. 80.*

Si quis multis nuptiis fuerit copulatus, pœnitentiam agat, conuersatio autem & fides pœnitendi compendiat tempus.

Quòd Ecclesia non habeat gladium nisi spiritualem. Nicolaus Aluino archiepiscopo. *Idem habetur suprà c. 124.*

¶ CAP. 333.

Inter hæc sanctitas vestra addere studuit, Si cuius vxor adulterium perpetrauerit, vtrùm marito ipsius liceat secundum mundanam legem eam interficere. Sed sancta Dei Ecclesia mundana nunquam lege constringitur, gladium non habet nisi spiritualem: non occidit, sed viuificat.

De Lothario rege & examine causæ eius. Idem Radoaldo Portuensi & Ioanni Phicolensi episcopis. *In appendice epist. 2.*

¶ CAP. 334.

Lotharius rex in commonitorio profitetur VValdradam se à patre accepisse, & sororem postmodum admisisse Huberti. Vbi primùm diligenti inuestigatione inquirite, & si eundem gloriosum regem prædictam VValdradam præmissis dotibus coram testibus secundùm legem & ritum quo nuptiæ celebrari solent, per omnia inueneritis accepisse, & publica manifestatione eadem VValdrada in matrimonium ipsius ad- *31. q. 2. cap. Lotharius.*

missa est: restat vt perscrutemini, cur illa repudiata sit, vel filia Bosonis admissa. Sed quia idem gloriosus rex metu Theibergam admisisse se dicit, vos illud euangelicum recolite, quo Dominus, nolite, inquit, timere eos qui corpus occidunt. Et iterum ait: Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? In quibus dominicis sententiis considerandum est, quòd si occisores corporis timendi non sunt, contra iustitiam hominem impellentes, & lucrum totius mundi non prosit homini anima perdita: quantò minus metu vnius hominis tantus rex debuit contra diuinum præceptum in immane præcipitium mergi? In hoc certè se magis reprehensibilem ostendit, in quo amori mundi amorem Dei postposuit. Vbi nihil vobis aliud præcipimus, manifestatione sua eodem rege conuicto, nisi vt secundùm canonicam authoritatem nostra vice freti causam illius definiatis. Sin verò minimè probatum fuerit VValdradam vxorem fuisse legitimam, neque nuptiis secundùm morem celebratis per benedictionem scilicet sacerdotis, filio nostro Lothario extitisse coniunctam, suggerite illi vt non molestè ferat legitimam sibi, si ipsa innocens apparuerit, reconciliari vxorem, nec in hoc carnis voci obtemperet, sed potius diuinis præceptis obediens pudeat eum, immo pertimescat in luxuriæ stercore putrefieri, & voluntatem propriam sequendo ante tribunal Christi districtam ponere rationem. Præterea vos scire volo, quia præfata Theiberga apostolicam sedem bis & ter appellauit, & se à præfato rege glorioso questa est iniustè fuisse deiectam, & vi coactam, falsum contra se composuisse piaculum. Nam eo tempore ad Apostolicam sedem libellum appellationis suæ misit, in quo non quidem adhuc confessam, sed vt contra se falsum diceret crimen cogi sese innotuit, insuper subiūgēs quòd si amplius compulsa fuero, scitote non veritate sed timore mortis & euadēdi studio quia aliter non possum, quod voluerint dicam. Vos tamen memores estote mei hæc vobis insinuantis. Vnde præcipimus vobis, vt cùm eadem Theiberga ad condictam synodum, sicut statuimus, aduenerit, causam eius diligenti examinatione tractetis, & si ei obijcitur quòd illa crimen se aliquod admisisse confessa fuisset, & contra illa violentiam se pertulisse proclamauerit, vel si inimicos sibi iudices fuisse testata fuerit, tunc illud renouetis iudicium, secundùm æquitatis normam, vt iniustitiæ mole non opprimatur.

Matth. 10. *Ibidem 16.*





D.
IVONIS CARNOTENSIS
EPISCOPI
DECRETI PARS NONA:

DE INCESTA COPVLATIONE ET fornicatione diuersi generis. Et in qua linea fideles coniungi & separari debeant: Et de correctione & pœnitentia singulorum.

INTER QVAS PERSONAS INCESTA COPVLATIO, INTER quas legitimæ nuptiæ fiant. Liber primus institutionum, titulo decimo.

¶ CAPVT PRIMVM.

INTER eas personas quæ parentum liberorúmue locum obtinent, inter se nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel auum & neptem, vel matrem & filium, vel auiam & nepotem, & vsque ad infinitum. Et si tales personę inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeo vera sunt, vt quamuis per adoptionem parentum liberorúmue loco sibi esse cœperunt, non possint inter se matrimonio iungi, in tantum, vt etiam dissoluta adoptione idem iuris maneat. Itaque eam quæ per adoptionem filia aut neptis esse cœperit, non poteris vxorem ducere, quamuis eam emancipaueris. Inter eas quoque personas, quæ ex transuerso gradu cognationis iunguntur est quædam similis obseruatio, sed non tanta. Sanè enim inter fratrem sororémque nuptiæ prohibitæ sunt, siue ab eodem patre eadémque matre nati fuerint, siue ex alterutro eorundem. Et si qua per adoptionem soror tibi esse cœperit, quamdiu quidem constat adoptio, sanè inter te & eam nuptiæ consistere non possunt. *Post pauca.* Filiam vxorem ducere non licet: sed nec neptem fratris vel sororis ducere quis potest, quamuis quarto gradu sit. Cuius enim filiam vxorem ducere non licet, eius neque neptem permittitur. Eius verò mulieris quã pater tuus adoptauit, filiã, non videris impediri vxorẽ ducere: quia neque naturali neque ciuili iure tibi coniungitur. * Duorum autem fratrum sororúmue liberi, vel fratris & sororis iungi non possunt. *Item.* Amitam licet adoptiuam, vxorem ducere non licet. Item nec materteram, quia parentum loco habentur: Qua ratione verum est magnam quoque amitam & materteram magnam prohiberi vxorẽ ducere. Affinitatis quoque veneratione à quarumdam nuptiis abstinere necesse est: vt ecce priuignam, aut nurum vxorem ducere non licet, quia vtræq; filiæ loco sunt. *Item.* Mariti autẽ filius ex alia vxore, & vxoris filia ex alio marito vel contrà, matrimoniũ rectè contrahunt, licet habeant fratrem vel sororem ex matrimonio postea contracto natos. Si vxor tua post diuortium ex alio filiam procreauerit, hæc quidem non est priuigna tua. *Item.* Si aduersus ea quæ diximus aliqui coierint, nec vir, nec vxor, nec matrimonium intelligitur, nec dos. Itaque qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt: sed tales sunt quantum ad patriam potestatem pertinet, quales sunt hi quos mater vulgò concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur. Cum his etiam incertus est coitus, vnde solent spurij appellari * vel à Græca voce σποράδην concepti, quasi sine patre filij. Sequitur ergo vt & dissoluto tali coitu dotis exactioni locus sit.

** Ex hoc loco restitui potest §. duorum autem fratrũ. Inst. de nuptiis, qui passim corruptus legitur.*

* παρὰ τὴν σποράν à satione, & ἀπάτορες quasi &c. orig.

Vt notabilis sit, qui cùm his nuptias constituerit, cum quibus fieri non possunt. Pandectarum lib.iij. tit.ii. ¶ Cap. 2.

Si cum ea quis nuptias vel sponsalia constituerit, quam vxorem vel ducere non potest, vel fas non est, erit notatus.

De pœna eius qui incestum matrimonium contraxerit. Nouellarum constitutionum xxxii. c. j. ¶ Cap. 3.

Si quis nefarium & incestum atque damnandum matrimonium contraxit, liberos autem ex priore legitimo matrimonio non habuerit, statim suis facultatibus careat: dos quæ ei data est fisci iuribus vindicetur. Post publicationem autem & cinguli patiatur amissionem, & exilio puniatur. Quod si vilior sit, corporali quæstioni subsistat, & vxor eius contra leges easdem nupta, pœnas patiatur seculi, si nulla iusta excusetur ignorantia.

Vt liberi ex alia coniuge nati, bona incestuosi patris accipiant. c. ii. ¶ Cap. 4.

Si autem liberi sint, & incestas nuptias contraxerint, illi autem sint liberi legitimi (quod fortè ex alio matrimonio procreati sint) in pœnam patris, sui iuris fiant, & paternas accipiant facultates: sic tamen vt patri suo alimonias præbeant, & quæ necessaria sunt administrent.

Lib. 8. epistolarum epistola 66. *Quòd coniugium in quarto gradu fieri non possit.* Ambrosius Paterno. ¶ Cap. 5.

Tu copulare paras filium tuum & neptem ex filia, id est vt accipiat sororis suæ filiam. Interroga nominum religionem: nempe auunculus iste illius, illa huius neptis vocatur. *Item.* (*Ibidem paulo pòst.*) Quid est quod dubitari queat, cùm lex diuina etiam fratres patrueles prohibeat conuenire in coniugalem copulam, qui sibi quarto * copulantur gradu? Hic autem gradus tertius est, qui etiam ciuili iure à cõsortio coniugij videtur exceptus.

* sociẽtur. orig.

Quomodo gradus consanguinitatis computandi sint. Alexander ii. clericis Neapolitanis. c. lv. ¶ Cap. 6.

De parentelæ gradibus tam famosæ quæstionis apud illos scrupulum nuper etiam inter vos emersisse cognouimus: super qua nonnullos perniciosos interpretes ac disputatores contra veritatis regulam sanámque doctrinam dogmatizare dolemus. (*Psalm 1.*) Sedentes enim in cathedra pestilentiæ dictant iura quæ nesciunt, & docent illa quæ nullatenus didicerunt. Nam (vt fertur) ita generationes à duobus fratribus altrinsecus prodeuntes enumerant, vt eorum inuicem filios quartam, nepotes sextam, pronepotes octauam generationem esse perhibeant. Hoc itaque modo vnumquemque generationis gradum qui vnus proculdubio dicendus est, diuidunt, atque imperitè numerandam progeniem desecare cõtendunt. Qui nimirum nequaquam in huius fœtoris ructus pestilenter irrumperent, si sacræ pabulum scripturæ viuacis ingenij faucibus ruminarent. Nam quod duorum fratrum siue nepotum, vel deinceps vtrinque descendentiũ generationes non diuersæ dici, sed eodem ac sub vno nomine debeant vniformiter appellari, testatur liber Geneseos cùm dicit: (*Genes. vlt.*) Vixit Ioseph C. & X. annis, & vidit Ephraim filios vsque ad tertiam generationem. Filij quoque Machir, filij Manasse, nati sunt in genibus Ioseph. Porro autem si sic cognationes supputari deberet, vt vestri disputatores autumant, dum Ioseph ex vtroque filio Ephraim scilicet & Manasse nepotes haberet, nequaquam scriptura diceret, quia vidit filios Ephraim vsque ad tertiam, sed vsque ad sextam generationem. *Item.* (*Ad 6. interrog. August.*) Beatus quoque Gregorius dum super Angelorum coniugiis scriberet, hæc ferè verba deprompsit. Quædam lex in Romana Republica * præcepit, vt duorum fratrum vel sororum filius vel filia in coniugio copularentur: sed omnino cognoscitur, ex hoc coniugio sobolem non posse succrescere. Vnde necesse est, vt iam iv. vel v. inuicem generationes copulentur. In quibus nimirum verbis luce clarius patet, quia dum doctor insignis duorum fratrum soboles prohibet in matrimonio iungi, in quarta verò generatione permittit neophytos copulari: nequaquam (vt cultores peruersi dogmatis astruunt) generatio quarta in duorum fratrum filiis valet inueniri.

* permittit apud Gregorium.

Quod sex ramis consanguinitas terminatur. Isidorus etymologiarum ix. c. vi. ¶ Cap. 7.

Consanguinitas dum se paulatim propaginũ ordinibus dirimens vsque ad vltimum gradum subtraxerit, & propinquitas esse desierit, eam rursus lex matrimonij vinculo repetit, & quodãmodo reuocat refugientem. Ideò autẽ vsque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est: vt sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.

De dissidio Roberti Regis Francorum, & Bertæ coniugis ipsius. Leo nonus Henrico regi Francorum. ¶ Cap. 8.

Pater tuus Robertus laude & consultu episcoporum regni tui, Bertam matrem Odonis comitis sibi duxit vxorem: ob quam rem quoniam sibi erat carnis affinitate coniuncta, ab antecessore nostro cum episcopis, qui placito interfuerunt, * post ad sedem Apostolicam venientes cum satisfactione sumpta pœnitentia, redierunt ad propria.

* fortè addendũ est excommunicati alias sensus est integer.

Quòd nullus eleemosynis possit redimi, quin consanguinei separentur. Alexander ij. Mangiso venetensi episcopo. ¶ Cap. 9.

Huius viri causam, supra qua Apostolicam sedem consuluisti retractantes, si quomodo misericorditer coniunctam sibi illicitè consanguineam retinere posset, & orationibus, ieiuniis, ac hæreditatis & eleemosynarum se largitione redimere: nullam authoritatem comperimus qua sibi concederemus.

De pœnitentia eius qui filiam patrui corruperat. Item, Alexander ii. Berengario basiliensi episcopo. c. xii. ¶ Cap. 10.

Iste pœnitens venit ad nos, confessúsque est se filiã patrui sui corrupisse, cui quatuordecim annorũ pœnitentiã iniunximus, vt ieiunet quidẽ tribus quadragesimis. In quadragesima post Pentecosten, duobus diebus in pane & aqua in septimana: & in aduentu, tribus: & in maiori quadragesima, tribus: & abstineat se ab ingressu ecclesiæ, & à communione duobus annis.

Vt nullus de propria cognatione sibi coniugem copulet. Leo iv. episcopis Britanniæ.
¶ Cap. II.

Vt definitum est à patribus, nullus de propria cognatione coniugẽ sibi audeat copulare: alioquin anathema sit. Vnde beati iunioris Gregorij decreta eximia sunt tenenda.

Greg Papa. 2. cuius hac dere decreta paulo post sequuntur c. 19.59.60. 61.

Quàm nefarium sit consanguineis copulari. Nicolaus Ieremiæ episcopo.
¶ Cap. 12.

1.Tim.3.

Qui consanguinitatis copulas diligunt summoperè se cauere oportet, ne in laqueum diaboli cadant, quamque sit nefarium sanctimoniales, quæ mundi contempto coniugio Christo se deuouerunt, aut consobrinam vel de propria consanguinitate vxores ducere, omnibus in recta fide Christi permanentibus patet.

De obseruatione consanguinitatis. Item Carolo Archiepiscopo, & suis suffraganeis.
¶ Cap. 13.

Dixistis in quota generatione sibi fideles iungantur: nos autem in hac re generationum numerum non *definimus: sed vt suprà protulimus incunctanter obseruare monemus.

*definiuimus.

Vt iuxta gradus cognationis modus culpæ tractetur. Nicolaus Tandoni Archiepiscopo Mediolano.
¶ Cap. 14.

Eos qui cũ amitæ suæ filia vel patrui, vel auũculi (heu) fortè peccauerint, iuxta gradus cognationis statuimus modum culpæ tractari, sicuti pridem tibi per Apostolicam epistolam de his quicum spirituali matre huiusce flagitium commiserint, innotuimus.

Vt nullus de propria cognatione vxorem accipiat. Ex synodo Leonis iiij.
¶ Cap. 15.

Nullus de propria cognatione aut velatam diaconam, vel raptam vxorem accipiat.

August. q. 58 l.3 q. super Leuiticum, ad c. 18.

Quomodo intelligendum sit: Turpitudinem patris tui & matris non reuelabis. Libro iij. lectionum Augustini c. viij.
¶ Cap. 16.

Turpitudinem patris tui & matris tuæ non reuelabis. Hac locutione concubitum vetuit in his personis: ibi est enim turpitudo patris, & matris.

Ibidem q. 75 ad Leuit. c.19.

Vt qui turpitudinem sororis suæ viderit de genere suo exterminetur. August. lib. quæstionum super Leuiticum, cap. lxxv.
¶ Cap. 17.

Quicunque acceperit sororem suam ex patre suo aut ex matre sua, & viderit turpitudinem eius, vituperium est, vel improperium, & exterminabuntur in conspectu generis sui. Turpitudinem sororis suæ reuelauit, peccatum suũ accipient. Quid ait in hoc loco, viderit, nisi concumbendo cognouerit, sicut in lege dicitur: Cognouit vxorem suam, pro eo quod mixtus est ei?

Ibidem q. proxima.

Quid sit, Filij de cognatis nati morientur. c. lxxvi.
¶ Cap. 18.

35 q.7 cap. quid est.

Quid est: Quicunque dormierit cum cognata sua, sine filiis morientur, cùm filij ex huiusmodi coniunctionibus & antè nati sint, hodiéque nascantur? An hoc intelligendum est lege Dei constitutum, vt quicunque ex eis nati fuerint non deputentur filij, idest nullo parentibus iure succedant?

Vt qui vxorem fratris sui vel quam cognatus suus habuit duxerit, anathema sit. Decretum Gregorii iunioris.
¶ Cap. 19.

Cõc Rom. 1. sub Greg. 2 c. 5 7 8 9.

Si quis fratris vxorem duxerit in coniugium, anathema sit. Si quis nouercam aut nurum suã duxerit, anathema sit. Si quis consobrinam suã duxerit, anathema sit. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit in coniugium, anathema sit.

Vt christiani inter se non copulentur vsque dum se cognouerint. Zacharias Papa, c.1.
¶ Capvt 20.

Greg. 1 ad 6. interrogationem August.

Asserentibus hominibus de Germaniæ partibus, didici, quòd beatæ recordationis Papa Gregorius, dum eos ad religionem Christianitatis diuina gratia illustraret, licentiam illis dedisset in quarta sese copulari generatione. Quod quidem Christianis licitum non est, dum vsque se cognouerint. Sed dum rudes erant inuitandi ad fidem, quanquam minimè scriptum reperimus, non ambigamus.

Quæ personæ ob agnationem duci non possint. c. 5.
¶ Cap. 21.

Vt consobrinam, neptem, nouercam, fratris vxorem vel de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, nullus audeat sibi in coniugio copulare. Si quis huic tali nefario coniugio cõuenerit, & in eo permanserit, sciat se Apostolica authoritate anathematis vinculis esse innodatum, & nullus sacerdos tribuat ei communionem. Si verò conuersus diuisúsque fuerit à tali copulatione, dignæ pœnitentiæ submittatur, vt sacerdos loci considerauerit.

Quòd maledicti appellantur & infames, qui consanguineas ducunt vxores. Calixtus Papa Episcopis Galliæ, cap. iiij.
¶ Cap. 22.

Epist. 1 ad episc. Gall.

Coniunctiones consanguineorũ fieri prohibetur, quia has & diuinæ & sæculi fieri prohibent leges. Leges ergo diuinæ hoc agentes, & eos qui ex eis prodeunt non solùm eijciunt, sed & maledictos appellant. Leges ergo sæculi infames tales vocant, & ab hæreditate repellunt. Nos verò sequentes patres nostros, infamia eos notamus & infames esse censemus, quia infamiæ maculis sunt aspersi. Nec eos viros, nec eorum accusationes quos leges sæculi reijciunt, suscipere debemus. Eos autem consanguineos dicimus, quos diuinæ & Imperatorum, ac Romanorum, atque Græcorum leges consanguineos appellant, & in hæreditatem suscipiunt, nec repellere possunt. Talium enim coniunctiones nec legitimæ sunt, nec manere possunt, sed reijciendæ sunt.

Paulò pòst.

Quòd infamia incestuosorum deleri non potest, peccata autem possunt. Item c. v.
¶ Cap. 23.

Quisquis non est legitimè coniunctus, vel absque dotali titulo ac benedictione sacerdotis constat copulatus: sacerdotes, vel legitimè coniunctos criminari, vel in eos testificari non potest. Quoniam omnis incesti maculâ pollutus infamis est, & accusare supradictos non permittitur. Non solùm ergo hi reijciendi sunt & infames efficiuntur, sed etiam omnes eis consentientes. Similiter de raptoribus, vel eis qui se-

niores impetunt fieri censemus. Hos verò sæculi leges interficiunt, sed nos præeunte misericordia sub infamiæ nota ad pœnitentiam recipimus. Ipsam quoque infamiam delere non possumus qua sunt aspersi, sed animas eorum per pœnitentiam publicam & Ecclesiæ satisfactionem sanare cupimus: quia manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.

De decennali pœnitentia eorum qui consentiunt incestuosis. Ancyranum conc. c. xxiv.

¶ CAP. 24.

Quidam sponsam habens, sororem eius violauit, & grauidam reddidit, postmodum desponsatam duxit vxorem. Illa verò quę corrupta est, laqueo se peremit. Hi qui fuerunt conscij post decennem satisfactionem iussi sunt suscipi, secundùm gradus pœnitentiæ constitutos.

Etiam conc. Epaunensi c. 30. & Arelat. 3 c. 2 35. q. 2. & 3. c. de incestis coniunctionibus

Qui sint incestuosi. Ex concilio Agathensi, c. lxi.

¶ CAP. 25.

* Incestos nullo coniugij nomine deputandos (quos etiam designare funestum est) hos esse censemus: Si quis relictam fratris carnali coniunctione polluerit: si quis frater germanam vxorem acceperit: si quis nouercam duxerit: si quis consobrinæ se sociauerit: si quis relictæ vel filiæ auunculi misceatur, aut patrui filiæ vel priuignæ suæ: aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit, concubitu polluerit aut duxerit vxorem. *Item.* Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.

* Incestuosos.

Eodem cap.

Lib. 12. epi. 31 vel 32.

Quòd vsque ad septimam generationem coniungi non debeant fideles. Gregorius Fœlici episcopo.

¶ CAP. 26.

35. q. 2. & 3. c progeniē.

Progeniem suam vnumquemque, de his qui fideliter edocti sunt, & iam firma radice plantati stant inconuulsi, vsque ad septimam obseruare decernimus generationem: & quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad huius copulæ non accedere se societatem præsumant, nec eam quā aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugio ducere vlli profectò Christianorum licet, vel licebit: quia incestus est talis coitus & abominabilis Deo & cunctis bonis hominibus. Incestuosos verò nullo coniugij nomine deputandos à sanctis patribus dudum statutum esse legimus.

Beda c. 27. lib. 1.

Quod duobus fratribus duas sorores liceat vxores accipere. Beda in historia Anglorum c. xxxiv. & v. interrogatio Augustini.

¶ CAP. 27.

Si debeant duo germani fratres singulas sorores vxores accipere, quæ sunt ab illis longa progenie generatæ. *Responsio Gregorij.* Hoc fieri modis omnibus licet. Nequaquam enim in sacris eloquiis inuenitur, quod huic capitulo contradicere videatur.

Greg ibidē c. 6.

Quod cum nouerca misceri grāde sit scelus. c. xxxvij. Gregorius respondet Augustino.

¶ CAP. 28.

Leuit. 18.

Cum nouerca misceri graue facinus est: quia in lege scriptum est, Turpitudinem patris tui non reuelabis: neque enim turpitudinem patris filius reuelare potest: sed quia scriptum est, Erunt

Genes. 2.

duo in carne vna, qui turpitudinem nouercæ quæ vna caro cum patre fuit, reuelare præsumpserit, profectò patris turpitudinem reuelabit. Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quia per * coniunctionem priorem caro fratris fuerit facta: pro qua re etiam Ioannes Baptista capite truncatus est, & sancto martyrio est * consummatus.

* coniugem.
Matth 14.
* coronatus. *orig.*

Vt cum his qui se incesta pollutione commaculant, nulli Christianorum nec victum sumant. Ilerdense conc. c. iv.

¶ CAP. 29.

Hi qui incesta pollutione se commaculant, placuit, vt quousque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, vsque ad missam tantùm catechumenorum in ecclesia admittantur, cum quibus etiam nec cibum sumere vllum Christianorum (sicut iussit Apostolus) oportet.

1. Cor. 5.

Quòd idem sentiendum sit de materna linea consanguinitatis, quod de paterna. Nicolaus Carolo Archiepiscopo Maguntino.

¶ CAP. 30.

De consanguinitatis propinquitate atque cōiunctione, quam apud vos fieri dicitis, quam illicitam iudicamus: hoc de materna sentimus linea, quod & de paterna: quibus talem coniunctionem modis omnibus inhibemus.

Vt incestuosis post dignam pœnitentiam liceat matrimonia contrahere, ne absorbeantur. Nicolaus Carolo Archiepiscopo & eius suffraganeis.

In rescr. tit. 17. c. 5. Idem habet conc. Vvormat. c. 33.

¶ CAP. 31.

Si quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut cum his personis de quibus sacra scriptura prohibet: si dignam egerit pœnitentiam & castitatis non valuerit continentiam sustinere, liceat ei legitimam in coniugio vxorem accipere. Similiter mulier quæ tali fuerit scelere lapsa, vt fornicationis non perducatur ad chaos, perficiat. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus solummodo statuimus.

33. q. 2. c. Si quis cum.

*Vt coniugium occasione consanguinitatis non soluatur. Alexander ij. Guilielmo de * Monasteriolo.*

¶ CAP. 32.

* Monstrolico *legit Gratia.*

Multorum relatione cognouimus te propriā velle abiicere vxorē & adhærere alteri, prætendentem consanguinitatis occasionem. Vnde Apostolica authoritate interdicendo mandamus tibi, vt hanc quam nunc habes vxorem nullatenus præsumas dimittere vel aliam ducere, donec Episcoporum religiosorum concilium causam istam examinauerit.

35 q. 6. cap. multorum.

*Vt propter consanguinitatem nisi iuramento probatam, non soluatur coniugium. Vrbanus ij. * Cyriaco Genuensi episcopo.*

¶ CAP. 33.

* Richardo Ianuen. episcopo *habet Gratia.*

Notificamus tibi, vt si tres aut duo ex propinquioribus iam defunctæ vxoris eius qui accusatur vel viuæ, hanc propinquitatem iureiurando firmauerint, vel très aut duo ex antiquioribus Genuensibus quibus hæc propinquitas nota est, qui bonæ famæ & veracis testimonij sint, remoto amore, timore, pretio, & omni malo studio, supradicto modo consanguinitatem firmauerint, sine omni mora coniugia dissoluātur. Quod si propinqui vel extranei verbis tantum propinquitatem testantur, & iuramento probare vel noluerint vel nequiuerint, coniu-

35 q. 6. c notificamus.

gium nullatenus dissoluatur, sed competens è pœnitentia propter infamiam vel peccati maculam (si forte in hac re contraxerint aliquam) iniungatur.

30 q 1 ita. * Gratia. sic habet: item est inter fratres & filios spirituales gratuita & sancta, &c.

Quòd spiritualis propinquitas sit inter compatrem & filiolum. Responsio Nicolai ad consulta Bulgarorum. cap. iij. ¶ CAP. 34.

Ita diligere debet homo eum qui se suscipit ex sacro fonte, sicut patrem.* Est enim inter patres & filios spirituales gratuita & sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritualis proximitas. Vnde inter eos non arbitramur esse quodlibet posse coniugale connubium, quandoquidem nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filij sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt. *Item.* Si inter eos non contrahitur matrimonium quos adoptio iungit, quantò potius à carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit? Longè igitur congruentius filius patris mei vel frater meus appellatur is, quem gratia diuina, quàm quem humana voluntas vt filius eius vel frater meus esset, elegit, prudentiúsque ab alterna commixtione secernimur.

In rescr. tit. 19. c 4.

Ne quis uxore defuncta commatrem eius ducat. Idem Salomoni Constantiensi episcopo. ¶ CAP. 35.

30 q 4. c. Sciscitatur. Sciscitatur à nobis sanctitas vestra, si aliquis homo duas commatres spirituales habere valeat, vnam post alteram: in quo fraternitas tua meminisse debet scriptum esse, erunt duo in carne vna. *Genes. 2.* Itaque cùm constet quia vir & vxor vna caro per connubiũ efficiuntur, restat nimirũ virũ cõpatrem cõstitui illi mulieri, cuius matrimonio assumpta vxor commater esse videbatur: & idcircò liquet virum illi fœminæ non posse iungi in copula, quæ commater erat eius, cum qua idem vna fuerit caro effectus.

Ibid c. 5. Etcò Vvormat. c 34. 33. q 2. c. Si quis

Ne quis filiolam vel commatrem ducat uxorem. Idem Carolo Archiepiscopo & eius suffraganeis. ¶ CAP. 36.

Si quis * cum matre spirituali fuerit fornicatus, anathematis (vt scitis) percutitur ictibus. Similiter autẽ & illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit, cum sacro chrismate fuerit vncta, fornicationis perpetrauerit scelus: legitimam tamen si habuerit, non dimittere cogatur vxorẽ.

* cũ cõmatre.

De quodam, qui concubinæ suæ consanguineam, vt alteri desponsatam, duxerit vxorem. Alexãder ij. Constantino Aretino episcopo. ¶ CAP. 37.

Scripsisti quendam ecclesiæ tuæ filium concubinæ suæ in quarta linea consanguineam, alterius scilicet desponsatam pro coniuge duxisse. Iurauerat enim eam (vt asseris) in matrimonium * prius ducere sponsus: iurauit etiam illam in fornicatione retinere incestuosus. *Item infra.* Apostolica fulti authoritate tibi iudicando consuluimus, sponsam proprio sponso concedi, illi videlicet qui nulla consanguinitatis copula iungitur sibi. Quoniam misericordius periurij pœna, quæ pro vitandis culpis contrahit, indulgenda est, quàm pœna periurij cum perseuerantia criminis vel delicti. Tribus denique peccator iste notatur criminibus, periurio, adulterio, incestu. Periurio namque, quia quod obseruare legaliter non potuit, sine iudicio parentum, vel iudicum temerè iurare præsumpsit. Adulterio quidem, quoniam alterius sponsam viuente proximo concupiuit & seduxit. Incestu, quia contra decreta patrum vicinius quàm liceat permiscere sanguinem sanguini, non veretur. *Item infra.* Nosti quid sacri canones super huiuscemodi homine decreuerunt: videlicet, si laicus, vt non promoueatur ad clerum: si clericus, vlterius non ascendat.

* propri⁹ Victor.

Quòd mulier affinitatem contrahit cum omnibus cognatis viri sui. Ex epistola Gregorij. ¶ CAP. 38.

Gregorius seruus seruorum Dei Venerio Caralitano. Fraternitatis tuæ studiosæ sagacitati frater amande quas debeo refero grates, quoniam quæsisti quæ debuisti, iucundum reddidisti me. Vnde placidè ad inquisita respondeo. Sedem Apostolicam consulere decreuisti, si mulier copula nuptiali extraneo viro iuncta, cognationi eius pertineat, si eo defuncto cognatio maneat eadem, vel si sub alio viro cognationis vocabula dissoluantur: vel si susceptæ soboles possint legitimè ad prioris viri cognationis trãsire copulam. Est enim verbum domini validum & forte, est durabile, est perseuerabile, est immutabile, non momentaneum, non transitoriũ. Ait autem per se ipsa veritas, quæ Deus est, & verbum Dei: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Antequam Deus in carne inter homines appareret, eo inspirante dixit Adam: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Cui non contradixit dominus. Deinde cùm veritas orietur de terra in terram, & * visibilis in humanitate apparuit, interrogatum est, si licitum esset homini vxorem relinquere. Quod prohibens fieri vetuit, præterquam si fornicatio sola excluserit copulam maritalem. Vnde protulit statim in mediũ eandem ipsam sententiam, quam ante sæcula manens cum patre verbum inspirauerat in Adã, ipse confirmans, quod ipse protinus protulit homo: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem suam & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Si vna caro fiunt, quomodo poterit aliquis eorum propinquus pertinere vni, si non pertineat alteri? Quod minimè fieri posse credendum est, nam vno defuncto in superstite affinitas non deletur, nec alia copula coniugalis affinitatem prioris copulæ soluere potest. Sed neque alterius coniunctionis sobolem placet ad ipsius affinitatis prioris siquidem transire consortium: pro eo quòd verbum domini validum est & forte, & vt inquiens dixit propheta, Verbum domini manet in æternum. Et alius Propheta. Quoniam ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt: statuit ea in sæculum & in sæculum sæculi, præceptum posuit & non præteribit: Nam potest per verbum suum atque præceptum efficere duo in carnem vnam, & masculum & fœminam, qui innumeram multitudinem sexus vtriusque non destitit secum facere vnum: sicut per se veritas dixit: Non pro his tantùm rogo, sed etiam pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis vnum sint. Si quis ergo teme-

35. q. 10. c. fraternitatis.

Matth. 24.

Genes. 2.

Psal. 84.

* inuisibilis.

Matth. 19.

Genes. 2.

Esaie 40. Psal. 148.

Ioan. 17.

rario ausu & sacrilego in defuncto quærit propinquitatem, vel sub altero affinitatis vocabula dissipare, vel susceptam sobolem alterius copulæ credens legitimè sociari, propinquitatis prioris: hic negat Dei verbum validum esse & forte. Et qui tam facilè vel tam velociter quærit dissoluere, hic non credit verbum domini manere in æternum. Confice terram ex quatuor locis distantibus magna intercapedine, & confectam & conglutinatam finge, cuiuscunque figuræ vel immensitatis corpus quod volueris, &c.

Quæ sequũtur inuenies apud Gratia.

Cap. 32. *Quòd nulli liceat de propria cognatione vxorem ducere. Ex concilio Vvormaciensi, c. xi.*

¶ Cap. 39.

35. q. 3. c. in copulatione.

In copulatione fidelium, generationum numerum non definimus: sed id statuimus vt nulli liceat Christiano de propria consanguinitate vel cognatione vxorem accipere, vsque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur.

Ex conc. Epaunensi, c 30.

De incestuosis. Ex concilio Agathensi. c. lxi.

¶ Cap. 40.

35 q. 2. c. de incestis.

De incestis coniunctionibus nil prorsus veniæ reseruamus, nisi cùm adulterium separatione sanauerint. Et si sanare noluerint, anathematizentur.

Gratia. tribuit Aureliā. conc 35 q. 8. c. incestuosi.

Item, de eadem re. ¶ Cap. 41.

Incestuosi dum in ipso detestando atque nefando scelere manent, nō inter fideles Christianos, sed inter gentiles aut catechumenos habeantur, id est cum Christianis non sumant potum nec cibum, sed soli hoc faciant, non osculentur, aut salutentur ab eis. Sed si suis sacerdotibus inobedientes extiterint, & à tam nefando scelere se segregare, atque ad publicam pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur qui spiritu periclitantur immundo, vel etiam inter eos de quibus per se veritas ait: Si te non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et si alter eorum præuentus fuerit, alter quamdiu viuat grauiter pœniteat, & sine spe coniugij maneat.

Matth. 18.

Toleta. cõc. 2. c. 5.

Ne aliquis fidelium ad propinquam sanguinis sui accedat. Ex concilio Toletano xi. c. v.

¶ Cap. 42.

Nam & hæc salubriter præcauenda sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui vsquequò affinitatis lineamenta successione generis cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari: quoniam scriptum est: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius. Et iterum, Anima quæ fecerit quippiam ex istis peribit de medio populi sui. Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.

Leuit. 18. Ibidem.

Quòd æqualiter non coniungendus sit in matrimonio vir suis consanguineis, & vxoris. Ex decretis Iulij Papæ.

¶ Cap. 43.

35 q. 2. c. æqualiter.

Æqualiter vir non coniungitur in matrimonio consanguineis suis, & consanguineis vxoris suæ.

Quòd vno modo parentela viri & mulieris in coniunctione consideranda sit. Ex concilio Manticeno, c. iij. ¶ Cap. 44.

Cõc. Cab. lo. 2 c. 29.

Sanè consanguinitas quæ in proprio viro obseruanda est, hæc nimirum in vxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est, & quia constat eos duos fuisse in carne vna, communis illis vtraque parentela esse credenda est, sicut scriptum est, Erunt duo in carne vna.

Genes. 2.

In quo geniculo abstinendum sit. Ex dictis Isidori.

¶ Cap. 45.

Isido. c. 6. li. 9. Etym.

Isidorus in etymologiis suis vsque ad septimā generationem consanguinitatis abstinendum, & sic legitimo connubio coniungendum asseruit. Inde reor eum fecisse, quòd genealogiæ seriem retexens, quousque ordinem numerandi perducere posset, eò cognationem sanguinis seruandam æstimauit: sicque ad reuocationem generis & amicitiæ ius confirmandum, redire ad connubium sanciuit, quando iam cognationis ordo numerari desinit.

Ibidem c. 5.

In quo ramusculo consanguinitatis legitima connubia fieri poßint. Ex dictis eiusdem.

¶ Cap. 46.

35. q. 4. & 5. c. series. & c. consanguinitas.

Beatus Isidorus de consanguinitate sic loquitur, cuius series septem gradibus dirimitur, hoc modo: filius & filia quod est frater & soror, sit ipse truncus. Illis seorsum seiunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi, nepos & neptis primus, pronepos & pronepotis secūdus, abnepos & abneptis terti⁹, adnepos & adnepotis quartus, trinepos & trineptis quintus, trinepotis nepos, & trineptis sextus. Hæc consanguinitas dum se paulatim in propaginum ordinibus dirimens, vsque ad vltimum gradum sese subtraxerit, & propinquitas esse desierit, tunc primum lex in matrimonij vinculum recipietur, & quodammodo reuocabit fugientem. Ideo autem vsque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, vt sicut in sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.

Ibidem c. 6.

Quòd consanguinitas vsque ad septimum geniculum conseruari debeat. Conc. apud Theodonis villam habito, c. viii. ¶ Cap. 47.

Nullus fidelium vsque ad affinitatis lineam, id est vsque in vij. progeniem consanguineam suam ducat vxorem, vel eam quoquo modo incesti macula polluat. Si quis verò hoc temerè præsumpserit, vt incestum luat, ac publicè iuxta canonicos gradus pœniteat.

Item de eadem re. Ex conc. Lugdunensi, c. x.

¶ Cap. 48.

35. q. 2 & c. nulli,

Nulli, ex propinquitate sui sanguinis vsque ad vij. gradum vxores ducant, neque sine benedictione sacerdotis. * Qui autem ante innupti erant, à sacerdote benedicti, nubere audeant.

** Gratia. sic habet. qui autē r[...] pturi eru[...] à sacerd[...] te, &c.*

Item de eadem re. Ex concilio Aurelianensi, c. x.

¶ Cap. 49.

Gratian tribuit Iu[...] Papæ 35. 3. c. nullu[...]

Nullum in vtroque sexu permittimus ex propinquitate sanguinis, vel vxoris, vsque in septimum generis gradum vxorem ducere, vel incesti macula commaculari.

De

De eadem re. Ex conc. Agripin. c. vi.
¶ CAP. 50.

In ſeptem gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, vltra quos nec affinitas inuenitur, nec ſucceſſio poteſt amplius prorogari.

Item de eadem re. Ex conc Meldenſi, c. vii.
¶ CAP. 51.

35 q. 2. c de affinitate. De affinitate namque ſanguinis per gradus cognationis, placuit vſque ad ſeptimam generationem obſeruare. Nam & hæreditas rerum per legales definitiones ſancit vſque ad ſeptimum gradum prætendere hæredum ſucceſſionem. Non enim ſuccederent, niſi eis de propagine cognationis deberetur.

Annectitur ad calcem Ilerden. cōc. *Vt duobus vel tribus teſtibus teſtimonia dicentibus conſanguinei ſeparentur. Ex conc. Ilerdenſi. c. xx.*
¶ CAP. 52.

35 q. 6. c. ab iſto *Deut. 17. & 19.* *Matth. 18.* *2. Cor. 13.* Vt omnis controuerſia quæ de eccleſiaſticis rebus fit, ſecundùm diuinam legem ſub duobus vel tribus teſtibus terminetur. Teſtis eſt dominus cum dicit, Non vnus ſtet contra alium, ſed in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.

Quid faciendum ſit ſi nemo conſanguinitatem ſacramento firmare voluerit. Ex regiſtro Vrbani Papæ ii. ¶ CAP. 53.

35 q. 6 cap. Si duo. Conuenit Troiæ in Apulia concilium epiſcoporum fere lxxv. Abbatum xij. in quo actum eſt de conſanguinitatis linea coniugatis, cùm nemo tamen dictum ſacramenti vellet aſſertione firmare: præceptum eſt vt epiſcopi quorum diœceſiani ſunt, eos per congrua ſpatia trina aduocatione conueniant. Tunc ſi duo vel tres viri conſanguinitatem iureiurando firmauerint, vel ipſimet fortè confeſſi fuerint, coniugia diſſoluantur. Si verò neutrum contigerit, Epiſcopi eos per baptiſmum, per fidem, per iudicium Chriſti, in vera obedientia obteſtentur, quatenus palam faciant, vtrum ſe (ſicut fama eſt) conſanguineos recognoſcant: ſi negauerint, ſibi ipſis relinquendi ſunt: ita tamen vt ſi aliud in cōſcientia habeant, ſe à liminibus eccleſiæ, à corpore & ſanguine domini, à fidelium communione nouerint ſegregatos, atque infames effectos, donec ab inceſti facinore deſinant. Si ſe epiſcoporum iudicio ſegregauerint, ſi iuuenes ſunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur.

In qua linea conſanguinitas ſeparari debeat. Ex concilio Cabilonenſi, cap. 5.
¶ CAP. 54.

Mogūt. cōc. ſub Carolo magno c. 54. 35 q. 2. c contradicimus. Contradicimus quoq; vt in quarta vel quinta, ſextáque generatione nullus amplius coniugio copuletur. Vbi autem poſt interdictum, factum fuerit inuentum, ſeparetur.

In qua linea S. Gregorius Anglorum genti coniugia permiſerit. Ex epiſt. Ioannis Conſtantinopolitani ad Fœlicem epiſcopum Siciliæ.
¶ CAP. 55.

35. q. 2 cap. quædam lex Romana Greg ad 6. interroga. Auguſt Cātuar epiſc. Gregorius Papa requiſitus ab Auguſtino Anglorum gentis epiſcopo quota generatione fideles debeant copulari, diſpenſatoriè ſic reſcribit. Quædam lex in Romana repub. permittit, vt ſiue frater & ſoror, ſeu duorum fratrum germanorum, vel duarum ſororum filius & filia miſceantur, experimento didicimus, ex tali coniugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere. Vnde neceſſe eſt, vt iam quarta vel quinta generatio fidelium licenter ſibi iungantur.

Quòd S. Gregorius hoc Anglorum genti ſpecialiter non generaliter permiſit. Ibidem.
¶ CAP. 56.

Verùm poſt multum temporis à Fœlice Meſſanæ Siciliæ præſule requiſitus, vtrum Auguſtino Gregorius ſcripſerit, vt Anglorum quarta generatione contracta matrimonia minimè ſoluerentur, humillimus pater Gregorius inter cætera talem dedit rationem: Quod ſcripſi Auguſtino Anglorum gentis Epiſcopo alumno videlicet (vt recordaris) tuo, de conſanguinitatis coniunctione, ipſi & Anglorum genti quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat metuendo auſteriora recederet, ſpecialiter & non generaliter certiſſimè ſcripſiſſe me cognoſcas. Vnde & mihi omnis Romana ciuitas teſtis exiſtit: nec ea intentione hæc illis ſcripſi mandata, vt poſtquàm firma radice in fide fuerint ſolidati, ſi infra propriam conſanguinitatem inuenti fuerint, non ſeparentur, aut infra affinitatis lineam, id eſt vſque ad ſeptimam generationem iungantur: ſed quòd adhuc illis neophytis exiſtentibus eis primum illicita conſentire, & eos verbis ac exemplis inſtruere, & quæ poſt de talibus egerint rationabiliter & fideliter excludere oporteret. Nam iuxta Apoſtolum qui ait, lac dedi vobis potum, non eſcám, iſta illis modò, non poſteris (vt præfixum eſt) temporibus tenenda indulſimus: ne bonum quod infirma radice plantatum erat exureretur, ſed aliquātùm firmaretur, & vſque ad perfectionem cuſtodiretur. Hæc ergo ego Ioannes idcirco perſtringendo curaui, vt hi qui occaſione nouæ diſpenſationis illicita matrimonia contra hunc eruditiſſimum virum cauſantur, non generaliter quartæ generationis copulam cenſuiſſe, immò veniāliter ſimúlque temporaliter permiſiſſe cognoſcāt. *Greg epiſt. 31 lib 12.* *1. Cor. 3.*

Quòd extranei niſi ex neceſſitate, diſsidium inter conſanguineos facere non debeant Ex decretis Fabiani Papæ, c. viij. CAP. 57. *In fragm.*

Conſanguineos extraneorum nullus accuſet vel conſanguinitatem in ſynodo computet, ſed propinqui ad quorum notitiam pertinet, id eſt, pater, mater, ſoror, frater, patruus, auunculus, amita, matertera, & eorum procreatio. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus & veracioribus quibus eadem propinquitas nota ſit, epiſcopus canonicè perquirat, & ſi inuenta fuerit propinquitas, ſeparentur. *35 q 6. c cōſanguineos.*

Ne quis neptem ſuam ducat. Ex concilio Romano. Gregorius. ¶ CAP. 58. *Ex decretis Greg. 2 iunioris appellati. c. 6.*

Si quis neptem ſuam in coniugio duxerit, anathema ſit.

De eadem re, eiuſdem Gregorij. ¶ CAP. 59. *Cap. 8.*
Si quis conſobrinam in coniugium duxerit, anathema ſit.

De eadem re. ¶ CAP. 60. *Cap. 9.*
Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit in cōiugio duxerit, anathema ſit.

Sacramentum de parentela quomodo ſit inquirenda. ¶ CAP. 61.

De illa parentela quam dicunt eſſe inter N. & iſtam coniugem N. quicquid inde ſcis aut audiſti à tuis vicinis, aut à tuis antiquioribus propinquis, quod tu per nullum ingenium, nec propter amorem, nec propter timorem, aut per *35 q 6 c. de parentela.*

præmium aut per consanguinitatem celabis episcopum tuum aut eius missum, cui hoc inquirere iusserit quandocunque te ex hoc interrogauerit: sic te Deus adiuuet & istæ sanctorum reliquiæ.

Iuramentum testium. ¶ CAP. 62.

35. q. 6. c. illud iuramentum. Illud sacramentum quod iste iurauit de illa parentela quæ inter filium & eius coniugem N. computatur, quod tu illud obseruabis in quantum sapis aut audisti: sic te Deus adiuuet.

Sacramentum de incestuoso coniugio. ¶ CAP. 63.

35. q. 6. c. ab isto. Ab isto die in antea, quod tu per nullum ingenium te sociabis huic tuæ consanguineæ N. cum qua contra legem & rectam Christianitatem tuam, adulterium & incestum perpetrasti, nec in coniugio, nec in adulterio illam tibi sociabis, nec cum illa ad vnam mensam manducabis & bibes, aut sub vno tecto manebis: nisi fortè in ecclesia, aut in aliquo publico loco, vbi nulla mala suspicio possit esse: & ibi coram testibus idoneis pro certa necessitate pariter colloquamini. Nec aliam coniugem accipies, nisi forte post peractam pœnitentiam tibi licentia data fuerit ab episcopo tuo, aut eius misso: sic te Deus adiuuet, & istæ sanctorum reliquiæ.

Isid. c. 5. lib. 9. Etym. *Hæc capitula de septem gradibus consanguinitatis S. Isidorus diligenti inquisitione descripsit, & in figura apertius depicta ordinauit. c. 1. de vij. gradibus consanguinitatis.*

¶ CAP. 64.


I. Primo gradu superiori linea continentur pater mater: inferiori filius filia: quibus nullæ aliæ personæ iunguntur.
II. Secundo gradu continentur superiori linea auus auia: inferiori nepos neptis. In transuersa frater soror, quæ personæ duplicantur. Auus enim & auia tam ex patre, quã ex matre accipiuntur. Quæ personæ, sequentibus quoque gradibus similiter pro substantia * earum quæ in quo gradu subsistunt, ipso ordine duplicantur. Istæ personæ in secũdo gradu ideo duplices appellantur, quia duo aui sunt, & paternus & maternus. Item duo genera nepotum sunt, siue ex filio, siue ex filia procreati. Frater & soror ex transuerso veniunt, id est, aut frater patris aut frater matris, qui aut patruus aut auunculus nominatur. Qui & ipsi hoc ordine duplicantur.

* Gratia. sic habet: eorum in quo gradu consistunt.

III. Tertio gradu veniunt supra, proauus proauia: infra pronepos proneptis. Ex obliquo fratris sororisque filius vel filia: patruus amita, id est, patris frater & soror: auunculus matertera, id est, matris frater & soror.
IV. Quarto gradu veniunt suprà, abauus abauia: infra abnepos abneptis. Ex obliquo fratris & sororis nepos, neptis. Patruelis frater, soror: patruelis, id est, patrui filius vel filia. Consobrinus, consobrina, id est auunculi & materteræ filius vel filia. Amitinus, amitina, id est amitæ filius vel filia. Itémque consobrini qui ex duabus sororibus nascuntur. Quibus accessit patruus magnus, amita magna, id est aui paterni frater & soror. Auunculus magnus, matertera magna, id est auiæ tam paternæ, quam maternæ frater & soror.
V. Quinto gradu veniunt, suprà quidem attauus, attauia: infra adnepos, adneptis. Ex obliquo fratris & sororis pronepos, proneptis: fratris patruelis, sororis patruelis amitini, amitinæ, consobrini consobrinæ filius vel filia: propior consobrinus consobrina, id est patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filius vel filia. Quibus accrescunt propatruus, proamita. Hi sunt proaui materni, frater & soror, proauunculus, promatertera. Hi sunt proauiæ paternæ maternæque frater & soror, proauíque magni materni. Hęc species nec aliis gradibus quàm scripta est, nec aliis vocabulis declarari potest.
VI. Sexto gradu veniunt suprà triauus, triauia: infra trinepos, trineptis. Ex obliquo fratris & sororis, abnepos abneptis: fratris patruelis, sororis matruelis amitini amitinæ, cõsobrini cõsobrinæ: patrui magni, amitæ magnæ: auũculi magni, materteræ magnæ nepos neptis: propioris cõsobrini filius vel filia, qui consobrini appellantur: quibus ex latere accrescunt propatrui proamitæ: proauunculi promaterteræ filius vel filia, adpatruus adamita. Hi sũt abaui paterni frater & soror, abauunculus abmatertera. Hi sunt abauiæ paternæ maternęque frater & soror, abauíque materni. Hæc quoque explanari ampliùs non possunt, quàm ipse author disseruit.
VII. Septimo gradu qui sibi sunt cognati, recta linea supra infráque propriis nominibus non appellantur; sed ex transuersa linea continentur fratris sororis, adnepos adneptis: consobrini filij filiæque successionis, idcirco gradus septem constituti sunt, quia vlteriùs per rerum naturam nec nomina inueniri, nec vita succedentibus prorogari potest. In his enim septem gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, vltra quos affinitas inueniri, nec successio potest ampliùs prorogari.

DE	**PA**	**TRI**		**BVS**	
Author mei	*generis*	*mihi pater est*	*ego illi*	*Filius*	*aut filia*
Patris mei	*pater*	*mihi auus est*	*ego illi*	*Nepos*	*aut neptis*
Patris mei	*auus*	*mihi proauus est*	*ego illi*	*Pronepos*	*aut proneptis*
Patris mei	*proauus*	*mihi abauus est*	*ego illi*	*Abnepos*	*aut abneptis*
Patris mei	*abauus*	*mihi atauus est*	*ego illi*	*Adnepos*	*aut adneptis*
Patris mei	*atauus*	*mihi tritauus est*	*ego illi*	*Trinepos*	*aut trineptis*
DE	**PA**	**TRV**		**IS**	
Patris mei	*frater*	*mihi patruus est*	*ego illi*	*Fratris filius*	*aut filia*
Patris mei	*pater*	*mihi pater magnus est*	*ego illi*	*Filij fratris filius*	*aut filia*
Patrui mei	*auus*	*mihi propatruus est*	*ego illi*	*Filij filiæ nepos*	*aut neptis*
Patrui mei	*proauus*	*mihi adpatruus est*	*ego illi*	*Neptis filius*	*vel filia*
DE	**A**	**MI**		**TIS**	
Patris mei	*soror*	*mihi amita est*	*ego illi*	*Fratris filius*	*aut filia*
Amitæ meæ	*mater*	*mihi amita magna est*	*ego illi*	*Filiæ fratris filius*	*aut filia*
Amitæ meæ	*auia*	*mihi proamita est*	*ego illi*	*Neptis filius*	*aut filia*
Amitæ meæ	*proauia*	*mihi abamita est*	*ego illi*	*Neptis nepos*	*aut neptis*
DE	**A**	**VVN**		**CV LIS**	
Matris meæ	*frater*	*mihi auunculus est*	*ego illi*	*Sororis filius*	*aut filia*
Auunculi mei	*pater*	*mihi auunc. magnus est*	*ego illi*	*Filij sororis filius*	*aut filia*
Auunculi mei	*auus*	*mihi proauunculus est*	*ego illi*	*Filij nepos*	*aut neptis*
Auunculi mei	*proauus*	*mihi abauunculus est*	*ego illi*	*Neptis filius*	*aut filia*
DE	**MA**	**TER**		**TE RIS**	
Matris meæ	*soror*	*mihi matertera est*	*ego illi*	*Sororis filius*	*aut filia*
Materteræ meæ	*soror*	*mihi matert. mag est*	*ego illi*	*Sororis nepos*	*aut neptis*
Auiæ meæ	*soror*	*mihi abmatertera est*	*ego illi*	*Sororis pronepos*	*aut pron.*
Proauiæ meæ	*soror*	*mihi promatert. est*	*ego illi*	*Neptis filius*	*vel filia*

SCHEMATA DICVNTVR Ramusculi quos Aduocati faciunt in Genere cùm gradus cognationum partiuntur, vt puta, ille filius, ille pater, ille auus, ille agnatus, & cæteri quorum figuræ hæ sunt.



Hæc Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens, vsq; ad vltimum gradum subtraxerit, & propinquitas esse desierit, eam rursus lex matrimonij vinculo repetit, & quodammodò reuocat fugientem. Ideo autem vsq; ad sextum Generis gradum consanguinitas constituta est, vt sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur.



Tritaui pater.	Tritaui mater.
VII.	VII.

Tripatruus Triamita.	Tritauus.	Tritauia.	Triauũculus, Trimatertera.
VII.	VI.	VI	VII.

Ad patrui Adamitæ filij.	Ad patruus Adamita.	Atauus.	Atauia.	Adauũculus, Admatertera.	Adauũculi Admaterteræ filij.
VII.	VI	V.	V.	VI.	VII.

Abpatrui, Abamitæ nepotes.	Abpatrui Abamitæ filij.	Abpatruus Abamita.	Abauus.	Abauia.	Abauũculus, Abmatertera.	Abauũculi Abmateræ filij.	Abauuculi Abmaterteræ nepotes
VII.	VI.	V.	IIII.	IIII.	V.	VI.	VII.

Propatrui Proamitæ nepotes.	Propatrui Proamitæ pronepotes	Propatrui Proamitæ filij.	Propatru⁹ Proamita.	Proauus.	Proauia.	Proauũculus Promatertera.	Proauũculi Promateræ filij.	Proauũculi promaterteræ nepotes.	Proauũculi Promater. pronepotes
VII.	VI.	V.	IIII.	III.	III.	IIII.	V.	VI.	VII.

Propatruorũ, amitarũ pronepotes.	Propatruorũ, Amitarũ nepotes	Propatruorum, Amitarum filij.	Propatrueles, Amitini.	Propatruus Proamita magna.	Auus.	Auia.	Auunculus Matertera magna.	Propri⁹ sobrin⁹, propria sobrina.	Sobrini Sobrinæ filij	Sobrini Sobrinæ nepotes.	Sobrini Sobrinæ pronepotes.
VII.	VI	V.	IIII.	III.	II.	II.	III.	IIII.	VI	VI.	VII.

...is pa- ...miti- ...potes.	Patrui, Amitini pronepotes.	Patrui, Amini nepotes.	Propatruelis Amitini filij.	Frater, Soror patruelis, amitinæ.	Patruus Amita.	PATER	MATER	Auunculus Matertera	Consobrinus, consobrina.	Consobrini, cõsobrinæ filij.	Consobrini, cõsobrinæ nepotes,	Cõsobrini cõsobrinæ pronepotes	Cõsobrini, sororis nepotes.
[illegible]	VI.	V.	IIII.	III.	II.	I.	I.	II.	III.	IIII.	V.	VI.	VII.

Filius. I.	Filia. I.
Nepos II.	Neptis II
Pronepos. III.	Proneptis. III.
Abnepos. IIII.	Abneptis. IIII.
Adnepos. V.	Adneptis. V.
Trinepos. VI.	Trineptis. VI.
Trinepotis nepos. VII.	Trinepotis neptis. VII.

De incestuosis qui admonitiones sacerdotum contemnunt. Ex conc. Turonensi iij. c. xli.

¶ CAP. 65.

23.q.5.c.incestuosi. Incestuosi, parricidæ, homicidæ multi apud nos (proh dolor) reperiuntur, sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, quos oportet per sæcularis potentiæ disciplinā à tam praua consuetudine coerceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerunt reuocari.

Ne infra septimam generationem coniugia fiant. Ex Concilio apud Confluentiam, c. i. Cui interfuerunt Carolus & Henricus Reges.

¶ CAP. 66.

Anno dominicæ incarnationis, D.CCCCXII. apud Confluentiam iussu venerabilium principum Caroli videlicet & Henrici regum reuerendissimorum, congregati sunt Episcopi numero octo Herimannus Agrippinensis Archiepiscopus, Thiedo Vviteburgensis Episcopus, Luitharius Mundanensis episcopus, Doto Osneburgensis episcopus, Rihgouunnio Vvarmatiēsis episcopus, Rithuuius Strazburgensis episcopus, Vnuuanus Padebrunensis episcopus, cum abbatibus aliisque sacri ordinis viris quamplurimis: qui ipso cooperante & sententias eorum confirmante Domino Christo, in synodali residentes conuentu multa vtilia, ac sanctæ Dei ecclesiæ profutura saluberrimo tractantes consilio, inter cætera quæ statuerunt, hoc maximè necessarium, & instanti (proh dolor) tēpore per abusionem frequentissimum cognationis incestum, summa cautela vitandum firmauerunt, hoc est, ne vllus christianus infra septimam generationem nuptias copulare præsumat. Cap.1.

De muliere quæ cum duobus fratribus fornicata est. Ex concilio Neocæsarensi cap. ij.

¶ CAP. 67.

Mulier si duobus fratribus nupserit, abiiciatur vsque ad mortem: veruntamen in exitu, propter misericordiam, si promiserit quòd facta incolumis huius coniunctionis vincula dissoluat, fructum pœnitentiæ consequatur, & communio ei concedatur. Quòd si defecerit vir aut mulier in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

Mart. Bracarens. c. 79. *De eadem re. Ex decret. Martini, cap. lxxx.*

¶ CAP. 68.

Si qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores duxerit, à communione separentur, vsque ad mortem. In morte, pro misericordia viaticum accipiant.

De illo qui cum duabus sororibus fornicatus est, quarum vna vxor fuit. Ex concilio Aurelianensi cap. vi. Vermer. cap. 12. 32. q. 7. cap. qui dormierit.

¶ CAP. 69.

Qui dormierit cum duabus sororibus, & vna ex illis antea vxor fuerit, neutram ex ipsis habeat: nec ipsi adulteri vnquam coniugio copulentur.

De illo qui cum duabus sororibus, cum nouerca, vel cum sorore sua, vel cum amita, vel matertera sua, vel filia patrui, vel auunculi sui, vel cum filia amitæ vel materteræ suæ, vel cum nepte sua, vel cum commatre sua, vel cum filiola quam de fonte suscepit, vel ante episcopum tenuit, fornicatus est. Ex eodem concilio.

¶ CAP. 70.

Si quis fornicatus fuerit cum duabus sororibus, vel cum nouerca sua, vel cum sorore, sua, vel cum amita sua, vel cum matertera sua, vel cum filia patrui sui, & auunculi sui, vel cum filia amitæ suæ siue materteræ suæ, vel cum nepte sua, vel cum cōmatre sua, aut filiola sua, siue quam de fonte suscepit, vel ante episcopum tenuit, & si qua mulier simili modo fornicata fuerit, abstineat se ab ingressu domus Dei annum, & eodem anno nisi dominicis diebus & festis solummodo pane & aqua & sale vtatur, arma non ferat, osculum nulli præbeat, sacrificium nisi pro viatico minimè accipiat. Sex deinde annis ingrediatur quidem domum Dei, sed carnibus & vino & sicera minimè vtatur, nisi festis diebus. De armis verò & osculis, siue de sacrificio, sicut supradictū est. Postea verò duobus annis quando carne vescitur, à potu omni quo inebriari potest se contineat. Et si potum biberit, minimè carne vescatur absque præcipuis festis diebus. De armis verò vel osculo & sacrificio modum teneat iam dictum. Inde vsque ad obitum suum nisi prædictis festis diebus à carne abstineat, & tres ferias legitimas in omni hebdomada, & tres quadragesimas in anno legitimè custodiat. De armis verò, vt supradictum est, & nunquam aliquando coniugio copuletur. Hæc eadem pœnitentia imponenda est parricidis vel fratricidis vel consanguineis, nec non & qui sponte per fraudem & auaritiam hominem innoxium, quod * morchidum vocant. * ali. morth dicitur.

De illo qui cùm matrem habuerit vxorem, cum filiastra fornicatus fuerit. Item ex Concil. Moguntinensi. Moguntiā. conc. sub Carolo Magno, ca. 56.

¶ CAP. 71.

Si quis viduam vxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus concubuerit, aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio fornicata fuerit, tales copulationes anathematizari & disiungi præcipimus, nec vnquam amplius coniugio copulari sed sub magna districtione * fieri. 32. q. 7. cap. Si quis. * forte, feriri.

De illo qui cum filiastra ignorante fornicatus est. Ex concilio apud Vermeriam, cap. iiij.

¶ CAP. 72.

Si quis cum matre & filia fornicatus est ignorante matre de filia, & filia de matre: ille nunquam accipiat vxorem, illæ verò si voluerint accipiant maritos. Si autem hoc scierint ipsæ fœminæ absque maritis in perpetuo maneant. 35. q. 2. & 3. c. Si quis cū matre.

De illo qui stuprauerat quandam, quam frater eius postea ignorans duxit vxorem. Ex eodem cap. v. Conc. Tribur. c. 44.

¶ CAP. 73.

Si homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater eius nesciens eandem duxerit vxorem: frater eò quòd fratri crimen celauerit, pœniteat, & post pœnitentiam nubat. Mulier autem vsque ad mortem pœniteat, & sine spe coniugij maneat. 35. q. 2. & 3. c. Si homo.

De eadem re. Ex eodem concilio, cap. vi.

¶ Cap. 74.

Si frater cum muliere fornicatus fuerit, & frater nesciens cum eadem concubuerit: mulier diebus vitæ suæ pœniteat, post pœnitentiam autem frater ignarus sceleris coniugium accipiat si vult.

De eadem re. Ex concilio Matiscensi, cap. v.

¶ Cap. 75.

Item iudicatum est quendam stuprasse quandam fœminam, quam postea frater eius accepit vxorem. Statuerunt eum qui stuprauit & à se stupratam fratri celauit, quia geminauit peccatum, pœnitentia districtiori castigandum, coniugium tale dissolui oportere, & mulieri quidē nunquam dari potestatem nubendi: illis autem pro misericordia coniugium indulgere, sed cum pœnitentia.

Cap. 43. *De muliere cum qua & Pater & Filius fornicati sunt. Ex concilio Triburiensi.*

¶ Cap. 76.

34. q. 1. & 2. ca. quidam. Quidam fornicatus est cum quadam muliere, postea filius nesciens patris factum stuprauit eandem. Quod cùm pater rescisceret, de se filióque confessus est. Statuerunt melius esse vt taliter lapsis cum digna pœnitentia, legitima permittantur coniugia, quàm fortè deterius delinquant. Fornicaria autem sine spe coniugij maneat.

Sub Leone 4. c. 29. *De illo qui cum vxore, matre, & filiastra fornicatus est. Ex concilio Maguntiensi.*

¶ Cap. 77.

32. q. 7. cap. Si quis. Si quis viduam vxorem duxerit, & postea cum filiastra fuerit fornicatus, seu cum duabus sororibus, aut si qua cum duobus fratribus, seu cum patre & filio: si quis relictā fratris, si quis neptem, aut nouercam, aut nurum, aut consobrinam, aut filiam auunculi, aut eius relictam, aut priuignam polluerit eos disiungi, & vlteriùs nunquam coniugio copulari præcipimus.

Pœnit. Rom. tit 3 c. 13. *De illo coniugato qui cum filia materteræ suæ, vel auunculi, vel amitæ, vel patrui fornicatus fuerit. Ex conci. Triburiensi.*

¶ Cap. 78.

Interrogatum est si quis cum filia materteræ suæ vel amitæ vel auunculi vel patrui sui concubuerit, si coniugatus fuerit, liceátne illi vlterius vti coniugio, aut non coniugato vxorem accipere. Iustum esset, sicut aliqua statuta priorum habentur, vt in perpetuum tales à coniugio abstineant. Visum est humanæ fragilitatis intuitu, vt post pœnitentiam non quidem penitus priuentur coniugio, durissime tamen tam immanis fornicatio vindicetur. Sicut S. Papa Nicolaus & alij Romani pontifices statuerunt, ne fortè desperati multiplicius peccent.

De patre & filio, de auunculo & nepote, si cum vna muliere fornicati fuerint. Ex concilio Maguntiensi, cap. v.

¶ Cap. 79.

Interrogatum est si pater & filius, vel si duo fratres, vel si auunculus & nepos cum vna muliere fornicati sint, quid inde faciendum sit. Manifestum est quod graui vindicta plectendum est, quod graue facinus esse reperitur. Omnis Exod. 20. enim mœchia interdicitur, vbi scriptum est non mœchaberis: quantò magis cum cognata vel cum coniuge, seu concubina cognati? Hinc in Leuitico scriptum est: Si mœchatus fuerit quis Leuit. 20. cum vxore alterius, morte moriantur & mœchus & adultera. Qui dormierit cum nouerca sua & cum nuru sua, & qui filiam & matrem duxerit, & qui acceperit sororem suam, morte moriantur. Si enim in lege turpitudinē incestus mortis sententia vindicare iussit, quomodo in Euangelio vbi summa iustitia est, incestuosus peccati pœnitentiam euadet? Vnde Apostolus: Irritam qui fecerit legem Moysi, si sine vlla miseratione Hebr. 10. sub duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Igitur Theodorus iudicauit eum qui incestum fecerit, xij. annos pœnitere debere, alij xv. alij x. alij vij. Sed nos priscorum patrum vestigia sequentes, his solis spacium pœnitentiæ temperemus, qui deuotè & cum lachrymis pœnitentiam egerint, cæteri definitum tempus obseruent.

De eadem re. Ex concil. apud Vermeriam, c. iiij. Magunt. sub Carolo Magno, cap. 55.

¶ Cap. 80.

30 q. 1. c. si quis filiast. Si quis filiastrum aut filiastram suam ante Episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab vxore sua, & aliam nunquam accipiat: similiter & mulier.

De illis qui infantes suos suscipiunt à baptismo vt separentur à coniugibus. Ex concil. Cabilonensi, cap. iiij. Con Cabilo. 2 sub Carolo Magno, c. 31.

¶ Cap. 81.

Dictum etiam nobis est, quasdam fœminas desidiosè, quasdam verò fraudulenter, vt à viris 30 q. 1. cap. dictum est. suis separentur, proprios filios coram episcopis ad confirmandum tenuisse. Vnde nos dignum duximus, vt si qua mulier filium suum desidia aut fraude aliqua coram episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam aut propter fraudem, quamdiu viuat pœnitentiam agat, à viro tamen suo non separetur.

De eadem re. Item ex conc. Maguntiensi cap. x. in claustro sancti Albani habito, præsente Ludouico Imperatore.

¶ Cap. 82.

30. q 1. c. de eo quod. De eo quod interrogasti, si ille qui filiolam suā duxit vxorem, & de eo qui concubuit cum commatre sua spirituali, & de eo qui filium suum baptizauit, & cuius vxor eum de fonte suscepit, ea ratione vt dissidium coniugij fieret, si postea in tali copulatione permanere possent: de talibus sic respondendum est. Si filiolam aut commatrem suam spiritualem aliquis in coniugio duxerit, separandos eos esse iudicamus, & graui pœnitentia plectendos. Si autem coniuges legitimi vnus aut ambo ex industriā fecerint, vt filiū suum de fonte suscipiant vt dissidiū fiat, tale consilium damus: Si innupti manere voluerint, bonū est: sin autem, grauis pœnitentia insidiatori iniungatur, & simul maneant. Et si superuixerit preuaricator coniugij, acerrimâ pœnitentiâ mulctetur, & sine spe coniugij maneat.

De eadem re. Ex concil. Triburiensi, cap. viij. Mogunt sub Car. Ma c. 55.

¶ Cap. 83.

Nullus proprium filium aut filiam à fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam nec commatrē ducat vxorem, nec illam cuius filium * ad confirmationem ante episcopum tenuerit. Vbi autem factum fuerit, separentur. * aut filiā orig.

De eadem re. Ex concilio Maguntiensi, cap. v.
¶ Cap. 84.

Quàm detestabile & execrabile scelus sit vnicuique Christiano filiolam suam stuprare, testatur sanctus Gregorius Papa in dialogis suis, vbi refert quendam hominem polluisse filiolam suã. Et quia neglexit pœnitentiam agere, subito miserabili morbo correptus expirauit, & sepulto non solum corpus, sed etiam omne sepulchrum ignis inuisibilis consumpsit. *Lib. 4 dialogorũ ca. 32.*

De mulieribus quæ aliquo molimine inter se fornicantur. Ex pœnitentiali Theodori. *Pœnit. Rom. tit. 3. c. 15.*
¶ Cap. 85.

Mulier quocunque molimine, aut in se ipsa, aut cum altera fornicans, duos annos pœniteat.

De sanctimonialibus si inter se fornicentur. De eodem. ¶ Cap. 86.

Si sanctimonialis cũ alia sanctimoniali per aliquod machinamentum fornicatæ fuerint, vij. annos pœniteant.

De muliere quæ cum altera fornicata fuerit. Ex concilio Ancyrano, cap. viij.
¶ Cap. 87.

Mulier si cum muliere fornicata fuerit, duos annos pœniteat. Sic & illa quæ semen viri sui miscet cibo, vt inde plus eius accipiat amorem pœniteat.

De illis qui irrationabiliter versantur. Ex concilio Ancyrano, cap. xv. ¶ Cap. 88.

De his qui irrationabiliter versati sunt siue versantur, id est, qui cum pecoribus & masculis se coinquinauerint, quotquot ante xx ætatis suæ annum tale crimen cõmiserint xv. annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, qualis tempore pœnitudinis extiterit, & ita misericordiã consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendã pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem post xx. annos ætatis vxores habentes in hoc peccato prolapsi sunt, xxv. annos pœnitentiam agentes ad orationis communionem recipiantur: In qua quinquennio perdurantes, tunc oblationis sacramenta percipiant. Quòd si qui & vxores habentes, & transcendentes quinquagesimum annum ætatis ita deliquerint, ad extremum vitæ communionis gratiam consequantur.

De eadem re. Ex eodem concilio cap. xvi.
¶ Cap. 89.

Eos qui irrationabiliter vixerint, & lepra iniusti criminis alios polluerint, præcepit sancta synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo.

De illis qui cum pecudibus fornicantur. Ex pœnitentiali Theodori.
c. 17. ¶ Cap. 90.

Qui cum pecude peccat, quidam iudicant annos x. quidam vij. quidam * duos, quidam centum dies iuxta qualitatem personæ, pœniteat. *tres,

Item de quadrupedum fornicatoribus. Ex Romano pœnitentiali. ¶ Cap. 91.

Si inuenti fuerint qui cum quadrupedibus, vel masculis contra naturam peccant, dura & districta pœnitentia coërcendi sunt. Quapropter episcopi vel Presbyteri à quibus iudicium pœnitentiæ iniungitur, conentur omnibus modis hoc malum radicitus abscidere.

De illis qui fornicantur sicut Sodomitæ. Ex pœnitentiali Theodori. ¶ Cap. 92. c. 18.

Qui fornicatus fuerit sicut Sodomitæ, si seruus est, scopis castigabitur & ij. annos pœniteat: si liber est coniugatus x. annos: si priuatus septem annos pœniteat. Pueri c. dies si in consuetudine est: Laicus coniugatus si in consuetudine habet, xv. annos pœniteat. Si ex ordinibus est & in cõsuetudine habet, degradatus vt laicus pœniteat. Qui autem cum fratre naturali fornicatus fuerit, per tam sordidam commixtionem, ab omni carne se abstineat, * vel xv. annos pœniteat: si clericus est, amplius pelli debet. * &

De clericis vel monachis si fuerint masculorum insectatores. Ex dictis Basilij.
¶ Cap. 93.

Clericus vel monachus vt paruulorum insectator, vel qui osculo vel aliqua occasione turpi deprehensus fuerit, publicè verberetur, & comam amittat, decaluatúsque turpiter sputamentis oblinitus in facie, vinculísque arctatus ferreis, carcerali vj. mensibus angustia maceretur, & triduo per hebdomadas singulas ex pane hordeaceo ad vesperam reficiatur. Post hæc aliis vj. mensibus sub senioris spiritualis custodia segregata in curticula degens, operi manuũ & orationi sit intentus, vigiliis & fletibus subiectus, & sub custodia semper duorum fratrum spiritualium ambulet, nulla priuata locutione vel consilio deinceps iuuenibus coniungendus.

De eadem rè. Ex dictis Isidori.
¶ Cap. 94.

Si quis ex iuuenibus, vel aliqua suspiciosa persona cum paruulis iocatus fuerit, diuturna pœnitentia maceretur.

De eodem re. Ex dictis eiusdem.
¶ Cap. 95.

Si deprehensus fuerit aliquis frater ludere cum pueris, & habere amicitias ætatis infirmæ, tertiò commoneatur vt memor sit honestatis, atque timoris Dei: si non cessauerit, seuerissimè corripiatur.

De eo qui spiritualem habet compatrem, cuius vxor commater non est, & eo defuncto, si eius viduam possit ducere vxorem. Ex concilio Triburiensi cap. xlvij, cui interfuit Rex Arnulphus.
¶ Cap. 96.

Qui spiritualem habet compatrem, cuius filium de lauacro sacri fontis accepit, & eius vxor commater non est, liceat ei, defuncto compatre suo, eius viduam ducere in vxorem si nullam habent consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? Nunquid non possunt coniungi, quos nulla proximitas carnalis, vel in id generatio secernit spiritualis? *30. q. 4. cap. qui spiritualem.*

Vtrùm quis filiam spiritualis commatris suæ vxorem ducere possit. Ex eodem concilio, ca. xlviij.

§ CAP. 97.

Illud etiam nec canonica institutione definimus, nec interdictione aliqua refutamus, sed propter eos qui diuersè de eo sentiunt, hoc loco aliquid commemoramus. Si quis suæ spiritualis commatris filiam fortuito, & ita contingente rerum casu in coniugium duxerit, (consilio maturiori seruato) habeat, atque honestè legitimo coniugio operam det.

Lib. 4. c. 32. *De quodam qui suam filiolam spiritualem constuprauerat. Ex lib. Dialogorum Gregorij.*

§ CAP. 98.

Terribile etiam quiddam in Valeriæ prouincia contigisse vir venerabilis Maximianus Syracusanus Episcopus, qui diu in hac vrbe meo monasterio præfuit, narrare consueuit dicens: Quidam curialis illic sacratissimo paschali sabbato iuuenculam cuiusdam filiam in baptismate suscepit. Qui post ieiunium domum reuersus multo vino inebriatus, eandem filiolam suam secum manere petiit, eámque nocte illa (quod dictu nefas est) perdidit. Cúmque mane facto surrexisset, reus cogitare cœpit vt ad balneum pergeret, ac si aqua balnei lauaret maculam peccati. Perrexit igitur, lauit, cœpit trepidatè ecclesiam ingredi, sed si tanto die non iret ad ecclesiam, erubescebat homines: sin verò iret, pertimescebat iudicium Dei. Vicit itaque humana verecundia, perrexit ad ecclesiam, sed tremebundus & pauens stare cœpit, atque per singula momenta suspectus qua hora immundo spiritui traderetur, & coram omni populo vexaretur. Cúmque vehementer timeret, ei in illa missarum celebritate quasi aduersi nihil contigit, qui lætus exiit, & die altero ecclesiam iam securus intrauit: factúmque est, vt per sex continuos dies lætus ac securus procederet, æstimans quòd eius scelus dominus aut non vidisset, aut visum misericorditer dimisisset, die autem septimo, subita morte defunctus est. Cúmque sepulturæ traditus fuisset per longum tempus cunctis videntibus de sepulchro eius flamma exiit, & tamdiu ossa eius concremauit, quousque omne sepulchrum consumpsit, & terra quæ in tumulo collecta fuerat, defossa videretur. Quòd videlicet omnipotens Deus faciens, ostendit quid eius anima pertulit in occulto, cuius etiam corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. Qua in re quoque nobis hæc audientibus exemplum formidinis dare dignatus est: quatenus ex hac consideratione colligamus, quid anima viuens, ac sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio etiam insensibilia ossa concremantur.

Refertur in vitis patrũ. *De quodam fratre qui impugnabatur à spiritu fornicationis. Ex dictis Paphnutij Heremitæ.*

CAP. 99.

Quidam frater molestiam sustinebat à spiritu fornicationis. Abiit autem ad probatissimum seniorem, & precabatur eum dicens: Pone tibi sollicitudinem, beatissime pater, & ora pro me, quia grauiter impugnat me passio fornicationis. Hæc cùm audisset senior, orabat intentè diebus ac noctibus, pro eo deprecans domini misericordiam. Iterum autem veniebat idem frater, & rogabat seniorem vt magis intentius pro eo oraret. Similiter autem cum omni sollicitudine beatus senior intentius orabat pro eo. Frequenter autem venientem ad se monachum videns senior & deprecantem se vt oraret, valde contristatus admirabatur quia non exaudiret dominus orationes eius. Eadem autem nocte reuelauit ei dominus, quæ circa illum monachum erant, negligentiæ & ignauiæ resolutionem, & delectationes fortè corporeas cordis eius. Ita autem ostensum est sancto seniori. Vidit sedentē illum monachum, & spiritum fornicationis in diuersis mulierum formis ante illum ludentem, & ipsum condelectari. Videbat & angelum domini astantem & indignantem grauiter contra eundem fratrem, quia non surgebat neque prosternebat se in orationibus ad dominum, sed magis delectabatur in cogitationibus suis. Hæc ergo ostensa sunt per reuelationem sancto seniori. Cognouit autem quia culpa erat & negligentia illius monachi, vt non exaudirentur orationes eius. Et tunc dixit ei senior: Quia tua culpa erat frater, qui condelectaris cogitationibus malis: impossibile est enim discedere à te spiritum fornicationis immundum, aliis orantibus & Deum pro te deprecantibus, nisi & tu ipse laborem assumas ieiuniis, & orationibus & vigiliis multis, cum gemitu deprecans, vt misericordiam suam & adiutorium det gratiæ suæ, præbeátque tibi Dominus Christus vt possis resistere malis cogitationibus. Nam & medici qui corporibus hominum medicamenta conficiunt & adhibent, quamuis omnia cum summa diligentia faciant, veruntamen si ille qui infirmatur non se abstineat à noxiis cibis, vel de aliis quæ solent lædere infirmitates, nihil ei proficit cura & diligentia & sollicitudo medicorum. Similiter etiam & in animæ languoribus eueniet, licet cum omni intentione & ex toto corde sancti patres, qui sunt medici spirituales, exorent misericordiam Christi saluatoris nostri pro eis, qui orationibus eorum se postulant adiuuari, nisi & ipsi cum omni intentione mentis tã in orationibus, quàm in omni opere spirituali, quæ Deo placita sunt faciant, non eis proficient orationes eorum.

De sponsa fratris, si frater eam violauerit. Ex conc. Triburiensi cap. x. cui interfuit rex Arnulphus.

§ CAP. 100. Cap. 41.

Quidam desponsauit vxorem & dotauit, & cum ea coire non potuit: quam frater eius clanculò corrupit, & grauidam reddidit: decretum est, vt quamuis nupta esse non potuerit legitimo viro, desponsatam tamen fratri, frater habere non possit. Sed mœchus & mœcha fornicationis quidem pœnam sustineant: licita verò eis coniugia non negentur. 32 q. 2. cap. quidam.

Si quis de vno in alium transmigrat episcopatum, & consanguineam suam polluerit, vel aliquod crimen capitale commiserit. Ex eodem concilio, cap. xlj.

§ CAP. 101.

Si quis de vno in alium omnino transmigrat episcopatum, & si (quod absit) contingat eum filiam sororis suæ, amitæ, aut materteræ, aut auunculi, vel patrui polluere, aut aliquod crimen capitale committere, Episcopus in cuius tunc diœcesi commoratur & tali criminatur scelere, habeat ius & potestatem secundùm canonicam authoritatem & nostram synodalem institutionem flagitiosum coërcere, & ad pœnitentiam emollire. Per quem enim melius rei veritas ventilatur, quàm per illum sub quo habitat, & habitare desiderat?

De mulieribus quæ absente marito conceperint. Ex concilio Elibertino, cap. iij.

Cap.63. ¶ CAP. 102.

Si qua mulier per adulterium absente marito conceperit, idque post facinus occiderit: placuit vix in fine dandam esse communionem, eò quod geminauerit scelus. De illis mulieribus quæ malè conceptos ex adulterio fœtus, vel editos necare studuerint, vel in ventre matrum potionibus aliquibus consumpserint, in vtroque sexu adulteris post. vij. annorum curricula communio tribuatur: ita tamen vt omni tempore vitæ suæ fletibus & humilitati insistant.

Ex concil. Ilerdensi, cap. 2.

De mulieribus quæ partus suos occultè interficiunt. Ex concilio Arelatensi, cap. vi.

¶ CAP. 103.

Mulieres quædam, vt audiuimus, quæ ex fornicatione concipientes, metuentes ne scelus quod occultè perpetrauerunt manifestum fieret, infantes quos pepererunt occiderunt, & terræ congerie operuerunt, * vt in aquas proijcerent. Quod quantum nefas sit, canones [a] Ancyrani, [b] Eliberitani atque [c] Ilerdensis concilij testes sunt. His itaque vix in fine dandam esse communionem decernunt: sed humanius tractantes, post decennem pœnitentiam tales placuit ad communionem recipi.

* aut in aquas proiecerunt.
a Cap. 20.
b Cap. 63.
c Cap. 2.

De eadem re. Ex eodem concilio, cap. x.

¶ CAP. 104.

Si qui infantem oppresserint, tres annos pœniteant, vnum ex his in pane & aqua. Si clericus fuerit iiij. annos, vnum ex his in pane & aqua.

De his qui contra naturam peccant. Augustinus conf. ßionum lib. iij. cap. viij.

¶ CAP. 105.

32 q. 7. c. flagitia.

Flagitia quæ sunt contra naturam vbique ac semper repudianda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt. Quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur, quæ non sic fecit homines vt se illo vterentur modo, violatur quippe ipsa societas quæ cum Deo nobis esse debet, cùm eadem natura, cuius ipse author est, libidinis peruersitate polluitur.

Quòd grauius sit contra naturam peccare, quàm adulterare. Augustinus contra Iulianum, lib. v.

¶ CAP. 106.

32 q. 7. ca. vsus naturalis. Rom. 1.

Vsus naturalis & licitus est in coniugio, sicut illicitus in adulterio. Contra naturam verò semper illicitus & procul dubio flagitiosior atque turpior, quem sanctus Apostolus & in fœminis & in masculis arguebat, damnabiliores volens intelligi, quàm si in vsu naturali vel adulterando vel fornicando peccarent.

De pœnitentia eorum qui commistione animalis peccauerint. Canones Martini ad laicos.

Ex lib capitulo synodorum græcarii Marti Bracaren. episcopi, ca. 81.

¶ CAP. 107.

Si quis ante xx. annos, in cuiuslibet animalis commixtione peccauerit, xv. annis in humilitate subiaceat ad ecclesiæ ianuam, & post hos aliis quinque annis in orationis communione receptus pœnitentiam agat, & sic sacramenti gratiam percipiat. Interrogentur autem alij de eo qualem vitam in pœnitentia egerit, & sic misericordiam communionis consequatur. Si quis autem post xx. annos habens vxorem huic peccato irruerit xxv. annos humilitati subiaceat; & quinque annis orationi tantùm communicans, postea recipiat sacramentum. Quòd si & hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, sacramentum in exitu consequatur.

Quare pecus humana commistione pollutum, iussum sit interfici. Quæstionum Augustini super Leuiticum, cap. lxxiiij.

Quæst. 74. super. 20. cap. Leuit.

¶ CAP. 108.

Mulier quæ accesserit ad omne pecus, ascendi ab eo: interficietis mulierem, & pecus morte moriatur, rei enim sunt. Quæritur quomodo sit reum pecus cùm sit irrationabile, nec vllo modo capax legis? *Item.* Pecora inde credendum est iussa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam.

Ibid. post aliquot versus.

De stupratoribus puerorum. Eliberitanum conc. cap. lxxi.

¶ CAP. 109.

Stupratoribus puerorum, nec in fine dandam esse communionem censuimus.

Quòd naturalis vsus venialis est in vxore propria: vti in aliena vel meretrice damnabilis. Augustinus de bono coniugali.

Cap. 8.

¶ CAP. 110.

Peius est alienum matrimonium violare, quã meretrici adhærere. *Item.* Peius est cum matre, quàm cum aliena vxore concumbere. *Item.* Quædam necessaria sunt propter sapientiam, sicut doctrina: quædam propter salutem, sicut cibus & potus & somnus: quædam propter amicitiam, sicut nuptiæ & concubitus. Hinc enim subsistit propagatio generis humani, in quo societas amicabilis magnum bonum est. His itaq; bonis quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc vtitur propter quod instituta sunt, peccat aliàs venialiter, aliàs damnabiliter. Quisquis verò iis propter hoc vtitur propter quod data sunt, benè facit. *Item.* Cùm naturalis vsus quando prolabitur vltra pacta nuptialia, id est vltra propagandi necessitatem, venialis sit in vxore, in meretrice damnabilis: iste * quidẽ contra naturam execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius ad vtendum concessis etiam cũ modus exceditur, longè fit tolerabilius quàm in eis quæ concessa non sunt, vel vnus vel rarus excessus. Et ideo in re concessa immoderatio coniugis, ne in rem non concessam libido prorumpat, toleranda est. Hinc est etiam quod longè minus peccat quamlibet assiduus ad vxorẽ, quàm vel rarissimus ad fornicationem. Cùm verò vir membro mulieris non ad hoc concesso vti voluerit, turpior est vxor, si in se, quàm si in alia fieri permiserit.

Ibidem.
Ibid. ca 8.
Ibid. 11.
* qui est contra, &c. orig.

De pollutionibus quæ varia ex causa eueniunt. Beda in historia Anglorum lib. j. Gregorius respondit Augustino.

Beda c 27. li 1 Historiæ suæ ecclesiasticæ. Et apud Greg. in calce registri, ad interroga. Aug. cap. 11. dist. 6. c. testamentum por. 1.

¶ CAP. 111.

Aliquando ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione cõtingit pollutio. Et quidem cùm ex naturæ superfluitate vel infirmitate euenerit, omnimodo illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quã fecisse. Cùm verò vltra modum appetitus gulæ

in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula grauantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen vsque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterij, vel missarum solennia celebranda, cùm fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium (pro eo quòd sacerdos alius in loco deest) ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alij qui implere ministerium valeant, illusio per crapulam facta à perceptione sacri mysterij prohibere non debet: sed ab immolatione sacri mysterij abstinere
Ibid paulò post. (vt arbitror) humiliter debet. *Item.* Si ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dormientis, patet animæ situs reatus. Videt enim à qua radice inquinatio illa processerit: quæ quod cogitauit sciens, hoc pertulit nesciens.

Isido c 6. li. 3. de summo bono dist 6 c. non est peccatum par. 1. *De eodem. Isidorus sententiarum libro primo.*

¶ CAP. 112.

Non est peccatum, quando nolentes imaginibus nocturnis illudimur: sed tunc est peccatum, si antequam illudamur, cogitationis affectibus præuenimur. Luxuriæ quippe imagines quas in veritate gessimus, sæpe dormientibus in animo apparent, sed innoxiæ, si non concupiscendo occurrunt. Qui nocturna illusione polluitur, quāuis extra memoriam turpium cogitationum sese persentiat inquinatum, tamen hoc vt tentaretur culpæ suæ tribuat, suámque immunditiam statim fletibus tergat.

Item de eodem. Ex vita S. Dioscori *S. Dioscorus dicebat.*

¶ CAP. 113.

Si absque mulierum fantasia pollutio veniat, non esse peccatum. Ingenitus enim humor in corpore, vbi propria repleuerit conceptacula, suis necesse est meatibus egeratur, & ideo non trahitur ad peccatum.

Vtrum minus peccatum sit permittendum, vt grauius euitetur. Haymo super Genesim.

¶ CAP. 114.

Quæri solet vtrum hæc compensatio fieri debeat, vt videlicet minus peccatum fieri permittamus, vt grauius delictum deuitetur. Ecce enim
Genes 19. Loth filias suas incestui tradere voluit, ne maius peccatum contra naturam, in viros committeretur. Sed hoc perturbato animo dare debemus. Nesciens enim quid ageret, vel quomodo hospites quos homines putabat, liberaret, hoc egisse credendus est.

Quòd minus est secundùm naturam coire, quàm contra naturam delinquere. Ambrosius in lib. i. de Abraham. cap. vi.

¶ CAP. 115.

32 q. 7. c. offerebat. Offerebat sanctus Loth filiarum pudorem: nam etsi illa quoque impuritas flagitiosa erat, tamen minus erat secundùm naturam coire, quàm aduersus naturam delinquere.

Lib 22. cap. 44. *Quòd Loth de ebrietate potius quàm de incestu culpandus sit. Augustinus contra Faustum.*

¶ CAP. 116.

Genes 19. Inebriauerunt Loth filiæ eius, & se nescienti miscuerunt. Quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum meretur illa ebrietas.

Quòd Loth prostituere volebat filias suas, potius perturbatione, quàm dispensatione. Augustinus lib. quæstionum super Genesim, cap. xlij.

¶ CAP. 117.

Quod ait Sodomitis Loth: Sunt mihi duæ filiæ quæ nondum nouerunt viros, producam illas ad vos, vtimini illis sicut placuerit vobis, tantùm in viros istos ne faciatis iniquum. Quoniam prostituere volebat filias suas hac compensatione, vt viri hospites eius nihil à Sodomitis tale paterentur: vtrum admittenda sit compensatio flagitiorum vel quorumcunque peccatorum, vt nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat: an potius perturbationi Loth, non consilio tribuendum sit, quia hoc dixerit, meritò quæritur: & nimirum periculosissimè admittitur hæc compensatio. Si autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda est.

De eodem. Ibidem, cap. xliij.

¶ CAP. 118.

Intelligamus non pro authoritate habendum quod dixit Loth de turpitudine filiarum.

Ne quis menstruatæ mulieri misceatur. Clemens Iulio & Iuliano. ¶ CAP. 119.

Obseruet vnusquisque ne menstruatæ mulieri Leuit. 18.
misceatur: hoc enim execrabile dicit lex Dei.

Quòd conceptus menstruatæ mulieris multis modis corrumpitur. Augustinus super Genesim ad literam. lib. x. cap. vij. ¶ CAP. 120. Cap. 17.

Quòd scriptum est: Puer eram ingeniosus, & Sap. 8. & 17.
sum sortitus animam bonam: videlicet ex paterno ingenio vel corporali temperamento: deinde cùm essem magis bonus veni ad corpus coinquinatum. Coinquinatum videlicet vel à cruore menstruo (dicuntur enim ex hoc ingenia grauari) vel à contaminatione adulterina.

De eodem Hieronymus super Ezechielem, lib. vi. in caput xviij. ¶ CAP. 121. In medio.

Per singulos menses grauia atque torpentia mulierum corpora, immundi sanguinis effusione releuantur. Quo tempore si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fœtus secum vitium seminis trahere, ita vt leprosi & elephantiosi ex hac conceptione nascantur, & fœda in vtroque sexu corpora, paruitate vel enormitate membrorum * sanitas corrupta degeneret. Præ- * sanies
cipitur ergo viris vt non solùm in alienis mu- orig.
lieribus, sed in suis quoque quibus videntur lege coniungi, certa concubitus norint tempora, quando coeundum, quando ab vxoribus sit abstinendum. *Item.* Caueat vxor ne desiderio victa coeundi celet virum, & maritus ne vim faciat vxori, putans omni tempore sibi subiectam esse debere coniugij voluntatem.

Ne nimis aspera alicui iniungatur pœnitentia. Gregorius Domitiano Metropolitano. Li. 2. regist.

¶ CAP. 122. cap. 101 epistola 62.

Qui culpam plangunt luxuriæ, & voluptatem carnis in dolorem vertunt, à magistris sentire non debent asperitatem disciplinæ, ne ipse humani generis redemptor minus ametur, si pro eo anima plusquàm debet atteritur.

Non esse culpam inordinatum motum membrorum sine consensu. Augustinus de ciuitate Dei, lib. j. cap. xxv. ¶ CAP. 123.

Si concupiscentiaḣs inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem quasi sua lege mouetur, si absque culpa est in corpore dormientis, quantò magis absque culpa est in corpore non consentientis?

Ne mulier sine consensu viri veletur. Capitularium lib. v. c. xviij. ¶ CAP. 124.

c. 16.

* comiato orig.

Mulier si sine * commeatu viri sui velum in caput miserit: si viro suo placeat, recipiat eam iterum ad coniugium.

Quòd incestuosi ab Ecclesia separandi sint. Gregorius Fœlici Episcopo siciliæ. ¶ CAP. 125.

Lib. 12. regist epist 31.

Omnes incestuosi à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ sunt separandi, vsque dum per satisfactionem sacerdotum precibus eidem sanctæ ecclesiæ canonicè reconcilientur. Sunt enim mali segregandi à bonis, & iniqui à iustis: vt saltem rubore suo conscientias suas recognoscant, & conuertantur à prauitatibus suis. At si incorrigibiles apparent, segregentur à fidelibus vsque ad satisfactionem.

Quòd veritas culpæ diligenter inuestiganda est ante pœnam. Gregorius Ioanni episcopo Panormitano. ¶ CAP. 126.

Regist lib. 11. epist 62.

Quia sunt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam, quærenda semper est veritas, vt inquiri valeat vtrùm accusatum noxa condemnet, an à pœna innocentia patefacta subducat. *Augustinus de verbis domini, tit. xi.* Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab vxoribus suis, plærunque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus: nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Vbi contigit malum, ibi moriatur malum: nō tamen vulnus illud negligimus.

De verbis domini in euangelium Matt. serm. 16.

Vt vir nolente vxore non contineat. Augustinus super psalmum cxlix. ¶ CAP. 127.

Sub finem ad versiculum: Vt alligent reges eorum in compedibus. 33. q. 5. c. dicat.

Si dicat vir, continere iam volo, nolo iam vxorem, non potest. Quid si tu vis & illa non vult? Nunquid per continentiam tuam debet illa fieri fornicaria? Si alij nupserit te viuo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus tale damnum compensare. Redde debitum, & si non exigit, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debetur vxori.

Quid sit abuti vxore. Augustinus ad Valerium, de nuptiis & concupiscentia. ¶ CAP. 128.

Lib 2. c. 2.

Ab ea parte corporis, quæ non ad generandum est instituta, si & coniuge quisque vtatur, contra naturam est & flagitiosum.

Quòd nomine corporis pars corporis intelligatur. Augustinus ad Claudium contra Iulianum, lib. v. cap iiij. ¶ CAP. 129.

1. Cor. 7.

Si pars corporis nomine corporis non posset nuncupari, non diceret Apostolus: Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Ipsa vtique membra appellat corporis nomine, quibus discernitur sexus, peragitúrque concubitus. Quis est enim qui dicat virum sui corporis potestatem non habere, si in his verbis Apostoli totum corpus intelligas, quod constat omnibus membris? Ac per hoc secundùm Apostolum etiam solum genitale membrum nomine corporis nuncupatur.





D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI

DECRETI PARS DECIMA:

DE HOMICIDIIS SPONTANEIS, & non spontaneis. De parricidijs, & fratricidijs. Et de occasione legitimarum vxorum, & seniorum, & clericorum. Et quòd non omnis hominem occidens homicida sit: Et de eorum pœnitentia.

Epist 154. *QVOD OMNES LEGES TAM ECCLESIASTICAE, QVAM sæculares effusionem humani sanguinis prohibeant. Augustinus in epistola ad Publicolam.*

§ CAPVT PRIMVM.



23. q. 5. c. de occidendis hominibus. DE occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium: nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro se hoc faciat sed pro aliis, vel pro ciuitate, vbi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si eius congruit personæ. Qui verò repelluntur aliquo terrore ne malè faciant, etiam ipsis aliquid fortassè præstatur. Hinc autem dictum est, non resistamus malo, ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit, non vt correctionẽ hominum negligamus: vnde nec reus est mortis alienæ, qui cum suæ possessioni muros circunduxerit, aliquis ex ipsorum vsu percussus intereat. Neque enim reus est Christianus, si bos eius aliquem feriendo, vel equus calcem iaciendo aliquem occidat. Aut ideo non debent Christiani boues habere cornua, aut equus vngulas, aut dentes canes. Aut verò quoniam Paulus apost satis egit vt in Tribuni notitiam perferretur insidias sibi à quibusdam perditis præparari, & ob hoc deductores accepit armatos, si in illa arma scelerati homines incidissent; Paulus in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret? Absit vt ea quæ propter bonum ac licitum facimus, aut habemus, si quid per hæc propter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Alioquin nec ferramenta domestica & agrestia sunt habenda, ne quis eis vel se vel alterum interimat.

(Margin: Matth. 5. — Actor. 21.)

Epist. 158. *De potestate iudicis. Augustinus in epist. ad Marcellinum.* § CAP. 2.

Soleo audire in potestate esse iudicis mollire sententiam, & mitius vindicare quàm leges.

Item de eadem re, in eadem epistola. § CAP. 3.

Scio in causa clericorum Anaunensium, qui occisi à gentilibus nunc martyres honorantur, imperatorem rogatum facilè concessisse, ne illi qui eos occiderant & capti iam tenebantur, pœna simili punirentur. Paulo post.

Quòd qui seipsum occidit, homicida est. Aug. de ciuit. Dei, lib. 1. cap. xvij. § CAP. 4.

Si non licet priuata potestate alicui hominẽ occidere vel nocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit: profectò etiam qui seipsum occidit, homicida est. Et tantò fit nocentior cum se occiderit, quantò innocentior in ea 23 q. 5. c. Si non licet.

causa fuit, qua se occidendum putauit. Nam si Iudæ factum meritò detestamur, eúmque veritas iudicat cùm se laqueo suspendit, sceleratæ illius traditionis auxisse potius quàm expiasse commissum, quoniam de Dei misericordia desperando exitiabiliter pœnitens, nullum sibi salubris pœnitentiæ locum reliquit: quantò magis à sua * cæde se abstinere debet, qui tali supplicio quid in se puniat non habet? Iudas enim cùm se occidit, sceleratum hominem occidit, & tamen non solùm Christi, verùm etiam suæ mortis reus finiuit hanc vitam: quia licet propter suum scelus, alio suo scelere occisus est. Cur autem homo qui nihil mali fecit, sibi malè faciat, & seipsum interficiendo hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem, atque in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum? *Item.* In sanctis canonicisque libris nusquàm nobis diuinitus præceptum permissúmue reperiri potest, vt vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ipsius cauendi carendiue mali causâ nobismetipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendū est, vbi lex ait: Non occides: præsertim quia non addidit proximum tuum, sicut falsum testimonium cùm vetaret: Falsum inquit, testimonium non dices aduersus proximum tuum. Ne ideo tamen, si aduersus seipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putauerit alienum: quoniam regulam diligendi proximū à semetipso * accepit, quandoquidem scriptum est. diliges proximum tuum tanquam teipsum. Porro si falsi testimonij non minus reus est, qui de ipso falsum fatetur, quàm si aduersus proximum hoc faceret, cùm in eo præcepto quo falsum testimonium prohibetur, aduersus proximū prohibeatur, possitque non rectè intelligentibus videri non esse prohibitum, vt aduersus seipsum quisque falsus testis assistat: quantò magis intelligendum est, non licere homini seipsum occidere, cùm in eo quod scriptum est: Non occides, nihil deinde addito, * nec ipse vtique cui præcipitur, intelligatur exceptus? *Item.* Scriptum est: Non occides, nec alterum, * nec te. Neque enim qui se occidit, aliud quàm hominem occidit. Quasdam verò exceptiones, eadem ipsa diuina fecit authoritas. Sed his exceptis quos Deus occidi iubet, siue data lege, siue ad personam pro tempore expressa iussione. Non autem ipse occidit qui ministerium debet iubenti, sicut adminiculum gladius est vtenti: & ideo nequaquàm contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est, non occides, qui Deo authore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundùm leges eius, hoc est iustissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solùm non est culpatus crudelitatis crimine, verùm etiam laudatus est nomine pietatis, quòd voluit filium nequaquàm sceleratè, sed obedienter occidere. Et meritò quæritur vtrum pro iussu Dei sit habendum, quòd Iepte filiam quæ patri occurrit occidit, cùm se * aduouisset immolaturum Deo, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurrisset. Nec Sampson aliter excusatur, quòd seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. His ergo exceptis, quos vel lex iusta generaliter, vel ipse iustitiæ fons Deus occidi iubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur. *Item.* Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere grauissimū propriū: neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari: neminem velut desiderio melioris vitæ quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.

Marginalia: * nece; Ibid. c. 18.; c. 20.; Exod. 20.; * dilector; Matth 22.; Exod. 20.; * nullus; * ergo; Ibidem ad calcem cap.; Ibid. ca 21.; Genes. 22.; Iudic. 11.; * id vouisset or.; Iudic. 16.; c. 22.; c. 26.

Vt missa & oblationibus careat, qui seipsum occidit. Capitul. lib. vij. cap. lxx.

¶ CAP. 5.

De eo qui semetipsum occidit, aut laqueo se suspendit, consideratum est, vt si quis compatiens velit eleemosynam dare, tribuat, & orationes in psalmodiis faciat, oblationibus tamen & missis careat.

De eodem. Antisiodorense concilium, cap. xvij.

¶ CAP. 6.

Quicunque se propria voluntate aut in aquā iactauerit, aut collum ligauerit, aut de arbore præcipitauerit, aut furiosè percusserit, aut qualibet occasione sponte sua se morti tradiderit: istorum oblata non recipiantur.

Quòd Ecclesia nullum occidit. Ex dialogis Augustini contra Petilianum. *Lib 2 contra literas Petiliani, c. 49.*

CAP. 7.

Tu dixisti, laqueo traditor periit, laqueum talibus dereliquit. Hoc ad nos omnino non pertinet: neque enim veneramur nomine martyrum eos, qui sibi collum ligauerunt.

Quòd Presbyteri interfecti episcopo solui debeant. Capitularium libro v. cap. xc. *L. 4. c. 15.*

¶ CAP. 8.

Presbyteri interfecti Episcopo ad cuius parœciam pertinent, soluantur.

De compositione subdiaconi, diaconi, presbyteri, Episcopi, vel monachi. Item cap. cc. lxi. *L. 3. c. 25.*

¶ CAP. 9.

Qui Subdiaconum occiderit, trecentos solidos componat, qui Diaconum quadringentos, qui Presbyterum 600. qui Episcopum 900. qui Monachum 400. *17. q. 4. cap. subdiaconū.*

De pœnitentia eius qui clericum aut monachum occiderit. Lib. vi. cap. xc.

¶ CAP. 10.

Qui occiderit monachum aut clericum arma relinquat, & Deo in monasterio seruiat cunctis diebus vitæ suæ, nunquàm ad sæculum reuersurus, & septem annos publicam pœnitentiam gerat. *17. q. 4. cap. qui occiderit.*

Quòd ad hoc iudex gladium portat, vt sceleratos damnet. Haymo super epistolam ad Rom. in cap. xxiij. ¶ CAP. 11.

Sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per mundi iudices, quàm per antistites & rectores ecclesiarum iudicantur. Sicut est, cum quis interficiat Pontificem Apostolicum, Episcopū, Presbyterum, siue Diaconum, huiusmodi reos Reges & principes mundi damnant. Ergo non sine causa portat gladium, qui talia scelera * diiudicat. Sunt etiam maximè constituti propter *23. q. 5. cap. sunt quædā* ** iudicat orig.*

homicidas, raptores, vt illos damnent, & alios suo timore compescere faciant.

De quodam qui de cæde episcopi sui conuictus est fuisse conscius. Gelasius Philippo & Caßiodoro.

¶ Cap. 12.

Cælestini causa talis est, quam vos quoque non arbitror ignorare. Siquidem hic conscius conuictus in cæde parentis & episcopi, quemadmodum gestorum tenore monstratur, cunctorum iudicio nullatenus æstimatus est officio dignus altaris, eique pro tam detestando facinore vnius anni interdicta communio est: quatenus pœnitudine competenti tanti facinoris curaret abruptum. Quod etiam si à nobis minimè iuberetur, ipse magis cogitans diuini corporis sacramentum, debuit ad hoc mente purgatiori remeare: Quod tempus tamen aut expletum, aut propè iam putamus exactum: post quod ei communionis facultatem patere, non dubium est, vt & sententia synodalis possit abrumpi, & vt illi magis prosit, valeat maiore satisfactione mundari.

De simili causa. Gelasius Ioanni episcopo.

¶ Cap. 13.

Nos ausus impij commouere Aselli, qui Archidiaconatus fungebatur officio. Nam cum tam duro casu lethaliter sauciato pontifice, præ cæteris ecclesiam custodire debuerit, ac ne quid de episcopali domo subduceretur: & eum ipsum in tumultu præsenti permisit occidi, cùm & ad fatendum seruari debuisset, vtrùm hæc sua voluntate peregerit, an cuiusquam præcipitatus impulsu, & prius ab eo, quia idem creditarius præsulis fuisse dicitur interempti, ecclesiastica requiri substantia. Quis autem non euidenter intelligat, propter hoc præcipuè dictum citius fuisse sublatum, quatenus nec complices proderet, & ignorata facultas ecclesiæ facilius direptionibus subiaceret? Nam & libellaris incisus episcopi perhibetur inuentus, & vir bonus Asellus ac suo gradu dignus (quod nunquam antè tentatum est) prius in se decretum, adactis ecclesiæ ministris, compulit celebrari, quàm de excessu secundum tramitem vetustatis, ad sedis Apostolicæ notitiam relatio mitteretur. Quàm sit autem intolerabile malum, quis Christianus addubitet? vt cùm soleat etiam communi sorte defuncto pontifice trāsitus eius ante omnia nunciari, competens deputari visitatio, atque ita de subrogando sacerdote tractari: hic vnus extiterit, qui interfecto religionis antistite, de suo mox honore cogitauerit, quàm studuerit deferre quod gestum est. Vbi tametsi latet extrinsecus quid agatur, tamen affectatæ potestatis abruptum, conscientiam suspicione non exuit, defuncti locum taliter ambientis. Interim ne quis hoc vnquàm audeat vsurpare, quod ante istum nullus est ausus, ab officio quod gerebat nostra sit authoritate submotus, donec quid in perpetuum de tali ordinari censeamus plenius retractetur. Si qua sanè iuris ecclesiastici sustulisse conuincitur, modis omnibus reformare cogatur.

De pœnitentia presbyteri qui presbyterum occidit. Alexander secundus Amalgerio Ciuitanensi episcopo. ¶ Cap. 14.

Fratri huic quem perpetrati homicidij reatu ad iudicium canonicæ pœnitentiæ suscipiendū, ad Apostolicam sedē misisti, noueris nos huius ordinis pœnitentiam misericordiæ respectu iniunxisse. Nam quia presbyter presbyterum occidit, quadrupliciter, xxviij. videlicet annis eū pœnitere oportet: quatuordecim annos sibi misericorditer indiximus, irrecuperabiliter deijcientes eū à presbyteratu, & omni administratione altaris. Quos quidē quatuordecim annos hoc ordine obseruabit. Tribus prioribus annis extra ecclesiā, nisi ad extrema mortis absq; cōmunione, & mēsæ participatione & pace sit. Sed à cœna domini solùmodò reconcilietur, vsq; ad octauas Pentecostes. Hac præsenti quadragesima quotidie ieiunet in pane & aqua diebus tribus hebdomadæ, vsq; in Pascha. Ab octauis Pētecostes vsq; in festū S. Michaëlis duobus: deinde tres. Post tres annos reddita sibi cōmunione ecclesiæ & mensæ, inter idiotas sit vsq; ad expletos septem annos, eodem modo totum pœnitentiæ tēpus seruans. Et quia conuenit eū esse sub regimine Abbatis, mandamus tibi vt mittas eū in aliquo monasterio, vt ibi condignè pœnitens saluetur, & si tibi vel Abbati videtur sibi remittere, si hunc condignè obseruasse pœnitentiam videris, post tres annos liceat.

De purgatione presbyteri qui sine accusatoribus de morte episcopi sui fuerat infamatus. Alexander secundus Rainaldo Cumano episcopo.

¶ Cap. 15.

Super causas Guillādi presbyteri tui, de morte episcopi sui prædecessoris tui infamati, in medium consuluimus. Itaq; circùm omniū astantium fratrū vnanimi assensu tuæ dilectioni rescribimus, præfatum Guillandum presbyterum ante te præsentandum: vbi si certi accusatores defuerint, tunc dictante iustitia, sine omni controuersia, presbyter quæcunque ob hoc iniustè amisit ac sacerdotium accipiat, & integra beneficia, purgationem tamen antea duobus sibi sacerdotibus iunctis, vbi accusator cessauerit, eūdem ex se præbere tuo committimus arbitrio. Vulgarem denique ac nulla canonica sanctione fultam legē, feruentis scilicet siue frigidæ aquæ, ignitique ferri contactum, aut cuiuslibet popularis inuentionis, quia fabricante hæc sunt omnino ficta inuidia, nec ipsum exhibere, nec aliquomodo te volumus postulare, imò Apostolica authoritate prohibemus firmissimè.

De pœnitentia eius qui presbyterum in se armis irruentem interfecerit. Alexander secundus, clero Vulturnensi. ¶ Cap. 16.

Pœnitens præsentium portitor ad nos veniens, retulit se instinctu diaboli quendam presbyterum armatum super se irruentem, ictúmque ferentem occidisse. Vnde quia in Canonibus habetur pro interfectione armati presbyteri simplicem pœnitentiam esse dandam, iniunximus pœnitentiam decem annorum: ita vt hinc vsque ad Pascha ieiunet tribus diebus per septimanam in pane & aqua, & non vtatur calciamentis neque lino. Ab octaua Pentecostes, vsque ad festiuitatem sancti Martini ieiunet duobus diebus per septimanam: & à festiuitate sancti Martini vsque ad Natalem Domini, aut faciat carcerem ieiunans quotidie in pane & aqua, aut eat exul & ieiunet trib⁹ diebus in pane & aqua. Ab octaua Epiphaniæ vsq; ad quadragesimā ieiunet duobus diebus. A quadragesima vsque in Pascha ieiunet tribus diebus in pane & aqua: & hæc faciat vsque ad annos quinque. Ab

ingressu autem ecclesiæ & communione septem annos abstineat.

Excommunicatio Ioannis octaui in eos qui de morte Romani clerici suspecti erant.
§ CAP. 17.

Qui de homicidio Romani religiosi clerici suspecti, à nobísque canonicæ suæ excommunicationis intentatione, mediante Iunio præsentis octauæ Indictionis, vocati venire contempserunt, & ob hoc per nostras literas secundò & tertiò aduocati, extremum verò per Ioannem, Leonem, episcopos omnimoda communione priuati, quia Apostolatus iudicium hactenus subterfugisse, neque venisse neque misisse probantur: authoritate sancti Spiritus anathematizatos esse decernimus, quousque futuris Calendis Octobribus, futuræ nonæ Indictionis, purificari canonicè mereantur. Si autem neque tunc plenissimam nobis satisfactionem ostenderint, perpetuo anathemate teneantur innexi, ita vt quicunque amodò eis in cibo, potu, vel oratione communicauerint, pari cum eis anathematis sententia colligentur.

De his qui duos episcopos suos occiderunt, vt amplius episcopo careant. Gelasius Maiorico & Ioanni episcopis. § CAP. 18.

Ita nos quidem latinorum cædes geminata pontificum horrendi sceleris atrocitate confudit, vt diu constitutio nostræ deliberationis hæsitaret: dum & ingerere quenquam parricidalibus exemplis dubitaremus antistitem. Quapropter iam velut vsum consuetudinémque sacrilegam declinantes, eatenus religioni duximus consulendum, vt parœciæ vices ab extrinsecus positis sacerdotibus gubernentur: * quia ibidem commanentes ferro didicerunt necare pastores, inauditóque facinore (quod etiam nullis prouinciis nusquam prorsus acciderit, quæ bellorum continuis diuersísque incursionibus affliguntur) hæc reperta sit ciuitas, quæ præsules ministrando sibi fidem Christianam, sine persecutore prosternat. Curandum est igitur vt illic funesta pernicies cessatione propriorum saneturantistitum, atque ita saltem furoris tanti materies subtrahatur, eóque modo vel illa dum in quos sæuiat non habebit, ab huiusmodi temeritate desistat, vel aliis imitantibus dira contagia non præbeat. Egeat ergo episcopalibus subsidiis sibimet aliunde depensis, quæ sacram in suo gremio collocatam fuso crudeliter macularat sanguine dignitatem. Quia in vtroque hac est vltione plectenda, siue scilicet instinctu domestico, seu furiis incitata nefas hoc committit exterius.

* qui *Vict.*

Vt si episcopus occisus fuerit alter non subrogetur, nisi reis detectis & punitis. Nicolaus Ioanni Archiepiscopo Rauennæ.
§ CAP. 19.

De Oleoberti episcopi Grauellensis crudelissima nece multum Apostolatus noster condoluit, & magno mœrore affectus est: sed rursus non minus prudentiam tuam miramur, vtrùm verum sit quod illuc vestrum factura episcopum sine nostra licentia transmiserit, cùm licitum nõ sit, sicut dicitis, Missum. Certè etsi aliud non impediret, saltem vos tantum scelus paululum retardare debuerat, ne citò in tali & de tali populo episcopum constitueretis, vbi oues morbidæ Iudæorum in dominum saluatorem imitans flagitium, proprium ausi sunt truncare pastorem. Sustinete igitur paulisper, & causam quam nescitis secundùm beatum Iob diligentissimè inuestigate, ne fortè (nisi digna examinatio præuenerit) manus super caput sanguine plenum posuisse (quod absit) inueniamini. Cùm autem detectis reis atque punitis qui dignus sit apparuerit, & cleri plebísque, & ducis nostri nostram habentis authoritatem, qui vtique vnus è plebe eadem esse dinoscitur, concordia effecta fuerit, celebretur electio, sicque demum, sicut in synodo deliberatum est atque constitutum, nobis hoc innotescite: & cùm de electo nostro Apostolatui nunciatum fuerit, adiuuante domino sanctione præmissa, episcopus à vestra beatitudine consecretur. *Iob 29.*

De flagellatoribus & occisoribus episcoporum. Nicolaus Tadoni Archiepiscopo Mediolano.
§ CAP. 20.

De presbyterorum flagellatoribus & occisoribus, prædonibus scilicet, qui seculari brachio minimè coërcētur, iuxta præceptũ domini, placet fraterno amore conueniantur secundò ac tertiò, quíque si te non audierint, conueniente ecclesia eos Eucharistia priuare: atque si in sua obstinatione paruipendentes sacerdotalia monita, fortè permanserint, ab ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecare licentiam tribuimus. Quos etiam resipiscentes, tandẽ digna satisfactione præmissa, in gremio sanctæ matris Ecclesiæ reuocari noueris posse. *Matth. 18*

De Abbate qui seruum fuste vno ictu percussit, & post sex menses mortuus est. Alexander secundus Aumoldo Constantiensi Episcopo.
§ CAP. 21.

Intelleximus in literis tuis, quòd earum lator sacerdos videlicet & abbas ira acerrimè stimulatus seruientem vno fustis ictu in dorso percusserit, & sic percussus (vt per coniecturam admittitur) sex tamen mensibus transactis obierit. Vnde hunc quasi homicidij culpa notatũ, & sui gradus horrens incurrisse periculum, & dignitatis perpendimus pertulisse naufragium. In qua re (saluo tui ordinis priuilegio) quodammodo repentina seueritas & statuisse videtur præiudicium, & præcipuè discretionis excessisse modum: quæ nimirùm clementiori nobis videtur moderamine temperanda. De qua videlicet habenda discretione si tua fraternitas hæsitat, Gregorianæ authoritatis testimonium legat. *Item.* Fraternitati tuæ mandamus, vt fratrem istum Abbatiæ restituat: & si iam annus pœnitentiæ transactus habetur, sacerdotali sibi officio restituto, eum sacris altaribus ministrare permittat.

De pœnitentia eius quæ ancillam flagellans occiderit. Ex j. concilio Elsberitano, c. v.
§ CAP. 22.

Si qua domina furore zeli accensa, flagellis verberauerit ancillam suam vt infra tertium diem cum cruciatu animam effundat, eò quòd incertum sit voluntate an casu occiderit: si voluntate, per septem annos: si casu, per quinque annorum tempora acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quod si infra tertium diem fuerit infirmata, accipiat communionem. *dist. 50. c. Si qua fœmina.*

De eo qui mulierem fustibus cædi præceperat. Gregorius Andreæ Episcopo Tarentino.

Lib. 2 indict. 11 ep 44.

¶ CAP. 23.

Quoniam mulierem de matriculis contra ordinem sacerdotij cædi crudeliter fustibus deputasti, quam licet post octo menses exinde minimè arbitremur fuisse defunctam: tamen quia ordinis tui habere noluisti respectum, propterea duobus te mensibus ab administratione missarum statuimus abstinere. *Item.* Matriculam verò quam fecit fustibus castigari, quamuis exinde post octo menses obiisse non credimus: tamen quia eam contra propositi sui ordinem huiusmodi fecit affligi; duobus hunc mensibus à missarum solennitate suspende.

Idem Ioanni episc. Calliopolitano ep 45.

De pœna Presbyteri qui diaconum percusserit. Nicolaus Hosbaldo episcopo Quadrantino.

¶ CAP. 24.

Studeat sanctitas tua persuadere episcopo tuo sibi canonicum sociare numerum collegarum, id est, sex ex vicinis prouinciis fratres & coëpiscopos tuos: quibus tecum iunctis & decernentibus diligenter inuestigate, & omni annisu scrutari procurate, quatenus inuenire valeatis vtrùm percussione iam nominati presbyteri, an ceruicis fractione idem diaconus (vt fertur) extinctus est. Et si quidem à sæpefato presbytero non ad mortem percussus est, sed ex equo cadēs ceruice fracta interiit, secundùm arbitrium vestrum pro percussione incautè agenti presbytero pœnitentiam competentem indicite: & aliquanto tempore à missarū sollenniis suspendatur, denuò ad sacerdotale post hæc rediturus officium. Quod si veraciter qualicunque percussione istius Presbyteri ille mortuus est diaconus: nulla hunc ratione ministrare sacerdotis more decernimus: quoniam etsi voluntatem occidendi non habuit, furor tamen & indignatio ex quibus motio illa mortifera prodiit, in omnibus, sed præcipuè in Dei ministris multipliciter inhibentur, atque vbique damnantur. Verum si presbyter adeo vestro studio noxius fortè claruerit, præcipimus vt tale beneficium sibi ecclesiæ suæ concedatur, quo & ipse & sui sufficienter possint habere suæ sustentationis solatium.

Et conc. Triburi ca 52.

De septennali vel quinquennali pœnitentia homicidarum. Ex Ancyrano concil. ca. xxij.

¶ CAP. 25.

De homicidiis non sponte commissis, prior quidem diffinitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda verò quinquennij tempus explere.

De examinanda causa cuiusdam presbyteri. Ioannes viij. Sigigodo Narbonensi episcopo.

¶ CAP. 26.

Præsentium literarum gerulus sedi Apostolicæ præsentatus se presbyterum esse querula & lamentabili voce perhibuit, & à sanctitati tuæ subiectæ diœcesceos episcopis ab officio presbyteratus suspensum, & aliis quibusdam epitimiis vsque ad speciale iudicium nostrum submissum, pro eo quod, inquit, facto tumultu quidam se apprehensum & à terra brachiis subleuatum in proprium fratrem forti iactauerit impetu, vt idē germanus suus tanti operis mole impulsus in terram ruerit, & prostratus atque oppressus vitæ flatum violenter amiserit. Denique illi reuerēdi antistites cùm sibi, vt iste retulit, res in dubium veniret, vtrùm commisso sibi dudū carere, nec ne penitus debuisset officio, nō ipsi hanc deliberare, sed nostro decerni & diffiniri iudicio voluerunt. Sed tunc hoc solenniter agerent, si primū ipsi plenario, & ex canonibus in causa Presbyteri delegato iudicio quatuor deputatis, ex venerandis decretis & legibus personis præsentibus, hanc ventilassent, & subtili examine discussissent: vt ita facta scripto relatione, si quid dubiū sibi seu difficile ingessisse videretur, nostrum super hoc more prisco decretum exposcerent. At vbi nobis & persona relatoris incognita, & nullo episcoporum scripto commendatio approbata est, & rursus vbi nulla est accusatoris obiectio, nec accusati reatus confessio, nec fideliū comprobatio testium, nos nec illius solius narrationi creduli esse possumus, nec rursus in eum diffinitiuam damnationis sententiam proferre valemus. Ergo saltem nunc fraternitas tua metropolitani iure posita ex episcopis sub se degentium, vel vicinorum sex, vnà cum episcopo cuius est iste parœciæ sibi socians, tantum negotium subtili ventilet discussionis ventilabro, & inuento quod iustum est canonicè decernat, & communi fratrum censura diffiniat.

Quòd homicidæ sint qui filios dormientes oppresserint. Stephanus Ludberto episcopo Mogontino.

¶ CAP. 27.

Consuluisti etiam de infantibus, qui in vno lecto cū parentibus dormientes mortui reperiūtur, vtrum ferro candente, an aqua feruente, seu alio quolibet examine parentes se purificare debeant eos non oppressisse. Monendi namque sunt & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in vno collocent lectò, ne negligentia qualibet proueniente suffocentur vel opprimātur, vnde ipsi homicidij rei inueniantur. Nā ferri candentis vel aquę feruentis examinatione confessionē extorqueri à quolibet, sacri non censent canones, & quod sanctorum patrū documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendū. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini iudicare: occulta verò & incognita illius sunt iudicio relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominū. Hi autem qui probantur vel confitentur talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio: quia si conceptum in vtero qui per abortum deleuerit, homicida est, quantò magis qui vnius saltem diei puerulum peremerit homicidam se esse excusare nequibit?

2. q. 5. consuluisti.

De pœnitentia eorum qui non sponte homicidium commiserint. Nicolaus Carolo episcopo, & eius suffraganeis.

¶ CAP. 28.

De his qui non sponte homicidium commiserunt, in 22. cap. Ancyrani concilij, qualiter agere pœnitentiam debeant, diffinitum habetis. *Item.* Homicidas post vnius anni spatium liceat ecclesiam intrare.

Vt Presbyter homicida sacerdotali officio careat. Nicolaus Tadoni Arch. Mediol.

¶ CAP. 29.

Propterea de Presbyteris qui nō sponte homicidium perpetrarunt, & tamen homicidij noxā quia reuera homicidæ sunt incurrunt: sancimus, vt subducti à sacerdotali ministerio pœnitentiā iuxta sacros ordines macerentur, & post emensis temporibus pœnitentiæ indictæ dignam

satisfactionem præbentes, communionis gratiã consequantur. Intemeratis duntaxat in omnibus sacrosanctis canonibus ac Apostolicæ sedis Pontificum decretis, quibus conuersis & pœnitentibus misericordiam largiri posse & ecclesiæ aditum non denegamus, imò hortamur salubriter atque iubemus.

De misericordia impendenda his, qui homicidio superuenientes nec voluntate, nec actione perpetrauerint. Alexander ij. VVilfredo Constantiæ episcopo. ¶ CAP. 30.

Dicebant se latores præsentium homicidio illi, pro quo pœnitentia illis iniuncta est, penitus non interfuisse, sed præliantibus solummodò casu superuenisse. Quod si ita est, quandoquidẽ nec in causa homicidij, nec in culpa fuerint, misericordia super eos moti exilium eis Apostolica authoritate remisimus.

De pœnitentia eorum qui homicidium in treua Dei fecerint. Alexander secundus Adelardo Suessionensi episcopo. ¶ CAP. 31.

Quod in 30. annorum longitudinem homicidij in Treua Dei facti pœnitentiam extendistis, constitutioni huic authoritatẽ non damus: quia in sacris hoc canonibus non inuenimus. Tamen quoniam à prudentibus & religiosis viris Treua Dei pro conseruanda in populo pace est constituta, omnino non reprobamus.

Ad legem Aquiliam. L. vij. *Quòd mulio culpabilis sit, si mulæ quas ex imperitia vel infirmitate retinere non poterat, hominem obtriuerint. Pandectarum libro ix. titulo ij.*

¶ CAP. 32.

Mulio si per imperitiam impetum mularum retinere non poterit, si alienum hominem obtriuerint, vulgò dicitur culpæ nómine teneri. Idem dicitur, & si propter infirmitatem retinere mularum impetum non potuerit. Nec videtur iniquum si infirmitas culpæ annumeretur, cùm affectare quisque non debet infirmitatem suam aliis periculosam futuram. Idem iuris est, in persona eius qui impetum equi quo vehebatur, propter imperitiam suam vel infirmitatem retinere non poterit. *Item.* Lusus quoque noxius in culpa est. L. x.

Epist. 17. *De pœnitentia eius qui tres filios occiderat. Nicolaus Papa Riuoladro episcopo.*

¶ CAP. 33.

Istum VVimarum ad Apostolorum limina festinasse cognoscite, & pœnitentiæ modum pro perpetrato trium filiorum suorum homicidio sibi impositum manifestasse. Quorum quædam temperauimus, eò quòd suffragia Apostolorum principis nutritoris nostri postulare deuotè festinauit. Nam eum ad Beati Archangeli oraculum ire volentem instantia temporis reuocauit, atque constitutionis sibi impositæ modum continentem epistolam vestræ sanctitati deferendã, apostolica sollicitudo transmisit. In ea igitur statutum est, vt triennio ante fores ecclesiæ pro peccatis suis oraturus assistat. Et deinde inter auditores permaneat quadriennio, vt septem annorum curricula absque communione dominici corporis ac sanguinis transeat: ita quidẽ vt diebus omnibus vitæ suæ carnẽ non manducet, & isto septennio vinum non sumat, nisi diebus dominicis & festiuitatibus. Abinde quinquennio tribus diebus per septimanam à vino abstineat, vt duodecim annis quantitas pœnitentiæ extendatur. Liceat itaque illi vxorem propriam non deserere, ne fortè incidat in adulterium, & pro occasione vnius delicti præcipitetur fragilitate carnis in peius. Concessimus etenim ei calciatum ad vos peruenire, ac deinde triennio discalciatum ire debere, & vestimentis secundùm * quantitatem temporis & aëris temperiem indui, atque lacte perfrui. Cæterùm verò ita actus ipsius discernentes per omnia considerate atque disponite, quatenus & Euangelica misericordia in illo agnoscatur, & canonica authoritas conseruetur. Attamen permittimus eum caseum sumere, atque possessionem suam habere: & post septimum annum vsque ad diem mortis perseueret in iam dicta pœnitentia, atque arma nisi contra Paganos non ferat. * qualitatem orig.

Quòd non sit licitum sacerdotibus pugnare. Epistola Zachariæ papæ in capite capitularium, omnibus episcopis in regno Francorum constitutis. Lib. 5. c. 1. Et Zacharias ep. 3.

¶ CAP. 34.

Habuistis peccatis facientibus nunc quoque falsos erroneósque sacerdotes. Vnde & cunctæ Paganæ gentes vobis pugnantibus præualebant, quia non erat differentia inter laicos & sacerdotes, quibus pugnare licitum non est. Qualis enim victoria datur, vbi sacerdotes vnà dominica pertractant mysteria, Christianis dominicum porrigunt corpus pro suarum animarum redemptione, & pòst Christianos quibus hoc ministrare, ac Paganos quibus Christum prædicare debuerant, propriis sacrilegis manibus necant?

Vt Presbyter homicida non ministret. Zacharias Bonifacio. ¶ CAP. 35.

Scripsimus vobis, vt nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicator sacrum ministerium debeat attrectare, neque pœnitens: ita vt talis sit qualem sacri canones perhibent esse sacerdotem. De baptizatis verò ab illo, seu Ecclesiis consecratis, requirit tua fraternitas: Si aut Ecclesias in nomine trinitatis consecrauit, aut paruulos similiter baptizauit dum sacerdotio fungebatur: & sic consecratio ecclesiarum, & paruulorum baptisma sit confirmatum.

Ne homicida vel adulter Episcopum accuset. Ex epistola prima Clementis ad Iacobum.

¶ CAP. 36.

Homicidas & adulteros, ac cunctos criminalibus nexibus alligatos, & qui episcopis coëquales non erant, ab eorum vexatione & accusatione docente domino prohibebat, & non nisi cum coæqualibus aliquid sibi inferri debere docebat: quia discipulum super magistrum esse, aut vllam ei iniuriam inferre nullatenus oportet. 6. q. 1. c. B. Petrus. Matth. 10.

Quòd homicidæ venefici, & aliis criminibus notabiles ad accusationem non admittantur. Ex epistola ab Adriano papa tradita Ingelranno Mediomatrice vrbis episcopo, cap. lxvi.

¶ CAP. 37. Cap. 65.

Homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque cucurrerint, nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi.

Homicidas & falsos testes à communione submouendos. Ex conc. Agathensi, c. xxxvij.

§ CAP. 38.

24.q.3.cap. itaque. Censuimus homicidas & falsos testes à communione ecclesiastica submouendos, nisi pœnitētiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

Martinus Bracar. c.78. *De pœnitentia eius qui voluntariè homicidium fecerit. Ex concilio Martini episcopi, c.10.*

§ CAP. 39.

dist.50.c. Si quis. Si quis voluntariè homicidium fecerit, ad ianuam ecclesiæ Catholicæ semper subiaceat, & communionem in exitu vitæ suæ recipiat. Si autem non ex voluntate, sed ex casu aliquo homicidium fecerit: prior Canon septem annis agere pœnitentiam iussit, quinque secundus mandauit.

Quæst.81 in Exodi c.21. *Quid de tauro agendum sit si hominem occiderit. Augustinus quæstionum in Exodum.*

§ CAP. 40.

Si autem cornu percusserit taurus virum aut mulierem, & mortuus fuerit, lapidibus lapidabitur taurus, & non manducabuntur carnes eius: dominus autem * tauri innocens erit. Ad iustitiam pertinet, vt animal hominibus noxiū perimatur. Et quod de tauro positum est, à parte totum intelligendum est, quicquid de pecoribus vsui humano subditum infestum est hominibus.

* Tauri *non est in orig.*

Cap.67. *Vt homo non occidatur, nisi iubente lege. Capitularium lib.j. cap. lxiij.* § CAP. 41.

Non occidatur homo, nisi lege iubente.

De pœna eius qui post pacificationem alterum occiderit. Cap. lib. iij. cap. iij.

§ CAP. 42.

Si aliquis pòst pacificationem alterum occiderit, componat illum, & perdat manum qua periurauit, & insuper bānum dominicū soluat.

Vt nullus nisi pro iustitia hominem puniat. Capi lib v. c. cxcvj. § CAP. 43.

Qui per odium vel malum ingenium, & nisi propter iustitiam faciendam hominem punierit, honorem suum perdat, & legibus contra quem iniustè fecit, secundùm pœnam quam intulerit emendet.

Cap.38. *De pœna eius qui pœnitentem occiderit. Cap. lib. iv. c. xvij.* § CAP. 44.

Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, & * vuirgildum eius, proximis eius persoluat.

* Vverghildum.

Cap.92. *Vt sacerdos nec Christiani nec Pagani sanguinem fundat. Capitularium lib. vj. Cap. cxxiv.*

§ CAP. 45.

Sacerdotes neque Christianorum neque Paganorum sanguinem fundant.

Cap.151. *Quòd voluntas occidendi pro homicidio reputetur. Cap. cc xij.* § CAP. 46.

Qui hominem voluntariè occidere voluerit, & perpetrare non potuerit, vt homicida puniatur.

De induciis homini dandis à iudicibus, antequam occidatur. Cassiodorus Tripartitæ historiæ lib. ix. cap. xxx. § CAP. 47.

Et Theodoritus ecclesiasticæ hist. li.5 c.17. sed paulò aliter.

Cladem plenā valdè gemitibus audiēs Ambrosius, cū princeps Theodosius Mediolanū venisset, & solenniter in sacrum voluisset intrare tēplum, occurrit foris ad ianuas, & ingredientem his sermonibus à sacri liminis ingressu prohibuit: Nescis, Imperator, perpetratæ * necis à te quanta sit magnitudo, neque post pausam tanti furoris mens tua molem præsumptionis agnoscit. Sed fortè recognitionem peccati prohibet potestas imperij: decet tamen vt * vincat ratio potestatem. *Item.* Ambrosius Imperatori, Quoniam, inquit, furori tuū iudicium commisisti, & nō ratio protulit sententiam, sed potius iracundia: scribe legem quæ decreta furoris euacuet, * & in hac triginta diebus sententia necis atque proscriptionis in literis tantummodò maneat, & iudicium rationis expectet. Quibus transactis diebus ira videlicet iam cessante, ratio causam iudicans, apud semetipsam quæ cognouerit sub veritate disponat. In his enim diebus agnoscetur, an iusta sit quam protuleris, an iniusta sententia. Et si quidem ratio probauerit iniusta, quæ sunt prolata dirumpet: si verò iusta, firmabit. Dierum verò numerus ad hæc examinanda sufficiet. Hanc admonitionem Imperator animo libenti suscipiens, & optimam esse confidens, legem conscribi repentè præcepit, & propriæ manus literis confirmauit. Quo facto, vinculum eius absoluit Ambrosius. Quæ lex hactenus obseruatur. Est enim huiusmodi. Imperator Gratianus, Valentinianus, & Thodosius Augusti Flauiano præfecto prætorij Illyrici. Si vindicari in aliquos seuerius contra nostram consuetudinem pro causæ intuitu iusserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum sors & fortuna suspensa sit.

* cædis. *orig.*

* ducat *Vict.*

Ibidem post aliquam-multa.

* *Tripar. hist. hodie sic legit:* vt triginta diebus, &c.

Quòd Theodosium Imperatorem beatus Ambrosius propter indiscretum homicidium ab ingressu ecclesiæ prohibuit. Ex vita B. Ambros.

Authore Paulino.

§ CAP. 48.

Maximum Imperatorem à communionis cōsortio segregauit Ambrosius: admonens vt effusi sanguinis domini sui, & (quod est grauius) innocentis, ageret pœnitentiam, si sibi apud Dominum vellet esse consultum. Causa Thessalonensis ciuitatis non minima tribulatio successit Ambrosio, cùm penè comperisset ciuitatem deletam. Promiserat enim illi Imperator se veniam daturum ciuibus supradictæ ciuitatis: sed agentibus comitibus occultè cum Imperatore, sacerdote ignorante, vsque ad horam tertiam gladio ciuitas est donata, atque plurimi interfecti sunt innocentes. Quod factum vbi comperisset sacerdos, copiam Imperatori ecclesiam ingrediendi denegauit, nec priùs iudicauit dignum cœtu ecclesiæ vel sacramentorum communione, quàm publicam ageret pœnitentiam.

De diuersis materiis homicidiorum & pœna eorum. Institutionum lib. iv. Titulo iij.

Lege Aquilia.

§ CAP. 49.

Si quis alienum hominem alienámue quadrupedem, quæ pecudum numero sit, iniuriâ occiderit: quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur. Quod autem non præcisè de quadrupede, sed de ea tantùm

quæ pecudum numero est cauetur, eò pertinet, vt neque de feris bestiis, neque de canibus cautum esse intelligamus: sed de his tantum quæ gregatim propriè pasci dicuntur, quales sunt equi, muli, asini, boues, oues, capræ. De suibus quoque idem placuit: nam & sues pecorum appellatione continentur, quia & hi gregatim pascuntur. *Item.* Iniuriâ occidere intelligitur, qui nullo iure occidit. Itaque qui latronem insidiantem occiderit, non tenetur, vtique si aliter periculum effugere non potest. Ac ne is quidem hac lege tenetur, qui casu occidit, si modò culpa eius nulla inueniatur: nam alioquin non minus ex dolo, quàm ex culpa quisque hac lege tenetur. Itaque si quis dum iaculis ludit vel exercetur, transeuntem seruum tuum traiecerit, distinguitur. Nam si id à milite eo campo vbi solitum est exercitari, admissum est: nulla culpa eius intelligitur. Si alius tale quid admisit, culpæ reus est. Idem iuris est de milite, si in alio loco, quàm qui exercitandis militibus destinatus est, id admisit. Item si putator ex arbore deiecto ramo seruum tuum transeuntem occiderit: si propè viam publicam, aut vicinalem id factum est, neque proclamauit, vt casus euitari posset: culpæ reus est. Sin proclamauit, neque ille curauit cauere, extra culpam est putator. Extra culpam æquè esse intelligitur, si seorsum à via fortè, vel in medio fundo cædebat, licet non proclamauerit: quia eo loco nulli extraneo ius fuerat versandi. Præterea si medicus qui seruum tuum secuit, dereliquerit curationem, atque ob id mortuus fuerit seruus: culpæ reus est. Imperitia quoque culpæ annumeratur: veluti si medicus ideò seruum tuum occiderit, quòd eum malè secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit. Impetu quoque mularum, quas mulio propter imperitiam non potuerit retinere, si seruus tuus oppressus fuerit, culpæ reus est mulio. Sed etsi propter infirmitatem retinere eas non potuerit, cùm alius firmior retinere potuisset, æquè culpâ tenetur. Eadem placuerunt de eo quoque, qui cùm equo veheretur, impetum eius aut propter infirmitatem, aut propter imperitiam suam retinere non potuerit. His autem verbis legis (quanti in eo anno plurimi fuerit) illa sententia exprimitur: vt si quis hominem tuum qui hodie claudus, aut mancus, aut luscus erat, occiderit, qui in eo anno integer aut pretiosus fuerit: non tanti teneatur quanti hic hodie erat, sed quanti in eo anno plurimi fuerit: qua ratione creditum est pœnalem esse huius legis actionem. *Item.* Si quis ex pari mularum vnam, vel ex quadrigis equorum vnum occiderit, vel ex * comœdis vnus seruus fuerit occisus: non solùm occisi fit æstimatio, sed eò amplius id quoque computatur, quantò depretiati sunt qui supersunt. *Item.* Si quis hominem alienum, aut pecus ita * incluserit vt fame necaretur: aut iumentum tam vehementer egerit, vt rumperetur: aut pecus intantum exagitauerit, vt præcipitaretur: aut si quis alieno seruo persuaserit, vt in arborem ascenderet, vel in puteum descenderet, & is ascendendo vel descendendo mortuus fuerit, vel aliqua parte corporis læsus erit: vtilis in eum actio datur. Sed si quis alienum seruum de ponte, aut de ripa in flumen deiecerit, & is suffocatus fuerit, eò quòd proiecerit corpore suo damnum dedisse, non difficulter intelligi poterit, ideóque Aquilia lege tenetur.

Paulò post. — *Ibidem aliquanto post.* — *collegis — *Ibidem sub finem.* — *induxerit. *Vict.*

De damnatione eius qui hominem claudum vel luscum occiderit. Institutionum lib. iv. tit. vi.

§ CAP. 50.

Si quis hominem claudum aut luscum occiderit, qui eo anno integer & pretij magni fuerit: tantum damnatur, quantum * in eo anno plurimi erit.

*is homo *inferitur in orig.*

Vt presbyter homicida sacerdotio careat. Ioannes Octauus Cennomoco Venetiensi episcopo.

§ CAP. 51.

Miror minus doctam sententiam tuam sacerdotem putare post perpetratum homicidiũ, posse in sacerdotio ministrare, imò (quod est ineptius) nobis suadere velle, vt ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens tamque peruersi sensus tale quid æstimaret, vel post quantamcunque pœnitentiam concedendum, cùm omni sit canonicæ disciplinæ contrarium? Debet ergo sacerdotio priuatus lachrymarum fonte flagitium tam immane diluere, vt talibus saltem remediis curatus, salutis possit inuenire suffragium.

Idem suprà p. 6. c. 114.

De excommunicatione & irrecuperabili dispositione homicidæ episcopi. Ioannes Octauus Ludouico Imperatori. § CAP. 52.

Qualiter Rainaldus Castri Fœlicitatis episcopus super homicidio tam penes Apostolicam, quàm penes Imperatoriam sedem, publico murmure fuerit denotatus, & Gregorio dilecto filio nomenclatore misso, & Apocrisiario sanctæ sedis nostræ cum Georgio illustri magistro militum, ac Venestario sacri nostri Patriarchij apud dilectissimam filiam nostram Imperatricem Augustam consistente, à matre perempti iuuenis aliisque parentibus fuerit impetitus, & ad purificandum se à nobis per frequentes excommunicatorias epistolas accesserit Romam coactus: serenitati vestræ credimus manifestũ. Sed quia idem Romam veniens purgationis suæ tempus præripuit, & indicta pro se synodo deputatum sibi à nobis locum fraudulentus excedens, more furis per vrbis se muros deiecit, & vera fuisse crimina quæ sibi illata sunt, iudicium subterfugiens propalauit, hunc authoritate Dei omnipotentis, sanctorum Apostolorum principum, & nostræ mediocritatis ab omni ecclesiastica simul & Christiana communione penitus sequestramus.

Quòd non sit homicidium, si fur nocte domum perfodiens occisus fuerit. August. Quæstionum in Exod. quæst. lxxxiv.

§ CAP. 53.

Si autem perfodiens inuentus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidiũ. Si autem oritur sol super eum, reus est, & morte moriatur. Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur: si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait: Si orietur sol super eum, poterat quippe discerni, quod ad furandum non ad occidendum venisset: & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, inuenitur: impunè occidi furem nocturnum * quomodo diurnum, si se telo defenderit: iam enim plus est quàm fur.

Exod. 22. — *ff. ad l. Aquiliã, l. 4.* — **Aug. hodie sic legit:* quoquomodo, diurnũ autẽ si secũ, &c. *& sic antiq. codex S. Germ.*

Quòd non sint homicidæ æstimandi qui excommunicatos zelo ecclesiæ occiderint. Vrbanus ij. Godefrido Lucano episcopo.

¶ CAP. 54.

Excommunicatorum interfectoribus, prout morem Romanæ ecclesiæ nosti, secundùm ipsorum intentionem modum congruæ satisfactionis iniunge. Non enim eos homicidas arbitramur, quòd aduersus excommunicatos zelo catholicæ matris ardentes, eorum quoslibet trucidasse cōtigerit. Ne tamen eiusdem ecclesiæ matris disciplina deseuiat, tenore quem diximus pœnitentiam eis indicito congruentē, qua diuinæ simplicitatis oculos aduersus se complacare perualeant, si fortè quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio contraxerunt.

Lib.1.c.15. *De illis qui fœtus in vtero occidunt. August. de nuptiis & concupiscentia.*

¶ CAP. 55.

32.q.2.c. aliquando — Aliquando eousque peruenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam sterilitatis venena procuret:& si nihil valuerint, conceptos fœtus aliquo modo intra viscera extinguat ac fundat, volendo suam prolem priùs interire quàm viuere: aut si in vtero viuebat, occidi antequam nasci. Prorsus si ambo * sunt, coniuges non sunt: & si ab initio tales fuerunt, non per connubium, sed per stuprum potius conuenerunt. Si autem ambo non sunt tales, audeo dicere aut illa est quodammodo mariti meretrix, aut ille adulter vxoris.

* tales sibi. orig.

Quæst.180. in 21. cap. Exod. — *Quare lex non formatum puerperium noluit esse homicidium. August. lib. quæst. in Exod.*

¶ CAP. 56.

32.q.2. cap. quod verò non formatum. Ibidē paulò post. — Quod non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profectò nec hominem deputauit, quod tale in vtero geritur. Hic de anima quæstio solet agitari, vtrum quicquid formatum non est, nec animatum quidem possit intelligi, & ideo non sit homicidium: quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habebat. *Item.* Si illud informe puerperium iam quidem * fuerat, sed adhuc quodammodo informiter animatum, quoniam magna de anima quæstio non est præcipitanda indiscussa temeritate sententiæ: ideo lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viua in eo corpore, quod sensu caret.

* fuerit orig.

Quòd anima formato corpori infundatur. August. lib. quæstionum de veteri & nouo testamento, c.xxiij.

¶ CAP. 57.

32.q.2.c. Moyses. Exod.21. — Moyses tradidit: Si quis percusserit mulierē in vtero habentem, & abortierit: si formatū fuerit, det animam pro anima: si autem informatū fuerit, mulctetur pecuniâ, vt probaret non esse animam ante formā. Itaq; si iā formato corpori datur, non in conceptu corporis nascitur cū semine deriuata. Nā si cum semine & anima existit ex anima, multæ animæ quotidie pereunt, cū semen fluxu quodā non proficit natiuitati. Sed si * priùs respiciamus, videbimus quid sequi debeamus. Contēplemur facturā Adæ: in Adā enim exemplū datum est, vt ex eo intelligatur, quia iā formatum corpus accepit animā. Nam potuerat animam limo terræ admiscere & sic formare corpus: sed ratione informabatur, quia primùm oportebat domū compaginari, & sic habitatorem induci. Anima certè quia spiritus est, in sicco habitare non potest, ideo in sanguine fertur. Cùm ergo * lineamenta compacta non fuerint, vbi erit anima?

* propius orig.

* corporis. orig.

De informato corpore. Hieronymus ad Algasiam quæstione iiij.

Tom 4 ep. cui' initiū est Filius meus Apodemius.

¶ CAP. 58.

32.q.2 c sicuti semina. — Sicuti semina paulatim formantur in vtero, & tam diu non reputatur * homicidium, donec elementa confecta suas imagines membráque suscipiant: ita sensus ratione conceptus, nisi in opera proruperit, adhuc ventre retinetur, & citò * abortio perit.

* homo orig. & Gr. Exod 21. * ab hoste Græ.

Epist 50. — *Quòd boni iustè & piè persequuntur malos, mali autem iniustè bonos. August. ad Bonifacium comitem.*

¶ CAP. 59.

23.q 4 c. si Ecclesia. Galat.4. — Quærant schismatici ab Apostolo, quam ecclesiam significabat Sara, quando persecutionē faciebat ancillæ. Liberam quippe matrem nostrā cœlestem Hierusalē, id est, veram Dei ecclesiam in illa muliere dicit fuisse figuratam, quæ affligebat ancillam. Si autem meliùs discutiamus, magis illa persequebatur Sarā superbiendo, quā illam Sara coërcendo. Illa enim dominæ faciebat iniuriam, ista imponebat superbiæ disciplinam. Deinde quæro, si boni & sancti nemini faciunt persecutionem, sed tantummodò patiuntur, cuius putant in psalmo esse vocem, vbi legitur: Persequar inimicos meos & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant? Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio iniusta quam faciunt impij Ecclesiæ Christi, & est persecutio iusta quam faciunt impiis Ecclesiæ Christi. Ista itaque beata est, quæ persecutionem patitur propter iustitiam: illi verò miseri qui persecutionem patiuntur propter iniustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi sæuiendo: ista vt corrigat, illi vt euertant: ista vt reuocet ab errore: illi vt præcipitent in errorem: denique ista persequitur inimicos, & comprehendit donec deficiant in vanitate, vt in vanitate proficiant. *Item.* Schismatici dicunt: Cui vim Christus intulit, quem coēgit? Ecce habent Apostolum Paulum, Agnoscant in eo prius cogentem Christum, & postea docentem: priùs ferientem, & posteà consolantem. Mirum est autem quomodo ille qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laborauit: & quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras misit timorem. Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios vt redirent, si perditi filij coëgerunt alios vt perirent? Quamuis etiam illos quos non coëgerunt, sed tantummodò seduxerunt, si per terribiles, sed salubres leges in eius gremio reuocentur, blandius pia mater amplectitur, & de illis multò amplius, quàm de his quos numquàm perdiderat gratulatur. An non pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oues quæ non violenter ereptæ, sed blandè leniterque seductæ à grege aberrauerint, & ab alienis cœperint possideri, inuentas ad ouile dominicum, si resistere voluerint,

Psal.14. Math 5. Ibidem post multa. Actor.9. 23 q 6. cap. Schismatici. 1. Cor. 15. Luc. 15.

flagellorum terroribus, vel etiam doloribus reuocare? *Item.* *Post pauca.* A Christo coactum ostendimus Paulum. Imitatur itaque ecclesia in istis cogendis dominum suum, quæ prius vt neminem cogeret expectauit, vt de fide regum atque gentium prædicatio Prophetica compleretur. Etiam hinc non absurdè intelligitur Apostolica illa sententia, vbi Paulus *2. Cor. 10.* beatus dixit: Parati vlcisci omnem inobedientiam, cùm completa fuerit prior obedientia vestra. Vndè & ipse dominus ad magnam *Lucæ 14.* cœnam suam prius conuiuas adduci iubet, postea cogi. Nam cùm ei serui respondissent: domine factum est quod iussisti, & adhuc locus est: exite, inquit, in vias, & sepes, & quoscunque inueneritis cogite intrare. In illis ergo qui leniter primò adducti sunt, completa est prior obedientia: in istis autem qui coguntur, inobedientia coërcetur. *Item.* *Paulo post.* Si potestate, quam per religionem ac fidem regum, tempore quo debuit diuino munere accepit Ecclesia, hi qui inueniuntur in viis & sepibus, id est, in hæresibus & schismatibus coguntur intrare: non quia coguntur reprehendant, sed quò coguntur attendant. *Item.* *Post multa. 23 q 3 cap. Maximianus.* Maximianus Episcopus Vagiensis auxilium petiuit ab Imperatore Christiano contra hostes Ecclesiæ, *Act 21.* non tam sui vlciscendi causâ, quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, non eius fuisset laudanda patientia, sed negligentia meritò culpanda. Neque enim & Apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ, sed Ecclesiæ Dei consuluit, quando contra illos qui eum occidere conspirauerant, consilium illorum vt Tribuno proderetur effecit. Vndè factum est, vt eum ad locum quò fuerat perducendus deduceret miles armatus, ne illorum pateretur insidias. *Item.* *Ibidem aliquanto post. 23. q. 5. cap. quis enim. 2. Reg. 18.* Quis enim nostrum velit non solùm aliquem inimicorum perire, verumetiam aliquid perdere? Sed si aliter non meruit habere pacem domus Dauid, nisi Absalon filius eius in bello quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus: quamuis magnâ curâ mandauerat suis vt eum quantùm possent, viuum saluúmque seruarent, vt esset cui pœnitenti paternus affectus ignosceret: quid ei restitit nisi perditum flere, & sui regni pace acquisita suam mœstitiam consolari?

Quòd non sit idoneus ad exercendam vindictam nisi qui superauit odium mansuetudine. Augustinus de sermone Domini in monte, Libro primo. *Cap 37.*

§ Cap. 60.

23 q 4. c. ea vindicta. Ea vindicta non prohibetur quæ ad correptionem valet, ipsa enim etiam pertinet ad misericordiam. Nec impedit illud propositum, quo quisque paratus est ab eo quem correptum esse vult, plura perferre. Sed huic vindictæ referendæ non est idoneus, nisi qui odium quo solent flagrare qui se vindicare desiderant, dilectionis mansuetudine superauerit. Non enim metuendum est, ne odisse paruulum filium parentes videantur, cùm ab eis vapulat peccans, ne peccet vlterius. Et certè perfectio dilectionis ipsius Dei patris imitatione nobis proponitur, cùm in sequentibus dicitur: *Matth. 5.* Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro eis qui vos persequuntur. Et tamen de ipso dicitur per Prophetam: Quem enim diligit dominus corrigit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Dicit & dominus: Seruus qui nescit *Prou. 3. Heb. 12.* voluntatem domini sui, & facit digna plagis vapulabit paucis: Seruus autem qui scit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, *Luc 12.* vapulabit multis. Non ergo quæritur, nisi vt & ipse vindicet cui rerum ordine potestas data est: & ea voluntate vindicet, qua pater paruulum filium, quem per ætatem odisse nondum potest. Hinc enim apertissimum exemplum datur, quo satis appareat posse peccatum amore potius vindicari, quàm impunitum relinqui: vt illum quem vindicat, non pœna miserum, sed correptione beatum velit: paratus tamen si opus sit æquo animo plura tolerare ab eo * illicita, quem vult esse correptum: ** illata orig.* siue in eum habeat potestatem coërcendi, siue non habeat. *Ibid c. 38.* Magni autem & sancti viri, qui iam optimè scirent mortem istam quæ animam dissoluit à corpore non esse formidandam, secundùm eorum tamen animum qui illam timerent, nonnulla peccata morte puniuerunt, quò & viuentibus vtilis metus incuteretur, & illis qui morte puniebantur non ipsa mors noceret, sed peccatum quod augeri posset, si viuerent. Non temerè illi iudicabant, quibus tale iudicium donauerat Deus. Inde est quod *3. Reg 18. & 4 Reg. 1.* Helias multos morte affecit, & propria manu, & igne diuinitus impetrato. Quod & alij multi magni & diuini viri eodem spiritu, consulendo rebus humanis, non temerè fecerunt. De quo Helia cùm exemplum dedissent discipuli, Domino commemorantes quid ab eo factum sit, vt etiam ipsis daret potestatem petendi de cœlo ignem, ad consumendum eos qui sibi hospitium non præberent, reprehendit in eis dominus non exemplum Prophetæ *Luc. 9.* sancti, sed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus, *Matth. 22.* animaduertens eos non * amare correptionem, ** amore orig.* sed odio desiderare vindictam. *M.S.S.G.* Itaque posteaquàm eos docuit quid esset diligere proximum tanquam seipsum, *Act 2.* infuso etiam spiritu sancto, quem decem diebus completis post ascensionem suam desuper vt promiserat misit, non defuerunt tales vindictæ quamuis multò rarius quàm in veteri testamento. Ibi enim ex maiori parte seruientes timore premebantur, hîc autem maximè dilectione liberi nutriebantur. Nam & verbis *Act 5.* Apostoli Petri Ananias & vxor eius, sicut in actibus Apostolorum legimus, exanimes ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti.

Quòd Christi est inimicus qui Christianum iniustè persequitur. Augustin. contra Cresconium grammaticum. *Lib. 3. c. 51.*

§ Caput 61.

Quisquis Christianum * iniquus persequitur Christi est inimicus. Verum dicis, * si non * inquis, hoc in illo persequitur quod Christo est inimicum. ** habet August. vt verba sint Cresconij.* Neque enim dominus in seruo, pater in filio, maritus in coniuge cùm * sint vtrique Christiani, non debent persequi vitia Christianæ contraria veritati. ** sed non M. s. S. Ger.* An verò si non persequantur, non rei negligentiæ meritò tenebuntur?

pist 52.

Quòd coercere proximum sit diligere eum. Augustinus ad Macedonium.

¶ Cap. 62.

q. 4. c. ebet.

Debet homo diligere proximum tanquàm seipsum: vt quem potuerit hominem vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coërtione adducat ad colendum Deum.

pist. 204.

Quòd mala voluntas non est permittenda suæ libertati. August. ad Donatum presbyterum.

¶ Cap. 63.

Qui diliguntur, malæ suæ voluntati impunè & crudeliter permittendi non sunt: sed vbi potestas datur, & à malo prohibendi, & ad bonum cogendi. Nam si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Israëlitici recusantes & murmurantes tam duris flagellis à malo prohibebantur, & ad terram compellebantur promissionis? Si voluntas mala suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus vti pessima volūtate qua persequebatur ecclesiā: sed prostratus est, vt excæcaretur, excæcatus vt mutaretur, mutat⁹ vt mitteretur, missus vt qualia fecerat in errore talia pro veritate pateretur? Si volūtas mala semper suæ permittēda est libertati, quare monetur pater in scripturis sanctis filium durū non solùm verbis corripere, sed etiam latera eius tundere, vt ad bonam disciplinam * cogatur, & dominus diligatur?

[A]ctor 9. [E]ccl. 7. & [P]rou 23

[*] coactus [&] domi- [nu]s diri- [g]atur.

[O]rig. pist 166.

Quòd corripiendi sunt homines. Augustinus ad Donatistas.

¶ Cap. 64.

Zech 34.

Quod errauerat, inquit dominus, non reuocastis, & quod perierat non requisistis. Hoc vobis per nos dominus ipse facit, siue obsecrando, siue minando, siue corripiendo, siue damnis, siue laboribus, siue per suas occultas admonitiones vel visitationes, siue per potestatum temporalium leges.

[I]n opere [im]perfecto ad [c.] 5. Matth. [2]3 q 8 c oc- [c]idit Phi- [n]ees. Num. 25. Genes. 22. Actor. 5.

Quòd non omnis hominem occidens homicida sit. Chrysostomus super Matthæum, homilia xvj.

¶ Cap. 65.

Occidit Phinees hominem, & reputatum est ei ad iustitiam: Abraham verò non homicida solùm verùm etiam parricida (quod certè est grauius) effectus, magis domino magisque placuit. Sed & Petrus geminum fecit homicidium, fuit tamen opus spirituale quod factum est. Nō sola igitur respiciamus opera, sed tempus, & causam, & voluntatem, & personarum differentiam, & quantacunque alia ipsis operibus acciderint diligentissimè requiramus. Nō enim possumus ad veritatem aliter peruenire.

De eodem. Ex responsionibus Adriani Papæ contra obiectiones quorundam ad Carolum c. xvi.

¶ Cap. 66.

Sanctus Gregorius in dialogis suis meminit de beato Bonifacio, qualiter miserum illum qui cum simia veniens cymbala percussit, sermone suo cum mœrore ad mortem iaculauit.

Cap. 9.

Item de eadem re. Gregorius dialogorum lib. j.

¶ Cap. 67.

Cùm beatus Bonifacius ad Fortunati mensam venisset, priusquam Deo hymnum diceret: sicut quidam cantandi arte solent victum quærere, repentè ante ianuam vir cum simia astitit, & cymbalum percussit: quem sanctus vir audiens sonitum dedignatus, dixit, Heu heu mortuus est miser iste, mortuus est miser iste. Ego ad mensam refectionis veni, os nondum ad laudem Dei aperui, & ille cum simia veniens cymbalum percussit. Subiunxit tamen atque ait: ite & pro charitate * ei cibum potūque tribuite, scitote tamen quia mortuus est. Qui infœlix vir dum panē & vinum ex eadem domo percepisset egredi ianuā voluit, sed saxū ingens subitò de tecto cecidit, eique in verticē venit. Ex qua percussione prostratus in manibus iam semiuiuus leuatus est. Deinde verò altera die secundùm * dicti viri sententiam funditus vitam finiuit. Qua in re, Petre, pensandum est quantus sanctis viris timor sit exhibendus: Tēpla enim Dei sunt: & cùm ad iracundiā vir sanctus trahitur, quis alius ad irascendum nisi eiusdem templi inhabitator excitatur? Tantò ergo metuenda est ira iustorum, quantò & constat, quia in eorum cordibus ille præsens est, qui ad inferendam vltionem quam voluerit, inualidus non est. *Item Dialogorum lib. ij.* Petrus Tabitam mortuam orando suscitauit, Ananiam & Saphyram mentientes morti increpando tradidit, neque eum orasse in eorum extinctione legitur, sed solummodò culpā quam perpetrauerant increpasse. Constat ergo quia aliquando talia ex potestate, aliquando exhibentur ex postulatione, dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando.

[*] Dei.

[*] viri Dei Vict.

Cap. 30. 23. q. 8. c. Petrus. Actor. 9. Actor. 5.

De vindicta quam Ioannes Papa in quosdam fieri iussit. Ioannes viij. Marino & Pulcari.

¶ Cap. 68.

Sed & * prouinciis vestræ fidelitatis vobis iniungimus, vt cum aliquibus nauibus vestros milites robustissimos præsentialiter destinetis, qui quadraginta Sarracenos, qui dudū Græcorum nostrorum nauibus in mare fugere, quique postea terrestrium nostrorū militum expoliati armis omnibus, virtute in montis Circei latibulis euaserunt, vnà cū nostris pedestribus apprehendant, quia nos pro tantillis Sarracenis dromones nostros fatigare nolumus, dū de vobis confidere (sicut & ipsi velle dicimini) prouocamur modis omnibus confidentes. Quia si obedientiæ vestræ constantiā & fidei puritatem cū virtutis efficacia circa sanctā Romanam ecclesiā amodò senserimus, non solùm de his tribus, quibus vos vltra consuetudinē prægrauatos dicitis, inquantum ratio postulauerit leuigabimus, verùm etiā vt propriam sancti Petri familiam, terra marique vos tueri, domino confortante, studebimus.

[*] pro primiciis Vict.

De defensione quam contra hostes fecit. Ioannes octauus Angebergæ Imperatrici.

¶ Cap. 69.

Siquidem cum virtute Dei melius quàm Kaletam, quæ nostra sunt defendemus, & illorum in nullo penitus indigemus, Dromones videlicet cum cæteris nauibus construentes, & cætera vasa bellica & apparatus, quin potius & ipsos animos hominum præparantes, & aduersus hostiles incursus indesinenter armantes.

Quòd crimina committit qui non corrigit cùm possit. Ioannes viij. Domagel duci glorioso.

¶ Cap. 70.

Præterea deuotionis tuæ studium exhortamur, vt contra marinos latrunculos qui sub

23. q. 8. c. præterea.

prætextu tui nominis in Christicolas debacchātur, tantò vehementius accendatur, quantò illorum prauitate famam tui nominis obfuscatā fuisse cognoscis: quoniā licet credi possit, quòd te nolente illi nauigantibus insidientur: tamen quia à te comprimi posse dicuntur, nisi eos compresseris, innoxius non haberis. Scriptum quippe est: Qui crimina cùm potest emendare, non corrigit, ipse committit.

Quomodo Ioannes Papa Sarracenis restiterit. Ioannes viij. Imperatori & Imperatrici.
§ CAP. 71.

Cùm reuersi fuissemus, omnia littora nostra deprædata, etiam & in Fundis & in Terracina, velut in domo propria multos Sarracenos inuenimus residere, pro quibus non plusquam quinque diebus in vrbe manentes, quamuis corporis non modica detineremur molestia, exiuimus cum fidelibus nostris, quorum domino adiuuante cœpimus naues octodecim. Sarraceni verò multi occisi sunt, captiuos autem ferè sexcentos liberauimus. Ideo vobis venientibus necesse valde est, vt talis in littoribus marinis fortitudo virorum remaneat, quorum virtute nostra omnia salua consistant, & ea quæ necdum deprædata sunt loca, non prædentur.

Quòd non est crudelitas punire malos pro Deo, sed pietas. Hieronymus ad Riparium.
§ CAP. 72.

Tomo 3. epistola, cuius initium: acceptis primum literis. *authoritatem *vict.* *Num. 25.* *3 Reg c 18. & 4. c. 1* *1. Mach 13 & sequētib* *Act 5 & 13.* * seueritate * *gratia. sic.* crimina pro Deo punire. *Deut 13.* * *Lothario*

Legi Syromasten Phinees, * austeritatem Heliæ zelum Simonis Chananæi, Petri seueritate n Ananiam & Sapphyram trucidantem, Pauli constantiam qui Elymam magum viis Domini resistentem æterna * cæcitate damnauit. Non est crudelitas * pro Deo, sed pietas. Vnde & in lege dicitur, Si frater tuus & amicus & vxor quæ est in sinu tuo deprauare te voluerit à veritate, sit manus tua super eos, & effunde sanguinem ipsorum.

Quòd propter remissionem malorum, in collegio episcoporum arma sint ferenda. Leo iv. Ludouico regi.
§ CAP. 73.

Petrum & Adrianum nunquam recipiemus ad habitandum nobiscum, & si (quod minus credimus) aut preces nostras quas pro eorum retentione vobis misimus, aut honores Romani pontificis pro nihilo existimastis, & nos minus quàm Adrianum & Petrum amastis, quod in posterum iam ordinatum habeamus, vestræ edicimus magnitudini. Certè Romanæ sedis præsules tempore, quo per vnamquanque ecclesiam cum suis clericis tendebant ob missarū officium, vel alias more solito, vtilitates ecclesiasticas disponendas, nihil aliud tam ipsi quàm clerici ipsorum nisi sacerdotalia indumenta ferebant, quod secuti vsque nunc nos egimus. Sed amplius nequaquam agere oportet, si viros quos nec quærimus vnquā, nec volumus mandare decreueritis. Et hoc ad vltimum pro certo notum facimus, quoniam ad quamcunque ecclesiam locúmque alium nobis meritò subiectū digressi fuerimus, ne de mortis nostræ periculo triumphatores existant, cùm debueramus ob diuinum cultum siue timorem orarium solummodò planetámque deferre, lanceam & scutum & gladium baiulare præcipiemus?

Licere sacerdotibus contra impios promulgare mortem. Ex historia Anastasij bibliothecarij Romanæ ecclesiæ. § CAP. 74.

Multo diuino zelo motus Michael piissimus Imperator contra Manichæos qui Pauliciani dicuntur, capitalem animaduersionem Racephori sanctissimi patriarchæ ac aliorum patrum prædicamentis promulgās, auersus est per alios nequam consiliarios, obtentu pœnitentiæ, cùm esset impossibile illos pœnitentiam agere qui capti fuissent errore. Dogmatisabant autem indoctè, non licere sacerdotibus promulgare contra impios mortem, per omnia diuinis super hoc aduersantes scripturis. Si enim vertex Aposto- *Act. 5.*
lorum Ananiam & Sapphiram ob mēdacia tantùm mortificauit, & Paulus magnus clamat, qui *Rom 1.*
talia, inquiens, agunt digni sunt morte: hoc de solo mortali peccato: quomodo non horum cōtrarij erunt, qui omni spirituali & corporali spurcitia plenos quique dæmonibus seruiunt à gladio redemerint?

Quòd non sint culpandi iudices sed laudandi, qui hæreticos & schismaticos persequuntur, & bona eorum diripiunt. Ex lib. dialogorum August. contra Petilianum.
§ CAP. 75.

Petilianus dixit: Si Apostoli persequuti sunt *Lib 2. contra literas Petiliani c. 10*
aliquem, aut aliquem tradidit Christus. AVGVST. respondit. Possem quidem dicere ipsum Sathanam omnibus malis hominibus esse *1. Cor. 5.*
peiorem, cui tamen tradidit Apostolus hominē *1 Tim 1.*
in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die *Ioan. 2.*
domini Iesu. Item alios de quibus dicit: Quos tradidi Sathanæ vt discant non blasphemare. Et dominus flagellatos expulit ex templo improbos mercatores, vbi etiam connexum est testimonium scripturæ dicentis: Zelus domus tuæ *Psal 68.*
comedit me. Ecce inuenimus Apostolum traditorem, Christum persequutorem. Quare per *Ibid c. 19.*
violentissimas turbas, etiam vltrò improbi estis ecclesiis catholicis, vbi aduertere potueritis, quod innumerabilibus exemplis res ipsa indicat? Sed dicitis vos loca vestra defendere, & resistitis fustibus & cædibus quibuscunque potueritis. Quare ibi non audistis vocem domini *Matth 5.*
dicentis: Ego autem dico vobis, non resistere malo? Aut si fieri potest, vt aliquando rectè per vim corporalem resistatur violentis, nec ideo præceptum violetur, quod audimus à domino: ego autem dico vobis non resistere malo: cur non etiam hoc fieri potest, vt per ordinatas & legitimas potestates, de sedibus quæ illicitè vsurpantur, vel ad iniuriam Dei retinentur, pius expellat impiū, & iustus iniustum? Neque enim eo modo persecutionem passi sunt pseudoprophetæ ab Helia, quomodo ipse Helias à rege *3. Reg. 18.*
iniquissimo: aut quia flagellatus est Dominus à persecutoribus, propterea passionibus eius cōparandi sunt, quos ipse de templo flagellatos eiecit. Restat ergo, vt nihil aliud requirendum esse fateamini, nisi vtrum iustè an impiè vos separaueritis à communione orbis terrarum. Nā si hoc inuentum fuerit quod impiè feceritis, non miremini, si non desunt ministri Deo per quos flagellamini: quia persecutionem patimini non *Sap. 11.*
à nobis, sed sicut scriptum est, ab ipsis factis vestris. *Item.* Si de rebus vel de locis ecclesiasticis quos tenebatis & non tenetis, queritmini, pos- *Exod. l. c.*
sunt & Iudæi se iustos dicere, & iniquitatem *43 q 7 c.*
nobis obijcere, quia locum in quo impij regna- *de rebus.*
uerunt

uerunt modò Christiani possident. Quid ergo indignum, si ea quæ tenebant hæretici secundùm parem domini voluntatem Catholici tenent? Ad omnes enim similes, id est, ad omnes impios & iniquos illa vox domini valet, [*Matth 21.*] Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam. An frustra scriptum est: [*Psal. 104.*] Labores impiorum iusti edent? Quapropter magis mirari debetis, quòd adhuc tenetis aliquid, quàm quòd aliquid amisistis. [*Cap. 59.*] *Item.* Si qua iam concisi possidere cœpistis, quia vobis ablata nobis dominus dedit, non ideò concupiscimus aliena, quia illius imperio cuius sunt omnia, facta sunt nostra, & iustè nostra sunt. Vos enim his vtebamini ad præcisionem, nos ad vnitatem. Alioquin & primo populo Dei possent illi obijcere alienæ rei concupiscentiam, qui diuina potestate ab eorum facie, quia ea terra malè vtebantur, expulsi sunt. Et ipsi Iudæi à quibus ablatum est regnum [*Matth. 21.*] secundùm verba domini, & datum est genti facienti iustitiam, possunt obijcere alienæ rei concupiscentiam, quia ecclesia Christi possidet, vbi persecutores Christi regnabant. [*Cap 79. 23 q 4 c. qui peccat.*] *Item.* Qui peccat non peccat legis authoritate, sed contra legis authoritatem. Quia verò interrogas quæ sit ratio persequendi, vicissim te interrogo cuius sit vox in Psalmo dicentis, [*Psal 100.*] Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Quære itaque persecutionis vel causam, vel modum, & noli tantâ imperitiâ generaliter malorum persecutiones reprehendere. [*Ad calcem cap. 80. Ioan 2. Cap. 82. Cap 83. 23 q. 5. c. ad fidem.*] *Item.* Quòd autem etiam Christus corporaliter persecutus fuerit eos, quos de templo flagellando expulit, iam suprà diximus. *Item.* Nec persequimur vos, nisi quemadmodum persequitur veritas falsitatem. *Item.* Ad fidem nullus est cogendus: sed per seueritatem, imò & per misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideò mores pessimi non legis integritate puniuntur? Sed tamen malè viuendi vltrix disciplina præpostera est, nisi cùm præcedens benè viuendi doctrina contemnitur. Si quæ igitur aduersus vos leges constitutæ sunt, non eis benefacere cogimini, sed malè facere prohibemini. Nam benefacere nemo potest nisi elegerit, nisi amauerit, quod est in libera voluntate. [*Cap 84.*] Cùm aliquid aduersus vos reges constituunt, admoneri vos credite, vt cogitetis, quare ista vos patiamini. Si propter iustitiam, re vera illi persecutores vestri sunt, vos autem beati qui persecutionem passi propter iustitiam, possidebitis regnum [*Matth. 5.*] cœlorum. Si autem propter iniquitatem schismatis vestri, illi quidem correctores vestri sunt, vos autem sicut cæteri diuersorum scelerum rei qui pœnas legibus pendunt, profectò infœlices & in hoc sæculo & in futuro. [*Cap. 88. 23 q. 3 c pro membris*] *Item.* Pro membris Christi aduersus vos sæuiunt, & vobis resistunt quicumque in Catholica * eo animo sunt, quo tunc Petrus fuit, cùm ferrum pro Christi nomine strinxit. [** Apud Aug. inferitur: paruæ adhuc fidei.*] Sed multùm interest inter vestram persecutionem, & istorum. [*Matth. 26.*] Vos similes estis seruo sacerdotis, quia seruientes principibus vestris aduersus Ecclesiam Catholicam, id est aduersus Christi corpus armamini. Isti autem tales sunt, qualis tunc Petrus fuit, [*Ibidẽ c 92. sub finem.*] qui pro Christi corpore, id est pro Ecclesia etiã corporaliter pugnant. [*Daniel. 6.*] *Item.* Si propterea persequutor non fuit Nabuchodonosor, quia scelus in sanctum Danielem commissum iustissimè vindicauit, quomodo vindicandum est à regibus quod Christi Sacramenta exufflantur, si prophetæ membra quia in periculum missa sunt, sic vindicari meruerunt? [*Ibidem c. 104.*] *Item.* Neque in homine bono aliquis Dei sacramenta fugiat, neque in homine malo. [*Lib 3. contra literas Petilia. c 10.*] *Item.* Si laudanti amico non est credendum, neque inimico detrahenti. [*Ibidẽ c. 36. Ephes. 4. Matth. 13. Galat. 6.*] *Item.* Apud nos quicunque mali vel penitus latent, vel quibusdam noti propter bonos quibus ignoti sunt, & apud quos conuinci non possunt, propter vnitatis & pacis vinculum tolerantur: ne cum zizaniis eradicetur & triticum, ita suæ malitiæ sarcinam portant. [*Cap. 59. August. c. 8. lib. de vnico bapt contra Petilianũ.*] Neminem rectè iudicari puto innocentem, qui hominem non conuictum crediderit nocentem. *Item.* Illud quis ferat, quòd sacrilega dicit sacramenta Christi, etiam si verè sicut calumniatur, à traditoribus haberentur quæ in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti ritu Euangelica celebrantur? Hic fortasse dicat, iam non esse Christi sacramentum quod à sacrilegis datur. Cur non ergo dicit non esse etiam nomen Christi, quod à sacrilegis dicitur? [*Ibidẽ c. 13.*] *Item.* O quàm detestandus * qui clarorum virorum quædam non rectè facta laudabiliter se imitari putant, à quorum virtutibus alieni sunt. [** est error hominum: additur apud Aug.*] Sic enim & nonnulli Petro Apostolo comparare se possunt, si Christum negauerint. [*Matth 26. Ibidé c. 16.*] *Item.* Si est vlla humanitas in rebus humanis, puto nos iustius posse reprehendi, si ignotos homines quos criminantur inimici, neque horum crimen vlla testificatione demonstrant, nocentes potius quã innocentes crediderimus. Quia si fortè se aliter veritas habet, ipsi certè humanitati debitum redditur, cùm homo de homine nil mali temerè suspicatur, nec cuiquam criminanti facilè credit, quando sine teste ac sine vllo documento crimen obijciens maledicus potius conuiciator, quàm veridicus accusator extiterit. [*Lib de vnitate Ecclesiæ contra epist. Petilia c. 2.*] *Item.* Si factum est quod accusant, quid peccauerunt Ecclesiastici iudices, qui crimina etiã si vera & ad se delata sibi tamen non probata [*Ibide c. 17.*] damnare nullo modo debebant? *Item.* Si autem vos contra Ecclesiam Christi altaria erexisse, & à Christiana vnitate (quæ toto orbe diffunditur) sacrilego schismate separatos esse, & corpori Christi (quod est ecclesia toto orbe diffusa) & rebaptizando & blasphemando, & quantum potestis oppugnando aduersari sancta & canonica scriptura conuincit: vos impij atque sacrilegi, illi autem qui vos pro tanto scelere tam leuiter damnorum admonitionibus vel locorum vel honorum vel pecuniæ priuatione, deterrendos coërcendósque decernunt: vt cogitantes quare ista patiamini, sacrilegium vestrum cognitum fugiatis & ab æterna damnatione liberemini: & rectores diligentissimi & consultores piissimi deputantur. [*Ibidem aliquantò superius.*] *Item.* De persecutione vestra querela sedabitur, si cogitetis & intelligatis prius, non omnem persecutionem esse culpabilem. Alioquin non laudabiliter diceretur: detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. [*Psal. 100.*] Nam quotidie videmus & filium de patre, tanquam de persequutore suo conqueri, & coniugẽ de marito, & seruum de domino, & colonum de possessore, & reum de iudice, & militem vel prouincialem de duce vel rege, cùm illi plerumque ordinatissima potestate sibi homines subditos per terrores leuium pœnarum à grauioribus malis prohibeant atque compe-

ſcant, plerumque autem à bona vita & à bonis factis, minando & ſæuiendo deterreant. Sed cùm à malo & illicito prohibent, correctores & conſultores ſunt: cùm autem à bono & licito, perſecutores & oppreſſores ſunt. Culpantur etiam qui prohibent à malo, ſi modum peccati modus correctionis excedat.

Tractatu 7. *Quod charitas eſt corrigere proximum Auguſtinus to. 9. ſuper epiſtolam Ioannis, tractatu vij.*

¶ CAP. 76.

23 q. 5. c non putes. Non putes tunc te amare ſeruum tuum, quando eum non cædis: aut tunc amare filium tuum quando non das diſciplinam, aut tunc amare vicinum tuum quando non corrigis eum. Non eſt iſta charitas, ſed languor: ferueat charitas ad emendandum, ad corrigendum: ſed ſi ſunt boni mores, delectent, ſi ſunt mali, emendentur.

Cap. 16. *De eodem. Auguſt. de ciuitate Dei, libro xix.*

¶ CAP. 77.

Non eſt innocentiæ, parcendo ſinere vt in malum grauius incidatur, Pertinet ergo ad innocentis officium non ſolùm nemini malum inferre, verùm etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum: vt aut ipſe qui prius oditur, corrigatur experimento: aut alij terreantur exemplo.

Cap. 104. *Quod nulli liceat gladio iuſtè occidere excepto iudice. Auguſt. in lib. quæſt. noui & veteris teſtamenti.*

¶ CAP. 78.

Matth. 26. Videns Petrus Apoſtolus inſurgentes hoſtes protulit gladium, & amputauit auriculam ſerui ſacerdotis. Tunc Ieſus dixit Petro, vt reconderet gladium in thecam ſuam: Omnis enim, inquit, qui acceperit gladium, gladio peribit. Vt quid parari iuſſit, qui prohibuit percutere, *eum etiam morti deſignans qui percuſſerit gladio, cùm non vtique iniuſtè videatur Apoſtolus percuſſiſſe? Quantum enim pertinet ad * rem, percuſſit eum quem contra ſe armatum videbat. Reſiſtere enim debuit ingratis ſeruis, & ad dominum necandum armatis. *Item.* Quare contuens dominus factum Apoſtoli Petri, eum qui gladio vſus fuerit gladio dixit perire, cùm non iniuſtè percuſſiſſe videatur. Nam ſicut ſignificatur in Luca, ipſo domino permittente percuſſit, & ſic prohibitus hæc audiuit. Ideo etenim permiſſum eſt, vt & vindicare ſe poſſe videretur, ſed nolle: & virtus oſtenderetur in eo manere in quo fuerat, & in vtroque vindicare ſe poſſe non ambigeretur. Inimici verò pro certo haberent datam ab eo poteſtatem vt hæc facerent, non enim victus apparebat, ſed tradens ſe voluntati eorum. Quare ergo ſententia data eſt, vt qui accipit gladium, gladio pereat, niſi quia nulli licet, excepto iudice, gladio quenquam occidere? Apoſtolo autem Petro vſque ad hoc permiſſum eſt, quod dolorem faceret, non quod occideret. * Hoc enim audiens, ne iterum percuteret didicit. Præterea quia Chriſtianis iam factis occidere non licet: in miſericordia enim poſitis, lege iuris mundo crediti vti non licet aſperè.

*reum etiã mortis deſignans eum.
* Petrum
Aliquantò poſt.
Lucæ 22.
*Aug. vulgò nunc ſic habet. Ob hoc enim audiebat, ne iterum percuteret. Didicit præterea, &c.

*Quod non eſt miſericors, qui vitiis parcit & fouet ea. Aug. ad * Latarium.*

¶ CAP. 79.

*Lectariũ, Gratia legit Lotharium.
23 q. 5. cap. qui vitiis.

Qui vitiis nutriendis parcit & fouet, ne contriſtet peccantium voluntatem, tam non eſt miſericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet ne vulneratum doleat vel extinctum.

Quod non liceat Chriſtiano ſe defendere. Aug. ad Emeritum Donatiſtam. Epiſt. 164.

¶ CAP. 80.

Noſtri aduersùs illicitas & priuatas veſtrorum violentias (quas & vos ibi qui talia non facitis, doletis & gemitis) à poteſtatibus ordinatis tuitionem petunt, non quod hos perſequantur, ſed quia ſe defendant.

Qualiter beatus Ambroſius quendam defendit, ne de eccleſia raperetur. Ex vita beati Ambroſij. Authore Paulino.

CAP. 81.

Cùm conſulatus ſui tempore Imperator Honorius in vrbe Mediolanenſi lybicarum ferarum exhiberet munus, populo illuc concurrente, data copia eſt miſſis militibus ab Stilicone comite hortatu Euſebij præfecti, vt Creſconius quidam de eccleſia raperetur, quem confugientem ad altare domini ſanctus Epiſcopus cùm clericis qui in tempore aderant, defendendum circundedit. Sed multitudo militum, quæ duces ſuos habebat de perfidia Arrianorum, præualuit aduersùm paucos, atque ablato Creſconio exultantes ad amphitheatrum reuerſi ſunt, eccleſiæ luctum non modicum derelinquentes.

Qualiter ſe Adrianus papa aduersùs Deſiderium regem ad reſiſtendum muniuit. Ex geſtis Adriani papæ.

¶ CAP. 82.

Adrianus Deſiderij regis aduentum appropinquaſſe cognoſcens, aggregans vniuerſum populum Tuſciæ, Campaniæ, & ducatus Peruſini, & aliquantos de ciuitatibus Pentapoleos, muniuit hanc ciuitatem Romanam, omnéſque armati parati erant vel ſi ipſe rex adueniret fortiter ei cum Dei auxilio & ſancti Petri, orationibus fulti prædicti ſanctiſſimi præſulis, illi reſiſterent. Nam eccleſias beati Petri & Pauli exornare fecit eius ſanctitas, & cuncta eorum * thymilia & ornatus in hanc ciuitatem Romanam introduxit, claudi faciens omnes ianuas eccleſiæ beati Petri, & de intus ſeris ſupponi ac muniri iuſſit: vt ſi ipſe proteruus rex ſine comeatu & permiſſu Pontificis adueniſſet, minimè aditum in eandem eccleſiam introëundi haberet, niſi brachio ad ſuæ animæ interitum ipſas confringeret ianuas.

*cymbala.

*De defenſione Leonis papæ contra Sarracenos. Ex regiſtro Leonis iiij. * Ludouico Auguſto.* *Lothario.

¶ CAP. 83.

Igitur cùm ſæpe aduerſa à Sarracenorum partibus peruenıant nuncia, quidam in Romanum portum clam furtiuéque venturos eſſe dicebant: pro quo noſtrum congregari præcipimus populum, maritimúmque ad littus deſcendere decreuimus, & egreſſi ſumus Roma.

De eodem. Leo iiij. Ludouico Imperatori.

¶ CAP. 84.

Scire vos oportet quod nunquam ab aliquibus noſtros homines ſinimus opprimi, ſed ſi neceſſitas illis incurrerit, præſentialiter vindicamus: quia noſtri gregis in omnibus vltores eſſe debemus, & præcipui adiutores.

Item de eodem. Idem Ioanni Archiepiscopo.
¶ CAP. 85.

Pro certo scitote, quòd nunquam permittimus nostros à vobis lacerari aut opprimi homines atque subiectos, sed si (quod nō speramus) huius nostræ monitionis dicta neglexeritis, & amplius aliquas oppressiones præfatis vel aliis nostris hominibus feceritis, præsentialiter eos vindicabimus, & omnia vestra eripere curabimus, furibunda crudelique audacia.

Qualiter auxilium à Iudice Sardiniæ petiit. Idem Iudici Sardiniæ. ¶ CAP. 86.

Celsitudinem vestram duximus obsecrandā, vt nobis quantos tua præuiderit magn ficentia, armatos siue pueros, siue adultos, ac iuuenes cum armis suis mandare dignemini, qui nobis quotidiana iussa possint explere.

Quòd regnum cælorum consequentur qui pro defensione Christianorum occisi fuerint. Idem exercitui Francorum. ¶ CAP. 87.

Omni timore ac terrore deposito contra inimicos sanctæ fidei & aduersarios omnium regionum viriliter agere studete. *Item.* Vbi vsque nunc parentes vestri publicùm mouerunt procinctum, semper victores extiterunt, nullàque eos multitudo populi superare potuit. Non enim audiuimus vt aliquando sine fama victoriæ reuersi fuissent. *Item.* Omnium vestrum nosse volumus charitatē, quoniam quisquis (quòd non optantes dicimus) in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi cœlestia minimè negabuntur. Nouit enim omnipotens, si quislibet vestrorum morietur, quòd pro veritate fidei & saluatione patriæ ac defensione Christianorum mortuus est: ideo ab eo prætitulatum præmium consequetur.

De damnatione Georgij cuiusdam, Adriani, & Petri. Idem Lothario Augusto.

¶ CAP. 88.

De illis tribus iam publicè condemnatis & reprobis viris Georgio, Adriano, & Petro, vt vestra nobis mandauit sublimitas, quod adhuc ad aliud confiteri iudicium debebant, omnino mirati sumus, quibus iam missis vestris præsentibus iuxta legem Romanam sententia præfixa ac promulgata est. Et nisi tunc paschalis adesset festiuitas, qua mortis prohibente lege sententiam dare licitum non est, viuere eos illorum malitia atque iniqua præsumptio non sineret. Pro hac itaque ratione, solummodò vsque ad tempus suspensa est sententia vtrorúmque.

De excommunicatione Thasmonis ducis Bauariorum. Idem ex chronica Francorum.

¶ CAP. 89.

Adrianus Papa in die sancto Paschæ, præsente Carolo Imperatore, anathematizauit Thasmonem ducem Bauariorum, nisi in omnibus obediret eidem Imperatori & filiis eius, ac genti Francorum, sicut iurauerat patri suo Pipino, & sibi. Quod si nollet, & sanguinis effusio fieret, vel aliud aliquid mali, hoc super eumdem ducem & eius consentaneos esset, & præfatus rex & sui ab ea culpa immunes essent.

Exhortatio Gregorij Papæ ad defensionem Rom. Pont. Greg. Veloci magistro militum. *Lib 12. Regist. epist. c. 21.*
¶ CAP. 90.

Vtile visum est, vt aliquanti illuc milites transmittantur, quos gloria tua admonere & hortari studeat, vt parati sint ad laborem. *Item.* Si huc, vel ad Rauennates partes, nec dicendum Arnulfum cognoueritis excurrere, vos à dorso eius ita (sicut viros fortes condecet) laborate, quatenus opinio vestra ex laboris vestri* charitate amplius in * Romano populo (domimino auxiliante) proficiat. ** qualitate* **Republicę orig.*

Quòd Carolus rex aduersus Longobardos rogatu Adriani Papæ bellum suscepit. Ex gestis Caroli magni, iuxta Alcuinum.

¶ CAP. 91.

Rogatu & precibus Adriani Romanæ vrbis episcopi, exoratus Carolus rex, bellum contra Longobardos suscepit, * quod prius quidem, & à Papa Stephano eius patre supplicante, cum magna difficultate susceptum est. *23. q 8. cap. hortatu.* ** Et à patre eius Pipino Papa supplicante, &c. Grat.*

Retractatio sententiæ illius Augustini, qua dixerat non placere sibi schismaticos cogi ad communionem. August. Retractationum lib. ij. c. v.

¶ CAP. 92.

Dixi, mihi non placere vllius sæcularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctari: & verè mihi tunc non placebat, quoniam nondum expertus eram vel quātum mali eorū auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ.

Quòd quadragesimali & omni tempore à præliis sit abstinendum, nisi necessitas cogat. Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum. *Cap. 46.*

¶ CAP. 93.

Si nulla vrget necessitas, non solùm quadragesimali, sed omni tempore est à præliis abstinendum. Si autem ineuitabilis vrget opportunitas, nec quadragesimali est tempore pro defensione tam sua quàm patriæ, seu legum paternarum bellorum proculdubio præparationi parcendum: ne videlicet Deum videatur homo tētare, si habet quod faciat, & suæ ac aliorum saluti consulere non procurat, & sanctæ religionis detrimenta non præcauet.

Quòd ministri iudicum de administratione sua non damnentur. Innocentius Papa Eusebio episcopo, c. iij.
¶ CAP. 94.

Quæsitum est etiam super his, qui pro baptismo administrauerunt, & aut tormēta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam. Nihil de his legibus à maioribus definitum: meminerant enim à domino potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorū gladium fuisse permissum, & Dei ministrum esse datum in huiusmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderent factum, quod authore domino viderent esse concessum? De his ergo, vt hactenus seruatum est, sic habeamus: ne aut disciplinam auertere, aut contra authoritatem domini venire videamur. Ipsis autem in ratione reddenda omnia gesta sua seruabuntur. *Item.* Dum legum authoritas in improbos exercetur, erit dictator immunis.

Quòd qui malum punit, non persequitur sed diligit. Pelagius Patricio Valeriano.

¶ CAP. 95.

Non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui verò malum vel factum iam punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si, vt quidam putant, nemo aut reprimendus à malo, aut retrahendus ad bonum est, humanas ac diuinas leges necesse est euacuari, quæ & malis pœnam & bonis præmia iustitia suadente constituunt: malum autem schisma est etiam per exteras potestates opprimendum.

Extat hic liber hodie August tit. tom 9.

Quòd Rex mala punire debeat. Cyprianus in ix. genere abusionis. ¶ CAP. 96.

23 q 5. cap. rex. Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes non sinere viuere, filios suos non sinere impiè agere.

Cap. 27. *Bellum quod tuetur patriam plenum iustitiæ esse. Ambros. offic. lib. 1.*

¶ CAP. 97.

23 q 3. cap. fortitudo. Fortitudo quæ vel in bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitiæ est.

Cap. 26. *Quòd non sit reus homicidij miles, qui obediens potestati hominem occidit. August. de ciuitate Dei lib. 1.* ¶ CAP. 98.

23 q. 5. c. miles. Miles cùm obediens potestati sub qua legitimè constitutus est, hominem occidit, nulla ciuitatis suæ lege reus est homicidij. Immo nisi fecerit reus est imperij deserti atque contempti. Quod si sua sponte atque authoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque vnde punitur si fecit iniussus, inde punietur nisi fecerit iussus.

Trac. 11. ad c. 3. Ioan. *Quòd reges Christiani defendere debent matrem ecclesiam. August super Ioan. parte 1. c. 11.*

¶ CAP. 99.

23. q 4. c. quando. Quando vult Deus potestates concitare aduersus hæreticos, aduersus schismaticos, aduersus dissipatores ecclesiæ, aduersus exsufflatores Christi, aduersus blasphematores baptismi, non mirentur: quia Deus concitat vt à Sara verberetur Agar. (Genes. 16.) Cognoscat se Agar, ponat ceruicem: quia cùm humiliata discederet à domina sua, occurrit ei Angelus, & dixit ei: Quid est Agar ancilla Saræ? Cùm verò questa esset de domina, quid audiuit ab Angelo? Reuertere ad dominam tuam. (Ibidem.) *Item.* Mirantur autem quia commouentur * pastores fidei christianæ aduersus detestandos dissipatores ecclesiæ. (* potestates Christianæ. orig.) Nisi ergo mouerentur, quomodo redderent rationē Deo pro imperio suo? Intendat charitas vestra quid dicam: quia pertinet hoc ad reges sæculi christianos, vt temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam.

Trac. 116. ad c. 19. Ioan. *Quòd plus peccat qui potestati innocentem ex inuidia occidendum tradit, quàm ille qui alterius potestatis timore eum occidit. August. super Ioan. parte ij. c. xlij.*

¶ CAP. 100.

Plus peccat qui potestati innocentem occidendum liuore tradit, quàm potestas ipsa si eum timore alterius maioris potestatis occidit. Talem quippe Deus Pilato dederat potestatem, vt esset etiam sub Cæsaris potestate. Quapropter non haberes, inquit, aduersum me potestatem vllam, id est quantulamcunque habes, nisi hoc ipsum tibi esset datum desuper. Sed quoniam scio quantum sit (non enim tantum est, vt tibi omnimodo liberum sit) propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Ille quippe non metuendo potestati tradidit, sed inuidendo: tu vero eandem potestatem in me exercitur us es metuendo. Nec timendo quidem præsertim innocentem homo hominem debet occidere, sed tamen id zelando facere, multò magis malum est, quàm timendo. Et ideo non ait verax magister, qui me tibi tradidit ipse habet peccatum, tanquam ille non haberet, sed ait maius peccatum habet, vt etiam se habere intelligeret. Neque enim propterea illud nullum est, quia hoc maius est.

Quòd potest homo aliquando occidi sine peccato. Augustinus de libero arbitrio lib. 1. Cap. 4.

¶ CAP. 101.

Si homicidium est hominem occidere, potest occidere aliquando sine peccato. Nam & miles hostem, & Iudex vel minister eius nocentem, vel cui fortè inuito atque imprudenti telum manu figit, non mihi videntur peccare cùm hominem occidunt. (23. q. 5. c. si homicidiū.) Respondet EVODIVS Assentior: sed homicidæ isti appellari non solent. *Item.* Militi iubetur lege vt hostem necet, à qua cæde si temperauerit, ab Imperatore pœnas luit. (Ibid. c. 5.) Num istas leges iniustas, vel potius nullas dicere audebimus? Nam mihi lex esse non videtur, quæ iusta non fuerit. *Augustinus.* (Paulò post.) Legem quidem satis video esse munitam contra huiuscemodi accusationes, quæ in eo populo quem regit, minoribus malefactis ne maiora * committat, licentiam dat: multò * mitius enim est eum, qui alienæ vitæ insidiatur, quàm eum qui suam tuetur, occidi: (* committerentur. * minus.) Et multò immanius vitium hominem stuprum perpeti, quàm eum à quo illa vis infertur ab eo cui ferre conatur, interimi. Iam verò miles in hoste interficiendo minister est legis, quare officium suum facilè nulla libidine impleuit. Porrò ipsa lex quæ tuendi populi causa lata est, nullius libidinis argui potest. Siquidem ille qui tulit, si Dei iussu tulit, id est quod præcipit æterna iustitia, expers omnino libidinis id agere potuit. Si autem ille cum aliqua libidine hoc statuit, non ex eo fit, vt ei legi cum libidine obtemperare necesse sit, quia bona lex & à non bono * ferri potest. (* fieri.) Non enim si quis, verbi causa, tyrannicam potestatem nactus, ab aliquo cui hoc conducit, precium accipiat, vt statuat nulli licere vel ad coniugium fœminam rapere, propterea mala lex erit, quia iniustus atque corruptus hanc tulit. Potest ergo illi legi, quæ tuendorum ciuium causa, vim hostilem eadem vi repelli iubet, sine libidine obtemperari. Et de omnibus ministris qui iure atque ordine potestatibus quibuscunque subiecti sunt, id dici potest. Sed illi homines lege inculpata, quomodo inculpati queant esse non video. Liberum eis itaque est, neminem necare pro his rebus quas inuiti possunt amittere, & ob hoc amare non debent. De vita enim fortasse cuipiam sit dubium vtrùm animæ nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur. Sed si auferri potest contemnenda est:

ſi non poteſt,nihil metuendum.Depudicitia verò quis dubitauerit, quin ea ſit in ipſo animo conſtituta, quandoquidem virtus eſt? vnde à violento ſtupratore, necipſa eripi poteſt. Quicquid igitur erepturus erat ille qui occiditur, id totum in noſtra poteſtate non eſt: quare quemadmodum noſtrum appellandum ſit non intelligo. Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, ſed quo pacto iſtos defendam qui interficiunt,non inuenio. Reſpondet EVODIVS, multò minus ego inuenire poſſum, cur hominibus defenſionem quæras, quos reos nulla lex tenet.

Ad verſ. pro eo vt diligerent me detrah. Et infrà ad verſiculũ: Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis

Quòd iudex cùm vindicat, non reddit malum pro malo. Auguſtinus ſuper Pſal. cviij.

¶ CAP. 102.

Vlciſcendi libido vitioſa eſt, magiſque ad iudicem pertinet inter alios hoc diſcernere,quã bonum hominem ſibi expetere. Paucorum eſt dinoſcere, quomodo placeat pœna iniquorum accuſatori inimicitia ſeſe ſaturare cupienti, & quàm longè alio modo * iudici recta voluntate peccata punienti. Ille quippe reddit malum pro malo, iſte autem etiam cùm vindicat non reddit malum pro malo, quoniam iuſtum reddit iniuſto. Quod autem iuſtum eſt, vtique bonum eſt.Punit ergo non delectatione alienæ miſeriæ, quod eſt malum pro malo, ſed dilectione iuſtitiæ,quod eſt bonum pro malo.

*placeat. *orig.*

Quæſt.39. ad c. xi. Exod.

Quò miniſter occidens quem iudex iuſſerit, non id ſponte facere debet. Auguſt. lib. quæſtionum in Exodum. ¶ CAP. 103.

23 q 5. cap. Cùm miniſter.

Cùm miniſter iudicis occidit eum quem iudex iuſſit occidi, profectò ſi id ſponte faciat homicida eſt, etiam ſi eum occidat, quem ſcit à iudice occidi debuiſſe.

Quæſt 68 ad c. 19. Leuitic.

Quòd lex occidit hominem non miniſter. Auguſtinus lib. quæſtionum in Leuiticum.

¶ CAP. 104.

Cùm homo iuſtè occiditur, lex eum occidit, non tu

Quòd etiam bella apud veros cultores Dei pro pace ſuſcepta pacata ſunt. Auguſt. de diuerſis eccleſiæ obſeruationibus, cap. xv.

¶ CAP. 105.

23.q 1 cap. Apud veros Dei.

Apud veros Dei cultores etiam ipſa bella pacata ſunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, vt mali coërceantur, & boni ſubleuentur.

Lib 1.q Euang q.10.

De vindictis. Auguſt. lib. quæſtionum Euangeliorum. ¶ CAP. 106.

23 q 5 c officia.

Officia vindictæ poſſunt implere boni bono animo,quomodo lex,quomodo iudex.

Epiſt.5.

Quòd Chriſtiana diſciplina non omnia bella culpat. Auguſtinus ad Marcellinum.

¶ CAP. 107.

Si terrena iſta reſpublica præcepta Chriſtiana cuſtodiat, & ipſa bella ſine beneuolentia non gerentur, vt ad pietatis iuſtitiæque pacatam ſocietatem victis facilius conſulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur: quoniam nihil eſt infœlicius fœlicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur.

Ibid. paulò poſt.

Item. Miſericorditer enim ſi fieri poſſet, etiam bella gererentur à bonis,vt licentioſis cupiditatibus domitis,hæc vitia perderentur, quæ iuſto imperio vel extirpari vel * premi debuerunt. Nã ſi chriſtiana diſciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus conſilium ſalutis petentibus in Euangelio diceretur, vt abiicerent arma, ſeque militiæ omnino ſubtraherent. Dictum eſt autem eis: Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrũ. Quibus proprium ſtipendium ſufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit. *Aug. ad Macedonium.* Non eſt iniquitatis,ſed potius humanitatis ſocietate deuictus, qui propterea eſt criminis perſecutor,vt ſit hominis liberator.

* depri-mi. *orig.*

Lucæ 3.

Epiſt 54. 23.q 5.c nõ eſt iniquitatis.

Circa mediũ. 23 q.5. c. non fruſtra.

Quòd non fruſtrà inſtituta eſt poteſtas regis. Item.

¶ CAP. 108.

Non fruſtrà inſtituta ſunt poteſtas regis, ius * cognitoris, vngulæ carnificis, arma militis, diſciplina dominantis, ſeueritas etiam boni patris. Habent iſta omnia modos ſuos, cauſas, rationes, vtilitates: hæc cùm timentur, & coërcentur mali, & * quieti inter malos viuunt boni. *Item.* Cùm homo ab homine occiditur, multùm diſtat vtrùm fiat nocendi cupiditate, vel iniuſtè aliquid auferendi, ſicut fit ab inimico, ſicut à latrone: an vlciſcendi vel obediendi ordine, ſicut à iudice, ſicut à carnifice: an euadendi vel ſubueniendi neceſſitate, ſicut interimitur latro à viatore, hoſtes à milite. Et aliquando qui cauſa mortis fuit potius in culpa eſt, quàm ille qui occidit, vel vt ſi quiſpiam decipiat fideiuſſorẽ, ſuum, atque ille pro iſto ſupplicium legitimum luat: nec tamen omnis qui cauſa alienæ mortis eſt, reus eſt: * velut ſi quiſquam ſtuprum petat, ſeſeque ſi non impetrauerit interimat. Quid ſi filius timens patris pia verbera præcipitio pereat? quid ſi alius homine liberato, vel ne alius liberetur ſibi ipſe mortem inferat? num propter iſtas * alienorum motuum cauſas, aut ſceleri conſentiendum eſt, aut vindicta peccati quæ ſit non nocendi ſed corrigendi ſtudio, etiam paterna tollenda, aut opera miſericordiæ cohibenda ſunt? Hæc cùm accidunt, debemus eis humanũ dolorem, non propterea illa ne accidant rectè factorum * reprimimus voluntatem.

* gladij inſeritur in orig.

* quietius. *orig.*

Aliquantò poſt.

* quid ſi enim quiſque. *orig.*

* Alienarum mortium. *orig.*

* reprimere.

Epiſt.194.

Quòd in pugna Deus orandus eſt. Auguſtinus ad Bonifacium. ¶ CAP. 109.

Graui de pugna conquereris, vt dubites nolo, vtile tibi tuiſque dabo conſilium. Arripe manibus arma, oratio aures pulſet authoris, quia quando pugnatur, Deus apertis * cœlis ſpectat, & partem quam inſpicit iuſtã ſibi dat palmam.

* oculis. *orig.*

Aug. lib. 22. contra Fauſtum c.70.

Quòd Deo vel aliquo legitimo imperio iubente rectè bella ſuſcipiuntur. Item Auguſtinus.

¶ CAP. 110.

23.q 4 c. ille gladium.

Qui gladio vſus fuerit, gladio cadet. Ille autem vtitur gladio qui nulla ſuperiore ac legitima poteſtate vel iubente vel concedente, in ſanguinem alicuius armatur. *Item.* Siue Deo, ſiue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda bella ſuſcipiuntur à bonis, cùm in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, vbi eos tale aliquid vel iubere, vel in talibus obedire iuſtè ordo ipſe conſtringit. Alioquin Ioannes cùm ad eum baptizandi milites venirent dicentes: Et nos quid faciemus? reſponderet eis, arma abiicite, iſtam militiam deſerite, neminem percutite, proſternite neminem. Sed quia ſciebat eos cùm hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, & non vltores iniuriarum ſuarũ, ſed ſalutis publicæ defenſores, reſpondit eis:

Ibid. c.74.

Lucæ 3.

Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. *Item.* Dominum Iesum Christum audiant Manichæi hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi: Reddite inquit, Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessarium militi stipendium præbeatur. *Item.* Interest quibus causis, quibúsque authoritatibus homines bella gerenda suscipiant: ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli authoritas atque consilium penes principem sit, exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant paci salutique communi. Bellum autem quod gerendum Deo authore suscipitur, rectè suscipi, dubitare fas non est. *Item.* Cùm vir iustus, si fortè sub rege homine etiam sacrilego militet, rectè possit illo iubente bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans: cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit certum non est, ita vt fortassè reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi: quantò magis in administratione bellorum innocentissimè diuersatur, qui Deo iubente belligerat, quem malè aliquid iubere non posse, nemo qui ei seruit, ignorat.

Ibidē paulò post — *Matth. 22.* — *Ibid. c. 75.* *23 q. 1. c. quid culpatur.* — *Ibidem post pauca.*

Ad cap. 2.

De ministris Dei. Hieronymus super Iohel.
¶ Cap. III.

23. q. 5. c. non solùm. *vnde non.*

Non solùm homines ministri sunt & vltores iræ Dei, his qui malum operantur, * & non sine causa portant gladium, sed & contrariæ fortitudines quæ appellantur furor & ira Dei.

Ad cap. 13. paulò post principium.

Quòd non est crudelis qui crudeles iugulat. Hieronymus super Esaiam lib. v.
¶ Cap. 112.

23 q. 5. c. nō est crudelis.

Non est crudelis qui crudeles iugulat, sed quia crudelis patientibus esse videatur. Nam latro suspensus patibulo crudelē iudicem putat.

Ad cap. 1.

Quòd benè facit qui latronis vel piratæ fortitudinem infirmat. Idem super Sophoniam.
¶ Cap. 113.

23. q. 3. c. si quis.

Si quis fortitudinem latronis & piratæ diripiat infirmósque reddat, prodest illis sua infirmitas. Debilitata enim membra, quibus prius non bene abutebantur, à malo opere cessabunt.

Quòd minister Dei est, qui malos in eo quod mali sunt punit. Idem super Ezechielem lib. iij.
¶ Cap. 114.

Ad c. 9. in principio.

Qui malos percutit in eo quod mali sunt, & habet vasa interfectionis vt occidat pessimos, minister est domini.

23 q. 5. c. qui malos. *In c. 3. ad Gal. circa fin.*

Quòd iudex puniens non est effusor sanguinis, sed minister legis. Idem super epistolam ad Galatas, lib. iij.
¶ Cap. 115.

23. q. 5. c. iudex. *Ad c. 22. init.* *23. q. 5. c homicidas.*

Iudex non est author sceleris, nequam hominesvinciendo. *Idem super Hieremiam.* Homicidas enim & sacrilegos, & venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.

Cap. 1.

Vnde iudex dicatur. Isidorus Etymologiarum li. xviij.
¶ Cap. 116.

repetitis. orig. *Cap. 15.*

Iustum bellum est quod ex edicto geritur de rebus * repetendis, aut propulsandorum hostium causa. Iudex dictus est quia ius dictat populo, siue quòd iure disceptet. Iure autem disceptare, est iustè iudicare. Non est enim iudex si non in eo iustitia est.

Quòd non sine causa gladium portat Rex. Stephanus Luitvvario Episcopo.
¶ Cap. 117.

Non autem sine causa gladium portat Rex, vindex est enim contra omnes iniquos, vt terrore comprimat quos nequit corrigere monitis salubribus. Aggrediatur igitur securè quæ sunt Deo placita, in nullo ei beatus Petrus aberit cum suo ancipiti gladio, si tamen patriæ saluti consulat. *Rom. 13.*

Quòd quisque tutelam corporis sui iustè faciat. Pandectarum, lib. 1. tit. ij.
¶ Cap. 118.

Vim atque iniuriam propulsemus: nam iure hoc venit, vt quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, iure fecisse æstimetur.

De iusto bello Israelitarum contra Amorrhæos. Augustinus lib. quæst. in Num. c. xliv.
¶ Cap. 119.

Notandum est sanè quemadmodum iusta bella gerebantur à filiis Israel contra Amorrhæos: innoxius enim transitus negabatur, qui iure humanæ societatis æquissimo patere debebat. *Lib. qu. 4. super Num. ad c. 21. 44*

De pellenda iniuria. Ambros. de officiis lib. 1. *Cap. 36.*
¶ Cap. 120.

Non in inferenda, sed in depellenda iniuria lex virtutis est. Qui enim non repellit à socio iniuriam si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit.

Quòd Rex aliter seruit Deo vt homo, aliter vt Rex. Augustinus ad Bonifacium comitem. *Epist 50.*
¶ Cap. 121.

Quomodo reges domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra domini iussa fiunt religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia etiam rex est. Quia homo est seruit viuendo fideliter, quia verò etiam rex est, seruit, leges iusta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo. *23 q. 4. c. si Ecclesia in fine.*

De pœnitentia eorum qui arma in prælio proijciunt. Concilium Arel. 1. cap. 3.
¶ Cap. 122.

Qui arma proijciunt in prælio, placuit eos abstinere à communione.

Quòd milites Deo & ecclesiis seruire debeant. Gregorius Theodoro medico. *Li. 2. regist. epist. 65 seu cap. 103.*
¶ Cap. 123.

Valde mihi durum videtur, vt ab eius seruitio milites suos prohibeat Imperator, qui & ei omnia tribuit, & dominari eum non solùm militibus, sed etiam sacerdotibus concessit. Nunquid si intentio seruandarum rerum est, non poterant ea ipsa monasteria quæ milites suscepissent alienas res reddere, atque ad conuersionem homines tantummodò habere?

Vt milites antequam in monasterio recipiantur per triennium probentur. Gregorius lib. viij. registri omnibus Episcopis de lege Mauritij Augusti. *Greg epist. ix. lib. 7. ad episcopos Siciliæ. Dist 53. c. legem.*
¶ Cap. 124.

Legem quam pijssimus Imperator dedit, ne fortasse hi qui militiæ vel rationibus sunt pu-

blicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad ecclesiasticum habitum veniãt, vel in monasteriis conuertantur, vestræ studui fraternitati transmittere. Hoc maximè * excitat, quod hi qui sæculi actionibus implicati sunt, in clero ecclesiæ præproperè suscipiendi non sunt: quia dum in ecclesiastico habitu non dissimiliter quàm vixerant viuunt, nequaquam student sæculum fugere, sed mutare. Quod si si etiam tales quoque monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius actionibus publicis fuerint absoluti. Si qui verò ex militaribus * numeris in monasteriis conuerti festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi eorum vita subtiliter fuerit inquisita. Ex iuxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum Deo authore suscipere.

** exhortans. orig.*
** viris. orig.*

Quòd non est delictum militare, nisi pro præda & huiuscemodi. August. de verb. Domini tract xix.

¶ CAP. 125.

In Matth. de ver Domini sermone 19.
23 q. 1. cap militare.

Militare non est delictum, sed propter prædã militare peccatum est. Nec rempublicam gerere criminosum est, sed ideo agere rempublicam, vt rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile. Propterea enim prouidentia quadam militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, * præda grassetur. *Item.* Dominus ipse dixit: Reddite quæ sunt Dei Deo, & quæ sũt Cæsaris Cæsari: igitur quod Cæsar præcipit ferendum est, quod imperator indicit tolerandum est. Sed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat. *Item.* Interrogauerunt Ioannem milites dicentes: Quid faciemus & nos? Ait illis. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris. Sic autem cognoscere se debet omnis homo qui militat: non enim tantùm de his militantibus scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisque militiæ suæ cingulo vtitur, dignitatis suæ miles ascribitur: atque ideo hæc sententia potest dici, verbi gratiâ, militibus, protectoribus, cunctisque rectoribus: Quicunque sibi stipendia publicè decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator & concussor, Ioannis sententiâ condemnatur. *August. ad Bonifacium comitem.* Milites sub armis militare non prohibuit Ioannes, quibus suum stipendium sufficere debere præcepit.

** prædo. Ibidem pòst pauca Matth 22.*
Ibidem aliquãtò post. Luc. 3.
Epist. 1. inter eas quæ recens inuentæ ad calcem epist. accessere.
Lucæ 3. Ibidẽ paulò ante.

Quòd non est existimandum milites Deo non placere. Idem. ¶ CAP. 126.

1. Reg 16. Psal 88. Matth. 8.

Noli existimare neminem Deo placere posse qui in armis bellicis militat. In his erat sanctus Dauid, cui dominus tam magnum perhibuit testimonium: etiam in his plærimi illius temporis iusti. In his erat & ille Centurio qui domino dixit, non sum dignus vt intres sub tectum meum.

Quòd milites non sint ad clerum suscipiendi, sed ad monachicum habitum. Ex vita Beati Greg. lib. ij. c. xvi. ¶ CAP. 127.

Authore Ioãne diacono Rom. ecclesiæ.

Dum ad clericalem professionem tam ex ecclesiastica, quàm ex sæculari quoque militia diuersis occasionibus quotidie penè innumerabilis multitudo conflueret: pastor ad omnia prouidus nequaquam eos ad ecclesiastici decoris officium, sed ad capiendum solummodò monachicum propositum suscipiendos esse censebat.

Vt Imperator nulli militum prohibeat, si conuerti voluerit. Ibidem lib. iij. cap. l.

¶ CAP. 128.

Porrò Mauricio tunc auarissimo, simúlque rapacissimo principi, suggestionibus inimicorũ suorum funestissimam legem ferenti, vt nulli militum qui videlicet in manu signatus fuisset, conuerti liceret: inter cætera sic respondit; Ad hoc potestas super omnes homines pietati dominorum meorum cœlitus data est, vt qui bona appetunt, adiuuentur, vt cœlorum via largiùs pateat, vt terrestre regnum cœlesti regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, vt ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia aut pro debilitate corporis repulsus, Christo militare non liceat. Ad hæc * etiam per me seruum vltimum suum & vestrũ Christus respondet dicens: Ego te de notario comitem excubitorum, de comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, non solùm hoc, sed etiam patrem imperatorum feci. Sacerdotes tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde * rogo piissime domine seruo tuo, quid venienti & hæc dicenti responsurus es in iudicio domino tuo? Et post pauca. Requirat ergo dominus * misericors quis prior imperatorum talem legem dederit, & subtilius æstimet si dari debuerit.

** al. ecce. orig.*
** ergo.*
** al. me. orig.*

Quòd Imperator milites conuerti prohibens Deo aduersus sit. Idem Theodoro medico.

¶ CAP. 129.

Greg. lib. 2 regist. ep 64.

Peccatis inquit, meis facientibus, ex quorum suggestione vel consilio, nescio, talem in re publica sua legem protulit imperator, vt nullus qui actionem publicam egit, nullus qui officio vel manu signatus, vel inter milites fuit habitus, ei in monasterio conuerti liceat, nisi fortè militia eius fuerit expleta. Quam legem primũ (sicut hi dicunt qui leges veteres nouerunt) Iulianus protulit, de quo scimus omnes quantum Deo aduersus fuit.

De homicidiis voluntariis & modo pœnitentiæ eorum. Ex concilio Triburiensi, c. iv.

¶ CAP. 130.

Cap. 55. sed sententiis in plærisque transpositis.

Si quis spontanea voluntate homicidium perpetrauerit, iuxta decreta Melchiadis Papæ, & Triburiensis concilij statuta, talem pœnitentiã accipere debet. In primis, vt licentiam non habeat ecclesiam intrandi illos proximos quadraginta dies, nudis pedibus incedat, & nullo vehiculo vtatur. In laneis vestibus sit absque femoralibus, arma non ferat, & nihil sumat in his quadraginta diebus nisi tantùm panem & salẽ, & puram aquam bibat, & nullam communionem cum cæteris Christianis neque cum alio pœnitente habeat in cibo & potu, antequam quadraginta dies adimpleantur: & ex cibo quẽ sumit nullus alius manducet. Considerata verò personæ qualitate, vel infirmitate de pomis vel oleribus, seu leguminibus, prout visum fuerit, aliquid pro misericordia indulgeatur, maximè si quis coactus, & non sponte homicidium fecerit. Et ei omnimodis ex canonica authoritate interdicatur, vt in his diebus cum nulla fœmina misceatur, nec ad propriam vxorem accedat, nec cum aliquo homine dormiat. Iuxta ecclesiam sit, ante cuius ianuas peccata sua defleat, diebus ac noctibus non de loco ad locum pergat, sed in vno loco his quadraginta diebus sit. sit. Et si fortè habuerit insidiatores vitæ suæ,

interim differatur ei pœnitentia, donec ab episcopo pax ei ab inimicis concedatur. Et si infirmitate detentus fuerit, ita vt non possit dignè pœnitere, differatur pœnitentia donec sanitati restituatur. Si autem longa ægritudine detentus fuerit, ad sententiam episcopi pertinebit, quo modo reum & infirmum sanare disponat. Completis quadraginta diebus aqua lotus, vestimenta & calciamenta accipiat, & capillum incidat.

Cap. 56. *Quid in primo anno obseruare debeat. Ex eodem conc. c. v.* ¶ Cap. 131.

Locus obscurus. In primo anno post quadraginta dies, totum illum annum à vino, à medone, & mellita ceruisia, à carne, & caseo & pinguibus piscibus abstineat, nisi festis diebus qui in illo episcopio à cuncto populo celebrantur. Et nisi fortè in magno itinere, vel in hoste, vel diu ad dominicam *curtim. * curtem, vel infirmitate detentus sit, tunc liceat vno denario, vel pretio vnius denarij, aut tres pauperes pascendo tertiam feriam, quintā feriam, & sabbatum redimere: ita duntaxat, * vt vna re de tribus vtatur. Postquam domum venerit, aut sanitati fuerit restitutus, nullam licentiam habeat redimendi. Completo anni circulo in ecclesiam introducatur, & pacis osculum ei concedatur.

* vt vel carne, vel vino, vel medone. i. de tribus vna re vtatur, non omnibus vescatur. *Ita codex Conciliorū.*

Quid in secundo & tertio anno obseruare debeat. Ex eodem cap. vi. ¶ Cap. 132.

Cap. 57. * pœniteat. In secundo & tertio anno similiter * ieiunet, nisi quòd tertiam feriam, & quintam, & sabbatum potestatem habeat redimendi prætaxato pretio vbicunque est. Cætera diligenter omnia obseruet, vt in primo anno.

Cap. 58. *Quid in reliquis quatuor annis obseruare debeat. Idem de eodem, cap. vij.* ¶ Cap. 133.

Quatuor anni deinde restant, per quos singulos ieiunet tres quadragesimas. Vnam ante Pascha cum cæteris Christianis, abstinendo de vino, medone, mellita ceruisia, carne & sagimine, & ouis, & pinguibus piscibus. Alteram ante natiuitatem sancti Ioannis Baptistæ: Si aliquid remanet de quadraginta diebus, post Missam sancti Ioannis impleat. Tertiam ante Natalem domini ieiunet, vt supradictum est. Et in quatuor supradictis annis tertia & quinta feria & sabbato vtatur quidquid vult. Et secundam & quartam feriam redimere potest pretio iam supradicto: sextam omnimodis obseruet in pane & aqua, & nequaquam redimat. His expletis sacram communionem accipiat.

Sub Paschale I. *De homicidiis & calumniis episcoporum & reliquorum ordinum. Ex concilio apud Theodonis villam, cap. j.* ¶ Cap. 134.

In concilio apud Theodonis villam vbi interfuerunt triginta duo episcopi, Aistolfus Magontiensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, Hadabaldus * Archiep. cum suis suffraganeis, Hetto, Treuerensis archiepiscopus cum suis suffraganeis, Ebbo Remensis archiepiscopus cum suis suffraganeis, cum nuntiis reliquorum episcoporum Galliæ & Germaniæ, ob nimiam præsumptionem quorundam tyrannorū in sacerdotes domini bacchantium, & propter factum quod in Vasconia nouiter acciderat de episcopo Ioanne inhonestè & inauditè mordridato, decretum est, vt communi consensu & humili deuotione supplicarent auribus principis, si suæ pietati complaceret, vt calumnia in Christi sacerdotes peracta, iuxta synodica determinaretur pleniter statuta. Hoc idem episcoporum iudicio placeret, si ex toto secundùm potestatem ipsorum posset definiri: id est, vt canonica ferirentur sententia, hi videlicet qui timorem domini postponentes in ministros suos grassari præsumerent. Quod si verò pietati illius complaceret, iuxta capitula regum præcedentium, vbi eorum prouisio misericorditer in offensis pecuniæ quantitatem interposuit, pro * consolatione sanctæ ecclesiæ, vt præfatæ res per pecuniam ab Imperatoribus * sacerdotibus ad defensionem concessam, & per pœnitentiam determinarentur episcoporum iudicio, si pietas illius collaudare voluerit, sic definiri eis complaceret. Si quis subdiaconum calumniatus fuerit, vulnerauerit, vel debilitauerit, & conualuerit, 5. quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & 300. solidos cum sua compositione & episcopalibus bannis episcopo componat. Si autem mortuus fuerit singulas supradictas quadragesimas cum sequentibus annis pœniteat, & 400. solidos * cum tripla sua compositione, & episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat. Si diaconum calumniatus fuerit, & conualuerit, 6. quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & 400. solidos cum compositione sua & episcopalibus bannis componat: Si autem mortuus fuerit singulas supradictas 6. quadragesimas cum sequentibus annis pœniteat, & 600. solidos cum tripla sua compositione, & episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat. Si quis presbyterum calumniatus vulnerauerit, vel debilitauerit, & conualuerit, * 7. quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & 900. solidos cum triplici sua compositione, & episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat. Si autem mortuus fuerit, 12. annorum pœnitentia secundùm canones ei imponatur, & 900 solidos cum triplici compositione sua, & episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat. Si quis episcopo insidias posuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehonestauerit, 10. quadragesimas cum subditis annis pœniteat, & presbyteri non occisi triplicē compositionem componat. Si autem casu & non sponte occiditur, cùm comprouincialium episcoporum concilio homicida pœniteat. Si quis autem sponte eū occiderit, carnem non comedat, vinum non bibat omnibus diebus vitæ suæ, cingulum militare deponat, absque spe coniugij in perpetuo maneat. Aistolfus Magontiensis episcopus dixit. Si principibus placuerit aliisque suis fidelibus, rogemus vt collaudetur & subscribatur. Et collaudatum est, & subscriptum est tam à principe quàm à cæteris omnibus.

* leuigatione pœnitentiæ placuit.
* & à sibi succedentibus.
17 q. 4. *cap. qui subdiaconum.*
* cùm cōpositione sua & episcopalibus bānis episcopo componat.
* 12. *alia lectio* 600. *orig.*
* Coloniensis. *orig.*

De eadem re. Ex concilio Triburiensi, cap. j. ¶ Caput 135.

Capitulum Ecclesiasticum apud Triburiam à Carolo Magno, & primis Galliæ & Germaniæ collaudatum & subscriptum.

Placuit nobis & fidelibus nostris, vt sicut ab Episcopis & reliquis sacerdotibus, ac Dei seruis alio anno apud Theodonis villam admoniti fuimus & rogati, vt episcopi & eorum ministri, quos deus suo non humano iudicio reseruauit, iuxta sanctorum canonum, sanctorúmque patrum ac capitulariū præcedentum regum corā

Codex conciliorum attribuit Theonisuillensi concilio præcedenti, post quod hæc habentur.

positorum statuta, & Dei sacerdotes eorúmque cooperatores, quorum intercessionibus suppli-
Cap 1. plicationibúsque sancta Dei ecclesia constare videtur, intacti permaneant, constituamus. Vt si quis subdiaconum calumniatus fuerit & conualuerit, pœnitentia canonica pœniteat, & 300. solidos episcopo componat: Et si mortuus fue-
Cap 2. rit, iuxta id quod canones præcipiunt pœniteat, & 400 solidos episcopo componat. Si diaconũ quis calumniatus fuerit, & conualuerit, pœniteat secundùm canones, & 400. solidos episcopo componat: Si non conualuerit iuxta præcepta synodalia pœniteat, & 600. solidos episcopo cõ-
Cap 3. ponat. Si presbyterum quis malè tractauerit & spassauerit, secundùm eius episcopi sententiam pœniteat, & 900. solidos episcopo componat: Si
Cap 4. * 900 habet codex conciliorum. autem mortuus fuerit, vt synodus diiudicauerit pœniteat, & * 120. solidos episcopo componat. Et si quis episcopo insidias posuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehonestauerit, pœniteat secundùm canonum statuta, & presbyteri non occisi triplicem compositionem cum iustitiis quæ in superiori capitulo scriptæ & confirmatæ
Cap 5 * Triburiã ... epistc sic codex conc. esse videntur, componat. Si quis per industriam episcopum occiderit, iuxta id quod apud * Theodonis villam à triginta duobus episcopis decretum est, & quod ibi à nobis, & à primatibus totius Germaniæ & Galliæ benigna collaudatione collaudatum est, & subscriptum est, pœniteat & pecuniam à nobis concessam ecclesiæ viduatæ persoluat. Et hoc de nostro adiecimus, vt si quis in his supradictis sanctorum canonum nostrique decreti sanctionibus, episcopis inobediens & contumax extiterit, primùm canonica sententia feriatur, deinde in nostro regno beneficium non habeat,
allodiũ. & * alodis eius in bannum mittatur: & si annũ & diem in nostro banno permanserit, ad fiscum nostrum redigatur, & captus in exilium relegetur, & ibi tam diu custodiatur, & constringatur, donec coactus Deo & sanctæ ecclesiæ satisfaciat, quod prius gratis facere noluerat. Et si omnibus vobis ista complacuerint, dicite. Et tertiò ab omnibus conclamatum est, placet. Et Imperatores, & penè omnes Galliæ & Germaniæ principes subscripserunt, singuli singulas facientes cruces. Et ecclesiasticus ordo Deo & principibus laudes referentes, hymnum, Te Deum laudamus decantabant: & sic soluta est synodus.

De eadem re. Ex concilio Magontiensi, cap. xix.

¶ CAP. 136.

17 q. 4. c. qui presbyterum. Qui presbyterum occidit, duodecim annorũ ei pœnitentia secundùm canones imponatur: aut si negauerit, si liber est cum 72. iuret. Si autem seruus, super duodecim vomeres feruentes se expurget. Conuictus noxæ vsque ad vltimum vitæ tempus militiæ cingulo careat, & absque spe coniugij maneat.

De interfectoribus sacerdotum. Ex concilio Vormatiensi, c. xiij. ¶ CAP. 137.

conc. Maconti sub Arnulpho imperatore, 36 & Tribur. c 5. Qui sacerdotem voluntariè occiderit, carnem non comedat, & vinum non bibat cunctis diebus vitæ suæ. Ieiunet vsque ad vesperam exceptis diebus festis atque dominicis. Arma non sumat, equum non ascẽdat, ecclesiam per quinque annos non ingrediatur, sed ante fores ecclesiæ stet. Post quinque annos ecclesiam ingrediatur, nondum verò communicet, sed inter audientes stet. Cùm autem fuerit duodecimi anni cursus finitus, communicandi ei licentia concedatur, & equitandi tribuatur remissio. Maneat autem in reliquis obseruationibus tres dies per hebdomadam, vt perfectius purificari mereatur.

De presbyteris depositis, & sic occisis. Ex concilio Turonico, c. xij. ¶ CAP. 138.

Nunciatum est nobis quod aliqui qui olim dixerunt se fuisse sacerdotes, & postea degradati pro suis peccatis pœnitentiam agendo, suffragia sanctorum per diuersa loca transeuntes quæsierunt, trucidati sunt: huiuscemodi interfectoribus omnem ecclesiasticam dignitatem denegamus, donec dignam pœnitentiam pro reatu suo, secundum iudicium episcoporum exoluant, quia grauius aliis homicidis pœnitere debent.

De presbyteris qui sine orario occiduntur. Ex concilio Triburiensi c. xxvi. cui interfuit Arnulphus Rex. ¶ CAP. 139.

Vt presbyteri non vadant nisi stola vel orario 17 q. 4 c. vt presbyteri.
induti. Et si in itinere spoliantur vel vulnerantur, aut occiduntur non stola vestiti, simplici emendatione sua soluantur: si autem cum stola, triplici.

De presbytero interfecto ad quem eius compositio pertineat. Ex eodem conc. cap. v. Cap tul. l. 4 c. 15.

¶ CAP. 140.

Presbyteri interfecti compositio episcopo ad 17. q. 4. c. omnes presbyteri.
cuius parœciam pertinebat soluatur: ita videlicet, vt medietatem * Vuirigeldi eius vtilitatibus ecclesiæ cui præfuit tribuat, & alteram medietatem in eleemosynam eius iustè dispartiat: * Vuergeldi.
quia nullus nobis eius hæres proximior videtur, quàm ille qui ipsum domino sociauit.

De illis qui per insidias homicidium perpetrauerint. Ex concilio Nannetensi, c. ij. Cap 17.

¶ CAP. 141.

Si quis voluntariè & per insidias hominem interfecerit, iugi pœnitentiæ se submittat. Et si hoc publicè actum constat: si laicus est, à communione orationum quinquennio remoueatur: Post quinquennium tantùm in orationum cõmunionem recipiatur, non autem offerat, non corpus domini contingat. In quo perdurans quatuordecim annis, tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur.

Item de homicidio sponte commisso. Ex conc. Ancyrano, c. xxi. ¶ CAP. 142. Et conc. Tribur. c. 54.

Qui voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem iugiter submittant se, perfectionem verò circa vitæ exitum consequantur.

Item de eadem re. Ex conc. Parisiensi, cap. vi.

¶ CAP. 143.

Si quis homicidium sponte commiserit, & non violento resistens, sed vim faciens, innocentẽ & simpliciter gradientem interfecerit, vsque ad finem vitæ suæ grauiter pœniteat: sic tamen vt si pœnitentiam benè peregerit, in exitu ei communionis viaticum non denegetur.

Et conc. Tribu. c. 52.

De homicidio non sponte commisso. Ex conc. Ancyrano, cap. xxij. ¶ CAP. 144.

De homicidiis non sponte commissis prior quidem definitio per septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcipit, secunda verò quinquennij tempus explere.

Cap. 18.

De eadem re. Ex concil. Nannetensi, cap. ij. ¶ CAP. 145.

Si quis casu non volens, homicidium perpetrauerit, quadraginta dies in pane & aqua pœniteat. Quibus peractis bienniumab oratione fidelium segregetur, nec communicet, nec offerat. Post biennium in communionem orationis suscipiatur, offerat autem, non tamen communicet. Post quinquennium ad plenam communionem recipiatur. Abstinentia ciborum in arbitrio sacerdotis maneat.

De illo qui domino suo præcipiente homicidium fecerit. Ex eodem, cap. xxv. ¶ CAP. 146.

Si quis liber iubente domino suo seruum eius occiderit, vt homicidium sponte commissum pœniteat.

Et cōc. Vuormati. c. 38. sed in quibus. sic legitur * ex cōmunicatione, vel pœnitentia biēnij reatū sanguinis emundabit.

De illo qui seruum suum interfecerit. Ex conc. Agathensi, cap. lxij. ¶ CAP. 147.

Si quis seruum proprium sine conscientia Iudicis occiderit, vt homicidium sponte commissum lugeat.

Et Vuormat. c. 39.

De fœmina quæ in furore suo ancillam suam verberauerit, & sic perierit. Ex concilio Eliberitano, cap. v. ¶ CAP. 148.

Si qua domina furore zeli accensa flagellis verberauerit ancillam suam, ita vt infra diem tertiū animam cum cruciatu effundat: eò quòd incertum sit voluntate, an casu occiderit: si voluntate, post septem annos: si casu, post quinquennij tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quòd si infra tempora constituta fuerit * infirmata, accipiat communionem.

* infirmitate grauata.

De eo qui hominem publicè pœnitentem occiderit. Ex decretis Syluestri Papæ.

¶ CAP. 149.

Si quis hominem publicè pœnitentem interfecerit, vt homicidium spontè commissum dupliciter pœniteat, & nisi in fine non cōmunicet.

Cap. 29. dist. 50. c. sæpe contingit.

De illis qui in opere necessario casu homicidium perpetrauerint. Ex concilio Vvormatiensi c. v. ¶ CAP. 150.

Sæpe contingit, vt dum quis operi necessario insistens arborem incidit, aliquis subtus ipsam veniens deprimatur: & idcircò si voluntate vel negligentia incidentis arborem factum est, vt homicida pœnitentiæ debet omnino submitti. Quòd si non voto, nec incuria illius, non denique hoc cum scientia contingit, sed dum ille operi necessario fortassis incumberet, iste insperatus occurrit sub arbore, & sub ipsa oppressus incisor arboris non tenetur pro homicida.

De eadem re. Ex concilio Triburiensi cap xvij. ¶ CAP. 151.

Cap. 36. dist. 50. c. si duo.

Si duo fratres in sylua arbores succiderint, & appropinquante casura vnius arboris, frater fratri dixerit caue, & ille fugiens in pressuram arboris inciderit, & mortuus fuerit, viuens frater innocens de sanguine germani diiudicetur.

De illis qui in publico bello homicidium committunt. Ex concilio Magontiensi cap. ij. ¶ CAP. 152.

Oportet autem diligentius eos admonere, qui homicidia in bello perpetrata de nihilo ducunt, excusantes se non ideo necesse habere de singulis facere pœnitentiam, eò quòd iussu principum peractum sit, & Dei iudicio ita finitum. Scimus enim quod Dei iudicium semper iustū est, & nulla reprehensione dignum. Sed tamen oportet eos considerare, qui hanc necem nefariam cupiunt, vtrùm se coram oculis Dei quasi innoxios excusare possint, qui propter auaritiā quæ omnium malorum radix est, & idolorum seruituti comparatur, atque propter fauorem dominorum suorum temporalium æternum dominum contempserunt, & mandata illius spernentes non casu, sed per industriam homicidiū fecerunt. Nam de his legimus qui homines non spontè interfecerunt, dominum per legislatorē vrbes refugij deputasse, ad quas confugientes saluarentur ab vltore sanguinis proximi sui, & non morerentur. Vnde in Deuteronomio scriptum est: Hæc erit lex homicidæ cui vita seruāda est. Qui percusserit proximum nesciens, & heri & nudiustertius nullum contra eum habuisse odium comprobatur, sed abijsse simpliciter cum eo in syluam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit de manu, aut ferrum lapsum de manubrio amicum eius percusserit & occiderit, hic ad vnam vrbium supradictarum confugiat, & viuat, ne proximus eius cuius sanguis effusus est, stimulo doloris percutiat animam eius. De eo verò qui per industriam aliquem occiderit, in Exodo scriptum est: Si quis de industria & per insidias occiderit proximum, ab altari meo euelles eum vt moriatur. Et in Deuteronomio: Si quis odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ eius, & surgens percusserit eum, & mortuus fuerit, & fugerit ad vnam de supradictis vrbibus, mittent seniores ciuitatis illius, & rapient eum de loco refugij, & tradent eum in manus proximi eius cuius sanguis effusus est, & moriatur, nec misereberis eius. Si ergo illum quem dignum mortе esse iudicauit dominus, reum non esse quis dicit, quomodo contrarius legis Dei non existit, qui hoc quod dominus præcipit casum esse contendit? Sed inter hæc sciendum est, quod magna distantia est inter legitimum principem, & seditiosum tyrannum, inter eum qui subuertere nititur Christianæ pacis tranquillitatem, & illum qui armis contra iniquitatem certat defendere æquitatem.

1. Tim 6. Ephes. 5. Deut. 19. Exod. 21. Deut. 19.

De illis qui de homicidio sunt infamati, si negauerint. Ex concilio Turonensi, cap. ij. ¶ CAP. 153.

Vbi manifestari potest quemlibet hominem perpetrasse homicidium, secundùm canonicam authoritatem condignum pœnitentiæ iudicium illi ingeratur. Si autem manifestis

indiciis non poteſt probari eum homicidã eſſe, nec ipſe vult confiteri, omnipotentis Dei iudicio, cui omnia occulta manifeſta ſunt, reſeruetur: ei tamen indicetur publicè à preſbytero quod communione eccleſiaſtica indignus ſit, & ea carere debeat, donec perpetratum crimen confiteatur, & per confeſſionem & pœnitentiam condignam ab hoc crimine ſe abſoluere certet.

Cōc. Vorm. c. 28. *De inſano ſi homicidium perpetrauerit. Ex eodem, c. vij.* ¶ Cap. 154.

Si quis inſaniens aliquem occiderit, ſi ad ſanam mentem peruenerit, leuior ei pœnitentia imponenda eſt, quàm ei qui ſana mente tale quid commiſerit. Cui quamuis pœnitentia ſit imponenda, quia ipſa infirmitas, cauſa peccati fuiſſe creditur: tantùm tamen leuior, quàm ei qui ſanus aliquem occiderit, quantùm inter ſanum & inſanum, & irrationabile & rationabile conſtat eſſe diſcriminis.

De illis qui veneficio homicidia committunt. Ex comm. Elıberit. cap. vj. ¶ Cap. 155.

Si quis verò veneficio interfecerit alterum, eò quòd ſine idololatria perficere ſcelus non potuit, niſi in fine impertiendam non eſſe illi communionem.

De illo per cuius delationem aliquis interfectus fuerit. Ex eodem comm. c. lxxiij. ¶ Cap. 156.

5. q. 6. c. delator. Delator ſi quis extiterit fidelis, & per delationem eius aliquis fidelium fuerit proſcriptus vel interfectus, placuit eum non niſi in fine accipere communionem. Si leuior cauſa fuerit, infrà quinquennium accipere communionem poterit. Si Catechumenus fuerit, poſt quinquennij tempora admittatur ad baptiſmum.

Epiſt. 4. ad Eccl. Hieroſ. *Quòd tria ſint genera homicidarum. Ex epiſt. Clementis Papæ, cap. xvi.* ¶ Capvt 157.

Homicidarum verò tria genera eſſe dicebat, & pœnam eorum parilem fore dicebat. Sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita & detractores eorũ, eóſque odientes homicidas eſſe manifeſtabat. Quia & qui occidit, & qui fratrẽ ſuum odit, & qui detrahit ei, pariter homicida eſſe monſtratur. (1. Ioan. 3.) Omnes enim à carnalibus deſideriis quæ militant aduerſus animam abſtinere, & bonam eorum conuerſationem ac innocentem omnibus monſtrare rogabat. (1. Pet. 2.) Ex corde enim cunctos attentius inuicem diligere inſinuabat. (Poſt plura.) Seniores venerari, & iuniores diligere, Epiſcopos, ſuos ſacerdotes ac cunctos reliquos eccleſiæ miniſtros, atque omnem plebem ſibi commiſſam verbis & mandatis diuinis inſtruere & * amare, hóſque omnes eorum epiſcopos tota animi virtute diligere, vt oculos ſuos, qui oculi ſunt illorum, præceptis in omnibus obedire, etiam ſi ipſi aliter (quod abſit) agant quàm deceat, memores ſcilicet illius dominici præcepti, Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite. (Matth. 23.)

* dirigere. orig.

Quòd homicidæ ab Eccleſiaſtica communione ſint ſubmouendi. Ex concilio Agathenſi, cap. xxxvij. ¶ Cap. 158.

24. q. 3. cap. itaque. Itaque cenſuimus homicidas à communione Eccleſiaſtica ſubmouendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione admiſſa crimina diluerint.

De eodem. Ex concilio Turonenſi cap. vij. ¶ Cap. 159. Turon. 2.

Homicidiis penitus non communicandum, donec per confeſſionem pœnitentiæ ipſorum crimina diluantur.

De illis quorum conſilio homicidia fiunt. Ex dictis ſancti Auguſt. ¶ Cap. 160. Decerpta hæc videtur ex enarra. Pſal. 56 ad verſic. Dormiui conturbatus, & proximos.

Periculosè ſe decipiunt, qui exiſtimant eos tantùm homicidas eſſe, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos per quorum conſilium & fraudem, & exhortationem homines extinguuntur. Nam Iudæi Dominum nequaquam propriis manibus interfecerunt, ſicut ſcriptum eſt, Nobis non licet interficere quemquam: (Ioan. 18.) ſed tamen illis domini mors imputatur, quia ipſi eum lingua crucifixerunt, dicentes, Crucifige eum. Vnde vnus Euangeliſta dicit Dominum crucifixum hora tertia, alius ſexta: quia Iudæi crucifixerunt eum hora tertia lingua, milites hora ſexta manibus. (Matth. 15. Marc. 15. Ioan. 19.) Qui ergo hominem tradit, eum ille interficit, domino dicente: Maius peccatum habet qui me tradidit tibi. (Ioan. 19.) Vnde Pſalmiſta: Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, linguæ eorum gladius acutus. (Pſal. 56.) Subiiciant ergo ſe pœnitentiæ, quorum conſilio ſanguis funditur, ſi veniã promereri voluerint.

De illis qui pro vindicta parentum homicidia committunt. Ex pœnitentiali Theodori. ¶ Cap. 161.

Qui pro vindicta fratris aut aliorum parentum occiderit hominem, ita pœniteat vt homicidia ſponte commiſſa, cùm ipſa veritas dicat: Mihi vindictam, ego retribuam. (Deut. 32. Rom. 12. Heb. 10.)

De illo qui propter cupiditatem Iudæum interfecerit. Ex concilio Magontienſi cap. vj. ¶ Cap. 162. Cap. 27. cōc. Vorm. ferè his verbis legitur. diſt. 50 cap. qui vero.

Qui odij meditatione, vel propter cupiditatem Iudæum vel paganum occiderit, quia imaginem Dei & ſpem futuræ conuerſionis extinxerat, quadraginta dies in pane & aqua pœniteat.

De parricidis & fratricidis. Ex concilio Triburienſi cap. v. ¶ Cap. 163.

Conc. Vor. c. 30. id habetur. Statuimus, vt parricidæ & fratricidæ per vnius anni circulum ante fores eccleſiæ orantes domini clementiam, perſeuerent. Completo anni circulo introducantur in eccleſiam, tamen inter audientes vſque dum vnius anni ſpatium finiatur, ſtent. His ita peractis ſi pœnitentiæ fructus in eis conſpicitur, corporis & ſanguinis domini participes fiant, vt non obdurentur deſperatione. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum: ieiunent autem vſque ad nonam quotidie, exceptis feſtis diebus atque dominicis, abſtineant autem ſe à vino, medone atque mellita ceruiſia tres dies per hebdomadam, arma portare non audeant, niſi contra paganos. Et vbicunque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, ſed pedibus propriis pergant. Ab vxoribus ſi habuerint non ſeparentur. Tempus autem huius pœnitentiæ in epiſcoporum ponimus arbitrio, vt ſecundùm conuerſationem illorum, aut extendere vel minuere valeant.

Sub Leone 4. c. 20.

De eadem re. Ex concilio Magontiensi, cap. xj.

¶ Cap. 164.

Parricidium autem quàm sit detestabile crimen, in iudicio facto inter Cain & Abel fratrem suum dominus ipse ostendit, cum ad Cain parricidam ait: Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos; & vagus & profugus eris super terram. In quo etiam posuit signum vt tremens & gemens & profugus viueret semper, nec auderet vspiam sedes habere quietis. Sed quia modernis temporibus parricidæ profugi discurrunt per diuersa loca, & variis vitiis atque gulæ illecebris deseruiunt, melius nobis videtur vt in vno loco manentes pœnitentiâ districtâ semetipsos castigent, si fortè à domini pietate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit vltrà militiæ cingulum sumere, & nuptiis atque * coniugij copula vti, quia sacri canones hoc eis non consentiunt.

Genes. 4.

* coniugiis copulari. orig. Cap. 53.

De illis qui infantes suos non sponte interficiunt. Ex Concilio Triburiensi.

¶ Cap. 165.

Si quis filium suum non sponte occiderit, iuxta homicidia non sponte commissa pœniteat.

De illo qui vxorem legitimam sine iudicio interfecerit. Ex decretis Pij Papæ, cap. xxvi.

¶ Cap. 166.

33. q. 2. c. quicumque.

Quicunque propriam vxorem absque lege, vel sine causa & certa probatione interfecerit, aliámque duxerit vxorem, armis depositis publicam agat pœnitentiam. Et si contumax fuerit, & episcopo suo inobediens extiterit, anathematizetur quousque consentiat. Eadem lex erit illi, qui seniorem suum interfecerit.

De eadem re. Ex Concilio Magontiensi, c. j.

¶ Cap. 167.

Leuit. 19. Deut. 1.

Si maritus vxorem, aut vxor maritum interfecerit, æquum iudicium sit super eos, dicente domino: Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Et pòst pauca ita inquit: Paruum audietis vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est. Idcirco vterque eorum in huiuscemodi criminis actione, si negauerit, pari iudicio examinetur. Si negauerit & non potest vinci manifestis indiciis: si liber est, iuret cum duodecim: si seruus, feruenti ferro se purget. Sin autem moriens, maritum vno vel duobus audientibus de morte eius inculpauerit, non ideò erit victus: sed si liber est, cum septuaginta duobus iuret: si seruus, super duodecim vomeres feruentes se purget. Eadem lex erit marito vxorem accusanti.

In fragmentis.

De eadem re. Ex concilio Eliberitano, c. lxxxv.

¶ Cap. 168.

*veneno. orig.

Si mulier causâ fornicationis maritum suum * interfecerit, aut quacunque arte perimere facit: quia dominum & seniorem suum occidit, sæculum relinquat, & in monasterio pœniteat.

Legitur ad calcem conc. Eli. 33. q. 1. cap. si qua mulier.

De vxore in mariti mortem consentiente. Ex concilio apud Vermerias, cap. iij.

¶ Cap. 169

Si qua mulier mortem viri sui cum aliis cōciliata est, & ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, & si hoc probare potest ille vir eam ream esse consilij, potest (vt nobis videtur) ipsam vxorem dimittere. Ipsa autem insidiatrix pœnitentiæ subiecta, absq; spe coniugij maneat.

De hoc, si plures vnum impugnauerint. Ex eodem concilio, cap. xtviij.

¶ Cap. 170.

Si quatuor aut quinque homines, seu etiam plures contra vnum hominem rixati fuerint, & ab his vulneratus mortuus fuerit: quicunque eorum plagam ei imposuit, secundùm statuta canonum, vt homicida iudicetur: reliqui autem qui eum impugnabant volentes eum interficere, similiter pœniteant. Qui verò nec eum impugnabant, nec vulnerabant, nec consilio nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantum affuerunt, extra noxam sint.

23 q 8. c. si quatuor.

De vindicta non prohibenda. Ex dictis Apostoli, Hieronymi, Augustini, Gregorij.

¶ Cap. 171.

De vindicta non prohibenda in nouo Testamento *Hieronymus* de personis dignis ad vindictam, ait: Qui percutit malos in eo quod mali sunt, & habet causam interfectionis vt percutiat pessimos, minister Dei est. *Item.* Lex & ministri eius coërceant inimicos & constringant. *Apostolus inquit*: Regi quasi præcellenti, & ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. *Item Hieronymus*: Homicidas & sacrilegos & venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. *Augustinus ait.* Quæ ista vanitas, parcere vni, & omnes in discrimen adducere? Polluuntur enim omnes vno peccante: vnde & in lege iubetur: Maleficos non patiaris viuere. Vnde propheta: Mortificabant animas quæ non viuunt. *Vnde Gregorius*: Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat: & non victurū viuificare nititur, qui reum à supplicio soluere conatur. Helias namque multos affecit morte propria manu nece & igne diuinitus inspirato. In nouo etiam testamento Petrus Ananiam & Sapphiram terrificè mulctauit.

In Ezech. lib. 3 ad c. 9.

1. Pet. 2.

Hier in 22. cap. Hiere. statim post principium.

Exod. 22.

3. Reg. 18. 4 Reg. 1. Act. 5.

De illis qui in confractione idolorum occisi fuerint. Ex concilio Eliberitano, cap. lx.

¶ Cap. 172.

Si quis idola fregerit, & ibidem occisus fuerit: quia & in Euangeliis scriptum non est, neque inuenitur sub Apostolis vnquam factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum.

De eo qui matrem suam occiderit, qualiter pœnitere debeat. Ex epist. Nicolai Papæ ad Radulphum sanctæ Argenteæ Retensis Ecclesiæ episcopum.

¶ Cap. 173.

Nicolaus episcopus seruus seruorum Dei, reuerendissimo & sanctissimo Radulpho episcopo sanctæ Argenteæ Retensis ecclesiæ. Dum de vniuersis mundi partibus credentium agmina principis Apostolorum liminibus properant, quidam vir nomine Thiothart venit vestræ beatitudinis epistolam gerens, quam nostro contulit præsulatui, cuius paginam perlegentes matricidam illum esse cognouimus. Quo facto multis fletibus lachrymísque profusis valdè doluimus. Idcirco præcipimus, & patrum aliorum censuris statuimus, vt sub pœnitentiæ iugo permaneat: ita vt vnum per annum ecclesiam non ingrediatur,

ingrediatur, sed ante fores Basilicæ orans ac deprecans dominum perseueret, qualiter tanto eripiatur piaculo Completo verò anni circulo introeundi in ecclesiam habeat licentiam, tamen inter audientes stet & nondum communicet. Completis autem trium annorum circulis sacræ communionis illi gratia cōcedatur, oblationes verò non offerat, nisi postquam aliorum septem annorum curricula expleantur. In his autem omnibus annis atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis festis diebus atque dominicis, & à Pascha vsque ad Pentecosten: & quocunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur, arma non sumat nisi contra paganos. Ieiunet autem tres dies per hebdomadam vsque ad vesperum: à propria quidem ac legitima sua coniuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat, quod ne fiat optamus. Si autem ante trium annorum cursum finis vitæ illius appropinquauerit, corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps fiat. Si autem, vt supra statuimus, efficiatur: tamen si illius conuersationem & lachrymarum fontē in omnibus videritis floridis actionibus, & optimis operibus pullulare, humanius circa eum vestra sollicitudo peruigil appareat, mitísque omnibus demonstretur. Optamus vos in Christo benè valere.

Vt clericus qui homicidium fecerit ab ordine cessare cogatur. Ex concilio Triburiensi cui interfuit Arnulfus Rex. cap. xi.

§ CAP. 174.

Si quis clericus quamuis nimium coactus, homicidium fecerit, siue sit presbyter, siue diaconus, deponatur. Legimus in canonibus Apostolorum quòd episcopus, presbyter, & diaconus qui in fornicatione aut periurio, aut furto captus est, deponatur: quantò magis is qui hoc immane scelus fecerit ab ordine cessare debebit? Qui enim Christum sequi desiderat, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare: Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm percuteretur non repercutiebat, cùm pro nobis pateretur non comminabatur. Et ipse in Euangelio suo præcepit: Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe illi & alteram. Non enim debemus occidere, cùm dominus dicat: Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Nec malum pro malo reddere, sed sicut Apostolus Romanis scribens, ait, noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Si quis clericorum præsens erit vbi homicidium factum fuerit, & neque consensu, neque consultu, neque in aliquo homicidij reatu pollutus esse conuincitur, nihil ei obsit, quin consecratus in gradu permaneat, permaneat, non consecratus si aliàs dignus sit, promotus accedat.

De eo si quis in hoste contra paganos dimicans interfecit captiuos Christianos. Ex eodem conc. cui interfuit Arnul. Rex, c. xxxiv.

§ CAP. 175.

Sæpe fit victoria Christianorum, victa est pars paganorum. Quare si vnà cū interfectis paganis perempti fuerint Christiani captiui à barbaris, quia impetu belli nequeunt distingui. Idcirco iustū esse decernentes, statuimus cum interfectoribus misericordius agendum, ita vt 40. diebus pœnitentiæ indulgentius transactis, penes Episcopum sit authoritas & potestas, vt perpendat culpam & agat indulgentiam.

De eo qui Christianum mancipium seduxerit, & sic vendiderit. Ex conc. apud Confluentiam, cui interfuerunt Henricus & Carolus Reges c. vij.

§ CAP. 176.

Item interrogatum est, quid de eo faciendum sit qui Christianum hominem seduxerit, & sic vendiderit. Responsúmque est ab omnibus, homicidij reatum ipsum hominē sibi contrahere.

*De pœnitentia eius qui fratricidium fecerit. Alexander ij. Vvilhelmo Petragoricensi, Duranno * Toletensi episcopis, & Hugoni Abbati.* * Tholosano.

§ CAP. 177.

Præsentium portitor literarum ad nos perueniens lachrimabiliter confessus est se fratricidij crimen incurrisse. Qui licet tanti facinoris efficiens causa fuerit, tamen minimè voluntate sua peractum intimauit. Cùm enim fratrem suum inimicantem sibi paratis insidiis cepisset, & ipsum vt secum iret percussione capuli ensis coēgisset, consobrinus quidam suus secum perueniens sine consilio & præmeditatione sine voluntate etiam ipsius, vt astruit, eum interfecit. Cui licet condignam religio vestra iniunxeri & laudabilem pœnitentiam, tamen circa eumt misericordiæ viscera exhibentes, præcipimus vt cùm domum redierit, medietatem totius patrimonij sui pro fratris animæque suæ remedio pauperibus tribuat: alterius quoque hæreditatis suæ portionem nihilominus pro eadem causa distribuens, vsum fructúmque necessitati suæ reseruet. Et sic omnibus ordinatis suis liber in monasterium ingrediatur, & ibi per vnum annum huiusmodi pœnitentia maceretur, scilicet vt à Pentecoste vsque ad Sancti Michaëlis festiuitatem bis in vnaquaque hebdomada in pane & aqua: de hinc autem vsque ad quadragesimam tribus diebus ieiunet similiter in pane & aqua: & vt à corpore & sanguine domini vsque ad tres annos expletos abstineat, nisi periculum mortis immineat. Quadragesimam totam præter dies dominicos ieiunet, arma nullo modo in vita sua induat, coniugio vsque ad peractam septem annorum pœnitentiam non vtatur. Sexta feria donec vixerit ieiunet. Hæc omnia ita illi iniunximus, vt si infirmitatem eius minimè ferre posse prouidentia vestra præsenserit, licentiam habeat miserendi prout placuerit.

Item de patricidis & fratricidis. Alexander Vuiltinensis ecclesiæ clericis.

§ CAP. 178.

Diligentia vestra noscat huic Theoderico pro parricidio, morte videlicet filij sui non sponte commisso, authoritate beatissimorum Apostolorum & canonum pœnitentiam nos septennio imposuisse, in eodem peractæ pœnitentiæ tempus connumerantes, ita vt à modò vsque ad sancti Martini festum duobus diebus in hebdomada ieiunet, quarta feria videlicet & sexta in pane & aqua: à sancti Martini festiuitate vsque ad domini Natiuitatem continuum agat ieiunium in pane & aqua, exceptis dominicis & quinta feria, in quibus quadragesimali cibo vescatur: ab octauis Epiphaniæ vsque ad qua-

dragesimam duobus in hebdommoda ieiunet diebus, quarta & sexta feria in pane & aqua, exceptis festis principalibus, in quibus eleemosyna se redimat. In quadragesimali verò tempore continuum est agendum ieiunium in pane & aqua, exceptis dominicis diebus. In quinta feria tantùm vinum ei bibere, & quadragesimali vti cibo concedimus. Post annum verò completum in toto anno duobus diebus in vnaquaque hebdomada in pane & aqua ieiunet. In quadragesima tamen continuum agat ieiunium in pane & aqua, & in vnoquoque anno vsque ad expletum pœnitentiæ tempus huiusmodi ieiunium agendum est, & à carne se abstineat: per vnum annum Ecclesiam ei denegamus. Post ingressum Ecclesiæ tribus annis à communione separamus, nisi mortis fuerit timore præuentus. Si quis autem episcopus vel religiosus presbyter causa pietatis aliquid sibi remedij relaxare voluerit, hoc ei ex Apostolica authoritate concedimus.

De eodem. Gregorius iij. Bonifacio.

¶ Cap. 179.

De his verò dicimus qui patrem, matrem, fratrem, aut sororem occiderint vt toto vitæ suæ tempore corpus non suscipiant dominicum, nisi sui temporis exitu pro viatico. Abstineant enim se & à carnis comestione & potu vini donec aduixerint. Ieiunent secundam & quartam & sextam feriam, vt sic possint deflendo diluere commissum scelus.

Item de eodem, & de cognatorum suorum interfectoribus. Nicolaus Carolo episcopo & eius suffraganeis.

¶ Cap. 180.

De parricidis & fratricidis præcipimus, vt per vnius anni circulum ante fores basilicæ orantes domini clementiam, perseuerent: completo verò anni circulo introducantur in Ecclesiam, tamen inter audientes vsque dum vnius anni spacium finiatur stent, cùm ad Missarum solennia vel alia sacra audire officia venerint. His itaque peractis si pœnitentiæ fructus in eis conspicitis, corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi participes fiant, ne desperationis indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ eorum. Ieiunent autem vsq; ad nonã diei horã quotidie, exceptis festis diebus atque dominicis: vinum atque pulmentũ sumere non præsumant, nisi tres dies per hebdomadam, arma gerere non audeant vel sumere nisi contra paganos, & vbicunque ire voluerint nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. Tempus huius pœnitentiæ in vestræ beatitudinis arbitrio ponimus, vt secundùm conuersationem illorum aut extendere, aut minuere valeatis: ab vxoribus si habuerint, non separentur. Si autem non habuerint, & se continere non valuerint, legitimas in coniugio accipiant fœminas, ne fornicationis voraginem incidere videantur. Si autem antequam duorum prædictorum finiantur curricula annorum, finis vitæ illorum peruenerit, viaticum illis non negetur. *Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorùm, cap. xxiiij.* Quid parricida, id est qui patrem aut matrem occiderit, vel etiam qui fratrem aut sororem interficit, pati debeant, leges indicant. Porro si ad Ecclesiam confugerint, id quod Episcopus loci vel sacerdos qui ab illo constitutus est, præuiderit, agendum decernimus. *Item.* De his qui proximum, id est consanguineum suum, vt est frater, consobrinus, aut nepos, trucidauerit, venerandæ leges proprium robur obtineant. Sed si ad ecclesiam conuolauerint, mortis quidem legibus eruantur, pœnitentiæ verò quam antistes loci vel presbyter considerauerit, absque dubio submittantur. *Cap. 26.*

De mulieribus quæ partus suos necant. Ex conc. Ancyrano, cap. xx. ¶ Cap. 181.

De mulieribus quæ fornicantur & partus suos necant, vel quæ agunt secum vt vtero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio vsque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia remouet: humanius autem nunc diffinimus, vt eis decem annorum tempus secundùm præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.

De eadem re. Ex Ilerdensi concilio, cap. ij.
¶ Cap. 182.

Qui malè conceptos ex adulterio fœtus vel editos necare studuerint vel in matrum ventribus potionibus aliquibus colliserint, in vtroque sexu adulteris post septem annorum curricula communio tribuatur: ita tamen vt omni tempore vitæ suæ humilitati & fletibus insistant. Si verò clerici fuerint, officium eis ministrandi recuperare non liceat.

Item de eodem. Canones Martini episcopi ad laicos, cap. ix. ¶ Cap. 183. *Ex lib syn. Græca. Mart Bracaren episc. c. in vniuersum 77.*

Si qua mulier fornicata fuerit, & infantem habuerit, & illum occiderit, & quæ studuerit abortum facere, & quod conceptum est necare, aut certè vt non concipiat elaborauerit, siue ex adulterio, siue ex legitimo coniugio, has tales mulieres in morte recipere cõmunionem priores canones decreuerunt. Nos tamen pro misericordia siue tales mulieres, siue conscias scelerum ipsarum decem annis agere pœnitentiam iudicamus.

De quodam qui fratrem suum occiderat. Nicolaus Donno Episcopo, & Carolo Regi.
¶ Cap. 184.

Quidam vestræ diœceseos vir Hugo nomine venit, qui lachrymoso affatu nostro pontificio retulit, qualiter fratricidium antiquo hoste cogente fecerat, & qualiter sub pœnitentiæ iugo pro tanto facinore à vestra fuerat constitutus beatitudine. Nos autem tantæ aduersitatis piaculum, & fraterni sanguinis audientes effusionem, non paucas fundentes lachrymas contristati sumus. Tamen quia vt aiebat, tantæ maculæ culpam lacrymarum fonte abluere fraterna iubente gratia malit, sancimus vt proprias possessiones quæ ab eo pro hoc facto ablatæ sunt, incunctanter recipiat, ne paupertatis inopia constrictus ad peiora deducatur. Nam & propria legitimáque vxor illius à qua separatus est, vestra sanctitas illi vt statim reddatur satagat, ne in fornicationis voraginem, quod noluimus, incidere videatur. In reliquis verò secundùm pœnitentiæ modum quam illi instruxistis peragere, maneat.

De pœnitentia parricidarum & incestuosorum. Nicolaus Salomoni Constantiensi episcopo.
¶ Cap. 185.

Constat parricidas, fratricidas, & incestuosos de quibus consulis vtrùm possint coniugio copulari, pœnitentiam agere, & ideo non posse carnali copulæ iungi. Quos oportet in castitate omnibus diebus vitæ suæ permanere, mentis & corporis, seruata duntaxat propter misericordiam etiam circa hos beati Papæ Leonis vigesima quarta decretalium regula.

De quadam quæ filios suos necauerat. Stephanus iij. Lamberto episcopo Cenomannico.
¶ Cap. 186.

Lecta epistola à sanctitate tua nobis directa, quæ hanc fœminam nomine Hildegardam filios suos interfecisse, & septennem pœnitentiam egisse fatebatur, valdè doluimus. Vnde quia mandasti vt viscera pietatis ei præberemus, volumus & misericorditer mandamus, vt sacris festiuitatibus, id est reuerendæ Natiuitatis, & sancti Paschæ, atque Pentecostes, & natalis Apostolorum sacrum corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi sumere debeat: & diebus vitæ suæ in monasterio retrusa monachicam vitam regulariter ducat.

Quòd iudex qui peccata vindicare potest & non facit, reus sit peccati. Honorius Anatholio magistro militum. ¶ Cap. 187.

Lator præsentium prece nobis flebili supplicauit, asserens à quodã milite castri Salernitani germanũ suũ fuisse peremptũ, insuper & rebus propriis post eius interitum spoliatũ: propterea quàm impium quámque contra legum statuta sit noxium ipsis rerum documentis in propatulo omnibus tenetur expertum, vt sanguis innocenter effusus à committente nullatenus vlciscatur. Qui hæc vindicare possunt, & pro conniuentia vlcisci negligunt, sint profectò scituri, quia si defensare insontem sanguinem neglexerint, in futuro tremendóque examine de eis vti huius facinoris participibus tale commissum scelus exigetur. Propterea gloria vestra ad vindicandum vlciscendúmque funesto homicidij crimine irretitum, ab agmine militari disiungat, & iudici prouinciæ tradendum ac puniendum iustitiæ impulsu festinet. Res verò ab eo vi latrocinali ablatas supradicto præcatori si germanus eius extiterit, indubitanter restituat, quatenus nobis imminente disciplina is qui scelus commisit semper expectet, & incunctanter excipiat, & militaris integritas vnius ob noxam homicidali contagio nequaquam subiaceat.

De his qui sibi mortem inferunt. Ex primo concilio Bracarensi, cap. xxxiv. ¶ Cap. 188.

Qui per ferrum, aut per venenum, aut præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentiæ sibi ipsis inferunt mortem, nulla pro eis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis eorum cadauera ad sepulturam deducantur. Multi enim sibi hoc per ignorantiam vsurpant. Similiter & de his fieri placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur. *23. q. 5. cap. placuit & si qui.*





D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI DECRETI PARS VNDECIMA.

DE INCANTATORIBVS: DE AVguribus: de Diuinis: de Sortilegis: de Sortiarijs: & varijs Illusionibus Diaboli: Et de singulorum pœnitentia.

NE QVIS ARIOLOS, HARVSPICES, VEL incantatores obseruet. Decretum Gregorij iunioris.

Greg. 2. c. 12. suorum decretorum, in conc. Romano 1.

¶ CAPVT PRIMVM.

26. q. 5. c. si quis ariolos.



SI quis ariolos, haruspices, vel incantatores obseruauerit, aut phylacteriis vsus fuerit, anathema sit.

De eadem re. Ex Ancyranensi conc. c. xxiij. ¶ CAP. 2.

26 q. 5. cap. qui diuinationes.

Qui diuinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur, vel in domos suas huiusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte magica, aut expiandi causâ sub regula quinquennij iaceant secundùm gradus pœnitentiæ definitos.

Et concil. Agath. c. 68. 26. q. 5. c. nõ oportet. Cap. 42. Et Venet. c. 16

Ne clerici incantatores sint. Ex Laodicensi conc. c. xxxvi. ¶ CAP. 3.

Non oportet sacris officiis deditos vel clericos, magos aut incantatores existere, aut facere phylacteria, quæ animarum suarum vincula comprobantur.

26. q. 5. c. aliquanti.

Quid agendum sit de sortilegis. Ex Agathensi conc. cap. xxxix. ¶ CAP. 4.

Aliquanti clerici siue laici student auguriis, & sub nomine fictæ religionis per eas, quas sanctorum sortes vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt. Hoc quicunque clericus aut laicus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab ecclesia habeatur extraneus.

De pœnitentia clericorum qui augures consuluerint. Ex Toletano concilio cap. xxx. ¶ CAP. 5. *Cõc. Toleta. 4. cap. 28.*

Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum haruspices aut ariolos, aut certè augures vel sortilegos, vel eos qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum * similia exercentes consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, monasterij curam excipiat, ibíque perpetuæ pœnitentiæ deditus scelus admissi sacrilegij soluat.

26. q. 5. c. si quis episcopus.

* sublimia habet codex conc.

De Pythonico spiritu. Ambrosius super epistolam primam ad Corinthios. ¶ CAP. 6. *Ad cap. 2.*

Spiritus mundi hic est, per quem * corripiuntùr phanatici qui sine Deo sunt. Est enim inter mundanos spiritus potior: vnde solet coniecturis quæ mundi sunt diuinare, quem Pythonem appellant. Hic est qui per verisimilia fallitur, & fallit: hic est qui per Sybillam locutus est sensum nostrorum secutus, locum volens inter cœlestes habere.

* arripiuntur.

De Calendis vel auguriis non obseruandis. Zacharias Bonifacio Episcopo. ¶ CAP. 7.

De Calendis Ianuariis, vel cæteris auguriis, phylacteriis, & incantationibus, vel aliis diuersis obseruationibus, quæ gentili more obseruari dixisti apud beatum Petrum Apostolum, vel in vrbe Roma, hoc & nobis & omnibus Christianis detestabile & perniciosum esse iudicamus.

De maleficiis damnandis Leo iiij. Episcopis Britanniæ. ¶ CAP. 8.

Sortes quibus vos cuncta in vestris discriminatis prouinciis, nihil aliud quàm quod alij patres damnauerunt, diuinationes, & maleficium esse decernimus. Quam ob rem volumus illas omnino damnari, & vltrà inter Christianos nolumus nominari, & vt abscindantur sub anathematis interdictu prohibemus.

De his qui cursus astrorum & volatus auium obseruant. Hieronymus super Iesu Naue, Homelia vij. ¶ CAP. 9.

Illi, qui cùm Christiani sint, solennitates gentilium celebrant, anathema in Ecclesiam introducunt. Et qui de astrorum cursibus vitas hominum & gesta perquirunt: qui volatus auium, & cætera huiusmodi quæ in sæculo priùs obseruabantur inquirunt, de Hiericho anathema inferunt in Ecclesiam, & polluunt castra domini, & vinci faciunt populum Dei.

Non credendum his qui non secundùm dominum diuinant. August. lib. quæstionum super Deuteronomium, cap. xix. ¶ CAP. 10.

Intelligi voluit dominus, etiam illa quæ à diuinantibus non secundùm Deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur, non accipienda sic vt fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis.

De depositione clerici maledici Ex conc. iiij. Carthag. c. lvij. ¶ CAP. 11.

Clericus maledicus, maximéque in sacerdotibus cogatur ad postulandam veniam. Si noluerit, degradetur, neque vnquam ad officium absque satisfactione reuocetur.

De damnatione eius, qui aliquem maleficio interfecerit. Ex Elliberitano concilio, cap. vi. ¶ CAP. 12.

Si quis maleficio interficiat aliquem, eò quòd sine idololatria perficere non potuit scelus, nec in fine * percipiendam esse communionem. * impertiendam illi. orig.

Quòd constitutiones hominum partim sint superstitiosæ, partim non August. de doctrina Christiana lib. 2. ¶ CAP. 13. Cap. 19. & 20.

Illud quod est secundùm institutiones hominum, partim superstitiosum est, partim non est superstitiosum. Superstitiosum est, quicquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola, pertinens vel ad colendam sicut Deum, creaturam, partémue vllam creaturæ: vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magnificarum artium, quæ quidem commemorare potius quã docere solent poëtæ. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, haruspicum & augurum libri. Ad hoc genus etiam pertinent omnes ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis quas characteres vocant, siue in quibúsque rebus suspendendis atque ligandis, vel etiam saltandis quodammodo non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas aut manifestas, quam * eminentiore nomine physicam vocant: vt quasi non * superstiosè implicare, sed natura prodesse videantur: sicut sunt inaures in summo singularum aurium, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cùm tibi dicitur singultienti vt dextera manu * pollicem teneas. His adiunguntur millia inanissimarum obseruationum, si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit. Hinc etiam sunt illa, limen calcare cùm ante domum suam transit, redire ad lectum, si quis dum se calciat sternutauerit, redire domum, si procedens offenderit, cùm vestis à soricibus roditur plus timere suspicionem futuri mali, quàm præsens damnum dolere. *Item.* Neque illi ab hoc genere perniciosæ superstitionis segregandi sunt, qui Genethliaci propter * natalium considerationes dierum, nunc autem vulgò Mathematici vocantur. Nam & ipsi quamuis veram stellarum positionem cùm quisque nascitur consectentur, & aliquando etiam peruestigent, tamen quod inde conantur vel actiones nostras, vel actionum euenta prædicere, nimis errant. *Item de eodem.* Hoc genus fornicationis animæ, salubriter diuina authoritas non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam, vt propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à professoribus eorum, sed etiam si dixerint vobis, inquit, & ita euenerit, ne credatis eis. Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli vera prænunciauit, propterea talia sacrilegia quibus illa imago præsentata est, minus execranda sunt, aut quia in actibus Apostolorum fœmina ventriloqua verum testimonium perhibuit Apostolis domini, ideo Apostolus Paulus pepercit spiritui illi, ac non potius fœminam illius dæmonij correptione atque exclusione mundauit. Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda & fugienda Christiano. *Item.* Doctrinæ omnes gentilium non solùm simulata & superstitiosa figmenta, grauésque sarcinas superuacui laboris habent, quæ vnusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari atque deuitare, sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, déque vno ipso Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos: quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis diuinæ prouidentiæ quæ vbique infusa est, eruerunt, & quo peruersè atque iniuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur, cùm ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelij. Vestem quoque illorum, id est hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, quã in hac vitã carere non possumus, accipere atque habere licuerit in vsum conuertenda Christianum.

Margin notes: * mitiore orig. — * superstitione. Vict. — * sinistrũ pollicem orig. — Post pauca. — Ibidẽ c. 21. al. — * al. naturalium. — Ibidẽ c. 23. — Deut. 13. 1. Reg 28. — Act. 16. — Ibidẽ c 40.

Lege 57. *Rerum inhonestarum nullam esse societatem. Pandectarum libro xvij. titulo y.*

¶ CAP. 14.

Si maleficij societas coita sit, constat nullam esse societatem. Generaliter enim traditur, rerum inhonestarum nullam esse societatem.

Ad cap 4. *De non obseruandis diebus Ægyptiacis. Augustinus super epist. ad Galatas.*

¶ CAP. 15.

Intelligat lector ad tantum periculum animæ pertinere superstitiosas temporum obseruationes, vt dicat Apostolus: Timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis. (Galat. 4.) Quod cùm tanta celebritate atque authoritate per orbem terrarum in Ecclesiis legatur, plena sunt conuenticula nostra hominibus qui tempora rerum agendarum à Mathematicis accipiunt. Iam verò ne aliquid inchoetur, aut ædificiorum, aut huiusmodi quorumlibet operum diebus quos Ægyptiacos vocant, sæpe etiam nos monere non dubitant.

De non obseruandis Calendis Ianuarijs. Ex sermone August. de Cal. Ianu. qui sic incipit, Dies Calendarum. ¶ CAP. 16.

Extāt huius sermonis & alia quædā fragmenta in Milleloquio Aug. ad titulum Calendarum.

Sunt qui Calendis Ianuariis ita auguria obseruant, vt focum de domo sua vel aliud quodcunque beneficium cuicunque petenti non tribuant: diabolicas strenas & ab aliis accipiunt & ipsi aliis tradunt.

Quòd viri vel fœminæ filios vel filias susceptas in baptismo, docere debeant. Ex serm. August. dominica. 1. post Pascha, qui sic incipit: Hodiernus dies.

¶ CAP. 17.

Recēsetur & hic sermo ad calcē Milleloquij inter Paschales num 34. Cæterū eadē habētur etiā serm. de tēpore 163. 215. & 241.

Vos ante omnia tam viros quàm fœminas qui filios in baptismo suscepistis, moneo, vt vos cognoscatis fideiussores apud Deum pro illis extitisse quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ideo semper eos admonere, vt castitatem diligant, iustitiam custodiant, charitatem teneant, hoc omnibus faciant quod sibi fieri volunt, auguria, non obseruent, ad arbores & ad fontes vota non reddant, præcantatores & caragios, & sacrilega phylacteria, velut diaboli venena refugiant, nec furtum faciant, nec falsum testimonium dicant. Ante omnia symbolum & orationem dominicam & vos ipsi tenete, & illis quos excepistis ostendite.

Quid sit, Dies obseruatis & menses, &c. August. ad Ianuarium. ¶ CAP. 18.

Ep. 119. c. 7. Gala. 4.

Eos culpat Apostolus, qui dicunt, non proficiscar hodie; quia * dies posterus est, aut quia Luna sic fertur: vel, proficiscar vt prospera cedant, quia ita se habet positio syderum. Non agam hoc in mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem: vel agam, quia suscepit mensem. Non plantabo vineam in hoc anno, quia bissextus est. Non autem quisquam sapiens arbitratur obseruatores temporum reprehendendos, qui dicunt; Non proficiscar hodie, quia tēpestas exorta est: aut non nauigem, quia hybernæ sunt reliquiæ: aut tempus seminandi, quia imbribus autumnalibus terra satiata est, vel si qui fortè alij naturales effectus circa motū aëris & humoris ad variandas temporum qualitates in siderum ordinatissima conuersione notati sunt.

* al. posterum est,

De eodem, quòd peccatum sit dies obseruare & menses &c. August. in Enchyridio c. lxxix.

¶ CAP. 19.

Quis æstimaret quàm magnum peccatum sit dies obseruare & menses, & annos, & tempora; sicut obseruant qui certis diebus, siue mensibus, siue annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eò quòd secundùm vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora: nisi huius magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: Timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis? (Gala. 4.)

De damnatione Mathematicorum. August. li. Confessionum iv. ¶ CAP. 20. (Cap. 3.)

Illos planetarios quos Mathematicos vocāt, planè consulere nō desistebam, quòd quasi nullum eis esset sacrificium, & nullæ preces ad aliquem spiritum ob diuinationem dirigerentur, quod tamen Christiana & vera pietas consequenter * expellit & damnat.

26 q. 2. c. illos planetarios.

* rep. orig.

Quòd non sit credendum sortibus. Hieronymus super Ionam. ¶ CAP. 21. (Ad cap. 1.)

Non statim debemus sub exemplo Ionæ sortibus credere, vel illud de Actibus Apostolorū huic testimonio copulare, vbi sorte in Apostolatum Mathias eligitur, cùm priuilegia singulorum non possint legem facere communem.

26. q. 2. c. Non statim. Act. 1.

Qui sint sortilegi. Isidorus Etymologiarum lib. viij. cap. ix. ¶ CAP. 22.

Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam quas sanctorum vocant sortes, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt.

*De clerico in maleficiis deprehenso. Gregorius Ianuario * Episcopo sardiniæ.*

¶ CAP. 23.

Lib 3. regist. epist. 24. *Episcopo Caralitano orig.

Paulum verò clericum qui sæpe dicitur in maleficiis deprehensus, qui despecto habitu suo ad laicam reuersus vitam in Africam fugerat, si ita est, corporali priùs præueniente vindicta, præuidimus in pœnitentiam dari.

De vaticinatoribus. Capitularium lib. vij. c. cccxxij.

¶ CAP. 24.

Vaticinatores qui se futura denunciant scire, cæsi de ciuitate iactentur.

De correctione eius qui magica arte mulierem criminatus sit. Gelasius secundino Vvisinensi.

¶ CAP. 25.

Atroces iniurias indecorum prorsus ducimus ministrorum Ecclesiæ vocibus irrogari, talia laicorum cum plærūque refugiant actiones. Tempus bonum siquidem honesta fœmina didicerat à magistro Paulo diacono, quæ non solùm se suggerit criminibus appetitam, verùm etiam in damnata arte magicæ execrationis conscientiā miscuisse. Et ideo, frater, inter supradictos te decreuimus cognitorem, vt si prædictum diaconū proteruitas ista conuincit, postquam indecenter probatus fuerit mulierem inciuiliter appetisse; aut eundem ad astruenda quæ iactauit astringas, aut digna correptione compescas.

Locus deprauatus.

Vt venefici capite damnentur. Pandectarum lib. iv. tit.xix ❡ CAP. 26.

*sufurriis. Venefici capite damnentur, qui artibus odiosis, venenis, vel * susurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publicè vendiderint.

Quomodo impetendus sit clericus de maleficiis. Item. ❡ CAPVT 27.

Non parùm miramur quòd sæcularibus legibus diaconum tuum pro crimine maleficij velis impetere. Vnde Apostolica præcipimus authoritate, vt postpositis parilibus legibus quę seruis potius quàm Ecclesiasticis debentur ordinibus, canonicã ab eo purificationẽ recipias.

De damnatione Paschalis Archidiaconi pro incantationibus suis. Ex libro Pontificali. ❡ CAP. 28.

Paschalis non post multum tempus ab officio Archidiaconatus propter aliquas incantationes, & luculos quos colebat, vel * sordes quas cum aliis respectoribus tractabat, Dei beatique Petri Apostolorum principis interueniente iudicio priuatus est, & à Sergio in monasterio retrusus. Post quinquennium præ cordis duritia impœnitens defunctus est. * fortè, sortes.

Epist. 119. c. 20. *De sortilegis & consulteribus dæmonum. August. ad inquisitiones Ianuarij.* ❡ CAP. 29.

26 q. 2. cap. hi qui. Idem prohibitum infrà c. 52. Hi qui de paginis Euangelicis sortes legunt, etsi optandum est vt id potius faciant, quàm vt ad dæmonia consulenda concurrant, tamen ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia & ad vitæ huius vanitatem diuina oracula velle conuertere.

In fragm. *Vt Episcopi de parœciis suis sortilegos & maleficos expellant, & de vana illusione dæmonum. Ex conc. Ancyrensi c. 1.* ❡ CAP. 30.

26 q. 5. cap. episcopi. Vt Episcopi eorúmque ministri omnibus viribus elaborare studeant, vt perniciosam & à diabolo inuentam sortilegam & maleficam artem penitus ex parœciis suis eradicent, & si aliquem virum aut mulierem huiuscemodi sceleris sectatorem inuenerint, turpiter dehonestatum de parœciis suis eiiciant; ait enim Apostolus: Hæreticum post vnam & secundam admonitionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est. Subuersi sunt & à diabolo capti tenentur qui derelicto creatore suo à diabolo suffragia quærunt: & ideo à tali peste mundari debet sancta Ecclesia. Illud etiam non omittendum, quòd quædam sceleratæ mulieres retrò post Satanam conuersæ, dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt se & profitentur, nocturnis horis cum Diana paganorum dea, vel cùm Herodiade & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multa terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, eiúsque iussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad eius seruitium euocari. Sed vtinam hæ solæ in perfidia sua periissent, & non multos secum in infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo hac falsa opinione decepta hæc vera esse credit, & credendo à recta fide deuiat, & in errore paganorum reuoluitur, cùm aliquid diuinitatis aut numinis extra vnum Deum arbitratur. Quapropter sacerdotes per Ecclesias sibi cõmissas populo omni instantia prædicare debent, vt nouerint hæc omnimodis falsa esse, & non à diuino, sed à maligno spiritu talia phãtasmata mentibus * fidelium irrogari. Siquidẽ ipse Satanas, qui transfigurat se in angelum lucis, cùm mentem cuiuscumque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem & incredulitatem subiugauerit, ilico transformat se in diuersarum personarum species atque similitudines, & mentem, quam captiuam tenet in somnis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostẽdens, per deuia quæq; deducit. Et cùm solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc non in animo, sed in corpore euenire opinatur. Quis enim non in somnis & nocturnis visionibus extra seipsum educitur, & multa videt dormiendo, quæ numquam viderat vigilando? Quis verò tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur: cùm Ezechiel propheta visiones domini in spiritu non in corpore vidit, & Ioannes Apostolus Apocalypsis sacramenta in spiritu non in corpore vidit & audiuit, * sicut ipse statim inquit: Fui in spiritu: Et Paulus non audet se dicere raptum in corpore? Omnibus itaque publicè annunciandum est, quòd qui talia & his similia credit, fidem perdit, & qui fidem rectam in Deo non habet, hic non est eius, sed illius in quem credit, id est diaboli. Nam de Domino nostro scriptũ est: Omnia per ipsum facta sunt. Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel in similitudinem, nisi ab ipso creatore qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, & pagano deterior.

Tit 3. 1. Tim. 5. Idem refert & August. lib. de spiritu & anima c. 18. * al. infidelium Vict. 2. Cor. 11. Ezech. 3. Apoc. 1. * sicut ipse dicit: statim inquit fui in spiritu. orig. 1. Cor. 12. Ioan. 1.

De cultoribus arborum. Ex registro Gregorij. ❡ CAP. 31.

Li. 7. Ind. 1. ep. 20. ad Agnellum episc Terracina. Peruenit ad nos quosdã (quod dici nefas est) arbores colere, & multa alia contra Christianã fidem illicita perpetrare. Et miramur cur hoc fraternitas tua districta emendare vltione distulerit. Propterea scriptis præsentibus adhortamur, hos diligenti inuestigatione perquiri, & vt veritate cognita talem in eis faciatis exercere vindictam, quatenus & Deus placari possit, & aliis eorum vltio correctionis exemplum sit.

De cultoribus idolorum & pœna eorum. Ex eod. ❡ CAP. 32.

Eiusdẽ lib. epist. 66. ad Ianuarium episc. Calari. 26. q. 5. c. cõtrr idolorũ. Contra idolorum cultores, vel haruspicum atque sortilegorum fraternitatem tuam vehementius pastorali hortamur inuigilare custodia, atque publicè in populo cõtra huius rei viros sermonem facere, eósque à tanti labe sacrilegij, & diuini intentione iudicij, & præsentis vitæ * periculo adhortatione suasoria reuocare. Quos tamen si emendare à talibus atque corrigere nolle repereris, feruenti comprehendere zelo te volumus: & quidem si serui sunt, verberibus cruciatibúsque quibus ad emendationem peruenire valeant, castigare. Si verò sunt liberi inclusione digna, districtáque sunt * pœnitentia distringendi: vt qui salubria & à mortis periculo reuocantia audire verba contem- * al. pabulo * in penitentiã diringendi orig.

nunt, cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem.

De eadem re. Ex eodem ad Hadrianum notarium.

Lib 9 regist. epist. 47.

¶ Cap. 33.

26 q. 5. cap. peruenit ad nos.

Peruenit ad nos quòd quosdam incantatores atque sortilegos fueris insecutus. Et omnino nobis sollicitudinem hanc zelúmque tuum gratum fuisse cognoscas: sed molestè tulimus, quòd te dubitare, ne ab eis nobis contra experientiam tuam subripi potuisset, didicimus: qũ certus esse ac scire debueris, hoc tibi apud nos ad commendationem magis proficere, non ad culpam adscribi. Et ideo studij tui sit sollicitè quærere, & quoscunque inueneris huiusmodi Christi inimicos, ita districta vltione corrigere, vt & nos de experientia tua melius possimus habere judicium, & Deo te nostro (quod maximè studendum est) valeas commendare.

De illis qui ritum paganorum obseruant. Ex conc. Bracarensi, cap. vi.

Cap. 71. syn. græc. Martini Bracar.

¶ Cap. 34.

26 q. 5. cap. non liceat.

Si quis paganorum consuetudinem sequens diuinos & sortilegos in domum suam introduxerit, quasi vt malum foras mittat, aut maleficia inueniat, quinque annos pœniteat.

De illis qui auguriis & incantationibus subseruiunt. Ex conc. iv. Carthaginiensi c. lxxxix.

¶ Cap. 35.

26 q. 5. cap. auguriis.

Auguriis vel incantationibus seruientem à conuentu Ecclesiæ separandum decernimus: similiter & iudaicis superstitionibus vel feriis inhærentem.

De eadem re. Ex pœnitentiali Romano.

¶ Cap. 36.

Qui auguriis vel diuinationibus inseruiunt, vel qui credit vt aliqui hominum sint immissores tempestatum: vel si qua mulier diuinationes vel incantationes diabolicas fecerit, septem annos pœniteat.

De illis qui sortes obseruant.

¶ Cap. 37.

Auguria vel sortes, quæ dicuntur falsè sanctorum, vel diuinationes qui obseruauerint, vel quarumcumque scripturarum, vel votum vouerint, vel persolucrint ad arborem vel ad lapidem, vel ad quamlibet rem, excepto ad Ecclesiam: omnes excommunicentur. Si ad pœnitentiam venerint, clerici annos tres, laici vnum & dimidium pœniteant.

Sub Formoso cap. 20.

De excidendis arboribus quas vulgus colit. Ex concilio Nannetensi, cap. vij.

¶ Cap. 38.

Summo studio decertare debent Episcopi & eorum ministri, vt arbores dæmonibus consecratæ quas vulgus colit, & in tanta veneratione habet, vt nec ramum vel surculum inde audeat amputare, radicitus excidantur atque comburantur. Lapides quoque quos in ruinosis locis & syluestribus dæmonum ludificationibus decepti venerantur, vbi & vota vouent & deferunt, funditus effodiantur, atque in tali loco proijciantur, vbi nunquam à cultoribus suis venerari possint. Et omnibus annuncietur quantum scelus sit idololatria, & qui hæc veneratur & colit quasi Deum suum negat, & Christianitati abrenunciat, & talem pœnitentiam inde suscipiat quasi idola adorasset. Omnibúsque interdicatur, vt nullus votum faciat, aut candelam vel aliquod munus pro salute sua rogaturus alibi deferat, nisi ad Ecclesiam domino Deo suo. Scriptum est enim: Vouete & reddite domino Deo vestro. *Psal. 75.* Nouimus siquidem quanta dominus antiquo populo per Prophetas suos minatus est, qui in lucis sacrificabant, & in excelsis immolabant, si quis hæc transgressus fuerit fidem perdidit, & est infideli deterior. Et idcirco omnimodo à sanctæ Ecclesiæ consortio abscindatur, & nisi dignè pœnituerit, non recipiatur.

De illis qui dæmonibus immolant. Ex pœnit. Theodori.

¶ Cap. 39.

Nam de his qui dæmonibus immolant Theodori Episcopi constitutiones habemus, in quibus scriptum est: Qui immolant dæmoniis in minimis, anno vno pœniteant: qui verò in magnis decem annos pœniteant.

De illis qui traditiones gentilium obseruant. Ex concilio Bracarensi, cap. xx.

Cap 72 syn. græc. Marti. Bracar. episc.

¶ Cap. 40.

26 q 5. c. nõ liceat Christianis.

Non liceat Christianis tenere traditiones gentilium & obseruare, vel colere elementa, aut lunam, aut stellarum cursum, & inanem signorum fallaciam considerare pro domo facienda, & ad coniugia socianda. Scriptũ est enim, Omnia quæcunque facitis in verbo aut in opere, in nomine domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo. *Coloss. 3.* Si quis autem fecerit, seuerissimè corripiatur, & canonicè pœniteat.

De mulierculis quæ infantes suos pro sanitate in fornace, aut super tectum ponunt. Ex pœnit. Bedæ presbyteri.

¶ Cap. 41.

Mulier si qua filium suum ponit super tectum aut in fornacem pro sanitate febrium, annum vnum pœniteat.

Quòd non liceat iniquas obseruationes agere Calendarum. Ex decretis Martini Episcopi.

Cap 73. syn. Græcarum.

¶ Cap. 42.

26 q. 7. c. nõ licet iniquas.

Non licet iniquas obseruationes agere Calendarum, & otiis vacare, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hæc obseruatio paganorum est.

De illis qui Calendas Ianuarij ritu paganorum colere præsumunt. Ex decretis Zachariæ Papæ, cap. xj.

¶ Cap. 43.

26 q. 7. c. si quis Calendas.

Si quis Calendas Ianuarij ritu paganorum colere vel aliquid plus noui facere propter nouum annum, aut * menses cum lampadibus vel epulis in domibus suis præparare, & per vicos & plateas cantores & choros ducere præsumpserit, anathema sit.

** mensas. Grat.*

De eadem re. Ex concilio Rotomagensi, cap. iij.
¶ CAP. 44.

Si quis in Calendis Ianuarij aliquid fecerit quod à paganis inuentum est, & dies obseruat, & menses, & lunam, & eorum effectiua potentia aliquid sperat in melius aut in deterius verti, anathema sit.

De bubulcis vel venatoribus qui suas incantationes exercuerint. Ex eodem cap. iv.
¶ CAP. 45.

Perscrutandum est, si aliquis subulcus vel bubulcus siue venator, vel cæteri huiusmodi dicat diabolica carmina super panem, aut super herbas, aut super quædam nefaria ligamenta, & hæc aut in arbore abscondat, aut in biuio, aut in triuio proijciat vt sua animalia liberet à peste & clade & alterius perdat, quæ omnia idololatriam esse nulli fidelium dubium est, & ideo summopere sunt exterminanda.

Cap. 75 syno. Græc. Marti. Brac.

Quòd non liceat mulieres Christianas vanitates in suis lanificiis obseruare. Ex conc. Brac. c. xi.
¶ CAP. 46.

26 q. 5. c nõ liceat Christianis.

Non liceat mulieres Christianas vanitatem in suis lanificiis obseruare, sed Deum inuocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donauit.

Ibidē c 74.

Quòd non liceat in herbarum collectionibus incantationes adhibere. Ex eodem, c. xxi.
¶ CAP. 47.

26. q. 5 c. nõ liceat Christianis. * obseruare.

Non licet in collectione herbarum medicinalium aliquas obseruationes vel incantationes * attendere, nisi tantùm cum symbolo diuino, & oratione dominica: vt Deus & Dominus noster honoretur.

Conc. Arelat. 2 c. 23.

De illis qui ad fontes vel ad arbores faculas accenderint. Ex eodem, cap. xxij.
¶ CAP. 48.

Si in alicuius presbyteri parœcia infideles aut faculas accenderint, aut arbores, aut fontes, aut saxa venerantur, si hoc eruere neglexerint, sacrilegium se fecisse cognoscat * præsumptor aut hortator rei ipsius. Si admonitus hoc emendare neglexerit, communione priuetur.

* sacrilegij se esse reũ cogn. Dominus autem vel ordinator rei ipsius si admonitus emend. noluerit, &c. orig.

Vt vaticinatores cæsi eijciantur. Ex concilio Arelatensi, cap. xi.
¶ CAP. 49.

Vaticinatores qui se futura scire dicunt cæsi de ciuitate eijciantur.

Item de mulierculis incantatricibus. Ex pœnit. Roma.
¶ CAP. 50.

Mulier si diuinationes vel incantationes diabolicas fecerit, annum vnum pœniteat, vel tres quadragesimas, vel quadraginta dies, secundùm qualitatem delicti.

De illis qui manducant aut bibunt, aut portant super se aliquid ad Dei iudicium subuertendum. Ex conc. Triburiensi, cap. iij.
¶ CAP. 51.

Si quis manducat, aut bibit, aut portat super se vnde existimat Dei iudicium peruertere posse, & exinde comprobatus fuerit, eadem sententia feriatur qua magi & arioli & incantatores feriuntur.

De illis qui in tabulis aut in codicibus futura requirunt. Ex pœnitentia. Theodori.
¶ CAP. 52.

In tabulis vel codicibus sorte futura non sunt requirenda, & vt nullus in Psalterio vel in Euangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec diuinationes aliquas in aliquibus rebus obseruare. Quod si fecerit, quadraginta dies pœniteat.

Idem prohibitum supra c 29.

De illis maleficis qui sperant se mentes hominum posse peruertere. Ex pœnit. Roma.
¶ CAP. 53.

Malefici vel incantatores, vel immissores tempestatum, vel qui per inuocationem dæmonum mentes hominum perturbant, anathematizati abijciantur. Et si emendare voluerint: clerici tres annos, laici vnũ annum pœniteant.

De eadem re. Ex concilio Agathensi, cap. iij.
¶ CAP. 54.

Annectitur ad calcem.

Perquirendum est si aliqua fœmina sit, quæ per quædam maleficia & incantationes mentes hominum se immutare posse dicat, id est vt de odio in amorem, aut de amore in odium conuertat, * vt bona hominum aut damnet aut surripiat. Et si aliqua est quæ se dicat cum dæmonum turba in similitudinem mulierum transformatam * certis noctibus equitare super quasdam bestias, & in eorum consortio annumeratam esse, hæc talis omnimodis scopis correcta ex parœcia eijciatur.

* aut vicẽ.

* nocturnis horis.

De illis qui ad suas vanitates perficiendas dæmones inuocant. Ex pœnit. Bedæ presbyteri.
¶ CAP. 55.

Quicunque pro curiositate futurorum vel * inuocatorem dæmonum, vel diuinos quos ariolos appellant, vel haruspices qui auguria colligunt, consuluerit: clerici ab omni officio remoti tres annos, laici duos annos pœniteant.

* inuocator est dæmonum.

De illis qui nocturna sacrificia dæmonum celebrauerint. Ex pœnit Roma. ¶ CAP. 56.

Quicunque nocturna sacrificia dæmonum celebrauerint, vel incantationibus dæmones quacunque arte ad vota sua inuitauerint, tres annos pœniteant.

De illis qui ad arbores, vel ad fontes aliqua vota vouerint. Ex concilio Agathensi, c. v.
¶ CAP. 57.

Perscrutandum est, si aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides quosdam quasi ad altaria faciat, aut ibi candelam seu quodlibet munus deferat, veluti ibi quoddam numen sit quod bonum aut malum possit inferre.

De illis qui quando luna obscuratur clamores suos & maleficia sua exercuerint Ex conc. Arelatensi, c. v. ¶ CAP. 58.

Quicunque exercuerint hæc quando luna obscuratur, * vt cum clamoribus suis à * maleficiis & sacrilego vsu se posse defendere credũt, & quicunque diuinos præcantatores, phylacteria etiam diabolica, vel characteres diabolicos, vel herbas vel succinos suis vel sibi impendere tentauerint, vel quintam feriam in honorem Iouis vel Calend. Ianuarij secundùm paganam

* &

* maleficiis suis.

consuetudinem honorare præsumpserint: monachus quinque, clericus quatuor, laicus duos annos pœniteat.

Annectitur conc 3. Arelatens.

De illis qui vanitates suas in excubiis exercuerint. Ex eodem concilio, cap. iij.

¶ Cap. 59.

Laici qui excubias funeris obseruant, cum timore & tremore & reuerentia hoc faciant. Nullus ibi præsumat diabolica carmina cantare, non ioca & saltationes facere, quæ pagani diabolo docente adinuenerunt. Quis enim nesciat diabolicum esse, & non solùm à religione Christiana alienum, sed etiam humanæ naturæ esse contrarium ibi lætari, inebriari, cantare, & cachinnis ora dissolui, & omni pietate & affectu charitatis postposito quasi de fraterna morte exultare, vbi luctus & planctus * flebilibus vocibus debuerat resonare pro amissione chari fratris? Patres siquidem veteris ac noui Testamenti mortes sanctorum virorum legimus multis in locis cum fletu deplorasse: in nullo autem loco qui à sæculo recesserant, exultasse. Nam & Iacob patriarcham fleuit tota Ægyptus septuaginta diebus. Et Ioseph & fratres eius cùm patrem deferrent in terram Chanaan ad sepeliendum, celebrantes exequias ad aream * Athael, quæ sita est trans Iordanem, planctu magno atque vehementi impleuerunt septem dies. Tantus autem fuit planctus, vt locus inde nomen acceperit. Et de beato Stephano legimus, quòd sepelierunt eum siue curauerunt viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. Et ideo talis inepta lætitia & pestifera cantica ex authoritate Dei interdicenda sunt. Si quis autem cantare desiderat, Kyrie eleison cantet: sin * aliter, omnino taceat. Sin autem tacere non vult, in crastino à presbytero taliter coërceatur, vt cæteri timeant.

* fidelibus. *Vict.*

Genes. 50.

* *al.* Atad.

Actor. 8.

* autem.

De eadem re. Ex concilio Meldensi, cap. x.

¶ Cap. 60.

Et conc. Elibert. c. 35.

Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmiterio peruigilent, eò quòd sæpe sub obtentu orationis & religionis, latenter scelera committant.

Sub Cœl. i.

De conuiuiis quæ fiunt ritu paganorum. Ex concilio Aphricano, c. xxvii. ¶ Cap. 61.

Illud etiam petendum, vt quoniam contra præcepta diuina conuiuia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta sunt (ita vt nunc à paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur, ex quare temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occultè videatur) vetari talia iubeant, & de ciuitatibus & de possessionibus impositâ pœnâ prohiberi: maximè cùm etiam in natalibus beatissimorum martyrum per nonnullas ciuitates & in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam (quod pudoris est dicere) saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exerceant, vt matronalis honor & innumerabilium fœminarum pudor deuotè venientium ad sacratissimum diem, iniuriis lasciuientium appetatur, vt etiam ipsius sanctæ religionis penè fugiatur accessus.

De eadem re. Ex decretis Leonis Papæ.

¶ Cap. 62.

Epist. 92. Leonis Pap. 1. ad Rustic. Narbonen. episc. c. 17.

Qui conuiuio solo gentilium, & escis immolaticiis vsi sunt, possunt ieiuniis & manus impositione purgari, vt deinceps ab idolothytis abstinentes sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adorauerunt, aut homicidiis vel fornicationibus cōtaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.

Ne fideles in cœmiteriis prandere præsumant. Ex concilio secundo Bracarensi, cap. lxx.

Cap. 69 syn. græca. Martin. Braca.

¶ Cap. 63.

Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare mortuis.

De cõs dist. 1. c non oportet.

De illis qui balationes fecerint, & se in alienas formas transmutauerint. Ex eodem conc. c. lxxx.

¶ Cap. 64.

Si quis balationes ante Ecclesias sanctorum fecerit, seu qui faciem suam * transmutauerit in habitu muliebri, & mulier in habitu viri, emendatione pollicita tribus annis pœniteat.

* transformauerit.

Quòd incantationes & magicæ artes laquei diaboli sint. Ex dictis Augustini.

¶ Cap. 65.

Admoneant sacerdotes fideles populos, vt nouerint magicos artes incantationésque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedij conferre, non animalibus languentibus, claudicantibúsue, vel etiam moribundis quicquam mederi: sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur: & si quis hæc exercuerit, clericus degradetur, laicus anathematizetur.

26. q. 7. c ad moneant.

De illis qui salutem non à saluatore, sed ab eius creatura requirunt. August. in lib. de ciuit. Dei.

¶ Cap. 66.

Omnis sapientia à domino Deo est, & apud illum fuit semper, & est ante æuum. Arenam maris & pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit? Altitudinem cœli & latitudinem terræ & profundum abyssi quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigauit? Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna. Qui enim sine Saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non saluus sed æger, non prudens, sed stultus, in ægritudine assidua laborabit, & in cæcitate noxia stultus & demens permanebit. Ac proinde omnis inquisitio & omnis curatio quæ à diuinis, & magis vel ab ipsis dæmoniis in idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda est quàm vita, & qui ea sectantur si se non correxerint, ad æternam perditionem tendunt, Psalmista dicente, Omnes dij gentium dæmonia sunt, qui per deceptos homines alios decipere quotidie gestiunt, vt perditionis suæ faciant eos esse participes. Itaque hæc vanitas magicarum artium ex traditione angelorum malorum in toto terrarum orbe plurimis sæculis valuit, per quandam scientiam futurorum & infernorum, & per inuentiones eorum inuenta sunt haruspicia, augurationes, & ipsa quæ dicuntur oracula, & necromantia.

Eccles. 1.

26. q. 2. cap. qui sine saluatore.

Psal. 95.

Iſidorus lib. 8. Etym c. 9. 26 q. 5. c. nec mirum. Exod. 7. De promptũ ex Aug lib. 18. de ciuit. Dei. c. 17. & 18.

De inuentoribus magicæ artis, & Necromantiæ. Ex dictis Auguſt. ¶ CAP. 67.

Nec mirum de magorum præſtigiis, quorum intantum prodiere maleficiorum artes, vt etiã Moyſi in illis ſignis reſiſterent, vertentes virgas in dracones, aquas in ſanguinem. Fertur etiam in gentilium libris, quòd quædam maga famoſiſſima Circe ſocios Vlyſſis mutauerit in beſtias. Legitur & de ſacrificio quòd Arcades Deo ſuo Dycæo immolabant, ex quo quicunque ſumerent in beſtiarum formas conuerterentur. Sed hæc omnia magicis præſtigiis potius fingebantur quàm rerum veritate complerentur. Vt ergo ipſi errores ignorantibus manifeſti fiant, de eorum proprietate atque inuentoribus iuxta traditionem maiorum primùm dicere congruũ arbitramur. Magi ſunt, qui vulgò malefici ob facinorum ſuorum magnitudinem nuncupantur. Hi permiſſu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus confidentium in Deo ac ſine vllo veneni hauſtu, violentiâ tantùm carminis interimunt. Vnde & Lucanus: *(Lucanus li. 6. Pharſaliæ.)* Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni Incantata perit. Dæmonibus enim accitis audent ventilare, vt quiſque ſuos perimat malis artibus inimicos. Hi etiam ſanguine vtuntur, & victimis ſæpe contingunt corpora mortuorum. Necromantij ſunt, quorum præcantationibus videntur reſuſcitati mortui diuinare & ad interrogata reſpõdere: νεκρὸς enim Græcè mortuus μαντεία diuinatio nuncupatur. Ad quos ſuſcitandos cadaueri ſanguis adijcitur: nam amare ſanguinem dęmones dicuntur. Ideòque quoties necromantia fit, cruor * ęquæ miſcetur, vt colore ſanguinis facilius prouocentur. Hydromantici ab aqua dicti. Eſt enim hydromantia in aquæ inſpectione vmbras dęmonum euocare, & *imagines ludificationis eorum videre, ibique ab eis aliqua audire. Vbi adhibito ſanguine etiam inferos perhibentur ſuſcitare.

** aqua. * imagineas ludificationes. * imagines & ludificationes.*

Ibid proximè poſt.

De variis generibus diuinationum. Ex dictis eiuſdem. ¶ CAP. 68.

26. q 4. c. igitur genus.

Igitur genus diuinationis à Perſis fertur allatum. Varro autem dicit diuinationis quattuor eſſe genera, terram, aquam, aërem, & ignem. Hinc geomantiam, hydromantiam, aëromantiam, pyromantiam, dictam autumant. Diuini dicti ſunt, quaſi deo pleni: diuinitate enim plenos ſe eſſe aſſimulant, aſtutia quadam * fraudulenta hominibus futura coniectãt. Duo autem ſunt genera diuinationis ars & furor. Incantatores verò dicti ſunt, qui artem verbis peragunt. Arioli vocati ſunt, propter quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funeſta ſacrificia offerunt, hiſque celebritatibus dęmonum accipiunt reſponſa. Haruſpices nuncupantur, quaſi horarum inſpectores. Dies enim & horas in agendis negotiis operibúſque cuſtodiunt, & quid per ſingula tempora obſeruare debeat homo intendunt. Hi etiam exta pecudum inſpiciunt, & ex eis futura prędicunt. Augures ſunt qui volatus auium & voces intendunt, aliáque ſigna rerum vel obſeruationes improuiſas hominibus occurrentes ferunt. Idẽ & auſpices. Nam auſpicia ſunt quæ iter facientes obſeruant: dicta autem ſunt auſpicia quaſi auium aſpicia: & auguria quaſi auium garria, hoc eſt auium voces & linguæ. Item augurium quaſi auigerium, quod aues gerunt. Duo autem ſunt genera auſpiciorũ, vnum ad oculos, alterum ad aures pertinens. Ad oculos ſcilicet volatus, ad aures vox auium. Pythoniſſæ à Pythio Apolline dictæ, quòd is author fuerit diuinandi. Aſtrologi dicti ſunt eò quòd in aſtris augurantur. Genethliaci appellati ſunt propter natalitiorum conſiderationes dierum: geneſes enim hominum per duodecim cœli ſigna deſcribunt, ſyderúmque curſus, naſcentium mores, actus & euentus prædicere conantur. Id eſt, quis quali ſigno fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ qui naſcitur, interpretantur. Hi ſunt qui vulgò mathematici vocantur, cuius ſuperſtitiònis genus conſtellationes Latini vocant, id eſt notationes ſyderum, quomodo ſe habeant cum quiſque naſcitur. Primum autem genus, id eſt ſtellarum interpretes, magi nuncupantur, ſicut de his legitur qui in Euangelio natum Chriſtũ annunciauerunt. *(Matth. 2.)* Poſtea hoc nomine ſoli Mathematici dicti ſunt, cuius artis ſcientia vſque ad Euangelium fuit conceſſa, vt Chriſto edito nemo exinde natiuitatem alicuius de cœlo interpretetur. Horoſcopi dicti ſunt, quòd horas natiuitatis hominum ſpecularentur diſſimili & diuerſo fato. Sortilegi ſunt, qui ſub nomine fictæ religionis per quaſdam quas ſanctorum ſortes vocant, diuinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcunque ſcripturarum ſcientiæ inſpectione futura promittunt. Saliſatores vocati ſunt, quia dum eis membrorum quæcunque partes ſalierint, aliquid exinde proſperum ſeu triſte ſignificari prædicunt.

** fallẽdi.*

De execrabilibus remediis quæ medici ſuis præcantationibus faciunt. Ex dictis eiuſdem. ¶ CAP. 69.

*Ibid proximè ſubiungitur. Principium decerptũ eſt ex lib 2. Auguſt de doct Chri. c 20. & 23. 26 q 5 c. nec mirum. * condẽnat. habet Auguſt & Iſidor.*

Ad hæc omnia ſupradicta pertinent & ligaræ execrabilium remediorum, quæ ars * commendat medicorum; ſeu in præcantationibus ſeu in characteribus, vel in quibuſcunque rebus ſuſpendendis atque ligandis. In quibus omnibus ars dæmonum eſt ex quadam peſtifera ſocietate hominum & angelorum malorum exorta. Vnde cuncta vitanda ſunt Chriſtiano & omni penitus execratione repudianda atque damnanda. Auguria autem ſunt auium: Hæc autem Phryges primi inuenerunt. Prꝍſtigium verò Mercurius primus dicitur inueniſſe. Dictum eſt autẽ præſtigium quòd pręſtringat aciem oculorum. Haruſpicinæ artẽ primus Ethruſcis tradidiſſe dicitur quidam * Tages. *(* Strages. orig & Vict.)* Hic ex horis haruſpicinam dictauit, & poſtea non apparuit. Nam dicitur fabulosè, arãte quodam ruſtico, ſubitò hic ex glebis exiluiſſe & haruſpicinam dictaſſe, qua die & mortuus eſt. Quos libros Romani ex Ethruſca lingua in propriam mutauerunt. His ergo portentis per dęmonum fallacian illuditur curioſitas humana, quando id impudenter appetunt ſcire, quod nulla ratione eis competit inueſtigare. *(Haſtenus. Iſidorus.)* Ac ideò datur poteſtas immundis ſpiritibus, vt per vaſa ſibi apta, hoc eſt prauos homines ſeducant illos qui ſpernunt veritatem & credunt mendacio, & iuxta Pauli ſententiam, ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. *(2. Tim. 4.)* Onerati peccatis ducuntur variis deſideriis ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiã veritatis peruenientes. *(2. Tim 3.)* Quemadmodũ

Exod. 7. autem Iannes, & Mambres restiterunt Moysi, ita & isti resistunt veritati, homines corrupti mẽte, reprobi circa fidem, sed vltrà non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Nec ideo quisquam credere debet quoslibet magicis artibus aliquid facere posse sine permissu Dei (qui omnia quæ fiunt, aut iusto iudicio facit, aut permissu suo ita fieri sinit) quòd prædicti magi leguntur similia fecisse Moysi, qui virgam suam *Exod. 7.* proiecit, & conuersa est in draconem, proiecerúntque ipsi singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Non enim fuerunt creatores draconum nec magi, nec angeli mali, quibus ministris illa operabantur. *Aug. li qu. super Exod. qu 21.* Insunt enim rebus corporeis per omnia elementa quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cùm data fuerit opportunitas temporalis atque causalis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus. Et sic non dicuntur angeli qui ista faciunt, animalium creatores: sicut nec agricolæ segetum vel arborum, vel quorumcunque in terra gignentium creatores dicendi sunt, quamuis nouerint præbere quasdam visibiles opportunitates & causas, vt illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter, hoc illi inuisibiliter: Deus verò solus vnus creator est, qui causas ipsas & rationes seminarias rebus inseruit. Præterea quidam quærendum putant, quomodo scriptura narret Pythonissam Samuelem prophetam suscitasse ad colloquium Saul impijssimi regis, si pythonica diuinatio errori magicæ artis deputanda sit. *August. li. quæst. veteris & noui testa. c. 27.* Quibus ita responderi potest: * indignum omnino facinus esse, si secundùm verba historiæ commodetur assensus. *1. Reg. 28.* *malignũ. Quomodo enim poterat fieri, vt arte magica attraheretur vir * & natiuitate sanctus, & vitæ operibus iustus: ** à natiuitate.* aut si non attractus est, consensit? Quod vtrunque de viro iusto credere, * absurdum est. ** aduersum est.* Si enim inuitus adductus est, nullum suffragium habet iustitia: si autem voluntarius, amisit meritum spirituale, quod positus in carne quæsiuerat. Quod valde absurdum est, quia hinc qui iustus recedit, permanet iustus. Porrò autem hoc est præstigium Satanæ, quo vt plurimos fallat, etiam bonos in potestate se habere confingat. Quod Apostolus inter cætera ostendit dicens: Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis. *2. Cor. 11.* Vt enim errorem faceret, in quo & ipse gloriaretur, in habitu viri iusti & nomine se subornauit: vt nihil proficere spem quam prædicabant Dei cultoribus mentiretur, quando hinc exeuntes iustos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quòd de morte Saul & filiorum eius non sit mentitus: quasi magnum sit diabolo, ante occasum mortem corporis præuidere, cum signa quędam soleant apparere morituris, quippe à quibus Dei protectio amota videtur: quantò magis diabolo, quem angelica maiestate sublimem prophetica oracula fuisse testantur: de cuius magnitudine Apostolus ait: An ignoratis altitudinem Satanæ? *2. Cor. 11.* Quid mirum ergo si imminentem prope mortem potuit præuidere, cùm hoc sit vnde fallit, & se in Dei potestate vult adorari? *Apoc. 2.* Nam tanta hebetudine demens effectus est Saul, vt ad Pythonissam confugeret: deprauatus enim causâ peccati, ad hæc se contulit quæ damnauerat. Sed si quis propter historiam, & ea quæ verbis expressa sunt, putet non prætermittenda, ne ratio historiæ inanis sit: rectè faciet quidem, si tamen minimè istud ad veri rapiat rationem, sed ad visum & intellectum Saul. Neque enim reprobus factus poterat bonum intellectum habere. Historicus enim mentem Saul & habitum Samuelis descripsit, ea quæ dicta & visa sunt exprimens, prætermittens * si vera an falsa sint. ** siue* *1. Reg. 18.* Quid enim ait? Audiens in quo habitu esset excitatus, intellexit inquit, hunc esse Samuelem. Quid intellexerit retulit, & quia non bene intellexit, contra scripturam alium adorauit quàm dominum, & putans Samuelem, adorauit diabolum, vt fructum fallaciæ suæ haberet Satanas. Hoc enim nititur, vt adoretur quasi Deus. Si enim verè Samuel illi apparuisset, non vtique vir iustus permisisset se adorari, qui prædicauerat Deum solum esse adorandum. Et quomodo homo Dei qui cum Abraham refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiæ, dignum ardore gehennæ: Cras mecum eris? His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prodidit improuidus Satanas, quia & adorari se permisit sub habitu & nomine Samuelis contra legem, & virum peccatis pressum (cùm magna distantia peccatorum & iustorum sit) cum Samuele iustissimo futurum mentitus est. Verùm potest videri si de Samuelis nomine taceatur, quia Saul cum diabolo futurus erat: ad eum enim transmigrauit quem adorauit. Semper enim diabolus sub velamine latens prodit se, dum ea confingit quæ abhorreant personis per quas fallere nititur. Si autem quilibet opponit, ac dicit: Quomodo eueniunt illa quæ illi diuini prędicunt futura, aut quomodo possunt ægris præbere medelam, aut sanis immittere ægritudinem, si aliquid propriè virtutis ac potestatis non habent? Hoc à nobis recipiat responsum, quòd ideo quisquam non debet eis credere, quia aliquando eueniunt quę prędicunt, aut sanare videntur languidos, vel lędere sanos: quia hoc permissu Dei fit, vt ipsi qui hæc audiunt vel vident probentur, & appareat quali fide sint, vel deuotione erga Deum. Sicut in Deuteronomio legitur Moyses verbo domini populo Dei pręcepisse, ita dicens: *Deut. 13.* Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somniũ vidisse se dicat, & prędixerit signum ac portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit, Eamus & sequamur deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba prophetæ aut somniatoris, quia tentat vos dominus Deus vester, vt palam fiat vtrùm diligatis eum, an non. In toto corde & in tota anima vestra dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, mãdata illius custodite & audite vocem eius. Ipsi seruietis, & ipsi adhęrebitis, &c. Vbi sanè intelligi voluit, etiam illa quę à diuinantibus non secundùm Deum dicuntur, si acciderint quę dicuntur, non accipienda * sic vt fiant quæ pręcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. *August. lib. quæst super Deut. q. 19.* ** vel etiam si fiant. Vict.* Nec pręter suam potestatem Deus ostendit esse quòd ista contingunt, sed quasi quęreretur cur ea permittat, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam vtique eorum dilectionem, vtrùm eam habeant erga Deum suum. Cognoscendam verò ab ipsis potius quàm ab illo, qui scit omnia antequàm fiant.

De natura dæmonum. Ex dictis eiusdem. *August. c. 3. lib de diuinatione dæmonum.*

§ CAP. 70.

Sciendum verò est hanc dæmonũ esse naturã, vt

16.q.4.cap. *[...]iendum.* vt aërei corporis sensu terrenorum corporum sensum facilè præcedant: celeritate etiam, propter aërei corporis superiorem mobilitatem, non solùm cursus quorumlibet hominum vel ferarum, verùm etiam volatus auium incomparabiliter vincant. Quibus duabus rebus quantum ad aëreum corpus attinet præditi, hoc est acrimonia sensus & celeritate motus, multò ante cognita prænunciant, vel nunciant quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur. Accessit etiam dæmonibus per tam longum tēpus quo eorum vita protenditur, rerum longè maior experientia, quàm potest hominibus propter breuitatem vitæ prouenire. Per has efficacias quas aërei corporis natura sortita est, non solùm multa futura prædicunt dæmones, verùm etiam multa mira faciunt. Quæ quoniam homines dicere ac facere non possunt, eos dignos quidam quibus seruiant, & quibus honores diuinos deferant arbitrantur, instigante maximè vitio curiositatis, propter amorem fælicitatis falsæ atque terrenæ, & excellentiæ temporalis. Qui autem se ab eis cupiditatibus mundant, nec eis se * feriendos rapiendósque permittunt, sed inquirunt & amant aliquid quod eodem modo semper est, cuius participatione beati sint, primùm considerant non ideo sibi præponendos esse dæmones, quod acriore sensu corporis prævalent * aëris scilicet, hoc est subtilioris elementi: quia nec ipsis terrenis corporibus bestias sibi præponendas putant, quæ acrius multa persentiunt: veluti sagacem canem, quia latentem feram olfactu acerrimo sic inuenit, vt ad eam capiendam ducatum quendam homini præbeat: non vtique prudentiore intellectu animi, sed acutiore corporis sensu: vel vulturem, quia proiecto cadauere ex improuisa longinquitate aduocat: nec aquilam, quia sublimiter volans de tanto interuallo natantem * sub fluctibus piscē dicitur peruidere, & grauiter illisa, exertis pedibus atque vnguibus rapere: nec alia multa animantiū genera quæ inter herbas saluti suæ noxias pascendo circumerrant, nec aliquid eorum quo lædantur attingunt, cùm eas homo vix experimento cauere didicerit, & multa innoxia quòd sint inexperta, formidet. Vnde conijcere facile est, quantū possit in aëreis corporibus sensus esse acrior, nec ideò tamen dæmones qui eo præditi sunt bonis hominibus præponendos prudens quisque censuerit. Hoc & de corporū celeritate dicimus: & hac enim præstantiá non solùm à volucribus homines, verùm etiam à multis quadrupedibus ita superantur, vt in eorum comparatione plumbei deputandi sint: nec tamen ideò sibi hæc animantium genera existimant præponenda, quibus capiendis & mansuefaciendis atque in suæ voluntatis vsum cōmodúmque redigendis, non vi corporis, sed rationis imperitant. *[E]idem c.4.* Illam verò tertiam dæmonum potentiā, quòd diuturna rerum experientia quemadmodum prænoscant atque prenuncient multa didicerunt, ita contemnunt qui hæc vigilanter curant à verissimæ lucis veritate discernere, vt nec malos senes plura expertos & ob hoc quasi doctiores, ideò probi adolescentes sibi antecellere existiment, vt nec medicos, nec nautas, nec agricolas, quos prauæ voluntatis & iniquis moribus viderint, ideò putent sibi esse præferendos quòd illi de valetudinibus, illi de tempestatibus, illi de arbustorum generibus multa ita prænunciant, vt harum rerum inexpertò diuinare videantur. Quòd verò non solùm quædā dæmones futura prædicunt, verùm etiam quædam mira faciunt, pro ipsa vtique sui corporis excellentia, cur non contemnatur à prudentibus, cùm plærique iniqui ac perditi homines, ita exerceant corpora sua, tantáque diuersis artibus possint, vt ea qui hæc nesciunt, nec aliquando viderunt, etiam narrata vix credant? Quàm multa funambuli cæterique theatrici artifices, quā multa opifices maximéque mechanici, miranda fecerunt? Nū ideò meliores sunt bonis, & sancta pietate præditis hominibus? Quæ ideò commemorauimus, vt qui hæc sine peruicacia & sine vana resistendi animositate considerat, simul cogitet, si de subiacenti crassiore materia, vel sui quisque corporis vel terræ & aquæ, lapidum atque lignorū, metallorúmque variorū tanta quidem homines possunt, vt eos illi qui hæc non possunt plærumque stupendo in sui cōparatione diuinos vocent, cū quidam illorum sint artibus potentiores, quidam istorū moribus meliores: quantò meliora & maiora pro subtilissimi corporis, hoc est aërei facultate ac facilitate dæmones possint, cùm tamen sint prauitate voluntatis maximéque superbiæ fastu & euidenti malitia spiritus immundi atque peruersi. Quantùm autem valeat aëris elementum quo eorum corpora præualent, ad multa visibilia inuisibiliter molienda, mouenda, mutanda atque versanda, longum est nunc demonstrare, & putamus quòd vel mediocriter consideranti facilè occurrat.

Marginal notes: *fallendos rapiendósque.* — *aërei* — *in*

De diuinatione dæmonum. Ex dictis eiusdem. *Eiusdem ll. cap.5.*

¶ CAP. 71.

Igitur nunc primùm sciendū est, quoniam de diuinatione dæmonum quæstio est, illos ea plærunque prænunciare quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sæpe potestatem & morbos immittere, & ipsum aërem vitiando morbidum reddere, & peruersis atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere, de quorum moribus certi sunt, quòd sint eis talia suadentibus consensuri. Suadent enim miris & inuisibilibus modis, per illam subtilitatem corporum suorum corpora hominum non sentientium penetrando, & se cogitationibus eorum per quædam imaginaria visa miscendo, siue vigilantium siue dormientium. Aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, antè prædicunt. Neque enim quia præuidet medicus quod præuidere nescit huius artis ignarus, ideò iam diuinus habendus est. Quid autem mirum, si quemadmodum ille in corporis humani vel perturbata vel modificata temperie, seu bonas seu malas futuras præuidet valetudines, sic dæmon in aëris affectione atque ordinatione sibi nota, nobis ignota, futuras præuidet tempestates? Aliquando & hominum dispositiones, non solùm voce prolatas, verùm etiam cogitatione conceptas cùm signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt, atque hinc etiam multa futura prænunciant, aliis videlicet mira, qui ista disposita non nouerunt. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, vt ab homini- *Vide 2. Retract. c. 30.*

bus quoque aliquid forinsecus agnoscatur, quod intrinsecus agitur: ita non debet esse incredibile, si etiam leniores cogitationes dant aliqua signa per corpus, quæ obtuso sensu hominum cognosci non possunt, acuto autem dæmonum possunt. Hac atque huiusmodi facultate multa dæmones futura prænunciant, cùm tamen ab eis longè sit altitudo illius prophetiæ, quã Deus per sanctos Angelos suos & prophetas operatur. Nam si quid de illa Dei dispositione prænunciant, audiunt vt prænuncient: & cũ ea prædicunt quæ inde audiunt non fallunt, veracissima enim sunt angelica & prophetica oracula. * Si autem * indignanter accipitur, quòd aliqua etiã talia dæmones audiant & prędicant, quasi aliquid indignum sit, vt quod ideò dicitur vt hominibus innotescat, hoc nòn solùm boni, verùm etiam mali non taceant: cũ in ipsis hominibus etiam vitæ bonæ pręcepta videamus pariter à iustis peruersisque cantari: nec obesse aliquid, imò etiã prodesse ad maiorẽ notitiam famámque veritatis, cũ de illa etiã hi quicquid nouerunt dicunt, qui ei peruersis moribus contradicunt In cæteris autem suis prędictionibus dęmones plęrunque & fallunt & falluntur. Falluntur quidẽ, quia cũ suas dispositiones * prenunciant, ex improuiso desuper aliquid iubetur, quod eorũ consilia cuncta perturbat: velut si aliquid disponant quilibet homines quibusque potestatibus subditi, quod non prohibituros suos præpositos arbitrentur, idque facturos se esse promittant. At illi penes quos major potestas est ex alio superiore concilio hoc totũ dispositum atque præparatũ repente prohibeant. Falluntur etiam, cũ causis naturalibus aliqua, sicut medici & nautæ & agricolæ, sed longè acutius longéque pręstantius pro aërei corporis sensu solertiore & excitatiore prenoscunt: quia & hęc ab angelis Deo summo piè seruientibus ex alia dispositione ignota dæmonibus ex improuiso ac repente mutantur: tanquã si aliquid ægro extrinsecus accedat quo moriatur, quẽ medicus veris salutis pręcedentibus signis victurũ esse promiserat. Aut si aëris qualitate * prouisa, diu flaturũ illũ ventũ nautarũ aliqui prædixissent, cui Dominus Christus cũ discipulis nauigans, vt quiesceret imperauit, & facta est tranquillitas magna: vel si agricola illo anno fructificaturã vitẽ aliquã polliceatur, naturã vtique terræ & numeros seminũ callens, quo tamen anno eam vel improuisa cœli intẽperies arefaciat, vel aliqua iussio potentioris eradicet: ita multa etiã ad præscientiam prædictionéque dæmonum pertinentia, quę minoribus & vsitatioribus causis futura pręuidentur, eadẽ maioribus & occultioribus causis impedita mutantur. Fallunt autem etiam studio fallendi, & inuida voluntate * qua hominũ errore lætantur. Sed ne apud cultores suos pondus authoritatis amittant, id agunt, vt interpretibus suis signorúmque suorũ coniectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint, vel mentiti. Nonnumquã verò ipsi maligni spiritus & illusores hominum, atque inuisores salutis eorum solent prædicere defectum culturæ suæ & idolorum ruinam, quatenus pręscij videantur quid in singulis regnis aut locis venturũ sit, & quid aduersi suæ factioni contingere possit. Quod etiam illi qui gentilium historias legunt nòn ignorant. Quid ergo mirum si iam imminente temporum & simulachrorum euersione, quam prophetæ Dei summi tanto ante prædixerant, Serapis dæmon alicui cultorum suorum hoc de proximo prodidit, vt suam quasi diuinationem recedens vel fugiens commendaret? Fugantur enim isti vel etiam iussis superioribus colligati abstrahuntur, & alienantur à locis suis, vt de rebus in quibus colebantur, fiat voluntas Dei, qui hoc tanto antè per omnes gentes futurum esse prædixit, & vt per suos fideles fieret imperauit. Cur autem non hoc sineretur dæmon prædicere, cùm sibi iam prænosceret imminere, cùm hæc prædictio & in prophetis attestaretur, à quibus sunt ista conscripta, vt prudentibus daretur intelligi quàm vigilanter esset dæmonum cauenda fallacia cultúsque fugiendus? Qui cùm antè per tam longum tempus in templis suis hæc futura tacuissent, quæ per prophetas prædicta ignorare non possent, posteaquam appropinquare cœperunt voluerunt ea quasi prędicere, ne ignari victique putarentur.

Eiusdẽ li. de diuinat. c. 6.

* Sic Vict. * Apud Aug. hodie legitur, non indignatur.

* pronunciant.

* præuisa

Matth. 8.

* quia. Vict.

Ibidem c. 7.

De eadem re. Ex dictis eiusdem.

¶ Cap. 72.

Cùm igitur tam longè antè prædictum esset atque conscriptum, vt alia interim taceamus, dicamus illud quod Sophonias propheta dicit: Pręualebit dominus aduersùs eos & exterminabit omnes deos gentium terrę, & adorabunt eum vnusquisque de loco suo omnes insulæ gentium. Aut non credebant ista sibi euentura qui in templis gentium colebantur, & hæc ideò per suos vates ac fanaticos frequentare noluerunt: aut cùm ea ventura certissimè scirent, ideò per sua templa tacuerunt, ne iã tunc inciperent ab hominibus intelligentibus deseri atque contemni, quod de templorum & simulachrorum suorum futura euersione eis à prophetis attestaretur, qui eos coli prohibebant. Nunc verò posteaquam tempus aduenit, quo complerentur vaticinia prophetarum Dei vnius, qui istos deos falsos dicit, & ne colantur vehementissimè præcipit, cur non hoc etiam ipsi compertum prædicere sinerentur, vt inde clarius appareret eos hęc anteà vel minimè credidisse, vel suis cultoribus enunciare timuisse: in fine autem tanquam nihil amplius habentes quod agerent, etiam ibi voluisse suã ostentare diuinitatẽ, vbi iã produntur diu simulasse diuinationem? Tamen nec ista ipsa quę ab eis vix raro & clanculò proferuntur, mouere nos debent, si cuiquam dęmonũ extortũ est id prodere cultoribus suis, quod didicerat ex eloquiis prophetarũ, vel ex oraculis angelorũ, quod cur non fieret, cũ & ista non sit oppugnatio, sed attestatio veritatis? Illud enim quod solũ ab ipsis fanaticis flagitandũ est, nec vnquã antea protulerunt, nec vnquã postea nisi fortè confictũ proferre conabuntur, aliquid deos suos per vates suos contra Deũ Israël ausos fuisse * prędicere, de quo Deo doctissimi eorũ authores qui omnia illa legere ac nosse potuerũt, magis quæsiuerũt quis De⁹ esset, quã Deũ negare potuerũt. Porrò autẽ Deus iste quem nullus eorũ negare ausus est verum Deũ, quia etsi negaret nõ solũ subiaceret debitis pœnis, verũ etiam certis conuinceretur effectibus. Iste ergo Deus quem nemo (vt diximus) illorum negare ausus est verum Deum, illos falsos esse deos & omnino deserẽdos, eorũque tẽpla & simulachra & sacra

Ibidem proximè post. Sopho. 2.

Post pauca.

Ibidẽ paulò post, c. 8.

* prodere

euertenda, per suos vates, hoc est prophetas aperta denunciatione prædixit, aperta potestate præcepit, aperta veritate compleuit. Vnde quis est qui vsque adeo desipiat, vt non eum potius colendum eligat, quem coli non prohibẽt quos colebat? Quem proculdubio cum colere cœperit, illos vtique non est culturus, quos prohibet coli quem colit. Quod autẽ ipsum essent culturæ gentes exterminatis diis falsis quos antea colebant, à Prophetis eius esse prædictum paulò ante commemorauimus, & nunc repetamus. Præualebit, inquit dominus, aduersus eos, & exterminabit omnes deos gentium terræ, & adorabunt eum vnusquisque de loco suo omnes insulæ gentium. Neque enim solæ insulæ hîc intelligendæ sunt, sed potius omnes gentes in his positæ adorabunt Deum. Nec mirum, quandoquidem alibi non insulas nominat, sed vniuersum orbem terrarum, dicens: Cõmemorabuntur & conuertentur ad dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ gentium: quoniam domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Hæc autẽ per Christum fuisse complenda, & aliis pluribus testimoniis, & in eodem ipso Psalmo vnde hoc cõmemorauimus, satis apparet. Cũ enim paulò superius futuram passionem suam per Prophetam ipse loqueretur dicens, Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meã miserunt sortem. Paulò pòst infert illud quod posuimus: Commemorabũtur & conuertentur ad dominum vniuersi fines terræ, &c. Quanquam & illud testimonium quod prius adhibui, vbi dictum est: Præualebit dominus aduersus eos, & exterminabit omnes Deos gentium terræ: in eo quod positum est, Præualebit, satis ostendit etiam hoc prænunciatũ, quod pagani prius oppugnaturi essent Ecclesiam, nomenque Christianũ quantũ valerent persecuturi, vt si fieri posset de terra omnino deleretur: & quia eos patientiã martyrũ, & magnitudine miraculorum, & consequente fide populorum erat * superaturus, ideò sic dictum est: Præualebit dominus aduersus eos. Non enim diceretur, præualebit aduersus eos, nisi oppugnando illi resisterent. Vnde & in psalmo ita prophetatum est: Vt quid fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersùs dominum, & aduersùs Christum eius. Et paulò post dicit: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuã terminos terræ. His atque huiusmodi propheticis documentis prædictum ostenditur, quod videmus impleri per Christum, futurum fuisse vt Deus Israël, quem vnum verũ Deum intelligimus, non in vna ipsa gente quæ appellata est Israël, sed in omnibus gentibus coleretur, & omnes falsos Deos gentium & à templis eorum, & à cordibus cultorum suorum amoliretur. Eant nunc isti, & adhuc contra Christianam religionẽ, contra verum Dei cultũ vanitates pristinas defensitare audeant, vt cum strepitu pereant. Nam & hoc de illis prædictum est in Psalmis, dicente Propheta: Sedisti super thronũ qui iudicas æquitatẽ, increpasti gentes & periit impius, nomen eorũ delesti in æternũ, & in seculũ seculi. Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorũ destruxisti; periit memoria eorũ cum strepitu, & dominus in æternũ permanet. Necesse est ergo vt impleantur hæc omnia. Nec etiã illud quod adhuc audent ipsi pauci qui remanserũt, vaniloquas suas ostentare doctrinas, & Christianos tanquam imperitissimos irridere, nos cõmouere debet, dum in eis impleri ea quæ prædicta sunt videamus. Ex quo enim fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania aduersùs dominum, & aduersùs Christum eius? quando ab eis fundebatur sanguis sanctorum, & vastabatur Ecclesia, vsque ad hoc tempus & deinceps quotidie minuuntur. Nos autem aduersùs eorum opprobria & superbas irrisiones fortissimos reddunt oracula Dei nostri, quæ de hac quoque re videmus & gaudemus impleri. Sic enim nos alloquitur per Prophetam: Audite me qui scitis iudicium, populus meus in quorũ corde lex mea est, opprobria hominum nolite metuere, & detractione eorum ne superemini, nec quod vos spernunt magni duxeritis. Sicut enim vestimentum, ita per tempus absumẽtur, & sicut lana à tinea comedentur: iustitia autem mea in æternum manet. Attendendum est ergo atque omni studio cauendum, ne nostris temporibus in quibus videmus Christianam religionem in toto orbe dilatatam, propter desidiam magistrorum & inertiam doctorum pauci illi qui adhuc supersunt, confundant ritum culturę veri Dei, & dæmoniacis illusionibus deprauati diuinationes falsas in populo Dei agant, rusticos & imperitos seducentes, ita vt deserta ipsa veritate quæ lux est mundi, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum tenebrarum harum, quærant scientiam futurorum, & à deceptoribus hominũ quærant salutem animarũ, siue corporum suorũ: his enim pręuaricationibus maximè irritatur Deus, & ad vindictam prouocatur. Vnde per Ezechielem comminatur dicens: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritũ suum, & nihil vident. Quasi vulpes in desertis prophetę tui Israël erant: Nũquid non visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem locuti estis? & dicitis, ait dominus, cùm ego non sim locutus. Propterea hęc dicit dominus Deus, Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium, ideò ecce ego ad vos, ait dominus Deus, & erit manus mea super prophetas qui vident vana & diuinant mendacia. In concilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israël non scribentur, nec in terram Israël ingredientur. Ad doctores autem per eundem prophetam increpans eorum inertiam ita loquitur, dicens: Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die domini. Et rursum, Væ, inquit, pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus? Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod fractum est non alligastis, & quod abiectum non reduxistis, & quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non esset pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Hinc & per Hieremiam dicitur: A minimo vsque ad maximum omnes auaritiam sequuntur, à propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt men-

Marginal notes: *Ibidem c. 9.* — *Sopho. 2.* — *Psal. 21.* — * supera-tura — *Psal. 2.* — *Ibid. c. 10.* — *Psal 9.* — *Paulò inferius.* — *Psal. 2.* — *Esaiæ 51.* — *Hactenus ea loci Augusti.* — *Ioan. 1.* — *Ezechiel. 13.* — *Ibidem.* — *Ezech. 34.* — *Hierem. 8.*

dacium. Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes, pax pax cum non esset pax: confusi sunt, quia abominationem fecerunt. Idcirco hæc dicit dominus Deus
Hier. 9. exercituum Deus Israël: Ecce ego cibabo populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis, & dispergam eos in gentibus quas non nouerunt ipsi & patres eorum, & mittam post eos gladium donec consumantur. Qualiter ergo displiceat Deo omnipotenti pastorum negligentia & subditorum error, non solum prophetica testimonia ostendunt, sed etiam facta antiquorum declarant, cum in libro Regũ legitur quomodo malignus spiritus deceperit Achab regem Israël per falsos prophetas, ita vt
3. Reg. 22. credens eis interierit. Et quomodo Ochozias filius eius ægrotans miserit nuncios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, vtrùm viuere
4. Reg. 1. atque conualescere posset de infirmitate sua. Ob quod Helias propheta à Domino missus increpat eum, dicens: Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël à quo posses interrogare sermonem, ideò de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Mortuus est autem ipse iuxta sermonem domini quem locutus est Helias, & salutem quam quærebat non inuenit. Quapropter curandum summopere est omnibus modis, hoc est prælatis & subditis, maioribus & minoribus; sacerdotibus & plebi, ne aliquem seducat per huiuscemodi illusionem fraus, dolus, & nequitia hostis antiqui, ita vt à mendacibus velimus discere veritatem, & à pestiferis morbis mortísque authoribus quæramus infirmitatis nostræ remedium, sed magis ad Deum viuum & viuificatorem omnium confugiendo, deuoto corde properemus, per orationes sacras, ieiunia, & eleemosynas illum deprecantes, vt ipse propter benignitatem suam consulat seruis suis, eripiens nos de omnibus inimicis nostris, doceátque nos facere voluntatem suã, quia ipse est dominus Deus noster: spiritúmque suum bonum nobis tribuat, qui nos ducat in viam rectam, viuificétque nos in æquitate sua, quatenus eius magisterio omni tempore vitæ nostræ gratum ei seruitium exhibentes, post hanc vitam per eius gratiam mereamur beatitudinem possidere * sempiternam.

*cœlestem

De sacerdotibus, & reliquis Ecclesiasticis ordinibus qui magos, ariolos, aut diuinos consulunt. Ex concilio Toletano, c. xxxix. ❡ Cap. 73.

Cõcil. Tolet. 4. c. 28.

Si quis Episcopus, aut presbyter, siue diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum magos, aut haruspices, aut ariolos, aut certè augures, vel sortilegos, aut eos qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus monasterij censuram excipiat, ibíque perpetuæ pœnitentiæ deditus scelus admissi sacrilegij luat.

*al. pœnam

De his qui ad fascinum incantationes fecerint. Ex conc. Cabilonensi, cap. v.

❡ Cap. 74.

Si quis præcantauerit ad fascinum, vel qualéscunque præcantationes, excepto symbolo & oratione dominica: qui cantat, & cui cantatur, tres quadragesimas in pane & aqua pœniteat.

Quòd dæmoniacum petras, vel herbas sine incantatione liceat portare. Ex dictis Hieronymi.

❡ Cap. 75.

Dæmonium sustinenti licet petras vel herbas habere sine incantatione.

Ne sacerdos inanibus ludis delectetur. Ex synodo Eugenij Papæ tempore Ludouici & Lotharij Augustorum, c. xi. ❡ Cap. 76.

Sacerdos ludos aliquos coram se fieri non delectetur. Trangressor quippe inuentus admonitione episcopi vlterius agere desinat: sin autem, canonicè iudicetur.

Ne mulieres festis diebus vanis ludis vacent, c. xxxv. ❡ Cap. 77.

Sunt quidam & maximè mulieres, qui festis ac sacris diebus, atque sanctorum natalitiis, quibus debent Deo vacare, non delectantur ad Ecclesiam venire, sed balando, ac verba turpia decantando, ac ducendo, similitudinem paganorum peragendo aduenire procurant. Tales enim si cum minoribus veniunt ad Ecclesiam, cum maioribus pecatis reuertuntur. In tali enim facto debet vnusquisque sacerdos diligentissimè populũ admonere, vt pro sola oratione his diebus ad Ecclesiam recurrant, quia ipsi qui talia agunt, non solùm se perdunt, sed etiam alios deperire attendunt.

Ne presbyteri spectaculis intersint. Ex Laodicensi conc. c. liv. ❡ Cap. 78. De cõs. dist. 5. c. nõ oportet ministros.

Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus quæ aut in nuptiis aut in cœnis exhibentur, interesse: sed antequam thymelici ingrediantur, surgere eos de conuiuio, & abire debere.

De scurrilibus clericis. Ex conc. iv. Carthaginensi, c. lix. ❡ Cap. 79. Cap. 60.

Clericum scurrilem, & verbis turpibus iocularem ab officio retrahendum. dist. 46. c. clericum.

De iocis vitandis. Ambrosius lib. officiorum. j. Cap. 23.

❡ Cap. 80.

Licet interdum honesta ioca & suauia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula, quoniam quæ in scripturis non reperimus, ea * quemadmodum vsurpare possumus? Cauendum etiam in fabulis, ne inflectant grauitatem seuerioris propositi. Væ vobis qui ridetis, quia flebitis, ait dominus: & nos ridendi materiam requirimus, vt hîc ridentes illic fleamus? Non solùm autem profusos, sed omnes etiam declinandos arbitror: plenum tamen suauitatis & gratiæ sermonem esse, non est indecorum.

*quomodo

Lucæ 6.

De eodem. Ex sermone Augustini de decimis qui sic incipit: Propicio Christo. Serm. 219. de tempore: sed hoc inde non est desumptum.

❡ Cap. 81.

Hoc admonete, fratres, vt cantica turpia & luxuriosa castitati & honestati inimica, familiæ vestræ ex ore non proferant: quia non est iustum vt ex illo ore vbi Eucharistia Christi ingreditur, canticum luxuriosum & amatorium proferatur.

Quòd in omni ordine sint animæ Deo placentes. Ex vita sancti Paphnutij. ¶ CAP. 82.

Etiamsi latro sit aliquis, aut in scena positus, etiam si cultum ruris exerceat, & coniugio videatur astrictus, etiamsi negotiator dicatur, & mercimoniis inseruiat, tamen in omni ordine humanæ vitæ sunt animæ Deo placentes, & habentes actus aliquos * occultos, quibus delectatur Deus. Vnde constat non tantùm professionem vitæ, aut habitus speciem Deo esse placitam, quantum sinceritatem & affectionem mentis, & operum probitatem.

* excultos

De Histrione. Cyprianus ad Eucratium. ¶ CAP. 83.

Lib 1. epist. 10. cuius initium: Pro dilectione.

Consulendum me existimasti, frater charissime, quid mihi videatur de histrione quodam, qui apud vos constitutus in eiusdem adhuc artis suæ dedecore perseuerat, & magister & doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod malè didicit cæteris quoque insinuat, an talis debeat communicare nobiscũ. Quod puto ego nec diuinæ maiestati, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Nam cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti eiusmodi iudicentur, quantò maioris est criminis, non tantùm muliebria indumenta accipere, sed & gestus quoque turpes & molles, & muliebres magisterio impudicæ artis exprimere? Nec excuset se quisquam, si à theatro ipse cessauerit, cùm tamen hoc cęteros doceat. Non potest enim videri cessasse, qui vicarios substituit, & qui pro se vno plures succidaneos suggerit, contra constitutionem Dei erudiens & docens, quemadmodum masculus frangatur in fœminam, & sexus arte mutetur, & diabolo diuinum plasma maculanti per corrupti atque eneruati corporis delicta placeatur. Quòd si penuriam talis & necessitatem paupertatis obtendit, potest inter cęteros qui Ecclesiæ alimentis sustinentur, huius quoque necessitas adiuuari: si tamen contentus sit frugalioribus & innocentibus cibis: nec putet salario se esse redimendum, vt à peccatis cesset, quando hoc non nobis sed sibi præstet.

Deut. 22.

Vitium esse res suas histrionibus donare. Augustinus super Ioannem, part. ij. ¶ CAP. 84.

Tract. 100. de c. 16. Ioã.

Donare res suas histrionibus vitium est immane, non virtus. Et scitis de talibus quàm sit frequens fama cum laude, quia sicut scriptum est, laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur.

Psal. 9.

Idololatras non vi, sed ratione conuertendos. Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum, c. xli. ¶ CAP. 85.

De iis autem qui Christianitatis bonum suscipere renuunt, & idolis immolant, vel genua curuant, nihil aliud possumus scribere vobis, nisi vt eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus, & ratione potius quàm vi, quod vanè sapiunt, conuincatis.

De eodem. Idem. Ibid. ¶ CAP. 86.

Nulla cum iis qui non credunt, idoláque adorant miscenda communio est. Porrò illis violentia vt credant nullatenus inferenda est: nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest.

Non esse comedendum animal quod paganus vel occiderit, vel insecutus sit, cap. xci.

¶ CAP. 87.

Neque quod Christianus persequitur, & à pagano percutitur & occiditur animal: neque quod paganus persequitur, & christianus occidit, comedendum est.

Ne sol, velut sancti, venerationem accipiat. Ex serm. Leonis Papæ, in natal. domini, qui sic incipit: Festiuitatis hodiernæ, &c. *Ser. 7. c. 4.*

CAP. 88.

Nonnulli etiam christiani adeo se religiosè facere putant, vt priusquàm ad beati Petri Apostoli basilicam, quæ vni Deo viuo & vero dedicata est, perueniant, superatis gradibus quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur, conuerso corpore ad nascentem se solem * conuertant, & curuatis ceruicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu multùm tabescimus & dolemus.

* reflectãt orig.

Quòd opera non prosint sine fide. August. de Trin. lib. xij. cap. vij. ¶ CAP. 89.

Opera misericordiæ nihil prosunt, siue paganis siue Iudæis qui Christo non credunt, siue quibuscunque hæreticis & schismaticis, vbi fides & dilectio & sobria sanctificatio non inuenitur.

*De vitandis inimicis Christi. Ioannes * viij. Neopolitanis, * Salernitanis & Amalphitanis.*

* vij.
* Falcrianis.

¶ CAP. 90.

Conscientia vestræ in Christo dilectionis iustè diiudicet, quantum Christo auersi sunt hi, qui cum eius infidelibus contra prohibitionem Pauli tanti Apostoli pollutam fœderis ineunt vnitatem. Cùm enim regis rebellionibus quocunque participio coniunguntur, pariter maiestatis criminibus obnoxij iudicantur, paríque sententia * condemnantur: quantùm à corpore Christi probantur extranei, qui eius hostibus fœderati, membra ipsius tantò pernitiosius lacerant, quantò vicinius ecclesiæ Dei colliminant? *Item.* Quantùm autem Deo sit execrabile cum impio fœdera pangere, luculenter ex hoc deprehenditur: quòd Iosaphat rex Iuda, qui tot de anteacta vita præconiis extollitur, de Achab amicitiis increpatur, cùm ei per Iehu prophetam dicitur: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt dominum amicitiã iungeris. Et idcirco irã quidem domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terra Iuda. Quantùm præterea sit Deo delectabile ab inimicorum Dei pace desistere, noster Psalmographus manifestat, cùm dicit: Nonnè qui oderant te domine oderam illos, & super inimicos tuos tabescebã? perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Ex quo, dilectissimi filij, patenter ostenditur, quanto crimine cum pessimis pax tenetur, si Propheta tantus hoc velut in hostiã Deo obtulit, qui contra prauos pro Deo inimicitias excitauit. Hinc Leui tribus, assumptis gladiis per castrorum media transiens, quia feriendis noluit peccatoribus parcere, deo manus suas dicta est consecrasse: hinc Phinees

1. Cor 6.
* puniuntur.
2. Paral. 19.
Psal 38.
Exod. 32.

Num. 25. peccantium ciuium gratiam spernens, coëuntes cum Madianitis perculit, & iram Dei iratus placauit.

Vt baptizatus à paganis rebaptizetur. Gregor. ij. Bonifacio episc. ¶ CAP. 91.

Quos à paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, vt denuò baptizes in nomine S Trinitatis, mandamus. *Item.* De immolatitiis autem escis consuluisti, si à fidelibus superductum fuerit viuificæ crucis signum, edi liceret, an non. Illud sufficit respondere, quod beatus Apostolus Paulus dicit: Si quis dixerit, quia hoc immolatum est idolis, nolite edere propter eum qui indicauit, & propter conscientiam. (Epist. 14.) (1. Cor. 10.)

Vt soli orthodoxi militent. Ex historia Anastasij Bibliothecarij S. Romanæ Ecclesiæ. ¶ CAP. 92.

Tertio imperij sui anno Iustinianus Augustus promulgauit legem, ne militarent pagani nec hæretici, nisi soli orthodoxi.

Seruitium Christi voluntarium esse, non coactiuum. Beda in historia Anglorum, lib. 1. c. xxvi. ¶ CAP. 93.

Credentium fidei & conuersioni ita congratulatus rex esse perhibetur, & ipse conuersus, vt nullum tamen cogeret ad Christianismum, sed tantummodò credentes arctiori dilectione, quasi conciues sibi regni cælestis amplecteretur. Didicerat enim à doctoribus authoribúsque suę salutis seruitium Christi voluntarium, non coactiuum esse debere.

Lib. 3. epist. 26. *De exactione in rusticum paganum facienda. Gregorius Ianuario episcopo Calaritano.* ¶ CAP. 94.

23. q. 6. c. Iā verò. Si cuiuslibet Episcopi paganum rusticum inuenire potero, in eundem episcopum fortiter vindicabo. Iam verò si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inuentus, vt ad Deum minimè venire consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.

Lib. 7. epist. 66. *De zelo contra cultores idolorum seu haruspices habendo. Greg. Ianuario episcopo Sardiniæ.* ¶ CAP. 95.

Vide suprà c. 32. Contra idolorum quoque cultores, vel haruspices atque sortilegos fraternitatem vestram vehementius pastorali hortamur inuigilare custodia, atque publicè in populo contra huius rei viros sermonem facere, eósque à tanti labe sacrilegij & diuini intentatione iudicij, & præsentis vitæ periculo adhortatione suasoria reuocare. Quos tamen si emendare se à talibus atque corrigere nolle repereris, feruenti comprehendere zelo te volumus, & si quidem serui sunt, verberibus cruciatibúsque quibus ad emendationem peruenire valeant, castigare. Si verò sunt liberi, inclusione digna districtáque sunt in pœnitentia religandi.

Ad cap. 10. 1. ad Cor. *De Idolothytis. Ambros. in 1. epist. ad Corinth.* ¶ CAP. 96.

Licet aliquid pollutum sit per accidentiam, id est oblationem idoli, cùm hoc tamen nescit qui emit, nullum patitur scrupulum, & apud Deum immunis est.

Quid sit: Dies obseruatis & menses, &c. Ex sermo. Ambrosij de quadragesima qui sic incipit: Intellexisse vos. ¶ CAP. 97. (Id nunc legitur serm. 17 de Calen. Ianua. cuius initium: Est mihi aduersus.)

Obseruant diem & mensem, qui Calendis Ianuarij aut non ieiunant, aut non procedunt ad Ecclesiā, sed procedunt ad camp. Ergo, fratres, omni studio Gentilium festiuitates & ferias declinemus, vt quando illi epulantur & læti sunt, tunc nos simus sobrij atque ieiuni: quò intelligant lætitiam suam nostrâ abstinentiâ condemnari. Non solùm autem Gentilium, sed & Iudæorum consortia vitare debemus, quorum etiam confabulatio est magna pollutio.

Ne Christiani de area vel torculari suo aliquid ad immolandum idolis sumi patiantur. August. ad Publicolam. ¶ CAP. 98. (Epist. 154.)

Si de area vel torculari tollitur aliquid ad sacrificia dæmoniorum sciente christiano, * ideo peccat si fieri permittit vbi prohibendi potestas est. Quod si factū non cōperit, aut prohibendi potestatē non habuit, vtitur mūdis reliquis fructibus, vnde illa sublata sunt. *Item.* Si quis de aliqua carne dubitat, vtrū sit immolatitia, & nō est immolatitia, sed eam cogitationem tenuerit quòd immolatitia nō sit, & ea vescatur, nō vtiq; peccat: quia non est, nec putatur iam immolatitia, etsi antea putabatur. Neque enim non licet corrigere cogitationem à falsitate in veritatem. Si quis autem putauerit bonum esse quod malum est, & fecerit hoc putando, vtique peccat: & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quandoquisque benè fieri putat, quod malè fit. (* in Deo.) (Ibidem aliquātò post.)

Quòd spiritualiter homicidæ sunt qui baptizatos sacrilegiis dæmoniorum obligant. August. ad Bonifacium Episcopum. ¶ CAP. 99. (Epist. 23.)

Rectè dicuntur parentes vel quicumque maiores filios seu quoslibet paruulos baptizatos dæmoniorum sacrilegiis obligare conantes, spiritualiter homicidæ. Nam in illis quidem interfectionem non faciunt, sed quantùm in ipsis est, interfectores fiunt.

Quòd soli hi plangendi sint qui per scelera egrediuntur Ecclesiam. Hieron. ad Rusticum. ¶ CAP. 100. (Tomo 1. cuius initium Quod ignotus ad ignotum.)

Nequaquam gentilis plangendus est atque Iudæus, qui in Ecclesia non fuerunt, & semel mortui sunt, de quibus Saluator dicit: Dimitte mortuos vt sepeliant mortuos suos: sed hi qui per scelera atque peccata egrediuntur de ecclesia, & nolunt vltra reuerti * ad eam * damnatione vitiorum. (Matth. 8.) (* adeant damnationem.) (* dominatione.)

Diabolus qui appellandus sit. August. lib. quæst. veteris & noui Testam. ¶ CAP. 101. (Quæst. 90)

Diabolus non speciale nomen est, sed commune: in quocunque enim opera diaboli fuerint inuenta, sine dubio diabolus appellandus est. Operis enim nomen est, non naturæ.

Quomodo dæmoniaci curari possint. Beda super Lucam lib. iij. cap. v. ¶ CAP. 102. (Lib. 3. c. 31. ad 8. c. Lucæ.)

Nostri temporis sacerdotes, qui per exorcismi gratiam dæmones eijcere norunt, solent dicere patiētes non aliter valere curari, nisi (quātùm sapere possunt) omne quod ab immundis

ſpiritibus viſu, auditu, guſtu, tactu, vel alio quolibet corporis vel animi ſenſu vigilantes dormientéſue protulerint, confitendo patenter exponant. Et maximè quando vel viris in ſpecie fœminea, vel in virili habitu fœminis apparentes (quos dæmones Galli Duſios vocant) infando miraculo ſpiritus incorporei corporis humani concubitum petere ſe ac patrare confingunt. Et nomen dæmonis quo ſe cenſeri dixerit, & deierandi modos, quibus amoris ſui fœdus alterutrum pepigerint, prodendos eſſe præcipiunt. Quæ mendacio ſimillima res, ſed adeo vera & plurimorum eſt atteſtatione notiſſima, vt quidam vicinus mihi presbyter retulerit, ſe quandam ſanctimonialem fœminam à dæmonio curare cœpiſſe, ſed quãdiu res latebat, nihil apud eam proficere potuiſſe. Confeſſo autem quo moleſtabatur phantaſmate, mox & ipſum orationibus cæteriſque quæ oportebat purificationum generibus effugaſſe, & eiuſdem fœminæ corpus ab vlceribus quæ dæmonis tactu contraxerat, medicinali ſtudio adiuncto, ſale benedicto curaſſe: ſed dum vnum de vlceribus quod altius lateri infixum repererat, nullatenus poſſet, quin continuo panderetur, obducere, ab eadem ipſa quam ſanare volebat, conſilium quo ſanaretur accepiſſe. Si inquit oleum pro infirmis cõſecratum eidem medicamento adſperſeris, ſicque me vnxeris, ſtatim ſanitati reſtituar. Nam vidi quondam per ſpiritum in quadam longius poſita ciuitate, quam nunquam corporalibus oculis vidi, puellam quandam pari calamitate laborantem, taliter à ſacerdote curatam. Fecit vt illa ſuggeſſerat, ſtatímque vlcus remedium quod ante reſpuerat, accipere conſenſit.

De communione dæmoniacis danda. **Ex Collatio. Syricij, cap. xiij.**

¶ CAP. 103.

Communionem ſacroſanctam dæmoniacis à ſenioribus numquam meminimus interdictam, quinimo ſi poſſibile eſſet etiam quotidie eis impartiri eam debere cenſebant.

Ne clerici dæmoniaci ad ſuperiores gradus aſcendant. Nicolaus Alvvino Iouanenſi Archiepiſcopo. ¶ CAP. 104.

Clerici qui in adoleſcentia à dæmonibus cognoſcuntur obſeſſi, ad ſuperiorem ſacri regiminis gradum accedere non poſſunt.

De coitu dæmonum cum mulieribus. Auguſt. lib. quæſt. ſuper Geneſim, quæſt. iij. *Ad 8. cap. Geneſ.*

¶ CAP. 105.

Credibilius eſt homines iuſtos, appellatos vel Angelos, vel filios Dei, concupiſcentiâ lapſos peccaſſe cum fœminis, quàm angelos carnem non habentes vſque ad illud peccatum deſcendere potuiſſe: quamuis de quibuſdam dæmonibus qui ſint improbi mulieribus, à multis tam multa dicantur, vt non facilè ſit de hac re definiendâ ſententia.

De multiplicitate dæmonum fideles infeſtantium. Hieronymus ſuper Ieſu Naue, homelia xv. *Orig. ex Hiero. interpretatione.*

¶ CAP. 106.

Mihi videtur infinitus quidam eſſe numerus contrariarum virtutum, pro eo quòd per ſingulos penè homines ſunt ſpiritus aliqui diuerſa in iis peccatorum genera molientes. Verbi causâ, eſt aliquis fornicationis ſpiritus, eſt alius ſpiritus iræ, alius eſt auaritiæ, alius verò ſuperbiæ: & ſi eueniat aliquem hominem eſſe qui his omnibus malis, vel etiam pluribus agitetur, omnes hos vel etiam plures in ſe habere inimicos putandus eſt ſpiritus. Vnde & per ſingulos plures eſſe credendi ſunt, quia non ſingula ſinguli homines habent vitia, vel peccata committunt, ſed plura ab vnoquoque videntur admitti. Et iterum non eſt putandum, quod vnus fornicationis ſpiritus ſeducat eum, qui verbi gratiâ, in Britannia fornicatur, & illum qui in India, & in aliis locis. Neque puto vnum eſſe iræ ſpiritum qui diuerſis in locis diuerſos homines inflammat: ſed puto magis principem quidem fornicationis ſpiritum vnum eſſe, innumeros verò eſſe qui in hoc ei officio pareant, & per ſingulos quoſque homines * diuerſi ſpiritus ſub eo principe militantes, ad huiuſcemodi eos pecca ta ſollicitent. Similiter & iracundiæ ſpiritum principem vnum eſſe arbitror, innumeros verò eſſe ſub ipſo agentes, qui per ſingulos quoſque homines huiuſcemodi vitij peccata ſuccendãt. Similiter & auaritiæ, & ſuperbiæ, & cæterorum malorum; & ideo non vnus principatus dicitur in contrariis virtutibus ab Apoſtolo, ſed plures, *Epheſ. 6.* aduersùs quos ſibi eſſe pugnam & nobis omnibus ſcribit. Eſſe tamen reor horum omniũ principem velut eminentiorem quendam in nequitia, & in ſcelere celſiorem, qui totum mundum, quem iſti ad peccata ſinguli quique per peccatorum ſpecies per partes ſollicitant, ſolus velut omnium * princeps & dux totius nefandæ militiæ magiſter, exagitet. Puto ſanè quia ſancti quique repugnantes contra iſtos incentores peccatorum ſpiritus, & vincentes eos, atque eorum vnumquemque ſuperantes, imminuant exercitum dæmonum, & velut quamplurimos eorum interimant. Verbi causâ, vt is qui caſtè pudiceque viuendo fornicationis ſpiritum ſuperauerit, non vltra fas ſit illum ſpiritum qui ab illo ſancto victus eſt, impugnare iterum alium hominem, ſed ſicut illi ſpiritus rogabant Ieſum, *Luc. 8.* ne in abyſſum mitterentur, quod tunc interim Dominus pro præſenti diſpenſatione conceſſit: ita conſequẽs videtur, quòd ſinguli quique maligni ſpiritus cùm vincuntur à ſanctis, vel in abyſſum, vel in exteriores tenebras, vel vt quiſque ille locus eis dignus eſt, collocentur à iuſto iudice Chriſto. Et inde eſſe quòd plurimo dæmonum numero iam deuicto, ad credulitatem gentes venire relaxentur: quæ vtique nullatenus ſinerentur, ſi integræ eorum ſicut prius fuerant ſubſiſterent legiones.

* diuerſos ſpiritus qui ſub eo, &c.

* principũ dux, & totius.



D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI

DECRETI PARS DVODECIMA.

DE MENDACIO ET PERIVRIO. De accusatoribus: de Iudicibus: de deffensoribus, & falsis testibus. Et de singulorum pœnitentia.

Cap.14. *DE OCTO GENERIBVS MENDACIORVM. Augustinus libro de mendacio.*

CAPVT PRIMVM.



22. q. 2. cap. primum est. PRIMVM est capitale mendacium, longéque fugiendum, quod fit in doctrina religionis, ad quod mendaciũ nulla conditione quisquam debet adduci. Secundum, vt aliquem lædat iniustè: quod tale est vt & nulli prosit, & obsit alicui. Tertium quod ita prodest alteri, vt obsit alteri, quamuis non ad immundiciam obsit corporalem. Quartum sola mentiendi fallendíque libidine, quod merum mendacium est. Quintum quod fit placendi cupiditate de suauiloquio. His omnibus penitus euitatis atque reiectis, sequitur Sextum genus, quòd & nulli obest & prodest alicui: velut si quispiam pecuniam alicuius iniustè tollendam sciens, vbi sit nescire se mentiatur. Septimum quod & nulli obest & prodest alicui: velut si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur. Octauum est genus mendacij, quod & nulli obest, & ad hoc prodest vt ab immundicia corporali aliquem tueatur. Non est Ibidē c. 21. igitur mentiendum in doctrina pietatis, quia magnum scelus est, & primum genus detestabilis mendacij. Non est mentiendum secundo genere, quia nulli facienda est iniuria. Non est mentiendum tertio genere, quia nulli cùm alterius iniuria consulendum est. Non est mentiendum quarto genere, propter mendacij libidinem, quæ per se ipsam vitiosa est. Non est mentiendum quinto genere, quia nec ipsa veritas sine placendi hominibus enuncianda est, quantò minus mendacium, quod per seipsum quia mendacium est, vtique turpe est. Non est mentiendum sexto genere, neque enim rectè etiam testimonij veritas pro cuiuscunque temporali commodo ac salute corrumpitur: ad sempiternam verò salutem nullus ducendus est opitulante mendacio. Neque septimo genere mentiendum est, non enim cuiusquam commoditas aut salus temporalis perficiendæ fidei præferenda est, nec si quisquam in rectè factis nostris tam malè mouetur, vt fiat etiam animo deterior, longéque à pietate remotior, propterea rectè facta deserenda sunt. Nec octauo genere mentiendum est, quia & in bonis castitas animi, pudicitia corporis: & in malis id quod ipsi facimus eò quòd fieri sinimus maius est. In his autem octo generibus tātò quisque minus peccat cùm mentitur, quantò emergit ad octauum, tantò amplius, quantò * euergit ad primum. *mergit vitt. Quisquis autem esse aliquod genus mendacij quod peccatum non sit, putauerit, decipiet seipsum turpiter, cùm honestum se deceptorem arbitratur aliorum.

De soliditate iuramenti. Ex conc. Tolet. viij. c. ij.

CAP. 2.

Omne quod in pacis fœdera venit, tunc solidius subsistit, cùm iuramenti hoc interpositio roborat. Sed & omne quod animos amicorum conciliat, tunc fidelius durat, cùm eos sacramēti

vincula ligant. Omne enim quod testis astipulatur, verius constat, cum id adiectio iurationis affirmat. Quòd & si testis deficiat, innocentis fidem sola iurisiurandi taxatio manifestat.

In c.1. ad Galatas sub fin. m. Et lib 1 de sermone domini in mõte.c 30.

Iuramentum non esse contra præceptum domini. August. super epistolam ad Galatas.

¶ Cap. 3.

22 q.1.c. nõ est contra. Matth. 5. Non est contra præceptum Dei iuratio, quæ à malo est non iurantis, sed incredulitatis eius à quo iurare cogitur. Nam hinc intelligitur ita dominum prohibuisse à iurando, vt quantùm in ipso est, quisque non iuret, quod multi faciunt, in ore habentes iurationem tanquam magnum & suaue aliquid. Nam vtique Apostolus nouerat præceptum domini, & iurauit tamen. Non enim audiendi sunt qui has iurationes esse non putant. *1. Cor. 15.* Quid enim facient de illa: Quotidie morior per vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro: quam Græca exemplaria manifestissimam esse iurationem conuincunt? Quantum ergo in ipso est non iurat Apostolus, non enim appetit iurationem cupiditate aut delectatione iurandi. *Matth 5.* Amplius est enim quam est est, non non, & ideò à malo est, sed infirmitatis aut incredulitatis eorum, qui aliter mouentur ad fidem.

Epist 154. *Non iurandum, vt quàm longissimè absimus à periurio. August. ad Publicolam.*

¶ Cap. 4.

22 q.1 c In nouo testamento. Matth. 5. In nouo testamento dictum est, ne omnino iuremus, quod mihi quidem propterea dictum videtur, non quia iurare peccatum est, sed quia periurare immane peccatum est: à quo nos longè esse voluit, qui omnino ne iuremus commonuit. *Ibidem post aliquot versus.* *Item.* Quamuis dictum sit, ne iuremus, nusquam in scripturis sanctis legisse me memini, ne ab alio iurationem accipiamus.

Cap. 30. *Quòd liceat iuramento ad aliorum vtilitatem vti. August. de sermone Domini in monte, lib. j.*

¶ Cap. 5.

22 q.1.c Tu nõ malum. Tu non malum facis, qui benè vteris iuratione:* quæ etsi non bona, tamen necessaria est, vt alteri persuadeas quod vtiliter suades: sed à malo est illius, cuius infirmitate iurare cogeris.

** quia*

Quòd per Deum sit iurandum, non per creaturas. Hieron. super Matthæum, lib. j.

¶ Cap. 6.

Considera quòd saluator non per Deum iurare prohibuerit, sed per cœlum, & per terram, & per Hierosolymam, & per caput tuum. Et hoc quasi paruulis fuerat lege concessum, vt quomodo victimas immolabant Deo, ne eas immolarent idolis: sic & iurare permitterentur in Deum, non quòd rectè hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere, quam dæmoniis.

Non esse frequentanda iuramenta. Isidorus sententiarum libro secundo, cap. xxxi.

¶ Cap. 7.

22 q 1 c nõ est contra. Non est contra Dei præceptum iurare, sed dum iurandi vsum facimus, periurij crimen incurrimus.

Non esse iurandum nisi magna necessitate. Ex serm. xxviij. August. de verbis Apostoli, qui sic incipit: Prima lectio quæ nobis.

¶ Cap. 8.

Si peccatum esset iuratio, nec in veteri lege diceretur, Non periurabis, reddes autem domino iusiurandum tuum: non enim peccatum præciperetur nobis. *Item.* Non vobis dicimus, nos non iurare: si enim hoc dicimus, mentimur. Quantùm ad me pertinet iuro, sed quantùm mihi videtur magna necessitate compulsus. Cùm videro nisi faciam mihi non credi, & ei qui mihi non credit non expedire quod non credit: hac perpensa ratione & consideratione librata, cum magno timore dico, Coram Deo, aut testis est Deus, aut scit Christus quod sic est esse in animo meo. Et video quia plus est, id est, quòd amplius est quàm est est, non non: sed hoc quod amplius est, à malo est, & si non à malo iurantis, à malo est non credentis. *22 q 1.c. Si peccatum esset. Leuit 19. Ibidem post aliqua multa.*

Iuramenta quæ contra naturam sunt non esse tenenda. Ex conc. Toletano viij. *Cap. 2.*

¶ Cap. 9.

Si publicis sacramentorum gestis (quod auertat Deus) à quibuslibet illicita vel non bona extitisset conditio alligata, quæ aut iugulare animam patris aut agere compelleret stuprum *sacratissimæ virginis, nunquid non tolerabilius esset stultæ promissionis rei jcere vota, quàm per inutilium promissorum custodiam exhorrendam criminum implere mensuram? *22 q 4 c. Si publicis.* ** sacratæ*

De eadem re. Ambrosius lib. offic. j. *Cap 50.*

¶ Cap. 10.

Est etiam contra officium nonnunquam promissum soluere sacramentum: vt Herodes, qui iurauit quoniam quicquid petitus esset, daret filiæ Herodiadis, necem Ioannis præstauit, ne promissum negaret. *22. q. 4. c est etiã contra. Matth. 14.*

Item de eodem. Ex serm. August. in decollatione sancti Ioannis, qui sic incipit: Cùm sanctum Euangelium legeretur. *Serm xi. de sanctis, cuius principium est: Propter hunc. In calce tomi 10.*

¶ Cap. 11.

Video Dauid pium hominem & sanctum in iurationem temerariam cecidisse, & maluisse non facere quod iurauerat, quàm iurationem suam fuso hominis sanguine implere. *Item.* Iurauit Dauid temerè, sed non impleuit iurationem maiori pietate. Ecce Dauid sanctus non quidem iratus sanguinem hominis fudit, sed eũ falsum iurasse negare quis poterit? De duobus peccatis elegit minimum, sed minus fuit illud in comparatione * maioris. Nam per se ipsum appensum magnum malum est falsa iurare. *22 q 4 cap. quod Dauid. 1. Reg. 25. Ibidẽ paulo post.* ** peioris*

Item de eodem. Isidorus in synonymis lib. ij.

¶ Cap. 12.

In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incautè vouisti non facias. Impia est promissio quæ scelere adimpletur.

Item de eadem re. Beda in lib. Homiliarum, homilia xliij. ¶ Cap. 13. *In decollatione S Ioãnis Baptistæ.*

Si aliquid fortè nos incautius iurasse contigerit, quod obseruatum peiorem vergat in exitum, liberè illud consilio salubriori mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate peierandum nobis, quàm pro vitando periurio in *22. q. 4 c Si aliquid fortè.*

aliud crimen grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per Dominum occidere Nabal virum stultum & impium, atque omnia quæ ad illum pertinerent demoliri: sed ad primā intercessionē Abigail fœminæ prudētis, mox remisit minas, reuocauit ensem in vaginem, neque aliquid culpæ se tali periurio contraxisse doluit. *Item.* Non solùm in iurando, sed in omni quod agimus hæc est moderatio solertius obseruanda, vt si in talem fortè lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliqua peccati contagione surgere non possimus, illum potius euadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse cernimus.

1.Reg 25.

Post versū.

Vtrùm fides appellanda sit, quæ in peccatis admittendis adhibetur. August. de bono coniugali. ¶ Cap. 14.

Cap. 4.

22.q 4.c. Si ad peccatū.

Si ad peccatum admittendum adhibetur fides, mirum si fides appellatur: verùtamen qualiscunque sit, si & contra ipsam fit, peius fit, nisi cū propterea deseritur, vt ad fidem verā legitimámque redeatur, id est, vt peccatum emendetur voluntatis prauitate correcta: tanquam si quis cū homine m solus expoliare non possit, inueniat socium iniquitatis, & cū eo paciscatur vt simul id faciant, spoliúmque partiantur: quo facinore cōmisso totum solus auferat: dolet quidē ille, & fidem sibi seruatam non esse conqueritur: verùm in ipsa sua querela cogitare debet, potius in bona vita ipsi humanæ societati fidē fuisse seruādā ne præda iniqua ex homine fieret, si sentit quā iniquè sibi in peccati societate seruata nō fuerit: ille quippe vtrobiq; perfidus profectò sceleratior iudicandus est. *Item.* Mulier si fide coniugali violata fidē seruet adultero, vtiq; mala est: sed si nec adultero, peior est. Porrò si eam flagitij pœniteat, & ad castitatem rediens coniugalem, pacta ac placita adulterina rescindat, miror si eam fidei violatricen, vel ipse adulter putabit.

Ibidem eodem cap.

De non seruando iuramento iniusto. Ex actione iiij. vij. Synodi. ¶ Cap. 15.

Longè post init. multū variat in Græco. 22 q 4. cap. actione quarta.

Ioannes Apocrisiarius Orientalium sedium dixit: Significat sermo patris nostri Sophronij quòd melius sit iurantem periurare, quā conseruare sacramentum in confractione sanctarum imaginum. Hoc autem dicimus, quia quidam se sacramento excusant. Tharasius patriarcha dixit: Quia pater Sophronius nouerat bonitatem Dei, propterea transgredi voluit impium iuramentū. Item, Tharasius patriarcha dixit: Herodes seruauit iuramentum, & periit: Petrus verò negauit cū iuramento, & conuersus fleuit & saluatus est. Omne enim peccatū bonus Deus indulget, si quis ex toto corde pœniteat. Sancta Synodus dixit: Sic docet nos sancta scriptura. Item, Leontius Phociæ Episcopus dixit, scriptū est: Iuramentum mendax ne diligatis: qua de causa nostrum iuramentum mendax dissoluatur, quasi nullam habens virtutem.

Matth.26.

Zach.8.

Quòd in duobus malis minus malum eligendum est. Ex concil. Tolet. viij. ¶ Cap. 16.

Cap.2.

Duo mala licet omnino sint cautissimè præcauenda, tamen si periculi necessitas ex his vnū * temperare compulerit, id debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligare. Quid autē leuius ex his, quidue sit grauius puræ rationis acumine inuestigemus. Etenim dum periurare compellimur, creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodò maculamus. Cùm vero noxia promissa complemus, & Dei iussa superbè contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipsos crudeliori mortis gladio trucidamus: illic enim duplici culparum telo * percutimur, hic tripliciter iugulamur.

dist 13. cap. duo mala. * tentare aliàs temerare.

Non semper promissa omnia soluenda esse. Ambr. lib. offi. ¶ Cap. 17. Lib.3.c.12.

Vnusquisque simplicē sermonē proferat, vas suum in sanctificatione possideat, nec fratrem circumscriptione inducat verborum, nihil promittat inhonestum: aut si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quā facere quod turpe sit. Sæpe plærique constringunt se iurisiurandi sacramento, & cùm ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt, quod spoponderunt: sicut de Herode suprà scripsimus, qui saltatrici præmiū turpiter promisit, crudeliter soluit. Turpe quod regnū pro saltatione promittitur, crudele quod mors Prophetæ pro iurisiurandi religione donatur. Quantò tolerabilius tali fuisset periuriū homicidio? si tamē periuriū possit dici, quod ebrius inter vina iurauerat, quod euiratus inter saltantium choros promiserat. Infertur disco prophetæ caput, & hoc æstimatū est fidei esse, quod amicitiæ fuit. *Item.* Non semper promissa omnia soluenda sunt. Denique ipse Dominus frequenter suam mutat sententiam, sicut scriptura indicat.

22.q.4 c.vnusquisque.

Matth.14.

Ibidem paulò post. 22 q 4.c.nō semper. Num.14.

De pœnitentia periurij. Synodus Aurelianensis iij. tempore Childeberti Regis, cap. viij. ¶ Cap. 18.

De periurio verò id censuimus obseruandū, vt si quis clericus in causis quæ sub iureiurando finiendæ sunt, præbuerit iuramenta, & post rebus euidentibus detegitur periurasse, biennij tempore à communione pellatur.

Quòd omnis contrarius verbo Dei Antichristus est. August. super epistola Ioannis tract. iij. ¶ Cap. 19.

Quotquot habet Ecclesia periuros, fraudatores, maleficos, veneficos, inquisitores nugarum, adulteros, ebriosos, fœneratores, mangones, & omnia quæ enumerare non possumus: si contraria sunt doctrinæ Christi, contraria sunt verbo Dei. Verbum autem Dei Christus est. Quisquis autem verbo Dei contrarius est, Antichristus est.

Quòd tutus sit à periurio qui nunquam iurat. Ex sermone August. in decoll. sancti Ioannis Baptistæ, qui sic incipit: Cùm sanctum Euangel. legeretur. ¶ Cap. 20. Ad calcem tomi 10.

Tam magnum peccatum est iurare falsum, vt propter reatum falsæ iurationis dominus prohibuerit omnem iurationem. *Item.* Non est peccatum verum iurare, sed quia grande peccatum est falsum iurare, longè est à peccato falsum iurandi, qui omnino non iurat: propinquat falsæ iurationi qui vel verum iurat. *Item.* Aliquando nolens * homo iurat cùm verum pùtat esse quod iurat. Non est quidem tantum peccatum, quantum eius qui scit falsum esse, & tamen iurat.

Matth.5. Ibidem aliquatò post.

Ibidē paulò inferius. * al. hoc. Vict.

In cap. 3. *Quòd periurium adulterio comparetur. Hiero. super Malachiam.* ¶ CAP. 21.

Nequaquam putemus leuia esse peccata periurium, & mercedem non reddere laboranti, & calumniari viduam & pupillum, & opprimere alienigenam & peregrinum, quæ maleficio, & veneficiis, & adulterio comparantur.

Ad c. 4 in principio. *Quid sit periurium. Hieron. super Hieremiam lib. 1.* ¶ CAP. 22.

22. q. 2. cap. animaduertendum. Animaduertendum est, quod iusiurandum hos habeat comites, Veritatem, Iudicium, atque Iustitiam. Si ista defecerint nequaquam iuramentum erit, sed periurium.

Cap. 63. *Quòd testis esse non poßit qui periurij conuictus fuerit. Capitularium lib. 1. cap. ix.* ¶ CAP. 23.

22. q. 5. c. paruuli. Paruuli qui sine rationabili ætate sunt non cogantur iurare: & qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hæc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius iurator existat.

Non ita esse indulgendum periuris, vt periurandi detur occasio. Alexander ij. Landulpho & Arialdo clericis. ¶ CAP. 24.

Possumus in periurio aliquo crimine lapsis misericordiæ manum porrigere, sed non debemus ad futuræ * perditionis exemplum licentiam dare. * prohibitionis.

De vindicta periurij. Honorius Papa Hysatio patricio, & exarcho Italiæ. ¶ CAP. 25.

Quorundam scriptis didicimus, quosdam Episcopos in transpadanis partibus quædam verba Episcopali actui inimica Petro Pauli filio edixisse, atque monitu impiæ suasionis innuere: asserentes in se periurij reatum suscipere, vt non Adulubaldo Regi, sed potius Ariopalto tyranno consentiret. Et quoniam præfatus gloriosus Petrus prauis eorum (si fas est dicere) sacerdotum respuit suasionibus inclinari, sed magis sacramenta quæ * Cono Regi patri prædicti Adulubaldi præstiterat, firmiter custodire. Et quia tantum facinus Deo & piis mentibus est inimicum, vt hi qui hoc ab aliis prohibere debuerant ne fuisset commissum, ipsi potius vt fieret hortati sunt. Cùm nutu supernæ virtutis vobis laborantibus præfatus Adulubaldus in suũ regnum fuerit restitutus, præfatos episcopos in has Romanas partes adiuuante vos Deo, destinare dignamini: quia huiusmodi scelus nulla patiemur ratione inultum. * Acono. Vict.

Conc. Matisc. 2. cap. 17. *De excommunicatione eorum qui alios secum in periurium trahunt, & de infamia consentientium. Ex concilio Matisconensi tempore Guntranni Regis, c. xxi.* ¶ CAP. 26.

22 q. 5. c. si quis conuictus. Si quis conuictus fuerit alios ad falsa testimonia vel periuria attraxisse, aut quacunque corruptione sollicitasse, ipse quidem vsque ad exitum non communicet: Hi verò qui ei in periurio consensisse probantur, postea ab omni testimonio sunt remouendi, & secundùm legem infamiâ notabuntur.

De vindicta eius qui alteri periurium iniustè intentat. Gelasius Rufino & Iusto Episcopis. ¶ CAP. 27.

Honorati & primarij Varulanæ ciuitatis fusis nobis precibus supplicarunt, sicut habetur in subditis. Quibus etiam subscriptionem propriã cõmodarunt, se ab Agnello diacono graui contumeliarum genere fuisse maceratos, vt etiam reos periurij (sicut ipsi dicunt) se asserant inclinatos. Et ideo, fratres charissimi, secundùm * petitorij fidem, supràdicto diacono ad vestrum iudicium imminente Laurentio Romanæ Ecclesiæ Defensore mox deducto, veritatis assertione discussa, si constiterit integritas supplicantium, aut intenta doceat diaconus, aut de eius proteruitate noueritis esse vindicandum, quatenus de tantis excessibus memoratæ improbæ temeritatis exclusus vltio digna comitetur: & qui se conuitiis triuialibus implicauit, sacræ communionis arceat accessibus. * petitoris.

Quòd peior sit homicida qui ab eo iuramentum postulat, quem scit peieraturum. Ex sermo. Aug. in decollatione Ioan. Baptistæ. ¶ CAP. 28. Serm xi. de sanctis cuius initiũ: Propter hunc locum: in calce tom. 10.

Si quis prouocauerit te ad iurationem, vt fortè sic sibi existimet satisfieri posse: si iuraueris de ipsa re quam putat te commisisse ac fecisse, & forsitan non fecisti, ne remaneat in eo mala suspicio, si iuraueris, tu non sic peccas quomodo ille, qui te prouocauit. *Item.* Si ab * alio prouocatus fueris, ab ipsius malo erit quod iuras, non à tuo. *Item.* Ille homo qui alium prouocat ad iurationem, & scit eum falsum esse iuraturum, vincit homicidam: quia homicida corpus occisurus est, ille animã, immo duas animas, & eius quem iurare prouocauit, & suã. Scis verum esse quod dicis, falsum esse quod dicit ille, & iurare cõpellis. Ecce iurat, ecce periurat, ecce perit, tu quid inuenisti? immo quia & tu periisti, qui de illius morte satiari voluisti. Ibidem. * illo. Ibidem.

Cui prodendus sit quem scimus peierasse. August. lib. quæst. in Leuit. ¶ CAP. 29. Quæst. 1. ad c 5. Leuit.

Hoc videtur dicere: peccare hominem, quo audiente iurat aliquis falsum, & scit eum falsum iurare, & tacet. Tunc autem scit, si ei rei de qua iuratur testis fuit, aut videns, aut conscius fuit, id est aliquò modo cognouit, aut oculis suis conspexit, aut ille ipse qui iurat illi indicauit: ita enim potuit esse conscius. Sed inter timorem huius peccati, & timorem proditionis hominũ non parua existit plærunque tentatio. Possumus enim paratum ad periurium admonendo vel prohibendo à tam graui peccato reuocare. Sed si non audierit, & coram nobis de re quam nouimus, falsum iurauerit, vtrùm prodendus, si proditus etiam in periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia hic non expressit, cui hoc indicatum sit, vtrùm illi cui iuratur, an sacerdoti, vel cuipiam qui non solùm eum persequi non potest irrogando supplicium, sed etiã orare pro illo potest. Videtur mihi, quòd se ab hoc soluat peccati vinculo, si indicet talibus, qui magis possint prodesse quàm obesse periuro: siue ad corrigendum eum, siue ad Deum pro eo placandum, si & ipse confessionis adhibeat medicinam. 22 q 5. c. hoc videtur.

Sermo.30.de verbis Apostol. *Quòd homicida est qui cogit alterum scienter falsa periurare serm. August. de non iurando, qui sic incipit: Prima lectio.*

¶ Cap. 30.

22 q 5. c. qui exigit. Qui exigit iurationem, multùm interest si nescit illum iuraturum falsum, an scit. Si enim nescit, & ideo dicit, iura mihi vt fides ei sit, non audeo dicere non esse peccatum, tamen humana tentatio est: si autem scit eum fecisse, nouit fecisse, vidit fecisse, & cogit iurare, homicida est. Ille enim se suo periurio interimit: sed iste manum interficientis & * impressit & pressit. *expressit.

Super quibus rebus iuramentum fieri posit. Actio.i. i. synodi. i. Stephani Papæ, iij.

¶ Cap. 31.

Christophorus Primicerius notariorum, dixit: Allatis sacrosanctis quatuor Euangeliis, & venerabili chrismate, & cæteris Dei mysteriis sacramentum mutuo præbuimus, quòd nullus alius extra Romanam electionem pontificatum egisset, sed eum quem ex communi consilio diuina prouidentia tribuisset ex corpore nostræ sanctæ Ecclesiæ, videlicet de sacerdotibus, cardinalibus, diaconibus, iuxta huius Apostolicæ sedis traditionem, nobis elegerimus antistitem.

De supplicio eius qui per capillum Dei vel barbam iurat. Nouellarum constitutio.lxviij.cap.1.

¶ Cap. 32.

21. q.1. si quis per capillum. Si quis per capillum vel barbam Dei iurauerit, vel alio modo contra Deum blasphemia aliqua vsus fuerit, officio præfecti vrbis vltimo supplicio subijciatur. Si quis autem hominem talem non manifestauerit, non est dubiũ, quod diuina condemnatione similiter coërcebitur.

Cap.63. *Vt vnusquisque ieiunus iuret. Capitularium lib. 1. cap.lx.* ¶ Cap. 33.

22. q.5. cap. honestum. Qui in sanctis habet iurare, hoc ieiunus faciat, & omni honestate & timore Dei.

Serm.30.de verbis Apost. *Quòd periurus est qui per lapidem, falsum iurat. Ex serm. August. de non iurando, qui sic incipit: Prima lectio &c.* ¶ Cap. 34.

Itáne verò quisquis es praui & peruersi cordis, si dicas per Deum, iuras: si dicas, testis est Deus, non iuras? Quid enim est, per Deum, nisi testis est Deus? Aut quid est, testis est Deus, nisi per Deum? Quid autem est iurare, nisi ius Deo reddere, quando per Deum iuras: ius saluti tuæ reddere, quando per salutem tuam iuras: ius filiis tuis reddere, quando per filios tuos iuras? Quod autem ius debemus saluti nostræ, filiis nostris, deo nostro, nisi charitatis, veritatis, & non falsitatis? Maximè autem cùm per Deum fit, ipsa est vera iuratio. Quia & cùm dicit quisque per meam salutem, suam Deo obligat: quando dicit per filios meos, oppignerat filios suos Deo: vt hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius, si verum, verum: si falsum, falsum: Cùm ergo filios suos, vel caput suum, vel salutem suã quisque in iuratione nominans, quicquid nominat obligat Deo, quantò magis quando * iurat per ipsum Deum! *Item.* Ecce dico charitati vestræ, & qui per lapidem falsum iurat, periurus est. Vnde hoc dico? Quia multi & in hoc falluntur, & putant quia nihil est per quod iurant, non se crimine teneri periurij. Prorsus periurus es, quia per id quod sanctum non putas, falsum iuras. Sed ego illud sanctum non puto. Sanctum putat cui iuras. Non enim quando iuras tibi iuras, aut lapidi iuras, sed proximo iuras: homini iuras ante lapidem, sed nunquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem. *Item.* Ream linguam non facit nisi mens rea.

** Peierat habent excusi codices* *Ibid. sub finem.* *22.q.5.cap. ecce dico.* *Ibidem non procul à principio.*

Quòd minus malum est per deos falsos iurare veraciter, quàm per verum Deum iurare fallaciter. Ex epistola August. ad Publicolam. *Epist.154.*

¶ Cap. 35.

22. q.1. cap. mouet. Mouet te, vtrùm eius fide vtendum sit, qui vt eam seruet per dæmonia iurauerit. Vbi te volo prius considerare, vtrum si quispiam per deos falsos iurauerit se fidem seruaturum, & eam nõ seruauerit, nõ tibi videatur bis peccasse. Si enim tali iuratione promissam seruaret fidem, ideo tantùm peccasse iudicaretur, quia per tales deos iurauit. Illud autem nemo reprehendet quia fidem seruauit: nunc verò quia & iurauit per quos non debuit, & contra pollicitam fecit fidem quod non debuit, bis vtique peccauit. Ac per hoc qui vtitur fide illius quem constat iurasse per deos falsos, & vtitur non ad malum, sed ad licitum & bonum, non peccato illius se sociat quo per dæmonia iurauit; sed bono pacto eius quo fidem seruauit. Neque hic eam fidem dico seruari, qua fideles vocãtur, qui baptizantur in Christo. Illa enim longè alia est, longéque discreta à fide humanorum placitorum atque pactorum, veruntamen sine illa dubitatione minus malum est per deos falsos iurare veraciter, quàm per Deum verum fallaciter. Quãtò enim per quod iuratur magis sanctum est, tãtò magis est pœnale periurium. Alia ergo quæstio est, vtrùm non peccet qui per falsos deos sibi iurari fecit: quia ille qui ei iurat falsos deos colit. Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari quæ ipse commemorasti de Laban & Abimelech, si tamen Abimelech per deos suos iurauit, sicut Laban per Deum Nachor. *Genes.26.* *Genes.31.*

Quòd Deus sic iuramentum accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. Isidorus sententiarum lib. ij. cap.xxxi. ¶ Cap. 36.

22 q.1. cap. qui iurat. Quacunque arte verborum quisque iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. Dupliciter autem reus fit, * quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit. Non est obseruandum sacramentum quo malum incautè promittitur: veluti si quispiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quàm permanere in stupri flagitio. ** qui*

Quòd magis Deo placet non seruare iuramentum nociuum, quàm seruare. August. lib. quæst. super Iesu Naue. *Quæst.13. in 9.c. Iosue.*

¶ Cap. 37.

Quæri potest quomodo iurationem seruandam esse crediderint Hebræi Gabaonitis, quibus ita iurauerant tanquam de longinqua terra venientibus, sicut illi mentiti fuerant. Sciebant enim se debellandos, si cognitum esset Hebræis in ea terra eos habitare, quam promissam fuerant retenturi. Mentientibus ergo quòd longinqua terra ad eos venissent, iurauerunt eis Israëlitæ: postea verò quàm cognouerunt eos ibi habitare, vbi omnes quos inuenerant secundùm Dei præceptum debellare oportebat: noluerunt tamen

tamen frangere iurationem. Et licet eos mentitos esse didicissent, parcere maluerunt causâ iurationis, cùm possent vtique dicere se tanquam illis iurasse, quos eos esse crediderant, id est de longinquo venientes. Cùm verò aliud cognouerunt, præceptum domini circa eos implendum erat, vt sicut cæteri expugnarentur. Deus autem hoc approbauit, nec parcentibus * succensuit: quamuis eum non interrogassent quinam illi essent, & ideo eos illi fallere valuissent. Vnde non inopportunè vtique credendi sunt, & si fallere homines pro sua salute voluerunt, non tamen fallaciter Deũ timuisse in populo eius: propterea nec succensuit dominus iurãtibus * aut parcentibus: vt postea Gabaonitas ipsos, tanquam populi sui homines de domo Saul vindicauerit, sicut regnorũ ostendit historia. Et quoniam iuratio sic seruata est, quamuis in hominibus qui mentiti sunt, vt ad clementiam sententia flecteretur, non displicuit Deo. Nam si econtrariò iurassent aliquos se interfecturos, quos Gabaonitas in terra promissionis esse putauissent, & postea didicissent eos esse ab illa terra extraneos, & de longinquo ad se venisse, nullo modo arbitrandum est, quod eos essent debellaturi causâ iurationis implendæ: cùm propter ipsam parcendi clementiam sanctus Dauid etiã post verba quibus se Nabal interfecturum esse iurauerat, vtique sciens quem fuerat interfecturus, parcere maluit, nec in re duriore implere iuramentum, magis Deo placere existimans, si quod irâ perturbatus ad nocendum iurauerat, non fecisset, quàm si perfecisset.

* contradixit.

* atque

2. Reg. 21.

1. Reg 25.

De sacramento Christophori cuiusdam primicerij. Actio iij. synodi 1. stephani Papæ iij.

¶ CAP. 38.

Christophorus primicerius dixit: Quãdo nos absoluit Cõstantinus, ita illi corã omnibus sacramentum præbui dicens: Quia per Deũ omnipotentem fidelis sum & semper ero sanctæ Dei Ecclesiæ, & beato Petro atque Romano Põtifici, & nunquã ego vel filius meus Sergius contra sanctã Romanã Ecclesiã, atq; populũ Romanũ aduersa quoquo modo percogitabo atque pertractabo, & penitus nomen ipsius Constantini nullo modò nominabo: sed * tamen certus sum, quia sacramentum illud habet argumentum, & ideo confessionem vobis facio me deliquisse * pro sacramento.

tantùm

per sacramentum.

Quæ distantia sit inter eum qui verum putat, & falsum iurat: & eum qui falsum scit vel putat, & pro vero iurat. Aug de verb. Apost. ser. xxviij.

¶ CAP. 39.

22. q. 2. cap. Homines.

Homines falsum iurãt, vel cũ fallũt, vel cũ fallũtur: aut enim putat homo verũ esse quod falsũ est & temerè iurat: aut scit vel putat falsum esse, & tamen pro vero iurat, & nihilominus cũ scelere iurat. Distant autem ista periuria quæ duo cõmemoraui: Fac illum iurare qui verũ putat esse pro quo iurat, verũ putat esse, & tamen falsum est. Non ex animo iste periurat, fallitur, hoc pro vero habet, quod falsum est, non pro re falsa sciens iurationem interponit. Da alium, scit falsum esse, & dicit verũ esse, & iurat tanquã verum sit, quod scit falsum esse. Videtis quã ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda? Quis enim hoc * fieri velit? omnes homines talia detestantur. Fac alium, putat falsum esse, & iurat tanquam verum sit, & fortè verrum est. Verbi gratiâ, vt intelligatis: pluit in illo loco, interrogas hominem, & putat pluisse, & ad negotium ipsius cõpetit, vt dicat pluit, sed putat non pluisse. Dicitur ei: Verè pluit? Verè, & iurat, & tamen pluit ibi, sed ille nescit, & putat non pluisse, periurus est. Interest quemadmodum verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit, nisi rea mens.

sibi fieri

Quomodo sacerdotes se sacramento purgare debeant. Smaragdus de pressuris Ecclesiasticis parte 1.

¶ CAP. 40.

Nunc (quod absque iniuria sanctæ Dei Ecclesiæ dicere non possumus) heu intantũ hoc aboletur, vt inordinata etiam accusatione vix locus maneat legitimæ defensionis. Nec approbanda iudicant quæ iniquè obiiciunt, sed tantummodò vindicare quæque illata quærunt. Quod si de defensione apud eos quæritur, omni synodali censura postposita, suis adinuentionibus talem fieri diiudicant, quam accusati implere minimè valeant, vel quæ illos iure officij omnino impediant, vt in sacerdotes Dei liberius sæuiant: quippe cùm secundùm Paulum Apostolum ipsi sibi sint lex, accusatores, iudices & testes non ratione, sed vi ipsi simul existunt. Satisfactionẽ igitur accusati sacerdotis sub iureiurando minimè dicunt valere, nisi plures etiam sacerdotes secum cõpellat iurare. In quibus hæc assumentes in testimonium, quod factum se legisse iactitant in actibus Romanorum pontificum. Nam quod de Damaso, & Sixto, & Symmacho venerabilibus pontificibus inuenitur, eò quòd dum à quibusdam peruersis de criminibus accusarentur, collectis Episcoporum conciliis, synodicè purgati sint. Hæc se his verbis penitus intelligere fatentur, quòd omnes præfati Episcopi cum ipsis pontificibus pro illatis iurassent criminibus: quasi non eos propria tantummodò absolueret satisfactio, nisi hæc etiam prædictorũ confratrum firmaret iuratio. Nobis tamen quod sic intelligendum sit, re vera non patet. Planè enim à prædictis Episcopis præfatos pontifices purgatos accepimus, sed ipsorum suggestione propria tantummodò satisfactione, ipsis etiam fauentibus, eos alienos à criminibus fuisse firmatũ est. Sed si pro alicuius iusti innocẽtia alicui placuit sacramentum præbere charitatis causâ, vt eum vel sic à persequentibus liberaret, omnimodis placet. Verũtamen licet peruersorum infestatione quasi in primitiua Ecclesia hoc fieri potuisset, nullũ tamen exemplum in posterũ relinquidebuit. Quo etenim sancto Concilio, vel cuius Catholici & Apostolici viri decreto sancitũ sit, sacerdotes Dei à criminibus absolui non posse, nisi confratrum satisfactione, penitus ignoramus. Cùm enim sacramenta omnibus interdicta sint christianis, valdè perniciosũ est sacerdotes ad hæc etiam alios cogere, vnde tam se custodire, quàm & illos debuerunt arguere.

Rom. 2.

Omne mendacium cauendum. Gregorius lib. xviij. Moralium cap. ij.

¶ CAP. 41.

Summoperè cauendum est omne mendacium, quamuis nonnunquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, si quisquam vitam præstando mentiatur. Sed quia scriptum est: Os quod mentitur occidit animam: &, Perdes omnes qui loquuntur mendacium, hoc quoque mendacij genus perfecti viri summopere fugiunt, vt ne vita cuiuslibet per eorum fallaciã

Sap. 1.
Psalm. 5.

defendatur, ne suæ animæ noceant, dum præstare carni nituntur alienæ: quãquam hoc ipsum peccati genus facillimè credimus relaxari. Nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quantò magis hæc facilè abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur.

Quòd causâ humilitatis nemo mentiri debeat. Aug. de verb. Apostoli, serm. xxix.

¶ CAP. 42.

22. q. 2. c. cũ humilitatis.

Cùm ergo humilitatis causâ mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod euitaras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, vt etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, vt quod es dicas: nã quomodò est humilitas, vbi regnat falsitas?

Quòd mendacia quæ ioco dicuntur, mendacia non sint. August. lib. quæst. super Genesim, c. cxlv.

¶ CAP. 43.

22. q. 2. cap. quod ait. Genes. 44.

Quòd ait fratribus suis Ioseph, Nesciebatis quia non est in augurio homo qualis ego? de quo augurio etiam mandauit eis dicendum per hominem suum: quid sibi velit quæri solet, an quia non seriò sed ioco dictum est, vt exitus docuit, non est habendum mendacium. Mendacia enim à mendacibus seriò aguntur, non ioco. Cũ autem quæ non sunt tanquam ioco dicuntur, non deputantur mendacia.

Cap. 19 tomo 9.

Vt nullus alium decipiat artificioso seu callido mendacio. August. de conflictu vitiorum atque virtutum. ¶ CAP. 44.

22. q. 2. cap. nec artificioso. Sapient 1. Apoc. 21.

Nec artificioso mendacio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam: quia quolibet modo mentitur quis, os quod mentitur occidit animam & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ignis ardentis, & sulphure.

Cap. 21.

Non esse peccatum in quibusdam rebus errare. Aug. in Enchiridio. ¶ CAP. 45.

22. q. 2. c. in quibus.

In quibus rebus nihil interest ad capessendũ Dei regnũ, vtrùm credantur, an non, & vtrùm vera siue sint siue putentur, an falsa: in his errare, id est, aliud pro alio putare, non est arbitrandum esse peccatum: aut si est, minimum esse atque leuissimum.

Ad versum, Perdes omnes qui loquũtur mẽdacium.

Quid distet inter mentiri, & verum occultare. August. in Psalm. v.

¶ CAP. 46.

22 q. 2. c. ne quis.

Ne quis arbitretur perfectum & spiritualem hominem pro ista temporali vita, in cuius morte non occiditur anima, siue sua siue alterius debere mentiri. Sed quoniam aliud est mentiri, aliud est verum occultare, siquidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere: si quis fortè vel ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere: vt neque prodat neque mentiatur, nec occidat animam suam pro corpore alterius. *Item.* Duo sunt genera mendaciorum in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa: Cùm aut iocamur, aut pro proximo mentimur. Illud primum in iocando ideò non est perniciosum, quia non fallit. Nouit enim ille cui dicitur ioci causâ esse dictum: secundum autem ideo * minus est, quia retinet nonnullam beneuolentiam. Illud verò quod

Ibidem paulò inferius.

** mitius Vitt.*

non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est: tanquam verbi gratiâ, si cui gladius commendetur, & promittat se redditurum cùm ille qui commendauit poposcerit: si fortè gladium suum repetat furens, manifestum est non esse reddendum, ne vel se occidat vel alios, donec ei sanitas restituatur. Hoc ideò non habet duplex cor, quia ille cui commodatus est gladius, cùm promittebat se redditurum poscenti, non cogitabat furentem posse repetere. Manifestum est non esse culpandum aliquando verum tacere, falsum autem dicere non inuenitur concessum sanctis.

Quòd tropica locutio non sit mendacium. August. ad Oceanum. ¶ CAP. 47.

Nullo modo mihi videtur tropicam locutionem rectè dici posse mendaciũ. Non enim mendacium est cùm lætum diem dicimus, quod lætos nos faciat: aut triste lupinum, quod gustantem amaro sapore contristet. Nequaquam ista sunt mendacia.

Descriptio mendacij. Augustinus contra mendacium. ¶ CAP. 48. *Cap 12.*

Mendacium est falsa significatio cum voluntate fallendi. *Item.* Faciat homo etiam pro temporali hominum salute, quod potest. Cùm autẽ ad hunc articulum ventum fuerit, vt tali saluti consulere nisi peccando non possit, iam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse prospexerit, quod rectè non faciat. *Ibidẽ c. 17.*

Omne genus mendacij fugiendum esse. Isidorus in Synonymis, libro primo. *L. 2. c. 10.*

¶ CAP. 49.

Omne genus mendacij summoperè fuge. Nec casu nec studio loquaris falsum, nec vt * præstes mentiri studeas, nec qualibet fallacia vitam alicuius defendas. Caue mendacium in omnibus. *Item.* Nullum iustum mendacium: omne mendacium peccatum. *22. q. 2. c. omne genus. * per testes. orig.*

De eodem. Ioannes in vita patrum.

¶ CAPVT 50.

Cauendum omnibus modis mendacium, siue pro malo siue etiam pro bono proferri videatur: quia omne mendacium non est à Deo, sed sicut Saluator dicit, à malo est. *Matth. 5.*

De distinctione inter falli & mentiri, & voluntatem fallendi & falli. August. in Enchiridio. *Cap. 18.*

¶ CAP. 51.

Nonnulli eò vsque progrediuntur, vt & peierare, & de rebus ad Dei cultum pertinentibus, ac de ipsa Dei natura falsum aliquid dicere, nõnunquam bonũ piũmque opus esse cõtendant. Mihi autem videtur peccatum quidem esse omne mendacium. Sed multùm interesse quo animo, & de quibus rebus quisque mentiatur. Nõ enim sic peccat qui consulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur: aut tantùm verò nocet qui viatorem mentiendo in diuersum iter mittit, quantùm is qui viam vitæ mendacio fallente deprauat. Nemo sanè mentiens iudicandus est qui dicit falsum quod putat verum, quoniam quantùm in ipso est non fallit ipse, sed fallitur. Non itaque mendacij, sed aliquantæ temeritatis arguendus est, quia

falsa incautius credit ac pro veris habet, potiúsque econtrariò quantùm in ipso est, ille mentitur, qui dicit verum quod putat falsum. Quantùm enim ad animum eius attinet, quia non quod sentit hoc dicit, non verum dicit, quamuis verum inueniatur esse quod dicit. Nec vllo modo liber est à mendacio qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. *Item.* In ipsarum consideratione rerum quæ dicuntur, tantùm interest qua in re quisque fallatur siue mentiatur, vt cùm falli quã mentiri minus sit malum, quantùm pertinet ad hominis voluntatem, tamen longè sit tolerabilius in his quæ à religione sunt seiuncta mentiri, quàm in his sine quorum fide vel notitia Deus coli non potest, falli. *Item.* Homo non solùm quando scit ipse quod verum sit, sed etiam quando errat & fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit, siue illud verum sit siue putetur & non sit: omnis autem qui mentitur, contra id quod animo sentit loquitur voluntate fallendi.

Ibidē paulò post.

Ibidē c.22.

Quòd non sufficiat verum loqui, nisi & corde ita sentiatur. August. in Psalmum xiv. ¶ CAP. 52.

Ad versum: Qui loquitur veritatem in corde suo.

Nonnulli habent in labiis veritatem, & in corde non habent. Tanquàm si aliquis dolosè ostendat viam, sciens in ea esse latrones, & dicat: si hac ieris à latronibus tutus eris, & contingat vt verè non ibi inueniantur latrones: verum ille locutus est, sed non in corde suo. Aliud enim putabat, & nesciens verum dixit. Ergo parum est verum loqui, nisi etiam in corde ita sit.

De vtilitate cuiusdam mendacij. Hieronym. super Psalmum viij. ¶ CAP. 53.

Breuitatem promisimus, & necessitate compulsi sumus latius disputare: mentiti sumus, sed mendacium vtilissimum est. Vtinam Herodes mentitus esset & periurasset. Et nos igitur nunc minora promisimus, & orantibus vobis maiora præbuimus.

Matth.14.

Quòd prosit aliquando vera tacere. Greg. in pastorali. lib. iij. ¶ CAP. 54.

Admonitione 12.

Laudandi sunt simplices, quòd studeant numquam falsa dicere: sed admonendi sunt, vt nouerint nonnũquam vera reticere. Sicut enim semper dicentem falsitas læsit, ita nonnũquam quibusdam audita vera nocuerunt. Vnde coram discipulis Dominus locutionem suam silentio temperans ait, Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis illa portare.

Ioan.16.

De eodem. Augustinus de conflictu vitiorum atque virtutum. c. xx. ¶ CAP. 55.

Cap.22.

Modus tenendus est in loquendo, & ab ipsis nonnũquam vtilibus verbis parcendum, sicut Psalmista dicit: Humiliatus sum & silui à bonis.

Psal 38.

Quòd nonnumquam in hac vita error necessarius est. August. in enchiridio. ¶ CAP. 56.

Cap.17.

Diligentius considerata veritate, cùm aliud nihil sit errare quàm verũ putare quod falsum est, falsum quod verũ est: vel certũ habere pro incerto, incertũ verò pro certo, siue falsum siue sit verũ: idque tã sit in animo deforme atque indecens, quã pulchrum atque decorum esse sentimus vel in loquendo, vel in assentiẽdo est est, non non: profectò ob hoc ipsum est vita ista misera qua viuimus, quod ei nonnunquam vt non amittatur, error est necessarius.

Quòd verum tacere aliquando sit vtile. August. super epistolam ad Galatas. ¶ CAP. 57. *In cap. 2.*

Falsum dicere nihil licet, aliquando autem aliquid veri tacere vtile est.

Quòd ad memorias martyrum periuri sæpe à dæmonio corripiantur. Ex concilio Meldensi, c. x. ¶ CAP. 58.

Vt multiplex iuramentorum & periuriorum confusio, per quam multorum fidelium animæ in toto hoc regno perditæ esse noscuntur, quàm sit detestanda & Deo odibilis, attentius omnibus annuncietur. Tantum nãque hoc malũ est, vt ad sanctuaria martyrum vbi diuersorum ægritudines sanantur, ibi periuri, licet manifestè, interdum vexari non videantur, iusto Dei iudicio à dæmonibus arripiantur. Et sicut sanctus Gregorius dicit, ad horũ corpora ægri veniunt & curantur, periuri veniunt & à dæmonio vexantur.

De illis qui nomen Dei in vanum sumunt. Ex dict. Hieron. ¶ CAP. 59.

Habemus in lege Domini scriptum, Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui: &, ne assumas nomen Dei tui in vanum. Ideo admonendi sunt omnes, vt diligenter caueant periurium, non solùm in altari seu sanctorũ reliquiis, sed & in communi loquela. *Item.* Cauendum est, ne aliquis plus aurum honoret quàm altare, * cùm Dominus dicat: Stulte quid maius est, aurum, an altare quod sanctificat aurum?

22 q. 1 c habemus. *Leuit.19.*

** ne ei vict.* *Matth.23.*

De illis qui per cupiditatem periurium fecerint. Ex pœnitentiali Romano. ¶ CAP. 60.

Si quis per cupiditatem periurauerit, omnes res suas vendat & pauperibus distribuat, & monasterium ingressus iugi pœnitentiæ se subdat.

De illis qui iubentibus dominis suis periurium fecerint. Ex decret. Pij Papæ, cap. ij. ¶ CAP. 61. *In fragm.*

Qui compulsus à domino periurat se sciens, vtrique sunt periuri & dominus & miles: Dominus, quia præcepit: miles, quia plus dominũ quã animam dilexit, si liber est, quadraginta dies in pane & aqua pœniteat, & septem sequentes annos. Si seruus est, tres quadragesimas & legitimas ferias pœniteat.

22. q. 5. c qui compulsus.

De illis qui periurant se in manu episcopi, aut in cruce consecrata, aut non consecrata. Ex pœnitent. Theodori. ¶ CAP. 62.

Qui periurat se in manu episcopi, aut in cruce consecrata, tres annos pœniteat. Si verò in cruce non consecrata, vnum annum pœniteat. Qui autem seductus fuerit & ignorans se periurauerit, & postea cognoscit, tres quadragesimas pœniteat.

22. q. 5. c qui periurat.

De illis qui pro vita redimenda periurium fecerint. Ex pœnitentiali Romano. ¶ CAP. 63.

Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa vel necessitate se periurat, quia plus corpus quàm animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat. Alij iudicant tres annos, vnum ex his in pane & aqua.

22. q. 5 c Si quis coactus.

Conc. Tolet. 8. c. 2.

De illis qui iniusta vota iuramento firmauerint. Ex Concilio Toletano.

¶ CAP. 64.

21. q. 5. c. necesse. Exod. 20. Leuit. 19.

Necesse est enim vt malè iurans dignam pœnitentiam agat, eò quòd nomen domini contra præceptum illius sumpsit in vanum. Quia in Exodo scriptum est: Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà. Et in Leuitico: Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui, ego Dominus. Malum tamen quod facturum se sacramento deuouerat, omnino non faciat, quia stulta vota frangenda sunt.

In fragm.

De non recipiendo in testimonium periuro. Ex decretis Fabiani Papæ. c. xi. ¶ CAP. 65.

Quicunque sciens se periurauerit quadraginta dies in pane & aqua, & septem annos sequentes pœniteat, & nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur: & post hæc communionem percipiat.

De pœnitentia eius qui in periurium alios secum pertraxerit. Ex decret. Pelagij Papæ, c. xii.

¶ CAP. 66.

22. q. 5. Si quis.

Si quis se periurauerit, & alios sciens in periurium duxerit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pœniteat, & nũquam sit sine pœnitentia. Et alij si cõscij fuerint similiter pœniteat: Sin autẽ, singuli vt periurium non sponte commissum, pœniteant.

Isido. lib. 2. de summo bono. c. 31.

Quòd grauiter delinquunt qui sibi loquentes iurare compellunt, & quid sit iurare Dei. Isidorus.

¶ CAP. 67.

Sicut mentiri non potest, qui non loquitur, sic periurare non poterit, qui iurare non appetit. Cauendum igitur est iuramentum, nec eo vtendum nisi in sola necessitate. Non est contra Dei præceptum iurare, sed dum vsum iurandi facimus, periurij crimen incurrimus. Nũquam ergo iuret qui periurare timet. Multi dum loquuntur iurare semper delectantur, dum oporteat hoc tantùm esse in ore est est, non non: amplius enim quàm est & non est, à malo est. Multi vt fallant periurant, vt per fidem sacramenti fidẽ faciant verborum: si que fallendo dum periurant & mentiuntur, hominem incautum decipiũt. Interdum & falsis lachrymis seducti decipimur, & creditur dum plorant, quibus credendũ non erat. Plærumque sine iuramento loqui disponimus, sed incredulitate eorum qui non credunt quod dicimus, iurare compellimur, talique necessitate, iurandi consuetudinem facimus. Sunt multi ad credendum pigri, qui non mouentur ad fidem verbi. Grauiter autem delinquunt qui sibi loquentes iurare cogunt. Quacunque arte verborum quisque iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. Dupliciter autem reus erit, * quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit. Non est conseruandum sacramentũ, quo malum incautè promittitur: veluti si quispiam adulteræ perpetuò cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quàm permanere in stupri flagitio. Iurare Dei, est illa prouidentia quæ statuit non euellere statuta. Pœnitentia autem Dei, rerum mutatio est. Non pœnitere autem, statuta non reuocare: vt est illud, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, id est, quæ iurauit non mutabit.

Matth. 5.

* qui orig. & Vict.

Psalm. 109.

De illis qui se scientes periurauerint. Ex pœnitentiali Theodori. ¶ CAP. 68.

Si quis suspicatur quod ad periurium inducatur, & tamen ex consensu iurat, quadraginta dies pœniteat, & septem sequentes annos, & numquam sit sine graui pœnitentia.

Quòd vnusquisque ieiunus iurare debeat. Ex decret. Cornelij papæ, cap. v. ¶ CAP. 69.

22. q 5. c honestum.

Sed & nobis honestum etiam & iustum videtur, vt qui in sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honestate & timore Dei: & vt pueri ante quatuordecim annos non cogantur iurare.

De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, cap. x.

¶ CAP. 70.

Et hoc sancta synodus decreuit, nisi pro pace facienda, vt omnes fideles ieiuni ad sacramenta accedant.

Qualem pœnitentiam periuri accipere debeant. Ex decretis Eutychiani papæ, cap. xxvi. ¶ CAP. 71.

22. q. 1. cap. prædicãdũ.

Prædicandum etiam, vt periurium fideles caueant, & ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse, & in lege & prophetis & in euangelio prohibitum. Audiuimus autem quosdam paruipendere hoc scelus, & leuem quodammodò periuris pœnitentiæ modum imponere. Qui etiam nosse debent talem de periurio pœnitentiam imponere debere, qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio sponte commisso, & de cæteris criminalibus vitiis. Si quis verò perpetrato periurio, aut quolibet perpetrato criminali peccato timens pœnitentiam longam ad confessionem venire noluerit, ab ecclesia repellendus est, siue à communione & consortio fidelium, vt nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in sua domo eum recipiat.

In fragm.

De illis qui per capillum Dei aut caput iurant, vel alio modo blasphemia contra Deum immortalem vtuntur. Ex decret. Pij papæ, cap. 5. ¶ CAP. 72.

22 q. 1. c. Si quis per capillum.

Si quis per capillum Dei, vel * per caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit: si est ex ecclesiastico ordine, deponatur: si laicus, anathematizetur. Et si quis per creaturas iurauerit acerrimè castigetur, & iuxta id quod synodus diiudicauerit, pœniteat. Si quis talem hominem non manifestauerit, non est dubium quòd diuina condemnatione similiter coërceatur. Et si episcopus ista emendare neglexerit *, à synodo corripiatur.

* al. acerrimè.

De iuramento Herodis. Ex dictis Hieronymi.

¶ CAP. 73.

in cap. 14. Matth.

Cum iuramento pollicitus est Herodes saltatrici dare quodcunque postulasset ab eo. Si ob iusiurandum fecisse se dicit, si patris matrisque interitum postulasset, facturus erat, an non? Quod in suis ergo repudiaturus fuit, contemnere debuit & in Propheta.

De illis qui odium sempiternum inter se iuramento firmauerint. Ex conc. Ilerdensi, cap. vij.

¶ Cap. 74.

22 q. 4 c. qui sacram.

Qui sacramento se obligauerit, vt litiget cum quolibet, nec ad pacem vllo modo redeat, pro periurio vno anno à corpore & sanguine domini segregetur, & reatum suum ieiuniis & eleemosynis absoluat. Ad charitatem verò quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter redeat.

De illis qui incautè iurauerint. Ex decretis Soteris Papæ cap. iij. ¶ Cap. 75.

22. q. 4. c. si aliquid.

Si aliquid fortè incautius nos iurasse contigerit quod obseruatum peiorem vergat in exitum, illud concilio salubriori mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate periurandum nobis, quàm * pro vitando periurio in aliud crimen maius esse diuertendum.

** perfecto vel pro facto iuramẽto. orig.*

De his qui fidelitatem dominis suis iurant. Ex epistola Fulberti Episcopi.

¶ Cap. 76.

Epist. 85. ad Guillelmũ Aquitaniæ Ducem. 22. q 5. c. de forma fidelitatis.

De forma fidelitatis aliquid scribere monitus, hæc vobis quæ sequuntur breuiter ex librorum authoritate notaui. Qui domino suo fidelitatem iurat, ista sex semper in memoria habere debet: incolume, tutum, honestum, vtile, facile, possibile. Incolume videlicet, ne sit in damnum domino de corpore suo. Tutum, ne sit ei in damnum de secreto suo, vel de munitionibus per quas tutus esse potest. Honestum, ne sit ei in dãnum de sua iustitia, vel de aliis causis quæ ad honestatem eius pertinere videntur. Vtile, ne sit ei in damnum de suis possessionibus. Facile vel possibile, ne id bonum quod dominus suus leuiter facere poterat faciat ei difficile, neue id quod possibile erat, reddat ei impossibile. Vt fidelis hæc nocumenta caueat iustum est, sed non ideo * cassamentum meretur. Non enim sufficit abstinere à malo, nisi fiat quod bonum est. Restat ergo vt in eisdem sex supradictis consilium & auxilium domino suo fideliter præstet, si beneficio dignus videri vult, & saluus esse de fidelitate quam iurauit. Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet. Quod si non fecerit, meritò censebitur malefidus: sicut ille, si in eorum præuaricatione vel faciendo vel consentiendo deprehensus fuerit periurus & perfidus.

** causamentum. Psal. 33. & 36.*

Qualiter sacerdotes iurare debeant. Epist. Cornelij Papæ, cap. iij. ¶ Cap. 77.

Epist. 2.

Cornelius Episcopus Rufo coëpiscopo in domino salutem. Exigit dilectio tua, frater charissime, vt ex authoritate sedis Apostolicæ tuis deberemus consultis respondere. Quod licet non prolixè sed succinctè agere festinaremus propter quasdam importunitates, quæ nostris præpedientibus peccatis in nos superuenere, tuis tamen per reliqua sanctorum patrum instituta studiis perquirere latius & inuestigare committimus. Non enim potest mens attrita, & oneribus atque importunitatibus grauata, tantum boni peragere, quantum delectata & oppressionibus soluta. Non ergo ista ob id prætulimus, vt hæc & alia quæ necessaria fore cognouerimus, tuæ sanctitati velimus denegare: sed, quod hic minus inuenitur, latius perquiratur. Sacramentum autem hactenus a summis sacerdotibus vel reliquis Dei ministris exigi, nisi pro fide recta, minimè cognouimus, nec * sponte eos iurasse comperimus. Summoperè ergo sanctus Iacobus Apostolus prohibens sacramentum loquitur dicens: Ante omnia, fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque par terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester, est est, non non, vt non sub iudicium decidatis. Et dominus in Euangelio ait: audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis, reddes autem domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est: neque per Hierosolymam, quia ciuitas magni regis est: neque per caput tuum, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non non. Quod autem his abundantius est, à malo est, id est ab exigente, & à iurante. Hæc, frater charissime, ipse dominus * prohibet, id est, non iurare debere. Hæc Apostoli maximè omnes, hæc sancti viri prædecessores nostri qui huic sanctæ vniuersali Apostolicæ Ecclesiæ præfuerunt, hæc Prophetæ, & reliqui sancti doctores per vniuersum mundum dispersi ad prædicandum iuramenta fieri vetant. Quorum nos exempla si cœperimus enumerare, aut in schedula hac inserere, antè deficiet hora diei, quàm eorum exempla de hac causa exhibita. Quæ nos sequentes sanctorum Apostolorum eorúmque successorum iura firmamus, & sacramenta incauta fieri prohibemus. Vnde & ipse Dominus in tabulis lapideis quas Moysi dedit, propria manu scripsit dicens: Vide ne assumas nomen Dei tui in vanum, & reliqua. Vnusquisque enim propriam cõscientiam mundam debet seruare Deo, & in memoria retinere, Os quod mentitur occidit animam. Et Apostolus ait, Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra: & alibi, Nolite mentiri inuicem. Hæc præcepta sunt Saluatoris, hæc prophetarum, hęc sanctorum patrum instituta, quæ si quis in vanum duxerit, hostis est animæ suæ, quia nemo contra Prophetas, nemo contra Apostolum, nemo contra Euangelium facit aliquid absque periculo.

** spontaneos. orig. Iacob 5. Matth 5. * perhibet. Vict. Exod. 20. Sap. 1. Ephes 4. Colloss. 3.*

De illis qui sacramentum regis violant. Ex dictis beati August. ¶ Cap. 78.

22 q. 5. c si quis laicus.

Si quis laicus iuramentum violando prophanat, quod regi & domino suo iurat, & postmodum peruersè eius regnum & dolosè tractauerit, & in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatur, quia sacrilegium peragit, manum suam in Christum domini mittens, anathema sit, nisi per dignam satisfactionem pœnitentiæ emendauerit, sicuti constitutum à sancta Synodo est, id est seculum relinquat, arma deponat, in monasterium eat, & pœniteat omnibus diebus vitæ suæ. Verumtamen communionem in exitu vitæ cum Eucharistia accipiat. Episcopus verò, presbyter, vel diaconus si hoc crimen perpetrauerit, degradetur.

De illo qui audierit vocem periurantis, & assensum præbet. Leuit. cap. v. ¶ Cap. 79.

Anima quæ peccauerit, & audierit vocem periurantis, & testis fuerit, quod aut ipse vidit aut conscius est: nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.

In fragm. *Quòd definitio incauta soluenda sit, sed temeritas corrigenda. Ex conc. Eliberitano c. j.*

¶ CAP. 80.

22 q 4. cap. definitio. * dissoluitur. *Ibidem.*

Definitio incauta laudabiliter * soluenda, nec preuaricatio est, sed temeritatis emendatio.

De eadem re. Ex eodem concilio c. ij.

¶ CAP. 81.

Si puella sita in puerili ætate in domo patris, illo nesciente se iuramento constrinxerit, & si pater statim vt audierit contradixerit, vota eius & iuramenta irrita erunt, & facilius emendabitur.

De eadem re. Ex concilio Aurelianensi cap. ij.

¶ CAP. 82.

Iuramentum filij & filiæ nesciente patre, & vota monachi nesciente abbate, & iuramenta pueri irrita sunt.

Omnibus modis cauendum esse mendacium. Gregorius dicit. ¶ CAP. 83.

Noli fili negare gratiam Dei, ne incurras pro bono in malum, pro humilitate in mendacium. Cauendum namque est omnibus modis mendacium, siue pro malo, siue etiam pro bono proferri videatur: quia omne mendacium non est ex Deo, sed sicut saluator dicit, à malo est. *Ioan. 8.*

Item de iuramento seruando vel non seruando. Ex concilio Toletano viij. cap. ij.

¶ CAP. 84.

Etenim dum periurare compellimur, creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodò maculamus: Cùm verò noxia promissa complemus, & Dei iussa superbè contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipsos crudeliore mortis gladio trucidamus. Illic enim duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter iugulamur. Restat ergo vt eò nostra pergat sententia, quò misericordiæ patuerit via. Quæ ita domino probatur accepta, vt plus eã cupiat quàm sacrificia veneranda, dicente ipso: Misericordiam volo & non sacrificium. Hac indulgentiæ concessa licentia, miserationis ipsius opus in gloriosi Principis potestatem redigimus, vt quia Deus illi miserendi aditum patefecit, remedia pietatis ipse quoque non deneget. Quę ita principali discretione moderata persistant, vt & illis ita sit misericordia contributa, vt & nusquam gens aut patria per eosdem aut periculum quodcumque perferat, aut iacturam. Hæc miserationis obtentu temperasse sufficiat. Cæterùm iuramenta pro regiæ potestatis salute, vel constitutione gentis & patriæ, quæ hactenus sunt exacta, vel deinceps extiterint exigenda, omni custodia omníque vigilantia indissolubiliter decernimus obseruanda, membrorũ truncatione mortísque sententia religione penitus absoluta. Sed ne prauarum mentium versuta nequitia nosmetipsos ad periurij aliquando prouocet culpam, nec à sanctæ fidei regula hanc asserat venire sententiam, tam diuinæ authoritatis oracula quàm præcedentium patrum huic narrationi curauimus innectẽda. Sic enim per Hieremiam dicit: Repente loquar aduersùs gentem & aduersùs regnum, vt eradicem & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersùs eam, agã & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei. Et per Ezechielem: Si dixero, inquit, iusto, quòd vita viuat, & * confisus iniustitia sua fecerit iniquitatem; omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate suã quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio, morieris, & egerit pœnitentiam, vita viuet & non morietur. Si ergo nostra conuersio sic diuinam mutat sententiam, cur miserorum tantæ lachrymæ vel pressuræ tam crudam non temperent ex miseratione vindictam?

Osee 6. Matth. 9. Ibid. paulò post. Hier. 18. Ezech. 33. * cõuersus à iustitia.

De his qui contra Episcopos suos conspirauerint. Ex epist. Calixti Papæ, ad omnes Galliæ Episcopos. *Epist. 2.*

¶ CAP. 85.

Conspirationum verò crimina vestris in partibus vigere audiuimus, & plebes contra Episcopos suos conspirare nobis mandatum est. Cuius criminis astutia, non solùm inter Christianos abominabilis est, sed etiam inter ethnicos, & ab exteris lege prohibita. Et idcirco huius criminis reos, non solùm Ecclesiasticæ, sed etiam seculi damnant leges, & non solùm conspirantes, sed & consentientes eis. Antecessores verò nostri cum plurima turba Episcoporum quicumque eorum in sacerdotali ordine sint constituti, aut existunt clerici, honore quo vtuntur carere preceperunt: cæteros verò communione priuari, & ab Ecclesia extorres fieri iusserunt: & non solùm facientes, sed & eis consentientes. *11. q. 1 c. conspirationis.*

*De eadem re. Ex concilio * Tongrensi cap. v.* * *al.* Gangrensi.

¶ CAP. 86.

Quisquis per dolum mittit manum suam in Christum domini, Episcopum videlicet, patrem & pastorem suum, quia sacrilegium graue committit: & qui Ecclesiam Dei deuastat & incendit, quia & hoc sacrilegium est, placuit sanctæ Synodo, vt in vno loco, id est, in monasterio pœniteat omnibus diebus vitæ suæ. *24. q. 3. cap. quisquis.*

De clericis vel monachis coniurantibus vel conspirantibus contra Episcopum suum. Ex concilio Chalcedonensi, c. xviij.

¶ CAP. 87.

Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint coniurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis aut * clericis, gradu proprio penitus abiiciantur. *11. q. 1. c. si qui clerici.*

De eadem re. Ex concilio Toletano, cap. viij.

¶ CAP. 88.

Igitur si clerici aut monachi inuenti fuerint * coniurati, aut per coniurationem calumniam machinantes episcopis vel clericis, proprium amittant gradum. *Conc. Tol. 10. c. 2. 11 q. 1. c. si clerici.* * conspirantes.



D.

IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI

DECRETI PARS DECIMATERTIA.

DE RAPTORIBVS, DE FVRIBVS, De Vſurarijs & fœneratoribus: de Venatoribus: de maledicis & contentioſis: de comeſſationibus & ebrietatibus: de furioſis: de Iudæis: & eorum correctione.

DE PERVASORIBVS RERVM ALIENARVM, & pœna eorum. Ioannes Papa Zachariæ Archiepiſcopo.

¶ CAPVT PRIMVM.



ST in antiquis Eccleſiæ ſtatutis decretum vt qui aliena inuadit non exeat impunitus, ſed cum multiplicatione omnia reſtituat. Vnde & in Euangelio ſcriptum eſt, Quod ſi
Luca 19. aliquid defraudaui reddo quadruplum: & in legibus ſeculi cautum habetur, Qui rem ſurripit alienam, illi cuius res direpta eſt, in vndecuplũ quæ ſublata ſunt reſtituat. Et in lege diuina le-
Deut. 27. gitur, Maledictus omnis qui transfert terminos proximi ſui, & dicet omnis populus, Amen. Talia ergo non præſumantur abſque vltione, nec exerceantur abſque damnatione.

Quæst. 39. ad cap. 11. Exod.

Quòd filij Iſrael non fecerint furtum ſpoliando Ægyptios. Auguſt. lib. quæſt. Exodi.

¶ CAP. 2.

14 q. 5. c. dixit dominus. Exod. 11.

Dixit dominus ad Moyſen, Petat vir à proximo, & mulier à proxima vaſa aurea & argentea, & veſtem. Non hinc quiſquam ſumendum exẽplum putare debet ad expoliandum iſto modo proximum: hoc enim Deus iuſſit, qui nouerat quid quemque pati oporteret, nec Iſraëlitæ furtum fecerunt, ſed Deo iubente miniſterium prębuerunt. Quemadmodum cùm miniſter iudicis occidit eum quem iudex iuſſit occidi, profectò ſi id ſpontè faciat homicida eſt, etiam ſi eum occidat quem ſcit à iudice debuiſſe occidi.

Quid interſit inter furtum & rapinam. Ibidem.

¶ CAP. 3.

Pœnale eſt occultè auferre, multò maioris pœnæ eſt viſibiliter eripere. Auferre ergo nolenti ſiue occultè ſiue palam habet præceptum ſuum. Furti enim nomine benè intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ: non enim rapinam permiſit qui furtum prohibuit, ſed vtique ſub furti nomine in lege veteris teſtamenti & rapinam intelligi voluit. A parte enim totum ſignificauit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur.

14 q. 5. cap. pœnale. Auguſt qu. 71 li q. 20. ſuper cap. Exod.

Quòd non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Auguſt. in epiſtola ad Armentarium & Paulinam.

Epiſt 54 ad Macedoniũ

¶ CAP. 4.

Si res aliena propter quam peccatum eſt, cũ reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum niſi reſtituatur ablatum: ſed (vt dixi) cùm reſtitui poteſt. Plerumque enim qui aufert amittit, ſiue alios patiendo malos, ſiue ipſe malè viuendo, nec aliud habet vnde reſtituat. Huic certè non poſſumus dicere, redde quod abſtuliſti, niſi cùm habere credimus & negare. Vbi quidem ſi aliquos ſuſtinet cruciatus repente, dum exiſtimatur habere quod reddat,

14 q. 6. cap. Si res.

* reddat, legit Gratia.

nulla est iniquitas. Quia & si non est vnde * luat ablatam pecuniam, tamen dum eam per molestias corporales reddere compellitur, peccati quo male ablata est, pœnas luit. Sed inhumanum non est etiam pro talibus intercedere, non ad hoc vt minimè restituantur aliena, sed ne frustra homo in hominem sæuiat.

Cap 4. ad interrogationes. Augustini.

Quod non sint ab Ecclesia recipienda furta cum aliquo auctario. Ex dictis Gregorij.

¶ Cap. 5.

Sunt quidam qui habentes subsidia furtum perpetrant, & sunt alij qui in hac re ex inopia delinquunt. Vnde necesse est, vt quidam damnis, quidã verberibus, quidã districtius, quidã verò leuius corrigantur. Sed absit vt Ecclesia cum argumento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra de vanis quærat.

Quod fures per septem bonæ fidei homines conuinci possunt. Ex libro Capitularium.

¶ Cap. 6.

De furibus & malefactoribus decreuimus obseruari, vt si quinque aut septem bonæ fidei homines absque inimicitia præposita criminosum, cum sacramenti interpositione, esse dixerint, sicut contra legem fecit, sic secundùm legem iudicetur.

Synod Rom. sub Eugen. 2. c. 11.

Ne sacerdos fœnus vel rusticum ministerium exerceat. Ex Synodo Eugenij Papæ, cap. ij.

¶ Cap. 7.

Sacerdos fœnoris aliquid, aut rustica ministeria non exerceat, quem sine ornatu sacerdotali extra domos apparere non conuenit.

Vt clericus fœnerator deponatur. Ex Nicano concilio j. cap. xvij. ¶ Cap. 8.

dist. 47. & 14. q. 4. cap. quoniam multi.

Si quis inuentus fuerit vsuras accipiens, aut ex adinuentione aliqua vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia & sescupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratiâ, deiiciatur à clero, & alienus existat à regula.

Ne clericus amplius recipiat quàm mutuo dedit. Ex concilio iij. Carthaginensi, cap. xvi.

¶ Cap. 9.

14. q. 4. cap. nullus clericorum.

Nullus clericorum amplius recipiat quàm accommodauerit, si pecuniam, pecuniam: si speciem, speciem eandem, quantam dederit, accipiat.

Vt ministri fœneratores à communione abstineant. Ex concilio j. Arelatensi, cap. xij.

¶ Cap. 10.

14. q. 4. cap. ministri.

De ministris qui fœnerantur, placuit eos, iuxta formam diuinitus datam, abstinere à communione.

Vt clericus fœnerator seu negociator à communione suspendatur. Ex secundo concilio Arelatensi.

¶ Cap. 11.

Cap. 14. ex 18 c. Nicenæ Synodi.

Si quis clericus pecuniam dederit ad vsuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratiâ genus aliquod negociationis exercuerit, depositus à clero à communione alienus fiat.

De eodem. Ex concilio Eliberita. cap. xx.

¶ Cap. 12.

dist 47. c. si quis clericorum.

Si quis clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit eum degradari & abstinere.

Item de eodem. Ex concilio Tarraconensi. Cap. 2.

¶ Cap. 13.

14 q 4. c. canonum statutis.

Quicunque in clero esse voluerit, emendi vilius vel vendendi carius studio non vtatur. Certè si voluerit hæc exercere, cohibeatur à clero.

De eadem re. Ibidem c. iij. ¶ Cap. 14.

14 q 4 c si quis cleric.

Si quis clericus in necessitate solidum præstiterit, hoc de vino vel de frumento accipiat, quod mercãdi causâ tempore statuto decretum fuerit vænundari. Cæterum si speciem non habuerit necessarium, ipsum quod dedit sine vllo augmento recipiat.

De eadem re. Ex Cano. Apostolorum, cap xliv.

¶ Cap. 15.

dist. 47 c. Episcopus.

Episcopus, aut presbyter, aut diaconus vsuras à debitoribus exigens, aut desinat, aut certè damnetur, & à communione priuetur.

Vt qui aliquid habet de malo faciat inde bonum Augustinus de verbis domini, tract. xxxv.

Serm 35. de verbis domini.

¶ Cap. 16.

14. q. 5. cap. nolite. Ibidem aliquantò post. 14 q 5. c. qui habetis.

Nolite velle eleemosynas facere de fœnore & vsuris. *Item.* Qui habetis aliquid de malo, facite inde bonum: qui non habetis de malo nolite acquirere de malo. Esto bonus tu qui bonum facis de malo, & cùm cœperis aliquid boni facere de malo, noli remanere tu malus. Nũmi tui conuertuntur in bonum, & tu remanes malus?

Quod fœnerator est omnis, qui plus acceperit quàm dederit. Augustinus in Psalm. xxxvi.

Aduersum, Tota die miseretur.

¶ Cap. 17.

14. q. 3. c. Si fœneraueris.

Si fœneraueris homini, id est si mutuum dederis pecuniam tuam, à quo plusquàm dedisti expectes, nõ pecuniam solàm, sed aliquid plusquàm dedisti, siue illud triticum sit, siue oleum, siue vinum, siue quodlibet aliud: si plus quàm dedisti expectes accipere, fœnerator es, & ob hoc improbandus, non laudandus.

De eodem. Hieronymus super Ezechielem, lib. vi. In c. 18.

¶ Cap. 18.

14. q. 3. c. Putant.

Putant quidem vsuram tantùm esse in pecunia: quod præuidens diuina scriptura, omnis rei aufert superabundantiam, vt plus non recipias quàm dedisti. *Item.* Alij pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diuersi generis: & non intelligunt vsuram appellari & superabũdantiam, quicquid illud est, si ab eo, * quod dederint plus reacceperint.

Aliquantò post.

* cui

De his qui vsuras de vsuris exigunt. Codicum lib. ij. cap. xxiij. ¶ Cap. 19.

Improbum fœnus exercentibus, & vsuras vsurarum illicitè exigentibus, infamiæ macula irroganda est.

De eodem. Item Capitul. lib. c. xxv.

¶ Cap. 20.

Nullo modo vsuræ vsurarum à debitoribus exigantur. *Item.* Diffinimus nullo modo licere cuiquam vsuras præteriti vel futuri tem-

poris in sortem redigere, & earum iterum vsuras stipulare.

L.1.c.131.

De differentia inter turpe lucrum & negocium. Ibidem. ¶ CAP. 21.

14 q.4. cap. quicunque. Quicumque tempore vindemiæ, vel tempore messis non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam, aut vinum. Verbi gratiâ de duobus denariis comparat modium vnum, & seruat dum vænundare possit denariis quatuor, aut sex aut amplius: hoc turpe lucrum dicimus. Si hoc propter necessitatem comparat, vt sibi habeat & aliis tribuat, negotium dicimus.

Locutionum de Deut. lib. 5. locuti. 39.

Quid sit fœneratio. August. li. locutionum, c. xxxix. ¶ CAP. 22.

Fœnerationem scriptura dicit mutuo datam pecuniam, etiamsi vsuræ non accipiantur.

Deut. 15. Sed pro quo nunc legimus: Mutuum dabis.

De eodem. Ibidem cap. xlii. ¶ CAP. 23.

Fœnus fœnerabis fratri tuo quantumcunque postulat, & quantum eget. Hic certè cùm opera misericordiæ præcipiat, vtique vsurarum crudelitas suscipienda non est.

In c 3. priorū epist. ad Timot.

Quod sit turpe lucrum. Ambrosius super epistolam ad Timotheum. ¶ CAP. 24.

Turpia lucra dicit Apostolus esse, si sub pia professione quæstibus studeatur. Turpis enim deprehenditur, cùm se purum ostentat.

Epist 92. c. 9. De pœnit. dist 1. c qualitas lucri.

Quod difficile est inter vendentem & ementem non esse peccatum. Leo Rustico Narbonensi Episcopo. ¶ CAP. 25.

Qualitas lucri negociantem aut * excusat, aut arguit: quia est & honestus quæstus, & turpis. Verùm tamen pœnitenti vtilius est dispendia pati, quàm periculis negotiationis obstringi: quia difficile est inter vendentis & ementis commercium non interuenire peccatum.

* honestat.

Cap. 6.

De his qui fruges suo labore sibi natas in cara tempora reseruant. Ambr. de officiis lib. iii. ¶ CAP. 26.

Prou 11. Sanctus Dauid negat se in negociationem introisse, quia pretiorum captare incrementa non simplicitatis, sed versutiæ est. Et alius ait, Captans pretia frumenti maledictus in plebe est. Diffinita est sententia, nihil disputationi relinquens: * quale controuersiarum genus solet dicendi esse, cùm alius alleget agriculturam laudabilem apud omnes haberi, fructus terræ simplices esse triplos, plus qui seminauerit eum probatiorem fore, vberiores reditus industriæ non fraudari, negligentiam magis & incuriam ruris inculti reprehendi solere. Araui, inquit, studiosius, vberius seminaui, diligentius excolui * bono collegi prouentu, * sollicitè recondi, di, seruaui fideliter, prouidè custodiui: nunc in tempore famis vendo, subuenio esurientibus, vendo frumentum non alienum, sed meum, non pluris quàm cæteri, imò etiam minori pretio. Quid hîc fraudis est, cùm multi etiam possent periclitari si non haberent quod emerent? Num industria in crimen vocatur? Num diligentia reprehenditur? Num prouidentia vituperatur? Fortasse dicat: Et Ioseph in abundantia frumentum collegit, in * caritate vendidit. Num carius aliquis emere compellitur? Num vis adhibetur

* sed hoc controuersiæ genus.

* bonos collegi prouentus.
* sollicitus.

Genes 41.
* raritate.

emptori? Omnibus defertur emendi copia, nulli irrogatur iniuria. His ergo quantùm cuiusque fert ingenium disputatis, exurgit alius dicens: Bona quidem est agricultura, quæ fructus ministrat omnibus, quæ simplici industria accumulat terrarum fœcunditatē, nihil doli, nihil fraudis interserens. Si benè aliquis seminauit, melius metet. Fœcunda est terra, multiplicatum reddit quod accipit: fidelis est ager, fœneratos solet restituere prouentus. De reditibus igitur vberis glebæ expectare debes tui mercedem laboris, de fertilitate pinguis soli iusta sperare cōpendia. Cur ad fraudem conuertis naturæ industriam? cur inuides vsibus hominum publicos partus? cur populi minùs abundantiam? cur affectas inopiam? cur optari facis à pauperibus sterilitatem. Cùm enim non sentiunt beneficia fœcunditatis, te auctionante precium, te * continente frumentum, optant potius nihil nasci quàm te de fame publica negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriā, vberis soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea plena frugum deploras, explo-ras quando sterilior prouentus sit, quando exilior partus. Votis tuis gaudes arrisisse maledictum, vt nihil cuiquam nasceretur. Tunc messem tuam venisse lætaris, tunc tibi de omnium miseria opes congeris: & hanc tu industriam vocas, hanc diligentiam nominas, quæ calliditatis versutia, & astutia fraudis est? Et hoc tu remedium vocas, quod est commentum * nequitiæ? Latrocinium hoc, an fœnus appellem? Captantur tanquam latrocinij tempora, quibus in viscera omnium durus insidiator obrepas: augetur pretium tanquam sorte cumulatum fœnoris. Tibi conditæ frugis multiplicatur vsura, tu frumentum tanquam fœnerator occultas, quasi venditor auctionaris. *Idem de Nabuthe.* Fœneratores accipitis aurū argētúmq; pro pignore, & adhuc illum debitorem dicitis, qui plus vobis credidit, quàm accepit à vobis? creditores asseritis vos, qui amplius debetis? *Item.* Plerique refugientes præcepta legis, cùm dederint pecuniam negociatoribus, non in pecunia vsuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam * vsuram, emolumenta percipiunt. Ideo audiant quid lex dicat, Neque vsuram inquit escarum accipies, neque omnium rerum. *Item.* Esca vsura est, & vestis vsura est, & quodcunque sorti accedit vsura est, quod velis ei nomen imponas, vsura est. *Item.* Si quis instaurandum conuiuium putat, ad negociatorem mittit, vt absynthiaci cupellam sibi gratis deferat: ad cauponem dirigit vt Picenum vinum aut Tyriacum requirat, ad lanium vt * vuluam sibi procuret, ad alium vt sibi poma adornet.

* cōdente

* malitiæ

Cap. 14 lib. de Tobia. 14. q 3 c. plerique.
* vsurarum
Deut. 25. Ibidē paulò inferius.
Ibidem post aliquot versus.
* Hilam, nunc habet Amb & Gratia.

Quòd sine ferro alium iugulat, qui vsuram ab eo flagitat. Idem. ¶ CAP. 27.

Eiusdem lib. c. 15.

Ab illo exige vsuram cui nocere meritò desideras, cui iure inferuntur arma: huic legitimè inferuntur vsuræ, quem bello non potes facilè vincere: ab hoc vsuram exige quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat qui vsuram flagitat, sine gladio se de hoste vlciscitur, qui fuerit vsurarius exactor inimici. Ergo vbi ius belli, ibi ius vsuræ.

14. q. 4 ille rici.

Epist.9.c. 17. *De clericis vsurariis: Gelasius Papa Episcopis per Lucaniam, Brutios, & Siciliam.*

¶ Cap. 28.

14 q 4. cap. clerici. Clerici aut ab indignis quæstibus nouerint abstinendum, & ab omni cuiuslibet negociationis ingenio vel cupiditate cessandum: aut in quocunque gradu sint positi mox clericalibus officiis abstinere cogantur.

De seruis Dei venationes & huiusmodi exercentibus. Bonifacius Guiberto Episcopo.

¶ Cap. 29.

Serui Dei vt venationes & syluaticas vagationes cum canibus, & vt accipitres & falcones non habeant, prohibemus.

Cap. 55. *De eodem, & pœna eorum. Ex Concilio Agathensi.*

¶ Cap. 30.

dist 34 c. episcopum, presbyterũ. Episcopis, presbyteris, diaconibus canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat: quod si quis talium personarum in hac * voluntate detectus fuerit: si Episcopus, tribus mẽsibus se à communione * abstineat, presbyter duobus mensibus se abstineat, diaconus vno ab omni officio vel communione cesset.

* volupate. * suspendat. orig.

Ad versiculum, Faciẽs misericordias. *Nil esse dandum venatoribus & histrionibus. Augustinus super Psalm. cap. ij.*

¶ Cap. 31.

dist 86. cap. qui venatoribus. Qui venatoribus donant, quare donant? dicant mihi, quare dant venatori? Hoc in illo amant in quo nequissimus est, hoc in illo pascũt, hoc in illo vestiunt, ipsam nequitiam * publicam spectaculis omnium. Qui donat histrionibus, qui donat meretricibus, quare donat? Nũquid non & ipsi hominibus donant? Non tamen naturam ibi attendunt operis Dei, sed nequitiam operis humani *Item* Qui venatori donat, non homini donat, sed arti nequissimæ: nam si homo tantùm esset & venator non esset, non ei donares, honoras in eo vitium non naturam.

* Publicãt, habet Gratia.

In eundem Psal. paulò inferius.

Ne videntes venatorem delectentur. August. super Psal. c. xlvij.

¶ Cap. 32.

dist. 86 c. vident homines. Vident homines venatorem, & delectantur: væ miseris si non se correxerint. Qui enim vident venatorem & delectantur, videbunt Saluatorem & contristabuntur.

Ad versum, Sperabo in domino. *Quod sancti inueniantur piscatores, nulli venatores. Hieronymus super Psalm. xc.*

¶ Cap. 33.

dist. 86. cap. Esau. Genes. 29. Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non inuenimus in scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem: piscatores inuenimus sanctos.

Sermone 33. *Quod nihil prodest ieiunare visceribus, & luxuriari venatibus. Ambrosius homilia, quæ sic incipit: Diximus superiore dominica.*

¶ Capvt 34.

dist 86. cap. quid prodest. Paulò post. Quid prodest ieiunare visceribus, & luxuriari venatibus? abstinere cibis, errare peccatis? *Item.* An putatis illum ieiunare fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum sancta loca perquirit: sed surgens congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus syluásque perlustrat? Seruulos inquam, secum pertrahit, fortasse magis ad Ecclesiam festinantes, & voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quàm de perditione seruorum.

Quæ bestiæ vel aues sint feræ, quæ non. Institut. lib. ij. tit. j. ¶ Cap. 35.

Feræ bestiæ, & volucres, & pisces, id est omnia animalia quæ in terra, mari, cœlóque nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, iure gentium statim illius esse incipiunt. Quòd enim antè nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur: nec interest feras bestias & volucres vtrùm in suo fundo quisque capiat, in alieno. Planè qui alienum fundum ingreditur venãdi aut aucupandi gratia, potest à domino, si is prouiderit, prohiberi ne ingrediatur. Quicquid autem ceperis eousque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coërcetur. Cùm autẽ euaserit custodiam tuam, & in naturalem libertatem se receperit, tuum esse desiit, & rursum occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cùm vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, vt difficilis sit eius persecutio. Illud quæsitum est, an si fera bestia ita vulnerata sit, vt capi possit, statim tua esse intelligatur. Quibusdam placuit tuam esse, & eousque tuam videri, donec eam persequaris: quod si desieris persequi desinere tuam esse, & rursum fieri occupantis. Alij autem nõ aliter putauerunt tuam esse, quàm si ceperis. Sed posteriorem sententiam nos confirmamus, quia multa accidere solent vt eam non capias. Apum quoque natura fera est. Itaque quæ in arbore tua consederint, antequam à te alueo includantur, non magis tuæ esse intelliguntur, quàm volucres quæ in tua arbore nidum fecerint: ideóque si alius eas incluserit, is earum dominus erit: fauos quoque si quos effecerint, quilibet eximere potest. Planè integra re, si præuideris ingredientem fundum tuum, potes eum iure prohibere ne ingrediatur. Examen quoque ex alueo tuo si euolauerit, eousque tuum intelligitur, donec in conspectu tuo est, nec difficilis eius persecutio est: alioquin occupantis fit. Pauonum & columbarum fera natura est, nec ad rem pertinet quod ex consuetudine auolare & reuolare solent, nam & apes idem faciunt, quarum constat feram esse naturam. Ceruos quoque ita quidam mansuetos habent, vt in syluas ire & redire soleant, quorum & ipsorum feram esse naturam nemo negat. In his autem animalibus quæ ex consuetudine abire & redire solent, talis regula comprobata est, vt eousque tua esse intelligantur, donec animum reuertendi habeant. Nam cùm reuertendi animum habere desierint, & iam tua esse desinunt, & fiunt occupantium. Reuertendi autem animum videntur desinere habere, cùm reuertendi consuetudinem deseruerint. Gallinarum & anserum non est fera natura: idque ex eo possumus intelligere, quod aliæ sunt gallinæ quas feras vocamus, item alij anseres sunt quos feras appellamus. Ideóque si anseres tui, aut tuæ gallinæ aliquo casu turbati, turbatæue euolauerint, licet conspectum tuum effugerint, quocunque loco sunt, tui tuæue esse intelliguntur: & qui lucrandi animo ea animalia retinet, furtum intelligitur committere.

Li. 4. regist. epist. 33 seu c. 77.

Quòd Ecclesiasticarum rerum incendia & deprædationes pro emunitate sint emendandæ. Ex epist. Gregorij Papæ ad Constantiam Reginam Galliæ.

¶ CAP. 36.

12 q. 2. c. cū deuotissimā.

Cùm dominam sciam de cœlesti vita atque remedio animæ suæ sedulò cogitare, culpam me committere vehementer existimo, si ea quæ pro timore omnipotentis Dei sunt suggerenda, siluero, & te sanctissimam de Ecclesiastica pace sedulò non commonuero. Nimis me Iuliani fratris & coepiscopi nostri proclamatio nuper contristauit, maximè cùm villæ suæ videlicet Ecclesiæ à nequissimis prædonibus sint deprædatæ, atque nocturnis incendiis more furum combustæ. Et dum iidem maligni iuxta nostri prædecessoris Bonifacij decreta, pro emunitate illud emendare noluerunt, dum & seculi leges hæc eadem ita habere voluerint, Lege vulgari teste, in qua sic scribitur: Si quis manu armata vsque ad quatuor homines, in vicum alterius ad malefaciendum venerit: ille qui prior est, pro illicita præsumptione componat solidos 900. sequaces verò eius vnusquisque solid. 80. Si verò ibi incendium fecerint, sibi nouies tantùm componant: prædam verò in quadruplū restituant. Si seculi leges talem iustitiam habere voluerint, lex diuina cur inferior esse debebit, cùm in ipsius veritatis præsentia à Zachæo collaudatum sit, si aliquem defraudaret, vt in quadruplum restitueretur? Et quia summum in regibus bonum est iustitiam colere, ac sua cuique iura seruare; & in subiectos non sinere quòd potestatis est fieri, sed quod æquum est custodiri: quod vos & diligere & omnino confidimus studere. Quapropter excellentiæ vestræ mense Nouembrio præsentis anni, secunda indictione, Petrum fratrem & coepiscopum nostrum à gremio sanctæ Romanæ Ecclesiæ transmittemus, vt fratribus eiusdem prouinciæ in vnum congregatis, emunitas, & præsumptio, & sacrilegium canonica authoritate, & vestra Regia dignitate talē terminum accipiant, ne posthac membra diaboli, filij nequam in sancta Ecclesia te etiam ibi regnante, talia præsumant.

Luc. 19.

Euseb. epist. 2. ad Ægyptios.

De rebus Ecclesiasticis, quomodo restitui debeant. Ex decreto Eusebij Papæ, cap. vij.

¶ CAP. 37.

12. q. 2. cap. in regibus.

Et in legibus sæculi cautum habetur: Qui rē surripit alienam, illi cuius res direpta est, in vndecuplum quæ sublata sunt restituat. Et in lege diuina legitur: Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, & dicet omnis populus Amen. Talia ergo non præsumantur absque vltione, nec exerceantur absque damnatione. Pacem, & non damnum, aut iniustitiam alicuius sectamini in inuicem, & in omnes. Proinde si quis Ecclesiasticas oblationes, & quod Deo consecratum fuerit, rapuerit vel consenserit facientibus, vt sacrilegus diiudicetur, & damnum in quadruplum restituat, & canonicè pœniteat.

Deut. 2.

Quòd sacrilegi sint Ecclesiarum prædones. Ex Conc. Magontiensi c. iij. ¶ CAP. 38.

Sacrilegi sunt Ecclesiarum prædones. Vnde & in Concilio Agathensi sub 4. cap. decretum ita habetur: Amico quippiam rapere furtum est: Ecclesiæ verò fraudari vel abstrahi surripique, sacrilegium. Omnes enim contra legem facientes, résque Ecclesiæ diripientes, vel Ecclesias sacerdotésque contra diuinas sanctiones vexantes, sacrilegi vocantur, atque indubitanter infames sacrilegique habendi sunt.

De eadem re. Ex epistola Pij Papæ, Italicis fratribus Missa. ¶ CAP. 39. Epist 2.

Ad sedem Apostolicam perlatum est, quòd sint inter vos contentiones, & æmulationes: & prædia diuinis vsibus tradita quidam humanis applicent vsibus, & domino Deo cui tradita sunt ea subtrahant, vt suis vsibus inseruiant. Quapropter ab omnibus illa vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia * sub secretis cœlestibus vendicata à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis præsumpserit, sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus iudicetur. Ipsos autem qui hoc agunt, clericos & domini sacerdotes persequi eósque infamare audiuimus, vt malum super malum addentes deteriores fiant: non intelligentes quòd Ecclesia Dei in sacerdotibus consistat, & crescat in templū Dei: & sicut qui Ecclesiā Dei deuastat eiúsque prædia & donaria exspoliat, & inuadit, fit sacrilegus: sic & ille qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegi j reus existit, & sicut sacrilegus iudicatur.

12 q. 2. c. Prædia.

* Vsibus secretorū cœlestium dicata. orig.

Ephes. 2.

De his qui truncationes membrorum, & domorum incendia fecerint. Ex decretis Eutychiani Papæ. In frag.

¶ CAP. 40.

Si quis membrorum truncationes, domorum incendia fecerit, siue facere iusserit, aut facienti consenserit, quousque de his vnicuique legaliter, & amicabiliter coram Episcopo ciuitatis aliisque ciuibus non emendauerit, ab Ecclesia se priuatum cognoscat. Si verò post secundam & tertiam conuentionem cuncta in quibus arguitur, non emendauerit, tanquam ethnicus & publicanus ab omni Christianorum collegio separetur.

23 q. 8. c. si quis.

Quod furtum ita sit in paruo, sicut in magno. Hieron. In c. 1. epist. ad Titum.

¶ CAP. 41.

Fur autem non solùm in maioribus, sed & in minoribus etiam iudicatur. Non enim quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur: quomodo in fornicatione, non idcirco diuersa fit fornicatio, si mulier pulchra aut deformis, ancilla, aut ingenua, pauper aut opulēta: sed qualiscunque illa fuerit, vna est fornicatio. Ita in furto quantumcunque quis abstulerit, furti crimen incurrit.

14 q. 6 c fur autem.

De pœnitentia furti. Ex pœnitent. Theodori.

¶ CAP. 42.

Si quis per necessitatem furatus fuerit cibaria, vel vestem, vel pecus, per famem, aut per nuditatem, pœniteat hebdomadas tres. Si reddiderit, non cogatur ieiunare.

De eadem re. Ex concilio Aurelianensi, c. viij.

¶ CAP. 43.

Nam si quis publicam rapinam seu furtum fecerit, publicam inde agat pœnitentiam, iuxta sacrorum canonum sanctiones. Si verò occultè, sacerdotum consilio pœniteat, quoniam raptores, vt Apostolus ait (nisi inde veram egerint pœnitentiam) regnum Dei non possidebunt. Qui verò de rebus Ecclesiæ aliquid abstulerit,

1. Cor. 6.

grauius inde iudicetur: quia quamuis vltio furum & raptorum ad comites respiciat, pœnitentia tamen ad Episcopos pertinet.

De eadem re Ex pœniten. *Theodori.*

¶ Cap. 44.

27 q. 4. c. Si quis furtũ. Si quis furtum capitale commiserit, id est quadrupedia tulerit, vel casas effregerit, vij. annos pœniteat, & quod furatum est reddat. Si quis verò de minoribus semel aut bis furtum fecerit, reddat quod tulit, & annum vnum pœniteat. Si quis sepulchrum violauerit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua.

Cap. 31 quã-quã nõ ijsdẽ verbis. *Quòd pro furibus & latronibus in furto seu deprædatione occisis non sit orandum.* Ex Concilio *Triburiensi, c. v.*

¶ Cap. 45.

23. q. 2. c. fures & latrones. Fures & latrones si in furando & prædando occiduntur visum est pro eis non orandum. Si comprehensi aut vulnerati presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.

Vtrùm pœnitere debeant qui furem vel latronem in præda captum postea interficiunt. Ex Concil. Aurelianensi, cap. i.

¶ Cap. 46.

23 q. 2. c. si fur & latro. Si fur aut latro captus in præda absque occasione potest comprehendi, & tamen interficitur: quia ad imaginem Dei creati, & in nomine eius baptizati sunt, interfectores eorum xl. diebus non intrent Ecclesiam, lanea veste induti ab escis, & potibus, qui interdicti sunt, à thoro, & gladio, & equitatu se abstineant. In tertia, quinta feria, & sabbato aliquo genere leguminum vel olerum & pomis paruisque piscibus, cum mediocri ceruisia vicissim vtantur, & temperatè. Sin autem à veridicis comprobatur testibus, quod sine odij meditatione se suáque liberando diaboli membra interficiunt, & capi non poterant, pœnitentiam pro homicidio eis non iniungimus, nisi ipsi voluerint aliquid quod humanitatis est facere.

De eadem re. Exodi xxij.

¶ Cap. 47.

Si infringens fur domum siue effodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quòd si orto sole fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat vænundabitur. Si inuentum fuerit apud eum quod furatus est, viuens siue bos, siue asinus, siue ouis, duplum restituet.

De seruo qui fugerit dominum suum. Ex epistola Hieronymi ad Paschasium Alexandrinum.

¶ Cap. 48.

De seruo qui dominum suum fugerit, interrogabas, si ille in illa fuga mortuus fuerit, vtrùm pro eo liceret orare, an non. Hoc in diuinis libris non inuenimus prohibitum: sed tamen scimus
1 Pet. 2. Ephes. 6. Coloss 3. Tit. 2. Gang. conc. c. 3. ab Apostolis firmiter præceptum, vt serui subditi sint in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Et in Gangrensi Concilio ita scriptum est. Si quis seruum sub prætextu diuini cultus doceat dominum proprium contemnere, vt discedat ab eius obsequio, anathema sit. Vnde datur intelligi, quòd si ille anathema meruit, qui docet seruum proprium dominum contemnere, & ab eius obsequio recedere, quantò magis ille qui dominum spernit, & eius seruitio subdit noluerit? Sed tamen distantia est inter illum qui per superbiam fecerit, & illum qui per necessitatem coactus crudelitate domini sui.

De clericis si in demoliendis sepulchris comprehensi fuerint. Ex Concilio Toletano iv. c. xlv.

¶ Cap. 49.

Si quis clericus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur, oportet in tali scelere proditum à clericatus ordine submoueri, & pœnitentiæ triennio deputari.

De clericis vel monachis si furtum fecerint. Ex Conc. Agat. c. ij. ¶ Cap. 50. *Ex regula Patrum.*

Si quis clericus aut monachus furtum fecerit (quod potius sacrilegium dici potest) id censuimus ordinandum, vt iunior virgis cæsus tanti criminis reus nunquam officium * Ecclesiasticum excipiat. Si verò iam * ordinatus in hoc facinore fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate priuetur: cui sufficere potest pro actus sui leuitate, impleta pœnitentiæ satisfactione, sola communio. *Simile quid habetur sup. cõ. c 4 & 5.* * clericatus * clericus *orig.*

De illis qui de ministerio Ecclesiæ aliquid fuerit. Ex pœnitentiali Romano. ¶ Cap. 51.

Si aliquis de ministerio Ecclesiæ quolibet modo aliquid furatus fuerit, vij. annos pœniteat.

De maledicis & pœna eorum. Ex dictis Hieronym.

¶ Cap. 52.

Apostolus dicit. Neque maledici regnum Dei possidebunt. Si quis hoc peccatum admiserit tam grandè pœniteat, quam grande perpetrauit scelus, quò à regno Dei non separetur. *1. Cor. 6.*

De murmuratoribus. Ex Concilio Magontiensi, cap. viij. ¶ Cap. 53.

Si quis murmurans extiterit, videat ne pœnã murmurantum incurrat, de qua Apostolus dicit, Neque murmuraueritis sicut quidam eorũ murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Iuxta mensuram opúsque peccati, quia in hoc sententia Apostoli pleniter declaratur, sacerdotis iudicio pœniteat. *Dist. 90. c. alienus sit. 1. Cor 10.*

De eadem re. Ex eodem. ¶ Cap. 54.

Qui contentiosus aut murmurans extiterit, secundùm arbitrium prioris ita pœniteat, qualiter culpæ * qualitas extat. *dist 90. c. si quis monachus.* * modus

De eadem re. ¶ Cap. 55.

Apostolus dicit: Omnia facite sine murmurationibus: alienus sit à fratrum vnitate qui murmurat, & opus eius abijciatur. *Philip. 2.*

De contentiosis. Ex decretis Hilarij Papæ, c. xv. ¶ Cap. 56. *Ad calcẽ decret Hilarij.*

Si quis videtur contentiosus esse, dicente Apostolo, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei: si quis hoc facit, notetur vsquequo corrigatur. *1. Cor. 11.*

De

De illis qui lasciua sunt lingua. Ex pœnit. Theodori.
¶ CAP. 57.

*extiterit Si quis lasciuus in lingua * fuerit, triduana pœnitentia expietur.

De dißidentibus & litigantibus. Ex dictis Isidori.
¶ CAP. 58.

Si quis discors, & litigans, & per odium dissidens extiterit, quousque ad concordiam redeat, à conuentu & societate Ecclesiæ, vt canones iubent, alienus existat.

De his qui de odio ad pacem nolunt redire. Ex eodem.
¶ CAP. 59.

Si quis odio habet aliquem, ita vt ad pacem reuerti non velit, sicut sancti patres statuerunt, excommunicetur, & ab Ecclesia separetur donec reconcilietur.

n fragm. De eadem re. *Ex decret. Fabiani Papæ, cap. v.*
¶ CAP. 60.

ist. 90. c. si uis contristatus. Si quis contristatus noluerit reconciliari satisfaciente eo qui contristauit, acerrimis maceretur inediis, vsque dum gratanti animo satisfactionem recipiat.

De eadem re. Ex eodem. ¶ CAP. 61.

Si quis non vult reconciliari fratri suo quem odio habet, tam diu in pane & aqua pœniteat, vsque dum reconcilietur ei.

De eadem re. *Ex concilio Agathensi c. xxxi.*
¶ CAPVT 62.

st. 90. c. cuit etiã. Placuit etiam, vt (sicut plærumque fit) quicunque odio aut longinqua inter se lite dissenserint, & ad pacem reuocari diuturna contentione nequiuerint, à sacerdotibus ciuitatis primitus arguantur, qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerent, de Ecclesiæ cœtu iustissima excommunicatione pellantur.

lditur ad cem cõm. a. *De illis qui contentiones & rixas amauerint. Ex eodem concilio, cap. v.* ¶ CAP. 63.

t. 90. c. si is monaa. Si quis contentiones & rixas amauerit, vel manifestum conuicium fratri intulerit, iuxta arbitrium Rectoris modúmque peccati, diuturna expietur pœnitentia.

De his qui faciles sunt ad detrahendum. Ex eodem cap. x. ¶ CAP. 64.

nectitur hoc ad tem eiusm conc. Si quis promptus facilisque est ad detrahendum, dicens quod verum non est, vij. dies in pane & aqua sequestratus à fraterno consortio pœniteat.

De pœnitentia eius qui manum mittit in Episcopum. Ex concilio Tungrensi, c. v.

¶ CAP. 65.

Quisquis per dolum mittit manum suam in christum domini, episcopum videlicet patrem & pastorem suum, quia sacrilegium committit: & qui Ecclesiam deuastat, & incendit, quia & hoc sacrilegium est: placuit sanctæ synodo, vt in vno loco, id est in monasterio pœniteat omnibus diebus vitæ suæ.

De clericis maledicis. Ex concilio Carth. iv. c. lvij.
¶ CAP. 66.

Clericus maledicus * maximè in sacerdotibus, cogatur ad postulandam veniam: si noluerit, degradetur, nec vnquam ad officium absque satisfactione reuocetur. Dist. 46. c. clericus maledicus *maximéque à sacerdotibus.

De illis qui detrahunt suis prioribus. Ex dictis Basilij.
¶ CAP. 67.

Si quis detraxerit ei qui præest, vij. dies à conuentu Ecclesiæ separatus, vt Maria soror Aaron quæ detraxerat Moysi, pœniteat. In regulis breuioribus ad qu. 27. Num. 12.

Quibus modis tollendæ sint comessationes & ebrietates. August. in epist. ad Aurelium Episcopum. Epist. 64.
¶ CAP. 68.

Comessationes & ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, vt in honorem etiam beatissimorum martyrum, non solùm per dies solennes (quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carneis oculis inspicit) sed & quotidie celebrentur. *Et post pauca.* Non ergo asperè (quantùm existimo) non duritèr, non modo imperioso ista tolluntur: sed magis docendo quàm iubendo, magis monendo quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine: seueritas autem exercenda est in peccata paucorum: & si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis cõminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius mouebuntur spirituales vel spiritualibus proximi, quorum authoritate & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus cætera multitudo frangatur. Dist. 44. c. comessationes.

Quod crapula multùm sit christianis contraria. Ex dictis sancti Benedicti. ¶ CAP. 69.

Nihil sic contrarium est homini Christiano, quomodo crapula & ebrietas, sicut ait Dominus in Euangelio. Videte ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Luc. 21.

Vt malum ebrietatis omninò vitetur. Ex decret. Eutychia. Papæ. cap. 8. Ad calc decretorum Euty.
¶ CAP. 70.

Magnum malum ebrietatis, vnde omnia vitia pullulant, Christianis modis omnibus cauere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum esse decreuimus, vsque ad congruam emendationem.

Ne Episcopi & eorum ministri crapula & ebrietate grauentur. Ex decretis eiusdem, c. ix. Ad calcem decretorum eiusdem.
¶ CAP. 71.

Episcopi & Dei ministri non debent comessationibus & vinolentiis nimiis incumbere, sed considerent sententiam Domini dicentis, Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Moderatè enim cibum & necessarium sumptum sumant, vt iuxta Apostolum, Sobrij sint, & parati ad seruitium Dei. Luc. 21. 1. Thess. 5. 1. Tim. 3. Tit. 1.

De eadem re. Ex conc. Cabilonensi, cap. x. Cabilon. 1.
¶ CAP. 72.

Vt sobrietatem sacerdotes teneant, & hanc habendam fidelibus prædicent: quia non potest liberè sobrietatem prædicare qui se mero vsque ad alienationem mentis ingurgitat. Hoc & de comessationibus & cæteris pestibus ad gastrimargiam pertinentibus obseruandum est.

dist. 35. c. episcopus.

De eadem re. Ex Canonibus Apostolorum, c. xlij.
¶ Cap. 73.

Episcopus, presbyter, aut diaconus aleæ atque ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens aut desinat, aut communione priuetur. Similiter etiam laicus.

De eadem re. Ibidem, cap. xliij.
¶ Cap. 74.

Si quis Episcopus aut aliquis ordinatus in consuetudine ebriosus fuerit, aut desinat, aut deponatur.

Annectitur ad calcem decretorum Eusebij.

Quales conuiuæ Episcoporum epulis interesse debeant. Ex decretis Eusebij Papæ, cap. x.
¶ Cap. 75.

Oportet Episcopum moderatis epulis contentum esse suósque conuiuas ad comedendum & potandum non vrgere, quin potius semper sobrietatis præbeat exemplum. Remoueatur ab eius conuiuio cuncta turpitudinis * argumenta, non ludicra spectacula, non acromatum vaniloquia, non fatuorum stultiloquia, non scurriliũ admittantur præstigia. Adsint peregrini & pauperes, & debiles, qui de sacerdotali mensa Christum benedicentes benedictionem percipiant. Recitetur sacra lectio, subsequatur viuæ vocis exhortatio: vt non tantùm corporali cibo, imò verbi spiritualis alimento conuiuantes se refectos gratulentur: vt in omnibus honorificetur Deus, per Iesum Christum Dominum nostrũ.

* augmẽta orig.

De pœnitentia sacerdotum & reliquorum ordinum si inebriati fuerint. Ex pœnitentiali Theodori Episcopi.
¶ Cap. 76.

Sacerdos quilibet si inebriatur per ignorantiam, vij. dies pœniteat in pane & aqua. Si per negligentiã, xv. dies. Si per contemptũ, xl. dies. Diaconus vel monachus secundùm ordinem (vt scriptum est) ceu & reliqui clerici & ministri iuxta ordinem iudicio sacerdotis pœniteant. Laici velut vota non habentes, si inebriantur arguantur à sacerdote: quod ebriosi regnum Dei non possidebunt, & interitus sit ebrietas, & cõpellat eos pœnitere. Qui cogit hominem vt inebrietur humanitatis gratia, acerrimè corripiatur, & septem dies pœniteat. Si per contemptum xxx. dies. Nullus Christianus alium Christianũ plus bibere cogat, quàm naturæ sufficiat. Quod si fecerit, iuxta id quod in pœnitentiali habetur, pœniteat.

1. Cor. 6.

De eadem re. Ex dictis Fructuosi Episcopi.
¶ Cap. 77.

Si quis Ecclesiastica præditus ordinatione, aut monachus repertus fuerit ebriosus, in pane & aqua tribus mensibus pœniteat.

Ad calcem decretorum Eutychiani.

Vt clerici & ipsi à comessationibus & ebrietatibus abstineant, & subditos abstinere præcipiant. Ex decretis. Eutychiani Papæ, cap. xiij.
¶ Cap. 78.

Obseruandum est vobis, vt & vos ab ebrietate abstineatis, & vt plebes subditæ abstineant, * prædicetis. Et neque per tabernas eatis bibendo aut comedendo, neque domos aut vicos curiositate qualibet peragretis: neque cum fœminis aut cum quibuslibet personis impuris conuiuia exerceatis: nisi fortè paterfamilias quilibet vos ad domum suam inuitauerit, & cum coniuge sua & prole velit vobiscum spirituali gaudio lætari: & verborum vestrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem charitatis officio exhibere. Oportet enim, vt si quando quislibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, à vobis reficiatur epulis spiritualibus.

* præcipiatis.

De pœnitentia eius qui ebrius fuerit. Ex conc. Agathensi, cap. xli.
¶ Cap. 79.

Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit (vt ordo patitur) aut xxx. dierum spatio à communione statuimus submouendum, aut corporali dandum supplicio. Dist. 35. c. ante omnia.

Quod vinum vt venenum sit fugiendum. Ex dictis Augustini.
¶ Cap. 80.

Fuge vinum velut venenum, ne ebrietas superet te, expoliatúmque virtutibus te nudum efficiat. Vinum enim, vt sancta scriptura dicit, apostatare facit etiam sapientes. Attende Noë virũ sapientem & sanctum quomodo per ebrietatẽ nudatus est dormiens. Attende & Loth patriarcham qui per ebrietatem se miscuit filiabus impudenter. Hinc beatus Basilius dicit, Multi per vinum à dæmonibus capti sunt: nec est aliud ebrietas, quàm manifestissimus dæmon. Hinc propheta ait: Fornicatio & vinum, & ebrietas aufert cor. Ebrietas enim perturbationem parit, gignit mentis furorem, & flammam suscitat libidinis, Apostolo teste, Nolite inebriari vino in quo est luxuria. Si quis autem contra hæc fecerit sanctorum statuta, dignam & longam agat pœnitẽtiam: quia vnum est ex his peccatis quæ hominem separant à regno Dei, dicente Apostolo Paulo. Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.

Eccles. 31. Genes. 9. Genes. 19. Basilius tomo 2. in admonitione ad filium spiritualem. Oseæ 4. Ephes. 5. 1. Cor. 6.

De pœnitentia eius qui ex ebrietate vomitum fecerit. Ex pœnitentiali Romano.
¶ Cap. 81.

Qui per ebrietatem vomitum facit, si presbyter aut diaconus est, xl. dies pœniteat. Si monachus xxx. dies. Si clericus xx. dies. Si laicus xv. dies.

De eadem re. Ex pœnitent. Bedæ presbyteri.
¶ Cap. 82.

Laicus si per ebrietatem vomitum facit, tres dies à carne & vino, & ceruisia abstineat.

De pœnitentia eius qui per nequitiam alios inebriat.
¶ Cap. 83.

Si quis per nequitiam alium inebriat, xl. dies pœniteat. Quod si in consuetudine habuerit: communione priuetur, donec dignè pœniteat, & emendationem promittat.

Quòd fugienda sit ebrietas. Ex decr. Clementis Papæ, c. xxxv.
¶ Cap. 84.

Epist. 1. ad Iacobũ fratrẽ domini.

Ebrietatem oppidò prohibebat, & ebriosos corpore & animo mortuos esse prædicabat. De quibus per exemplum aiebat. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandũ vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris, & opus domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Et iterum. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem:

Esai. 5. Ibidem.

qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Propter hoc, sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum vt puluis ascendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israëlis blasphemauerunt: ideo iratus est furor domini in populo suo, & extendit manum suam super eum,& percussit eum,& conturbati sunt montes, & facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

Lib.2. de summo bono,c.43.

Quæ mala ebrietas in corpore & mente hominis generet. Isidorus dicit.

¶ CAP. 85.

Escæ crapulam, potus ebrietatem generant. Ebrietas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis,flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, vt vbi sit nesciat. Vnde etiam malum non sentitur quod per ebrietatem committitur. Verum est quod iuxta Prophetam dicitur,Fornicatio& ebrietas auferũt cor. Fornicatio enim, sicut ait Salomon, infatuat sapientem. Ebrietas,sicut in Loth,sensum rationis captiuat: vnde & in Prouerbiis: Potentes,inquit, qui iracundi sunt vinum non bibant,ne cum biberint obliuiscantur sapientiam. Plærisque laus est multum bibere,& non inebriari. Audiant hi aduersum se dicentem Prophetam, Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Vino multo deditos & luxuriosè viuentes Esaias sic arguit dicens, Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam,& potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. De talibus & alio loco dicitur, Væ tibi ciuitas cuius rex iuuenis est, & cuius principes mane comedunt. Multi enim à mane vsque ad solis occubitum ebrietati & gulæ voluptatibus seruiunt, nec intelligunt cur nati sint: sed consuetudine belluina detenti, luxuriæ tantùm tota die epulisque inseruiunt. Clamat Ioël Propheta his qui ebrietati deseruiunt dicens, Expergiscimini ebrij & flete,& vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine. Quo testimonio nõ ait tantum,flete omnes qui bibitis vinum,vt bibere omnino non liceat, sed adiecit in dulcedine,quod ad voluptuosam pertinet & prodigam effusionem. Nam quantùm satis est necessitati edocet Timotheũm bibere Apostolus dicens, Vino modico vtere. Non solum ex vino inebriantur homines, sed etiam ex cæteris potandi generibus,quæ vario modo conficiuntur. Vnde & Nazaræis qui se sanctificabant domino, præceptum est vinum & siceram non bibere: vtraque enim statum mentis euertunt, & ebrios faciunt: luxuriam quoque carnis vtraque æqualiter gignunt. Quidã continentes sicut panem cum pondere edunt, ita & aquam cum mensura sumunt: asserentes ad castimoniam carnis etiam aquæ abstinentiam conuenire.

Oseæ 4. *Genes 19.* *Esai 5.* *Eccl.10.* *Ioel.1.* *1.Timot.5.* *Num.6.*

De impunitate furiosi si quid per eum perditum fuerit. Lib.vij. Institutionum,tit.i.

¶ CAP. 86.

Quod infans vel furiosus perdidit possessori, vel corrupit, impunitum est.

Furiosis matrimonia non contrahenda, contracta non dirimenda. Institut.lib.xxiv.tit.ij. *Digest lib. 23 tit.2.l.16*

¶ CAP. 87.

Furor contrahi matrimonium non sinit, quia consensu opus est, sed rectè contractum non impedit.

Item de eodem. Ambrosius super Lucam lib.i. tit.vi. *Digest lib.1? tit 6 l.8.*

¶ CAP. 88.

Furiosus licet ducere vxorem non possit, retinere tamen matrimonium potest.

Item de furiosis. Lib.iij. Instit. tit.xx.

¶ CAP. 89.

Furiosus quoque nullum negotium gerere potest,quia non intelligit quòd agit.

Quod idem sit sentiendum de furiosis filiis & parentibus. Nouellarum constit. cap.c.xv.

¶ CAP. 90.

Si furiosus filius vel quæcunque persona liberorum sit in furore,eadem teneantur quæ superius de furiosis parentibus diximus.

De impunitate furiosi. Ambr.lib. Hexaëm. in tract. primæ diei. *Lib.1.c 8.*

¶ CAP. 91.

In iudiciis istiusmodi voluntarios reos non ex necessitate compulsos culpa stringit,pœna condemnat. Neque enim si furore aliquis innocentem peremerit, obnoxius morti est: quin etiam ipsius diuinæ legis oraculo, si quis per imprudentiam intulerit necem, accipit impunitatis spem,refugij facultatem,vt possit euadere. Hoc igitur de eo quod propriè malum videtur, dictũ sit. Mala enim non sunt, nisi quæ crimine mentem implicant,& conscientiam ligant.

De eodem. August. lib. quæstionum veteris & noui Testamenti,c.ii.

¶ CAP. 92.

Aliquos scimus subitò dementes factos ferro, fuste,lapidibus,morsibus multis nocuisse,quosdam & occidisse. Captos autem industria & iudiciis oblatos minimè reos factos: eò quod non voluntate,sed impellente vi nescio qua, hæc gesserint nescientes. Quomodo enim reus constituitur,qui nescit quid fecerit? *15. q.1. cap. quos scimus.*

Quòd impuberes & furiosi non poßint testamentum facere. Instit.lib ii.tit.xii.

¶ CAP. 93.

Testamentum facere non possunt impuberes, quia nullum eorum animi iudicium est: item furiosi,quia mente carent. Nec ad rem pertinet si impubes postea pubes, aut furiosus postea compos mentis factus fuerit, & decesserit. Furiosi autem si per id tempus fecerint testamentum quo furor eorum intermissus est,iure testati esse videntur.

Iudæos non esse cogendos ad fidem Christianam. Ex Tolet.conc. c. lviij. *Tolet. conc. c56.*

¶ CAP. 94.

De Iudæis præcepit sancta synodus nemini deinceps vim inferri ad credendum. *Item.* Iudæi non vi sed * libera arbitrij voluntate vt conuertantur, suadendi potius sunt,quàm impellendi. *dist 45.c de Iudæis. Eodem cõc.* *Grat.*

* liberi arbitrij facultate.

Vt nullus Iudæis in errore suo patrocinetur. Item. *Cap.57.*

¶ CAP. 95.

Quicumque Episcopus,siue clericus,siue sæcularis, vllis Iudæis contra fidem Christianam

vel munere vel fauore auxilium præstiterit, verè vt prophanus & sacrilegus, anathema effectus ab ecclesia catholica & regno Dei efficiatur extraneus: quia dignū est vt à corpore Christi separetur, qui eius inimicis patronus efficitur.

De infirmando Iudæorum testimonio. Item.

¶ Cap. 96.

Cap. 63. 2.q.7.cap. non potest.

Infirmari oportet eorum testimonium, qui in fide falsi docentur, nec eis esse credendum qui veritatis fidem à se abiecerunt.

Ne publica officia Iudæis committantur. Item.

¶ Cap. 97.

Ibid.c.46. 17 q.4.ca. constituit sanctum.

Hi qui ex Iudæis, officia publica nullatenus appetant, quia sub hac occasione Christianis iniuriam faciunt, ideóque iudices prouinciarū cum sacerdotibus, eorum surreptiones fraudulentas suspendant, & officia publica eos agere non permittant. Si quis autē hoc permiserit, velut in sacrilegum excommunicatio proferatur, & is qui subrepserit publicis * codicibus deputetur.

*cædibus orig.

Ne Iudæi mancipia Christiana emere præsumant. Item.

¶ Cap. 98.

Cap. 65.

Iudæis non liceat Christianos seruos nec Christiana mancipia emere, nec cuiusquam consequi largitate. Nefas est enim vt membra Christi seruiant membris Antichristi. Quòd si deinceps, seruos Christianos vel ancillas Iudæi habere præsumpserint, sublati ab eorum dominatu libertatem à principe consequantur.

Ne Christiani Iudæorum conuiuiis intersint. Ex concil. Aurelia. tempore Childeberti regis, cap. xiij.

¶ Cap. 99.

Aurel. Conc.3.

Christianis conuiuia interdicimus Iudæorū: in quibus si fortè fuisse probantur, annuali excommunicationi pro huiuscemodi contumacia subiacebunt.

Ne Iudæi à cœna domini vsque ad secundam feriam in publico appareant. Item cap. xxix.

¶ Cap. 100.

Iudæi à die cœnæ domini vsque in secundam sabbati in Pascha, hoc est ipso quatriduo procedere inter Christianos, neque catholicis populis se vllo * modo vel quacunque occasione miscere præsumant.

* loco orig.

Quòd omni mansuetudine & benignitate Iudæi ad fidei sint vocandi. Gregorius Petro episcopo Terracinensi.

¶ Cap. 101.

Lib.1.regist. epist.34.

Ioseph præsentium lator Iudæus insinuauit nobis, quòd de quodam loco, in quo ad celebrandas festiuitates suas Iudæi in Terracinensi castro consistentes conuenire consueuerant, tua eos fraternitas expulerit, & in alium locum pro colendis similiter festiuitatibus suis te quoque noscente & consentiente, migrauerint, & nunc de eodem loco expulsos denuò se conqueruntur. Sed si ita est, volumus vt tua fraternitas ab huiusmodi se querela suspendat, & locum quē (sicut prædiximus) cum tua conscientia quo cōgregentur adepti sunt, eis (sicut mos fuit) ibidem liceat conuenire. Hos enim qui à Christiana religione discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo ad vnitatem fidei necesse est congregare: ne quos dulcedo prædicationis & præuentus futuri iudicis terror ad credendum inuitare poterat, minis & terroribus repellantur.

De seruis Iudæorum ad ecclesiam confugientibus. Gregorius lib. iij. registri Ioanni episcopo Caralitano.

¶ Cap. 102.

Epist. 9.

Peruenit ad nos, seruos ancillásque Iudæorum fidei causâ ad ecclesiam fugientes, aut infidelibus restitui dominis, aut eorum ne restituantur pretium dari. Hortamur igitur vt nullatenus tam prauam consuetudinem manere permittas, sed quilibet Iudæorum seruus ad venerabilia loca fidei causa confugerit, nullatenus eum patiamini præiudicium sustinere: sed siue olim Christianus, siue nunc fuerit baptizatus, sine vllo Christianorum pauperum damno, religioso ecclesiasticæ pietatis patrocinio in libertatem modis omnibus defendatur.

De Fœlice Christiano, quem quidam Samarites seruituti subijcere volebat. Item Ioanni episcopo Syracusano.

¶ Cap. 103.

Lib. 7. Ind 1. epist.12.

Fœlix præsentium portitor questus nobis est, cùm sit de Christianis natus parentibus, à quodam Christiano Samaræo se (quod dici scelus est) esse donatum. Et dum huiusmodi superstitionis homines Christiana quolibet modo mancipia possidere nec ratio legis, nec reuerentia religionis admittat, se tamen per decem & * nouem annos in eius asserit seruitio permansisse. Sed cognoscente hoc decessore vestro sanctæ memoriæ Maximiano, ab eo se zelo (sicut decuit) sacerdotali commoto, de Samaræi seruitio nefario dicit liberatum. Sed quia eiusdem Samaræi filius post v. annos factus dicitur Christianus, & supradictum Fœlicem in eius seruitium (quantùm ipse dicit) quidam nituntur redigere: Sanctitas vestra hæc quæ edocti sumus diligenter inquirat: & si ita ea esse constiterit, eum tueri studeat, & à nullo sub qualibet occasione grauari permittat: quia dum superstitiosæ sectæ mancipia dominos suos ad fidem præcedentia seruitio eorum redigi apertè iura prohibeant: quantò magis hic de Christianis parentibus natus & factus à paruulo Christianus, hanc non debet quæstionem aliquo modo sustinere?

Vt veteres synagogas Iudæi obtineant. Item Gregorius Ianuario episcopo Caralitano.

¶ Cap. 104.

Lib 7 ind. 2. ep. 5.

Iudæi de ciuitate vestra huc venientes questi nobis sunt, quòd synagogam eorum quæ Caralis sita est, Petrus qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum Deo volente, perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est dominico in ipsa festiuitate paschali cum graui scandalo, sine vestra occupauerit voluntate, atque imaginem illic genitricis Dei dominique nostri, & venerandam crucem vel birrum album, quo de fonte surgens indutus fuerat, posuerit. His hortamur affatibus, vt sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione, imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est reformare: quia sicut legalis definitio nouas Iudæos non patitur erigere synagogas, ita quoque eos sine inquietudine veteres habere permittit. Paulò post.

Li.11. ep 15. *Ne Iudæi à solemnitatibus suis vi arceantur. Item Paschasio episcopo Neapolitano.*

¶ CAP. 105.

Dist.45.c. qui sincera. Iudæi habitantes Neapoli questi nobis sunt, asserentes quòd quidam eos à quibusdam feriarum suarum solennitatibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis sit licitum festiuitatum suarum solennia colere, sicut eis nunc vsque & parentibus eorum longis retro temporibus licuit obseruare vel colere. Quòd si ita se veritas habet, superuacuæ rei vidētur operam adhibere.

Lib.5 regist. c.131. seu epist. 31. *De mancipiis Iudæorum si fieri Christiani voluerint, quid agendum sit. Gregorius Fortunato Neapolitano Episcopo.*

¶ CAP. 106.

Dist.54. c. fraternitatē. Fraternitatem vestram oportet esse sollicitā, si de Iudæorum seruitio nōn solùm Iudæus, sed etiam quisquā paganorum fieri voluerit Christianus postquam voluntas eius fuerit patefacta, nec hunc sub quolibet ingenio vel argumento cuipiam Iudæorum vænundandi facultas sit: sed is qui ad Christianam conuerti fidem desiderat, defensione vestra in libertatem modis omnibus vendicetur. Hi verò quos huiuscemodi oportet seruos amittere, ne forsitan vtilitates suas irrationabiliter existiment impediri sollicita vos hoc conuenit consideratione seruare, vt si paganos, quos mercimonij causâ de externis finibus emerint, infra tres menses dum emptor cui venditi fuerant non inuenitur, fugere ad Ecclesiam fortè contigerit, & velle se dixerint fieri Christianos, vel etiam extra Ecclesiam hanc talem voluntatem prodiderint, pretium eorum à Christiano scilicet emptore percipiāt Si autem post præfinitos tres menses quisquam huiuscemodi seruorum Iudaicorum velle suum dixerit, & fieri voluerit Christianus, nec aliquis eum postmodum emerit, nec Dominus qualibet occasionis specie audeat vænundare, sed ad libertatis procul dubio præmia perducatur: quia hunc non ad vendendum, sed ad sibi seruiendum dicitur * comparasse.

* reseruasse.

orig. Epist 29 ad Theod. Imperatorem. *De Zelo sacerdotum Christianorum contra Iudæos. Ambrosius in epistola ad VVercellenses.*

¶ CAP. 107.

Relatum est à comite orientis militarium partium incensam esse Synagogam, idque authore factum Episcopo. Non assero expectandam fuisse assertionē Episcopi: sacerdotes enim turbarum moderatores sunt studiosi pacis, nisi cùm & ipsi mouentur iniuria Dei aut Ecclesiæ contumelia. *Item.* Quid mandas in absentem iudicium? habes præsentem, habes confitentem reum. Proclamo quòd ego Synagogam incenderim, quòd illis mandauerim, ne etiam esset locus in quo Christus negaretur. *Item.* Non vides, Imperator, quia Deus se pro illis prohibet rogari, quos tu vindicandos putas? *Item.* Quis habet Synagogam vindicare? Christus, quem occiderunt, quem negauerunt? An Deus pater vindicabit eos qui nec patrem recipiunt? *Item.* Si de causis pecuniariis comites tuos consulis, quantò magis in causis religionis sacerdotes domini æquum est consulas. *Item.* Integra adhuc tibi sunt omnia, in hoc me ego Deo nostro pro te obligo, nec verearis sacramentum. Nunquid Deo displicere poterit, quod pro eius emendatur honorificentia? *Item.* Quòd honorificentius fieri potuit, feci, vt me magis audires in regia: ne si necesse esset audires in Ecclesia.

Quod Iudæi bellandi potestatem amiserint. Hieronymus super Esaiam lib.y. ¶ CAP. 108. In c.3. Esa.

Non est mirum si apud Iudæos perierit omnis dignitas bellatorum, cum militandi sub gladio & arma portandi non habeant potestatem.

De damnatione Iudæorum si Christianum circumciderint. Cod.lib 1. ¶ CAP. 109.

Iudæi & bonorum proscriptione & perpetuo exilio damnabuntur, si nostræ fidei hominem circumcidisse eos, vel circumcidendum mandasse constiterit. L. Iudæi c. C.de Iudæ. & cælico.

De mancipiis Iudæorum, si ad Ecclesiam confugerint. Ex vita beati Greg.lib.iv.c.xliij.

¶ CAP. 110.

Quemadmodum Iudæos violenter baptizari Gregorius denegabat, ita Christianos eis quoquo modo subijci nullatenus permittebat. *Item.* Iudæorum mancipia semel confugientia ad Ecclesiam nusquam quibuslibet suasionibus reddi permittebat. *Item.* Non solū Christiana mancipia in libertatem pristinam legaliter reuocabat Gregorius, verùm paganorum ad fidem venire volentia, vendi nullo modo permittebat. Ibid c.45. Ibid.c.46.

Quod nulla infamis persona accusare possit. Stephanus omnibus episcopis, c.i.

¶ CAP. 111.

Accusator vestrum nullus sit seruus aut libertus, nullàque suspendij rea, aut infamis persona. Repellantur etiam cohabitantes inimicis, & omnes laici, quos ad infestationem blasphemiæ affectio amicitiæ incitare solet.

Vt Iudæi conuersi honorentur. Gelasius Quinigesio Episcopo. ¶ CAP. 112.

Vir clarissimus Telesinus quamuis Iudaicæ credulitatis esse videatur, talem se nobis approbare contendit, vt eum meritò * nostrum appellare debeamus qui pro * Antonio parente * vestrū. suo specialiter pōstulauit, vt eum dilectioni tuæ * Antio. commendare debeamus. Et ideo * fratrem supradictum voluntatis nostræ mandatorumque * frater. respectu ita te habere conuenit, vt non solùm in nullo penitus opprimatur, verùm etiam in quo ei opus fuerit, solatio tuæ se gaudeat dilectionis adiutum.

Qua diligentia examinandum sit de seruis Iudæorum. Gelasius Siracusio, Constantio, & Laurentio Episcopis. ¶ CAP. 113.

Iudas qui Iudaicæ professionis existit mancipium, iuris sui quod ante paucos annos se asserit comparasse, nunc ad Ecclesiam Venefranam confugisse suggessit, sicut petitorij tenor annexus ostendit, eò quòd dicat sibi ab infantia Christiano nuper à præfato domino signaculum circumcisionis infixum. Quapropter diligenter vestra inter vtrumque sollicitudo rerum fideliter examinet veritatem, quatenus nec religio temerata videatur, nec seruus hac obiectione mentitus competentis iura domini declinare contendat.

*Quod Iudæi seruari debeant, non occidi. Alexander Papa ij. omnibus Episcopis * Hispaniæ.* * Galliæ

¶ Cap. 114.

Placuit nobis sermo, quem nuper de vobis audiuimus: quomodo tutati estis Iudæos qui inter vos habitant, ne interimerentur ab illis qui cōtra Sarracenos in Hispaniam proficiscebantur. Illi quippe stulta ignorantia, vel fortè cæca cupiditate commoti in eorum necem volebant sæuire, quos fortasse diuina pietas ad salutem prædestinauit. Sic etiā beatus Gregorius quosdam qui ad eos delendos exardescebant, prohibuit, impium esse denuncians eos delere velle, qui Dei misericordia seruati sunt: vt patria libertatéque amissa, diuturna pœnitentia patrum præiudicio, in effusione sanguinis saluatoris dānati, per terrarum orbis plagas dispersi viuant. Dispar nimirum est Iudæorum & Sarracenorum causa. In illis enim qui Christianos persequuntur, & ex vrbibus & propriis sedibus pellunt iustè pugnatur: hi vbique parati sunt seruire. Quendam etiam Episcopum Synagogam eorum destruere volentem cohibuit.

De eodem. Berengario Narbonensi vicecomiti.

¶ Capvt 115.

Nouerit prudētia vestra nobis placuisse, quòd Iudæos qui sub vestra potestate habitant, tutati estis ne occiderentur Non enim gaudet Deus effusione sanguinis, neque lætatur in perditione malorum.

*Item, * VVillefredo Narbonensi Archiepiscopo.* *Vvilfredo.
Omnes leges tam Ecclesiasticæ quàm seculares effusionem humani sanguinis prohibent.

Ne medicina à Iudæo accipiatur. Ex septima Synodo, cap. xi. ¶ Cap. 116.

Nullus eorum qui in sacro sunt ordine aut laicus azyma Iudæorum manducet, aut cum eis habitet, aut eos in infirmitatibus suis vocet, aut medicinam ab eis accipiat; aut cum eis in balneo lauet. Si verò quisquam hoc fecerit: si clericus est deponatur, si laicus verò excōmunicetur.

Ne Christiani cum Iudæis ineant conuiuia. Ex concilio Agathensi cap. xl. ¶ Cap. 117.

Omnes clerici siue laici Iudæorum conuiuia vitent, nec eos ad conuiuium quisquam accipiat: quia cùm apud Christianos cibis communibus non vtantur, indignum est atque sacrilegū eorum cibos à Christianis sumi, cùm ea quæ Apostolo permittente nos sumimus ab illis iudicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Christiani quàm Iudæi, si * nobis quæ ab illis vitantur apponuntur, illi verò à nobis oblata contemnant. *28. q. 1. cap. omnes deinceps clerici.* *1. Tim. 4.* * nos quę ab illis ponuntur vtamur: illi &c. *orig.*

Ne Iudæi iudices vel telonarij constituantur. Ex cōc. Matisconensi tempore Guntranni Regis, c. xvi. *Matisc. cōc. 1. c. 13.*

¶ Cap. 118.

Ne Iudæi Christianis * præliis iudices deputentur, aut telonarij esse permittātur, per quod illis (quod Deus auertat) Christiani videantur esse subiecti. * populis *orig.*

De pœnitentia eorum qui cum Iudæis cibum sumpserint. Ex conc. Elibertano, c. l.

¶ Cap. 119.

Si aliquis clericus siue fidelis fuerit qui cum Iudæis cibum sumpserit, placuit eum à communione abstinere, vt debeat emendari.





D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI

DECRETI PARS DECIMA-QVARTA.

De Excommunicatione iusta vel iniusta, et quibus de causis, et quo ordine facienda sit.

Epist j ad Iacobũ fratrem domini statim post princi. Matth 16.

Qua discretione beatus Petrus docuerit in vno Clemente omnes Ecclesiæ præsules ligare & soluere.

¶ CAPVT PRIMVM.



LEMENTI trado, ait beatus Petrus, à Domino mihi traditam potestatem ligandi atque soluendi, vt de omnibus quibuscunque decreuerit in terris, hoc decretum sit & in cœlis. Ligabit enim quod oportet ligari, & soluet quod expedit solui: tanquam qui ad liquidum Ecclesiæ regulam nouerit.

Ibidem aliquãtò post.

Item de eodem.

¶ CAPVT 2.

Omnes, ô Clemens, cum tanta reuerentia tua verba suscipiant, vt sciant legatum te & præconem esse veritatis, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo, & & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlo, * quandoquidem (vt dixi) quæ oportet ligabis, & quæ expedit solues.

Matth.16. * quoniãquidem orig.

lib.quadraginta hom.

Ne prælatus propriam sequens voluntatem aut soluere noxios, aut ligare conetur insontes. Gregorius in homilia xxvi.

¶ CAP. 3.

1.q.3.cap. plerunque.

Plerumque contingit, vt hic iudicis locum teneat, cuius ad locum vita minimè concordat: ac sæpe agitur vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat. Sæpe in soluendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur pastor: vnde fit vt ipsa ligandi ac soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subditorum moribus exercet. Sæpe fit vt erga quemlibet proximum odio vel gratia moueatur pastor. Iudicare autem dignè de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Vnde rectè per Prophetam dicitur, Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quę non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat: & non victurum viuificare nititur, qui reum à supplicio absoluere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda: videndum quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos sẽtẽtia pastoris absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm interni arbitrium sequitur iudicis. Quod benè quatriduani Lazari illa resurrectio designat, quæ videlicet demonstrat quia prius mortuum dominus vocauit, & viuificauit dicens, Lazare veni foras, & postmodũ is qui viuens fuerat egressus à discipulis est solutus, sicut scriptum est, Cùmque egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis, Soluite eum & sinite abire, & ecce illum discipuli iam viuentem soluunt, quem magister resuscitauerat mortuum. Si enim discipuli mortuũ soluerent, fœtorem magis ostenderent quàm virtutem. Ex qua consideratione nobis intuendum est, quòd illos nos debemus per pastoralem authoritatem soluere, quos authorem nostrum intelligimus per suscitantem gratiam viuificare. Quæ nimirum viuificatio ante rectitudinem operis in ipsa iam cogno-

Ezech 13. Ioan.11.

ſcitur cõfeſſione peccati. Vnde & huic ipſi mortuo nequaquã dicitur, reuiuiſce, ſed veni foras. Omnis quippe peccator dum culpã ſuã intra cõſcientiã abſcõdit, introrſus latet, in ſuis penetralibus occultatur. Sed mortuꝰ venit foras, cũ peccator nequitias ſuas ſpõte cõfitetur. Lazaro ergo dicitur, Veni foras: acſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? foras iam per confeſſionem egredere, qui apud te per * cogitationem interius lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt culpam confiteatur peccator. Venientem verò * ſoluant diſcipuli, vt paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amouere, quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit. Hæc de ſolutionis ordine breuiter dixerim, vt ſub magno moderamine paſtores Eccleſiæ vel ſoluere ſtudeant, vel ligare.

* negationem. *orig.*
* foras *inſeritur in orig.*

Quòd ſancti minimè delinquunt cùm peccantes maledicti ſententia feriunt. Gregorius in moralibus lib. iv. cap. vi.

¶ Cap. 4.

Cùm ſancti viri maledictionis ſententiam proferunt, non ad hanc ex voto vltionis, ſed ex iuſtitiæ examine * erumpunt. Intus ſubtile Dei iudicium aſpiciunt, & mala foris exurgentia, qua maledictione ferire debeant cognoſcunt, & eo maledicto non peccant, quo ab interno * iudice non diſcordant.

24. q. 3. c. cùm ſancti viri
* prorũpunt. *orig.*
* iudicio. *orig.*

Item. Quòd duobus modis maledictum proferatur, & iniuſta vincula iuſto non eſſe metuenda.

Greg. moral. lib. 4. c. 5.

¶ Cap. 5.

Scriptura ſacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur iudicio iuſtitiæ, vt ipſo primo homine peccante prolatum eſt, cùm audiuit, Maledicta terra in opere tuo: & cùm Abrahæ dicitur, maledicentibus tibi maledicam. Rurſum quia maledictum non iudicio iuſtitiæ profertur, ſed liuore vindictæ promitur, voce Pauli prædicantis admonemur, qui ait, Benedicite & nolite maledicere. *Auguſtinus de verbo domini ſecundùm Matthæum, c. xvi.* Cœpiſti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra: ſed vt iuſtè alliges vide, nam iniuſta vincula dirumpit iuſtitia. Cùm autem correxeris & concordaueris cum fratre tuo, ſoluiſti illum in terra: cùm ſolueris in terra, erit ſolutus & in cœlo.

Geneſ. 3.
Geneſ. 12.
Rom. 12.
11. q. 3. c. cœpiſti.

Quòd abominabilis ſit Deo qui vel iuſtum ligauerit, vel ſoluerit iniuſtum. Hieronymus ſuper epiſtolam Pauli ad Philemonem.

Ad locum, Gratias ago Deo meo.

¶ Cap. 6.

Si quis dixerit iuſtum iniuſtum, & iniuſtum iuſtum, abominabilis vterque apud Deum eſt. Similiter qui ſanctum dicit eſſe non ſanctum, & rurſum non ſanctum aſſerit ſanctum, abominabilis apud Deum eſt.

11. q. 3. c. Si quis dixerit
Prou. 18.

Quòd apud Deum non ſententia ſacerdotum, ſed vnumquemque vita defendat aut damnet. Hieronymus ſuper Matthæum libro tertio.

In cap. 16.

¶ Cap. 7.

Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlo: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo. Iſtum locũ Epiſcopi & preſbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, vt vel damnent innocentes, vel ſoluere ſe noxios arbitrentur: cùm apud Dominum non ſententia ſacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Leuitico de leproſis, vbi iubentur vt oſtendant ſe ſacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc à ſacerdote immundi fiant, non quò ſacerdotes immundos faciant, ſed quò habeant notitiam de leproſis, & non leproſis, & poſſint diſcernere qui mundus, quiue immundus ſit. Quomodo ergo ibi ſacerdos mundum vel immundum leproſum non facit, ſic & hic non alligat vel ſoluit Epiſcopus & preſbyter eos qui inſontes ſunt vel noxij, ſed pro officio ſuo cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, qui ſoluendus.

Leuit. 14.

Sententiam iniuſtè prolatam nullatenus eſſe metuendam. Gelaſius Epiſcopis Orientalibus, de communione Acatij vitanda.

Leuit. 14.

¶ Cap. 8.

Cui eſt illata ſententia, deponat errorem, & vacua eſt. Si iniuſta eſt, tantò eam curare non debet, quantò apud Deum & Eccleſiam eius neminem poteſt iniqua grauare ſententia. Ita ergo ea ſe non abſolui deſideret, qua ſe nullatenus perſpicit obligatum.

11 q. 3. c. cui eſt illata.

Non impunè cedere ſi quis patitur iniuſtè. Auguſt. de ſummo bono. ¶ Cap. 9.

11. q. 3. c. ſecundùm Catholicam.

Secundùm Catholicã fidem ſanámq; doctrinam, nec Dei naturæ nocere quiſquã poteſt, nec natura Dei iniuſtè nocere cuiquam, nec nocere iniuſtè patitur quiſquam. Qui enim nocet, ait Apoſtolus, recipiet hîc quod nocuit.

Coloſſ. 3.

Nullum damnari niſi pro iniqua conſcientia. Aug. de ſermone Domini in monte.

Lib. 2. c. 29.

¶ Cap. 10.

Temerarium iudicium plærumque nihil nocet ei de quo iudicatur temere. Ei autem qui temere iudicat, ipſa temeritas neceſſe eſt vt noceat.

11. q. 3. c. temerarium.

Item. Auguſtinus in epiſtola ad clerum Hipponenſem. ¶ Cap. 11.

Epiſt 137.

Nunc ſi vobis placet vt nomen preſbyteri non recitetur, ne iis qui ad Eccleſiam nolunt accedere, ſicut ait Apoſtolus, demus occaſionem, non erit hoc noſtrum factum. Quid enim obeſt homini, quòd ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, ſi de libro viuentium non eum deleat iniqua conſcientia?

2. Cor. 11.

De eodem. Auguſtinus ad Secundinum Manichæum. ¶ Cap. 12.

Tomo 6. lib. cõtra Secundinum Manich. c. 1.

Senti de Auguſtino quicquid libet, ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet.

11. q. 3. c. ſent. Ad verſũ: Nec dãnabit eũ cùm iudicabitur illi.

In iudicio ſolam timendam eſſe conſcientiam. Aug. ſuper Pſal. xxxvi. ¶ Cap. 13.

Etſi ad tempus damnaris ab homine, & ſi * dixeris ſententiam proconſuli in Cyprianum, aliud eſt ſella terrena, aliud tribunal cœleſte, ab inferiore accipit ſententiam, à ſuperiore coronam.

11. q. 3. c. etſi tempus.
* dixeris ſententiam proconſulis.

Ad versũ: Quonia in te speraui. *Iusto pro maledicto iniustè illato, præmium fore sperandum. Augustinus super Psal. xxxvij.*

¶ Cap. 14.

11. q. 3. c. custodi. Custodi intus innocentiam tuam vbi nemo opprimit causam tuam. Præualuit in te falsum testimonium, sed apud homines. Nũquid apud Deum valebit, vbi causa tua dicenda est? Quando Deus erit iudex, alius testis quàm conscientia tua non erit. Inter iudicem iustum & conscientiam tuam noli timere, nisi causam tuam.

Ad versũ: Faciens misericordiam dominus. *Item. August. super Psal* 102. Qui iustus est & iniustè maledicitur, præmium illi redditur.

Vt presbyter vel diaconus ab Episcopo suo quocumque modo deiectus à prouincialibus Episcopis discutiatur, & ante hoc à nemine in communionẽ recipiatur. Ex Sardicensi *conc. c. xvij.*

¶ Cap. 15.

11. q. 3. c. Si Episcopus fortè iracũdus. Si quis Episcopus fortè iracundus (quod esse non debet) citò & asperè commouetur aduersùs presbyterum siue diaconum, & exterminare eũ de Ecclesia voluerit: videndum est ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideo habeat potestatem is qui abiectus est, vt Episcopos finitimos interpellet, & causa eius audiatur, ac diligentius tractetur: quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille Episcopus qui iustè aut iniustè eum abiecit, patienter accipiat vt negotium discutiatur: vt vel probetur sententia eius à plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus, nullus debet præsumere vt communioni societ.

Agath. conc. cap 3. *Vt Episcopis qui subiectis vehementes fuerint & implacabiles, à vicinis Episcopis communio denegetur. Ex* Arelatensi *concilio, c. xi.*

¶ Cap. 16.

11 q. 3 cap. episcopi. Episcopi si sacerdotali moderamine postposito, innocentes ac minimis causis culpabiles excommunicare præsumpserint, aut ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, à vicinis Episcopis cuiuslibet prouinciæ literis moneantur: & si parere noluerint, communio illis vsque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis denegetur.

* presbytero *habet Greg. Li. 2. indict. 11. epist. 16.* *Exemplum huius rei. Gregorius magno * Episcopo Mediolani.*

¶ Cap. 17.

24. q. 3. c. cõperimus. Comperimus, quòd Laurentius quondam frater & coëpiscopus noster, nullis te culpis exstantibus communione priuauerit, ideóque huius præcepti nostri authoritate munitus officium tuum securus perage, & communionem sine aliqua sume formidine.

Li. 12. regist. epist. 26. *Ne Episcopus præcipitem sententiam dictet. Gregorius Maximiano Syracusano Episcopo.*

¶ Cap. 18.

Frequenter me admonuisse vos recolo, vt in proferenda sententia esse præcipites nullatenus deberetis: & nunc ecce cognoui quia reuerendissimum virum Abbatem Eusebium commota furore vestra fraternitas excommunicauit: quod ego valde miratus sum.

Vt sana ratio corrigat quod mens turbata peccauerit. Augustinus ad Auxilium Episcopum. Epist 75.

¶ Capvt 19.

Precor vt ignoscas precanti veniam excommunicato, si agnouerit culpam. Si autem nihil eum peccasse prudenter aduertis, fac quod sanctum virum facere oportet, vt si tibi contigit tanquam homini, quod vtique homo dicit in Psalmo, Turbatus est præ ira oculus meus, exclames ad Deum, Miserere mei domine quoniam infirmus sum, vt porrigat tibi Psal. 6. dextram suam, & comprimat iracundiam tuam, & tranquillet mentem tuam ad videndum faciendámque iustitiam. Aufer gesta Ecclesiastica quæ perturbatior quàm consideratior forsitan fecisti.

Sugillatio sacerdotum qui ad persequendas culpas prosiliunt incautè. Rabanus *de pressuris Ecclesiasticis, lib. i.*

¶ Cap. 20.

Non in perpetuum damnamur cùm iniustè iudicamur, dicente Psalmista, Nec damnabit illum cum iudicabitur illi. Multi denique sacerdotum culpam zelo Dei se persequi profitentur, sed dum indiscretè hoc agunt, sacrilegij facinus incurrunt, & dum præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque multò magis deterius cadunt. 24. q 3 c nõ in perpetuũ Psal. 36.

Qualiter in prælatum vindicari debeat, qui subiectum illicitè damnauerit. Ex Concilio *Parisiensi tempore Ludouici.*

¶ Cap. 21.

De illicita excommunicatione lex Iustiniani Catholici Imperatoris, quam probat & seruat Ecclesia Catholica constitutione 118. capite CCCCLI. decreuit vt nemo Episcopus, nemò Presbyter, excommunicet aliquem, antequam causa probetur propter quam Ecclesiastici canones hoc fieri iubent. Si quis autem aduersus ea aliquem excommunicauerit, ille quidem qui excommunicatus est maioris sacerdotis authoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat. Is autem qui non legitimè excommunicauit, in tantum tempus abstineat à sacra communione, quantum maiori sacerdoti visum fuerit: vt id quod iniustè fecit ipse iustè patiatur. Et hinc sanctus Gregorius ad Ioannem Episcopum iniustè excommunicantem inter cætera scripsit, dicens, Cassatis prius, atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri Apostolorum principis authoritate, decernimus XXX. dierum spacio sacra te communione priuatum, ab omnipotenti Deo tanti excessus veniam cum summa pœnitentia ac lachrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognouerimus implesse remissius, non iam tantùm iniustitiam, sed & contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas iuuante domino, seueriùs puniendam: quia nemo præproperè vel præposterè scilicet non commonitus neque cõuentus est iudicandus, de conuentione huiusmodi patratoris manifestorum criminum lex dicit. Quicumque tribus authoritatibus iudicis

24 q 3. c. de illicita. Lib. regist 2. c. 45. epist 6. ad Ioannem episc. primæ Iustinianæ.

conuentus, vel tribus edictis fuerit ad iudicem prouocatus, aut vno pro omnibus peremptorio, id est quod causam extinguit, fuerit euocatus, & præsentiam suam apud iudicem à quo ei denunciatum est exhibere noluerit, aduersùs eum quasi in contumacem iudicari potest: quinimo nec retractari per appellationem negotia possunt, quoties in contumacem fuerit iudicatum. Et hanc sententiam de tribus authoritatibus conuentis ex Euangelica veritate Cœlestinus ad Nestorium scribens, & Ephesina Synodus de eodem decernens, & beatus Gregorius ad Ioannem scribens comprobant. De peremptorio autem scripto, Aphricanum Concilium monstrat de Cresconio, vt si conuentus resipiscere detrectauerit, suo contemptu & contumacia faciente, authoritate iudiciaria protinus excludatur. Et item beatus Gregorius de sententia in contumacem, scribens ad Maximum præsumptorem Salonitanum episcopum dicit: Hortamur vt ad nos venire omni postposita excusatione festines, quatenus seruata iustitia hæc de quibus accusaris & cognoscere, & finire secundùm canonica instituta Christo reuelante, possimus. Ita autem fac vt ad veniendum amplius iam moras non ingeras, ne ipsa te magis absentia obnoxium his quæ dicuntur assignet, & nos in te hæc res non solùm propter dicta crimina quæ purgare subterfugis, sed etiã propter inobedientiæ culpam durius scilicet vt in contumacem, cogat ex Concilio ferre iudicium.

Epist conc. Ephesini ad Nestorium. Cap. 44.

Lib. 5 regist. epist. 3 seu c. 103.

Quales subiecti erga eos esse debeant qui animum offenderint præsidentis. Ex epistola 1. Clementis ad Iacobum.

¶ CAP. 22.

Quædam ex vobis ipsis intelligere debetis, si qua sunt quæ Episcopus vester propter malorum hominum insidias non potest euidentius & manifestius proloqui. Verbi gratia: si inimicus est alicui pro actibus suis, nolite expectare vt ipse vobis dicat, Cum illo nolite amici esse: sed prudenter obseruare debetis, & voluntati eius absque contentione obsecundare, & auertere vos ab eo cui ipsum sentitis aduersum. Sed nec loqui his quibus ipse non loquitur, vt vnusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vestrorum amicitias ferre, festinet citius ei reconciliari qui omnibus præest. Et per hoc redeat ad salutem, cum obedire cœperit monitis præsidentis. Si quis verò amicus fuerit his quibus ipse amicus non est, & locutus fuerit his quibus ipse non loquitur, vnus est, & ipse ex illis qui exterminare volunt Dei Ecclesiam, & cùm corpore vobiscum esse videatur, & mente & anima contra vos est, & multo est nequior hostis hic, quàm hi qui foris sunt, & euidenter inimici sunt.

Epist. 2. c. 2. *Vt communicans excommunicatis similem sortiatur vindictam. Calixtus Episcopis Galliæ.*

¶ CAP. 23.

11. q. 3. c. excommunicatos.

Excommunicatos quoque à sacerdotibus nullus recipiat ante vtriusque partis iustam examinationem, nec cum eis in oratione, aut cibo, vel potu, vel osculo communicet, nec Aue eis dicat. Quia quicumque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicauerit, iuxta Apostolorum institutionem & ipse simili excommunicationi subiacebit. *Cap 11 canonũ Apost.*

De eadem re. *Fabianus Papa Ecclesiæ comministris.* *Epist. 1.*

¶ CAP. 24.

Cum excommunicatis non est communicandum. Et si quis cum excommunicato auertendo regulas scienter saltem in domo simul locutus fuerit vel orauerit, ille communione priuetur. *11. q. 3. c. Sicut Apostoli.*

Ne quis Episcopus alterius Episcopi presbytero vel diacono communione priuato scienter communicet. Ex Sardicensi concilio, c. xvi.

¶ CAP. 25.

Siue diaconus, siue presbyter, siue quis clericorum ab Episcopo suo communione fuerit priuatus, & ad alterum perrexerit episcopum, & scierit ille ad quem confugit, eum ab episcopo suo fuisse abiectũ, non oportet vt ei communionem indulgeat. Quod si fecerit, sciat se conuocatis episcopis causam esse dicturum.

Vt quilibet Ecclesiastici ordinis ministri excõmunicatis communicantes communione priuentur. Ex Antiochensi conc. cap. ij. *Ant 1. sub Iulio 1.*

¶ CAP. 26.

Si quis de episcopis, vel presbyteris, vel diaconis, seu quilibet ex clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste priuetur communione, tanquam qui regulam confundit ecclesiæ.

Ne quis clericum communione priuatum recipiat, nisi aut suo Episcopo reconciliatum, aut Synodali satisfactione purgatum. Ex eodem conc. c. vi.

¶ CAP. 27.

Si quis à proprio Episcopo communione priuatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quàm suo reconcilietur episcopo, aut certè ad Synodum quæ congregatur occurrens, pro se satisfaciat. *11. q. 3. c. Si quis à proprio.*

Ab Ecclesia eliminatum quisquis clericorum in communionem receperit pari lege iudicetur. Ex conc. 4. Carthag. cap. vij.

¶ CAP. 28.

Qui merito facinorum suorum ab ecclesia expulsi sunt, si ab aliquo episcopo, vel presbytero, vel * clerico fuerint in communione suscepti, etiam ipsi pari crimine cum eisdem teneantur obnoxij. De eadem re. Ex concilio iv. Carthag. Qui communicauerit vel orauerit cum excommunicato, siue clericus siue laicus, excommunicetur. *11 q. 3. qui merito.* ** diacono* *Cap. 73.* *11. q. 3. c. qui communicauerit.*

De eadem re. *Ex Cæsaraugustensi conc. cap. v.*

¶ CAP. 30.

Hi qui per disciplinam aut sententiam Episcopi ab ecclesia fuerint separati, ab aliis episcopis non sunt recipiendi. Quod si scientes episcopi fecerint, non habeant communionem.

De eadem re. *Ex conc. Tolet. 1. c. xv.* ¶ CAP. 30.

Si quis laicus abstinetur, ad hunc vel ad domũ eius, vel clericorum vel religiosorum nullus accedat. Similiter & clericus si abstinetur, à clericis deuitetur. Si quis cum illo colloqui aut conuiuari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur. Sed hoc pertineat ad eos clericos qui * vnius sunt episcopi, & ad oẽs qui moniti fuerint de eo qui abstinetur siue laico quolibet siue clerico. *11. q. 3. c. Si quis laicus.* ** eiusd ori.*

c. p. 84. *De eodem re. Ex canonibus Martini Episcopi ad laicos.* ¶ CAP. 31.

Non liceat communicare excommunicatis, neque in domos eorum introeuntes orare cum eis. Si autem aliquis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet Ecclesiasticus excõmunicato communicauerit, quasi perturbans omnem disciplinam Ecclesiæ, excõmunicetur.

Lib. 3. regist. epist. 24. *Item de eodẽ. Gregorius Ianuario Episcopo Sardiniæ.* ¶ CAP. 32.

Eis qui ab Ecclesiastica communione suspensi sunt, nullus religiosus secundùm canonum statuta iungatur.

Ne quis contra Ecclesiasticam satisfactionem excommunicatis communicet. Gelasius Maiorico, Serano, & Ioanni Episcopis.

¶ CAP. 33.

Cœlestinus presbyter fratris & coepiscopi nostri Serani, qui contra pontificale iudicium contráque Apostolicæ sedis mandata prorumpens, supradictis cõmunicationem sacram ministrare præsumpsit, cùm non poterit ignorare sententiam proprij sacerdotis, ab officio protinus Ecclesiastico repellatur, vt nullus Ecclesiæ ministrorum contra pontificalia statuta venire contendat.

De eadem re. Ex Regula sancti Benedicti, c. xxvi.

¶ CAP. 34.

Si quis frater præsumpserit sine iussione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo se iungere aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere: similem sortiatur excommunicationis vindictam.

Vt excommunicatus ante examen non communicet, statuta misericorditer pœnitentia his qui aliter fecerint. Ioannes viij. clero & ordini Salernitano.

¶ CAP. 35.

11. q. 3. c. de illis presbyteris. De illis presbyteris qui tempore sanctissimi prædecessoris nostri domini Papæ Nicolai excommunicati sacrum ministerium contingere præsumpserunt, ipsi in se damnationis (sicut sancti canones statuerunt) sententiam intulerunt. Tamen quia miseratio Apostolica veniam solet præstare correctis, ob multitudinem misericordiæ illis hanc indulgentiam exhibemus, vt sancta communione saginati studeant tribus continuis annis per hebdomadam * omni secunda & sexta feria, à vino aut aceto penitus ieiunare, & vltra lugenda nequaquam committere.

** omni tẽpore, 2. & 4. & 6. feria à vino & carne penitus ieiunare Sic Grat.*

Vt nullus Ecclesiæ Sacramenta ab excommunicatis accipiat. Ioannes viij. Michaeli Regi Bulgarorum. ¶ CAP. 36.

Si ab his quos excommunicatos habebamus sacramenta quæcumque suscipitis, constat quia idololatriam, non vt Catholici essetis, sed vt schismatici efficeremini, reliquisse videmini.

Item vt clericus siue laicus à suo Episcopo damnatus ab aliis non recipiatur. Ex conc. Nicæno. c. v.

¶ CAP. 37.

De his qui communione priuantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, ab Episcopis per vnãquamque prouinciam sententia regularis obtineat, vt hi qui abiiciũtur, ab aliis non recipiãtur.

De eadem re. Ex epistola Carthag. conc. ad Cœlestinum Papam. ¶ CAP. 38.

Deprecamur, vt deinceps ad aures vestras hinc venientes non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem vltrà velitis excipere: quia etiam hoc Nicæno concilio definitum facilè aduertit venerabilitas tua. Nam si de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaueri, quantò magis hoc de Episcopis voluit obseruari, ne in prouincia à communione suspensi à tua sanctitate præproperè vel indebitè videantur communioni restitui? Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia (sicut te dignum est) repellat sanctitas tua. *Extat inter decreta cõc. African. c. 105. Cap. 5.*

Item de eadem re Nicolaus Epiphanio Episcopo. ¶ CAP. 39.

Sancimus, vt si quis presbyter pro aliquo neglectu aut crimine à proprio excommunicatus fuerit Episcopo, ab alio Episcopo non communicetur. Si verò ante audientiam communicare præsumpserit, dãnationis in se illatam cognoscat sententiam.

De eadem re. Ex Canon. Apostolorum cap. xi. ¶ CAP. 40.

Si quis excommunicato saltem in domo locutus fuerit, vel orauerit, iste cõmunione priuetur. *11. q. 3. c. si cut Apostoli. d. st 19 cap. Anastasius.* *Exemplum cauendi: Ex lib. Pontificali.* Anastasius 2. natione Romanus sedit anno vno, mensibus xi. diebus 24. Et multi presbyteri atque clerici eiecerunt se à communione ipsius: eo quòd sine consilio eorum communicasset diacono Thessalonicen. qui communis erat Acacio: & quia occultè voluit reuocare Acacium, & non potuit, quia diuino nutu percussus est Acacius.

Quod nemo possit iustè damnari, nisi canonicè ad audientiam vocatus. Alexander ij. Geruasio Remensi Archiepiscopo. ¶ CAP. 41.

Iustè non potest fieri, vt prius quis à quoquam prælato excommunicetur, quàm missa synodica canonicè ad respondendum vocetur.

Vt prælatus si quem ante probationem causæ damnauerit, maiori audientiæ addictus recipiat & ipse quod fecit. Nouellarum constitut. xi. c. xx.

¶ CAP. 42.

Nemo episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur propter quam Ecclesiastici canones hoc fieri iubet. *2. q. 1. c. nemo episcopus.* Si quis autem aduersùs ea excommunicauerit aliquem, ille quidem qui excommunicatus est, maioris sacerdotis authoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat: is autem qui non legitimè excommunicauit, in tantum abstineat tempus, quantum maiori sacerdoti visum fuerit, vt quod iniustè fecit, ipse iustè patiatur.

Quo moderamine sedes Apostolica in ferenda sententia qualitatibus hominum condescendat.

Ex decretis Gregor. vij.

¶ CAP. 43.

Quoniam multos peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim *11 q. 3. c. quoniam multos.*

nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate: deuicti misericordia, anathematis sententiam ad tempus (prout possumus) temperamus. Apostolica itaque authoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet vxores, liberos, filios, seruos, ancillas seu mancipia, nec non rusticos, & seruientes, & omnes alios qui non adeo curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur, & eos qui ignoranter excõmunicatis cõmunicant, siue illos qui cõmunicant cũ eis qui excommunicatis cõmunicant. Quicunq; autẽ aut arator, aut peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum deuenerit vbi non possit emere, vel non habeat vnde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis non pro sustentatione superbiæ, sed humanitatis causa dare voluerit, non prohibemus.

Epist 75. *Vtrùm vno quolibet peccante tota domus eius anathemate ferienda sit. Ex epist. Augustini ad Auxilium episcopum.* ¶ CAP. 44.

24. q. 3. c. Si habes. Si habes de hac re sententiam certis rationibus vel scripturarum testimoniis exploratam, nos docere digneris quomodo rectè anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti vxor, aut pro domini seruus, aut quisquam in domo etiam nondum natus, si eo tempore quo vniuersa domus est anathemate obligata nascatur, nec ei possit per lauacrum regenerationis in mortis periculo subueniri. * Hæc enim corporalis est pœna, qua legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus qui eiusdem impietatis participes fuerunt, pariter interfectos. Tunc quippe ad terrorem viuentium mortalia corpora perimebantur, quandoque etiam moritura. Spiritualis autem pœna, qua fit quod scriptum est, Quæ ligaueris super terram erunt ligata & in cœlo, animas obligat, de quibus dictum est, Anima patris mea est: & anima filij mea est: anima quæ peccauerit ipsa morietur. Audistis fortasse aliquos magni nominis sacerdotes cum domo sua quempiam anathematizasse peccantium. Ego autẽ si quis ex me quæsierit, vtrùm rectè fiat, quid ei respondeam non inuenio. Nunquam hoc facere ausus sum de quorundã facinoribus vnanimiter aduersùs Ecclesiam perpetratis, nisi grauissimè commouerer. *Item.* Quomodo possumus vel Deo vel hominibus iustam reddere rationem, si animas innocẽtes pro scelere alieno quod non trahũt, sicut ex Adam in quo omnes peccauerunt, originale peccatum spirituali supplicio puniamus? Etenim Classiciani filius etsi traxit ex patre noxam primi hominis sacro fonte baptismatis expiandam, tamen quicquid postea qui eum genuit, peccati pater eius admisit, vbi particeps iste non fuit, ad eum non pertinere quis ambigat? Quid dicam de coniuge? quid dicam de tot animabus in vniuersa familia?

[Margin: * Nec; Matth. 16.; Ezech. 18.; Pauculis interiectis.; Rom. 5.]

Apostolicæ sedis exemplum, quomodo quosdam excommunicatos publicè pronunciet, quosdam quasi dissimulet, quos tamen saluandos pœnitentiæ medicamento monet. Vrbanus y. Gibhardo Constantiensi episcopo.

¶ CAP. 45.

Excommunicationis quæstione tractata, sancti prædecessoris nostri Gregorij sententiam cõfirmantes, ita eam domino inspirante determinauimus. Primo siquidem gradu Rauennatem Hæresiarcham Romanæ Ecclesiæ inuasorẽ ab omnibus catholicæ ecclesiæ membris alienum & excommunicatũ esse cẽsemus. Secundo eos qui armis, pecunia, consilio, aut obedientia ecclesiasticos maximè ordines aut honores ab eis accipiendo, eorum nequitiæ adminiculum subministrãt. Hos igitur principaliter anathematis vinculis adstringentes, in tertio gradu cõmunicantes eis nos quidem non excõmunicauimus, sed quia ipsi se eorũ * cõmunione condẽnant, in nostrã eos societatẽ sine pœnitentiæ vltione & absolutione nequaquam recipimus. Sanctis quippe canonibus cautum constat, vt qui excõmunicatis cõmunicauerit, excõmunicetur. Ipsi tamen pœnitentiæ atque absolutionis modos ea moderatione decreuimus, vt quicunq; seu ignorantia, seu timore, seu necessitate negotij cuiusquã maximi & maximè necessarij, eorũ se cõuictu, salutatione, oratione, osculóue contaminauerit, minoris pœnitentiæ medicina societatis nostræ participium sortiatur. Eos verò qui aut spontaneè aut negligenter inciderint, sub ea volumus disciplinæ coërcitione suscipi, vt cæteris metus incutiatur.

[Margin: * excõmunicatione]

De eadem re. Nicolaus Papa Hincmaro Remorum Archiepiscopo. ¶ CAP. 46.

Excellentissimus Rex Carolus Apostolatum nostrum consuluit, quid agendum sit de his qui communicant cũ his qui cũ * Ingeltrude sæpe damnata cõmunicant fœmina, quoniã eam cum cõmunicatoribus & fautoribus suis pari vinculo anathematis retineri constat astrictã. Quapropter nunc beatitudini tuæ iniungimus, vt super hoc nostra authoritate freta curã de his sumere studeat. Et quia docta diuinitus sanctitas tua valde nouit aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud quod ex studio delinquitur, istúdq; posterius duobus prioribus strictius esse puniendum, idcirco solerter inuigilet, & cauta discretione singulorum modos diiudicet, quatenus hi ex necessitate vel ignorantia delinquunt authoritate nostra per te absoluantur, si tamen ipsa eorum ignorantia vel necessitas vera & non simulata, vel non ex voluntate processerit. Quia vt benè nosti, plærique sunt qui possunt quidẽ, sed non volunt recta nosse. Vnde Psalmista de huiusmodi, Noluit, inquit, intelligere vt bene ageret. Illos autem qui studio suo obligantur & contẽptu interdicta nostra postponunt, non nisi digna satisfactione preueniente volumus à te prorsus absolui.

[Margin: 11 q. 3 c. excelletissim*.; * Engiltrude; Psal. 35.]

Quod ratum sit in cœlo Ecclesiæ iudicium. Augustinus super Ioannem parte i. tract. xliv.

¶ CAP. 47.

Cùm excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus: cum reconciliat Ecclesia, in cœlo soluitur reconciliatus.

[Margin: Milleloquiũ August. ad titulum Excommunicationis tribuit c. 49 sed nec ibi legitur.]

Item de potestate Ecclesiæ. Chrysostomus super epistolam ad Hebræos, sermone iv.

¶ CAPVT 48.

Nemo contemnat vincula Ecclesiastica: non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit, & dominos fecit homines tanti honoris.

[Margin: Hom. 4. ad c. 2. epistolæ ad Hebr.; 11. q. 3. c. nemo contemnat.]

Quid sit anathematizari. Ex quinta Synodi actione v. ¶ CAP. 49.

Certum est quòd qui impius demonstratus est, omnimodò separatus est à Deo: sicut etiam

[Margin: 24. q. 3. c. certum est.]

ille

ille qui anathematizatus tanquam impius separatus est. Nihil enim aliud significat anathema, nisi à Deo separatio. *Actione viij.* Iudiciũ anathematis nihil aliud est, nisi à Deo separatio, quod impius licet in verbo ab aliquo non suscepisset, tamen anathema reipsa sibi infert per suam impietatem, semetipsum à vera vita separans.

…illeloquiũ …ibuit, c. 14. …ec ibi repe…tur.

Quàm graue sit periculum anathematizari. Augustinus de verbis Apost. serm. lxviij.

¶ CAP. 50.

…q. 3. cap. …mnis Christianus. Omnis Christianus dilectissimi qui à sacerdotibus excommunicatur, Satanæ tradi dicitur. Quomodo? Scilicet quia extra ecclesiam est diabolus, sicut in ecclesia Christus. Ac per hoc quasi diabolo tradi dicitur, qui ab ecclesiastica communione remouetur. *…Tim. 1.* Vnde illos quos tunc Apostolus Satanæ esse traditos prædicat, excommunicatos à se esse demonstrat.

Quid intersit inter excommunicationem & anathema. Ioannes viij. Luitberto Archiepiscopo Maguntino. ¶ CAP. 51.

Engeltruden vxorem Bosonis noueris non solùm excommunicatione (quæ à fraterna societate separat) sed & anathemate, quod ab ipso corpore Christi, quod est ecclesia, recidit, crebrò percussam.

Quàm sit graue anathema Ex historia Anastasij bibliothecarij Romanæ ecclesiæ.

¶ CAP. 52.

Tharasius patriarcha cùm eligeretur, dixit, Anathema procul à Deo emittit, & à regno cœlorum expellit, ducens in tenebras exteriores.

…pist. 2. …ost init.

Quòd regnum cœlorum intercluditur quibus ecclesia clauditur. Eutychianus episcopis per Siciliam.

¶ CAP. 53.

Quibus regnum Dei præcluditur, proculdubio & ecclesia denegatur. De quibus dominus in Euangelio, potestatem Apostolorum eorúmque successorum annuncians ait; *Matth. 18.* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum alligaueritis peccata, alligata erunt, id est, quibus ecclesiam interdixeritis, nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis ianua regni cœlestis clausa erit.

…ib 3. regist. …pist. 20.

Quòd ordinatio quæ ab excommunicatis fit nullam vim habet. Gregorius Maximo præsumptori Salonæ.

¶ CAP. 54.

Additur inauditum nefas, quòd post interdictionem quoque nostram, quæ sub excommunicatione quoque nostra ordinantiúmque te facta est, cæsis presbyteris, diaconibus, cæteróque clero manu militari ad medium diceris deductus. Quam rem nos consecrationem dicere nullo modo possumus: quia ab excommunicatis est hominibus * consecrata. ** al. cele…brata.*

De eadem re. Ex decret. vij. Gregorij Papæ.

¶ CAP. 55.

Gregorius Papa synodo præsidens dixit. Ordinationes illorum qui ab excommunicatis sunt ordinati, sanctorum patrum sequentes vestigia irritas fieri censuimus.

Exemplum cauendi. Paulus in vita Greg. lib. iiij. cap. ix. ¶ CAP. 56.

Cum Dalmatinorum generalitas honoratum Archidiaconum, quem Gregorius ex presbytero in diaconum conuerterat, sibi præficiendum concorditer elegissent, eorúmque decretum pontifex approbasset, factione Malchi episcopi rectoris Apostolici patrimonij, manu militari, Maximus multis criminibus inuolutus episcopatum Salonitanæ ciuitatis inuasit. Quod Gregorius audiens Dalmatinis & Iadectinis episcopis, ne illi manus imponerent sub magna interminatione prohibuit. At vero Maximus, qui episcopatus sedem contra canones inuaserat, etiam sacerdotium contra Deum per symoniacam hæresin ab episcopis duntaxat excommunicatis precio corruptis, non timuit promereri.

Quod qui excommunicatus est alium excommunicare nequit. Alexander ij. Guillelmo Marcioni.

¶ CAP. 57.

Audiuimus quod Henricus, Rauennas dictus Archiepiscopus nisus sit te excommunicare: *24 q 1. c audiuimus.* quod, quia excommunicatus te excõmunicare non potuit, apostolica authoritate te tuósque absoluentes, mandamus exinde non curare.

De eadem re. Nicolaus Papa Michaeli Augusto.

¶ CAP. 58.

Ait Cœlestinus Papa episcopis orientalibus *24 q. 1 c ait Cœlestinus.* scribens, Si quis ab episcopo Nestorio aut ab aliis qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus vel exutus est seu antistitis seu clerici dignitate, hũc in nostra communione & durasse, & durare manifestum est, nec iudicamus eum esse remotum: quia non poterat quemquam eius remouere sententia, qui se iam præbuerat ipse remouendum.

De eadem re. Item ad Clerum Constantinopolitanum.

¶ CAP. 59.

Apertè inquit, sedis nostræ sanxit authoritas *24 q 1. c. apertè inqui t* nullum siue episcopum, siue clericum, seu professione aliqua Christianum qui à Nestorio vel eius similibus, ex quo talia prædicare cœperũt, vel loco suo vel communione deiecti sunt, vel eiectum vel excommunicatum videri. Sed hi omnes in nostra communione & fuerunt & huc vsque perdurant: quia neminem deijcere vel remouere poterat, qui prædicans talia titubabat. Intellexisti Imperator ex supra memoratis non potuisse, vt non dicamus prælatum suum saltem quemlibet remouere qui fuerant olim remoti, nec deijcere quemquam iam ante prostrati.

Nos non debere communicare defunctis quibus in vita non communicauimus. Leo Rustico Narbonensi episcopo. ¶ CAP. 60. *Epist. 92. c.*

De communione priuatis & ita defunctis, horum causa Dei iudicio seruãda est, in cuius ma- *24. q 2. c. de cõmunione.* nu fuit, vt talium obitus non vsque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.

De eadem re. Gelasius Papa Fausto Magistro militiæ. *Epist. 4.*

¶ CAP. 61.

Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absoluisse non legimus. Et qui hoc certã faciendi solus habuit potestatẽ beato Petro Apostolo principaliter mandat, *Matth. 16.* Quæcũque super terram ligaueris erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solueris super terram erũt

ſoluta & in cœlis. Super terram, inquit, nam in hac ligatione defunctum nuſquam dixit abſoluendum.

Quòd licet hæreticos etiam poſt mortem anathematizari. Ex actione i. quintæ Synodi.

¶ CAPVT 62.

*24.q.2.c.ſanè profertur. Hac de re multa ſub finem Edicti Iuſtiniani Imperatoris Ioãni Papæ 2. trãſmiſſi: extat ad calcem tom.1. Conc. * Theod. eccl. hiſt. lib.5 c. 34. & 35. * In concilio Chalcedon. Auguſt. c 3 lib de vnitate Eccleſiæ. Ioan.13. * Aug, ſanctę memoriæ cõſuluit & ſtatuit teneri ab initio, &c. Sic Gratia.*

Sanè profertur à quibuſdã, qui dicunt oportere poſt mortem hæreticos anathematizari, & ſequi in hoc doctrinã ſacrorum patrum, qui non ſolùm viuentes hæreticos condemnauerunt, ſed & poſt mortem, vtpote in ſua impietate mortuos, anathematizauerunt: ſicut eos qui iniuſtè condemnati ſunt reuocauerunt poſt mortem, & in ſacris διπτύχοις ſcripſerunt: quod factũ eſt in * Ioãne & in * Flauiano religioſæ memoriæ epiſcopis Conſtantinopolitanis. *Item Auguſt. ait.* Si fortè iſti libri ita deſignant traditorem ſuum, ſicut deſignauit dominus Iudam, legant in eis nominatim & expreſsè vel Cæcilianum vel eius ordinatores eorumdẽ librorum fuiſſe traditores, & ſi non eos anathematizauero ipſe cum eis iudicer tradidiſſe. *Item.* Quæ modò recitata ſunt * à Gelaſio ſanctæ memoriæ, conueniunt ſtatui tenenti ab initio in eccleſia: impium dogma iam inculpatum & condemnatum, & eos qui tali dogmati obnoxij ſunt anathematizari vult Eccleſiæ traditio, licet mortui eſſent. Ideo & ſanctæ memoriæ Auguſtinus dicit, Si modo conuinceretur Cæcilianus de his quæ inferuntur ei, etiam poſt mortem illum anathematizo.

Conc. Afri. cap 48.

Item. Multi epiſcopi congregati, & quædam de diuerſis ad eccleſiaſticum ſtatum pertinentibus diſponentes, de epiſcopis ſtatuerunt defunctis qui ſuas facultates hęreticis relinquunt, vt & poſt mortem anathemati ſubijciantur. *Item.* Et ſi vera ſunt quæ Cæciliano obiecta ſunt, & nobis aliquando poſſent monſtrari, ipſum mortuũ anathematizaremus. Sunt autem etiam Auguſtini ſanctæ memoriæ epiſtolæ dicentes, quòd ſi qui in vita ſua non rectè ſapuerunt, licet non condemnati fuiſſent adhuc viuentes, vt demonſtrato peccato, iſti etiam poſt mortem anathemati ſubijciantur. *Item.* Dicis licere mihi etiam de mortuis iudicare, quia iudicium non tantùm de viuis, ſed etiam de mortuis fieri poteſt. *Item.* * Rabulas ſanctæ memoriæ epiſcop⁹ factus Edeſſenæ ciuitatis, qui in ſacerdotibus explenduit, Theodorum Mopſueſtenum etiam poſt mortẽ, in eccleſia anathematizauit. *Item.* Etiam Romanorũ eccleſia ante * paucos annos Dioſcorũ, * qui fuit Papa eccleſiæ eiuſdem, & poſt mortem anathematizauit, cùm nec in fidem peccaſſet: & hoc ſciunt omnes qui hic degunt Romani, & maximè qui in dignitatibus exiſtunt, qui etiam eidem Dioſcoro communicatores permanſerũt vſque ad eius mortem. *Item.* Etiam * Origenem, ſi ad tempora Theophili ſanctę memoriæ, vel ſuperius aliquis recurrerit, poſt mortem inueniet anathematizatum: quod etiam in iſto fecit & veſtra ſanctitas, & Vigilius religioſiſſimus Papa antiquioris Romæ. *Item.* Sacra Synodus dixit: Sufficiunt quidem quæ dicta & prolata ſunt, eccleſiaſticam traditionem demonſtrare, quòd oportet hæreticos, & poſt mortem anathematizari.

*Auguſt. epiſt. 50. ad Bonifacium. * Refert Liberatus Breuiarij ſui cap 10. ex epiſt Ibæ ad Marim Perſam, cuius fragmentum extat actione 10. Chalc. Cõc. * quatuor. * Locus vt apparet deprauatus vel mutilus, fortè: Quòd excommunicationẽ dictaſſet in Leonem, qui fuit, &c. * Socrates hiſto. eccl. li. 6. c 10. & lib. 7. c. 45 Sozomenus li 8. c. 14. Nicephorus li. 17. c 27. & 28. Liberatus in breuiario, cap. 23.*

De eadem re. Actione iiij. eiuſdem ſynodi.

¶ CAP. 63.

Sacra ſynodus dixit: Auguſtini religioſæ memoriæ, qui inter epiſcopos Africanos ſplenduit, diuerſæ epiſtolæ recitatæ ſunt, ſignificantes quòd oportet hęreticos & poſt mortem anathematizari. Talem autem eccleſiaſticam traditionem & alij Africani reuerendiſſimi epiſcopi ſeruauerunt: ſed & ſancta Romana eccleſia quoſdam epiſcopos & poſt mortem anathematizauit, licet pro fide in vita ſua non eſſent accuſati, & vtrùmque apud nos habita geſta ſignificant.

Vt qui ſponſam alterius rapuerit, & reddere noluerit, cum ipſa quam rapuit excommunicetur, ſi ad ſponſum illa redire contempſerit. Ioannes viij. Roſtanio Archiepiſcopo.

¶ CAP. 64.

Atho præſentium lator dum in noſtro ſeruitio fideliter excubaret, quendam virum fœminam ſibi deſponſatam queritur rapuiſſe: & ideo fraternitas tua authoritate noſtra ſuffulta ſuffraganeos ſuos epiſcopos pręſentialiter conuocet, ſicque vnanimi ſententia ſi ſponſam huic raptor non reddiderit, tam idem quàm rapta, ſi ad ſponſum priſtinum remeare noluerit, omni communione priuentur. *27.q.2 ca. Atho præſentium.*

Vt notentur excõmunicatorum nomina. Ioannes viij. in concilio apud Rauennam, cap. xij.

¶ CAP. 65.

Curæ ſit omnibus epiſcopis, excommunicatorum omnino nomina tam vicinis epiſcopis quã ſuis parœcianis pariter indicare, eáque in celebri loco poſita præ foribus eccleſiæ cunctis venientibus inculcare: quatenus in vtraque diligentia excommunicatis vbique eccleſiaſticus aditus excludatur, & excuſationis cauſa omnibus auferatur. *11 q.3.c. curæ ſit omnibus.*

De eadem. Ioannes viij. Petro epiſcopo.

¶ CAP. 66.

Si Deodatus & Gregorius ſtatuto iam tempore ad nos venire, & omnia iuſtè atque canonicè emendare contempſerint, grauioribus eos perpetui anathematis vinculis innodabimus, eorũque ſcelera & excommunicationes & anathemata ſcribentes, ante ſanctiſſimam beati Petri Apoſtoli imaginem ſuſpendemus, vt omnibus de toto mundo ad limina Apoſtolica venientibus illorum ſit nota iniquitas, & conſortio ſacræ eccleſiæ videantur extranei.

Excommunicati munera non ſuſcipienda. Ex Eliberit. conc. c. xxviij. ¶ CAP. 67.

Epiſcopum, placuit, ab eo qui non communicat munera non accipere debere.

Eleemoſynam eius qui excommunicatus fuit, ſi reſipuerit, accipiendam. Vrbanus Guimundo Auerſano epiſcopo. ¶ CAP. 68.

Sanè quod ſuper Richardo Burrelli filio veſtra fraternitas egiſſe innotuit pro zelo Dei & animarum charitate, laudamus: ſed non adeo timẽdum, non adeo vobis ab eius eleemoſynis abſtinendum. Inter cęteros quippe noſtræ fidei patres, beatus Leo doctor egregius, Quibus inquit, viuis non communicauimus, nec mortuis communicare debemus. Conſtat ergo, quoniam quibus viuis (vt ex oppoſito loquamur) *24.q.2.c. Sanè quod. Epiſt. 92. c. 6.*

communicauimus, mortuis quoque communicare possumus. Nos planè inter duo oppugnantia positi, impiis quidem & schismaticis communicare nullo modo possumus, istis autem, licet peccatoribus & prædonibus, dispensatiuè * pro tempore communicamus: quia & hactenus Ecclesiam sustentauerunt, & se fideliores in posterum pollicentur: alioquin oportet nos de huius mundi partibus exire: sub qua etiã sponsione nos eis nuper in beati Petri natalitiis absolutionem indulsimus. Quia ergo prædictus vir neque nominatiuè excommunicatus, neque communicans excommunicatis ex nomine obiit, sed in domini sui fide atque seruitio: licet nobis eius, dispensatiuè, id est quamdiu eos nos patimur, eleemosynis communicare, & defuncti animam Christianæ religionis moribus adiuuare.

[Margin: Gratia. ...abet: propte... ea bene... dicamus. ...Cor. 5.]

Excommunicato non licere quempiam accusare. Ex Cartag. conc. vij. cap. j.

¶ CAP. 69.

[Margin: ...q. 1. c. definimus.]

Definimus eum ritè ad accusationem non admitti, qui posteaquam excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, siue sit clericus siue laicus, accusare voluerit.

De eadem re. Nicolaus Michaeli Imperatori.

¶ CAP. 70.

[Margin: ...q. 1. cap. quod autē ... * sententiam dãnationis. Conc. Constantinop. 1. ,6. vtidem aliquantò superius admonet, apud nos non reperitur.]

Quòd hi qui à fratre Ignatio depositi & excommunicati fuerant nullam aduersùs eum intorquere * damnationẽ potuerint, ex secunda vniuersali synodo declaratur, cùm dicitur, Si Ecclesiasticum fuerit crimen quod episcopo illatum fuerit, tunc probari oportet accusantium personas, vt primò quidem hæreticis non liceat accusationes contra orthodoxos episcopos pro ecclesiasticis negotiis facere. Sed ne hos hæreticos esse denegetis, audite sequentia, Hæreticos inquiunt, esse dicimus tam eos qui olim ab ecclesia proiecti sunt, quàm qui post hæc à nobis anathematizati sunt. Porro si adhuc nec sic creditis, quod subditur audite, Præter hos autem aiunt, & eos qui fidem quidem sanam simulant confiteri: schismaticos etiam & eos qui seorsum à communicantibus nobis episcopis collectas faciunt. Deinde verò & si quidam ab ecclesia super causis quibusdam fuerint reprehensi, & proiecti aut excommunicati, siue ex clero siue ex laicali ordine, nec his licere accusare episcopum, antequã proprio crimine primitus exuantur. Similiter autem & eos qui sub accusatione priori existunt, non ante esse acceptabiles in episcopi accusationem aut aliorum clericorum, quàm innoxios semetipsos illatorum sibi ostenderint criminum.

[Margin: Cap. 70.]

Quòd non liceat cuiquam alium excommunicare, nisi cui potestas fuerit concessa. Ex regula sancti Benedicti, c. lxvij.

¶ CAP. 71.

Ordinamus atque constituimus, vt nulli liceat quemquã fratrum suorum excõmunicare aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, vt & cæteri metum habeant. [Margin: 1. Timot. 5.]

[Margin: Epist. 2.]

Vt nullus alterius subiectum excommunicare, nec metropolitanus aliquid in parœcia suffraganei agere præsumat. Calixtus episc. Galliæ. ¶ CAP. 72.

[Margin: 9 q. 2 c. nullus alterius.]

Nemo alterius terminos vsurpet, nec alterius parœcianũ iudicare aut excommunicare præsumat: quia talis diiudicatio, aut excõmunicatio, vel dãnatio, nec rata erit, nec vires vllas habebit: quoniam nullus alterius iudicis nisi sui, sentẽtia tenebitur aut dãnabitur. *Item.* Nullus primas vel metropolitanus diœcesani ecclesiam, vel parœcianum, aut aliquem de eius parœcia præsumat excommunicare vel iudicare vel aliquid agere, absque consilio vel iudicio. [Margin: 9 q. 3. c. nullus primas.]

Vt pro qualitate peccati pœnitentia imponatur. Ex regula sancti Benedicti, c. xxiij. ¶ CAP. 73. [Margin: Cap. 24.]

Secundùm modum culpę, excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura: qui culparum modus * ex Abbatis pendet iudicio. Si quis tamen frater in culpis leuioribus culpabilis inuenitur, à mensæ participatione priuetur. Priuati autem à mensæ consortio, ista erit ratio, vt in oratorio Psalmum aut antiphonã non imponat, nec lectionẽ recitet, vsque ad satisfactionẽ. Refectionem autẽ cibi post fratrũ refectionem solus percipiat: vt si fratres, verbi gratia, reficiunt vi. hora, ille frater nona: si fratres nona, ille vespera, vsque dũ satisfactione congrua veniam consequatur. *Ibidem, c. xliij.* Qui pro graui culpa ab oratorio & à mensa excommunicatur, hora qua opus Dei in oratorio celebratur, ante fores oratorij prostratus iaceat, nihil dicens: * nisi tantum posito in terra capite prostratus pronus, omnium de oratorio exeuntiũ pedibus conculcetur, & hoc tam diu faciat, vsque dum abbas iudicauerit satisfactum esse. Qui dum iussus ante abbatem venerit, prouoluat se pedibus ipsius abbatis, deinde omnium vestigiis fratrum, vt orent pro eo. Et tunc, si iusserit abbas, recipiatur in choro, vel quo abbas decreuerit ordine: ita planè, vt Psalmum vel lectionem, vel aliud quid non præsumat in oratorio imponere, nisi iterum abbas iusserit. Et omnibus horis dũ completur opus Dei, proijciat se in terra in loco in quo stat, & sic satisfaciat vsque dum iubeat abbas vt quiescat iam ab hac satisfactione. Qui verò pro leuibus culpis excommunicantur tantum à mensa, in oratorio satisfaciant, & vsque ad iussionem abbatis hoc faciant, vsque dum benedicat eis, & dicat, sufficit.

[Margin: * in abbatis pendeat arbitrio] [Margin: Cap. 44.] [Margin: * sed posito in terrã capite pronus sternatur omnium de oratorio exeuntiũ pedibus: Sic hodie codices excusi.]

De sede Episcoporum, cur in Ecclesia altius cæteris sedere debeant. Ex epistola Vrbani Papa.

¶ CAP. 74.

[Margin: Epist Vrbani 1. ad omnes episc. de communi vita fideliũ c. 4.]

Quòd autẽ sedes episcoporum non nisi in ecclesiis excelsè constitutæ, & præparatæ inueniũtur * in throno: speculationẽ & potestatẽ iudicandi, & soluendi atq; ligandi à Domino sibi datam maximè docent. Vnde ipse Saluator in Euangelio ait, Quæcunq; ligaueritis super terrã, erunt ligata & in cœlo: & alibi, Accipite spiritũ sanctũ, quorum remiseritis peccata, remittũtur eis, & quorũ retinueritis retenta sunt. Ideo ista prætulimus charissimi, vt intelligatis potestatẽ episcoporum vestrorum, in eisque Deum veneremini, & eos vt animas vestras diligatis, & quibus illi non communicant non communicetis, & quos eiecerint non recipiatis. Valde enim timenda est sententia episcopi licet iniustè liget, quod tamen summopere præuidere debet.

[Margin: * al. vel thronus.] [Margin: Matth. 18.] [Margin: Ioan. 20.]

Episcopus excommunicaturus aliquem qualiter alloqui debeat clerum & plebem. Ex conc. Rotomagensi, c. iij.

¶ CAP. 75.

Nouerit charitas vestra, fratres mei, quòd

* instigante * professionem

quidam vir nomine N diabolo * suadente, postponens Christianam * promissionem quam in baptismo professus est, per apostasiam conuersus post sathanam cui abrenunciauit & omnibus operibus eius, vineam Christi, id est, ecclesiam eius deuastare & deprædari non pertimescit, pauperes Christi quos pretioso sanguine suo redemit, violenter opprimens & interficiens, & bona eorũ diripiens. Vnde quia filius huius nostræ ecclesiæ, cui Deo authore præsidemus, debuerat esse (quia in ea per aquã & spiritũ sanctũ renatus est, & inter adoptiuos filios Dei adnumeratus, quamuis modò filius * Dei non sit imitando diabolũ) solliciti ne per negligentiã pastoralem aliqua de quibus nobis creditis deperiret, pro qua in tremendo iudicio ante principẽ pastorum dominum nostrum Iesum Christum rationẽ reddere compelleremur: iuxta quod ipse terribiliter nobis cõminatur dicens, Si non annunciaueris iniquo iniquitatẽ suam, sanguinem eius de manu tua requirã: misimus ad eum presbyterũ nostrum & literas cõmonitorias semel, & iterũ, atque tertiò, inuitantes eũ canonicè ad emendationẽ, & satisfactionem, & pœnitentiã, corripientes eũ paterno affectu. Sed ipse (proh dolor) diabolo cor eius indurante, monita salutaria * spreuit, & in incœpta malitia perseuerãs, ecclesiæ Dei, quã læsit superbiæ spiritu inflatus, satisfacere dedignatur. De talibus itaque transgressoribus, & sanctæ religionis pacisque quam Christus suis discipulis dedit atq; reliquit, violatoribus, præcepta dominica & Apostolica habemus, quibus informamur quid de huiuscemodi præuaricatoribus agere nos oporteat. Ait enim dominus in Euangelio: Si peccauerit in te frater tuus corripe eũ. Fratres in vnumquemq; nostrũ peccat, qui in sanctam ecclesiã peccat. Si enim sancta ecclesia vnũ corpus est, cuius corporis caput Christus est: singuli autem sumus alter alterius membra, & si cum patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra, procul dubio in nos peccat qui mẽbra nostra lædit. Iubet ergo dominus, vt frater, id est Christianus, in nos peccans, primò secretè corripiatur, deinde cũ testibus redarguatur, nouissimè in conuẽtu ecclesiæ publicè * conueniatur. Quòd si has tres commonitiones & pias correptiones contẽnit, & satisfacere despicit, post hæc sit tibi, inquit, sicut ethnicus & publicanus, id est gentilis atque paganus: vt iam non pro Christiano, sed pro pagano habeatur. Et in alio loco, membrũ quod à sua cõpage resoluitur & à iunctura charitatis dissociatur, & omne corpus scandalizat, dominus & abscindi & proijci iubet, dicens, Si oculus, manus, vel pes tuus scandalizat te, erue eum & proijce abs te. Et Apostolus: Auferte inquit, malum ex vobis. *Et item*, Si quis frater nominatur, & est fornicator, aut adulter, aut homicida, aut rapax, cum huiusmodi nec cibũ sumere licet. Et Ioannes dilectus præ cæteris Christi discipulis talem nefarium hominem salutare prohibebat, dicens, Nec ei aue dixeris, nec eum in domũ receperis: qui enim ei aue dicit, cõmunicat operibus eius malignis. Dominica itaque atque Apostolica præcepta adimplentes, membrum putridum & insanabile quod medicinam non recipit, ferro excommunicationis à corpore ecclesiæ abscindamus, ne tam pestifero morbo reliqua membra corporis velut veneno, inficiantur.

Margin: * diaboli sit; *Ezech. 3.*; * spernit; *Matth. 18. Luca 17.*; * corripiatur; *Matth. 18.*; *1. Cor. 5. Ibidem.*; *2. Ioannis.*

Prima Excommunicatio. Ex eodem c. iv.

§ CAP. 76.

Igitur quia monita nostra & crebras exhortationes contempsit, quia tertiò secundùm dominicum præceptum vocatus, ad emendationem & pœnitentiam venire despexit, quia culpã suã necdum cognouit, nec confessus est, nec missa nobis legatione, qui causam eius exquirimus, quia parœcianus noster est, veniam postulauit, quia in cœpta malitia diabolo cor eius indurante perseuerat, & iuxta quod Apostolus dicit, secundùm duritiam suam & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ: *Rom. 2.* idcirco nos eum cum vniuersis complicibus & communicatoribus fautoribusque suis, iudicio Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beati Petri Principis Apostolorum & omnium sanctorum, nec non & nostræ mediocritatis authoritate, & potestate nobis diuinitus collata ligandi & soluendi in cœlo & in terra, à preciosi corporis & sanguinis perceptione, & societate omnium Christianorum separamus, & à liminibus sanctæ matris ecclesię in cœlo & in terra excludimus, & excommunicatum & anathematizatum decernimus, & damnatum cum diabolo & angelis eius & omnibus reprobis in igne æterno iudicamus: nisi fortè à diaboli laqueis resipiscat, & ad emendationem & pœnitentiam redeat, & ecclesiæ Dei quam læsit satisfaciat. Et respondeant omnes tertiò amen, aut, fiat fiat, aut, anathema sit. Debent enim xij. sacerdotes episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis vel excommunicationis proijcere debent in terram, & conculcare pedibus. Post hæc episcopus plebi ipsam excommunicationem communibus verbis debet explanare, vt omnes intelligant quàm terribiliter damnatus sit, & vt nouerint quòd ab illa hora in reliquum non pro Christiano, sed pro pagano habendus sit, & qui illi quasi Christiano communicauerit aut cum eo manducauerit, aut biberit, aut eum osculatus fuerit, vel cum eo colloquium familiare habuerit (nisi fortè ad satisfactionem & pœnitentiam eum prouocare studuerit) aut in in domo sua eum receperit, aut simul orauerit cum eo, procul dubio similiter sit excommunicatus. Deinde epistolæ presbyteris per parœcias mittantur, continentes modum excommunicationis. In quibus iubeatur, vt dominicis diebus post lectionem euangelij, plebibus sibi commissis publicè annuncient ipsam excommunicationem, vt ne quis per ignorantiam communicet excommunicato. Oportet etiam vt aliis episcopis ipsa excommunicatio manifestetur. Præcepit enim Toletanum cõcilium, vt inuicem mox scripta percurrant per omnes prouinciæ episcopos quoscumque adire potuerint, vt excommunicatus audiatur. Seniori etiam eius ipsa excommunicatio debet nota fieri. *Tolet. conc. 1. c. xi.*

Excommunicationis allocutio. Ex concilio Aureliano, c. i. § CAP. 77.

Audistis dilectissimi quanta & quàm horrida prauitatis & iniquitatis opera N. à diabolo instigatus perpetrare non timuerit, & quomodo per apostasiã à totius Christianæ religionis cultu profana mente recesserit. Audistis quemadmodum canonicè ad satisfactionem euocatus sit, sed venire distulerit: quomodo frequenter

admonitus vt resipisceret à diaboli laqueis quibus *tenetur astrictus; saluberrimas admonitiones * obduratis auribus cordis audire contempserit. Dominus dicit in Euangelio de tali contumaci fratre, qui ecclesiasticam renuit suscipere correptionem, Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, id est, iam non est computandus inter Christianos, sed inter paganos. Hinc Paulus domini & magistri * doctrinam sequens, Corinthios redarguit, quare cum criminosis & sceleratis communionem haberent, dicens, Vos estis inflati, & non magis luctum habuistis, vt tollatur vir de medio vestrum, id est, separetur à vestro consortio, qui tale scelus operatus est: & adiungit, Ego quidē absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis in vnum & meo spiritu cum virtute Domini mei Iesu Christi tradere huiusmodi Sathanæ in interitum carnis. Et post pauca, Scripsi vobis, ne commisceamini fornicariis. Et statim infert, Si is qui frater nominatur (id est, Christianus) fornicator est aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Et alibi, Auferte malum ex vobis. Et, Infidelis si discedit discedat. Vna enim ouis morbida omnem gregem contaminat: & modicum fermētum totam massam corrumpit: & plærumque vnum membrum putridum totum corpus inficit. Et ideo tam perniciosa pestis à corpore ecclesiæ radicitus euellatur.

[Margin: *tenetur est / *obduratis. / Matth. 18. / *vestigia / 1 Cor. 5. / Ibidem. / 1 Cor. 7. / 1 Cor. 5.]

Excommunicatio ij. Ex eodem concilio.

¶ Cap. 78.

Dominicis igitur atque Apostolicis informati præceptis, iudicio patris, & filij eius Domini nostri Iesu Christi, & spiritus sancti, & authoritate & potestate Apostolis apostolorúmq; successoribus à Deo concessa, vnà vobiscum prædictum virum pessimum à limitibus sanctæ matris ecclesiæ excludimus, & ab omni societate & communione Christiana separamus, separatúmque esse in æternum decernimus, id est, in præsenti seculo & in futuro. Nullus ei Christianus aue dicat, aut eum osculari præsumat. Nullus presbyter missam * celebrare cum eo audeat, vel sacrosanctum corpus & sanguinē Domini tradere. Nemo ei iungatur in consortio, neque in aliquo negotio. Et si quis ei se socianerit, & communicauerit eius operibus malignis, nouerit se simili percussum anathemate: his exceptis, qui ob hanc causam ei iunguntur, vt eum reuocent ab errore, & prouocent ad satisfactionem, Nisi forte resipuerit, & Dei gratia inspirante ad pœnitentiam & remedium conuersus fuerit, & digna emendatione Ecclesiæ Dei quam læsit, humiliter satisfecerit.

[Margin: 2 Ioan. / * eo præsente celebrare audeat.]

Excommunicatio iij. Ex conc. Turonico, c. ij.

¶ Cap. 79.

Canonica instituta & sanctorum patrum exēpla sequentes, ecclesiarū Dei violatores, videlicet raptores, deprædatores, & homicidas, N. in nomine Patris & Filij, & virtute Spiritus sancti, nec non authoritate episcopis per Petrum principem Apostolorum diuinitus collata, à sanctæ matris ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate condemnamus. Sintq; maledicti in ciuitate, maledicti in agro: maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquiæ illorum: maledictus fructus ventris eorū, & fructus terræ eorum. Maledicti sint ingrediētes, & maledicti sint egredientes, sintque in domo maledicti, in agro profugi, veniántque super eos omnes illæ maledictiones, quas dominus per Moysen in populum diuinæ legis præuaricatorem se esse missurum intētauit, sintque anathema, maranatha, id est, pereant in secundo aduentu Domini. Nullus eis Christianus aue dicat; nullus presbyter missam cum eis celebrare præsumat, vel sanctam communionem dare. Sepultura asini sepeliantur, & in sterquilinium sint super faciem terræ. Et sicut hæ lucernæ de manibus nostris proiectæ hodie extinguntur, sic eorum lucerna in æternum extinguatur: nisi fortè resipuerint & ecclesiæ Dei quam læserunt, per emendationem & condignam pœnitentiam satisfecerint.

[Margin: Deut. 28. / 1 Cor. 16. / 2. Ioan. / Hier. 22. / Hier. 8. 16. 25.]

De eadem re. Ex concilio Meldensi, c. iij. Cap. 56.

¶ Cap. 80.

Vt nemo episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa communione priuet ecclesiastica. Sub anathemate autem sine conscientia Archiepiscopi aut coepiscoporum nullus ponat, nisi vnde canonica docet authoritas: quia anathema æterna est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet interponi crimine, & illi qui aliter non poterit corrigi.

[Margin: 11 q. 3. c. nemo episcoporum.]

De eadem re. Ex concilio Agathensi, cap. iv. Cap. 3.

¶ Cap. 81.

Episcopi verò qui sacerdotali moderamine posthabito, innocentes, aut in minimis causis culpabiles excommunicare præsumpserint, & ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, à vicinis episcopis cuiuslibet prouinciæ literis moneantur, & si * parcere noluerint, à communione confratrum vsque ad proximam synodum suspendantur, & ibi rationem pro facto dent: ne fortasse * in excommunicatores peccatum excommunicati longo tempore morte præueniatur.

[Margin: * parcend / * per excommunicatoris peccatum: Sic codex concil.]

Vt nullus episcoporum grauiter ferat si eius parœcianus ab alio episcopo pro certa culpa excommunicatus fuerit. Ex concilio apud Compendium, c. v.

¶ Caput 82.

Placuit etiam pro communi vtilitate & instanti necessitate, vt nullus episcoporum grauiter ferat, si eius parœcianum pro deprędationis causa, alter episcopus excōmmunicauerit.

[Margin: 4 q. 3. c. placuit.]

De illis qui in parœcia consistentes aliquid contra Deum fecerint, quoties ab episcopo ad emendationem vocari debeant. Ex conc. Meldensi, c. iii.

¶ Cap. 83.

Episcopus in cuius parœcia aliquis consistens aliquid iniustè fecerit, semel, bis atque tertiò si necesse fuerit, vocabit illum sua admonitione per suum nuntium canonicè ad emendationem siue compositionem, & ad pœnitentiam, vt Deo & ecclesiæ satisfaciat, quam læsit. Si autem despexerit atque contempserit eius admonitionem & saluberrimam inuitationem, feriat illum pastorali virga, hoc est sententia excommunicationis, vt à communione sanctę ecclesię omniúmque Christianorum sit separatus vsque

ad congruam satisfactionem, & dignam emendationem. Quam excommunicationem debet idem episcopus seniori illius notam facere, & omnibus suis coepiscopis, & omnibus suis parœcianis, ne eum recipiant, vsque ad sactisfactionem.

De eadem re. Ex eodem concilio, cap. 6.
¶ CAP. 84.

Episcopus qui eos quolibet munere vel fauore aut negligentia monere, aut excommunicare * distulerit, qui contra Deum & ecclesiæ pacem faciunt, vt aut reuertentes suscipiat, aut contemnentes de ecclesia eijciat, excommunicatus habeatur à collegio cæterorum, quousque vel emendationis vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur.

* noluerit.

Simile quid habet serm. de sanctis 47.
Quod aliud sit peccare in Deum, aliud in hominem. Ex dictis Augustini. ¶ CAP. 85.

Matth 18.
Attendendum est, quod dominus dicit, Si peccauerit in te frater tuus. Aliud est peccare in nos, aliud in Deum. Si in nos aliquis peccauerit, non est nostri arbitrij. Scriptum quippe est, si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo? Nos è contrariò in Dei iniuria benigni & misericordes sumus, & Dei offensam (quasi in nostra potestate sit eius velle & eius nolle) impune absque congruenti pœnitentiæ vindicta donamus: cùm tamen quod in nobis commissum est, nec saltem verbum contumeliosum leuitérque prolatum, sine vindicta pertransire patimur. Dimittamus ergo propter Deum quod in nobis perpetratum est & quod commissum est Deo, quia dimittere nō possumus, iuxta constitutiones sanctorum patrum, secundùm canonicam authoritatem vindicemus.

1 Reg. 2.

Cap 61.
De eadem re. Ex concilio Meldensi, cap. v.
¶ CAP. 86.

Vt peruasores rerum ecclesiasticarum, qui easdem res contra authoritatem non solùm retinere, verùm & crudeliter depopulari noscuntur (quidam enim facultates etiam ecclesiæ in diuersa collaboratione & redditibus eas expoliant, sed & pauperes & vicinos & circummanentes immisericorditer affligunt, deuastant, & opprimunt) vt rapaces qui secundùm Apostolum à regno Dei excluduntur, ex criminali & publico peccato publicâ pœnitentiâ multentur. Quod si hoc agere noluerint, proferatur contra eos Apostolica terribilisque sententia, qua dicitur: Si quis frater nominatur & est rapax, cum huiusmodi nec cibum quisquam sumere præsumat: quia iniquum & sacrilegum est (vt Symmachus Papa, & post eū beatus Gregorius * Sabino subdiacono scribit) si quis quod venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluntatis studiis suis compendiis tentauerit retinere, secundùm instituta canonum ab omni ecclesiastica communione vt sacrilegus debet arceri, donec studeat digna satisfactione quod admisit corrigere.

1. Cor. 6.
1. Cor. 5.
3. Rom. Syn. sub Symmac. c. 3.
Lib. 8 regist. epist. 6.
* Sauino habet Gregor.

Additur ad calcē decret. Bonifa. 1.
Quod sanctum sanctorum sit quicquid Deo offertur. Ex decretis Bonifacij Papæ, c. v.
¶ CAP. 87.

12. q. 2. c. nulli liceat.
Leuit. 27.
Nulli liceat ignorare, quòd omne quod Domino conseruatur siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum domino erit, & ad ius pertinet sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis qui quæ à domino & ecclesia cui competunt, aufert, vastat, inuadit, vel eripit: vsque ad emendationem ecclesiæque satisfactionem, vt sacrilegus diiudicetur: & si emendare noluerit excommunicetur.

De his qui Christi pecunias auferunt, vel rapiunt. Ex epistola Anacleti Papæ cunctis fidelibus missa.
¶ CAPVT 88.

Epist. 1. Idem habet & Lucius Papa, epist. ad Gal. & Hisp. episc.
Prou. 28.
Qui abstulit, inquit, aliquid patri vel matri, & dicit hoc non esse peccatum, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creauit. Mater verò nostra ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter regenerauit. Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ aufert, rapit aut fraudat, homicida est, atque ante Deum homicida deputatur. Qui enim res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & vt sacrilegus iudicandus est.

De eadem re. Ex decretis Lucij Papæ, cap. x.
¶ CAP. 89.

Epist. ad Galliæ & Hisp. episc. c. 6. Et Anacl. epist. 1.
17. q. 4. c. omnes rap.
Rom. 1.
Rerum ecclesiasticarum & facultatum raptores, à liminibus sanctæ matris ecclesiæ anathematizantes Apostolica authoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus. Et non solùm eos, sed etiam omnes consentientes eis: quia non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, rei iudicantur. *Augustinus dicit.* Qui aliquid de ecclesia furatur aut rapit, Iudæ proditori comparatur.

De eadem re. Ex concilio Gangrensi, c. viij.
¶ CAP. 90.

Hic qui dederit vel acceperit oblationes altaris, præter episcopum vel eius missum: & qui dat & qui accipit, anathema sit.

De eadem re. Ex concilio apud sanctum Medardum, cap. j. ¶ CAP. 91.

Et Conc Gangren. c. 7.
Si quis oblationes ecclesiæ extra ecclesiam rapere vel dare voluerit præter conscientiam episcopi, vel eius cui huiusmodi officia commissa sunt, anathema sit.

Qui sacratis Deo locis vim inferunt, quomodo vindicentur. Ex decretis Ioannis Papæ, cap. x.
¶ CAP. 92.

Vt hi qui monasteria, & loca Deo sacrata, & ecclesias infringunt, & deposita & alia quælibet exinde abstrahunt, damnum nouies componāt, & emunitatem tripliciter, & velut sacrilegi canonicæ sententiæ * subigantur.

* subijciantur.

De his qui domum Dei contemptibilem ducunt. Ex concilio Magontiensi, cap. vj.
¶ CAP. 93.

Quisquis fastu superbiæ elatus domum Dei contēptibilem ducit, & possessiones Deo sacratas, atque ad honorem Dei sub regiæ emunitatis defensione cōstitutas, inhonestè tractauerit, vel infringere præsumpserit, aut incendia vel vastationes ausu temerario perpetrauerit: quasi inuasor & violator ecclesiæ Dei, quæ est domus Dei viui, à cōmunione omniū fidelium abscindatur.

De eadem re. Ex eodem, c. vi. ¶ CAP. 94.

Si quis cuiuscunque munuscula ecclesiæ sanctis scripturarum titulis collecta, nefaria calliditate abstulerit, fraudauerit, inuaserit, retentauerit, atque surripuerit, & non statim à sacer-

dote commonitus Deo collata reddiderit, ab ecclesiæ catholicæ communione pellatur.

Quòd cum excommunicato orare non liceat. Ex dictis Isidori. ¶ CAP. 95.

11. q. 3. c. cũ excommunicato. Ex regula magistri, c. 13. Cum excommunicato neque orare neque loqui, nisi ea quæ ad eãdem excommunicationem pertinent, neque vesci cuiquam liceat.

De eadem re, vnde suprà. ¶ CAP. 96.

11. q. 3. c. Si quis frater. Si quis frater aut palam, aut abscõsè cum excommunicato fuerit locutus, communem statim cum eo excommunicationis contrahet pœnam.

Cap. 14. *De eadem re. Ex dictis Fructuosi episcopi.* ¶ CAP. 97.

Cum excommunicato nullus loquatur, neque qualibet eum compassione vel miseratione refoueat, neque ad contradictionem vel superbiam confortare præsumat.

De eadem re. Ex concilio Antiocheno, c. ij. ¶ CAP. 98.

Cum excommunicatis non licet communicare, nec cum his qui per domos conueniunt deuitantes orationes ecclesiæ, vbi simul orandum est. Si quilibet autem ex clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste priuetur communione.

Cap. 11. *De eadem re. Ex canonibus Apostolorum.* ¶ CAP. 99.

Si quis cum excommunicato saltem in domo simul orauerit, iste communione priuetur.

De eadem re. Ex concilio Nicæno, cap. v. ¶ CAP. 100.

De his qui cõmunione priuantur, seu ex clero, seu ex laicali ordine ab episcopis, per vnãquamque prouinciã sentẽtia regularis obtineatur, vt hi qui abijciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet vitio episcopi videatur à communione seclusus.

De eadem re. Ex concilio Antiocheno, c. vi. ¶ CAP. 101.

11. q. 3. c. Si quis. Si quis à proprio episcopo communione priuatus est, non antè suscipiatur ab aliis episcopis, quàm suo reconcilietur episcopo.

Epist. 2. ad episc Galliæ. *De eadem re. Ex decretis Calixti Papæ, cap. iv.* ¶ CAP. 102.

11 q. 3. c. excommunicatos. Excommunicatos quoque à sacerdotibus nullus recipiat ante vtriusque partis examinationem iustam, nec cum eis in oratione, aut cibo vel potu, aut osculo communicet, nec aue eis dicat: quia quicumque in his vel aliis prohibitis scienter excõmunicatis communicauerit, iuxta Apostolorum institutionem, & ipse simili excommunicationi subiaceat. Cap. 11. Canonũ Apost.

Ant. 1. sub Iulio 1. c. 2. *De eadem re. Ex concilio Antiocheno.* ¶ CAP. 103.

Non autem liceat communicare excommunicatis, neque per domos ingredi, & cum eis orare qui ecclesiæ in oratione non participant: nec in alteram ecclesiam recipi, qui ab alia excommunicantur. Quòd si visus fuerit quilibet episcoporum, vel presbyterorum, aut diaconorum, vel etiam qui in canone detinentur excommunicatis communicare, & hunc oportet communione priuari, tanquam ecclesiæ regulas confundentẽ.

De eadem re. Ex decretis Fabiani Papæ episcopis Galliæ missis. ¶ CAP. 104.

Si quis * sponte excommunicato communicauerit verbo, oratione, in cibo vel potu, xl. dies pœniteat * in pane, sale, & aqua. Qui verò eis communicauerit in homicidiis vel flagitiis, reus erit iræ & vindictæ Dei omnipotentis quẽ spernit: quia hæc omnia diuina ei voce interdicta sunt, & secundùm Apostolum, obedire Deo oportet magis quàm hominibus: & secundùm quod deliquit dignè iuxta decreta canonum pœniteat: & si pœnitere noluerit, excommunicetur. * fortè. * in pana & aqua. Actor. 5.

Vt excommunicati vbi fuerint exclusi ibidem consequantur communionem. Ex concilio Meldensi, c. x. ¶ CAP. 105.

De his qui pro delicto suo à communione separantur, ita placuit, vt in quibuscumque locis fuerint exclusi, eodem loco consequantur communionem.

Vt à proprio episcopo vel presbytero excommunicati, alibi in communionem non recipiantur. Ex conc. Rotomagensi, cap. ij. ¶ CAP. 106.

Sunt aliqui qui culpis exigentibus à proprio episcopo excommunicantur, & ab aliis ecclesiasticis vel laicis præsumptuosè in communionem accipiuntur: quod omnino sanctum Nicænum concilium, simul & Chalcedonense, nec non & Antiochenum, atque Sardicense fieri prohibent. Nicæ. c. 5. Antio. c. 2. Sardi. c. 16.

De eadem re. Ex concilio Carthaginensi, c. ix. ¶ CAP. 107. Conc. Carth. 2. cap. 7.

* Augustinus episcopus legatus Numidiæ prouinciæ dixit. Hoc statuere dignemini, vt si qui fortè merito facinorum suorum ab ecclesia pulsi sunt, si ab episcopo aliquo vel presbytero fuerint in communionem suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius, refugientibus sui episcopi regulare iudicium. Ab vniuersis dictum est, omnibus placet. * Genedius episcopus dixit: sic in volumine Conc. 11 q. 3. cap. qui merito.

De eadem re. Ex eodem concilio, cap. lxxiij. ¶ CAP. 108. Conc. Carth. 4. c. 73.

Qui communicauerit, vel orauerit cum excommunicato, si laicus est, excommunicetur: si clericus, deponatur. 11. q. 3. c. qui communicauerit. Vide suprà c. 28.

De illis qui ex alia parœcia sunt, & deprædationes faciunt. Ex concilio Meldensi, cap. ij. ¶ CAP. 109.

De illis autem qui infra parœciam beneficiũ aut hæreditatem habent, & alterius episcopi parœciani sunt, & de loco ad locum iter faciũt, rapinas & deprædationes peragunt, placuit vt excommunicentur, nec ante ex parœcia exeant, quàm quæ perpetrarunt dignè emendent. Quorum excommunicatio seniori eorum & proprio episcopo significanda est: ne eos recipiant, antequam illuc redeant vbi rapinam fecerunt, & omnia plenitèr emendent.

Ex regula orientalium. *De illis qui defendunt delinquentes. Ex dictis Basilij.*

¶ CAP. 110.

Qui consentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum & apud homines, & corripietur increpatione seuerissima. Hinc & quidam sanctissimus pater ait, Si quis errori alterius consenserit, sciat se cum illo simili modo culpabilem iudicandum & excommunicandum.

De illis qui intra annum causam suam tractare neglexerint. Ex decretis Gelasij Papæ, c. ij.

¶ CAP. 111.

11. q. 3. cap. quicumque. Quicumque igitur intra anni spatiū ciuiliter siue publicè causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi audientiæ clausisse aditum * videantur. Quòd si obstinato animo sine communione defuncti fuerint, nos illorum causam iuxta beati Leonis prædecessoris nostri sententiam, diuino iudicio reseruantes, quibus viuis non cōmunicauimus, mortuis communicare non possumus.

* Iudicabuntur. *Epist 92. c. 6.*

De eadem re. Ex decretis eiusdem, c. iij.

¶ CAP. 112.

Hi sanè qui ante audientiam communicare tentauerint, donec per pœnitentiam reatum suum defleant, ad communionem nullo modo perducantur, excepto mortis interitu vrgente. Qui verò excommunicato scienter * communicauerit, & animo saltem in domo simul orauerit, atque latebras defensionis ne * quo minus ad satisfactionem perducatur, præbuerit: donec ab excommunicatore pœnitentiam susciptat, corporis & sanguinis domini communione priuatum se esse cognoscat, & delictum secundùm canones pœniteat.

* se iunxerit. * cominus.

Vt notentur excommunicatorum nomina, & in foribus ecclesiæ præfigantur. Ex decretis Honorij Papæ, c. xi.

¶ CAP. 113

Alibi tribuitur Ioāni 8 in conc. Rauenna. c. 12. *11 q. 3. cap. curæ sit.*

Curæ fit omnibus episcopis, excommunicatorum omnino nomina tam vicinis episcopis, quam suis parœcianis pariter indicare, eáque in celebri loco posita præ foribus ecclesiæ cunctis conuenientibus inculcare: quatenus in vtraque diligentia & excommunicatis vbique ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur.

Cap. 28. *De illis qui excommunicati moriuntur. Ex concil. Epaunensi, c. x.*

¶ CAP. 114.

11 q. 3. c. Si episcopus. Si episcopus ante damnati absolutionem obitu rapiatur, correptum aut pœnitentem successori licebit absoluere. *Et c. xi.* Si quis excommunicatus fuerit mortuus, qui iam sit confessus & testimonium habet bonum, & nōn * poterat venire ad sacerdotē, sed præoccupauit eum mors in domo, aut in via: faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captiuis.

* poterit.

In fragm. *De illis qui colonorum flagella defendunt. Ex concilio Eliberitano, cap. 9.*

¶ CAPVT 115.

Decreuit sancta synodus, vt episcopi ac ministri episcoporum pro criminibus colonos flagellare cum virgis potestatem habeant, propter metum aliorum: vt ipsi criminosi corrigantur, & vel inuiti pœnitentiam agant, ne æternaliter pereant. Si verò seniores ipsorum colonorum indignè tulerint, & aliquam vindictam exinde exercere voluerint, aut eosdem colonos ne distringātur defendere prǽsumpserint, sciant se excommunicationis ecclesiasticæ sententiā feriendos.

*De episcopis qui apud Romanam sedem accusati fuerant, quòd cum excommunicatis communicarent. Ex conc. apud * Altheum.*

* Altheim

¶ CAP. 116.

Regno Conradi piissimi & Christianissimi Regis quinto, congregata est sancta generalis synodus apud Altheum in pago Rethia, præsente videlicet domini Ioannis Papæ Apocrisiario, sanctæ Ostiensis ecclesiæ Petro venerabili episcopo: * aliquo modo diabolica semina in nostris partibus exorta extirpare, & nefandissimas machinationes quorundam peruersorum hominum sedare, & eliminando purgare debere. Trāsacto igitur triduano ieiunio, & sacris Litaniis more debito celebratis, conuenimus in ecclesiā sancti Ioannis Baptistæ, & mœsti consedimus. Tum demum præfatus S. Petri & Domini Ioannis Papæ missus protulit chartam Apostolicis literis inscriptam, qua cōmmouebamur, arguebamur, & instruebamur de omnibus ad veram religionem Christianæ fidei pertinentibus. Quæ omnia (vt iustum & dignum erat) humiliter accepimus, diligenter tractauimus, & deuoto affectu omnimodò amplectebamur. Ergo Euangelicam præceptionem & institutionem saluberrimam lachrymabili voce protulimus, qua arguebantur Pharisæi & Scribæ, Mundate inquit, prius quæ intus sunt. *Et item,* Eiice primùm trabem de oculo tuo. Ac propheticū illud, Ruina populi sacerdotes mali: perpendentes & discutiendo nosmetipsos inspicientes, & in mediū pœnitentiæ sanctæ digno fructu ad terram nos proiicientes, defleuimus negligentias innumerabiles, & peccata nostra grauissima. Deinde hortatu Domini Petri contra nosmetipsos & vitia irati, adiuuante primò sancto spiritu & miserante, capitula infra notata ad correptionem tam nostram, quàm Christiani populi statuendo collegimus.

* Hoc quā tenus aliquo &c.

Matth. 23. Luc. 6.

De episcopis qui sibi subiectos seducunt, excommunicatis communicantes. Ex eodem conc. c. vi. cui interfuit Conradus Rex.

¶ CAP. 117.

Scimus sacra authoritate scriptum, qui excommunicato communicauerit, excommunicetur. In hoc nos fatemur episcopi, & presbyteri, & clerici pœnaliter peccasse: quod in posterum Deo auxiliante, & emendare & euitare cupimus & præcipimus.

De eadem re. Ex eodem concilio, cap. vij.

¶ CAP. 118.

Placuit sanctæ synodo, hunc errorem quasi impium ab ecclesia amouere, quia animarum curam à Domino accepimus, non pecuniarum. Inde & reddituri sumus domino rationem, & accepturi propter suam misericordiam æternam retributionem, vel iustam damnationem.

De episcopis, vt non sint malum exemplum populo. Ex eodem concil. cap. viij.

¶ CAP. 119.

Bonū exēplum populis seipsos episcopi & sa-

cerdotes debent præbere, & ostendere non solùm dictis, verùm & factis. Propter hoc enim statuimus, minimè vnquam in posterum contra sacra statuta aliquo modo communicemus excommunicatis: & diiudicamus nosmetipsos, quatenus in futuro non iudicemur à domino. Sequi cupimus dicta & statuta sancti Gregorij Papæ, & pœnitentiam dignam agere volumus secretè in monasterio, quia publicè nequiuimus, in futuróque prædicta omnibus modis Deo propitio, vitare volumus. Eandémque legem statuentes presbyteris, diaconibus, & omni clero, si de gradu deponi noluerint, vt fideliter obseruent, & aliis seruare prædicent.

1. Cor 11.

De correctione Episcoporum qui cum excommunicatis communicauerint. Ex eodem concilio, cap. ix.

¶ Capvt 120.

Authoritate Apostolica firmamus dicta & præcepta sanctorum canonum, & interdicimus, quamdiu quis excommunicatus sit, vt nullus nostrorum episcoporum ei audeat communicare, vel cum eo in ecclesia orare. Et laici qui secuti sunt nos, vt dicunt, errando & sequendo nos modo: nos autem nosmetipsos per pœnitentiam macerantes corrigendo, & viam eis vitæ prædicantes & aperientes, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quibus per nostra mala exempla capti tenentur, & ad veram matrem Ecclesiam per pœnitentiam reuertantur.

2. Tim. 2.

De his qui contemnunt bannum ab Episcopis impositum. Ex concilio Triburtensi, cap. viij. cui interfuit Arnulphus Rex.

¶ Cap. 121.

Epist. 3. de officio sacerdotis & clericorum.

Nemo contemnat neque transgrediatur bannum ab Episcopis superimpositum. Sciat & abhorreat in epistola beati Clementis dictum, contra se scriptum: Si vobis episcopis non obedierint omnes tam maioris quàm inferioris ordinis, atque reliqui populi, tribus & linguæ, non solùm infames, sed & extorres à regno Dei & consortio fidelium, & à liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alieni erunt. Et audiant ipsum dominum in Euangelio dicentem, Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Quapropter nos Euangelicam & Apostolicam considerantes authoritatem, non quæstum pecuniarum, sed lucrum quærentes animarum, statuimus & confirmamus, vt si quis post hanc huius sancti concilij definitionem inuentus fuerit corrupisse ab episcopis bannum impositum, xl. dierum castigatione corripiatur, tantùm in pane, sale & aqua.

Luc. 10.

Pro quibus causis quemlibet hominem anathematis vinculo ligari oporteat. Ex eodem conc. c. xxx.

¶ Cap. 122.

11. q 3 c. certum est.

Quæsitum est in eadem synodo, pro quibus causis quemlibet hominem episcopali authoritate vinculo anathematis ligari oporteat. Atque vnanimi cunctorum sententia decretum est, pro his tribus criminibus fieri debere, cùm ad synodum canonicè iussus venire contemnit, aut postquàm illuc venerit sacerdotalibus respuit obedire præceptis, aut ante finitam causæ suæ examinationem à synodo profugus abire præsumit.

De illis qui rapinam & furtum exercuerint. Ex eodem concilio, cap. xxxi.

¶ Cap. 123.

Tranquillitatem sanctæ Dei Ecclesiæ inquietari, & pacem fraternam infestari testantur fures & latrones, qui ambulant inter nos ouina pelle obumbrati, sed lupina mente recedunt alienati, sæua mente res ecclesiarum adducti rapientes, & gregem dominicum spoliando lacerantes. De quibus Saluator in Euangelio cōmemorat, Qui non intrat per ostium in ouile ouium, ille fur est & latro. Atque subiunxit. Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Vbi quamuis hæreticos qui fidem furantur ecclesiæ, designet, tamen insequutione furum & latronum turbatam monstrat pacem ecclesiarum. De talibus Apostolus ad Philippenses, Videte canes, videte malos operarios. Canes vocauit qui non habent verecundiam: Malos operarios qui nulla faciunt quæ pietati cōueniunt. Et dominus per Esaiam prophetam, Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam. Vnde nos quæ dominus diligit diligentes, & quę odit odio habentes, statuimus & iudicamus, vt si quis post hæc Euangelica & Apostolica, atque prophetica verba & definitionem pacatissimæ synodi inuentus fuerit furtum aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem meretur incurrere, nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare, & eleemosyna pro eo data in memoriam clericorum nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat. Beatus Augustinus de talibus horribilem profert sententiam, dicens, Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti: Si autem ille fur vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis habitu corporis & voluntate piæ mentis deprecatur, Deóque & sacerdoti vita comite, emendationem & actum confitetur: communionis gratiam non negamus tribuendam.

Ioan. 10. Philip. 3. Esai. 61.

De illis qui in patibulis suspenduntur. Ex concilio Magontiensi, cap. v.

¶ Cap. 124.

Cap 17. & Conc. Vormat sub Leone 4. c. 80. 13. q. 2 cap. quæsitum.

Quæsitum ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam, vtrùm cadauera illorum ad ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerendæ, & missæ celebrandæ, an non Quibus respondemus: si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus, communio in fine secundùm canonicum iussum, danda est, cur canones interdicunt eis, qui pro peccatis suis pœnam extremam persoluunt, & confitentur vel confiteri desiderant? Scriptum est enim, Non iudicat Deus bis in idipsum.

Naum 1. secundùm aliam literam.

De Episcopis, qui cum excommunicatis communicauerint. Ex concilio apud Erphesfurt, c. ix. cui interfuit Rex Henricus.

¶ Cap. 125.

Decreuit sancta synodus cum consilio serenissimi principis, si deinceps aliquis Episcopus sui ministerij oblitus, sciens cum excommunicato communicauerit, siue in salutatione, siue in oratione, siue in iniusta confortatione, siue in cibo, siue in potu, excommunicatus habeatur tam à principe, quàm à cæteris omnibus, quousque in proxima synodo audiatur, & Deo & ecclesiæ suę satisfacere cogatur.

De clericis qui fugerint ecclesias suas, & de seruis, qui dominos proprios fugerint. Ex concilio apud Altheum habito, cui interfuit Conradus Rex, cap. xxvi.

¶ Cap. 126.

Sanctus Gregorius dicit, Clericum fugientem ab ecclesia sua, vel seruum fugientem proprium dominum, & nolentem reuerti, iudicamus communione priuari, quousque ad propriam ecclesiam, vel ad dominum suum redeat. *Et item.* Clericum fugitiuum suo episcopo decernimus Apostolica sententia restitui, vel excommunicari, vnà cum illis qui ei communicauerint.





D.
IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI
DECRETI PARS DECIMA-QVINTA:

De Pœnitentia sanorum & infirmorum: Et qua commutatione leniri possit pœnitentia.

Quid sit Pœnitentia. Gregorius. ...om.34. ...uangelio...m.

§ CAPVT PRIMVM.



POENITENTIA est peccata præterita deflere, & deflenda non admittere. ...e pœnit. ...ist.3.c. pœ...itentia.

Vt Presbyter pœnitentem iussus ab Episcopo suo reconciliet. Ex conc. Carthag. ij. ...ap. 4.

§ CAP. 2.

Aurelius Episcopus dixit : Si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari diuinis altaribus petierit: si Episcopus absens fuerit, debet vtique presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem eius præcepto reconciliare: quam rem debemus salubri consilio roborare. Ab vniuersis Episcopis dictum est: Placet quòd sanctitas vestra necessariò nos instruere dignata est. ...s.q.6. c. ...urelius ...piscopus.

Vt pœnitentibus iuxa peccatum modus pœnitentiæ detur. Ex concilio Carthaginensi iij.c.xxxi.

§ CAP. 3.

Vt pœnitentibus secundùm differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. ...6.q 7. c. ...œnitētibus.

Ne Presbyter clam Episcopo reconciliet pœnitentem. Ex eodem concilio, c. xxxij.

§ CAP. 4.

Vt presbyter inconsulto episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente episcopo necessitate cogente. Cuiuscunque pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est quod vniuersam ecclesiam commouerit, ante absidam manus ei imponatur. ...6.q.6. cap. ...resbyter.

Vt ex pœnitentibus ordinatus clericus deponatur. Ex concilio Carthag.iv.c.lxviij. § CAP. 5.

Ex pœnitentibus (quamuis sit bonus) clericus non ordinetur. Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, deponatur à clero: quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens episcopus ordinauerit talem, etiam ipse episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate priuetur. dist. 50 e ex pœnitētibus.

De lege pœnitentium. Ex eodem concilio, c.lxxiv.

§ CAP. 6.

Vt sacerdos pœnitentiam imploranti, absque personæ acceptione pœnitentiæ leges iniungat. 26 q.7. cap. sacerdos.

De negligentibus pœnitentibus. Ex eodem conc. c.lxxv. § CAP. 7.

Vt negligentiores pœnitentes tardiùs reconcilientur.

De poscentibus pœnitentiam, si postea obmutescant. Ex eodem concilio, c. lxxvi.

§ CAP. 8.

Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit: dent testimonium qui eum audierint, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Si superuixerit, admoneatur à supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probauerit. 26 q. 6. c. & qui in infirmitate.

De pœnitentibus, vt in morte viaticum accipiant. Ex eodem concilio, c. lxxvij. ¶ Cap. 9.

Pœnitentes qui in infirmitate sunt, viaticum accipiant.

De pœnitentibus si post viaticum superuiuant. Ex eodem concilio, c. lxxviij. ¶ Cap. 10.

Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si superuixerint.

De pœnitentibus si casu aliquo moriantur. Ex eodem conc. c. lxxix. ¶ Cap. 11.

26. q. 7. c. sacerdos pœnitentiam. Pœnitentes qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, vbi eis subueniri non possit, memoria eorũ & orationib⁹ & oblationibus cõmendetur.

Vt pœnitentes mortuos efferant & sepeliant. Ex eodem conc. c. lxxxi. ¶ Cap. 12.

Moruos ecclesiæ pœnitentes efferant & sepeliant.

Vt pœnitentes semper genua flectant. Ex eodem cõc. c. lxxxij. ¶ Cap. 13.

Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant.

Vt pœnitentia coniugatis non nisi ex consensu detur. Ex concilio Arelatensi ii. c. xxii. ¶ Cap. 14.

33. q. 4. c. pœnitentiam. Pœnitentiam coniugatis non nisi ex consensu dandam.

De apostatis si non reuertuntur. Ex eodem concilio, cap. xxv. ¶ Cap. 15.

Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad sæculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant. Quos etiam iubemus ad clericatus officium nõ admitti: Et quicumque ille sit, post pœnitentiam habitum sæcularem non præsumat: quòd si præsumpserit ab ecclesia alienus habeatur.

De clericis pœnitentiam petentibus. Ex concil. Arausico j. c. iv. ¶ Cap. 16.

Pœnitentiam desiderantibus * clericis non negandam.

** etiam orig.*

Qualiter maiores pœnitentiam accipiant, quæ iunioribus non facilè committenda est. Ex conc. Agath. cap. xv. ¶ Cap. 17.

dist. 50. cap. pœnitentes. Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super capita à sacerdote (sicut vbique cõstitutum est) consequantur. Si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutauerint, abiiciantur. Et nisi dignè pœnituerint, non recipiantur. Iuuenibus autem pœnitentia non facilè committenda est, propter ætatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte positis non negandum.

Aurel. cõc. 1. c. 14. *Si presbyter aut diaconus pro reatu aliquo ab Eucharistia se suspenderit. Ex conc. Aurel. cap. viij.* ¶ Cap. 18.

dist. 81. c. si diaconus. Si diaconus aut presbyter pro reatu suo se ab altaris communione sub pœnitentis confessione submouerint, sic quoque si alij defuerint, & causa certæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare.

De his qui pœnitentiam poscunt: si vir est, prius tondeatur: si fœmina prius habitum mutet. Ex conc. Toletano iv. c. xij. ¶ Cap. 19.

Quicunque ab episcopo, vel presbytero sanus vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia episcopus obseruet & presbyter: vt si vir est, si sanus vel infirmus, priùs eum tondeat, aut in cinere & cilicio habitum mutare faciat, & sic pœnitentiam ei tradat. Si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi priùs aut velata fuerit, aut mutauerit habitum. Sæpius enim laicis cum fœminis tribuendo desidiosè pœnitentiam, ad lamentanda rursum facinora post acceptam pœnitentiam relabuntur.

Qualiter lapsi quilibet de clero, & in monasterium pro agenda pœnitentia trusi, sustententur. Gregorius Petro subdiacono. ¶ Cap. 20. *Lib. 1. regist. epist. 42.*

De lapsis sacerdotibus, vel quolibet ex clero, obseruare te volumus, vt in rebus eorum nulla contaminatione miscearis, sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secundùm Deũ viuere sciunt, & in eisdem monasteriis ad pœnitentiam lapsos trade: & res lapsorum in eo loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur, quatenus ipsi ex rebus eorum subsidium habeant, qui de correptione eorum sollicitudinem gerunt. Si verò parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur: ita autem, vt eorũ stipendia, qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeant procurari. Si qui verò ex familia ecclesiastica sacerdotes, vel leuitæ, vel monachi, vel clerici, vel quilibet alij lapsi fuerint, similiter dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum ecclesiastico iuri non subtrahi: ad vsum tamen suum accipiant, vnde ad pœnitentiam subsistant, ne si nudentur, locis in quibus dati fuerint, onerosi sint. *16. q. 6. c. de lapsis.*

Dimissa peccata denuo ad eum reuerti, qui non vult in se peccanti dimittere. Augustinus libro primo de baptismo. ¶ Cap. 21. *Lib. 1. de baptis. contra Donatist. c. 12.*

Redire dimissa peccata, vbi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus in Euangelio docet, de illo seruo, quem cùm inuenisset debitorem decem milium talentorum, deprecanti omnia dimisit: ille autem conseruum suum qui ei debebat centum denarios, cùm miseratus non fuisset, iussit eum dominus reddere quæ ei dimiserat. *Matth. 18.*

De his, qui in vltimo pœnitentiam petunt. Ex dictis Augustini. ¶ Cap. 22. *Lib. 50 Homeliarum, hom. 41. De pœnit. dist. 7. c. si quis pos.*

Sanè quisquis positus in vltima necessitate ægritudinis suæ, acceperit pœnitentiam, & mox vt reconciliatus fuerit, exierit de corpore: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumo dicere, quòd hinc benè exierit. Si securus hinc exierit, ego nescio. Pœnitentiam dare possumus securitatem autem dare non possumus. Numquid dico, damnabitur? Sed nec dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? vis quod incertum est euadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Si sic agis, dico tibi, quia securus es: quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu peccata.

*Vt grauium criminum rei authoritate pontificis segregentur ab altari, & iterum reconcilientur. Item * Augustinus libro de pœnitentia.* ¶ Cap. 23.

** Ex pœnitẽtiarij cuiusdã præfatione, quã reperies in admonitione Beati Rhenani, ad calcẽ Tertul. ea quoniam penè tota ex Aug. consarcinata est, hic Aug. tribuitur. Porrò hic locus decerptus est ex Enchir. c. 65.*

In actione autem pœnitentiæ vbi tale cõmissum est, vt is qui commisit, à Christi etiam corpore separetur: non tã consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatũ Deus non spernit. Verùm quia plærũque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec

nec in aliorum notitiam per verba, vel quæcumque alia signa procedit, cùm sit coram illo, cui dicitur: Gemitus meus à te non est absconditus: rectè constituuntur ab his, qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, vt satisfiat etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur. Ergo cùm tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, vt medicamenta corporis & sanguinis Domini differenda sint: authoritate Antistitis debet se quisque ab altario remouere ad agendam pœnitentiam, & eadem authoritate reconciliari.

Quantùm condescendi oporteat pœnitentibus. Item libro de pœnitentia.

¶ Cap. 24.

Iudicet se ipsum in istis voluntate dum potest, & mores conuertat in melius: ne cùm iam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino iudicetur. Et cùm in se protulerit seuerissimæ medicinæ sententiam, veniat ad antistites, per quos illi claues in Ecclesia ministrantur, & tanquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præposito sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, & in offerendo sacrificio contribulati cordis, persistat deuotus & supplex. Id tamen agat, quod non solùm ipsi prosit ad recipiendā salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: vt si peccatum eius non solùm in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitiam multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset: non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Multi enim corriguntur vt Petrus: multi tolerantur, vt Iudas: multi nesciuntur donec veniat Dominus qui, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis. *Item Augustinus in epistola ad Macedonium.* Quamuis cautè salubritérque prouisum sit, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus vtilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat Deo dicere: Quare huic homini qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis † astringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga istos non agi, quod Apostolus ait, Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Aut istis exceptis esse definitum, quod scriptum est: Beati omnes qui confidunt in eum? Aut ad istos non pertinere quod dicitur, Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Dominum? Cùm igitur super peccatores tanta sit patientia, tanta misericordia Dei, vt in hac temporali vita moribus emendatis non damnetur in æternum, qui nullius, quæ sibi præbeatur expectat misericordiam, quoniam nemo est illo beatior, nemo potentior, nemò iustior: quales nos esse oportet homines erga homines, qui hanc vitam nostram, quantacumque laude † cumulemus, eam sine peccato esse non dicimus? Quod si dixerimus nosipsos (sicut scriptum est) decipimus, & veritas in nobis non est.

Non posse perfectè pœnitere pro aliquo ablato, nisi restituatur, si potest restitui. Augustinus in epistola ad Armentarium & Paulinam.

¶ Cap. 25.

Si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur: non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum: sed, vt dixi cùm restitui potest.

Quòd vltima conuersio mente potius æstimanda sit, quàm tempore. Ex decretis Cœlestini Papæ, cap. xx.

¶ Cap. 26.

Vera ergo ad Deum conuersio in vltimis positorum, mente potius æstimanda est, quàm tempore, Propheta hoc taliter asserente: Si conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Cùm ergo Dominus sit cordis inspector, quouis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti: cum ille se obliget iudici, cui occulta omnia nouerit reuelari.

Quòd omnis fidelis in vltimis positus sanctificato oleo vngi debeat. Ex decretis Calixti Papæ.

¶ Cap. 27.

Beatus enim Iacobus Apostolus in epistola sua scripsit: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eū, vngentes eum oleo, in nomini Domini, & oratio fidei saluabit infirmum. Hoc & Apostoli in Euangelio fecisse leguntur, & nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, vt infirmi oleo consecrato vngantur à Presbyteris, & oratione comitante sanentur. Non solùm Presbyteris vti licet hoc sacro oleo in suis infirmitatibus, sed, vt Innocentius Papa describit, etiam omnibus Christianis vti licet eodem oleo, in sua, aut suorum necessitate vngendo. Quod tamen oleum non nisi ab Episcopis licet confici. Nam quod ait: Oleo in nomine Domini, significat, oleo in nomine Domini consecrato: vel certè, quia etiam cùm vngunt infirmum, nomen Domini super eum inuocare debent. Et si in peccatis sit, dimittuntur ei. Multi propter peccata in animam facta, infirmitate aut etiam morte plectuntur corporis. Vnde ait Apostolus Corinthiis: Quia corpus Domini indignè percipere erant soliti, ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Si ergo infirmi in peccatis sint, & hæc Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea derelinquere atque emendare satagerint, dimittentur eis. Neque enim sine † confessione emendationis queunt dimitti. Vnde rectè subiungitur: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.

De illis, qui propter timorem mortis in ipsa infirmitate confitentur peccata sua. Ex Concilio Nannetensi, cap. ij.

¶ Cap. 28.

Infirmus qui necessitate mortis vrgente confitetur peccata sua, sub ea conditione à sacerdote reconcilietur, vt si ei Dominus vitam donauerit, sanitatémque reddiderit, secundùm qualitatem delicti, & secundùm canonum statuta, & pœnitentialium probatorum pœniteat.

De illis qui in necessitatis tempore & pœnitentiam & reconciliationem desiderant. Ex decretis Leonis Papæ, cap. ix.

¶ Cap. 29.

His autem, qui tempore necessitatis, & in

Marginalia (left column, partly cut off): e pœnitent. ...st. 1. cap. in ...tione. / ...al. 50. / ...al. 37. / ...actenus eo ...t August. / ...b. 50. ho...liarum, ...me. 50 c 11. ...pœnitent. ...1. c iudi- / ...12. / ...or. 4. / ...45. post ...dist. 50. ...amuis. / ...str. or. / ...2. / ...2. / ...30. / ...ommen...nus. or. ...an. 1. / ...st. 54. ad ...cedonium ...med. ...q. 6. c. Si ...aliena.

Marginalia (right column): Epist. 2. ad Gallia Episc. cap. 2. / Ezech. 18. & 33. / Iacob. 5. / Marc. 6. / Innocent 1. epist. 1. cap. 8. / † confessione emendatione. / Iacob. 5. / Leon. Pap. 1. epist 91. ad Theodorum. 26. q 6. c. his qui in tēpore.

periculis vrgente instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorāt: nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Domini nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras* conuersio: dicente Domino per Prophetam, Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris. & alibi: Dic tu iniquitates tuas prior vt iustificeris. Item. Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio. In dispensandis itaque Dei donis, non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus, lachrymasque negligere, cùm ipsam * pœnitenti afflictionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

*vera.
Ezech. 18. & 33.
Ephes. 43.
Psal. 129.
*al. pœnitendi affectionem.
2. Tim. 2.

De eadem re. Ex decretis Innocentij Papæ, cap. xxij. ¶ CAP. 30.

Innocen. Pap. 1. epist. 3. ad Exuperium, cap. 2.

Et hoc quæsitum est, quid de iis obseruari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcūt. De his obseruatio prior durior, posterior interueniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non reuocaret à lapsu, meritò negata communio est concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, iam terrore depulso, communionem dari obeuntibus placuit, & propter misericordiam, quasi viaticum profecturis: & ne Nouatiani hæretici negantis veniam, asperitatem & duritiam subsequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, vt homines eiusmodi, vel in supremis suis permittente Saluatore nostro, à perpetuo exitio vindicentur.

De illis qui ad exitum veniunt, vt vltimo & necessario viatico non priuentur. Ex Concil. Nicano, cap. xiij. ¶ CAP. 31.

26. q. 6. c. de his vero.

De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque seruabitur: ita vt si quis egreditur de corpore, vltimo & necessario viatico minimè priuetur. Quòd si desperatus & consecutus communionem oblationisque particeps factus, iterum conualuerit, sit inter eos, qui communionem orationis tantummodò consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione debebit dare.

Quòd pœnitentia possint aboleri peccata, etiam si in vltimo vitæ spiritu quis pœniteat. Ex Conc. Magontiensi, cap. ij. ¶ CAP. 32.

August. id habet lib. de Ecclesia. dogmati. cap. 80.
†admissor.
Luc. 19.

Pœnitentiam posse abolere peccata indubitanter credimus, etiam si in vltimo vitæ spiritu † admissorū pœniteat, & vel publica lamentatione peccata prodantur: quia Dei propositum, quo decreuit saluare quod perierat, stat immobile. Et ideo, quia voluntas eius non mutatur, siue emendatione vitæ si tempus conceditur, siue supplici confessione, si continuò vita exceditur, venia peccatorū fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur à perditione pœnitendo, † & saluetur miseratione Domini, vt viuat. Si quis aliter de iustissima pietate Dei sentit, non Christianus, sed Nouatianus est.

Ezech. 18. & 33.
† & saluatus miseratione Domini viuat. Sic habet August.

De lapsis in vltimo positis, vt viatico munere, si rogauerint, eis subueniri debeat. Ex epistola Siricij Papæ. ¶ CAP. 33.

Quicumque carnali fragilitate ceciderint, viatico munere cùm ad Dominum cœperint proficisci, si rogauerint, per communionis gratiam volumus subueniri.

De illis infirmis, qui dum pœnitentiam petierint, & antequam sacerdos veniat, officium oris amittunt. Ex epistola Leonis Papæ.

Epistola 91.

¶ CAP. 34.

Ita ergo talium necessitati auxiliandum est, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso † vocis officio per iudicia integri sensus quærere comprobentur. Quòd si ita aliqua ægritudine fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonium fidelium circumstantium illis prodesse debet, † vt simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.

† oris.
† simul tamen et &c.

De eadem re. Ex decret. Eusebij Papæ, cap. x. ¶ CAP. 35.

Si quis pœnitentiam petens, dum sacerdos venerit, fuerit officio linguæ priuatus, constitutum est, vt si idonea testimonia habuerit, quòd ipse pœnitentiam petiisset, & ipse per motus aliquos suæ voluntatis aliquod signum facere potest, sacerdos impleat omnia, sicut suprà circa ægrotantem pœnitentem scriptum est, id est, orationes dicat, & vngat eum oleo sancto, & Eucharistiam ei donet, & postquam obierit, vt cum cæteris fidelibus ei subministret.

De infirmis in periculo mortis constitutis. Ex pœnitentiali Theodori. ¶ CAP. 36.

Mogunt sub Leone 4. c. 26.
26. q. 7. c. ab infirmis.

Ab infirmis in periculo mortis positis, per Presbyteros pura inquirenda est confessio peccatorum: non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studiis pondus pœnitentiæ subleuandum. Et si fortè migrauerint, ne obligati & à communione alieni, vel consortio veniæ fiant. A quo periculo si diuinitus ereptus conualuerit, pœnitentiæ modum à suo confessore impositum diligenter obseruet. Et ideo secundùm canonicam authoritatem, ne illis ianua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra cum vnctione olei animati, secundùm statuta sanctorum patrum communione viatici reficiantur.

De quodam qui Christum negauerat, quomodo in extremis viatico liberatus est. Dionysius dicit in Ecclesiastica historia.

Euseb. Eccles. hist. lib. 6. ca. 34. ex translatione Rufini.

¶ CAP. 37.

In historia Ecclesiastica Dionysius rescribens ad Fabianum, inducit quandam historiam, dicens, Serapionem quendam fuisse apud Alexan-

driam, vnum ex his qui lapsi sunt, eundémque sæpe deprecatum esse, vt susciperetur, nec tamen impetrasse. Oppressum deinde hunc ægritudine, ita vt tres dies sine voce prorsus iaceret, paululum verò quarto die respirantem, vocasse ad se filiolam suam, & dixisse fertur: Quousque me detinetis? quæso vos, citò aliquis Presbyterorum veniat, vt possim dimitti. Et cum hoc dixisset, rursum sine voce permansit. Abiit cito cursu ad Presbyterum puer noctis tempore. Infirmabatur Presbyter, venire non potuit: tamen quia præceptum fuerat, vt lapsis in exitu nemo reconciliationis solatia denegaret, & maximè his, quos prius id rogasse constabat, parùm Eucharistiæ puero dedit. Regrediente puero, adhuc antequam ingrederetur domum, rursum Serapion, Redisti, inquit, fili? Licet Presbyter venire non potuit, tamen imple, quod tibi imperatum est, vt possim recedere. Cúmque accepisset Eucharistiam, velut cathenis quibusdam vinculisque diruptis, lætiorem iam spiritum reddidit. Ex quo constat huius boni auxilio nullũ debere fraudari.

Vt Presbyteri de occultis peccatis iussu Episcopi pœnitentes reconcilient. Ex decreto Euaristi Papæ, cap. iij. ¶ CAP. 38. [q. 6. cap. ...byteri.]

Vt Presbyteri de occultis peccatis iussione Episcopi pœnitentes reconcilient, & (sicut suprà præmisimus) infirmantes absoluant & communicent.

De pœnitente, si in ipsa pœnitentia de corpore exierit, & reconciliari desiderat. Ex Conc. Arausico j. cap. iij. ¶ CAP. 39.

[q. 6. cap. ...recedunt. ...concilia... i.] Qui recedunt de corpore pœnitentes, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicare: quod morientis sufficit † consolationi secundùm diffinitiones patrum, qui huiusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt*. [...od si. or.] Vt si superuixerint, stent in ordine pœnitentum, vt ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant.

Vt quinta feria ante Pascha pœnitentibus sit remittendum: antè autem, si ad desperationem infirmitatis deuenerint. Ex epistola Innocentij Papæ, cap. vij. ¶ CAP. 40. [...1. epist. ...Decen... cap. 7. ...ns dist. de pœnitentibus.]

De pœnitentibus autem qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interuenit ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem. Sanè si quis in ægritudinem inciderit, atque vsque ad desperationem deuenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de seculo absque communione discedat.

De illis qui in Ecclesia remitti peccata negauerint. Ex dictis August. [...nchi. c.]

¶ CAP. 41.

Qui verò in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit diuini muneris largitatem, & in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit.

Quòd infirmis omni hora cibum sumere liceat. Ex Conc. Magontiensi, cap. xxiij.

¶ CAP. 42.

Infirmis licet omni hora cibum potúmque sumere, quotiescumque desiderant.

De illis sacerdotibus qui morientibus pœnitentiam denegauerint. Ex decretis Iulij Papæ.

¶ CAP. 43. [Ad calcem decretorum Iulij. 26. q. 6. cap. si Presbyter.]

Si quis Presbyter pœnitentiam abnegauerit morientibus, reus erit animarum, quia Dominus dicit: Quacumque die fuerit conuersus peccator, vita viuet, & non morietur. [Ezech. 18.] Vera enim † conuersio in vl imo tempore potest esse, quia Dominus non solùm temporis, sed etiam cordis inspector est: [† al. confessio.] sicut latro vnius momẽti pœnitentiã meruit esse in paradiso in hora vltimæ confessionis. [Luc. 23.]

Quòd nulli vltima pœnitentia sit deneganda. Ex decretis Cœlestini Papæ, cap. x. [Epist. 1. ad Epis. Gallia c. 2.]

¶ CAP. 44. [26. q. 6. c. agnouimus.]

Agnouimus enim pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animę suæ cupiunt remedio subueniri. Horremus, fateor tantæ, impietatis aliquem reperiri, vt de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere quo se ille † expedire desiderat, liberare. [† se expediri, or.] Quid hoc rogo aliud est, quàm morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? cùm Deus ad subueniendum paratissimus, inuitans ad pœnitentiam sic promittat peccatori: In quacumque die conuersus fuerit, peccata eius non reputabuntur ei. [Ezech. 33. Ezech. 18. & 33.] Et iterum: Nolo mortem peccatoris, sed tantùm vt conuertatur, & viuat. Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore *pœnitentiam denegauerit, & desperauerit de clementia Dei, qui eum ad subueniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit. [* speratam inseritur in orig. & gr.] Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dextram pendens, si illum vnius horæ pœnitentia non iuuisset. Cùm esset in pœna pœnituit, & per vnius sermonis professionem habitaculum paradisi Deo promittente, promeruit.

Vt in capite quadragesimæ omnes publicè pœnitentes in ciuitatem veniant, & ante fores Ecclesiæ nudis pedibus & cilicio induti Episcopo suo se repræsentent. Ex Conc. Agath. cap. ix.

¶ CAP. 45.

In capite quadragesimæ omnes pœnitentes qui publicã susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis, reos se esse ipso habitu, & vultu proclamantes. [dist. 50. c. in capite.] Ibi adesse debent decani, id est, Archipresbyteri parœciarum, & Presbyteri pœnitentum, qui eorum conuersationem diligenter inspicere debent, & secundùm modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus iniungant. Post hæc in Ecclesiam eos introducat, & cum omni clero septem pœnitentiæ Psalmos in terram prostratus cum lachrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc † resurgens ab oratione (iuxta quod canones iubent) manus eis imponat, aquam [† exurgens.]

benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris suspiriis eis denunciet, quòd sicut Adam proiectus est de paradiso, ita & ipsi ab Ecclesia pro peccatis abjiciuntur. Post hæc iubeat ministris, vt eos extra ianuas Ecclesiæ expellant. Clerus verò prosequatur eos cum responsorio: In sudore vultus tui visceris pane, &c. vt videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atque commotam, non parui pendant pœnitentiam. In sacra autem Domini cœna rursus ab eorum decanis, & eorum Presbyteris Ecclesiæ liminibus repræsententur.

Gen. 3.

Qua authoritate modus pœnitentiæ peccata confitentibus imponi debeat. Ex Concilio Maguntiensi, cap. x. ¶ Cap. 46.

Cabillon. 2. cap. 38.

Modus tempúsque pœnitentiæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum authoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem probatam imponi debet à sacerdotibus. Nam qui peccatis grauibus leues quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt puluillos secundùm Propheticum sermonem sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendas animas. Sed discretio seruanda est inter pœnitentes publicè, & absconsè. Nam qui publicè peccat, oportet vt publicè multetur pœnitentia, & secundùm ordinem canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur.

Ezech. 13.

Quòd diuersitas culparum diuersitatem faciat pœnitentiarum. Ex dictis August.

¶ Cap. 47.

Diuersitas culparum diuersitatem facit pœnitentiarum. Nam & corporum medici diuersa medicamenta componunt, vt aliter vulnera, aliter morbum, aliter tumores, aliter putredines, aliter caligines, aliter confractiones, aliter combustiones curent. Ita & spirituales medici diuersis curationum generibus animarum vulnera sanare debent. Sed quia hoc paucorum est, ad purum scilicet cuncta cognoscere & curare, & mederi, atque vt integrum salutis statum valeant reuocare, ideo solerter admonemus doctum quemque sacerdotem Christi, vt non ex suo sensu, sed secundùm canonum statuta, & traditiones patrum vniuersa disponat: & conditionem vtriusque sexus, ætatem, paupertatem, causam, statum, personam cuiusque pœnitentiam agere volentis, ipsum quoque cor pœnitentis inspiciat, & secundùm hæc vt sibi visum fuerit, vt sapiens medicus, singula quæque dijudicet.

Quòd multi sint fructus pœnitentiæ. Ex dictis eiusdem. ¶ Cap. 48.

Multi sunt pœnitentiæ fructus, per quos ad expiationem criminum peruenitur. Non enim tantùm simplici illo pœnitentiæ nomine salus æterna repromittitur, vt illud Apostolicum: Pœnitemini igitur, inquit, & conuertemini, vt deleantur peccata vestra. Et illud Propheticum: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Propter illum nudum gemitum, & propter illud nudum nomen pœnitentiæ nullus saluabitur, sed per veram confessionem, & sacerdotis intelligentis consilium, & per charitatis affectum, & per eleemosynarum fructum peccatorum moles subruitur.

Act. 3.

Esai 30.

Cur canones non perfectè præfigant pro vnoquoque crimine tempus & mensuram pœnitentiæ. Ex dictis Hieronymi. ¶ Cap. 49.

Mensuram autem temporis in agenda pœnitentia, idcirco non satis apertè præfigunt canones pro vnoquoque crimine, vt de singulis dicant, qualiter vnumquodque emendandum sit: sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt. Quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quàm doloris, nec abstinentia tantum ciborum, quàm mortificatio vitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ fide & conuersatione pœnitentum abbreuianda præcipiunt, & negligentia protelanda † existimant. Tamen pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ sunt impositi, iuxta quos cæteræ perpendendæ sunt culpæ: cum sit facilè per eosdem modos vindictam & censuram canonum æstimare.

Id habes in præfatione pœnitentiarij illius cuius supra meminimus ad cap. 23. *De pœnitent. dist. 1. c mensuram.*

† Extant tamē impositi.

De illis, qui pœnitentiam sibi iniunctam adimplere festinant. Ex pœnitentiali Romano.

¶ Cap. 50.

Vnumquemque hominem accedentem ad pœnitentiam, si videris acriter & assiduè stare in pœnitentia, statim remissius age aduersùs eum. Qui verò potest implere, quod impositum est ei, noli prohibere, sed permitte. Magis enim laudandi sunt hi, qui celeriter debitum pondus persoluere festinant: quia ieiunium debitum est pondus, & sic amandum his, qui pœnitentiam agunt: quia si ieiunauerit, & compleuerit quod illi mandatum est à sacerdote, purificabitur à peccatis. Quod si iterum ad pristinam consuetudinem peccati reuersus fuerit, sic est, quomodo canis, qui reuertitur ad vomitum proprium. Omnis itaque pœnitens, non hoc solùm debet ieiunare quod illi mādatum est à sacerdote, verùm etiam postquam compleuerit ea quæ illi iussa sunt, debet quantùm ipsi visum fuerit ieiunare. Si enim egerit ea, quæ illi sacerdos præceperit, illa peccata tantùm, quæ confessus est, remittentur. Si verò postea ex sua voluntate ieiunauerit, mercedem sibi acquiret, & regnum cœlorum. Qui ergo totam septimanam ieiunat pro peccatis, sabbato & dominica die manducet & bibat quidquid ei appositum fuerit. Custodiat tamen se à crapula & ebrietate. Quia omnis luxuria de ebrietate nascitur. Ideo beatus Paulus prohibuit dicens, Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: non quia in vino est luxuria, sed in ebrietate.

Prou. 26.

Ephes. 5.

Vt quotiescumque aliqui ad pœnitentiam accesserint, sacerdotes ieiuniis & orationibus cum eis cōmunicare debeant. Ex pœnitentiali Theodori.

¶ Cap. 51.

Quotiescumque Christiani ad pœnitentiam accedunt, ieiunia iniungimus, & nos communicare cum eis debemus in ieiunio vnam aut duas septimanas, aut quantùm possumus, vt non dicatur nobis, quod sacerdotibus Iudæorum dictum est à Domino: Væ vobis legis peritis, qui aggrauatis homines, & imponitis super humeros eorum onera grauia, & importabilia, ipsi autem vno digito vestro non tangitis sarcinas ipsas. Nemo enim potest subleuare cadentem sub pondere, nisi inclinauerit se, vt porrigat ei manum. Neque vllus medicorum vulnera infirmantium potest curare, nisi fœtoribus fuerit particeps. Ita quoque nullus sacerdotum vel pontifex peccatorum vulnera curare potest, aut animabus peccata auferre, nisi præstante sollicitudine & oratione

Luc. 11.

lachrymarum. Necesse est ergo vos fratres charissimi sollicitos esse pro peccantibus, quia sumus alterutrum membra. Ideoque & nos si viderimus aliquem in peccatis iacentem, festinemus eum ad pœnitentiam per nostram doctrinam reuocare: & quotiescumque dederis consilium peccanti, simul quoque da illi pœnitentiam statim, quantùm debeat ieiunare, aut eleemosynis redimere peccata sua, ne fortè obliuiscaris, quæ tibi iam dixerat, & iterum tibi necesse sit interrogare: & forsitan erubescat iterum peccata sua confiteri, & inuenietur iam amplius iudicari.

Quòd contingat hominem interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccare. Ex Concilio Cabilonensi ij. cap. xxxij.

¶ CAP. 52.

Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quòd quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, vt ex vtrisque plena sit confessio: scilicet vt & ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus itaque est peccatorum suorum confessor, vt de octo principalibus vitiis sine quibus in hac vita difficilè viuitur, confessionem faciat: quia aut cogitatione, aut (quod est grauius) opere eorum instinctu peccauit. Odium etenim, inuidia, superbia, & cæteræ huiusmodi animæ pestes tantò periculosius lædunt, quantò subtilius serpunt.

De incestis occultè commissis. Ex dictis August.

¶ CAP. 53.

Si quis incestum occultè commiserit, & sacerdoti occultè confessionem egerit, indicetur ei remedium* canonicum quod subire debuisset, si eius facinus publicatum fuisset. Verùm quia latet commissum, detur ei à sacerdote consilium, vt saluti animæ suæ pro occulta pœnitentia proficiat: hoc est, vt veraciter ex corde se grauiter deliquisse confiteatur, & per ieiunia & eleemosynas, vigilias atque sacras orationes cum lachrymis se purgare contendat, & sic se ad spem veniæ pro misericordia Dei peruenire confidat.

...anonum.

Quòd inter publicè & absconsè pœnitentes discretio obseruanda sit. Ex Concilio Maguntiensi, cap. xxj.

¶ CAP. 54.

...ncil. Rhe... nsi. ca. 31. Cabilo. 2. 38.

Vt discretio seruanda sit inter pœnitentes, qui publicè, & qui absconsè pœnitere debeant.

Vt ex corde pœnitentem magna exhilaratione sacerdotes suscipiant. Ex dictis Basilij Episcopi.

¶ CAP. 55.

...regulis ...uioribus ...pon. ad ...errog. 8. ...q. 7. c. ...nitentem. c. 15.

Pœnitentem ex corde ita oportet suscipi, sicut Dominus ostendit, cùm dicit: Quia conuocauit amicos suos, & vicinos dicens: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meã quam perdideram.

De his qui iam cessauerunt peccare, & perfectè pœnituerunt, vt communio eis in ipsa pœnitentia concedatur. Ex Conc. Laodicensi, cap. ij.

¶ CAP. 56.

...q. 7. ca. his

De his, qui facinoribus diuersis peccauerunt, & perseuerantes in oratione*, conuersionem à malis habuere perfectam, pro qualitate delicti, talibus post pœnitentiæ tempus impensum propter clementiam & bonitatem Dei communio concedatur. ** confessionis & pœnitentiæ, inseritur in orig.*

De lapsis in ordinibus sacris, si restaurari possint. Augustinus ad Petrum diaconum de fide scribens, ait: *Cap. 3.*

¶ CAP. 57.

Omni homini in hac vita esse potest vtilis pœnitentia, quam quocumque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si toto corde renunciauerit peccatis præteritis, & pro eis in conspectu Dei non solùm corporis, sed etiam cordis lachrymas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curauerit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Dominus prophetico promittit eloquio, dicens: Si conuersus fueris, & ingemueris saluus eris. Et alio loco dicitur. Fili peccasti, ne adjicias iterum: sed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur. Nunquam peccanti esset indicta pro peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda. Sed etiam pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia Catholica gerat, cui Deus in persona beati Petri ligandi, soluendique tribuit potestatem, dicens: Quæ alligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis: Et quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis. In quacumque igitur ætate homo veram peccatorum suorum egerit pœnitentiam, & vitam suam Deo illuminante correxerit, non priuabitur munere indulgentiæ: quia Deus, sicut per Prophetam dicit, non vult mortem peccatoris, quantùm vt reuertatur à via sua mala, & viuat anima eius. Veruntamen nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, cùm etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præueniuntur repentino Dei furore, vt nec conuersionis tempus, nec beneficium remissionis inueniant. Ideo vnum quemque nostrum sancta scriptura benignè præmonet, dicens: Ne tardaueris conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te. Dicit etiam beatus Dauid: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Cui beatus quoque Paulus concordat his verbis: Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Obdurato ergo viuit corde qui se non conuertit, desperans de indulgentia peccatorum: siue qui sic misericordiam Dei sperat, vt vsque in finem vitæ præsentis in suorũ criminum peruersitate remaneat. Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentesque iustitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis: scientes quia illa omnium hominum debita sit exactura æquitas iustissimi iudicis, quæ non dimiserit misericordia clementissimi redemptoris. Sicut enim misericordia suscipit, absoluitque conuersos, ita iustitia repellet & puniet obduratos. Hi sunt, qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc seculo, neque in futuro remissionem accipient peccatorum. Nam & de hoc

Esai. 30. Eccles. 21. Matth 18. Ezech. 33. Eccles. 5. Psal. 94. Heb. 3. Matth 12.

Hactenus August.

Isidorus Hispalensis Episcopus ad inquisitionem Massonis Episcopi, ita rescripsit, dicens: Verùm quod sequenter in epistolis venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla est in huiusmodi sententiis decretorum diuersitas intelligenda, quòd alibi legitur in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post pœnitentiam, alibi post huiusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Hæc diuersitas hoc modo distinguitur. Illos enim ad pristinos officij gradus redire canon præcipit, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio, vel digna peccatorum confessio. At contra hi, qui neque à vitio† corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum vtique honoris, nec gratiam communionis recipiunt. Ergo ita est vtraque dirimenda sententia, vt necesse sit illos restaurari in locũ honoris, qui per pœnitentiam, reconciliationem meruerunt diuinæ pietatis: hi non immeritò consequuntur adeptæ dignitatis statum, qui per emendationem pœnitentiæ recepisse noscuntur vitæ remedium. Id autem ne fortè magis ambiguum sit, diuinæ authoritatis sententia confirmetur: Ezechiel enim Propheta sub typo præuaricatricis Hierusalem ostendit post pœnitentiæ satisfactionem pristinum restaurari posse honorem: Confundere inquit, ô Iuda & porta ignominiam tuam. Et post paululùm: Et tu, inquit, & filiæ tuæ reuertimini† ad antiquitatem vestram. Quòd dixit, Confundere: ostendit post cõfusionis, id est, peccati opus debere quemque erubescere, & † pro admissis sceleribus verecundam frontem humi prostratam demergere, pro eo quòd dignum confusionis perpetrauerat opus. Deinde præcepit vt portet ignominiam depositionis suæ, lugens cum humilitate quod peccauerat. Sicque reuocari secundùm Prophetam ad priorem statum poterit.

Dist. 50. Domino sancto.

†correpti *vt.* corporis *Grat.*

Ezech. 16.

†ab iniquitate vestra.

† post confessionẽ, *inseretur in vt.*

Quod anima multis gentibus nobilior, & multis vrbibus preciosior sit, ideòque si lapsa fuerit, admodum deflendam. Excerptum de libro S. Ioannis Constantinopolitani ad Theodorũ, cap. lix.

Tomo 5. ex paraenesi ad Theodorum lapsum, nisi quòd hac vetus est tralatio. Porrò numerum hunc capitis referendum puto ad pœnitentiarium, ex quo hac videntur desumpta.

¶ Cap. 58.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Oportunius multò nunc à me, quàm tunc à Propheta Dei, dicitur. Licet enim non vrbes multæ, nec gens integra lamentanda sit, anima tamen flenda est multis gentibus nobilior, multisque vrbibus preciosior. Nam si vnus, qui fecerit voluntatem Dei melior est, quàm multitudo iniquorum, melior ergo & tu eras quondam, quàm multitudines Iudæorum. Propter quod nemo miretur, si fortè prolixioribus ego nunc vtar lamentationibus, & amariores profundum fletus, quàm tunc Propheta profudit. Non enim vrbis (vt dixi) captæ excidia defleo, nec vilis vulgi captiuitatem lamentor, sed insignis animæ lapsum, & templi in quo Christus habitabat, excidium. Hæc enim lamentatio insignis animæ, quam ego defleo, tantò est illa durior & amarior, quantò & verior. Inde vtique est quod ego irremediabiliter plango: quia noui, & incessabiliter lugeo dùm recordor, vsquequò iterum te † tripudiare videam ad prioris gloriæ statum. Quod etsi apud homines impossibile videtur, apud dominum tamen omnia possibilia sunt. Ipse est enim qui alleuat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus populi sui. Ipse est qui sterilem facit matrem super filios lætantem. Non ergo dubites, neq; desperes mutari te posse in melius. Si enim tantùm potuit diabolus, vt à celsis virtutum fastigiis in profundum te duceret malorum, quantò magis poterit Deus ad bonorum verticem reuocare: & non solùm in id te restituere, quod fuisti, sed beatiorem multò quàm prius videbaris efficere? Tantùm ne concidas animo, neque spem abcidas bonorum. Ne quæso te, ne accidat tibi, quod impiis solet. Non enim peccatorum multitudo in desperationem adducit animam, sed impietas. Impiorum ergo est desperare salutem, non peccatorum. Vnde diuina misericordia pollicetur, dicens: Gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei super vno peccatore. *Et post pauca.* Stantibus si ceciderint, minatur pœnam dominus: lapsis vt surgere appetãt, promittit misericordiam. Illos terret, ne præsumant in bonis: illos refouet, ne desperent in malis. Iustus es? iram pertimesce, ne corruas. Peccator es? præsume de misericordia, vt surgas. Et sicut † lapsus grauissimus ceruicibus animæ incumbens, eam semper deorsum in terram cogit aspicere, ad Deum verò sursum non finit oculos leuare: sic virilis est animi, ducere à ceruicibus animæ suæ pondus, vt canat cum Propheta Domino: Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum, donec misereatur nostri. Etenim mulier illa, quæ in Euangeliis drachmam quam perdiderat, inuenit, conuocat amicas & vicinas, vt congratulentur ei. Et ego cõuocabo amicos tuos, meosque, & vicinos nostros, deprecabor eos conuenire: non vt gaudeant, sed vt lugeant mecum, nec vt gratulentur, sed vt lamententur, & ingentem planctum subleuatis ad cœlum vnà mecum vocibus reddant, dicendo ad eos: Vlulate mecum amici, plangite, & profundite fontes fletuum: non quia auri pondus immensum, nec talenta auri perdiderim, sed quia horum omnium carior, & omni auro, omnique gemmarum nobilitate preciosior amicus, nescio quomodo lapsus, vsque in idipsum fertur perditionis profundum. Noli desperare de lapsu, ne cadas: qui enim alium desperat, habet veniam: qui verò desperauerit semetipsum, nullam: quia ille non est Dominus mentis alterius. Sicut ergo & anima, si semel salutem suam cœperit desperare, iam nec intelligit quomodo, vel in quæ mala præcipitetur: ita & qui desperatione capti sunt, intolerabiles fiunt, & per omnes malitiæ vias discurrunt. Exurge exurge quæso, expergiscere aliquando, & diabolicam hanc depone temulentiam. Parce cunctis, qui pro tua desperatione desperant, ne putent se viam virtutis incedere, si te ad eam redisse non videant. Respice quæso te, quantus nunc mœror omnium sanctorum fratrum habeat chorum, & quanta lætitia atque exultatio incredulis fiat, quantaque eis ad præcipitia luxuriæ † decrescat authoritas. Nec erit post hæc aliquis, qui quolibet lapsu deiectus non statim resurgere cupiat, & statim se reparare festinet.

Hierem. 9.

Eccl. 16.

Paulò post.

† repedare.

Luc. 1.

Psal. 112.

Hæc aliunde petita sunt. *Luc. 15.*

De pœniten. homel. 80. ad populum Antiochenum. Ex superiori lib. ad Theodorum.

† lapis.

Psal. 122.

Post pauca.

Luc. 15.

Post aliquot paginas non ita procul ab epilogo prioris parænesis.

Aliquantò inferius, sed præter diuersam tralationem nõ nullis etiam imo mutatis.

† de te crescat.

Quòd nullus à consolatione vulnerati fratris se subtrahere debeat. Item Ioannis Constantinopolitani ad eundem Theodorum, de lapsu Bacchari, cap. lx.

Nisi mentitur inscriptio mutila est parænesis ad Theodorum.

¶ Cap. 59.

Vbi est misericordia Christianę religionis, quam magister noster sacrificio docuit esse meliorem? Ecce iacet frater ab hoste percussus, adhuc forsitan palpitans, & vos quasi sine vulnere reuerti-

Matth. 9.

mini, nec consolationem plagæ illius deferre tentatis. Nolite esse sine formidine fratres: fortiorem percussit inimicus, vt facilior ei aditus esset ad reliquos. Vt quid ergo spernitis vulneratum, aut sicut putatis & mortuum?* Melior concubina Saul filia Respha, quæ corpora defunctorum, quos Dauid pro Gabaonitarum vltione percusserat, eousque accincta sacco, hoc est, cilicio custodiuit, donec eis roraret aqua de cœlo, id est, donec pro venia eorum misericordiæ cœlestis † scintilla defluxerat. Melior fuit ille Iudas Machabæus, qui etiam pro mortuis fratribus orationem credidit esse faciendam, quos damnata de Iamnia ciuitate idolorum dona prostrauerant. Vt quid rogo medicus noster inter librorum suorum loculos tot constituit genera pigmentorum, si nihil est ex emplastris eius quo sanari possit vulnus, quod percussit inimicus? Et si placet, aperiamus scholam medicinæ nostræ, & à principio canonis vulnerum ac medicaminum species perquiramus. Ecce in ipsius introitu scholæ, occurrunt illi seminis carnalis authores, qui venenato serpentis dente percussi, non statim pœnæ mortis addicti sunt, sed eiecti de paradisi delitiis, id est, de Ecclesiæ libertate & sacri communione † mysterij.

2. Reg. 21. — * *Locus corruptus, fortè sic restituendus.* Melior Respha filia Ahia concubina Saül, † stilla deflueret. — *2. Mach. 12.* — † ministerij.

De eadem re. Ex epistola Ioannis Constantinopolitani ad Theodorum.

¶ CAP. 60.

Vnde vides quia peccati contagione maculamur? Ne quæso beatissime mi, fratrem nostrum in profundum putei sub iniqui principis potestate demersum, desperationis lapidibus obruamus. Imitemur illum Æthiopem qui sanctum Hieremiam in lacu ab iniquo rege demersum, assumptis xxx. hominum auxiliis, & missis ad eum pannis & funibus veteribus liberauit. Facilis esto ad lapsum ruinamq; miserorum. Porrige manum iacenti fratri, qui confusus pudore peccati nec erigere se, aut oculos audet attollere. Comple legem Moysi: Cecidit asinus fratris sub pondere, hoc est, caro euicta peccato: acclina te, & humilia, & subleua de ruina. Quid erubescis coniungi homini peccatori? Respice illum, qui dicit: Noli nimiùm esse iustus. Magister noster à latronibus vulneratū, non solùm cura dignum iudicat, verùm etiam ad stabulum suum & ouile perduxit. Et tu ergo collige fratrem, quem diabolus latro percussit. Consigna stabulario, id est, beato Episcopo, qui si aliquid in eo impenderit, amplius à domino consequetur.

Deut. 22. — *Ecclesi. 7.* — *Luc. 10.*

De eadem re. Ex epistola eiusdem Ioannis Constantin. ad Theodorum.

¶ CAP. 61.

Nec hoc ibi reperitur.

Euangelicus sermo dixit, si peccauerit in te frater tuus, corripe eum solus. Si te audierit, lucratus es eum, & cætera quæ continet sermo præcepti. Vide quid dicat: Ne exhilarentur filij incircuncisorum. Filij enim incircuncisorum sunt homines seculi, in præputij sui errore & gentilitate viuentes. Hi ergo exhilarantur, cùm audiunt ruinam militis Christi. Peccatum igitur celetur, & adhibeatur emendatio. Nos autem consolationis linteamina, & cœlestis spei pigmenta tribuamus. Ipse autem infra sepulchrum secreti sui confessus, peccati pudore contineatur, vbi conscientiæ verme laceretur, qui totas in eo † obliniat putredines peccatorum, donec nullum ex se fœtorem famæ turpis emittat.

Matth. 18. — *2. Reg. 1.* — † oblingat.

De eadem re. Item ex epistola eiusdem Ioannis ad Theodorum. ¶ CAP. 62.

Et hæc desiderantur.

Qualiter rogo de misericordia Dei possumus desperare, qui etiam Pharaonem arguit, quare nequaquam pœnitere dignatus sit, dicens: Brachia Pharaonis Regis Ægypti contriui, & non est deprecatus vt daretur in eo sanitas, & redderetur ei virtus ad comprehendendum gladium? Salomon ille mirabilis, qui meruit astitrici Dei, hoc est, sapientiæ Dei copulari, in alienigenarum incurrit amplexus, & vinculo libidinis laqueatus, etiam sacrilegij horrore se polluit: quia simulachrum Cathmos Moabitico idolo fabricauit. Sed quia per Propheticam vocem culpam erroris agnouit, nunquam misericordiæ cœlestis extorris est. At forsitan dicas: In neutro testamento lego, neque eum pœnituisse, neque misericordiam consequutum, &c.

Ezech. 30. — *Sap. 9.* — *3. Reg. 10.*

De eadem re. Ex decretis Siricij Papæ, cap. xiiij.

¶ CAP. 63.

Epist. 1. ad Himerium cap. 14. *dist. 50. c. illud quoque.*

Illud quoque nos par fuit præuidere, vt sicut pœnitentiam agere cuiquam † non conceditur clericorum: ita & post pœnitentiam ac reconciliationem nulli vnquam laïco liceat honorem clericatus adipisci. Quia quamuis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerant vasa vitiorum.

† solemniter non conceditur &c.

De eadem re. Ex decretis Gelasij Papæ, cap. xvij.

¶ CAP. 64.

Epist. 1. ad epis. per Lucaniam, c. 20.

Comperimus etiam horrendis quibusdam criminibus implicatos, tota discretione submota, non solùm de factis atrocibus necessariam pœnitudinem non habere, sed nec aliqua correctione penitus succedente, ad diuinum ministerium honoremque contendere. Nonnullos autem in ipsis ordinibus constitutos, grauibus delinquentes facinoribus non repelli, cùm & Apostolus clamet, nemini citò manus imponendas, neque communicandum peccatis alienis: & maiorum veneranda constituta pronuncient: huiusmodi etiam, si fortè subrepserint, tam qui antè peccauerunt, deiectos oportere depelli, quàm sacræ † professionis oblitos, præuaricatoresque sancti propositi, proculdubio submouendos.

1. Tim. 5. — Nicæni Côcil. cap. 9. & 10. — † promissionis.

De illis, qui loca sanctorum sub prætextu religionis inconsultè peragrant. Ex Concilio Cabilonensi, cui interfuit Carolus Rex, cap. xlv. — Côc. Cabil. 2.

¶ CAP. 65.

Nam & à quibusdam qui Romam, Turonumue & alia quædam loca sub prætextu orationis inconsultè peragrant, plurimùm erratur. Sunt Presbyter & Diacones, & cæteri in clero constituti, qui negligenter viuentes, in eo purgari se à peccatis putant: & ministerio suo fungi debere, si præfata loca attingant. Sunt nihilominus laïci, qui putant impunè se aut peccare, aut peccasse, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum qui acquirendi census gratiâ sub prætextu Romani siue Turonici itineris multa † acquirunt, multos pauperes opprimunt: & quod sola cupiditate faciunt, orationum siue sanctorum locorum visitationis causâ se facere videri affectant. Sunt pauperes qui vel ideo id faciunt, vt maiorem habeant materiam mendicandi: de

† conquirũt.

quorum numero sunt illi, qui circumquaque vagantes, illò se pergere mentiuntur: vel quia tantùm sunt vecordes, vt putent se sanctorum locorum sola inuisione à peccatis purgari, non attendentes quod ait beatus Hieronymus: Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis benè vixisse laudandum est. De quibus omnibus Imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia expectetur. Qui verò peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parœciis, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo eleemosynas largiendo, mores componendo, vitam emendando, Apostolorum limina, vel quorumlibet sanctorum inuisere desiderant, horum est deuotio modis omnibus collaudanda.

Epist. ad Paulinum, cuius initium, Bonus homo.

De omni peccatore, quòd quoties ceciderit, toties resurgere debeat. Ex dictis Zosij cuiusdam Heremitæ. ¶ Cap. 66.

Dum quidam frater Abbatem Zosium tali sermone frequenter requireret, dicens: Quid faciam pater, quoniam cecidi? Ille respondit. Surge inquit. Illo verò se exurrexisse, & iterum cecidisse professo: respondit, Iterum adhuc surge. Cùm autem frater se frequenter surrexisse, & frequenter cecidisse narraret, eodem verò senex vtebatur sermone, exclamans, Ne desistas surgendo. Cui frater ait: Vsquequò possum surgere pater? explana. Senex dixit: Vsquequò aut in bono opere, aut in malo † deprehensus occumbas. In quo enim opere fuerit homo † deprehensus, in eo iudicabitur.

† depressus.

Quòd iustum sit Dei homini, quòd se reprehendat. Ex dictis Pimenis cuiusdam heremitæ.

¶ Cap. 67.

Quidam frater requisiuit Abbatem Pimenem dicens: Quid est pater quod dicit Apostolus, Omnia munda mundis? At ille dixit ei: Si quis ad hunc sermonem peruenire potuerit, vt eum intelligat, videbit se minorem esse totius creaturæ. Cui frater: Et quomodò possum minorem me videre, ab eo qui homicida est: respondit senex. Si potuerit homo ad hunc sermonem Apostoli peruenire, & viderit hominem qui fortè occidit alium, dicit in semetipso: Iste quidem hoc solum fecit, ego autem omni hora homicidium committo, me ipsum interficiens. Et cum frater requireret, quomodò hoc posset fieri, respondit: Hæc sola est hominis iustitia, vt semetipsum reprehendat. Tunc enim iustus est, cùm sua peccata condemnat.

Tit. 1.

Vt nullus fratrē condemnet antequàm Deus illum dijudicet. Ex dictis cuiusdam Heremitæ.

¶ Cap. 68.

Venit aliquando Abbas Isaac in cœnobio, & vidit illic fratrem negligentem & iratus iussit eum expelli de cœnobio. Cùm ergo regrederetur ad habitaculū suum, venit Angelus Domini, & stetit ante ostium cellulæ eius, dicens: Non te permitto ingredi. At ille rogabat, vt culpa eius manifestaretur. Et respondens Angelus dixit: Dominus transmisit me dicens: Vade dic Isaac, Vbi iubes vt mittamus illum fratrem qui peccauit? At ille egit mox pœnitentiam dicens, Peccaui Domine, indulge mihi. Et dixit ei Angelus. Exurge, † indulget tibi Dominus, sed ne iterum hoc facias, vt quemquam condemnes, antequam illum Dominus iudicet. Tulerunt homines sibi iudicium, & non mihi illud dimittunt, dicit Dominus. Hoc autem dictum est, quia si contigerit de illis perfectis aliquem vel in paruo peccare, non mox perdatur.

† indulgeat.

Quòd iusta obedientia iustis muneribus remuneretur. Ex dictis eiusdem.

¶ Cap. 69.

Quidam ex patribus in extasi positus, vidit quatuor ordines ante Deum: & primus quidem ordo erat hominum infirmantium, & gratias agentium Deo. Secundus verò erat eorum, qui hospitalitatem sectantur, & in hoc ministrant. Tertius autem illorum qui solitudinem † sectantur. Quartus verò eorum, qui propter Deum in obedientia subiecti sunt patribus. Erat ergo illis tribus ordinibus hic ordo superior, qui obedientiam exhibebat, & habebat torquem auream, & maiorem gloriam præ cæteris possidebat. Dicit autem senex ei qui sibi hoc in extasi demonstrabat: Quare hic ordo quartus maiorem cæteris gloriam habet? Ille autem respondit ei dicens: quia isti alij omnes habent aliquam requiem † ad implendas proprias voluntates. Hic ergo qui obedientiam exercet omnes voluntates relinquens, totus pendet in voluntate patris iubentis: & ideo maiorem gloriam præ cæteris est sortitus.

† sectantur, & non videt homines.

† adimplendo quamuis in bonis operibus proprias &c.

De illis qui ex industria peccant, & promittunt sibi quandam impunitatem peccandi, propter largitionem eleemosynarum. Ex Concilio Cabilonensi, cap. xxxvj.

Cōc. Cabil. 2.

¶ Cap. 70.

Sed nec hoc prætereundum putauimus, quòd quidam ex industria peccantes, propter eleemosynarum largitionem quandam sibi promittunt impunitatem. Eleemosyna enim extinguit peccata, iuxta illud: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata: sed ea quæ aut necessitate, aut casu, aut qualibet fiunt fragilitate. Ea verò quæ ex industria ad cuiuslibet libidinē explendam idcirco fiunt, vt eleemosynis redimantur, nequaquā eis redimi possunt: quia qui hoc perpetrant, videntur Deum mercede conducere, vt eis impunè peccare liceat. Non ergo quis idcirco peccare debet, vt eleemosynam faciat, sed ideo eleemosynam facere debet, quia peccauit. Mentem enim & corpus quæ libido traxit ad culpam, afflictio & contritio debet reducere ad veniam.

Eccles. 3.

De his qui peracta pœnitentia ad pristina redeunt volutabra. Ex decretis Siricij Papæ, cap. x.

¶ Cap. 71.

Epist. 1. ad Himerium Episc. cap. 5. 33. q. 2. c. de his verò. Prou. 26. 2. Pet. 2.

De his verò non incongruè dilectio tua Apostolicam sedem credidit consulendam, qui actâ pœnitentiâ tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & noua coniugia, & inhibitos denuò appetiere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filij prodiderunt. De quibus quia iam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, vt sola intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur. Sacræ ministeriorum celebritati (quamuis non mereantur) intersint: à Dominicæ autem mensæ conuiuio segregentur, vt hac saltem districtione correcti, & ipsi sua

errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur: quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere cùm ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subueniri. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, seruandam esse censemus.

De pœnitente fœmina, quæ defuncto viro alij nubere præsumpserit. Ex Concilio Arelatensi, cap. iij. ¶ Cap. 72. Conc. Arelat. cap. 21.

Pœnitentes fœminæ, quæ defunctis viris aliis nubere præsumpserint, vel suspecta vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerint, cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceantur. Hæc etiam de viris in pœnitentia positis placuit obseruari.

Quòd in danda pœnitentia nulla sit personarum acceptio. Ex Concilio Cabilon. cap. xxxiiij. cui interfuit Carolus Rex. Conc. Cab. 2.

¶ Cap. 73.

Quia igitur, Apostolo teste, non est personarum acceptio apud Deum, & in omnibus iudiciis cauenda est: multò magis in hoc pœnitentiæ iudicio præcaueri debet, vt nullus sacerdotum vnquam aut gratia, aut odio alicuius personæ secus iudicet, quàm quod in canonibus sacris inuenerit, aut quod illi secundùm sanctarum scripturarum authoritatem, & Ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Si ergo medici qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cuiuslibet acceptionem, his quos sanare cupiunt cauterio, aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt, multò magis his obseruandum est; qui non corporum, sed animarum medici existunt. Neque enim pensanda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis, & mortificatione corporis. Cor autem contritum & humiliatum Deus non despicit. [Rom. 2. Ephes. 6. Coloss. 3. Act. 10. Psal. 50.]

De illis qui peccata sua sine condigna pœnitentia sibi relaxari arbitrantur. Ex dictis August.

¶ Cap. 74.

Quisquis ergo malorum operum sine condigna pœnitentia quemquam veniam à Deo percipere posse dixerit, penitus errat: & cùm deceptus alios decipere festinat, duplici noxa constringitur; hoc est, proprij erroris, & alienæ deceptionis.

Quòd tamdiu laborare quisque debeat, donec possideat Christum. Ex dictis Gregorij.

¶ Cap. 75.

Vsque tunc laborare debet homo, vsquequò possideat Christum. Qui autem semel illum adeptus fuerit, iam non laboret. Permittit tamen Dominus laborare electos suos; vt rememorent tribulationum labores, vnde semetipsos custodiant, timentes ne tantos labores amittant. Nam & filios Israël ideo Deus per desertum xl. annis circumduxit; vt rememoratis tribulationibus, non redirent retrorsum.

Vt nullus Episcopus seu Presbyter alterius pœnitentem sine litteris sui Episcopi suscipiat. Ex epistola Fœlicis Papæ, cap. ij. Fœlix Papa 3 epist. Decretalis cap 6.

¶ Cap. 76.

Curandum verò maximè, & omni cautela prouidendum, ne quis fratrum coëpiscoporúmque nostrorum, aut etiam Presbyterorum in alterius ciuitate, vel diœcesi pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se esse dixit, sine Episcopi vel Presbyteri testimonio & litteris, ad cuius pertinet parœciam, suscipiat.

Quòd pœnitentes secundùm canones, nisi peracta pœnitentia, communicare non debeant. Ex dictis Pij Papa, cap. x.

¶ Cap. 77.

Pœnitentes non debent communicare antè consummationem pœnitentiæ.

Quòd pro ethnico & publicano sit habendus, qui pro peccato commisso pœnitere noluerit. Ex dictis August. ¶ Cap. 78.

Erga eum qui pro peccato commisso non pœnitet, tales esse debemus; sicut Dominus præcepit dicens: Sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et sicut Apostolus iubet: Subtrahite vos, inquit, ab omni fratre inordinatè ambulante, & non secundùm traditionem quam tradidi vobis. [26. q. 7. c. Erga eum. Matth. 18. 2. Thess. 3.]

Quòd à licitis se abstinere debeat, qui illicita se commisisse meminerit. Ex dictis Gregorij Papæ. Homel. 20.

¶ Cap. 79.

Qui se illicita meminit commisisse, à licitis etiam studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa.

Quòd nulli post pœnitentiæ actionem ad militiam secularem redire liceat. Ex epistola Leonis Papæ, cap. xxv. ¶ Cap. 80. Epist 92 c. 10. De pœniten. dist. 5. c. contrariū verò.

Contrarium est omnino Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cùm Apostolus dicat: Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis. Vnde non est liber à laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare. 2. Tim. 2.

De eadem re. Ex Concilio Arelatensi, cap. iij. Conc. Arela. 2. cap. 25. dist. 50 ca. hi qui.

¶ Cap. 81.

† Hi qui post sanctæ religionis propositum apostatant, & ad sæculum redeunt, & postmodùm pœnitentiæ remedia non requirunt: communionem non accipiant sine pœnitentia, quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti; & quicumque ille est; post pœnitentiam habitum sæcularem non præsumat. Quod si præsumpserit, alienus ab Ecclesia habeatur. [† Si qui post sanctum religionis, &c.]

Quòd nullus religiosus & sanctus careat peccato. Ex dictis August. ¶ Cap. 82. De Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 86.

Nullus sanctus & iustus caret peccato: nec tamen ex hoc desinit esse iustus, vel sanctus; cùm affectu teneat sanctitatem. Non enim naturæ viribus, sed propositi adiumento per gratiam Dei acquirimus sanctitatem, & ideo veraciter se omnes sancti pronunciant peccatores: quia in veritate habent quod plangant, & si non reprehensione conscientiæ; certè mutabilitate & mobilitate præuaricatricis naturæ.

Quòd pœnitentes à conuiuiis & ornamentis abstinere debeant. Ex decretis Lucij Papa, cap. v.

¶ Cap. 83.

Quòd pœnitentes à conuiuiis & ornamentis

atque alba veste abstinere debeant: & discordes pellantur ab Ecclesia donec ad pacem redeant.

Vt Presbyter pœnitentes non reconciliet, nisi Episcopus suus iubeat. Ex Concilio Aphricano, cap. xxx. ¶ CAP. 84.

Cap. 10. & Carth. 3. c. 32. 26. q. 6 cap. Presbyter. † inconsulto orig.

Vt Presbyter † non interrogato Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absentia Episcopi, necessitate compellente.

Quòd ordinati in grauioribus peccatis deprehensi, non manus impositionem, vt laïci, accipere debeant. Ex Conc. Carthaginensi, cap. xxvij. ¶ CAP. 85.

Conc. Carth. 5. cap 11. dist. 50. c. confirmatum est.

Item confirmatum est, vt si quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua grauiore culpa conuicti fuerint, qua eos à ministerio necesse sit remoueri: non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laïcis imponatur: neque vnquam permittendum vt rebaptizati ad clericatus gradum promoueantur.

De clericis, qui corporali delicto delinquunt, si restaurari possint. Ex epistola Isidori ad Masonem. ¶ CAP. 86.

Habetur suprà c. 57. & citatur dist. 50. Domino sancto.

Nulla est in huiusmodi sententiis decretorum diuersitas intelligenda, quòd alibi legitur in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post pœnitentiam, alibi post huiusmodi delictum nequaquam reparandum prioris ordinis meritum. Hæc enim diuersitas hoc modo distinguitur. Illos enim ad pristinos officij gradus redire præcepit canon, quos pœnitentiæ præcesserit satisfactio, vel digna peccatorum confessio. At contra hi, qui neque à vitio corporis emendantur, & hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum vtique honoris, nec gratiam communionis recipiant.

De his qui altario Dei seruiunt, si subitò flenda carnis fragilitate corruerint. Ex Conc. Ilerdensi, cap. v. ¶ CAP. 87.

dist. 50. & 15. q. 8 ca hi qui altario.

Hi qui altario Dei seruiunt, si subitò flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente dignè pœnituerint, ita vt mortificato corpore, cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate pontificis vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiore tempore ab Ecclesiæ corpore segregare. Ita tamẽ vt sic officiorũ suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia vlterius promoueri. Quòd si iteratò velut canes, ad vomitum reuersi fuerint, & velut sues in volutabris immersi fuerint, non solùm dignitate officij careant, sed etiam sanctam communionem non nisi in exitu percipiant.

Prou 26. 2. Pet. 2.

Quòd coniugati in quadragesima abstinere debeãt ab vxoribus. Ex Conc. Eliberitano, cap. v. ¶ CAP. 88.

In fragm.

Qui in quadragesima ante Pascha cognouerit vxorem suam, & noluerit abstinere ab ea, vnum annum pœniteat, aut pretium videlicet xxv. solidorum ad Ecclesiam tribuat, aut pauperibus diuidat. Si per ebrietatem & sine consuetudine acciderit, xl. dies pœniteat.

De illis qui in quadragesima diebus carnem manducare præsumunt. Ex Concilio Toletano, cap. ix. ¶ CAP. 89.

Toleta. Conc. 8. cap. 9.

Quicumque sine ineuitabili necessitate atque fragilitate, & euidenti languore seu etiam impossibilitate ætatis, diebus quadragesimæ esum carnium attentare præsumpserit, non solùm reus erit resurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, vt in ipsius anni circulo ab omni esu carnium abstineat, quia sacris diebus abstinentiæ disciplinam oblitus est.

De fratre peccante non ad mortem. Ex epistola Ioannis Euangelistæ. 1. Ioan. 5. ¶ CAP. 90.

Qui scit fratrem suum peccare non ad mortem postulet pro eo, & dabit ei vitam Deus. Si quis vsque ad mortem peccat, quia est peccatum vsque ad mortem, non pro eo dico vt quis roget.

Quòd difficile sit grauiter peccanti sub gradu, manere in gradu. Ex dictis Hieronymi. ¶ CAP. 91.

Quicumque dignitatem gradus diuini non custodiunt, contenti fiant animam saluare. Reuerti enim in eum gradum in quo antea fuerant difficile est.

De eadem re. Item eiusdem. ¶ CAP. 92.

Qui sub gradu peccat, debet excommunicari, quia magna est dignitas huius nominis. Tamen potest redimere animam suam post pœnitentiam: ad priorem enim gradum venire difficile est.

De eadem re. Ex dictis Augustini. ¶ CAP. 93.

Qui sub gradu cecidit post pœnitentiam, contentus fiat baptizare, communionem dare infirmis, & altario tantummodò ministrare.

De eadem re. Ex dictis Isidori. ¶ CAP. 94.

Isidorus in Angelo Ephesi præposito, sacerdotem ostendit, iuxta Malachiam, qui dicit: Labia Apoc. 2. sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Candelabrum enim sacerdotis, quia charismata intelliguntur honoris, tunc penitus iuxta Ioannem mouetur, quando post delicta neglecta pœnitentia, admissa scelera non deflentur. Non enim dicit quia cecidisti, mouebo candelabrum tuum: sed nisi pœnitentiam egeris, mouebo candelabrum tuum.

Malac. 2.

Quòd post vij. annos pœnitentem sacerdotem censura canonum in pristinum statum remeare præcipiat. Item Isidorus. ¶ CAP. 95.

Canonum censura post septem annos remeare pœnitentem sacerdotẽ in statum pristinum præcipit, non expletione proprij arbitrij, sed potius ex sententia diuini iudicij. Nam legitur, quia Num. 12. Maria soror Aaron Prophetissa dum obtrectationis aduersùs Moysen incurrisset delictum, illicò stigmate lepræ percussa est. Cúmque petisset † Moysen, vt emundaretur, Dominus præcepit † Moyses. eam extra castra egredi septem diebus, & post emundationem rursus eam castris reuerti. Maria ergo soror Aaron caro intelligitur sacerdotis, quæ dum superbiæ dedita, sordidissimis corruptionum

maculatur erroribus, moretur extrà castra septem diebus, id est, à collegio sanctæ Ecclesiæ septem annis projiciatur, quibus post emendationem † vitiorum expletis, loci, siue pristinæ dignitatis recipiat meritum. † vitæ.

De illis qui scabiem aut vermiculos comedunt, vel vrinam bibunt. Ex pœnitentiali Bedæ.

¶ Cap. 96.

Qui comedit scabiem aut vermiculos qui pediculi dicuntur, vel vrinam bibit, siue stercora comedit, si infantes sunt vel pueri, vapulent: si in virili ætate, septem dies pœniteant, & vtrique cum impositione manus Episcopi sanentur.

De illis qui animalia à bestiis dilacerata, vel laqueis strangulata comedunt. Ex pœnitentiali Theodori. ¶ Cap. 97.

Animalia quæ à lupis seu à canibus lacerantur, non sunt comedenda, nec ceruus nec capreus, si mortui inuenti fuerint: nisi fortè ab homine adhuc viua occidantur prius, sed porcis & canibus dentur. Aues verò, & animalia cætera, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda, nec si oppresserit accipiter, & si sic mortua inueniuntur: quia in Actibus Apostolorum præcipitur abstinere à fornicatione, à sanguine, suffocato, & idololatria. ... 15.

De apibus si hominem occiderint. Item eiusdem.

¶ Cap. 98.

Apes si occidunt hominem, ipsæ quoque occidi festinentur, mel tamen manducetur.

De porcis & gallinis, si sanguinem hominis comederint. Item eiusdem. ¶ Cap. 99.

Si porci vel gallinæ sanguinem hominis comedunt, mox occidantur, & intralia projiciantur, & cætera caro manducetur. Si autem tardatur occisio, non comedatur. Si autem cadauera laceraverint mortuorum, macerentur, & post anni circulum comedantur. Si autem porci occiderint hominem, statim interficiantur, & sepeliantur.

De illis qui carnem immundam, vel morticinam comedunt. Item eiusdem. ¶ Cap. 100.

Qui manducat carnem immundam, aut morticinam, aut dilaceratam à bestiis, xl. dies pœniteat. Si enim necessitate famis contingit, multò leuius est.

De illis qui cibum immunda manu tactum comederint: vel si canis, aut aliquod animal immundũ cibum tetigerit. Item eiusdem. ¶ Cap. 101.

Quòd si casu quis immunda manu cibum tangit, vel si canis vel pilax, aut catus, músue aut animal immundum sanguinem hominis edit, non nocet. Et qui pro necessitate famis manducat animal quod immundum videtur, vel auem, vel bestiam, misericorditer pœniteat.

De illis qui sanguine aliquo immundo polluuntur. Item eiusdem. ¶ Cap. 102.

Qui sanguine, vel quacumque immundo polluitur, si nescit qui manducat, leue est. Si autem scit, pœniteat iuxta modum pollutionis.

De illis qui sanguinem aut semen biberint. Item eiusdem. ¶ Cap. 103.

Qui sanguinem aut semen biberit pro aliqua re, tres annos pœniteat.

De piscibus mortuis in flumine inuentis. Item eiusdem. ¶ Cap. 104.

Piscis mortuus in flumine inuentus, non est edendus, quia non est venatio hominis. Si verò piscando tactus fuerit, & ipso die inuentus fuerit, qui non hæsitat, manducet: qui autem dubitat, non manducet.

De clericis qui à dæmonio vexantur. Ex Concilio Aurelianensi, cap. vj. ¶ Cap. 105.

Si quis clericus vexatus fuerit à dæmonio, decem annos pœniteat, & inter audientes sit, & ad sacros ordines non adducatur. Si benè egerit, & per Dei † gratiam liberatus fuerit, sit in reliquis officiis Ecclesiasticis. † misericordiam.

De illis qui parentum honorem non seruant. Ex pœnitentiali Romano. ¶ Cap. 106.

Si quis inhonorauerit patrem aut matrem, tres annos pœniteat. Quòd si manum leuauerit, aut percusserit, septem annos pœniteat.

Quòd pœnitenti nulla negotia exercere conueniat. Ex decretis Leonis Papæ. ¶ Cap. 107. *Epist. 91. ca. 9. De pœniten. dist. 5. cap. qualitas.*

Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit: quia est honestus quæstus & turpis. Veruntamen pœnitenti vtilius est dispendia pati, quàm periculis negotiationis obstringi. Quia difficile est inter ementis, vendentisque commercium, non interuenire peccatum.

Vt sacerdotes nulli pœnitentiam iniungant ex corde, sed authoritate. Ex Concil. Maguntiensi, cap. xxiij. ¶ Cap. 108.

Omnibus his actis ventilata est ratio pœnitentiæ, vt sacerdotes certius intelligerent quomodò confessiones recipere, & pœnitentiam secundùm canonicam institutionem pœnitentibus deberent † indicare. † indicere.

Vt vnusquisque Presbyter octo principalia vitia per ordinem sciat. Ex eodem Conc. cap. v.

¶ Cap. 109.

Ventilata est ratio 8. principalium vitiorum, vt vnusquisque Presbyter diuersitatem illorum sciat, & ab illis Domino auxiliante, se intelligat custodire, & aliis prædicare.

Vt sacerdotes diligenter examinent confitentium peccata. Ex eodem, cap. vj. ¶ Cap. 110.

Vt Episcopi & Presbyteri examinent, qualiter confitentibus peccata diiudicent, & tempus pœnitentiæ constituant.

Vt singuli Presbyteri capitula authoritatiua habeant ad succurrendum pœnitentibus. Ex eodem, cap. xxvi. ¶ Cap. 111.

Vt vnusquisque Presbyter capitula habeat de maioribus & minoribus vitiis, per quæ cognoscere valeat, vel prædicare subditis, vt caueant ab insidiis diaboli.

De Presbyteris qui culpas peccantium reticent, vel minus dignè pœnitentes ad reconciliationem adducunt. Ex decr. Alexandri Papæ. *Ad calcem decret. Alexand. 1.*

¶ Cap. 112.

Vt nemo Presbyterorum xenium, vel quodcumque emolumentum temporale, immo detrimentum spirituale à quocumque † publicè peccante, vel incestuoso accipiat, vt Episcopo vel † publico vel erig.

ministris eius peccatum illius reticeat: nec pro respectu cuiusque personę, aut consanguinitatis, vel familiaritatis alienis communicans peccatis hoc Episcopo innotescere detrectet: nec à quoquam pœnitente aut gratiam, aut fauorem aut munus suscipere præsumat, aut minus dignè pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat: vel quocumque liuore alium quemlibet ignius pœnitentem à reconciliatione remoueat: quia hoc simoniacum, & Deo & hominibus contrarium est.

De illis qui truncationes membrorum fecerint. Ex pœnitentiali Romano. ¶ Cap. 113.

Qui per rixam, ictu, debilem vel deformem hominem fecerit, reddat impensas medici, & medium annum pœniteat. Si non habuerit vnde reddat, vnum annum pœniteat. Si laïcus per dolum sanguinem effuderit, reddat illi tantum, quantum nocuit: & si non habet vnde reddat, soluat in opera proximi sui, quamdiu ille infirmus est, & postea xl. dies pœniteat in pane & aqua.

De eadem re. Ex pœnitentiali Bedæ.

¶ Cap. 114.

Qui ictum proximo dederit, & non nocuerit, tres dies pœniteat in pane & aqua. Si clericus, annum vel dimidium. Si quis alicui quodlibet membrum † voluntate sua truncauerit, tres annos pœniteat, vnum ex his in pane & aqua. Paruuli inuicem se percutientes, tres dies. Si verò adolescentes, viginti dies pœniteant.

† voluntariè.

De illis qui ducatum præstant, & deprædatores super Christianos ducunt. Ex pœnitentiali Romano. ¶ Cap. 115.

Si quis præbet ducatum super Christianos, vt deprædentur, & non alciderit strages Christianorum, tres annos pœniteat. Sin verò, † eiectis armis vsque ad mortem mundo mortuus viuat.

† abiectis.

De illis qui per amorem venefici fiunt. Ex pœnitentiali Theodori. ¶ Cap. 116.

Si quis per amorem veneficus fit, & neminem perdiderit: si clericus est, vnum annũ pœniteat in pane & aqua. Si subdiaconus 2. Si diaconus tres, vnum ex his in pane & aqua. Et laïcus dimidium annum pœniteat, maximè si per hoc mulieris partum deceperit quisque, tres annos vnusquisque superaugeat in pane & aqua, ne homicidij reus sit.

De illis, qui hæreticis nescientes se in aliquibus commiscuerint. Ex decr. Eutychiani Papæ.

¶ Cap. 117.

Si quis dederit vel acceperit communionem de manu hæretici, & nescit quod Catholica Ecclesia contradicit: posteà intelligens, annum integrum pœniteat. Si autem scit, & neglexerit, & posteà pœnitentiam egerit, decem annos pœniteat: alij iudicant septem; & humanius quinque annos pœniteat. Si quis permiserit hæreticum missam tuam celebrare in Ecclesia Catholica, & nescit, quadraginta dies pœniteat: Si pro reuerentia eius, annum integrũ pœniteat: Si pro damnatione Ecclesiæ Catholicæ, & consuetudinis Romanorũ, projiciatur ab Ecclesia sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiam: Si habuerit, decem annos pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia Catholica in congregationem hęreticorum, & aliis persuaserit, & posteà pœnitentiam egerit, duodecim annos pœniteat, quatuor annos extra Ecclesiam, & sex inter auditores, & duos adhuc extra communionem. De his in canone dicitur, vt decimo anno communionem sine oblatione recipiant. Si Episcopus aut Abbas iubet monacho suo pro hæreticis mortuis missas cantare, non licet, & non expedit obedire eis. Si Presbytero contigerit vbi missam cantauerit, & alius recitauerit nomina mortuorum, & simul nominauerit hęreticos cum Catholicis, si post missam intellexerit, hebdomada pœniteat: Si frequenter fecerit, annum integrum pœniteat. Si quis autem pro morte hæretici missam ordinauerit, & pro religione sua eius reliquias ibi tenuerit, & nescit differentiam Catholicæ fidei, & posteà intellexerit, pœnitentiamque egerit, reliquias ibi debet igne concremare, & annum pœniteat. Si autem scit & neglexerit, pœnitentia commotus x. annos pœniteat. Si quis à fide Catholica discesserit sine vlla necessitate, & posteà ex toto animo pœnitentiam acceperit, tres annos extra Ecclesiam, id est, inter audientes, iuxta Nicænum Concilium, septem annos in Ecclesiis inter pœnitentes, & duos annos adhuc extra communionem pœniteat. Cap. 11.

De illis qui comedunt aut bibunt ab immundis animalibus tactum vel intinctum. Ex pœnitentiali Romano.

¶ Cap. 118.

Qui comedit vel bibit intinctum à familiari bestia, id est, cane vel catto, & scit, centum psalmos cantet. Si nescit, duos dies ieiunet: vel si redimere voluerit, quinquaginta psalmos cantet. Qui dederit alicui liquorem, in quo mus, vel mustela mortua inuenta sunt: si laïcus est, septem dies pœniteat. Si in cœnobiis contigerit, trecentos psalmos cantet. Qui posteà nouerit, quòd talem potum biberit, centum quinquaginta psalmos cantet. Si quis semicoctum comederit inscius, tres dies pœniteat, vel psalterium cantet: Sciens autem septem dies pœniteat. Pro modico furto xx. dies pœniteat, qui est xx. annorum. Puer qui est decem annorum, aliquid furti faciens, septem dies pœniteat. Si quis tinxerit manum in aliquo cibo liquido, & non idonea manu, c. palmatis emendetur. Si in farina, aut in aliquo cibo sicco, aut in pulte, aut in lacte coagulato mus vel mustela mortua inueniuntur, quod in circuitu eius est, totum projicietur foras, quod reliquum est manducetur.

Quòd diabolus internas cogitationes animæ non videat, sed ex motu quandoque corporis intelligat. Ex dictis August. De Ecclesiast. dogmat c. 81.

¶ Cap. 119.

Internas animæ cogitationes diabolum non videre certissimum est, motu verò has corporis ab illo & affectionum indiciis colligi, experimento didicimus: secreta autem cordis solus ille nouit, ad quem dicitur: Tu solus nosti corda filiorum hominum. 2. Paral 6.

De eadem re. Item eiusdem. Ibid. cap 82.

¶ Cap. 120.

Non omnes malæ cogitationes nostræ semper diaboli instinctu excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrij motu emergunt. Bonæ autem cogitationes semper à Deo sunt.

De

De illis qui alios in culpa sua defendere nituntur. Item ex dictis eiusdem.

¶ CAP. 121.

Reos sanguinis non defendat Ecclesia, ne effusionis sanguinis particeps fiat.

De eadem re. Ex decretis Eusebij Papæ, cap. xv.

¶ CAP. 122.

Vt qui alium in culpa sua defendere vel excusare nititur, excommunicetur.

Conc. Arela. 2. cap. 22. *Vt pœnitentia coniugatis, non nisi ex consensu detur. Ex Concilio Arelatensi, cap. vj.*

¶ CAP. 123.

Pœnitentiam coniugatis non nisi ex consensu dandam.

August. lib. de cura pro mortuis, cap. 2. *Quot modis animæ defunctorum solui debeant. Ex dictis Gregorij.*

¶ CAP. 124.

Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum.

De nutriendis infirmis. Ex dictis Hieronymi.

¶ CAP. 125.

Nutrire infirmos & fouere Christum nihil interest. Nutriendus enim est infirmus, quia Christus infirmum se esse profitetur.

Matth. 25. *Quod non noceant mala præterita, si non placeant præsentia. Ex dictis Augustini.*

¶ CAP. 126.

Non nocent mala præterita, si non placeant præsentia: præcipuè si multis eleemosynis sint expiata.

De illis, qui hospites recipere neglexerint. Ex pœnitentiali Romano.

¶ CAP. 127.

Matth. 25. Quicunque hospites non recipit in domo sua, sicut Dominus præcepit, & propter hoc regna cœlorum promisit: quanto tempore hospitibus humanitatem denegauit, & mandata euangelica iuxta possibilitatem suam non adimpleuit, nec pedes lauit, nec eleemosynam dedit, tanto tempore pleniter in pane & aqua si non emendet, pœniteat.

Vt clerici superflua pauperibus erogent. Ex pœnitentiali Romano.

¶ CAP. 128.

Clericus habens superflua, donet ea pauperibus. Sin autem, post pœniteat tempore quo viuat, in contritione, & in pœnitentia remotus viuat.

De illo, qui alicui fratri suum imputat peccatum, priusquàm seorsum eum arguerit. Item ex eodem.

¶ CAP. 129.

Qui peccatum imputando fratri imponit, priusquàm seorsum arguat eum, satisfaciens ei, tres dies pœniteat.

De illis, qui diu reticent peccata. Ex pœnitentiali Bedæ.

¶ CAP. 130.

Sciendum verò est, quanto quis tempore moratur in peccatis, tanto ei † augenda est pœnitentia. † agenda.

De illo qui aliquem in ira percusserit. Ex Concilio Rothomagensi, cap. viiij.

¶ CAP. 131.

Si quis alium per iram percusserit, & sanguinem effuderit: si laïcus est, xx. dies pœniteat: Clericus, xxx. Illi autem qui gradum habent, ampliùs compelli debent. Diaconus sex menses: Presbyter vnum annum: Episcopus duos annos & sex menses.

De illis, qui ad feriendum hominem surrexerint, volentes eum occidere, sed non potuerunt. Ex pœnitentiali Romano.

¶ CAP. 132.

Qui ad feriendum hominem surrexerit, volens eum occidere, tres hebdomadas pœniteat. Si clericus fuerit, vj. menses. Quod si vulnerauerit, xl. dies pœniteat. Si clericus clericum, annum totum: sed & pecuniam pro modo vulneris cui inflixit tribuat.

De illis qui reticuerint peccatum fratris, quod est ad mortem. Ex pœnitentiali Theodori.

¶ CAP. 133.

Qui reticuerit delictum fratris quod est vsque ad mortem, neque eum corripuerit iuxta regulam Euangelicam, primò inter se & ipsum solum, deinde inter alios, deinde ad Ecclesiam culpam referens, si necesse fuerit, & quanto tempore fuit, tanto pœniteat. 1. Ioannis 5. Matth. 18.

Quod non liceat Decano pœnitentiam dare alicui. Ex pœnitentiali Romano.

¶ CAP. 134.

Non licet diacono alicui dare pœnitentiam, sed Episcopus aut presbyter dare debet.

Vt pœnitentia quæ dilata est, cùm petita fuerit non denegetur. Ex decretis Leonis Papæ, cap. xxi. Epistola 92. cap. 7.

¶ CAP. 135. De pœniten. dist. 1. c. pœnitentia quæ.

Dissimulatio hæc potest non de contemptu esse remedij, sed de metu grauius delinquendi. Vnde pœnitentia quæ dilata est, cùm studiosius petita fuerit, nod negetur: vt quoquo modo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perueniat.

De illis, qui despiciunt eos, qui fideliter agapas fecerint. Ex Concilio Gangrensi, cap. xi.

¶ CAP. 136.

Si quis despicit eos, qui fideliter agapas, id est, conuiuia pauperibus exhibent, & propter honorem Domini conuocant fratres, & noluerit communicare huiuscemodi vocationibus, paruipendens quod geritur, anathema sit. dist. 42. c. Si quis despicit.

Ll

Cap. 81. Ex conc. Mileui. cap. 6.

De illis qui dicunt se non habere peccata. Ex Concilio Aphricano, cap. lxx.

¶ Cap. 137.

Item placuit, vt quod ait sanctus Ioannes Apostolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putauerit, vt dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia verè ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adiungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Vbi satis apparet, hoc non tantùm humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim dicere Apostolus: Si dixerimus, non habemus peccatum, nosmetipsos extollimus, & humilitas in nobis non est. Sed cū ait, Nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis non est: satis ostendit, eum qui dixerit se non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum. (1. Ioan. 1.)

Cap. 82. Et conc. Mileui. cap. 7.

De illis sanctis, qui dicunt in oratione Dominica: Dimitte nobis debita nostra. Ex eodem Conc. cap. lxxi.

¶ Cap. 138.

Item placuit, vt quicunque dixerit in oratione Dominica ideo dicere sanctos, Dimitte nobis debita nostra, vt non pro seipsis hoc dicant, quia nō est eis necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores: & ideo non dicere vnumquemque sanctorum, dimitte mihi peccata mea, sed dimitte nobis debita nostra: vt hoc pro aliis potius, quàm pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & iustus erat Apostolus Iacobus cùm dicebat: In multis offendimus omnes. Nam quare additum est, Omnes, nisi vt ista sententia conueniret & psalmo, vbi legitur: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuens. Et in oratione sapientissimi Salomonis: Non est homo, qui non peccet. Et in libro S. Iob: In manu omnis hominis signum, vt sciat omnis homo infirmitatem suam. Vnde etiam Daniel sanctus & iustus cùm in oratione pluraliter diceret. Peccauimus, iniquitatem fecimus, & cætera quæ ibi veraciter & humiliter confitetur: ne putaretur (quemadmodum quidam sentiunt) hoc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, posteà dixit: Cùm orarem & cōfiterer peccata mea, & peccata populi mei domino Deo meo: noluit peccata nostra dicere, sed populi sui dixit, & sua: quoniam futuros istos, qui tam malè intelligerent, tanquàm propheta, præuidit. (Matth. 6. Iacob. 3. Psal. 142. 3. Reg. 8. 2. Paral. 6. Eccles. 7. Iob 37. Daniel. 9. Ibidem.)

De illis qui se affligunt de obitu charorum. Ex epistola Anastasij 1. Papæ, Neriano nobilissimo viro directa.

Epistola 1.

¶ Cap. 139.

Nos autem qui nouimus, qui hoc credimus & docemus, contristari nimiùm de obeuntibus non debemus: ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis in culpa sit nobis. Nam diffidentiæ quodammodò genus est, * contra hoc agere quod quisque prędicator quęrit iustitiam amans, dicente Apostolo: Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Hac itaque, frater charissime, ratione perspecta, studendum nobis est, vt (sicut diximus) non de mortuis affligamur, sed affectum viuentibus impendamus, quibus & pietas ad vtilitatem, & sit ad fructum dilectio. Depone ergo, charissime, mœrorem, & assume spiritualem fructum lætitiæ, ad vtilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ, teruorúmque eius profectum: & vitæ huius quæcunque sunt spatia æternis diuinisque officiis illustrare contende, vt qui insignem te præstitit, reddat sibi per sæcula clariorem. (* Contra quod quis. præd. queritur. orig. — 1. Thess. 4.)

De illis qui sibiipsis voluntariè mortem inferunt. Ex Concilio Bracarensi, cap. x. Conc. Braca. 1. cap. 34.

¶ Cap. 140.

Placuit vt hi qui sibiipsis voluntariè aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo inferunt mortem: nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur. Multi enim sibi hoc per ignorantiam vsurparunt. Similiter & de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur. (23. q. 5. c. placuit vt hi.)

De eadem re. Ex Concilio Cabilonensi, cap. v.

¶ Cap. 141. Antisiodor. conc. cap. 17.

Quicunque se propria voluntate aut in aquam deiecerit †, aut collum ligauerit, aut de arbore præcipitauerit, aut ferro percusserit, aut cuilibet voluntariè se morti tradiderit: istius oblatio non recipiatur. († iactauerit. or. Paululum variat. in orig.)

De illis, qui cum infidelibus cibum sumere præsumunt. Ex Conc. Eliberitano. Cap. 50.

¶ Cap. 142.

Si verò clericus vel fidelis cum Iudæis cibum sumpserit, placuit eum à communione abstinere, vt possit emendari.

De illis qui apostatant, & ad idololatriam se conuertunt. Ex eodem Conc. Id habet Siricius Papa epist. 1. cap. 3.

¶ Cap. 143.

Adiectum est etiam quosdam Christianos ad apostasiam (quod dici nefas est) transeuntes, & idolorū cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatos: quos à Christi corpore & sanguine, quo dudum redempti fuerant renascendo, iubemus abscindi: & si resipiscentes fortè aliquando fuerint, ad lamenta conuersi, his quamdiu viuunt, agenda pœnitentia est, & in vltimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda, dicente Domino: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. (Ezech. 18.)

De eadem re. Item ex eodem. Conc. Arela. 1. cap. 23.

¶ Cap. 144.

De his qui apostatant, & rarò se ad Ecclesiam repræsentant, & nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & posteà infirmitate arrepti, petunt communionem: placuit non dandam eis communionem, nisi † reuelauerint fidem suam rectam, & egerint dignos fructus pœnitentiæ. († reuclauerint, & egerint. Sic codex Concili.)

De illis qui Christiana mancipia captiuauerint. Ex pœnitentiali Theodori.

¶ Cap. 145.

Si quis aliquem hominem quolibet ingenio

captiuauerit, aut transmiserit, tribus annis pœniteat.

De illis qui domum, vel aream proximi sui incenderint. Ex pœnitentiali Romano.

¶ Cap. 146.

Si quis domum vel aream cuiuscunque voluntariè igne cremauerit, sublata vel incensa omnia restituat, & tribus annis pœnitentiam agat.

De illis qui libidinosè obtrectauerint puellam aut mulierem. Ex eodem.

¶ Cap. 147.

Si quis obtrectauerit puellæ aut mulieris pectus, vel turpitudinem earum: si clericus est, quinque dies; si laicus, tres dies pœniteat. Monachus vel sacerdos à ministerio diuino suspensi, si aliquid tale fecerint, xx. dies pœniteant. Scriptum est enim: Neque tetigeritis neque obtrectaueritis turpitudinem fœminarum.

De illis qui in balneo cum mulieribus se lauerint. Ex pœnitentiali Theodori.

¶ Cap. 148.

Si quis in balneo cum mulieribus se lauare præsumpserit, tres dies pœniteat, & vlterius non præsumat.

De administratione † xenodochiæ & decimæ. De eodem.

† synodochiæ. † synodochia. † rerum.

¶ Cap. 149.

Si quis † xenodochias pauperum administrat, vel decimas populi susceperit, & si quis exinde vel suis lucris sectandum aliquid subtraxerit, quasi rerum alienarum inuasor, † reus damnum restituat, & sub canonico iudicio reformetur, & agat pœnitentiam annis tribus. Scriptum est enim: Talem dispensatorem Dominus quærit, qui sibi de suis nihil vsurpet.

Vt fœminæ menstruatæ non offerant.

¶ Cap. 150.

Vt mulieres menstruo tempore non offerant, nec sanctimoniales, nec laicæ. Si præsumpserint, tres hebdomadas pœniteant.

De illis fœminis quæ ante mundum sanguinem Ecclesiam intrauerint, & quæ nupserint his diebus. Ex pœnitentiali Theodori.

¶ Cap. 151.

Mulier quæ intrat Ecclesiam ante mundum sanguinem post partum, si masculum genuerit, xxxiij. dies pœniteat: si fœminam, lvi. Si qua autem præsumpserit ante tempus præfinitum Ecclesiam intrare, tot dies pœniteat in pane & aqua, quot Ecclesia carere debuerat. Qui autem concubuerit cum ea his diebus, decem dies pœniteat in pane & aqua.

Quod monachi secularibus pœnitentiam dare non debeant. Ex Concilio Maguntiensi, cap. xxij.

¶ Cap. 152.

Liberi non sunt monachi ad dandam pœnitentiam secularibus.

Vt pœnitentes ante peractam pœnitentiam non reconcilientur. Ex eodem Concilio, cap. xxiij.

¶ Cap. 153.

Non reconcilientur pœnitentes, si necessitas non coëgerit, nisi post actam pœnitentiam.

Vt qui ad confessionem veniunt, primùm de liuore inuidiæ & auaritia interrogentur. Ex pœnitentiali Theodori.

¶ Cap. 154.

Sanè quia de liuore inuidiæ, & de ira, necnon & de auaritia, vt superius digestum est, oriuntur homicidia, rectè (vt arbitror) censuimus de ipso vitio, primùm qualiter sacerdotali iudicio canonicè penitus sit corrigendum ostendere: ac deinde secundùm ordinem vitiorum ita remedium subsequatur, quo facilius vndecunque pœnitens purgari voluerit, sine dilatione in singulis capitulis inueniatur.

De illis, qui soli Deo peccata sua confitenda esse affirmant. Ex pœnitentiali Theodori. Et Conc. Cabilo 2. c. 33. De pœniten. dist 1. c. quidam Deo.

¶ Cap. 155.

Quidam Deo solummodò confiteri debere dicunt peccata, vt Græci: quidam verò sacerdotibus confitenda esse percensent, vt tota sancta Ecclesia. Quod vtrunque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita duntaxat, vt & Deo qui remissior est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & hoc perfectorum est: & cum Dauid dicamus: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, confitebor aduersùm me iniustitias meas domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, vt confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro inuicem, vt saluemur. Confessio itaque quæ Deo soli fit, quod iustorum est, peccata purgat. Ea verò quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque salutis & sanitatis author & largitor, plerunque hanc præbet suæ potentiæ inuisibili administratione, plerunque medicorum operatione. Psalm. 31. Iacob. 5.

De illis qui accipiunt pœnitentiam, & plus desiderant temporis constituti expletionem, quàm peccati remissionem. Ex pœniten. Beda. Conc. Cabilon. 2. ca. 35.

¶ Cap. 156.

Multi (quod non sine dolore dicendum est) in pœnitentia non tam peccati remissionem, quàm temporis constituti expectant expletionem. Et si carnium & vini vsus eis interdictus est, mutata non voluntate, sed eiusdem cibi aut potus perceptione, intantùm deliciis suis indulgent, vt deliciosius his interdictis aliorum ciborum, vel potionum appetitu viuere cognoscantur. Spiritualis autem abstinentia quæ in pœnitentibus potissimùm vigere debet, quorundam ciborum ac potionum † perceptiones, & desiderium fugere debet. Ille inquam magis parsimoniæ seruire censendus est, qui sibi non solùm quarundam rerum perceptiones, sed delectationes corporis penitus interdicit. † illecebras.

Quod secundùm canonum & pœnitentialium statuta pœnitentia danda sunt. Ex Conc. Maguntiensi, c. xx. Cabilonen. 2. cap. 37.

¶ Cap. 157.

Cùm igitur omnia Concilia canonum quæ

recipiuntur, sint à sacerdotibus legenda & intelligenda, & per ea sit eis viuendum, & prædicandum: necessarium duximus, vt ea quæ ad fidem pertinent, & vbi de extirpandis vitiis, & plantandis virtutibus scribitur, hoc ab eis crebrò legatur, & benè intelligatur, & in populo prædicetur.

Vt nullus iniustas mensuras, & pondera iniusta, & à ciuibus non collaudata, lucri causa dare præsumat. Ex eodem Conc. cap. xxi.

¶ Cap. 158.

Leuit. 19. Prouerb. 11. & 20. Vt mensuræ & pondera iusta fiant, sicut in diuinis legibus sancitum est, & in capitulari dominico continetur, & iste sacer conuentus statuit, sic omnibus nobis obseruare placet. Et si quis iustas mensuras & iusta pondera lucri causa mutare præsumpserit, in pane & aqua xx. dies pœniteat.

De matre, quæ infantem suum iuxta focum posuerit, & sua negligentia mortuus est. Ex Concilio Triburiensi, cap. xiiij. cui interfuit Arnulphus Rex.

¶ Cap. 159.

Cap. 37. sed aliis verbis. Mater si iuxta focum infantem posuerit, & alius homo aquam in caldariam miserit, & ebullita aqua infans superfusus mortuus fuerit, pro negligentia mater pœniteat, & ille homo securus sit.

De viris ordinatis, quorum peccata sunt occulta. Ex Concilio Toletano.

¶ Cap. 160.

De viris ordinatis, quorum occulta peccata sunt, nec manifestè ab aliquo argui possunt: si salubriter compuncti pro peccatis suis confessionem Episcopo siue presbytero occultè faciunt, bonum mihi videtur, vt secundùm id, quod sibi decretum fuerit, ab Episcopo siue presbytero pœnitentiam agant, non tepidè nec tardè, sed feruenter & sollicitè: ac sic se veniam peccatorum à domino percepturos, & gradum se retenturos confidant.

Vt nullus præsumat pœnitentiam dare vel confessionem audire, nisi Episcopus, aut presbyter. Ex pœnitentiali Romano.

¶ Cap. 161.

Sicut enim sacrificium offerre non debent nisi Episcopi & presbyteri, quibus claues regni cœlestis traditæ sunt, sic nec pœnitentium iudicia alij vsurpare debent.

Quod absente presbytero liceat diacono suscipere pœnitentes, necessitate tamen cogente. Item ex eodem.

¶ Cap. 162.

Si autem necessitas euenerit, & presbyter non fuerit præsens, diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam communionem.

De temporibus, quibus se continere debeant coniugati ab vxoribus. Ex Concilio Eliberitano.

¶ Cap. 163.

In tribus quadragesimis anni, & in die dominico & in quarta feria, & sexta, coniugales se continere debent, nec illis diebus copulari quandiu grauata fuerit vxor, id est, à quo die filius in vtero motum fecerit, vsque ad partum: à partu post xxxiij. dies, si filius est: si autem filia, post lvj.

De fœmina, quæ filium suum spontè occiderit. Ex eodem.

¶ Cap. 184.

Si mater filium suum spontè occiderit, xv. annos pœniteat, & nunquam mutet, nisi in die dominico. Mulier autem paupercula si fecerit pro difficultate nutriendi, vi. annos pœniteat.

De illis qui in dominico die nupserint. Ex Conc. Triburiensi, cap. li.

¶ Cap. 165.

Si quis nupserit die dominico, petat à Deo indulgentiam, & quatuor dies pœniteat.

De illis qui confessa iterant. Ex Concilio Toletano.

¶ Cap. 166.

Ea quæ frequenti præuaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur.

De pœnitentia fidelium, vt confessio eorum non publicè fiat. Ex epistola Leonis Papæ, cap. ij.

¶ Cap. 167.

Illam etiam contra apostolicam regulam præsumptionem, quàm nuper agnoui à quibusdam illicita vsurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri. *Epist. 80. ad epis. Campania, cap. 2.* De pœnitentia scilicet quę à fidelibus postulatur, ne de singulorum genere peccatorum libellis scripta professio publicè recitetur: cùm reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari cõfessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, amoueatur improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo fertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

De abstinentia carnis & saginis in subscriptis temporibus. Ex Concilio Salegunstadt habito. cap. 1.

¶ Cap. 168.

Vt quatuordecim dies omnes christiani ante festiuitatem sancti Ioannis Baptistę in abstinentia carnis sint & sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicuius festi solennitate, quæ in illo episcopio celebris habetur, intercedente: Et ante natalem Domini similiter: Et in vigilia Epiphaniæ, & in omnium vigiliis Apostolorum: Et in vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ, & in vigilia sancti Laurentij. Nec non etiam in vigilia omnium sanctorum: adiicientes prædictis vigiliis vnam horam refectionis, excepta infirmitate. Et nisi aliquis sit, qui proprio voto maiori abstinentia vti velit.

Quibus temporibus etiam legitima coniugia contrahere non liceat. Ex eodem, cap. iij.

¶ CAP. 169.

De legitimis autem coniugiis ita visum est, quòd nullus Christianus vxorem ducere debeat ab aduentu Domini vsque in octauas Epiphaniæ, & à septuagesima vsque in octauas Paschæ: nec in supra notatis xiv. diebus ante festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ, neque in prædictis ieiuniorum diebus, siue in omnium solennium dierum præcedentibus noctibus.

Vt presbyter qui post gallicantum bibit, nisi necessitas cogat, sequenti die missam celebrare non audeat. Ex eodem conc. cap. iiij.

¶ CAP. 170.

Decretum est etiam in eodem concilio, vt presbyter aliquis post gallicantum æstiuis noctibus bibens, proximo die missam non celebret: hyemalibus similiter, nisi necessitas cogat.

Vt presbyter non amplius quàm tres missas in die celebret. Ex eodem Concilio, cap. v.

¶ CAP. 171.

Item decretum est, vt vnusquisque presbyter in die non amplius quàm tres missas celebrare præsumat.

Vt nemo corporale ad extinguendum incendium in ignem proiiciat. Ex eodem concilio, cap. vi.

¶ CAP. 172.

Conquestum est etiam in sancto concilio de quibusdam stultissimis presbyteris, vt quando incendium videant, corporale dominico corpore consecratum, ad extinguendum incendium temeraria præsumptione in ignem proiiciant. Ideóque decretum est sub anathematis interdictione, ne vlterius fiat.

De hoc, si duo inculpati fuerint in adulterio & vnus negat, alter profitetur, quid inde agendum sit. Ex eodem, cap. vij.

¶ CAP. 173.

† Fuerint. Interrogatum, si duo in adulterio inculpati fierent †, & vnus profiteretur, & alter negaret, quid inde agendum esset. Decretum est etiam à sancto concilio, vt ille qui negauerit, probabili iudicio se expurget. Et qui professus fuerit, dignè pœnitentiam agat.

Vt nemo in Ecclesiam gladium portet. Ex eodem, cap. viij.

¶ CAP. 174.

Decretum etiam in eodem concilio vt nemo gladium in Ecclesiam portet, regali tantùm excepto.

Ne mala colloquia in Ecclesia, aut in atrio Ecclesiæ fiant. Ex eodem, cap. ix.

¶ CAP. 175.

Statuit etiam sancta synodus, vt mala consuetudo, quæ apud omnes penè iam inoleuit, omninò prohibeatur: hoc est, quòd colloquia sua in atrio alicuius Ecclesiæ constituunt habenda, & tunc ea in ipsa maximè exercent ecclesia, vbi orationes & diuina tantùm fieri æquum est officia.

De euangelio, In principio erat verbum, & Missis peculiaribus, ne fiant nisi suis temporibus. Ex eodem, cap. x.

¶ CAP. 176.

Quidam etiam laicorum, & maximè matronæ habent in consuetudine vt per singulos dies audiant euangelium, In principio erat Verbum, & Missas peculiares, hoc est, de sancta Trinitate, aut de sancto Michaële: & ideò sancitum est in eodem concilio, vt hoc vlteriùs non fiat, nisi suo tempore: & nisi aliquis fidelium audire velit pro reuerentia sanctæ Trinitatis, non pro aliqua diuinatione. Et si voluerint vt sibi Missæ cantentur, de eodem die audiant missas, vel pro salute viuorum, aut pro defunctis.

De computatione consanguinitatis. Ex eodem, cap. xi.

¶ CAP. 177.

Quidam etiam generationem consanguinitatis ita volunt numerare, vt frater & soror primi sint. Hoc autem statuit sancta synodus, sicut etiam ab antiquis Patribus decretum est, vt ita non esset, sed vt nepos & neptis, id est, filius fratris ac filia sororis primi habeantur.

Vt ædificia laicorum in atrio Ecclesiæ non ponantur. Ex eodem, cap. xij.

¶ CAP. 178.

Statutum est etiam, vt ædificia laicorum, quæ ecclesiis adiuncta sunt, auferantur, & nulla in atrio ecclesię ponantur, nisi tantum presbyterorum.

Vt nullus laicus Ecclesiam suam presbytero commendet sine licentia Episcopi. Ex eodem, concil. cap. xiij.

¶ CAP. 179.

Item decretum est, vt nullus laicorum alicui presbytero suam commendet Ecclesiam, præter consensum Episcopi: sed eum priùs mittat episcopo suo, vel eius vicario, vt probetur si scientia, ætate, & moribus talis sit, vt sibi populus Dei commendetur.

Si duo de adulterio accusati fuerint, quid inde faciendum sit. Ex eodem, cap. xiiij.

¶ CAP. 180.

Statuit quoque sancta synodus, si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negauerint, & orant sibi concedi, vt alter illorum vtrosque diuino purget iudicio: si vnus in hoc deciderit, vt ambo rei habeantur.

Vt bannitum ieiunium ab omnibus diligentissimè obseruetur. Ex eodem, cap. xv.

¶ CAP. 181.

Decretum est etiam, vt omnes bannitum ieiunium, in quocunque Episcopio celebratur, diligentissimè obseruent. Et si quis illarum octo interdictarum rerum aliquam redimere voluerit, vnum pauperem, prout sua facultas erit, eadem die reficiat.

De illis qui Romam proficisci cupiunt. Ex eodem cap. xvj.

¶ Cap. 182.

Decreuit quoque sancta synodus, vt Romam nullus eat, nisi cum licentia sui episcopi, vel eius vicarij.

† Fer. carenæ. *Vt † carina non diuidatur pœnitenti. Ex eodem cap. xvij.*

¶ Cap. 183.

Et illud sub anathemate præceptum est, vt nullus presbyterorum cuiquam pœnitenti carinam diuidere præsumat, si infirmitas non interuenerit.

De illis qui pœnitentiam à sacerdotibus accipere nolunt. Ex eodem concil. cap. xviij.

¶ Cap. 184.

Quia multi tantâ mentis suæ falluntur stultitiâ, vt in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam à sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maximè confisi, vt Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata: sancto visum est concilio, vt talis indulgentia illis non prosit, sed prius iuxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis sacerdotib. adimpleant, & tunc Romam ire, si velint, ab Episcopo proprio licentiam & literas ad Apostolicum ex iisdem rebus deferendas accipiant.

Vt omnis pœnitens dum carinam suam ieiunat, de loco ad locum non migret. Ex eod. cap. xix.

¶ Cap. 185.

Decretum est etiam, vt omnis pœnitens dum carinam suam ieiunat, de loco ad locum non migret, sed ibi permaneat, vbi suam acceperit pœnitentiam, vt proprius sacerdos sibi præbeat testimonium. Si autem ibi propter hostiles * insidias ieiunare non poterit, suus sacerdos eum confratrum suorum alicui, vbi pacificè possit ieiunare, diligentissimè commendet.

* Iniurias or.

Vt nullus presbyter quenquam pœnitentem in Ecclesiam introducat. Ex eod. cap. xx.

¶ Cap. 186.

In eodem quoque concilio decretum est, vt nullus presbyterorum quenquam nisi iussu episcopi in ecclesiam introducere præsumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non liceat.

Quanto tempore pœnitere debeat qui hoc vel illud fecerit. Ex pœnitentiali laicorum.

¶ Cap. 187.

Si quis hominem occiderit sponte, vij. annos pœniteat: si immeritum, x. annos pœniteat. Si diaconum, xiv. annos pœniteat. Si presbyterum, xxi. annos pœniteat. Si quis hominem non sponte occiderit, iij. annos pœniteat. Si in publico bello, annum vnum pœniteat. Si quis hominem debilitauerit, iij. quadragesimas pœniteat. Si membrum principale alicui tulerit, iij. annos & dimidium pœniteat. Si quis Sodomiticè, vel cum pecude semel peccauerit, † vii. annos pœniteat. Si consueuit, xiiij. annos pœniteat. Si fornicatur inter femora semel, iiij. quadragesimas pœniteat. Si consueuit, iij. annos pœniteat. Si paruulus oppressus hoc patitur, vna quadra. pœniteat. Si per semetipsum, duabus quadragesimis pœniteat. Si consueuit, vno anno pœniteat.

† duodecim.

Si quis adulterat semel, v. annos pœniteat. Si dupliciter, x. annos pœniteat. Si quis raptum fecerit, iij. annos, vno de his foris ecclesiam pœniteat. Si quis nonnam corruperit, vij. annos pœniteat. Si quis consanguineam, v. annos pœniteat. Si quis diuinos consulit, iij. annos pœniteat. Si quis sacrilegus vel periurus extiterit, septem annos pœniteat. Si quis iurat contra pacem, vno anno pœniteat, & cum eleemosynis redimat. Si quis pertinaciter odit, excommunicetur.

Pœnitentia mulierum.

¶ Cap. 188.

Si qua mulier duobus fratribus nupserit, v. annos pœniteat. Si qua partum necat, aut excutit sponte: si iam viuit, xij. annos pœniteat: si non viuit, sex annos pœniteat, & semper sexta feria ieiunet. Si mater dormiens filium vel filiam oppresserit, tribus annis pœniteat. Si infans alicubi cecciderit & obierit, parens vnum annum pœniteat. Si infans mortuus fuerit per negligentiam sine baptismo, tribus annis pœniteat, vno ex his foris Ecclesiam, & semper sexta feria ieiunet.

Pœnitentia illius anni, qui in pane & aqua ieiunandus est, isto ordine obseruari debet.

¶ Cap. 189.

Pœnitentia vnius anni, qui in pane & aqua ieiunandus est, talis esse debet. In vnaquaque hebdomada, iij. dies, id est, secundam feriam, quartam feriam, sextam feriam in pane & aqua ieiunet. Et tres dies, id est, tertiam feriam, v. & sabbatum à vino, medone, mellita cereuisia, à carne & sagimine, & à caseo & ouis, & ab omni pingui pisce se abstineat. Manducet autem minutos pisciculos, si habere potest. Si habere non potest, tantùm vnius generis piscem, & legumina, & olera, & poma si vult comedat, & cereuisiam bibat. Et in diebus Dominicis, in natali Domini illos quatuor dies, & in Epiphania Domini vnum diem, Et in Pascha vsque in octauum diem, & in Ascensione Domini, & pentecoste iiij. dies, & in missa sancti Ioannis Baptistæ, & sanctæ Mariæ, & xii. Apostolorum, & sancti Michaëlis, & sancti Remigij, & omnium sanctorum, & sancti Martini, & in illius sancti festiuitate qui in illo episcopatu celebris habetur. In his supradictis diebus faciat charitatem cum cæteris Christianis, id est, vtatur eodem cibo & potu quo alij. Sed tamē ebrietatem, & vētris distentionem semper in omnib. caueat.

Modus pœnitentiæ secundi anni.

¶ Cap. 190.

Iste annus secundus est ab illo anno qui in pane & aqua obseruandus est, & post illum ieiunandus, qui etiam dandus est illis, qui viros ecclesiasticos spontè occidunt, & in consuetudine habent sodomiticum scelus, & in consuetudine habent contra naturam peccare, & in ecclesiis homicidia spontè committunt, & ecclesias incendunt, & in ecclesiis adulteria commit-

tunt, & qui alia huiusmodi perpetrauerint. Pœnitentia illius anni talis esse debet, vt duos dies, id est, ij. & iiij. feriam in vnaquaque hebdomada ieiunet, vsque ad vesperam, & tunc reficiatur de sicco cibo, id est, pane & leguminibus siccis, sed coctis, aut pomis, aut oleribus crudis, vnum eligat ex his tribus, & vtatur: & cereuisiam bibat, sed sobriè: & tertium diem, id est sextam feriam, in pane & aqua obseruet: & tres quadragesimas ieiunet, vnam ante natalem domini, secundam ante Pascha, tertiam ante missam sancti Ioannis. Et si totam quadragesimam ante missam sancti Ioannis implere non possit, post missam impleat. Et in his tribus quadragesimis ieiunet duos dies in hebdomada ad nonam, & de sicco cibo comedat, vt suprà notatum est, & sexta feria ieiunet in pane & aqua, & in diebus Dominicis, & in natali Domini illos iiij. dies, & in Epiphania Domini vnum diem, & in Pascha vsque in octauum diem, & in Ascensione Domini, & Pentecoste quatuor dies, & in missa sancti Ioannis Baptistæ, & sanctæ Mariæ, & xij. Apostolorum, & sancti Michaëlis, & sancti Remigij, & omnium Sanctorum, & sancti Martini, & in illius sancti festiuitate, qui in illo Episcopatu celebris habetur. In his supradictis diebus faciat charitatem cum cæteris Christianis. Sed tamen ebrietatem, & ventris distentionem semper in omnibus caueat.

De illis qui ieiunare possunt & adimplere quod in pœnitentiali scriptum est.

¶ CAP. 191.

Qui ieiunare potest & implere, quod in pœnitentiali scriptum est, bonum est, & Deo gratias referat. Qui autem non potest, per misericordiam Dei consilium damus tale, vt nec sibi, nec alicui necesse sit, nec desperare, nec perire.

De redemptione illius anni, quem in pane & aqua ieiunare debet.

¶ CAP. 192.

Pro vno die quem in pane & aqua ieiunare debet, quinquaginta psalmos genibus flexis in Ecclesia, si fieri potest, decantet. Sin autem, in loco conuenienti eadem faciat, & vnum pauperem pascat, & eodem die excepto vino, carne & sagimine, sumat quicquid velit.

Alio modo ex eodem.

¶ CAP. 193.

Si autem talis est, quod tam diu in genibus iacere non possit, faciat autem sic: infra Ecclesiam si fieri potest, sin autem, in vno loco stando intentè lxx. Psalmos per ordinem decantet, & pauperem pascat, & eo die excepto vino, & carne, & sagimine, sumat quicquid velit.

Item alio modo.

¶ CAP. 194.

Qui in Ecclesia genua flexerit centies, id est, si centies veniam petierit, si fieri potest vt in Ecclesia fiat, hoc iustissimum est. Si autem hoc fieri non potest, secreto in loco conuenienti eadem faciat. Si sic fecerit, eo die excepto vino, carne, & sagimine, sumat quicquid placeat.

Item alio modo.

¶ CAP. 195.

Qui Psalmos non nouit, vnum diem quem in pane & aqua pœnitere debet, diues tribus denariis, & pauper vno denario redimat: & eo die, excepto vino, carne & sagimine, sumat quicquid velit.

Item alio modo.

¶ CAP. 196.

Pro vno die quem in pane & aqua pœnitere debet, tres pauperes pascat, & eo die, excepto vino, carne & sagimine, sumat quod placet.

Item alio modo.

¶ CAP. 197.

Quidam dicunt xx. palmatas valere pro vno die.

De redemptione vnius hebdomadæ, quæ in pane & aqua ieiunare debet. Ex eodem.

¶ CAP. 198.

Pro vna hebdomada quam in pane & aqua ieiunare debet, trecentos psalmos genibus flexis in Ecclesia decantet. Si autem hoc facere non potest, tria psalteria in Ecclesia, vel in loco conuenienti intentè decantet. Et postquàm psallerit, excepto vino, carne & sagimine, sumat quicquid velit.

De redemptione vnius mensis, quem in pane & aqua ieiunare debet.

¶ CAP. 199.

Pro vno mense, quem in pane & aqua ieiunare debet, psalmos mille ducentos flexis genibus decantet. Si autem hoc facere non potest, sine flexione genu, sedendo aut stando, in Ecclesia, si fieri potest; sin autem, in vno loco M. DC. LXXX. Psalmos decantet. Et omni die, si velit, & se abstinere non vult, reficiat se ad sextam, nisi quartam feriam & sextam ieiunet ad nonam. Et à carne & sagimine, & à vino totum mensem se abstineat: alium autem cibum postquàm psalmos supradictos decantauerit, sumat. Isto ordine totus ille annus redimendus est.

De illis qui ieiunare non possunt, & psalmos nesciunt, quomodo pœnitentiam vnius anni, quem in pane & aqua ieiunare debent, redimere possint.

¶ CAP. 200.

Qui verò psalmos non nouit & ieiunare non potest, pro vno anno, quem in pane & aqua ieiunare debet, det pauperibus in eleemosynam xxij. solidos, & omnes sextas ferias ieiunet in pane & aqua, & tres quadragesimas, id est, xl. dies, ante Pascha, & xl. dies ante festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ. & si ante festiuitatem aliquid remanserit, post adimpleat, & xl. dies ante natalem Domini. In istis tribus quadragesimis quidquid suo ori præparatur in cibo vel potu, vel cuiuscunque generis sit, illud æstimet quanti precij sit vel esse possit, & medietatem illius precij distribuat in eleemosynam pauperibus & assiduè oret, & roget Deum vt oratio eius & eleemosynæ apud Dominum acceptabiles sint,

Item redemptio illius anni, quem in pane & aqua ieiunare debet. Ex pœnitentiali Theodori.

¶ CAP. 201.

Item qui ieiunare non potest, & obseruare quod in pœnitentiali scriptum est, faciat quod sanctus Bonifacius Papa constituit. Pro vno die quem in pane & aqua ieiunare debet, roget Presbyterum vt missam cantet pro eo, nisi sint crimina capitalia, quæ confessa priùs lauari cum lacrymis debent: & tunc ipse adsit & audiat missam, & deuotè ipse offerat propriis manibus panem, & vinum manibus sacerdotis, & intentè respondeat, quantùm sapit, ad salutationes, & ad exhortationes sacerdotis, & humiliter Deum deprecetur, vt oblatio quam piè & Presbyter pro se & pro peccatis suis Deo obtulerint, Deus omnipotens misericorditer per Angelum suum suscipere dignetur. Et eo die, excepto vino & carne & sagimine, comedat quicquid vult, & sic redimat reliquos anni dies.

De illis qui ieiunare non possunt, & habent vnde redimere possint.

¶ CAP. 202.

Si quis fortè non potuerit ieiunare, & habuerit vnde possit redimere: si diues fuerit, pro vij. hebdomadibus, det solidos viginti: Si non habuerit vnde tantum possit dare, det solidos decem: Si autem multùm pauper fuerit, det solidos tres. Neminem verò conturbet, quia iussimus dare solidos xx. aut minus: quia si diues fuerit, facilius est illi dare solidos xx. quàm pauperi tres. Sed attendat vnusquisque cui dare debeat, siue pro redemptione captiuorum, siue super sanctum altare, siue Dei seruis, siue pauperibus in eleemosynam.

De illis, qui non possunt adimplere quod in pœnitentiali scriptum est.

¶ CAP. 203.

Qui non potest sic agere pœnitentiam, vt superius diximus, faciat sic: Si tres annos continuos ieiunare debet, & ieiunare non potest, sic redimere potest. In primo anno eroget in eleemosynam solidos xxvj. In secundo anno eroget in eleemosynam solidos xx. In tertio anno, solidos xviij. hi sunt solidi lxiiij. Potentes enim homines plus dare debent: quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Et qui illicita committunt, etiam à licitis se abstinere debent: & corpus debent affligere ieiuniis, vigiliis & crebris orationibus. Caro enim læta trahit ad culpam, afflicta autem reducit ad veniam.

De illis qui ieiunare non possunt, & non habent vnde redimere possint. Ex pœnitentiali Bedæ.

¶ CAP. 204.

Qui ieiunare non potest, & non habet vnde redimat, & psalmos nouit, pro vno die quem in pane & aqua ieiunare debet, tribus vicibus Beati immaculati in via, vsque ad, Ad Dominum cùm tribularer, decantet. Et sexies, Miserere mei Deus. Et septuagies prosternat se in terram, & per singulas genuflexiones, Pater noster decantet. Qui autem Psalmos nescit, pro vno die quem in pane & aqua ieiunare debet, centies prosternat se in terram, & per singulas genuflexiones, Pater noster dicat.

De redemptione vij. annorum. Ex pœnitentiali Romano.

¶ CAP. 205.

Item alio modo xii. triduanæ singulæ cum psalteriis iij. impletis, & cum palmatis 300: per singula psalteria, excusant vnius anni pœnitentiam. Et xxiiij. biduanæ similiter cum iij. psalteriis, & cum 300. palmatis per singula psalteria, excusant duos annos: lxxv. Psalmi cum totidem veniis per noctem, & cum palmatis trecentis excusant biduanam. Centum Psalmi cum veniis per noctem, & cum palmatis ccc. excusant triduanam. Centum viginti missæ speciales singulæ cum iij. psalteriis, & cum trecentis palmatis excusant annum. Centum solidi dati in eleemosynam annum excusant.





D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI,

DECRETI PARS DECIMA-SEXTA.

DE OFFICIIS LAICORVM, ET causis eorundem.

---

nte mediū.

TROPICA DISPVTATIO BEATI CLEMENTIS, Quanta vel qualia mundi discrimina patiatur Ecclesia.

¶ CAPVT PRIMVM.



IT beatus Clemens Petri successor Apostoli in epistola prima ad Iacobum fratrem Domini, Hierosolymitanum videlicet Episcopum. Mare hic mundus habeatur. Ventorum verò varietates, turbinum diuersis tentationibus conferantur. Persecutiones, tribulationes, & pericula fluctibus exæquentur. Terreni verò spiritus qui vel de torrentibus, vel de vallibus spirant, pseudoprophetarum & seductorum, seu prauæ doctrinæ verba dicantur. Promontoria verò & loca confragosa, hi qui in potestatibus sæculi sunt iudices, & pericula minantur & mortes. Bithalassa verò loca, quæ duplicibus vndæ fallacis æstibus verberantur, dubiis mente, & de promissionum veritate nutantibus conferantur*. Hypocritæ verò & dolosi, piratis similes habeantur. Iam verò rapidus vortex & tartarea charybdis, & saxis illisa naufragia, ac mortiferæ submersiones, quid aliud æstimanda sunt quàm peccata? Restat igitur vt hæc nauis cursu prospero tuta possit portum desideratæ vrbis intrare, & ita Deo precem fundere, vt naufragantes mereantur audiri.

* atque his ...i irratio- ...bil fidem ...stram ra- ...ne discu- ...nt *inseri- ...r in or.*

Vt Episcopi impositam à Deo sibi curam in populis protegendis non ambigant. Ex Concil. Toletano iiij. cap. xxxj.

¶ CAP. 2.

Episcopi in protegendis populis ac defendendis, impositam à Deo sibi curam non ambigant. Ideoque dum conspiciant iudices ac potentes pauperum oppressores existere, priùs eos sacerdotali admonitione redarguant, & si contempserint emendare, anathematizentur.

De illis qui in Episcopiis prædam fecerint. Ex Concilio Carthaginensi, cap. viij.

¶ CAP. 3.

Vt si quis quemlibet expoliauerit, & admonente Episcopo non reddiderit, excommunicetur.

Vt Episcopi potestates admoneant, vt pauperes non opprimant. Ex Concilio Aurelianensi, cap. iiij. — *Conc. Turo. 2. cap. 27.*

¶ CAP. 4.

Vt iudices aut* potestates qui pauperes opprimunt, si commoniti à pontifice suo non emendauerint, excommunicentur.

* potentes *orig.*

De eadem re. Ex Concil. Maguntiensi cap. viij. — *Magun. 1. sub Leone 3. c. 8.*

¶ CAP. 5.

Vt Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas præuidere, regere, & gubernare, atque dispensare, secundùm canonum authoritatem, volumus vt laici in eorum ministerio obediant Episcopis, ad regendas Ecclesias Dei, viduas, & orphanos defendendos, & vt obedientes sint eis ad eorum Christianitatem seruandam: & Episcopi consentientes comitibus & iudicibus ad iustitias faciendas: & vt nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum testimonium, neque per periurium, aut per præmium, lex iusta in aliquo deprauetur.

De sæcularibus Ecclesiam vel clericum iniustè calumniantibus. Ex Concilio Agathensi cap. xxxij.

¶ CAP. 6.

3.q.6.c.si quis verò sæcularium. Si quis sæcularium pro calumnia Ecclesiam aut clericum fatigare tentauerit, & euictus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus, & catholicorum communione (nisi dignè pœnituerit) arceatur.

Vt contemptores canonum excommunicentur. Ex Concil. Carthaginensi cap. xv.

Cart. 1. sub Zul. 1. c. 14.

¶ CAP. 7.

Vt laïci contemptores canonum excommunicentur, clerici honore priuentur.

cap. 1. *De præuaricatoribus diuinarum legum. Ex Concil. apud Lauriacum cap. x.*

¶ CAP. 8.

Si quis publicus diuinæ legis præuaricator, vel pro manifestis criminibus sanctorum canonum contemptor repertus fuerit, ac sanctorum patrum constitutionibus Episcopalibus obtemperare distulerit, anathematizetur.

Quòd non liceat Imperatoribus vel cuiquam potentum aliquid agere contra diuinum mandatum. Ex Concil. Adriani Papæ cap. xvj.

Post Concilium Nicanum 2. ex diuersis collec.

¶ CAP. 9.

Non licet ergo Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata diuinitatis præsumere, nec quicquam quod euangelicis propheticisque seu Apostolicis regulis obuiet, agere. Iniustum enim iudicium & definitio iniusta, regio metu vel iussu à iudicibus ordinata non valeat. Nec quidquam quod contra euangelicam, & Propheticam, aut Apostolicam doctrinam, constitutionemque eorum siue sanctorum patrum actum fuerit, stabit: Et quod ab infidelibus, aut hæreticis factum fuerit, omnino cassabitur.

Ex capitulis Adriani Papa. *Vt nemo contra canones esse præsumat. Ex Concil. Triburiensi cap. x.*

¶ CAP. 10.

Vt constitutiones contra canones & decreta præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sint momenti.

Dist. 10. C. constitutiones.

De Imperatoria lege. Ex decretis Pij Papæ. cap. iij.

¶ CAP. 11.

C. lege Imperatorum. Lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.

Quando canonica ventilantur, nisi sint religiosi, laïci non intersint. Ex Concilio Cabilonensi, cap. vj.

¶ CAP. 12.

Quando ea quæ canonica sunt ventilantur, vel quando regularia examinantur, neque aliquos laïcos interesse nisi religiosos, oportet: & nisi hos tantummodò, qui in propria appellantur persona.

Vt laïci in synodo, nisi clericis iubentibus, docere non audeant. Ex Conc. Carthaginensi iiij. cap. xcviij.

¶ CAP. 13.

Laïci in synodo præsentibus clericis, nisi ipsis iubentibus, docere non audeant.

Quòd populus docendus sit, non sequendus. Ex decretis Cœlestini Papæ. cap. xxij. Epist. 3. c. 3.

¶ CAP. 14.

Docendus est populus, non sequendus: eosque si nesciunt quid liceat, quídue non liceat commonere, non his consensum præbere debemus. Quisquis verò conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram canonicam minimè defuturam. Dist. 62. cap. docendus.

De illo qui contra decretum Episcopi venerit. Greg. dictum.

¶ CAP. 15.

Si quis venerit contra decretum Episcopi, ab Ecclesia abjiciatur.

Quod admonendus sit Imperator, vt constitutis Apostolicæ sedis obtemperet. Ex decretis Anastasij Papæ. Anasta. 2. ad Anastasium August. cap. 6.

¶ CAP. 16.

Illud verò peculiarius pro amore imperij vestri, & beatitudine † quæ consequi poterit regnum, pro Apostolico officio prædicamus, vt (sicut decet, & spiritus sanctus dictat) monitis nostris obedientia præbeatur: vt bona omnia vestra respublica consequatur, sicut in Exodo promittitur, Si audieris vocem Domini Dei tui, & quæ placent feceris coram eo, & obedieris præceptis eius, & custodieris omnem iustitiam eius, omnem infirmitatem, quam importaui Ægyptiis, non importabo in te. Ego enim sum Dominus qui saluum facio te. Et illic iterum tuba potentissima canitur: Et nunc Israël quid Dominus Deus tuus postulat à te aliud, quàm vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in omnibus viis eius, & diligas eum, & seruias Domino Deo tuo ex toto corde, & ex tota mente tua? Custodi præcepta Domini Dei tui, & iustitias quas ego mando tibi. Hæc me suggerentem frequentius non spernat pietas tua, ante oculos habens Domini in Euangelio verba: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: & qui me spernit, spernit eum qui me misit. Nam & Apostolus concinens saluatori nostro ita loquitur: Quapropter qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit spiritum suum sanctum in nobis. Pectus clementiæ vestræ sacrarium est publicæ fœlicitatis, vt per instantiam vestram, quam velut vicarium præsidere iussit in terris, Euangelicis, Apostolicisque præceptis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ sunt salutifera, compleantur.

† qua. Exod. 15. Deut. 10. Luc. 10. 1. Thess. 4.

Generalis admonitio Regum. Ex registro sancti Gregorij ad Aldebertum Regem Anglorum, cap. cclxiij. Lib. regist. 9. epist. 60.

¶ CAP. 17.

Propter hoc omnipotens Deus bonos quos-

que ad populorum regimina perducit, vt per eos omnibus, quibus prælati fuerint, dona suæ † potestatis impendat. Quod in Anglorum gente factam cognouimus, cui vestra gloria idcirco est præposita, vt bona quæ vobis concessa sunt, etiam subiectæ vobis genti superno beneficio restaurentur. Et ideo gloriose fili, eam quam accepisti diuinitus gratiam sollicita mente custodi. Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina, zelum rectitudinis tuæ in eorum conuersione multiplica, idolorum cultus insequens fanorum ædificia euerte. Subditorum mores in magna vitæ munditia exhortando, terrendo, corrigendo, & boni operis exempla monstrando, ædifica, vt illum retributorem inuenias in cœlo, cuius nomen atque cognitionem dilataueris in terra. Ipse enim vestræ quoque gloriæ nomen etiam posteris gloriosius reddet, cuius vos honorem quæritis & seruatis in gentibus. Sic enim Constantinus quondam piissimus Imperator Romanam Rempub. à peruersis idolorum cultibus reuocans, omnipotenti Deo Domino nostro Iesu Christo secum subdidit, seque cum subiectis populis tota ad eum mente conuertit. Vnde factum est, vt antiquorum principum nomen suis vir ille laudibus vinceret, & tantò in opinione prædecessores suos, quantò & in bono opere superaret. Et nunc itaque vestra gloria cognitionem vnius Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti regibus ac populis sibimet subiectis festinet infundere, vt & antiquos gentis suæ reges laudibus ac meritis transeat, & quantò in subiectis suis etiam aliena peccata deterserit, tantò etiam de peccatis propriis ante omnipotentis Dei terribile examen securior fiat. Præterea scire vestram gloriam volumus, quia sicut in scriptura sacra ex verbis Domini omnipotentis agnoscimus, præsentis mundi iam terminus iuxtà est, & sanctorum regnum venturum est, quod nullo vnquam poterit fine finiri. Appropinquante autem eodem mundi termino, multa imminent, quæ antea non fuerunt, videlicet immutationes aëris, terroresque de cœlo, & contra † ordinationem temporum tempestates, bella, fames, pestilentiæ, terræmotus per loca: quæ tamen non omnia nostris diebus ventura sunt, sed post nostros dies subsequentur. Vos itaque si qua ex his euenire in terra vestra cognoscitis, nullo modo vestrum animum perturbetis: quia idcirco hæc signa de fine sæculi præmittuntur, vt de animabus nostris debeamus esse soliciti, & de mortis hora suspecti, vt venturo iudici in bonis actibus inueniamur præparati.

† pietatis.

Paulò post. Matth. 24. Luc. 21.

† ordinem.

Alia admonitio principum. Ex registro Gregorij, ad Iustinum prætorem Siciliæ, cap. ij.

Lib. 1. regist. epist. 2.

¶ CAP. 18.

Quod lingua loquitur, attestatur conscientia, quia dudum vos & nullius dignitatis occupationibus implicatos multùm dilexi, multùmque veneratus sum. Ipsa namque incessus vestri modestia quibusdam conatibus exigebat, vt diligi etiam à nolente debuisset. Et cùm vos venisse ad administrandam † præturam Siciliæ audirem, valde gauisus sum: & quia quandam inter vos atque Ecclesiasticos simulationem subrepere comperi, vehementissimè contristatus sum. Nunc verò quia & vos administrationis cura, & me studium huius regiminis occupat: in tantùm vos rectè diligere specialiter possumus, inquantùm generalitati minimè nocemus. Vnde per omnipotentem Dominum rogo, in cuius tremendo iudicio nostrorum actuum posituri rationem sumus, vt eius respectum semper gloria vestra ante oculos habeat, & nunquam quodlibet ex quo inter nos vel parua dissensio proueniat, admittat. Nulla vos lucra ad iniustitiam pertrahant. Quàm sit vita breuis aspicite: ad quem quandoque ituri estis iudicem, qui iudiciariam potestatem geritis, cogitate. Solerter ergo intuendum est, quòd cuncta lucra hic relinquimus, & solas † dispensatiuorum lucrorum causas nobiscum ad iudicium deportamus. Illa ergo nobis sunt commoda quærenda, quæ nequaquam mors adimat, sed mansura in perpetuum præsentis vitæ finis ostendat.

† præfecturam.

† dispendiosorum.

Item adhortatio principum. Ex registro Gregorij, ad Gennadium patricium & exarchum, cap. lxxij.

¶ CAP. 19.

Si non ex fidei merito, & Christianæ religionis gratia, tanta excellentiæ vestræ bellicorum actuum prosperitas eueniret, non summoperè miranda fuerant, cùm sciamus hæc etiam antiquis bellorum ducibus fuisse concessa. Sed cùm futuras Deo largiente victorias non carnali prouidentia, sed magis orationibus præuenitis, sit vt hoc in stuporem veniat, quòd gloria vestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente † descendat. Vbi enim meritorum vestrorum loquax non discurrit opinio, quæ & bella vos frequenter appetere non desiderio fundendi sanguinis, sed dilatandæ causa reipublicæ in qua Deum coli conspicimus, loquitur, quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circumquaque discurrat? Sicut enim exteriora vos virtutum opera eminentes in hac vita constituunt: ita & † internorum ornamenta ex corde mundo procedentia, in futura vita cœlestium gaudiorum participatione glorificant.

Lib. 1. regist. epist. 73. 23. q. 4. c. Si non.

† dispensat.

† interna morum, habet Greg.

Qualiter studendum sit Regibus, sacerdotum vel populi peccata vlcisci. Ex registro Gregorij ad Brunichildum Reginam Francorum, cap. cclxxij.

Lib 9. regist. epist. 64.

¶ CAP. 20.

Cùm scriptum sit: Iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum: tunc regnum stabiliri creditur, cùm culpa quæ cognoscitur, citius emendatur. Multorum igitur ad nos relatione peruenit (quod dicere sine afflictione cordis nimia non valemus) ita quosdam sacerdotes in illis partibus impudicè ac nequiter conuersari, vt & audire nobis opprobrium, & lamentabile sit referre. Ne ergo postquàm huius nequitiæ huc vsque se tetendit opinio, aliena prauitas aut nostram animam, aut vestrum regnum peccati sui iaculo feriat, ardenter ad hæc debemus vlciscenda consurgere, ne paucorum fames multorum esse post perditio. Nam causa sunt ruinæ populi sacerdotes mali. Quis enim pro populi peccatis se intercessor obijciat, si sacerdotes qui exorare debuerat, grauiora committat? Sed quoniam eos, quorum est locus hæc insequi, nec solicitudo ad requisitionem, nec zelus excitat ad vindictam, scripta ad nos vestra discurrant, vt personam si præcipitis cum vestræ authoritatis assensu transmittamus, quæ

Prou. 14.

vnà cum aliis sacerdotibus hæc & subtiliter quærere,& secundùm Deum debeat emendare. Nec enim dissimulanda sunt quæ dicimus, quia qui emendare potest, & negligit, participem se, proculdubio, delicti constituit. Prouidete ergo animæ vestræ, prouidete nepotibus, quos cupitis regnare fœliciter, prouidete prouinciis: & priusquàm creator noster manum suam ad feriendum excutiat, de correctione huius sceleris studiosissimè cogitate, ne tantò postmodum acrius feriat, quantò modò diutius & clementer expectat. Scitote autem quia magnum Deo nostro sacrificium placationis offeretis; si tanti labem facinoris de vestris citius finibus amputatis. Data die x. Cal. Iulij, Indictione iiij.

Lib. 9. regist. epist. 53.

Vnde supra: Ex registro ad Theodoricum Regem Francorum, cap. cclxxiiij.

¶ Cap. 21.

Excellentiæ vestræ index cordis epistola, quanta in vobis fulgeat cum regia potestate prudentia, ita luculenti copia sermonis edocuit, vt dubium esse non valeat, quicquid laudabile de vobis fama narrauerit. Et quoniam exhortationem nostram adeo regiis animis per laudis prædicamenta placuisse signastis, vt quicquid ad Dei nostri cultum, quicquid ad Ecclesiarum reuerentiam, quicquid ad honorem pertinere cognoscitis sacerdotum, studiosè statui, & velitis in omnibus custodire: iterata vos † per vestram mercedem adhortatione pulsamus, vt congregari synodum iubeatis. Et sicut dudum scripsimus corporalia in sacerdotibus vitia, & simoniacæ hæresis prauitatem omnium Episcoporum definitione damnari, atque à regni vestri amputari finibus faciatis, nec plus † illic per pecuniam obtinere, quàm præcepta dominica præcipiunt, permittatis. Nam dum omnis auaritia idolorum sit seruitus, quisquis hanc in dandis honoribus & maximè Ecclesiasticis, vigilanter non præcauet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiam si tenere fidem, quam negligit, videatur. Sicut ergo contra exteriores hostes, ita quoque contra interiores animarum aduersarios studete esse soliciti, vt per hoc quod Dei nostri inimicis fideliter repugnatur, & hic fœliciter ipsius protectione regnetis, & ad æterna postmodum gaudia eius duce gratia veniatis.

† pro vestra magna mercede.

† illis.

Coloss. 3.

Lib. 12. regist. epist. 17.

Quòd multorum solamen sit, si prudentes viri Regibus adhæreant. Ex registro Gregorij, ad Asclepiodotum patricium Gallorum, cap. cclxxj.

¶ Cap. 22.

Prudentes viros (sicut estis) Regibus adhærere multorum solamen est. Nam dum præstari sibi locum ad animæ datum vtilitatem intelligunt: certum est, quia mercedis causas alias vbi inueniunt non præponunt.

Cap. 5.

Vt Regum aduersarij excommunicentur. Ex Concilio apud Lauriacum, cap. xiiij.

¶ Cap. 23.

Rom. 13.

Si quis potestati regiæ (quæ non est iuxta Apostolum, nisi à Deo) contumaci & inflato spiritu, contradicere vel resistere præsumpserit, & eius iustis & rationabilibus imperiis secundùm Deum, & authoritatem Ecclesiasticam obtemperare noluerit, anathematizetur.

De illis qui principi non obediunt. Ex Concilio Toletano.

¶ Cap. 24.

In libro Regum legitur: Qui non obedierit principi, morte moriatur. In Concilio autem Agathensi præcipitur, vt anathematizetur.

De illis qui in aduersitate propria gentis, aut patria, culpabiles inueniuntur. Ex eodem Concilio. Tolet. Conc. 6 c 12. quamquam non iisdem verbis.

¶ Cap. 25.

Nobis igitur ratio persuasit synodaliter decernere, vt quicunque laïcorum aduersitatè propriæ gentis, aut patriæ, vel regiæ potestatis ad exteras partes se conferendo noxius fuerit, vltrà repertus perpetua sit excommunicatione damnatus: & nunquam illi præter in vltimo mortis suæ, communio tribuatur.

Vt nullus præsumat principe viuente alium eligere regem. Ex eodem Conc. Eiusdē Conc. cap. 17.

¶ Cap. 26.

Quanquam in * Concilio anteriori, quod anno primo gloriosissimi principis nostri habitum est, de huiusmodi re fuerit promulgata sententia: tamen placet iterata iuxta quod conuenit, custodire. Itaque regis vita constante, nullus sibi aliquo opere, vel deliberatione, seu cuiuscunque dignitatis laïcus, seu gradu Episcopatus, Presbyterij, aut Diaconij consecratus, cæterisque clericatus officiis deditus, futurū regem prouideat contra viuentis regis vtilitatem, & proculdubio voluntatem, blandimento vel suasione per eandem spem, aut alios in se trahat, aut ipse in alium acquiescat. Iniquum enim & valde execrabile à Christianis debet haberi, futuri temporis illicitis prospicere, & vitæ suæ ignaros ventura disponere. Quòd si quisquam iam talia iniqua deliberatione cum quocunque est meditatus: hoc sibi nouerit esse sacerdotali moderamine concessum, vt si venialiter possit, hoc sine mora præsentis principis auribus studeat publicare. Si autem obticeat, & deliberationis suæ machinamenta noluerit dicere, pessimo plectatur anathemate.

* Cap. 4. Conc. Tolet. 5.

Vt nemo intendat in interitum Regis. Ex eodem Conc. vj. cap. xviij. * Cap. 2. & 3. Tolet. Conc. 5.

¶ Cap. 27.

Iam quidem in * antecedente vniuersali synodo saluti nostrorum principum constat esse consultum, sed libet iterare benè sancita, & digna authoritate munire salubriter ordinata. Ideoque contestamur coram Deo, & omni ordine Angelorum, coram Prophetarum atque Apostolorum, vel omnium Martyrum choro, coram omni Ecclesia Catholica, & Christianorum cœtu, vt nemo intendat in interitum Regis, nemo vitam Principis nece attrectet, nemo regni eum gubernaculis priuet, nemo tyrannica præsumptione apicem regni sibi vsurpet, nemo quolibet machinamento in eius aduersitatem sibi coniuratorum manum associet. Quòd si in copiam horum quisquam nostrorum temerario ausu præsumptor extiterit, anathemate diuino percussus, absque vllo remedij loco habeatur condemnatus æterno iudicio.

De

De fidelibus Regum. Ex eodem Concil. vj. cap. xiiij.

¶ CAP. 28.

Proinde vt anno primo sereniſſimi principis noſtri decreuit* Concilium ſanctum, omnes qui pro fideli obſequio, & ſyncero ſeruitio voluntatibus vel iuſſis paruerint principis, totaque intentione ſalutis eius, cuſtodiam vel vigilantiam habuerint regni: à ſucceſſoribus nec à dignitate, nec à rebus priſtinis cauſa repellantur iniuſta: ſed & nunc ita pro vniuſcuiuſque vtilitate principis moderentur diſcretione, ſicut eos proſpexerit neceſſarios eſſe patriæ, & ſic illis impartiatur benignitas, vt in cæteris maneat gratia & poteſtas: quatenus ita omnia in rebus iuſtè conquiſita lucrentur, vt poſteris relinquendi vel quibus voluntas eorum decreuit conferendi, ſpontaneò fruantur arbitrio. Cæterum ſi infidelis quiſquam in capite regio, aut inutilis in rebus commiſſis extiterit, in clementiæ eius manu, poſteritatis nutu conſtet huiuſmodi moderatio. Nefas eſt enim in dubium deducere ius poteſtatis, cui omnium gubernatio ſupernò conſtat delegata iudicio. Quòd ſi poſt eius diſceſſum quiſpiam repertus fuerit eius vitæ fuiſſe infidelis, quicquid largitate ipſius in rebus habuit conquiſitis, careat, confiſcandum, & fidelibus largiendum.

*Cap. 6. Conc. Tolet. 5.

De regum ſobole. Ex eodem Concilio vj. cap. xvj.

¶ CAP. 29.

Sicut inſolentia malorum Regum odioſa ſemper & execrabilis exiſtit ſubiectis, ita bonorum prouida vtilitas amabilis efficitur populis. Quocirca quis ferat, aut quis talem errantem Chriſtianum videat, qui regiam ſobolem, aut poſteritatem conetur expoliare rebus, aut priuare dignitatibus? Quod deinde ne fiat, generalis promatur de filiis principis ſententia noſtra, id eſt, de præſentis excellentiſſimi Chintillani Regis poſteritate dentur apta nobis decreta, vt ea quæ* ſynodus præterito anno in hac Eccleſia habita conſtituit, circa omnem poſteritatem eius vniuerſitas regni ſui conſeruet: hoc eſt, vt præbeatur filiis* dilectio benigna & firma, & tribuantur vbi loci oportunitas exhibuerit, defenſiones ad adminicula iuſta, ne de rebus iuſtè profligatis, aut parentum dignitate procuratis, vel largitate principum, aut alicuius impenſis, aut etiam proprietate debitis, fraudentur qualibet inſidia calliditatis: neue à quoquam lædendi eos præbeantur argumenta machinationis. Quia dignum eſt, vt cuius regimine habemus ſecuritatem, eius poſteritati decreto Concilij impertiamus quietem.

*Cap. 4. Conc. Tolet. 5.

*eius.

Quòd quicquid commotus animus fecerit, hoc iuſtum putat. Ex regiſtro Gregorij ad Mauricium Auguſtum, cap. ccxiij.

...2. regiſt. ...61. ſeu ...100.

¶ CAP. 30.

Omnipotenti Deo reus eſt, qui ſereniſſimo Domino, in omne quod agit, & loquitur, purus non eſt. Ego autem indignus pietatis veſtræ famulus, in hac ſuggeſtione mea, neque vt Epiſcopus, neque vt ſeruus iure Reipublicæ, ſed iure priuato loquor. Quia ſereniſſime Domine, & illo iam tempore Dominus meus fuiſti, quando adhuc Dominus omnium non eras. Illa propoſitorum ſolicitudo vtilis, illa eſt cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor ſibi nil vendicat. Reſtringenda ergo ſub ratione poteſtas eſt, nec quicquam agendum prius, quàm concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore, iuſtum putat ira quod fecerit.

D. Gregor. l. 8. regiſtri epiſt. 12. ad Guidiſcalcũ Ducẽ Campaniæ, & citatur 11. q. 3. c. illa propoſitorum.

Quòd laïci Presbyteros, qui Eccleſias illorum tenent, non aliud quàm diuinum officium facere cogant. Ex dictis Auguſtini.

¶ CAP. 31.

Admoneo vos dilectiſſimi Deum timere, ſacerdotes honorare, reddentes eis debitum ſanctitatis, vt vobis adiuuantibus ipſi inconturbati valeant atque ſecuri ſalutaria prædicare, & regulam atque vigorem Eccleſiaſticum conſeruare: ita vt clerici omnes ſuis ſubiaceant Epiſcopis, & ab illis doceantur. Præceptum quippe eſt à Domino: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Apoſtolicum præceptum vobis mando, vt nullus ſecularis clericum in ſuum habeat obſequium, ſed illi, cuius ſignaculum in capite habet, mente deſeruiat & corde, educatus in his quæ à ſuo præcipiuntur Epiſcopo. Deteſtabile eſt enim & iniquum opus, clericum in ludis inueniri, aut cum accipitribus vel venationibus degere vitam, tantiſque ſcenicis cauſis ſauciatum ad Epiſcopatum aut Presbyterium, vel quibuſlibet ſacerdotalibus officiis accedere, non bonis ſed malis vitiis plenum. Scriptum namque eſt: Qui diligitis Dominum odite malum. Nam & hoc hortamur Chriſtianitatem veſtram, vt iuxta ſanctorum canonum inſtituta, nec Eccleſiis à vobis fundatis aliunde veniens Presbyter ſuſcipiatur, niſi à veſtræ Eccleſiæ fuerit Epiſcopo conſecratus, aut ab eo per commendatias literas ſuſcipiatur. Multi enim ſibimetipſi mendaces, multoties ſerui cuiuſquam fugam arripientes dominis ſuis ſemetipſos quaſi conſecratos Presbyteros annunciant, dum non ſint. Sunt autem miniſtri diaboli, & non Dei: & qui eos ſuſcipiunt ſimiliter. Quia ſcriptum eſt: Videbas furem, & cum eo currebas, &c.

Matth. 22. Marc. 12. Luc. 20.

Pſal. 96.

Pſal. 49.

Vt Iudæi ſuper Chriſtianos non ponantur. Ex Conc. Meldenſi, cap. iij.

¶ CAP. 32.

Ne Iudæi adminiſtratorio vſu ſub ordine villicorum atque exactorum Chriſtianam familiam regere audeant, nec eis hoc à quoquam fieri præcipiatur. Si quis verò contra hæc agere præſumpſerit: ſi Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus fuerit, proprio ſubmoueatur gradu. Si verò monachus fuerit, communione priuetur. Similiter & laïcus. Et ſi perſeuerauerint inobedientes, anathematizentur.

Quòd ſancta Eccleſia vnum patrem habeat in cælis. Ex Concil. Cabilonenſi, cap. 51.

Cabil. Cõc. 2.

¶ CAP. 33.

Quia ergo conſtat, in Eccleſia diuerſarum conditionum homines eſſe, vt ſunt nobiles, & ignobiles, ſerui, coloni, inquilini, & cætera huiuſmodi nomina: oportet vt quicumque eis prælati ſunt, clerici ſiue laïci, clementer erga

eos agant, & misericorditer eos tractent, siue in exigendis ab eis operibus, siue in accipiendis tributis, & quibusdam debitis: sciantque eos fratres suos esse, & vnum habere Patrem Deum, cui sic clamant: Pater noster qui es in cœlis. Vnam matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis vtero gignit. Disciplina igitur eis misericordissima, & gubernatio oportuna adhibenda est. Disciplinæ indisciplinatè viuendo authorem suum offendunt: gubernationes in quotidianis vitæ commeatibus prælatorum adminiculo destitutæ, fatiscunt.

De illo qui pro Catholica fide tribulationes patitur. Ex concil. Carthag. iiij. cap. xliij.

¶ CAP. 34.

Christianum Catholicum qui pro Catholica fide, & pro Ecclesiasticis rebus, & Christiana religione tribulationes patitur, omni honore à sacerdotibus honorandum: etiam & per Diaconum vt victus ei ministretur, decretum est.

De hæredibus, si iussa testatoris non impleuerint, vt Episcopus adimpleat. Ex concilio Maguntiensi, cap. j.

¶ CAP. 35.

Si hæredes iussa testatoris non adimpleuerint, ab Episcopo loci illius omnis res quæ his relicta est, canonicè interdicatur, cum fructibus & cæteris emolumentis, vt vota defuncti impleantur.

Vt laïci, quamuis religiosi, Ecclesiastica non disponant. Ex eodem concilio, cap. v. *Conc. Roma. 3. sub Symmacho cap. 3. 16. q. 7. cap. laïcis.*

¶ CAP. 36.

Laïcis quamuis religiosis, nullo modo de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi vnquam attribuatur facultas.

De illis qui res Ecclesiæ à regibus petunt. Ex concilio Lugdunensi, cap. xj.

¶ CAP. 37.

Qui res Ecclesiæ petunt à Regibus, & horrendi cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt: irrita habeantur quæ obtinent, & à communione Ecclesiæ, cuius facultatem auferre cupiunt, excludantur.

De eo, si Episcopus Ecclesiasticum, & Comes sæculare placitum vna die condixerint. Ex concilio Triburiensi, cap. ix. cui interfuit rex Ardnulfus.

¶ CAP. 38.

Cùm autem Episcopum Ecclesiam à Domino Deo sibi commissam regens, Episcopatum circumeundo perrexerit, & placitum canonicè constitutum decreuerit, populúmque sibi creditum illò inuitauerit, atque Comes eadem die sciens placitum ab Episcopo condictum, vel nesciens placitum cum populo suum condixerit, & banno illuc venire præceperit: placitum Comitis omnes postponant, & Comes ipse, idémque populus post episcopum festinè pergant: scientes se non illic seditiosa contentione decertare, sed pro fide catholica inuigilare, non cumulum pecuniarium, sed lucrum congregare animarum. Vnde in eadem epistola beati Clementis: Vestrum qui legatione domini fungimini, est docere populos: eorum verò est vobis obedire, vt Deo. Et in epistola Alexandri Papæ successoris Euaristi: Si quis autem legationem vestram impedit, non vnius, sed multorum profectum auertit. Et sicut multis nocet: ita à multis est arguendus. Et quia Dei causam impedit, & statum ecclesiæ conturbat, ideo à liminibus eius arceatur. Quapropter nullus comes, nullúsque iudex, nullus omnino in clericatu vel seculari habitu constitutus, legationem episcoporum impediat, vel conturbare præsumat. Vt autem vnanimitas & concordia sit inter episcopos & comites, placuit vt si quis episcopus domi residens conuentum populi esse voluerit, & Comes nihilominus in ipsa eadémque die placitum condixerit: effectum obtineat, qui prior iudicauerat: salua tamen dignitate, & potestate episcopi.

De regibus bene regentibus. Ex dictis Isidori. *Lib. 3. de summo bono. cap. 48.*

¶ CAP. 39.

Qui in hoc sæculo benè temporaliter imperat, sine fine in perpetuum regnat, & de gloria sæculi huius ad æternam transmeat gloriam. Qui verò prauè regnum exercent, post vestem fulgentem, & lumina lapillorum, nudi & miseri ad inferna torquendi descendunt. Reges à rectè agendo vocati sunt, ideoque rectè faciendo regis nomen obtinetur, peccando amittitur. Nam & viros sanctos proinde reges vocari in sacris eloquiis inuenimus, eò quòd rectè agant, sensúsque proprios benè regant, & motus resistentes sibi rationabili discretione componant. Rectè igitur illi reges vocantur, qui tam semetipsos quàm subiectos benè regendo modificare nouerunt. Quidam ipsum nomen regiminis ad immanitatem transuertunt crudelitatis: dúmque ad culmen potestatis venerint, in apostasiam statim labuntur, tantóque se tumore cordis extollunt, vt cunctos subditos in sui comparatione despiciant, eósque quibus præesse contigit, non agnoscant. Quibus congruè per Ecclesiasticum dicitur: Ducem te constituerunt? noli extolli. Dum mundi reges se cæteris sublimiores sentiunt, *Eccl. 32.* mortales tamen se esse cognoscant: nec regni gloriam, qua in sæculo sublimantur aspiciant, sed opus quod secum ad inferos deportent, intendant. Si ergo carebunt huius temporis gloria, illa agant quæ post finem sine fine possideant. Dum Apostolus dicat: Non est potestas nisi à Deo: *Rom 13.* quomodo per Prophetam de quibusdam potestatibus dicitur. Ipsi regnauerunt, sed non ex me? *Osee 8.* Quasi diceret: Non me propitio, sed * me irato. **etiam summè. orig.* Vnde inferius per eundem Prophetam dicit: Dabo, inquit, tibi regem in furore meo. *Osee 13.* Quo manifestius elucet, bonam malámque potestatem à Deo ordinari, sed bonam propitio, malam irato. Reges quando boni sunt, muneris esse Dei, quando verò mali, sceleris esse populi. Secundùm meritum enim plebeium disponitur vita rectorum, testante Iob: Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. *Iob. 34.* Irascente enim Deo talem rectorem populi suscipiunt, qualem pro peccato merentur. Nonnunquam pro malitia plebis etiam reges mutantur, & qui antè videbantur esse boni, accepto regno fiunt iniqui.

De eadem re. Ex dictis eiusdem.

¶ CAP. 40.

Ibid. c. 49. Qui rectè vtitur regni potestate, ita se præstare omnibus debet, vt quantò magis honoris celsitudine claret, tantò in semetipso humiliet mentem, proponens sibi exemplum humilitatis Dauid, qui de suis meritis non tumuit, sed humiliter sese dejiciens, dixit: Vilis incedam, & vilis apparebo ante Dominum qui me elegit. Qui rectè vtitur regni potestate, formam iustitiæ factis magis, quàm verbis instituet. Iste nulla prosperitate erigitur, nulla aduersitate turbatur. Non innititur propriis viribus, nec à Domino recedit cor eius. Regni fastigio humili præsidet animo. Non eum delectat iniquitas, non inflammat cupiditas. Sine defraudatione alicuius ex paupere diuitem facit, & quod iuxta potestatem à populis extorquere poterat, sæpe misericordia clementia donat. Dedit Deus principibus præsulatum pro regimine populorum, & illis eos præesse voluit, cum quibus vna est eis nascendi moriendique conditio. Prodesse ergo debet populis principatus non nocere: nec dominando premere, sed condescendendo consulere: vt verè sit vtile hoc potestatis insigne, & dono Dei pro tuitione vtantur membrorum Christi. Membra enim Christi fideles sunt populi, quos dum ea potestate quam accipiunt, optimè regunt, bonam vtique vicissitudinem Deo largitori restituunt. Bonus rex faciliùs ad iustitiam à delicto regreditur, quàm de iustitia ad delictum transfertur. Vt noueris hoc esse casum, illud propositum. In proposito eius esse debet, nunquam egredi à veritate. Quod si casu titubare contigerit, mox resurgere.

2. Reg. 6.

Ibid. cap. 50. *De patientia Regum. Ex dictis eiusdem.*

¶ CAP. 41.

Plerumque Princeps iustus etiam malorum errores dissimulare nouit: non quòd iniquitati eorum consentiat, sed quòd aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia vel emendare valeat, vel punire. Multi aduersùs principes coniurationis crimine deteguntur, sed probare volens Deus clementiam principum, illos malè cogitare permittit, istos non deserit. De illorum malo benè istis facit, dum culpas quas illi agunt, isti mira patientia indulgent. Reddere malum pro malo vicissitudo est iustitiæ. Sed qui clementiam addit iustitiæ, non malum pro mala culpatis reddit, sed bonum pro malo offensis impertit.

Ibid. *De derelictis regum. Ex dictis eiusdem.*

¶ CAP. 42.

Difficile est Principem regredi ad melius, si vitiis fuerit implicatus. Populi enim peccantes iudicem metuunt: Reges autem nisi solo Dei timore, metúque gehennæ coërcentur, liberè in præceps prouunt, & per abruptum licentiæ in omne facinus vitiorum labuntur. Quantò quisque in superiori constitutus est loco, tantò in maiori versatur periculo: & quantò splendoris honore quisque celsior est, tantò si delinquit peccato maior est. Potentes enim potenter tormenta patientur. Cui enim plus committitur, plus ab eo exigitur, etiam cum *mensura pœnarum. Reges vitam subditorum facile exemplis suis vel ædificant, vel subuertunt, ideo principem non oportet delinquere, ne formam peccandi faciat, peccati eius impunita licentia. Nam rex qui ruit in vitiis cito viam ostendit erroris. Sicut legitur de Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Israël. Illi autem adscribitur, quicquid exemplo eius à subditis perpetratur. Sicut nonnulli bonorum principum Deo placita facta sequuntur, ita facilè multi praua eorum exempla sectantur. Plerique autem apud iniquos principes necessitate magis quàm voto, mali existunt, dum imperiis eorum obediunt. Nonnulli autem sicut prompti sunt sequi Reges in malum, sic pigri sunt imitari illos in bonum. Sæpe vnde mali reges peccant, inde boni iustificantur, dum præcedentium cupiditatem & malitiam corrigunt. Nam re vera peccatis eorum communicant, si quod illi diripuerunt, isti retentant. Cuius peccatum quisque sequitur, necesse est vt eius pœnam sequatur. Neque enim erit impar supplicio, cuius errore quisque par est, ac vitio.

Cap. 6. · Luc. 12. · *visura. · 3. Reg. 12.

Ibid. c. 5. dist. 9. c. Iustum est. *Quòd Reges legibus teneantur. Ex dictis eiusdem.*

¶ CAP. 43.

Iustum est Principem legibus obtemperare suis. Tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet: quando & ipse illis reuerentiam præbet. Principes legibus teneri suis, nec in se posse damnare iura, quæ in subiectis constituunt. Iusta est enim vocis eorum authoritas, si quod populis prohibent, sibi non licere patiantur. Sub religionis disciplina, sæculi potestates subiectæ sunt. Et quamuis culmine regni sint præditi, vinculo tamen fidei tenentur astricti, vt fidem Christi suis legibus prædicent, & ipsam fidei prædicationem moribus bonis conseruent.

Ibid. *De disciplina Regum in ecclesia. Ex dictis eiusdem.* ¶ CAP. 44.

23. q. 5. cap. Principes sæculi. Principes sæculi nonnunquam intra ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi vt quod non præualet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc † imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit: vt qui intra ecclesiam positi contra fidem & disciplinam ecclesiæ agunt, rigore principum † conterantur: ipsámque disciplinam, quam ecclesiæ humilitas exercere non præualet, ceruicibus superborum potestas principalis imponat: † & sic venerationem meretur, vt virtutem potestatis impartiat. Cognoscant Principes sæculi Deo debere reddere se rationem propter ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina ecclesiæ per fideles principes, siue soluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam ecclesiam credidit.

† impleat. · † coërceantur. · † & vt venerationem accipiat, virtutem, &c. Sic hodie Gratia. & Isi.

Cur Deus alios ad libertatem, alios autem ad seruitutem discreuerit. Ex dictis eiusdem.

¶ CAP. 45.

Propter peccatum primi hominis humano generi pœna diuinitus illata est seruitutis, ita vt quibus aspicit non congruere † libertatem, his misericordius irroget seruitutem. Et licet peccatum humanæ originis per baptismi gratiam fidelibus cunctis dimissum sit, tamen æquus Deus ideo discreuit hominibus vitam, alios seruos constituens, alios Dominos, vt licentia malè agendi seruorum, potestate dominantium restringatur. Nam si omnes sine metu fuissent, quis esset, qui à malis quempiam cohiberet? Inde & in gentibus Principes, Regesque electi sunt, vt terrore suo populos à malo coërcerent, atque ad rectè viuendum legibus subderent. Quantùm pertinet ad rationem, non est personarum acceptio apud Deum, qui mundi elegit ignobilia, & contemptibilia, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, ne glorietur omnis caro: hoc est, carnalis potentia coram illo. Vnus enim Dominus æqualiter & dominis fert consultum, & seruis. Melior est subiecta seruitus, quàm elata libertas. Multi enim inueniuntur Deo liberè seruientes sub Dominis constituti flagitiosis, qui & si subiecti sunt illis corpore, prælati tamen sunt mente.

† dignitatem.

Ephes 6. Coloss. 3. 1. Cor. 1.

Vt nullus seruus monachus fiat inuito Domino suo. Ex Chalcedonensi Conc. cap. iiij.

Actione 15. 16. q. c. qui vere purè que.

¶ CAP. 46.

Nullum recipi in monasteriis seruum obtentu monachi, præter Domini sui conscientiam voluimus. Transgredientem verò hanc diffinitionem nostram, excommunicatum esse decreuimus.

De eadem re. Gelasius per Lucaniam, Brutios, & Siciliam Episcopis.

Epist. 1. c. 16.

¶ CAP. 47.

Quisquis Episcopus, Presbyter, & Diaconus, vel eorum qui monasteriis præesse noscuntur, seruiles, & originarias personas apud se tenentes non restituendas patronis, aut deinceps vel Ecclesiasticæ seruituti, vel religiosis congregationibus putauerint applicandas, nisi voluntate forsitan Dominorum, * & subscriptione, vel testimonio primitus absolutas, vel legitima transactione concessas: periculum se honoris suis non ambigant, communionisque subituros.

* Sub scripturæ testim. orig.

Ne mancipia manumissa seruituti denuo mancipentur. Ex Concilio Aurelianensi tempore Childeberti Regis, cap. vij.

Aurel. 5.

¶ CAP. 48.

Quæcumque mancipia ab ingenuis Dominis seruitute laxantur, in ea libertate maneant, quam tunc à Dominis perceperunt. Huiusmodi libertas si à quocumque pulsata fuerit, cum iustitia ab Ecclesiis defendatur: præter eas culpas, pro quibus leges, collatas seruis reuocare iusserunt libertates.

Exemplum eiusdem rei. Gregorius Mariano Episcopo Rauennæ.

Lib. 7. regist. epist. 21.

¶ CAP. 49.

Ioannes præsentium portitor, queritur vxorem suam molestias Georgij cuiusdam refugientem, diu in septis venerabilibus residere, & nullum hactenus inuenire solatium. Cuius quia de conditione esse controuersiam asserit, & vestræ eam fraternitati petiit commendandam, his vos hortamur affatibus, vt eidem mulieri seruata æquitate tuitionem debeatis impendere, & à nullo eam contra rationis ordinem grauari aliquo modo permittatis.

De eo, si quem Ecclesiastica familia Episcopus seruitute laxauerit. Ex Agathensi Concilio, cap. vj.

Cap. 7.

¶ CAP. 50.

Si quos de seruis Ecclesiæ benè meritis Episcopus libertate donauerit, collatam libertatem à successoribus placuit custodiri, cum eo quod eis manumissor in libertate contulerit. Quod tamen iubemus xx. solidorum modum, in terrula, vineola, vel hospitiolo tenere. Quòd si amplius datum fuerit, post manumissoris mortem Ecclesiæ reuocetur.

12. q. 2. c. si quos de seruis.

Vt libertos si opus fuerit, Ecclesia tueatur. cap. xxviij.

¶ CAP. 51.

Cap. 29.

Libertos legitimè à Dominis suis factos, Ecclesia si necesse fuerit, tueatur. Quòd si quis ante audientiam, aut peruadere eos, aut expoliare voluerit, vel præsumpserit, ab Ecclesia repellatur.

Dist. 87. c. libertos legitimè.

Exemplum huius rei. Ex Concilio Toletano iiij. cap. lxxiij.

Cap. 71.

¶ CAP. 52.

Liberti quicumque manumissi sunt, atque Ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut regulæ antiquorum patrum constituerunt, sacerdotali defensione à cuiuslibet insolentia protegantur, siue in statu libertatis eorum, siue in peculio quod habere noscuntur.

Dist 87. c. liberti qui à quibuscumque.

De eadem re. Ex vita beati Gregorij, lib. ij. cap. xlvij.

Authore Ioan. Diacono R. Ecclesiæ.

¶ CAP. 53.

Libertatem cuiusque hominis Gregorius contra Iudicum insolentias, liberis nihilominus vocibus defendebat.

De eadem re. Gregorius Leontio exconsuli.

¶ CAP. 54.

Vnum hoc benè & constanter noui, quia & si quam in rebus publicis fraudem fecit libertinus, substantia eius cædi debuit, non libertas. Nam in hoc quòd liberi cæduntur, vt taceam, quòd omnipotens Deus offenditur, vt taceam, quòd vestra opinio vehementer grauatur, piissimi tamen Imperatoris nostri tempora omnino fuscantur. Hoc enim inter Reges gentium, & Imperatorem Regum distat, quia Reges gentium Domini seruorum sunt: Imperator verò, Romanorum Dominus liberorum. Vnde & vos quicquid agitis, prius

Lib. regist. 8. cap. 51.

quidem seruata iustitia, deinde custodita per omnia libertate, agere debetis.

De mancipiis fugitiuis, ne quis Ecclesiastico iure illa tueatur. Item, Petro subdiacono.

¶ CAP. 55.

Plærosque cognouimus de amissis mancipiis conqueri dicentes: quia si seruus cuiuspiam fortassis fugiens Dominum suum, iuris Ecclesiastici se esse professus est, rectores Ecclesiæ protinus hunc vt seruum Ecclesiastici iuris habeant, nullo agentes iudicio, sed serui vocem defendentes. Quod mihi tantùm displicet, quantùm à veritatis iudicio abhorret. Vnde volo, vt experientia tua, quæcunque ita facta cognouerit, postposita tarditate corrigat, & talia quæque mancipia, si qua nunc iure Ecclesiastico habentur, sicut sine iudicio ablata sunt, ita restitui ante iudicium decet: & si quid in eis sanctæ Ecclesiæ legitimè competit, tunc eorum possessores debent ordinata actione pulsari.

Quomodò defendere se debeat, qui libertate donatus ad seruitutem reuocatur. Capitularium lib. iij. cap. xliij.

¶ CAP. 56.

Si quis per chartam ingenuus dimissus fuerit, & à quolibet homine in seruum interpellatus fuerit, primum legitimum authorem suæ libertatis proferat, & in sua libertate perseueret. Si verò legitimus actor defuerit, testimonio bonorum hominum qui tunc aderant, quando liber dimissus fuerat, se defendere permittatur. Si verò testes defuerint, cum duabus aliis chartis, quæ eiusdem Cancellarij manu firmatæ sint vel scriptæ, suam chartam, quæ tertia est, veram & legitimam esse confirmet. Cancellarius autem talis esse debet, qui pagensibus loci illius notus fuisset & acceptus. Si autem qui interpellatus fuerit ad seruitium, nec actorem nec testimonia habuerit, neque alias duas chartas ad suam confimandam inuenire potuerit: tunc is qui eum interpellauit, secundùm legem ipsam chartam falsam efficiat, & seruum conquirat.

Ne seruo credatur, cuipiam crimen imponenti. Capitular. lib. vj. cap. xlvj.

¶ CAP. 57.

q.7.& 8. de accusat. v an si testes & per totam 4.q.2.& 3.

Seruo penitus non credatur, si super aliquem crimen obiecerit, aut si etiam Dominum suum crimine impetierit. Nam etiamsi in tormentis positus exponat quod obiecit, credi tamen illi non oportet.

Item, ne seruilis conditionis personæ contra aliquem testantur, nisi ingenui desint. Cap. clxx.

¶ CAP. 58.

Libertus vel liberta in nullis negotiis contra quenquam testimonium dicere admittantur: excepto in aliquibus causis, vbi ingenuitas deesse cognoscitur, sicut permissum est & de seruis.

Serui testimonio aduersùs Dominum minimè standum. lib. vij. cap. ccvij.

¶ CAP. 59.

Si serui facinora Dominorum confessi sunt, nullo modo audiantur, nisi fortè eos deferant maiestati.

De eadem re. Codicum lib. iij. cap. xx. titulo viij. Tit.20.l.7.

¶ CAP. 60.

Seruos pro Dominis, quemadmodum aduersùs eos, interrogari non posse: pro facto autem suo posse interrogari, non ambigitur.

Item de eadem re. Lib. ix. cap. j. tit. xx. Tit.1.l.20.

¶ CAP. 61.

Si quis ex familiaribus, vel ex seruis cuiuslibet domus, cuiuscumque criminis delator atque accusator emerserit, eius existimationem, caput, vel fortunas periturus, cuius familiaritati vel dominio inhæserit, ante examinationem iudicij in ipsa expositione criminum, atque accusationis exordio, vltore gladio feriatur.

Liberti patronos accusantes, perinde puniendi ac serui. tit. xxj. Ibid.l.21.

¶ CAP. 62.

Liberti si accusatores manumissorum, hæredumue eorum præsumpserint esse: eodem quo serui supplicio tenebuntur, luituri pœnas ante prohibitæ delationis exordium.

Libertum ob ingratitudinem erga patronum reuocari debere in seruitutem. Nouellarum constitutio. lxix. cap. ij.

¶ CAP. 63.

Si libertus contra patronum suum ingratus fuerit, rescindi debet libertas: cauere autem oportet ingratitudines, quæ legibus cognitæ sunt: veluti, si libertus manus suas contra patronum moueat, vel si contumelias atroces ei fecerit, vel si magnum & intolerabile damnum ei dederit: id est, si ad dedecus eius pertinentes iniurias effuderit. Si enim horum aliquid patronus vel liberi eius probauerint, ad pristinum statum conuictus reuertatur libertus.

Quæ personæ à publica accusatione arceantur. Ex Concilio Carthaginensi vij. cap. ij. 4.q.1.c. diffinimus enim. & 4.q.6.c. omnibus quibus.

¶ CAP. 64.

Omnes serui, vel proprij liberti ad accusationem publicè non admittantur, omnes etiam infamiæ maculis adspersi, id est, histriones, aut turpitudinibus subiectæ personæ: hæretici etiam, siue pagani, seu Iudæi. Sed tamen omnibus quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda est.

Ne libertus Ecclesiam cuius antea seruus fuerat, accusare præsumat. Ex Tolet. Concil. iiij. cap. lxix. Cap. 67.

¶ CAP. 65.

Liberto aduersùs Ecclesiam, cuius iuris extitit, accusandi vel testificandi denegetur licentia. Quòd si præsumpserit, placet vt in seruitutem propriæ Ecclesiæ reuocetur, cui nocere conatur. 11.q. c. Episcopus qui mancipium.

Cap. 8. Conc. Hispalensis 2.12.q.2.cap. octaua discussio.

De eodem. Ex Hispalensi Conc. cap. ix.

¶ Cap. 66.

Libertorum statum, qui contra Episcopum suum, vel patronam Ecclesiam nituntur, decidi potius quàm conseruari conuenit: vt quorum libertas perniciosa est, sit salutifera seruitus: & qui superbire nouerunt adepta libertate* elati, perdita discant obedire subiecti.

* rediti, discunt orig.

Liberti, eorumque posteri qualiter cum rebus ab Ecclesia sibi commissis agere debeant. Ex Toleta. Conc. ix. cap. xvj.

¶ Cap. 67.

Libertis Ecclesiæ eorumque propagini ex omnibus quæ de iure Ecclesiæ noscuntur habere, nihil licebit in extraneum dominium transactione quacunque deducere. Sed si ex his quælibet fortasse vendere voluerint, sacerdoti eiusdem Ecclesiæ offerent conuenienter emenda: earumque rerum pretia, vt eis placuerit, aut dispensent, aut habeant. Nam in dominium partis alterius rei suæ censum nullo modo transire permittimus. Suis autem filiis, vel propinquis eiusdem* vel seruitio vel patrocinio subiugatis, quæcunque vendere vel donare voluerint, aditus omnino patebit.

* Ecclesiæ inseritura erit.

Famulos ad Ecclesiam confugientes contra voluntatem dominorum suorum non esse tuendos. Gregorius Bonifacio Episcopo.

¶ Cap. 68.

17. q. 4. cap. Metuentes.

Metuentes famuli dominos si ad Ecclesiæ septa confugerent, intercessionem debent quærere, non latebras: ne hæc ipsa præsumptio tarditatis temeritatem augeat renitendi. Filius etenim noster vir spectabilis Petrus queritur seruum suum in Ecclesia S. Clementis diutiùs commorari: cui cùm deputasset sacramenta præstari, illum egredi nulla ratione voluisse. Et ideo supradictus homo de præsenti cum eo quem elegerit esse mittendum, cùm de impunitate eius sacramenta præbuerint, eum facias ad Dominum suum modis omnibus remeare. Aut si in hac peruicacia fortè perstiterit, post sacramentum sibi præstitum, reddatur inuitus.

De eadem re. Idem Petro subdiacono Campaniæ.

¶ Cap. 69.

Lib. regist. 2. epist. 1. seu cap. 40.

Mancipia si qua in monasterio sancti Seuerini, vel in alia Ecclesia eiusdem castelli de ciuitate refugerint, mox vt ad notitiam tuam peruenerit, nullo modo illic ea immorari permittas: sed intra ciuitatem in Ecclesiam reuocentur. Et si iustam contra Dominos suos querelam habuerint, congrua ordinatione de Ecclesiis exire necesse est. Si verò venialem culpam commiserint, Dominis suis accepto de venia sacramento, sine mora reddantur.

Ne quis mancipia clericorum pro suis occupet. Ex Arelatensi concilio, cap. vj.

¶ Cap. 70.

Si quis mancipia clericorum pro suis mancipiis ad Ecclesiam fugientibus, crediderit occupanda, per omnes Ecclesias districtissima damnatione feriatur.

Si quis fugitiuum seruum clam Domino suo susceperit, quo damno mulctetur. Codicum lib. vj. cap. j. titulo. iiij. Tit. 1. l. 4.

¶ Cap. 71.

Quicunque fugitiuum seruum in domo vel in agro inscio Domino eius susceperit, cum compari alio vel xx. solidis reddat.

Quòd furti reus sit, qui seruum à Domino suo quolibet modo alienauerit. tit. vj. Tit. 2 l. 6.

¶ Cap. 72.

Alienum seruum sine voluntate Domini qui sciens vendidit, seu donauit, vel alio modo alienauit, nihi ei diminuere potest. Et si contrectet, vel apud se detinuerit, furtum facit.

Ne quis Apostolicæ sedis censura manumissum, ad seruitium retrahat. Gregorius Anthemio subdiacono. Lib. 1. regist. epist. 53.

¶ Cap. 73.

Præsentium lator † Gaudentius insinuauit nobis, ab actoribus sanctæ Romanæ (cui Deo authore præsidemus) Ecclesiæ, sibi violentiam irrogari: asserens quòd filios suos iuri prædictæ velint Ecclesiæ vendicare. Oblatis etenim ab eo documentis, nouimus Siricam vxorem præsentium portitoris, ab Ætia quondam beatæ memoriæ, Morenæ cuidam fœminæ titulo donationis fuisse largitam, & ab eadem Morena per epistolam manumissam. Et ideo indecens esse credimus, vt progeniti ex libera muliere filij ad seruitium retrahantur. Propterea experientiæ tuæ præsenti authoritate præcipimus, vt his ipsis documentis, sicut & nos didicimus exuto à curis animo, diligenter intendat: quatenus si documenta nulla sunt ab Ecclesiæ parte, quæ documentis huius hominis debeant obuiare, ab eius se molestia sine aliqua retractatione suspendat. Durum est enim, vt si alij pro mercede sua libertates tribuunt, ab Ecclesia, quam tueri hæc oportuerat, reuocentur.

† Gaudiosus est apud Gregor.

Seruum non esse fugitiuum qui ad amicum Domini sui, causa intercessionis confugerit. Pandectarum lib. xxj. tit. j. Tit. 1. l. 43.

¶ Cap. 74.

Qui ad amicum Domini deprecaturus confugit, non est fugitiuus. Imò si ea mente aut non impetrato auxilio, domum non reuertatur, nondum fugitiuus est.

Quòd seruus fugiens, serui per hoc iugum non abjiciat. lib. xliij. titulo secundo. Lib. 41. tit. 3. l. 15 §. si seruus quem.

¶ Cap. 75.

Si seruus quem possidebam, fugerit, etiam si pro libero gerat, videbitur à Domino possideri. Sed hoc tunc intelligendum est, cùm si is apprehensus fuerit, nolit pro libertate sua litigare: nam si paratus est litigare, non videbitur à Domino possideri, cui se aduersarium præparauit.

De Dominis si famulis intolerabiles fiant. tit. viij.

¶ Cap. 76.

De his seruis qui ad ædem sacram vel statuam principum confugiunt, præcepit (Diuus Antoninus) vt si intolerabilis videatur dominorum sæuitia, cogantur seruos bonis conditionibus

vendere, vt precium Dominis detur. Et rectè; expedit enim Reipub. ne quis re sua malè vtatur. Cuius rescripti ad Ælium Martianum emissi verba sunt hæc: Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, ne cuiquam hominum ius suum detrahatur. Dominorum interest, ne auxilium contra sæuitiam vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur his, qui iustè deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Iulij Sabini ad statuam confugerint, & si vel durius habitos, quàm æquum est, vel infami iniuria affectos cognoueris, vendere iube: ita vt in potestatem Domini non reuertantur.

Exemplum vindictæ in eos qui se iustas habere causas mendaciter fingunt. Gelasius Ioanni Episcopo † Viuanensi. ¶ CAP. 77.

† Viennensi legit Gratia.

17. q. 4. c. Vxor Fœlicis. Vxor Fœlicis & filia Romam (quia sic oportuit) peruenerunt. Siquidem hunc ipsum primum se ad barbarorum basilicam conferentem, seque bonas causas habere iactantem, egredi sub hac conditione præcepimus, vt si actus suos fideliter & rationabiliter allegaret, nihil contra eum prorsus asperum fieri, durumque pateremur. Alioquin si contra fidem & vtilitatem Dominicam venisse probaretur, ipse sibimet imputaret atque ordinationi congruæ subiaceret. Qui superueniente filio nostro viro spectabili Orthasio, sic est ad singula quæque conuictus, vt os aperire non posset, & vera esse quæ huic objicerentur, propria voce fateretur. Ideoque teneatur mancipatus custodiæ.

Quòd homicidij reus non sit, qui alienum seruum insidiantem sibi occiderit. Pandect. lib. ix. tit. ij.

Tit. 2. l. 4.

¶ CAP. 78.

Si seruum tuum latronem insidiantem mihi, occidero, securus ero. Nam aduersùs periculum naturalis ratio permittit se defendere. Lex duodecim tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit, vt tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdiu autem deprehensum, ita permittit occidere, si is telo se defenderit, vt tamen æquè cum clamore testificetur.

Quòd Dominum par culpa constringat, si quem eo sciente seruus occiderit. tit. iiij.

Tit. 4. l. 2.

¶ CAP. 79.

Si seruus sciente Domino occidit, in solidum Dominum obligat: ipse enim videtur Dominus occidisse. Si autem insciente, noxalis est. Nec enim debuit maleficio serui in plus teneri, quàm vt noxæ eum dedat.

Pœnitentia eius qui proprium seruum extra iudicis conscientiam peremerit. Ex Agathensi Conc. cap. lx.

Cap. 62.

¶ CAP. 80.

Si quis seruum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennij, reatum sanguinis * emundabit.

* emend. or.

Lib. 1. regist. epist. 42. & l. 6. c. Cognouimus.

Si quis peccauerit, in eo non in substantia eius vindicandum. Gregorius Petro subdiacono Siciliæ.

¶ CAP. 81.

Cognouimus quòd si quis ex familia Ecclesiæ culpam fecerit, non in ipso, sed in eius substantia vindicetur. De qua re præcipimus, vt si quis culpam fecerit, in ipso, sicut dignum est vindicetur: à commodo autem eius abstineatur. Nisi fortè parum aliquid, quod in vsum executoris qui ad eum mittitur, proficere † possit.

† non possit habet Greg. Parte 3. admonitione 6.

Qualiter admonendi sint serui. Greg. in Pastorali, lib. ij.

¶ CAP. 82.

Serui admonendi sunt, ne Dominos despiciant: ne Deum offendant, si ordinationi illius superbiendo contradicant.

Item admonitio seruorum. Ambrosius super epistolam primam ad Corinthios.

¶ CAP. 83.

Si qui sub iugo sunt serui, Dominos suos dignos omni honore existiment, ne nomen Dei & doctrina blasphemetur. Hęc de illis scribit Apostolus, qui infideles habent Dominos, præcipiens eis, vt omne obsequium suis præbeant Dominis, licet sit à pietate alieni.

1. Timoth. 6.

De eadem re. Eiusdem. In argumento epistolæ ad Philemonem. ¶ CAP. 84.

Seruos omne seruile obsequium suis Dominis præbere præcipit Apostolus cum omni solicitudine, siue impios habeant, siue pios Dominos.

Qualiter dominus seruum placare debeat iniustè à se læsum. Sermo Augustini in quadragesima de fraterna concordia, qui sic incipit, Dies isti sancti.

Homel. 40. lib. quinquag. homil.

¶ CAP. 85.

Aliquando Dominus homo peccat in seruum suum, quia etsi ille Dominus est, ille seruus, ambo tamen serui alieni sunt, quia ambo Christi sanguine redempti sunt: tamen durum videtur, vt hoc etiam iubeam, hoc præcipiam, vt si fortè Dominus peccat in seruum suum iniustè litigãdo, iniustè cædendo, dicat illi, Ignosce mihi, da mihi veniã: quia non debet facere, sed ne ille incipiat superbire. Quid ergo? ante oculos Dei pœniteat eum, ante oculos Dei puniat cor suum. Et si non potest seruo dicere, quia non oportet, Da mihi veniam, blandè illum alloquatur: Blanda enim appellatio, veniæ est postulatio.

De seruo qui res detinet alienas. Codicum libro iij. cap. xxxij. Tractat. xx.

Tit. 32. l. 10.

¶ CAP. 86.

Non seruum, quem res tuas detinere asseueras, sed eius Dominum de rebus repetendis conueniendum esse perspicis.

Quòd mancipium furtim & iniustè distractum Dominus sine precio vindicabit. Tract. xxiij.

L. 23.

¶ CAP. 87.

Si mancipium tuum per vim, aut per furtum ablatum alij ex nulla iusta causa distraxerunt, vindicanti tibi Dominum, soluendi precium nulla necessitas irrogetur.

De seruis furtim arbores succidentibus. Cap. xlj. Tract. ij. ¶ CAP. 88.

Tit. 41. lib. 3.

Si serui vestri inscientibus vobis, aut etiam prohibentibus, furtim arbores cæciderunt, frustra veremini, ne ex persona eorum vltra noxæ

deditionem fitis obstricti: cùm ex delictis seruorum domini ignorantes, vel prohibentes, ita condemnari debeant, vt aut noxæ dedere seruum, aut condemnationes sufferre in sua habeant potestate.

Lib. 4. tit. 13. l. 5. *Quod patronis vel dominis peccantibus, liberti vel serui sint innocentes. Cap. xiij. Titulo v.*

¶ Cap. 89.

Ex patroni, vel ex domini contractu, liberti vel serui conueniri non possunt.

Tit. 25. l. 1. *Si seruus mutuam accepit pecuniam, quicquid ex ea in vsum domini transierit, domino soluendum. Cap. xx. tit. 1.*

¶ Cap. 90.

Seruus tuus pecuniam mutuam accipiens, ita demum te institoria actione obligauit, si cum eum officio alicui, vel negotiationi exercendæ præponeres, etiam vt faceret, ei permissum à te, probetur. Quòd si ea actio locum non habet, si quid in rem tuam versum probabitur, actione in eadem re proposita cogeris exoluere.

Tit. 25. l. 3. *De eodem. Titulo iij.*

¶ Cap. 91.

Institoria aduersus eum actio competit, à quo seruum mensæ præpositum dicis, si eius negotij causa, quod per eum exercebatur, depositam pecuniam nec redditam, potest probari.

Tit. 26. l. 3. *De eadem re. Cap. xxvj. tit. iij.*

¶ Cap. 92.

Etiam si neque mandante, neque subscribente, neque iubente domino pecuniam mutuam priscæ dedisses: tamen ea quantitas si in rem dominæ eius iustis erogationibus versa est, apud suum Iudicem eam conueni, consecuturus secundùm iuris formam, id quod tibi deberi apparuerit.

Lib. 4. ti. 6. l. 1. *Neminem contra patronum suum publicè posse clamare. Lib. vi. cap. vi. titulo i.*

¶ Cap. 93.

Contra patronum tuum famosam actionem instituere non potes.

Lib. 8. titul. 16. l. 8. *Nulli seruilis conditionis inscio domino vel inuito licere possessionibus præiudicium facere. Lib. ix. cap. xvi. tit. viij.*

¶ Cap. 94.

Nexum non facit prædiorum, nisi persona quæ iure potuit obligare. Per seruum autem, procuratorem, colonum, vel actorem, conductorémue præiudicium possessioni, inuito vel inscio domino, imponi non posse, & iure, & legum authoribus declaratur.

Tit. 52. l. 1. *De partu ancillæ. si inscio vel inuito domino expositus fuerit. Cap. lj. titulo i.*

¶ Cap. 95.

Si inuito vel ignorante te partus ancillæ tuæ expositus est, repetere eum non prohiberis: sed restitutio eius (si non à fure vindicaueris) ita fiat, vt si qua in alendo eo, vel fortè ad discendum artificium iustè consumpta fuerint, restituantur.

Item de partu seruili. Titulo ij. Tit. 52. l. 2.

¶ Cap. 96.

Vnusquisque sobolem suam nutriat: quòd si exponendam putauerit, animaduersioni quæ constituta est, subiacebit. Sed nec domini vel patronis repetendi aditum relinquimus, si ab ipsis expositos quodammodò ad mortem, voluntas quæ misericordiæ est amica, non collegerit. Nec enim suum dicere poterit, quem pereuntem contempsit.

Ne quis puerum cuiuscunque conditionis expositum sibi vendicet in seruum. Titulo iij. Tit. 52. l. 3.

¶ Cap. 97.

Sancimus nemini licere, siue ab ingenuis genitoribus puer paruulus procreatus, siue à libertina progenie, siue seruili conditione maculatus, expositus sit, eum puerum in suum dominium vindicare, siue nomine dominij, siue adscriptione, siue colonariæ conditionis. Sed neque his qui eos nutriendos sustulerunt licentiam concedi penitus cum quadam † distinctione ita eos tollere, & educationem eorum procurare siue masculi sint siue fœminæ: vt eos vel loco liberorum, vel loco seruorum, aut colonorum habeant: sed nullo discrimine habito, hi qui ab huiusmodi hominibus educati sunt, liberi & ingenui appareant. † districtione.

De seruis damnatis, quid rerum suarum ad dominos pertineat. Cap. 50. tit. j. Lib. 9. tit. 49. l. 1.

¶ Cap. 98.

Seruorum capitis criminibus damnatorum peculia dominis non auferri notum est: sed quod seruum dominus habuisse probauerit, recipiet.

Quod dominus seruum defendere possit in iudicio accusatum. Cap. i[illegible]it. ij. Lib. 9. titul. 2. l. 2.

¶ Cap. 99.

Si cuidam crimini seruus obnoxius postulatur, dominus eum defendere potest, & in iudicio sistere accusatoris intentionibus responsurum.

Quod libertatem non amittat, si quis territus apud iudicem seruum se esse mentiatur. Capitularium lib. vii. cap. ccc xlii.

¶ Cap. 100.

Qui metu & impressione alicuius terroris, apud acta Præsidis seruum se esse mentitus est, postea statum suum defendendi, non præiudicatur.

De eo qui à seruo alieno aliquid comparauerit nesciente domino suo. Lib. v. Cap. cccvi.

¶ Cap. 101.

Si quis ex seruo alieno aliquid comparauerit nesciente domino suo: si dominus infirmam voluerit esse emptionem, reddet precium emptori, vt emptio nihil habeat firmitatis.

Quod vterque anathema sit, & seruus qui Dominum suum superbè fugerit, & is qui eum ad huiusmodi fugam incitauerit. Hieronymus ad Paschasium Alexandrinum.

¶ Cap. 102.

De seruo qui fugerat Dominum suum interrogabas, si ille in illa fuga mortuus fuerit, vtrùm liceret pro eo orare, an non. Hoc in diuinis libris non inuenimus prohibitum: sed tamen ab Apostolis firmiter præceptum, vt serui sint subditi in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis: & in Gangrensi Concilio ita scriptum est: Si quis seruum sub prętextu diuini cultus doceat proprium Dominum contemnere, vt sic discedat ab eius obsequio, anathema sit. Vnde datur intelligi, quia si ille anathema meruit qui docet seruum proprium contemnere Dominum, & ab eius obsequio discedere: quantò magis ille qui Dominum spernit, & eius seruitio subdi noluerit? Sed tamen distantia est inter illum qui per superbiam fecerit, & illum qui per necessitatem coactus est crudelitate Domini sui. 1. Pet. 2. Cap. 3.

Ne patroni & liberti mutuo sese testimonio impetere cogantur. Pandect. lib. xxij. Tit. 5. l. 4.

¶ Cap. 103.

Nec patroni patronæue aduersùs libertos, neque liberti aduersùs patronos cogantur testimonium dicere.

Dominos habere potestatem in seruos seruandi eos atque perdendi. lib. xliij. tit. viij.

¶ Cap. 104.

Apud omnes æquè gentes animaduertere possumus, Dominis in seruos vitæ necisque potestatem esse: & quodcumque per seruum acquiritur, id Domino acquiritur.

Quod furtum non faciat, qui rem ancillæ propriæ, quoquo modo donauerit. Instit. lib. ij. tit. vj.

¶ Cap. 105.

Si is ad quem ancillæ pertinet vsusfructus, partum suum esse credens, vendiderit aut donauerit, furtum non committit: furtum enim sine affectu furandi, non committitur.

Lib. 4. tit. 8. *De seruis malefacientibus. lib. ij. tit. xxx.*

¶ Cap. 106.

Ex maleficiis seruorum: velut si furtum fecerint, aut bona rapuerint, aut damnum dederint, aut iniuriam commiserint, noxales actiones proditæ sunt, quibus Domino damnato permittitur aut litis æstimationem sufferre, aut hominem noxæ dedere. Noxa autem est corpus quod nocuit, id est seruus; noxia ipsum maleficium, velut furtum, damnum, rapina, iniuria. Summa autem ratione permissum est noxæ deditione perfungi. Namque erat iniquum nequitiam eorum vltra ipsorum corpora Dominis damnosam esse. Dominus noxali iudicio serui sui nomine conuentus, seruum actori quidem noxæ dedendo liberatur, nec minus perpetuum eius Dominium à Domino transfertur. Si autem damnum ei cui deditus est resarcierit, quæsita pecunia auxilio Prætoris inuito Domino manumittetur. *Item.* Si Dominus in seruum suum aliquid commiserit, nec si manumissus vel alienatus fuerit seruus, vllam actionem contra Dominum habere potest. *Aliquantò post.*

De his quæ filij acquirunt & serui. lib. ij. tit. xxix.

¶ Cap. 107.

Admonendi sumus acquiri nobis non solùm per nosmetipsos, verùm etiam per eas quoque personas, quæ in nostra potestate sunt: veluti per seruos nostros, & filios: vt tamen quod per seruos quidem nobis acquiritur, totum nostrum fiat: quod autem per liberos quos in potestate habemus, ex obligatione fuerit acquisitum, hoc diuidatur secundùm imaginem rerum proprietatis, id est vsusfructus quem nostra decreuit constitutio: vt quod ab actione commodum perueniat, huius vsumfructum quidem habeat pater, proprietas autem filio seruetur.

Exemplum iustæ vltionis, ne quis alienum seruum corrumpere vel solicitare præsumat, lib. iiij. tit. j. Tit. I.

¶ Cap. 108.

Illud quæsitū est, cùm Titius seruum Mæuij solicitauerit, vt quasdam res Domino surriperet, & ad eum perferret, & seruus id ad Mæuium pertulerit: Mæuius dum vult Titium in ipso deprehendere, permisit seruum quasdam res ad eum perferre: vtrùm furti, an serui corrupti teneatur Titius, an neutro. Et cùm nobis super hac dubitatione suggestum est, & antiquorum prudentium super hoc altercationes perspeximus, quibusdam neque furti neque serui corrupti actionem præstantibus, quibusdam furti tantummodò: nos huiusmodi calliditate obuiam euntes, per nostram decisionem sanximus, non solùm furti actionem, sed etiam serui corrupti contra eum dari. Licet enim is seruus deterior à solicitatore minimè factus est, & ideo non concurrant regulæ quæ serui corrupti actionem introducant: tamen consiliū corruptoris ad perniciem probitatis serui introductum est, vt sit ei pœnalis actio imposita, tanquam si re ipsa fuerit seruus corruptus: ne ex huiusmodi impunitate, & in alium seruum qui possit corrumpi tale facinus à quibusdam perpetretur.

De seruo cum quo negotiū gestum fuerit. Tract. vj. Tit. 7.

¶ Cap. 109.

Si iussu Domini cum seruo negotium gestum fuerit, in solidum prætor aduersùs Dominum actionem pollicetur: scilicet quia qui ita contrahit, fidem Domini sequi videtur.

De Dominis & seruis quomodò sese sibi conformare debeant. Prosper lib. ij. de vita contemplatiua cap. iij.

¶ Cap. 110.

Domini seruos velut eorum in Christo conserui, misericorditer tractent: & serui Dominis ita ex corde deseruiant, vt voluntatem non solum Dominorum suorum, sed etiam Dei hoc ipsum iubentis efficiant.

De hominibus Ecclesiastici iuris, ne testamenti sibi paginam faciant. Gelasius Honorio Episcopo.

¶ Cap. 111.

Illud etiam synceritatem tuam non latere 13. q. 2. c. Illud etiam.

volumus, ad nos fuisse perlatum, quòd ampliatus conductor, quem non solùm seruum constat Ecclesiæ, sed ita rationibus à multis temporibus implicatum, vt etiamsi esset ingenuus, donec ratiocinia cuncta deduceret, modis omnibus obnoxius haberetur: ausu temerario molitus fuerit condere paginam testamenti, cuius omne peculium Ecclesiastico iuri legibus non dubitetur obstrictum. Quapropter his præsumptionibus vice nostra, tua fraternitas contradicat, nec fieri prorsus aliqua surreptione permittat. Ac si eidem quicquam humanitatis fortè contigerit, quia grandæuus esse memoratur, mox eius sine dilatione substantiam vnanimitas tua filiis eius dumtaxat, quibus patrimonium probatur commissum, sub fideli descriptione contradat, donec temporibus vniuersis quibus hoc patrimonium gubernasse cognoscitur, partes dominicas cogatur reddere indemnes.

Ne quis seruum iudicet alienum. Thelesphorus Papa fratribus Episc.

¶ Cap. 112.

Rom. 14. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Proculdubio transgressor es legis Dei & Apostolorum atque Prophetarum, & non solùm harum, sed etiam humanarum. Omnes enim leges tam diuinæ quàm humanæ alienum seruum iudicare prohibent.

De eadem re vberius. Institutionum lib. iiij. tit. iiij.

¶ Cap. 113.

Seruis ipsis quidem nulla iniuria fieri intelligitur, sed Domino per eos fieri videtur. Non tamen iisdem modis quibus etiam per liberos & vxores. Sed ita cum quid latrocinij commissum fuerit, & quod apertè ad contumeliam Domini respicit: veluti si quis alienum seruum verberauerit: & in hunc casum actio proponitur. At si quis seruo conuicium fecerit, vel pugno eum percusserit, nulla in eum actio Domino competit. Si communi seruo iniuria facta sit, æquum est non pro ea parte qua Dominus quisque est, æstimationem iniuriæ fieri, sed ex dominorũ persona, quia ipsis fit iniuria. Quòd si vsusfructus in seruo Titij est, proprietas Mæuij, magis Mæuio fieri iniuria intelligitur. Sed si libero qui tibi bona fide seruit, iniuria facta sit, nulla tibi actio dabitur, sed suo nomine id experiri poterit, nisi in contumeliam tuam pulsatus sit: tunc enim competit & tibi iniuriarum actio. Idem ergo est & in seruo alieno bona tibi fide seruienti, vt toties admittatur iniuriarum actio, quoties in contumeliam tuam ei iniuria facta sit.

Quod plærumque illicitè oppressi Ecclesiæ patrocinium quærunt subiecti. Aug. super Ioan. parte j. Tract. xliiij.

¶ Cap. 114.

Aliquando illicito iugo & improbo subiecti fugiunt ad Ecclesiam, qua retinentur ingenui à seruitute. Interpellatur Episcopus, & nisi curet operam impendere me ingenuitas opprimatur, immisericors deputatur.

De rebus defuncti testatoris. Nouellarum Iustiniani Constitut. j. cap. i.

¶ Cap. 115.

Si quis parentem, vel filium, vel fratrem, vel patronum hæredem constituerit, & legatum siue fideicommissum ab eo legibus non incognitum alicui reliquerit, si quidem voluntatem defuncti scriptus hæres impleuerit, & sine frustratione legatum exoluerit, habeat firmiter hæreditatem defuncti, & iudicio potiatur eius, cuius euerti iudiciũ passus non est. Si autem reluctandum esse voluntati testatoris existimauerit, & legatario moras fecerit: intantùm vt etiam legatarius iudicem adeat, & victricem sententiam capiat: & tamen nihilominus hæres moras similiter faciat, & post iudicialem calculum, annale prætereat spacium: tunc solam legitimam portionem sibi debitam hæres institutus habeat, & & reliquam partem amittat.

Vt infra annum hæres legata soluat. cap. iiij.

¶ Cap. 116.

Intra annum modis omnibus relictum præstetur legatum: initium autem anni esse oportet illud tempus, quo iudiciali sententia reus admonitus est propter legati solutionem: anno autem transacto hæres qui legata non soluerit, hæreditatem testatoris amittat.

Quid creditorem agere oporteat, cui debitum die statuto non soluitur. Const. iiij. cap. i.

¶ Cap. 117.

Si quis crediderit alicui, & fideiussorem vel mandatorem acceperit, vel eum qui pecuniam pro eo constituerit, non priùs contra tales personas actiones moueat suas, quàm aduersùs ipsum reum principalem egerit, eumque inopem inuenerit vel in solidum, vel pro parte. Postquàm enim egentia laborare noscitur reus siue in solidum, siue pro parte, tunc contra fideiussores vel mandatores creditorem intendere oportet. *Item.* Hæc autem sic intelligenda sunt, vt nullam facultatem habeat creditor res vindicare, priusquàm personales actiones exerceat, tam contra ipsum reum principalem, quàm contra fideiussores eius & mandatores, eosque non soluendo esse appareat. Ibid. c. 2.

Qui mutuam acceperit pecuniam quid facere debeat, si pecuniam non habuerit quam reddat. cap. ij. Ibid. cap. 3.

¶ Cap. 118.

Si quis pecuniam mutuauerit, debitor autem pecuniam non habuerit, mobilem rem creditori præstet, si habet. Si autem rem mobilem non habeat, tunc immobilem rem suam si habet, vendere debet, & pecuniam debitam ex precio rei soluere. Sin autem emptorem non inueniat, tunc prædium quod optimum habet creditori suo præstet, & actione qua obstrictus est liberetur. Vbi autem emptorem prædij sui inuenerit, caueat creditori pecuniam debitam soluturum se, & post cautionem liceat ei constituere venditionis contractum. Creditoris autem appellatione significatur non solùm is qui mutuam dedit alicui pecuniam, sed etiam omnes qui aliquam actionem contra aliquem habent.

Quid fieri debeat de bonis capitaliter damnati. cap. x.

¶ Cap. 119.

Capitali crimine damnatorum bona, non ad lucrum præsidis perferri, sed cognatis punitorum reddi oportet.

Vt allegationes ligatorum permaneant vt sunt, donec princeps accipiat tempus iustitiam iudicandi. Constitutio xxiv. cap. ii.

¶ CAP. 120.

Si consultatio speretur, & princeps occupatus non possit senatum ad hoc ipsum colligere, allegationes litigatorum maneant in eadem figura, & nullum præiudicium patiantur, quamuis tempus statutum transactum sit, vsque eo videlicet donec princeps vacationem habens, senatores conuocauerit.

Vt lenones nusquam esse sinantur, immo & manuscripta eorum inania sint. Constitutio xxxi. cap. j. ¶ CAP. 121.

Constit. 14. §. item si quis. Hæc constitutio iubet neminem lenonem esse, neque in vrbe imperiali, neque in prouinciis: & hoc prohibere debent Prætores & Præsides. Vltimo enim supplicio subiiciuntur, qui contra constitutionis normam lenones esse ausi sunt. Omnia autem instrumēta & fideiussiones apud lenones interpositas, vel à lenonibus contra bonos mores factas, infirmas atque inualidas esse constitutio iubet.

Quo supplicio plectatur incestum matrimonium. Constitutio xxxij. cap. j.

¶ CAP. 122.

Const. 12. §. 1. Si quis nefarium & incestum atque damnatum matrimonium contraxerit, liberos autem ex priore legitimo matrimonio non habuerit, statim suis facultatibus careat, & dos quæ data est ei, fisci iuribus vindicetur. Post publicationem autem & cinguli sui patiatur amissionem, & exilio puniatur. Quod si vilior sit, & corporali quæstioni subsistat, & vxor eius contra leges nupta, easdem pœnas patiatur: scilicet si nulla iusta excusetur ignorantia.

Qualiter nepotes & neptes aui vel auiæ hæreditates inter se partiantur. Constitutio xxxiv. cap. iv. ¶ CAP. 123.

Constit 18. §. neque illo quidem. Si quis nepotes ex filio reliquerit & ex filia, nepotes vel neptes pariter ad hæreditatem ab intestato aui defuncti vocentur: & non minus tertiam partem sicut antè capiant, sed integram portionem consequantur, nepotes ex filia talem accipiant nati, qualem accipiunt nepotes ex filio procreati.

Eodem §. *Item*, Si auia decesserit nepotibus ex filio, & neptibus ex filia derelictis: omnes pariter ad hæreditatem auiæ suæ vocentur: & omnino nulla sit differentia, vtrùm omnes nepotes sint an neptes, vtrùm ex filio an ex filia procreati sint.

Quid patiatur debitor qui tempore redditionis voluerit frustrare creditorem. Constitutio xxxv. cap. iv. ¶ CAP. 124.

§ studium verò

** Haloand. Et hoc habentem suas literas, vt in ea comprobanda magis negotiis actor implicari cogatur. Ita quoque Græcus codex. Post pauca.*

Si quis prolata manu sua negauerit & dixerit talem scripturam suam non esse: * postea actor probatione vexetur, & aliis difficultatibus: vel si literas quidem suas agnouerit, dixerit autem pecuniam sibi numeratam à creditore non esse: in vtrumque casum conuictus, in duplo debitam quantitatem præstet. Quòd si Iudex contra præsentem legem iudicauerit, ipse pœnam actoris reddat. Si quis autem dixerit sibi nullam annumeratam esse pecuniam, postea autem confessus sit, & dixerit se etiam particulares solutiones soluisse, quamuis re vera persoluerit, attamen nihilominus integram sortem exoluat.

De muliere nubente intra annum luctus, vt infamis sit. ¶ CAP. 125.

Si mulier post mortem mariti necdum annali spacio completo, ad secundas properauerit nuptias: omni quidem modo inter infames erit. Sed si quidem liberos ex priori matrimonio non habeat, infamiam quidem soluere poterit, si preces Imperatori porrexerit, & diuino principis nutu priori opinioni restituta fuerit: res autem à priori marito sibi relictas nullo modo lucrabitur. *Const. 22. §. ac primæ.*

De muliere quæ secundò nubens, res filiis suis antè donatas retrahere tentauerit. cap. xxxiii.

¶ CAP. 126.

Si mulier liberis suis res quasdam donauerit, posteàque ad secundas peruenerit nuptias, & ingratitudinis velamento donationem semel à se factam reuocare maluerit: nullo modo hoc poterit facere, nisi specialiter probauerit, vel quòd vitæ eius filius insidiatus sit, vel quòd ei manus impias intulerit, vel quòd tales insidias concinnauerit, vt facultatibus suis totis priuaretur. *§. mater sanè.*

Quod mulier secundò nubens, priuilegia prioris mariti amittat. cap. xxiv.

¶ CAP. 127.

Mulier quæ ad secundas migrauerit nuptias, priuilegiis vel dignitatibus prioris mariti non vtitur. *§. neque item.*

De liberta patroni sui vxore. cap. xxv.

¶ CAP. 128.

Si liberta mulier patrono suo copulata nuptiis quidem eius renunciauerit, ad secundum autem matrimonium migrare voluerit: id facere inuito patrono non poterit, alioquin si contra voluntatem eius nupserit, non fiunt nuptiæ, sed vt meretrix coniuncta esse videtur. *§. huiusmodi eleganter autem.*

De muliere quæ liberorum suorum tutelam assumens, denuo nubere vult. caput xxvii.

¶ CAP. 129.

Si mulier liberorum suorum tutelam administrauerit, & post inchoatam administrationem ad secundas voluerit migrare nuptias: prius filiis suis impuberibus tutorem petere debet, eique administrationis suæ rationem reddere, & pòst reddita ratione si debitrix appareat, debitum suum persoluere debet: deinde si velit, ad matrimonium secundum perueniat. Si autem hac obseruatione contempta secundas contraxerit nuptias, non solùm res ipsius, id est matris, liberis eius hypothecæ titulo supponatur, sed etiam res vitrici ex præsentis constitutionis authoritate. *§. adhæc si tutelam.*

De muliere quæ intra annum luctus citra matrimonium conceperit, vt perinde infamis sit ac si nupsisset. Constit. xxxviii. c. ij.

¶ CAP. 130.

Si mulier defuncto marito antequam annus legitimus transeat, ad secundas nuptias non *Const. 39. §. fin.*

migrauerit, more autem meretricum ab aliquo ſtuprata conceperit & pepererit, vt ſit clarum id quod natum eſt defuncti mariti non eſſe: eaſdem pœnas patiatur, quas ex ſuperiori conſtitutione patitur ea, quæ antè tempus legitimum nuptias ſecundas contraxerit.

Quales teſtes adeſſe oporteat hæretico contra hæreticum, vel orthodoxo contra hæreticum, aut certè catholicis inuicem litigantibus. Conſtitutio xlij. cap. ij.

¶ CAP. 131.

Conſtit 45. §. fin. Si hæreticus contra hæreticum litiget, liceat cuiuis eorum hæreticum teſtem adducere. Sin autem orthodoxus contra hæreticum litiget, pro orthodoxo quidem hæretici etiam teſtimonium valeat: contra orthodoxum autem ſolius orthodoxi teſtimonium valeat. Orthodoxis autem litigantibus, ad teſtimonium nullus hæretico pateat aditus.

Quod ad dirimendam partium controuerſiam vnum ſufficiat iuſiurandum. Conſtitutio xlv. cap. ij.

¶ CAP. 132.

Conſtit. 50. § fin. Omnes litigatores poſtquàm iuſiurandum ſuum addunt, quia non delationis nec calumniæ cauſa, nec vexandi aduerſarij gratia probationes in tota cauſa ab aduerſario ſuo exigant: nam antea in vnoquoque capitulo, cum litis litigator ab aduerſario ſuo probationes exegiſſet, iurare compellebatur, quòd non calumniæ cauſa complura ſacramenta præſtaret: ideoque vnum iuſiurandum ſufficiat.

Iudiciariè conuentus quanto ſecum ſpatio deliberare debeat, & ne quis iudicem ſpernat. Conſtitutio xlviij. cap. iij.

¶ CAP. 133.

Conſtit. 53. §. ſed & illud ſub finem. §. vbi verò. Si quis ex ſententia iudicis admonitus fuerit, habeat poſt admonitionem xx. dierum ſpatium. *Item.* Intra viceſimum diem litis conteſtatio facta nullius momenti eſt. Si quis autem iudicem recuſauerit, & alium pro eo petierit, eúmque iterum recuſare maluerit, vt aliquem ſibi iudicem petat, non audiatur.

Quid pati debeat qui debitorem ſuum ægrotantem moleſtare, vel defuncti funus impedire præſumpſerit. Conſtitutio lij. cap. j.

¶ CAP. 134.

Si quis debitorem ſuum ægrotantem & periclitantem mori, moleſtare voluerit pro debito ſuo, non liceat ei hoc facere: cùm neque vxori eius, neque liberis aliquã inquietudinem afferre permittatur, neque ſigna ædibus eius imponere, * niſi poſt mortem debitoris conſiſtente, iudicialis calculus probatus fuerit, & legitima ordinatio ſecuta ſit: ſed neque mortuo debitore deductionem eius, & funus impediat. Si enim tale aliquid perpetrauerit ſuis actionibus cadit, ſiue iuſtas habeat intentiones, ſiue non: & non ſolùm debitam ſibi quantitatem amittat, ſed etiam alterum tantum hæredibus eius pro iniuria defuncti præſtare compellatur: & non ſufficiunt iſtæ penæ, cum & tertia pars bonorum eius publicetur, & ipſe infamia notetur.

* Haloand. non prius decreto & legitimo ordine poſt eius mortem, qui debere dicebatur cuſtodito.

De tutoribus pupillorum. Conſtit. lxiij. cap. j.

¶ CAP. 135.

Conſtit. 72. §. fin. Ab initio antequàm adminiſtrationi ſe immiſceant tutor vel curator cuiuſuis perſonæ, ſacramentum præſtare compellitur per diuinas ſcripturas, quòd omnia geſturus eſt quæ pupillo commoda eſſe putauerit. Eadem dicimus & de iis qui curas egerint.

De his qui res ſuas apud alios deponunt. Conſtitutio lxiv. cap. j.

¶ CAP. 136.

Si quis depoſitum in alicuius cautelam dare voluerit, neceſſarij ſunt ei tres teſtes. Nam literæ depoſitarij ſolæ non ſufficiunt depoſitori, ad pleniſſimam depoſiti dati probationem. Teſtimonia autem ſic exhiberi oportet: vt dicant teſtes quòd ſub præſentia ſua vel ſuſceptum eſt depoſitum, vel quòd depoſitarius ſuſcepiſſe conſcripſit. *Conſt. 73. §. ſi quis igitur.*

Quæ cautela conficienda ſint inſtrumenta. cap. ij.

¶ CAP. 137.

Si quis ſine tabellione componere inſtrumentum maluerit, ſiue de mutuo, ſiue de depoſito, ſiue de aliqua quacunque cauſa, tres teſtes adhibeat. Alioquin literæ ipſius ſolæ credendæ non ſunt. Nulla autem differentia eſt, vtrùm ſubſcripſiſſent teſtes, an præſentibus eis inſtrumentum compoſitum eſſet. *Poſt pauca.*

Item de eodem, cap. v.

¶ CAP. 138.

Inſtrumenta quoque quæ apud tabelliones componuntur, ſubſcriptione teſtium ſicut dictum eſt, muniri præcipimus ante completionem ſcilicet à tabellione inſertam. *§. Sed & ſi inſtrumenta.*

Quomodo manifeſtanda ſit veritas abſque ſcriptura, cap. x.

CAP. 139.

Si ſine ſcriptura aliqui contraxerint, liceat eis vel teſtimoniis vel iuriſiurandi religione veritatem manifeſtare: ſcilicet actore quidem teſtes producente. *§. fin. ibi, Nam ſi quis.*

Quod à principe confirmari debeat filiis teſtamentum defuncti patris naturalis. Item.

¶ CAP. 140.

Liceat patri in teſtamento ſuo legitimos ſucceſſores ſibi ſcribere filios naturales: vt tamen illi poſt mortem parentis ſupplicent Imperatori, & teſtamentum patris oſtendant, & principe annuente intantum capiant paternitatem, inquantum ſcripti ſunt. *Conſt. 74. §. Sit igitur licentia.*

Quomodo filij naturales efficiantur legitimi. Item.

¶ CAP. 141.

Legitimis filiis natis non aliter legitimi naturales fiunt, niſi dotalia inſtrumenta pater cum matre eorum confecerit. *Poſt pauca.*

Matrimonium conſenſu contrahi, etiam ſine dotis promiſſione aut ſcriptura alia. Conſtitutio lxv.

¶ CAP. 142.

Si quis diuinis tactis ſcripturis, iurauerit mulieri legitimam ſe eam vxorem habiturum, vel ſi in oratorio tale ſacramentum dederit, ſit illa legitima vxor, quamuis nulla dos, nulla ſcriptura alia interpoſita ſit. *§. illud quoque ibi. quoniam autem.*

Quòd ei liceat Epiſcopum appellare, cui prouinciæ præſes fuerit infenſus. Conſtit. lxvj. Cap. ij.

¶ CAP. 143.

Si cui Præſes prouinciæ ſuſpectus eſſe videtur,

tur, & litigare apud eum solum noluerit, liceat ei ad Episcopum inuocare: vt cum ipso considente causam audiat, & vel amicali compositione litigatores transigere faciant, vel cognitionaliter: ita tamen vt sententia legibus consentanea imponatur.

De liberto qui patrono suo fuerit ingratus. Constit. lxix. cap. j. ¶ CAP. 144.

nst. 78. §. timus. Si libertus circa patronũ suum ingratus fuerit, rescindi debet libertas. Cauere autem oportet ingratitudines quæ legibus cognitæ sunt: veluti si libertus manus suas cõtra patronum moueat, vel si contumelias atroces ei fecerit, vel si magnum & intolerabile damnum ei dederit, id est si ad dedecus eius pertinentes iniurias effuderit: si enim horum aliquid patronus vel liberi eius probauerint, ad pristinum statum conuictus libertus reuertitur.

Ancillam si dominus manumiserit & vxorem duxerit, etiam filij eius liberi sint, quos de eo adhuc in seruitute genuit. cap. iij.

¶ CAP. 145.

Si quis libertam suam vxorem ducere voluerit, dotalia instrumenta cum ea componat, & habebit legitimam vxorem, quamuis ipse summa dignitate præfulgeat. Et si liberi ex tali connubio procreati fuerint, legitimi successores patri suo succedunt. *Cap. iiij.* Si quis ex ancilla sua liberos habuerit, eámque manumittere velit, & dotalibus instrumentis factis vxorem legitimam habere, compositione instrumentorum dotalium liberi eius manumitti videntur.

De eo qui cum monachis & sanctimonialibus causam habuerit. Constitutio lxx. cap. j.

¶ CAP. 146.

Si quis cum monachis aut sanctimonialibus habeat litigium, non audeat monachum vel sanctimonialem ad ciuilem iudicem accusare vel trahere: sed magis adeat ciuitatis Episcopum. Ille enim æstimabit vtrùm repræsentari* principalis persona debeat, an per œconomos, vel apocrisiarios defendi, cum omni scilicet honestate: ita vt Episcopus legibus & canonibus consentaneam sententiam proferat.

*principali sonæ.

Quomodo sententia proferatur. Constit. lxxiij. cap. vi. ¶ CAP. 147.

Iudices sententiam scriptis dicant, & prouocationes condemnato non denegẽtur, nisi fortè ter appellare aliquis maluerit, vel contumax in absentia fuit: nam & tertia prouocatio præiudicata est, & contumaces condemnati appellare non possunt.

Ne cum litigatorum sacramento arbiter eligatur. cap. xij. CAP. 148.

In summa constituimus posthac licitum non esse, vt cum sacramento litigatorum arbiter eligatur. Etsi enim suam contra ius sententiam dederit, ipse denuo rationem daturus est.

Qualiter lites componi debeant. cap. xiv.

¶ CAP. 149.

Omnes lites secundùm leges & constitutiones dirimantur, quamuis iussio nostra vel pragmatica sanctio contrarium statuerit.

Quid faciat qui contra clericum querimoniam habuerit. Constitutio lxxiij. cap. j.

¶ CAP. 150.

Si quis cum clerico litigium habuerit, si quidem de causa pecuniaria, adeat priùs Episcopũ, cuius iudicio clericus suppositus est. Ille autem sine damno, sine dilatione, competentem finem liti impositurus est. Sin autem noluerit Episcopus litem dirimere, tunc ad ciuiles Iudices disceptatio causæ perueniat. Vbi autem causam dirimere Episcopus vult, sine scriptura omnia procedant, & definitiua sententia ab eo sine scriptis inferatur. Quòd si de criminali causa litigium emerserit, tunc competentes interpellati consentaneum legibus terminum causæ imponant: ita tamen, vt disceptatio litis duorum mensium spatium non excedat, à litis contestatione numerandum. Non aliter autẽ puniatur clericus, nisi obnoxius repertus sacerdotio nudatus fuerit ab Episcopo suo, vel clericatus honore. Sin autem crimen ecclesiasticum est, tunc secundùm canones Episcopo soli causæ examinatio, & pœna procedat, nullam communionem aliis iudicibus in huiusmodi causis habentibus.

Neminem posse plures concubinas simul habere. Constit. lxxix. ¶ CAP. 151.

Nemo intelligatur concubinam habere, qui cum multis mulieribus concumbere solet. Nam quemadmodum qui legitimam vxorem habet, aliam habere durante eodem matrimonio non potest: ita & qui vnam concubinam habet, non potest alias eo tempore habere.

Quod non sit audiendus testis, nisi probabilis vitæ, & quomodò indicandæ sint tergiuersationes debitorum. Constit. lxxx. cap. j. CAP. 152.

Nullius recipiatur testimonium, nisi eius qui sit bona opinione, vel quem dignitas commendat, vel militia, vel vitæ honestas, vel artis titulus laudabilis, vel etiam aliorum testium vox, de bona vita eius consentiens. Alius autem testis vilissimus si productus in iudicio fuerit, liceat iudici si hoc æstimauerit, tormentis eum subigere. Si quis autem scripserit se debere alicui pecuniam, postea autem dicat se sine scriptis eam soluisse: non audiatur quamuis testes produxerit, nisi secundùm obseruationem nostræ constitutionis: sic tamen, vt testes duorum alterum dicant, vel quòd præsentibus ipsis & ad ipsum rogatis debitor creditori pecuniã soluit: vel quòd ad hoc ipsum accepti audierint creditorem dicentem, pecuniam sibi solutam fuisse. Non admittimus autem testimonia eorum, qui dicere solent transeuntes se audisse aliquem dicentem, pecuniam sibi solutam esse: sed nec tabulariorum sola præsentia sufficit, nisi testes quoque rogati subscripserint. *Item.* Plurium & bonorum testimonia sequi oportet, & eos qui contraria dixerint si quidem per errorem, conuenit admittere: sin autem per astutias aliquas, tormentis subiicere.

Testis qui putatur ingenuus, quando seruus fuerit comprobatus, testimonium eius nihil valere. cap. iv.

¶ CAP. 153.

Si testis productus seruus esse dicatur, ille autem dicat se liberum esse, siquidẽ ingenuum: scribatur quidem testimonium eius, postea autẽ

si probatus fuerit seruus, nullius momenti sit. Sin autem libertinum se esse dixerit, siquidem instrumentum manumissionis suæ ostenderit, dicat testimonium: sin autem in alio loco dicat instrumenta sui status habere, scribatur quidem testimonium eius: postea autem si non produxerit instrumenta, nullius momenti sit.

Testem non audiendum, quem inimicum eius esse claruerit, contra quem productus est. Cap. v. ¶ Cap. 154.

Si quis dixerit testem productum inimicum suum esse, si quidem ex criminali causa, omnino non dicat testimonium. Sin autem ex alia occasione, dicat testimonium, sed præscriptio eius ei opponatur.

De eo qui se mediatorem partium profitetur.

¶ Cap. 155.

Si quis mediatorem partium se dixerit, ideóque se non oportere in dubium testimonium in alterutrum eorum dicere, illi autem consenserint vt producatur: consequens est vt in hoc casu etiam inuitus testimonium dicat.

Vt testes non producantur nisi præsentibus aduersariis. Cap. vij. ¶ Cap. 156.

Testium productio non aliter habeatur, nisi præsente quoque aduersaria parte, vel contumaciter non veniente: scilicet vt salua ei præscriptio competat, quam opponendam existimauerit. Contumaciter autem non videtur abesse, qui ex necessitate abfuit, fortè enim intra loca sanctorum fugerat.

De muliere quæ post obitum viri filiorum tutelam acceperit. Constit. lxxxiiij. cap. j.

¶ Cap. 157.

Si mater marito defuncto filiorum suorum tutelam gubernare maluerit, renunciet secundis nuptiis in iudicio sine iusiurando: res autem suas impuberi filio suo obliget, atque ita ei tutela committatur.

Vt nullus qui ecclesiæ non communicat, functiones publicas agat. Constitutio xcix. cap. j.

¶ Cap. 158.

Nullus hæreticus militet, vel curas publicas gerat. *Item.* Omnino eos qui non communicant in ecclesia hæreticos vocamus, quamuis nomen Christianorum vsurpent.

Maritus accusaturus vxorem adulterij, necesse habeat inscribere. Constit. cv. cap. vij.

¶ Cap. 159.

Si in adulterio maritus putauerit suam vxorem conuinci: priùs debet inscriptiones depónere vel contra mulierem vel contra adulterum, & si talis accusatio vera comprobata fuerit, tunc repudium mittat.

Quando mulier repudiū mittat marito. cap. viij.

¶ Cap. 160.

Si vitæ mulieris quocunque modo insidiatus fuerit maritus, vel si aliis hoc faciētibus cōscius, non manifestauerit mulieri, & secundùm leges eam non vindicauerit, si castitati mulieris insidiatus fuerit, vel aliis eam in adulterium prodere conatus fuerit: item si maritus ei de adulterio inscriptiones posuerit, & adulteriū probare nōn poterit: liceat mulieri repudium mittere marito. *Item.* Illis pœnis subjiciatur maritus si adulterij accusationē non probauerit, quas mulier passura fuisset si conuicta fuisset. *Item.* Si in eadē domo in qua mulier cum ipso habitat, contemnens eam cum alia muliere inueniatur in domo manens, vel in eadem ciuitate degens in alia domo cum alia muliere frequenter manens conuincatur: & semel & bis criminatus, vel per parentes suos, vel per parentes mulieris, vel per alias idoneas personas huiusmodi turpitudine nisi abstinuerit, liceat mulieri dissoluere nuptias.

Quomodò maritus aduersùs eum quem habet suspectum adulterij procedere debeat. cap. xiv.

¶ Cap. 161.

Si quis suspicatus fuerit de aliquo velle eum pudori vxoris suæ illudere, liceat ipsi marito testationes in scriptis habitas ad suspectum hominem mittere, & ter ei denunciare per ipsas testationes & idoneos testes continentes, ne cum vxore sua inueniatur: & si post tres testationes in scriptis habitas, & idoneos homines habentes, inuenerit eum quem contestatus est, cum vxore sua, vel in sua domo vel in domo mulieris, vel in domo illius adulteri, vel in popina vel in prastino, liceat marito sine vllo periculo manibus suis eum occidere. Sin autem in alio loco deprehenderit eum colloquium habentem cum vxore sua: conuocatis idoneis testibus tribus, per quos possit probare apud Iudicem inuenisse eum cum vxore sua colloquium habentem, tradat eum iudici: & si iudex inuenerit post tres testationes hominem suspectum collocutum mulieri fuisse, nullo alio exquisito, quasi adulterum puniat.

De eadem re. cap. xv.

¶ Cap. 162.

Si post tres contestationes inuenerit maritus vxorem suam in sacro loco cum suspecto homine colloquium habentem, tradat eos ecclesiæ defensori vel aliis clericis, vt separatim custodiantur in periculo defensoris vel clericorum, vt auditos Iudex mittat ad religiosum ciuitatis Episcopum, & authoritate ipsius accipiat eos, & pœnis contra adulteros positis vtrosque afficiat, nullo alio requisito, si post tres contestationes inuentus est cum muliere locutus. Est autem iustissimum neque adulteros, neque raptores mulierum sacrorum septis vindicari: & multò magis si quis de ipso adulterio intra sacra alienæ mulieri locutus est. Et generaliter definimus, si quis inuenerit vxorem, vel filiam, vel neptem, vel nurum deprehenderit cum aliquo colloquium habentem, & suspicatus fuerit turpitudinis causa eos conuenisse: liceat ambos tradere defensori ecclesiæ vel aliis clericis, periculo eorum separatim custodiendos, donec Iudici innotescere fecerit, & ille secundùm leges personas acceperit, & causam discusserit.

De his qui ad iudicium venire aliqua necessitate impediuntur. Pandectarum libro. Lib. 2. tit. 11. l. 2. §. si quis iudicio.

¶ Cap. 163.

Si quis iudicio se sisti promiserit, & valetudine, vel tempestate, vel vi fluminis prohibitus se sistere non possit, exceptione adiuuatur. *Item.* Quòd diximus succurri ei etiam qui tempestate aut vi fluminis prohibitus non venit: tempesta- Paulò post. §. quod diximus.

tem sic intelligere debemus siue maritima siue terrestris sit, tempestatémque intelligere debemus talem, quæ impedimento sit itineri vel nauigationi. Vis fluminis etiam sine tempestate accipienda est. Vim fluminis intelligimus, si magnitudo eius impedimento sit, siue pons solutus sit, vel nauigium non stetit. Si quis tamen cum posset non incidere in tempestatem vel in fluminis vim, si an è profectus esset, vel tempore oportuno nauigasset, ipse se actauerit, nunquid exceptio ei minimè prosit? quod quidem causa cognita erit statuendum. Nam neque sic artandus erit, vt possit ei dici, cur non multo tempore antè profectus est, quàm dies promissionis veniret? Neque iterum permittendum est ei, si quid sit quod ei imputetur, causari tempestatem vel vim fluminis. Quid enim, si quis cùm Romæ esset ipso tempore promissionis sistendi, & nulla necessitate vrgente, voluntatis causa in municipium profectus sit: nonne indignus est cui hæc exceptio patrocinetur? Aut quid si tempestas quidem in mari fuit, terra autem iste potuit venire, vel flumen circuire? Æquè dicendum est nō semper ei exceptionem prodesse, nisi angustiæ non patiebantur terra iter metiri vel circuire, cùm tamen vel flumen sic abundasset, vt impleset omnem locum in quo sisti oportuit: vel aliqua fortuita calamitas eundem locum euertit, vel præscientiam venienti periculosam fecit: ex bono & æquo & hic exceptio ei accommodāda est. Simili modo exceptio datur ei, qui cum ad iudicium venire volebat, à magistratu retentus est, & retentus sine dolo malo ipsius. Nam si ipse hoc affectauit, vel causam præstiterit, non ei proderit exceptio, sed ipsi quidem dolus eius oberit, cæterorum non oberit qui malo dolo fecerunt vt retineretur: sed si priuatus eum detinuerit, nullo modo ei proderit hæc exceptio. *Item.* Si funere quis domestico impeditus non venit: debet ei exceptio dari. *Ibid l. 4. §. illud.*

Item, de ferijs. ¶ Cap. 164. *Lib. 2. tit. 12. l. 1.*

Ne quis messium vindemiarúmque tempore aduersarium cogat ad iudicium venire, oratione diui Marci exprimitur: quia occupati circa rem rusticam in forum compellendi non sunt. Sed si Prætor aut per ignorantiam vel socordiam euocare eos perseuerauerit, hi qui sponte venerint, siquidem sententiam dixerint, præsentibus illis & sponte litigantibus sententia valebit: tametsi rectè non fecerit, qui eos euocauerit. *Item.* Solet etiam messis, vindemiarúmq; tempore ius dici de rebus quæ tēpore vel morte perituræ sunt: veluti furti, damni, iniuriæ, iniuriarum atrocium quæ de incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata rapuisse dicūtur, & si quæ similes sunt. *Ibid. l. 3.*

De pactis. Cap. 165. *tit. 14. l. 17. pacta quæ. Ibid l. 28.*

Pacta quæ turpem causam continent, non sunt obseruanda. *Item.* Contra iuris ciuilis regulas pacta conuenta, rata non habentur.

Item, Contrahentem matrimonium illicitum, infamem fieri. ¶ Cap. 166. *Lib. 3. tit. 2. l. 13. §. cum autem.*

Si cum ea quis nuptias vel sponsalia constituat, quam vxorem ducere vel non potest, vel fas non est, erit notatus.

De solutionibus. ¶ Cap. 167. *tit. 5. l. 39.*

Soluendo quisq; pro alio licet inuito & ignorante, liberat eum. Quod autem alicui debetur, alius sine voluntate eius nō potest iure exigere.

De eo quod metus causa fit. ¶ Cap. 168. *Lib. 4. tit. 2. l. 1.*

Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo. *Item.* Vim accipimus atrocem, & eam quæ aduersùs bonos mores fiat: non eam quam magistratus rectè intulit, scilicet iure licito, & iure honoris quem sustinet. Metum autem præsentem accipere debemus, non suspicionem inferendi eius. Metus autem causa abesse videtur, qui iusto timore mortis, vel cruciatus corporis conterritus abest. *Ibid l. 3. §. sed vim. Ibid l. 9. Lib. 4 tit. 6. l. 3.*

Quis reipublicæ causa absit. Cap. 169. *Lib. 4. tit. 7. l. 26.*

Reipublicæ causa eos solos abesse intelligimus, qui nō sui commodi causa, sed coacti sunt.

Ne quis sit iudex vel arbiter in re propria. ¶ Cap. 170. *Lib. 4. tit. 8. l. 56.*

Item. Si de re sua quis arbiter factus sit, sententiam dicere non potest.

Nautæ, caupones, stabularij, vnde mercedem accipiant. Cap. 171. *Lib. 4. tit. 9. l. 5.*

Nauta, & caupo, & stabularius mercedem accipiunt non pro custodia: sed nauta vt traijciat vectores, caupo vt viatores manere in caupona patiatur, stabularius vt permittat iumenta apud eum stabulari: & tamen custodiæ nomine tenetur, nam & fullo & sarcinator non pro custodia, sed pro arte mercedem accipiunt: & tamen custodiæ nomine ex locato tenentur.

Quod securus sit qui alienum seruum sibi insidiantem occiderit, & de quibusdam aliis. Lib. ix. tit. ij. *Lib. 4.*

¶ Cap. 172.

Itaque si seruum tuum latronem insidiantem mihi occidero, securus ero. Nam aduersùs periculum naturalis ratio permittit se defendere. Lex duodecim tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit: vt tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdum autem deprehensum ita permittit occidere, si is & telo defenderet, vt tamen æquè testificetur. *Item.* Qui occiderit adulterum deprehensum seruum alienum, hac lege non tenebitur. *Item.* Si quis in stipulam suam, vel spinam, comburendæ eius causa, ignem immiserit, & vlteriùs euagatus & progressus ignis alienam segetem vel vineam læserit, inquiramus num imperitia eius aut negligentia id accidit: nam si die ventoso id fecerit, culpæ reus est. Nam & qui occasionem præstat, damnum fecisse putatur. In eodem crimine est, & qui non obseruauit ne ignis longiùs procederet. At si omnia quæ oportuit obseruauit, vel subita vis venti ignē longiùs produxit, caret culpa. *Item.* Qui pecus alienum in agro suo deprehenderit, non iure id includit, nec agere illud aliter quàm (vt supra diximus) quasi suum, sed abijcere debet sine damno, vel admonere dominum vt suum recipiat. *Ibid. l. 30. Ibid §. in hac quoque. Ibid. l. 39.*

Quod dominus quoque culpabilis sit, quo sciente seruus aliquem occiderit. Titulo iiij. *Lib. 2.*

¶ Cap. 173.

Si seruus sciente domino occidit, in solidum dominum obligat: ipse enim videtur dominus occidisse. Si autem insciente eo, noxalis est actio: nec enim debuit ex maleficio serui in plus teneri, quàm vt noxæ eum dedat.

De condictione, causa data, causa non secuta.
¶ Cap. 174.

Item. Ob rem igitur honestam datum ita repeti potest, si res propter quam datum est secuta non est. Quòd si turpis causa accipientis fuerit, etiamsi res secuta sit, repeti potest.

Lib. 18. *Quod mandare intelligitur, qui mandari ab alio patitur vt sibi credatur. Lib. xvij. tit. j.*
¶ Cap. 175.

Qui patitur ab alio mandari vt sibi credatur, mandare intelligitur.

Nullius momenti esse societatem dolo ac fraude compositam. Tit. ij. Lib. 3. §. societas.
¶ Cap. 176.

Societas si dolo malo, aut fraudandi causa coïta sit, ipso iure nullius momenti est: quia fides bona contraria est fraudi & dolo. *Item.* Ibid. l. 53.
Quod autem ex furto, vel ex alio maleficio quæsitum est, in societatem non oportere * conuerti, palam est: quia delictorum turpis ac fœda communio est. *Item.* Si maleficij societas coita sit, constat nullam esse societatem. Generaliter enim traditur rerum inhonestarum nullam esse societatem.
* conferri. Lib. 57.

Non esse fugitiuum qui ad amicum deprecaturus confugerit. Lib. xxj. tit. j. Lib. 43. §. qui ad amicum.
¶ Cap. 177.

Qui ad amicum deprecaturus confugit, non est fugitiuus: immo si ea mente vt non impetrato auxilio domum non reuertatur, non est fugitiuus.

Rem non alienari quæ minoris venditur quam mandatur. Tit. ij. ¶ Cap. 178.

Si quis rem meam vendidit minoris quam mandaui, non videtur alienata.

Ad quem probatio causæ pertineat. Lib. xxij. tit. iij. Cap. 179.

Ei incumbit probatio qui dicit, non qui negat.

Lib. 4. *Qui testes sint cogendi, vel non. Tit. v.*
¶ Cap. 180.

Ne inuito denuncietur, vt testimonium litis dicat aduersùs socerum, generum, vitricum, priuignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eósue qui priori gradu sint. Item ne liberto ipsius, liberorum eius, parentum, viri, vxoris. Et ne patroni vel patronæ, aduersùs libertos, neque liberti, aduersùs patronum cogantur testimonium dicere.

Lib. 6. *Qui testes non sint idonei.* Cap. 181.

Item. Idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest vt testes fint. *Item.* Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est. *Item.* Qui falsò vel variè testimonia dixerunt, vel vtrique parti prodiderunt, à iudicibus puniuntur. *Item.* Pater & filius qui in potestate eius est: item duo fratres qui in eiusdem patris potestate sunt, testès vtrique in eodem testamento, vel eodem negotio fieri possunt: quoniam nihil nocet ex vna domo plures testes alieno negotio adhiberi. *Item.* Ex eo quòd prohibet lex Iulia de adulteriis testimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur etiam mulieres testimonium in iudicio dicendi ius habere.
Lib. 9. Ibid. l. 16. Ibid. l. 17. Ibid. l. 18.

Qualiter sponsalia fieri debeant. Item lib. xxiij. Tit. 1. l. 11.
¶ Cap. 182.

Sponsalia, sicut nuptiæ, consensu fiunt contrahentium: & ideo sicut nuptiis, ita sponsalib. filiamfamilias consentire oportet. *Item.* Quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. Tunc autem dissentiendi à patre licentia conceditur, si indignus moribus, vel turpis sponsus ei à patre eligitur. Lib. 12.

Item, de diuersa qualitate & conditione nubentium. ¶ Cap. 183. Lib. 13.

Filiofamilias dissentiente, sponsalia eius nomine fieri non possunt. *Item.* In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, vt in matrimoniis. Quapropter à primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modò id fieri ab vtraque persona intelligatur: id est, si non sint minores quàm vij. annis. *Tit. ij.* Furor cōtrahi matrimonium non sinit, quia consensu opus est: sed rectè contractum non impedit. *Item.* In liberæ mulieris consuetudine, non concubinatus, sed nuptiæ intelligēdæ sunt, si non corpore quæstum fecerit. *Item.* Quæ in adulterio deprehensa est, quasi publico iudicio damnata est. Proinde si adulterij condemnata esse proponatur, non tantùm quia deprehensa est, erit notata, sed quia & publico iudicio damnata. Generaliter definiendum est, donec certum est maritum viuere in captiuitate constitutum, nullam habere licentiam vxores eorum migrare ad aliud matrimonium.
Lib. 14. Lib. 16. §. furor. Lib. 24. Lib. 43. §. quæ in adulterio.

Diuturnos mores plerumq; pro iure teneri. Instit. lib. j. tit. ij. ¶ Cap. 184.

Ex non scripto in ius venit, quod vsus probauit. Nam diuturni mores consensu vtentium comprobati, legem imitantur. *Item.* Ea quæ ipsa sibi quæque ciuitas constituit, sæpe mutari solent, vel tacito consensu principis, vel alia postea lege lata.
§. ex non scripto. Paulò post.

De his qui de vtrisque parentibus ingenuis, vel diuersa conditione generantur. Tit. iiij.
¶ Cap. 185.

Ingenuus is est, qui statim vt natus est, liber est, siue ex duobus ingenuis matrimonio æditus, siue ex libertinis, siue ex altero libertino & altero ingenuo. Sed & si quis de matre libera nascitur patre seruo, ingenuus nihilominus nascitur: quemadmodum qui ex matre libera & incerto patre natus est, quoniam vulgò conceptus est. Sufficit autem liberam habuisse matrem eo tempore quo nascitur, licet ancilla conceperit. Et econtrariò si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, placuit eum qui nascitur, liberum nasci: quia non debet calamitas matris ei nocere qui in vtero est. Ex his & illud quæsitum est, si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta peperit, liberum an seruum pariat. Marcellus probat liberum nasci: sufficit enim ei qui in ventre est, liberam matrem vel medio tempore habuisse: quod & verum est. §. Ingenuus.

Quod aquè puniri debeat qui sine causa propriū, quam qui alienum seruum occiderit, & varia causatio de fugitiuis seruis. Tit. viii. lib. j.
¶ Cap. 186.

Apud omnes peræquè gentes animaduertere possumus, dominis in seruos vitæ necisque po- §. nam apud omnes.

testatem esse: & quodcunque per seruum acquiritur, id domino acquiri.

Item. Qui sine causa seruum suum occiderit, non minus puniri iubetur, quàm qui seruum alienum occiderit. Pius Antoninus consultus à quibusdam præsidibus prouinciarum, de his seruis qui ad ædem sacram, vel statuam principum confugiunt, præcepit, vt si intolerabilis videatur dominorum sæuitia, cogantur seruos bonis conditionibus vendere, vt pretium dominis detur. Et rectè, expedit enim Reipub. ne quis re sua malè vtatur. Cuius rescripti ad Ælium Martianum emissi verba hæc sunt, Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, ne cuiquam hominum ius suum detrahatur: dominorum interest, ne auxilium contra sæuitiam, vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur ijs qui iustè deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum qui ex familia Iulij Sabini ad statuam confugerunt: & si vel duriùs habitos quam æquum est, vel infami iniuria affectos cognoueris: vendere iube, ita vt in potestatem domini non reuertantur.

sed hoc tempore. est pauca.

Quod plures ex vna domo testes alieno negotio adhiberi possint. Libro ij. titulo x.

¶ Cap. 187.

Duo fratres qui in eiusdem patris potestate sunt, vtrique testes in vno testamento possunt fieri: quia nihil nocet ex vna domo plures testes alieno negotio adhiberi. In testibus autem non debet esse qui in potestate testatoris est.

pater.

Quinam testamenta facere possint. Lib. ij. tit. xij. ¶ Cap. 188.

Non omnibus licet facere testamentum: statim enim ij qui alieno iuri subiecti sunt, testamenti faciendi ius non habent. *Item.* Testamentum facere non possunt impuberes, quia nullum eorum animi iudicium est. Item furiosi, quia mente carent. Neque ad rem pertinet, si impubes postea pubes factus, aut furiosus postea compos mentis factus fuerit, & decesserit. Furiosi autem si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, iure testati esse videntur. Item surdus & mutus non semper testamentum facere possunt. Vtique autem de eo surdo loquimur, qui omnino non exaudit: non qui tardè exaudit. Nam & mutus is intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tardè loquitur.

non tamen. praeterea testamentum. item surdus.

De filiis ancillæ quos de domino suo fortè genuerit, & postmodùm manumissa & legitimè copulata, alios liberos procreauerit. Libro ij. tit. ij. ¶ Cap. 189.

Si quis mulierem in suo contubernio copulauerit, non ab initio affectione maritali, ea tamen cum qua potuerit habere coniugium: & ex ea liberos sustulerit, postea verò affectione procedente etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, filiósque vel filias habuerit: non solùm eos liberos qui post dotem æditi sunt, iustos, & in potestate esse patris, sed etiam anteriores, quia & iis qui postea nati sunt occasionem legitimi nominis præstiterunt, obtinere censuimus: etiam si non progeniti fuerint post dotale instrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce subtracti fuerint.

Nihil valere quod turpi ex causa promittitur. tit. xviij. ¶ Cap. 190.

Quod turpi ex causa promissum est, veluti si quis homicidium vel sacrilegium se facturum promittat, non valet. Instit. lib. 3. tit. 20. §. quod turpi.

Vim atque iniuriam propellendam. Lib. j. tit. ij.

¶ Cap. 191.

Vt vim atque iniuriam propulsemus: nam iure hoc venit, vt quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, iure fecisse æstimetur. Pandect. lib. 1. tit. 1. l. 3.

Quòd lex præterita sic errata remittit, ne tale quid vlteriùs fiat. Item tit. ij. Tit. 3. l. 22.

¶ Cap. 192.

Cùm lex in præteritum quid indulget, in futurum vetat.

De his qui diuersè nascuntur. titulo v. Lib. 12.

¶ Cap. 193.

Septimo mense nasci perfectum partum iam receptum est, propter authoritatem doctissimi viri Hippocratis: & ideo credendum est, eum qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est, iustum filium esse. *Item.* Cùm legitimæ nuptiæ factæ sunt, patrem liberi sequuntur: vulgò quæsiti matrem sequuntur. Ibid l. 19. *Item.* Vulgò concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt, Ibid. l. 23. vel qui possunt quidem, sed eum habent quem habere non licet. *Item.* Lex naturæ hæc est, vt Lib. 24. qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur. *Item.* Qui in vtero sunt, in toto penè Lib. 26. iure ciuili intelliguntur in rerũ natura esse: nam & legitimæ hæreditates his restituuntur: ita vt si prægnans mulier ab hostibus capta sit, id quod natum erit, quamuis apud bonæ fidei emptorem pepererit, tanquam furtiuum vsũ non capitur. *Item.* Furiosus licet ducere vxorem non Lib 1. tit. 6. possit, retinere tamen matrimonium potest. l. 8.

De illicito pacto. Ex lege Theodosiana.

¶ Cap. 194.

Si inter aliquos conueniat, vt de admittendo crimine, vel inferenda violentia, vel faciendo quod leges aut honestas prohibet, aut de rebus alicuius, aut de bonis inuentis aliqui paciscantur: hæc pacta valere non possunt.

De re mediante scriptura, duobus diuersis temporibus tradita. Item li. v.

¶ Cap. 195.

Si aliquis vnam rem per legitimas scripturas duobus donauerit, vni priùs & alteri postea: non quærendum est in his donationibus qui priùs qui posteriùs acceperit, sed qui rem tradente donatore possederit, is eam cui est tradita possidebit. Nec interest vtrùm in parentes, an in extraneos facta sit talis donatio.

De petitione debiti. ¶ Cap. 196.

Licet prior petitor offerat sacramentum, tamen cùm nulla probatio est debiti, is qui accusatur potest fidem suam iusiurandi religione firmare.

De eadem re. ¶ Cap. 197.

Si quando pulsatus repetendi pecuniam obtulerit sacramentum, & ille ei iusiurandi ne-

cessitatem vltro concesserit, non potest postea ab eo debitum postulare.

Pro re obtinenda quis debeat iurare.

¶ CAP. 198.

Hæres eius cui pecunia credita dicitur, ad sacramentum vocari non potest, quia quid egerit actor suus ad integrum scire non potuit.

De impensis in res commodatas factis, & ad quid commodatarius teneatur.

¶ CAP. 199.

Quicquid in rem commodatam ob morbum, vel aliam rationem impensum est, à domino recipi potest. Si facto incendio, ruina, naufragio, aut quolibet simili casu res commodata amissa sit, non tenebitur eo nomine is cui commodata est, nisi fortè cùm possit rem commodatam saluam facere, suam prætulit. Si seruum vel equum vel quæcunque alia aliquis ab altero ad vsum tantùm seruienti commodata susceperit, & eos ad pugnam vel vbi vitæ periculum incurrant duxerit, ad redditionem commodatæ rei meritò à domino retinetur. Si facto pretio rem vendendam aliquis cuiuscunque crediderit, & dum ab eo vendenda profertur, quacunque occasione perierit, ei perit qui eam dederat distrahendam. Cæterùm si rem acceptam non rogante domino, sed permittente eo, qui accepit dum velit vænundare perdiderit, sibi rei perditæ ingerit detrimentum. Creditor si sine conditione pignus sibi depositum tenens ter debitorem suum conuenerit, vt soluto debito pignora sua recipiat. Quòd si debitor noluerit post tres admonitiones soluto debito pignora sua suscipere, creditor distrahendi pignoris liberam habebit potestatem.

De sociis. ¶ CAP. 200.

Sicut lucrum, ita damnum inter socios communicatur: nisi quid culpa socij vel fraude euersum sit.

De pactis. ¶ CAP. 201.

Pacta quæ ab inuitis contra leges constitutionésque fiunt, nullam vim habere indubitati est iuris. Item, pactum quod mala fide est factum, irritum esse debet. Priuata conuentio iuri publico nihil derogat.

Quæ actiones in hæredes transeant.

¶ CAP. 202.

In criminalibus causis si quis antequàm moriatur, non fuerit de facti sui scelere conuentus atque conuictus, si post eius obitum quod ab eo cuipiam reddendum erat, fuerit apud successores eius fortasse repertum, hoc tantùm ab hærede reddendum est, quod ad eum cognoscitur peruenisse. Cæterùm in tali re hæres nec ad pœnam, nec ad aliquam satisfactionem tenetur obnoxius.

Qui debeant iurare. ¶ CAP. 203.

Lex præcipit vt probatio non à possessore, sed à petitoris partibus requiratur: quia omnem probationem ab eo quæri debere dicit, qui petitam rem desiderat obtinere, non ab illo qui se iustè tenere contendit: præter illum tantùm casum, vbi interrogare necesse est possidentem, vtrum ex sua persona, an ex successione cœperit possidere.

De iuramento testium, & qualiter iudicabitur qui sic & sic deliquerit.

¶ CAP. 204.

Testes priusquàm de causa interrogentur, sacramento debent constringi, vt iurent se nihil falsi esse dicturos: honestioribus autem magis quàm vilioribus fides adhibeatur. Vnius autem testimonium quamlibet splendida & idonea videatur esse persona, nullatenus audiendum. Si quis ingenuus ingenuum vel seruum percusserit, vt sanguis non exeat, pro vnoquoque ictu vsque ad tres solidos culpabilis iudicetur. Si verò homo ecclesiasticus aut regius hoc fecerit sol. 3. Similiter si seruus homini ecclesiastico, vel regio, vel franco hoc fecerit, solidos 3. aut cum sex iuret. Si seruus ingenuo aut regio, vel ecclesiastico homini sanguinis effusionem fecerit. v. solid. & dimidio culpabilis iudicetur, aut cum sex iuret. Similiter si ingenuus, regius, aut ecclesiasticus homo seruo os fregerit ix. sol. culpabilis iudicetur, aut cum vj. iuret. Quòd si seruus homini franco hoc fecerit, xxxvj. sol. aut cum vj. iuret. Si verò regio aut ecclesiastico homini hoc fecerit, sol. ix. Quòd si seruus seruum percusserit bis vel ter: propter pacis studium iiij. denar. iudicetur. Si sanguinem effuderit sol. iij. & dimidium: si os ei fregerit v. sol. Quòd si oculum, auriculam, pedem, nasum excusserit, xviij. sol. aut cum vj. iuret. Si quis ingenuus ingenuam percusserit, xviij. sol. culpabilis iudicetur, aut cum vj. iuret. Si quis ingenuus ingenuo in quolibet membro os fregerit, vel si eum transpunxerit, vel intra coxas plagauerit, xxxvj. sol. culpabilis iudicetur, aut cum vj. iuret. Si pollicem ingenuus ingenuo excusserit, l. sol. si pollex ibidem pependerit xxxvj. sol. Si secundus digitus vnde sagittatur, excussus fuerit, xxxvj. sol. componatur. Si quis alicui manum vel pedem truncauerit, vel oculum offoderit, auriculam vel nasum amputauerit, c. sol. culpabilis iudicetur. In omni verò mancatione, si membrum mancatum pependerit, medietatem componat, quam componere debuerat, si ipsum membrum abscissum fuisset. Si medium digitum excusserit xv. sol. si quartum vel quintum, similiter: si dentem v. sol. Si quis hominem in capite ita plagauerit, vt sanguis ad terram cadat, xv. sol. culpabilis iudicetur. Ista omnia si negauerit, cum vj. iuret. Si quis hominem regium vel ecclesiasticum interfecerit, c. sol. culpabilis iudicetur, aut cum xij. iuret. Si seruum, xxxvj. sol. aut cum vj. iuret. Vnde autem liber homo xv. sol. persoluit, regius homo vel ecclesiasticus medietatē componat, vel deinceps quantumque culpa ascenderit. Si quis ingenuus ingenuum interfecerit, & eum cum ramis cooperuerit, vel in puteo, vel in quocunque loco celare voluerit, quod dicitur mortridum, Dc. sol. culpabilis iudicetur, aut cum lxxij. iuret. Vbicunque autem de solidis accedunt, simili modo lxxij. iuratores.

Lex de diuersis causis. De lege Theodosiana.

¶ CAP. 205.

Qui autem aliquem in carcerem detrusit, vt aliquid ab eo ei extorqueretur, quicquid ob hanc causam factum est, nullius est momenti. Dolus est cùm aliud agitur, aliud simulatur.

Qui dolum vel metum adhibuit, vt res ad alium transiret, vterque de vi & dolo actione tenebitur. Si quis id quod minori ætate gessit, postquã maior effectus est silentio suo & taciturnitate reuocare noluerit, de hac re integri restitutionem retinere non potest.

Vt anathema sit omnibus secularibus quicunque clerico cuilibet iniuriam fecerit. Capitular. lib. v. cap. cij. ¶ CAP. 206.

Quicunque iudex aut secularis, presbytero, aut diacono, aut cuilibet clerico, aut de iunioribus absque audientia Episcopi, vel Archidiaconi, vel Archipresbyteri iniuriam inferre præsumpserit: anathema ab omnium Christianorum consortio habeatur.

De latronibus, qui quali sententia paulatim mulctandi sint. Capitul. c. vj.

¶ CAP. 207.

De latronibus ita præcipimus obseruandum, vt pro prima culpa non moriatur, sed vnum oculum perdat. De alia verò culpa nasus ipsius latronis truncetur. De tertia culpa si non emendauerit, moriatur.

Ne infames personæ testes fiant. cap cccix.

¶ CAP. 208.

Placuit vt testes non admittantur qui sunt socij criminis, nec infames, nec calumniatores, vel cæteri quos canones & lex prohibet.

De eadem re. cap. cccxij.

¶ CAP. 209.

Placuit, vt qui de se confessus est, super alium non credatur.

Vnius testimonium non recipiendũ. cap. cccxiij.

¶ CAP. 210.

Vt testimonium vnius hominis non accipiatur. Nam si ex vtraque parte plures sint, veraciores atque religiosiores & honestiores eligantur, qui sacramento suum confirment testimonium, nihil se falsi esse dicturos.

Nequaquam homicidij esse reum, qui noctu furem res furtiuas gestantem occiderit. cap. cccxlij.

¶ CAP. 211.

Fur nocturno tempore captus in furto, dum res furtiuas secum portat, si fuerit occisus, nulla ex hoc homicidio querela nascatur.

Quid facto opus sit ei qui nesciens à fure aliquid comparauerit. cap. cccxliij.

¶ CAP. 212.

Si quis de fure nesciens aliquid comparauerit, quærat accepto spatio venditorem. Quem si non potuerit inuenire, probet se cum sacramento & testibus innocentem, & quod apud eum cognoscitur restituat, & furem quærere non desistat. Quod si furem celare voluerit, & periurans postea detectus fuerit, tanquam ille fur ita iste in crimine damnetur.

De eo qui alterius animal quodcunque occiderit. cap. cccxlv.

¶ CAP. 213.

Si quis occultè, vel in die, alterius caballum, aut bouem, aut aliquod animal occiderit, & negauerit, & postea exinde probatus fuerit, tanquam furtiuum componat.

De eodem. cap. cccxlvi.

¶ CAP. 214.

Si quis causa faciente occiderit alienum animal, & non negauerit, simile dare non tardet, & cadauer mortui accipiat.

De eo qui furtiuam rem scienter emerit. cap. cccxlvij. ¶ CAP. 215.

Si quis furtiuam rem scienter emere præsumpserit, & exinde probatus fuerit, similem reddat illi cuius pecuniam comparauit, salua videlicet eius iustitia in altero.

De eo qui latronis rem furtiuam scienter acceperit custodiendam. cap. cccxlviij.

¶ CAP. 216.

Si quis de latrone furtiuam rem scienter ad custodiendum acceperit, quasi fur componat.

De eo qui communem viam aliqui clauserit. cap. ccclij. ¶ CAP. 217.

Si quis viam publicam, aut litostratum, vel viam communem alicui clauserit contra legem, cum sua lege componat, & clausuram quam ibi fecit tollat. Quod si negare voluerit, cum xij. sacramenta talibus iuret.

De eodem. cap. cccliij. ¶ CAP. 218.

Si quisquam conuicinalem vel pastoralem clauserit, cum sua lege componat, & ipsam viam aperiat. Similites & de semita faciendum est.

De eo qui fontem vel puteum per inuidiam coinquinauerit. cap. ccclv.

¶ CAP. 219.

Si quis fontem quacunque inuidia coinquinauerit vel maculauerit, emendet eum primò, vt nulla sit coinquinationis in eo suspicio, & cũ lege sua vicinis hoc emendet. Si autem plurimorum vicinorum puteus fuerit, compositionem inter se mutuentur.

De eo qui metallum aliquod vel species aliqua fuerint commodatæ. cap. ccclvj.

¶ CAP. 220.

Si cui aurum, vel argentum, aut ornamenta, vel quæcunque species fuerint commodatæ, siue ad custodiendum traditæ sint, vel vendendæ, & in domo ipsius cum rebus suis forsitan fuerint incendio crematæ, vnà cum testibus qui commodata susceperant, præbeat sacramenta nihil exinde suis profuisse compendiis, & nihil cogatur exoluere, excepto auro & argento quod ardere non poterat. Si verò quæ commodata fuerant, furto probantur ablata, ei qui commodata perdiderat spacium tribuatur, donec furem sua inuestigatione perquirat: & si eum inuenerit, commodatori res proprias tãtummodò reformare procuret. Compositio verò furti ad eum qui habuit commodata pertineat. Quòd si fur non fuerit intra statutum tempus inuentus, medietas rerum commodatarum domino suscipiente reddatur. Damnum verò medium vtrique sustineant: & si postmodùm dominus apud eum qui commodauerit quæcunque fuerint suppressa, repererit, sicut furtiua ab eo exigantur.

De eo qui quamcunque rem alienam sine voluntate domini sui vendiderit. cap. ccclxv.

¶ CAP. 221.

Si quis vendiderit res alienas sine voluntate domini sui, aut seruum, aut ancillam, aut quãcunque rem, ipsam legibus reddat. Et si ipsam non potest inuenire, duos consimiles & æqualis meriti reddat.

De damno dato. cap. ccclxvj.

¶ CAP. 222.

Si quis alicuius caballo, vel boui, vel cuiuslibet quadrupedi vnum oculum excusserit, appretietur illud pecus quod valet, & partem tertiam componat.

De eo qui latronem hospitio receperint. Capitularium lib. vj. cap. ccxciii.

¶ CAP. 223.

Quicunque post illam missam sancti Iohannis præteriti anni cuidam latroni * mansionem dederit: si Francus est, cum xij. similibus Francis iuret quòd latronem eum fuisse non sciffet, licet pater eius sit aut frater, vel aliquis propinquus. Si hoc iurare non potuerit, & ab alio conuictus fuerit quòd latronem in hospitio suscepisset: quasi latro sit, quia infidelis est noster & Francorum: & qui illum suscepit similis est illi. Si autem audiuit quòd latro fuisset, & tamen non scit firmiter, iuret solus quòd nunquam cum audisset nec per veritatem nec per mendacium latronem: aut sit paratus, si ille postea de latrocinio conuincitur, vt similiter damnetur.

* manumissionem.

Seruum non audiendum crimen alicui impingentem. cap. ccexliiij.

¶ CAP. 224.

Seruo penitus non credatur si super aliquem crimen obiecerit, aut si etiam dominum suum in crimine impetierit. Nam si in tormentis positus exponat quod objicit, credi tamen illi nullo modo oportebit.

De his apud quos pars rapinæ deprehensa fuerit. cap. ccclv. CAP. 225.

Apud quem scelus agnoscitur, & pars rapinæ fuerit inuenta, statim socios suos nominare cogatur. Quos si nominare noluerit, teneatur ad vindictam. Quòd si honestior persona est, & pro scelere rationem reddat, & quæ ablata vel euersa fuerant quadrupliciter restituat. Quòd si certè apud seruum rapinæ pars reperiatur, centum quadraginta flagella publicè extensus accipiat, & socios suos nominare non differat.

De leuioribus peccatis dilationem esse præstandam, & de sceleribus conuictos si appellare voluerint, non audiendos. Capitular. lib. vii. cap. clxxxj.

¶ CAP. 226.

In ciuilibus causis vel leuioribus criminibus legum dilatio præstanda est. Homicidæ, adulteri, malefici, venefici conuicti si appellare voluerint, non audiantur.

Si quis alicui rem suam tradiderit venundandam. cap. ccxcviii.

¶ CAP. 227.

Si facto pretio rem vendendam aliquis cuicunque tradiderit, & dum ab eo vendenda profertur, quacunque occasione perierit, ei perit qui eam dederat distrahendam. Cæterùm si rem acceptam non rogante domino, sed permittente eo, qui accepit, dum vellet venundare, perdiderit, sibi rei perditæ ingerit detrimentum.

De creditis rebus. cap. ccxcix.

¶ CAP. 228.

Creditor si sine conditione pignus sibi depositum tenens, ter debitorem conuenerit vt soluto debito pignora sua recipiat, & debitor noluerit post tres admonitiones soluto debito pignora sua recipere, creditor distrahendi pignoris habebit liberam potestatem.

De debitis soluendis, & de compensatione. cap. ccciii. CAP. 229.

Si quis debeat alicui solidos decem, & ille qui debet de quacunque ratione debeantur illi à creditore suo solidi v. & veniens creditor totos x. solidos à debitore petat: si probauerit ille debitor sibi ab eo quinque solidos deberi, quare illum in solidum pro totis x. solidis conuenit, causam perdat, qui noluit debitum compensare. Similis ratio est de frumento, vel de aliis speciebus.

Si filiofamilias inscio patre pecunia fuerit commodata. cap. ccciiii.

¶ CAP. 230.

Qui filiosfamilias contra interdicta legum inscio patre pecuniam commodauit, eam nec viuente nec mortuo patre ab eodem poterit postulare.

De pignoris venditione. cap. cccxiii.

¶ CAP. 231.

Si quis creditor debitore in solutionem tardante, rem sibi pro debito positam distraxerit, si quid ampliùs acceptum fuerit quàm debebatur, quod ampliùs acceptum est restituatur debitori.

Si quis rem alienam minoris vendiderit. cap. cccviii. CAP. 232.

Si quis cuilibet mandet vt rem suam x. solid. vendat, & ille eam octo vendiderit, pretium quod ei mandatum est, quicquid minus ab emptore percepit mandatori complere compellatur: venditio tamen rescindi non potest.

Vt nemo contra voluntatem defuncti faciat. cap. cccxxvi. ¶ CAP. 233.

Omnibus qui contra voluntatem defuncti faciunt, vt indignis auferatur hæreditas.

De eodem. cap. cccxxvii.

¶ CAP. 234.

Qui per testamentum sibi aliquid derelictum acceperit & vindicauerit, & voluerit contra voluntatem defuncti agere, licentiam penitus non habebit.

De eo qui ad lædendam alterius famam, scripturam aut verba contumeliosa confixerit.

¶ CAP. 235.

Qui in alterius famam in publico scripturam aut verba contumeliosa * confinxerit, & repertus scripta non probauerit, flagelletur. Et ea qui prius inuenerit, rumpat: si non vult authoris facti causam incurrere.

* confixerit.

De pace seruanda. Capitularium lib. iij. cap. lxi. ¶ CAP. 236.

De latronibus qui magnam habent blasphemiam, quicunque aliquem ex his comprehenderit, nullum damnum exinde patiatur.

De pace & iustitia intra patriam seruanda. ¶ CAP. 237.

De pace & iustitia intra patriam, sicut sæpe per alia capitula iussi adimpletum fiat.

De violata immunitate Ecclesiæ. Capitul. lib. iij. cap. xiij.

¶ CAP. 238.

Si quis aut ex leui causa, aut sine causa hominem in Ecclesia interfecerit, de vita componat. Si verò foris rixati fuerint, & vnus alterum in Ecclesia fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, & si huius facti testes non habuerit, cum xij. iuratoribus legitimis per sacramentum affirmet se defendendo eum interfecisse: & post hæc dec. sol. ad partem Ecclesiæ quam illo homicidio polluerat, & insuper bannum nostrum soluere cogatur. Is verò qui interfectus est, absque compositione iaceat. Ac deinde interfector secundùm iudicium canonicum congruã facinori quod admisit, pœnitentiam accipiat. Si proprius seruus hoc commiserit, iudicio aquæ feruentis examinetur, vtrùm hoc sponte, an se defendendo fecisset: etsi manus eius exusta fuerit, interficiatur. Si autem non fuerit, dominus eius iuxta quod vvergelt illius est, ad ecclesiam persoluat: aut eum si voluerit eidem ecclesiæ tradat. De ecclesiastico & fiscalino beneficiario seruo volumus vt pro vna vice vvergeldis eius pro eo componatur: altera vice ipse seruus ad supplicium tradatur. Hæreditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit iudicatus, ad legitimos hæredes illius perueniat. Si in atrio ecclesiæ cuius porta reliquiis sanctorum consecrata est, huiuscemodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur, vel componatur. Si verò porta ecclesiæ non est sacrata, eodem modo componatur sicut componi debet, quod immunitate violata committitur.

Purgatio vulgaris.

Liber homo seu seruus quomodò se de furto purgare debeat. cap. xxvii.

¶ CAP. 239.

Si liber homo de furto accusatus fuerit, & res proprias habuerit, in mallo ad præsentiam comitis se * adhramiat. Et si res non habet, fideiussores donet, qui eum * adhramire, & in placitum adduci faciant. Et liceat ei prima vice per sacramentum se secundùm legem idoneare, si potuerit: aut si alia vice duo vel tres eum de furto accusauerint, liceat ei contra vnum ex his cum scuto & fuste in campo contendere. Quòd si seruus de furto accusatus fuerit, dominus eius pro eo emendet, aut eum sacramento excuset: nisi tale furtum perpetratum habeat, propter quod ad supplicium tradi debeat.

* adharmiat. * adharmire.

Vt iniustæ consuetudines nouiter illatæ tollantur. cap. xlv. ¶ CAP. 240.

De iniustis occasionibus & consuetudinibus nouiter institutis, sicut sunt tributa, & telonia in media via, vbi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, vnde iustè census exigi possit, vel vbi naues subtus pontes transire solent, siue in medio flumine vbi nullum obstaculum est: vt auferantur. Antiqua autem ad nostram notitiam deferantur.

Vt forestes nouæ dimittantur. cap. lxiij.

¶ CAP. 241.

De forestibus nostris, vt vbicunque fuerint, diligentissimè inquirant quomodo saluæ sint & defensæ: & vt comitibus denuncient, ne vllam forestem nouiter instituant: & vbi nouiter institutas sine nostra iussione inuenerint, dimittere debeant.

De pacto legum.

¶ CAP. 242.

Communes causas absentibus consortibus alij consortes agere possunt: si illi qui præsentes sunt caueant acceptum esse illis qui absentes sunt, quicquid fuerit iudicatum, aut in præsenti fideiussorem dederint, vt omnia quæ definita fuerint implere non differant.

De peruasore finium.

¶ CAP. 243.

Si quis peruasor finium fuerit approbatus, eò quòd priusquàm aliquid iudicio finiretur, id quod alter tenuerat inuasisset, non solùm illud quod malè peruasit, amittat: sed ne vnusquisq; rem alienam occupet, cùm fuerit in causa deuictus, peruasor iuris alieni tantùm spatij restituat, quantùm præsumpsit inuadere.

De rebus venalibus. CAP. 244.

Cùm inter ementem atque vendentem fuerit res definito pretio comparata, quamuis plus valeat quàm ad præsens venditur, hoc tantummodò requirendum est, si nihil fraudis vel violentiæ egit ille qui comparasse probatur: & si voluerit reuocare qui vendidit, nullatenus permittatur.

Item de eodem. ¶ CAP. 245.

Prior ordinatio legis fuerat, vt si vnus ex consortibus pro quacunque necessitate rem vendere voluisset, extraneus emendi licentiam non haberet: sed hoc melius probatur indultum, vt quicunque de suis rebus libero vtatur arbitrio, & prætermissis consortibus vel propinquis, cui voluerit vendendi liberam habeat potestatem.

De dotalibus. CAP. 246.

Si contigerit vt maritus vxore superstite moriatur, quæcunque à muliere marito in dote data fuerant, ad suum dominium fœminæ reuocabunt: nec hæredes defuncti mariti hoc vendicare præsumant.

De eo qui capitali obiectione pulsatur. Lib. ix. ¶ CAP. 247.

Quicunque alium de homicidij crimine periculosa vel capitali obiectione pulsauerit, non priùs à iudicibus audiatur, quàm se similem pœnam quũ reo intendit, conscripserit subiturum: & si seruos alienos accusandos esse crediderit, se simili inscriptione constringat, futurum vt supplicia innocentum seruorum aut pœna capitis sui, aut facultatum amissione compenset. Ante inscriptionem nemo efficiatur criminosus, nam inscriptione per ordinem facta, tunc à iudice suscipiendus est reus, & custodiæ cum accusatore tradendus est: ea tamen ratione vt

tam accusati, quàm accusatoris dignitas æstimetur, & vnumquemque ante discussionem ita Iudex faciat custodire, vt eorum natalis aut dignitas patiuntur. Sanè ij qui crimina sua in quæstione confessi sunt, de aliis si dicere voluerint, à iudice non credantur: quia iure & legibus constitutum est, vt spontanea professione reus reum non faciat: neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est.

De famosis libellis ❡ CAP. 248.

Qui famosam chartam ad cuiuscunque iniuriam & maculam conscripserit, & in secreto vel in publico affixerit, inueniendámque proiecerit, illum contra quem proposita est chartula non nocebit, nec famæ eius aliquid derogabit. Sed si inueniri potuerit qui huiusmodi chartulam fecit, constringatur vt probet quam conscripsit: qui si etiam quæ scripsit probare non potuerit, fustigetur: qui infamare maluit quàm accusare.

De eo qui per inscriptionem aliquem accusauerit. Lib. ix. ❡ CAP. 249.

Quicunque inscriptione præmissa cuiuscunque criminis reum accusare voluerit, ab eo die quo inscripsit intra annum peragat propositas actiones. Qui si distulerit, infamis effectus, bonorum suorum quarta parte mulctabitur.

Vt intra annum criminalia negotia terminentur. cap. xviij. ❡ CAP. 250.

Iudices qui inscriptione præmissa criminalia negotia audire cœperint, à die inscriptionis si inducias aut accusator aut reus petierit, intra annum præstare debebunt, vt hæc actio intra anni circulum finiatur. Quòd si accusator intra annum quæ proposuit probare distulerit, absoluto reo pœnam suscipiat legibus superioribus comprehensam. Quòd si talis persona sit ad cuius deformitatem infamia non pertineat, exilio deputetur. Tamen si inter accusatorem & reum ita, iudice præsente conuenerit, vt pro inscriptione vtriusque partis integræ induciæ tribuãtur, debet à iudice non negari futurum, vt pars quæ post inducias fuerit superata, districtiori sententia feriatur.

Si quem pœnituerit se alium criminaliter accusasse. cap. xx. ❡ CAP. 251.

Si quem pœnituerit accusasse criminaliter, & inscriptionem fecisse de eo quod probare non potuerit: si ei cum accusato innocente conuenerit, inuicem se absoluant. Si verò iudex eum qui accusatus est criminosum esse cognouerit, & inter reum & accusatorem factum per corruptionem consensum, de colludio pœnam excipiat legibus constitutam. Abolitionem inuito reo postquàm fuerit officij custodiæ traditus, intra dies xxx. accusatori petenti dari permittimus: post hoc tempus nisi reus consentiat, censemus non esse tribuendam. Si criminis accusator intra xxx. dies abolitionem petierit, etiam inuito reo à iudice concedatur, & liberi & accusatus, & accusator abcedant. Post xxx. verò dies quàm accusatus custodiæ fuerit traditus, nisi abolitionem & reus & accusator à iudice petierint, accusatori soli non esse præstandam. Quòd si testes exhibiti ad petitionem accusatoris fuerit, & in custodiam missi fuerint, & abolitio præstita penitáque fuerint, sumptus quos fecerunt testes, eis accusator exoluat. Nam si testes exhibiti ab accusatore pœnæ subiacuerint, etiamsi consentiant partes, abolitio à iudicibus denegetur: sed aut in accusatum si conuictus fuerit, aut in accusatorem si non conuicerit, legibus sententia Iudicis pœnam quam passurus erat reus, accusator excipiat.

Vt iudices præcipites non sint ad explendam sententiam principis ira dictatam. cap. xxxj.

❡ CAP. 252.

Si princeps cuiuscunque graui accusatione commotus quemquam occidi præceperit, non statim à iudicibus quæ ab irato principe iussa sunt, compleantur: sed xxx. dies qui puniri iussus est, reseruetur donec pietas dominorum iustitiæ amica subueniat.

De eo si alienum animal damnum alicui fecerit. Ex lib. j. sententiarum Pauli.

❡ CAP. 253.

Si alienum animal cuiquam damnum intulerit, aut alicuius fructus læserit, dominus eius aut æstimationem damni reddat, aut ipsum animal tradat: quod etiam de cane similiter est statutum.

Si qualecunque animal ab aliquo irritatum damnum intulerit. Lib. iij.

❡ CAP. 254.

Ei qui irritatu suo feram bestiam vel quancunque aliam quadrupedem in se irritauerit, eaque damnum dederit, neque in eius dominum, neque in custodem actio datur.

Vt fideiussores solutionem debiti æqualiter inter se diuidant. Lib. v.

❡ CAP. 255.

Cùm multi fideiussores institerint, etiam si ad soluendum quæ promiserunt probantur idonei, & possint omnes insolidum retineri: tamen restitutio debiti inter eos diuidenda est, vt vnusquisque id quod eum pro portione sua contigit, exoluat.

De his qui in contumeliam alicuius scripturam composuerint. Ex libro v.

❡ CAP. 256.

In eos authores qui famosos libellos in contumeliam alterius proposuerint, extra ordinem vsque ad relegationem insulæ vindicatur ista temeritas.

Ne quis Iudici conuitium inferre præsumat. Cap. xi. ❡ CAP. 257.

Conuitium Iudici ab appellatoribus fieri non oportet: alioquin infamia notantur. Confessi debitores pro iudicatis habentur: ideóque ex die confessionis tempora solutionis præstituta computantur.

De eo qui legitimè vocatus ad iudicem venire noluerit. cap. xvi.

❡ CAP. 258.

Quicunque tribus * authoritatibus iudicis conuentus, vel tribus edictis ad iudicem fuerit prouocatus, aut vno pro omnibus peremptorio, id est quod causam extinguit, fuerit euocatus & præsentiam suam apud eum iudicem, à quo ei denunciatum est exhiberi noluerit: aduersùs *actionibus.

cum quasi in contumacem iudicari potest, quinimo nec retractari per appellationem negotia possunt, quoties in contumacem fuerit iudicatum.

De eo qui in iudicio appellare voluerit. Cap. xix. Cap. 259.

Si quando dum causa à iudice auditur, sacramentum petente ex litigatoribus vno, alter obtulerit litigator qui iudicibus appellare voluerit, tunc appellare debet, quando sacramentum offertur, non postquàm iuratur.

De eo qui praeiudicium timens fideiussorem dare noluerit. Cap. xxx.

¶ Cap. 260.

Si quando inter litigatores de damno praesentiae sui fideiussoris contentio est, si aliquis in cautione verborum praeiudicium timeat, & propter hoc fideiussorem dare nolit, potest certum aliquid de rebus suis poenae causa deponere: sed si contra eum fuerit iudicatum, & ipse defuerit, perdet quod deposuit.

De personis à quibus non sunt res accipiendae. Capitularium libro j. cap. lxxxiij.

¶ Cap. 261.

Statutum est, vt nullus quilibet ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere praesumat, quarum liberi aut propinqui hac inconsulta oblatione possunt rerum propriarum exhaeredari. Quòd si aliquis deinceps hoc facere tentauerit, synodali vel imperiali sententia modis omnibus feriatur.

De mansis vniuscuiusque ecclesiae. cap. lxxxv.

¶ Cap. 262.

Sancitum est, vt vnicuique ecclesiae vnus mansus integer absque alio seruitio attribuatur, & presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel de hortis iuxta ecclesiam positis, neque de praescripto manso aliquod seruitium faciant, praeter ecclesiasticum: & si aliquid ampliùs habuerint, inde senioribus suis debitum seruitium impendatur.

De villis nouis & ecclesiis in eis nouiter constitutis. cap. lxxxvi.

¶ Cap. 263.

Sancitum est de villis nouis & ecclesiis in eis nouiter constitutis, vt decimae de ipsis villis ad easdem ecclesias conferantur.

Ne quis sacra vasa in pignus dare praesumat. cap. lxxxvii. Cap. 264.

De sacris vasis ecclesiae quae in pignus à nonnullis in quibusdam locis dari comperimus, inhibitum est ne deinceps à quoquam fieri praesumatur: nisi solummodò necessitate redimendorum captiuorum compellente.

De his quae ad causam Dei res suas tradere volunt. cap. cxxxv.

¶ Cap. 265.

Qui res suas pro anima sua ad causam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis. Et quae honestae factae sunt traditiones, de quibus nulla est quaestio, stabiles permaneant.

De teloniis. Ex iij. lib. Capitularium. cap. xii. ¶ Cap. 266.

Placet nobis vt antiqua & iusta telonia à negotiatoribus exigantur, tam de pontibus quàm de nauigiis seu mercatis. Noua ergo seu iniusta vbi vel funes tenduntur, vel cum nauibus sub pontibus transitur, seu his similia in quibus nullum adiutorium itinerantibus praestatur: similiter etiam nec de his qui sine negotiandi causa substantiam suam de vna domo sua ad aliam, aut ad palatium, aut in exercitum ducunt, telonium nullatenus ab eis exigatur.

De seruo qui damnum quodlibet perpetrat. cap. xliv. Cap. 267.

Neminem liceat seruum suum propter damnum ab illo cuilibet illatũ dimittere, sed iuxta qualitatem damni dominus pro illo respondeat, vel eum in compositionem, aut poenam petitori offerat. Si autem seruus perpetrato scelere fugerit, ita vt à domino penitus inueniri non possit, sacramento se dominus eius excusare studeat, quòd hoc suae voluntatis nec conscientiae fuerit, quòd seruus eius tale facinus commisit.

De bannitione secundùm legem ad mallum. cap. xlv. ¶ Cap. 268.

Si quis ad mallum legibus bannitus fuerit, & non venerit, si eum bannitus non tenuerit xv. sol. culpabilis iudicetur: sic ad secundam & tertiam. Si autem ad quartam venire contempserit, possessio eius in bannum mittatur, donec veniat: & de re qua interpellatus fuerit, iustitiam faciat. Si infra annũ non venerit, de rebus eius quae in bannum missae sunt rex interrogetur: vt quicquid inde iudicauerit, fiat. Prima bannitio super noctes vij. secunda super noctes xiv. tertia super noctes xxj. quarta super noctes xlij. fiat. Similiter & de beneficio hominis, si fortè res proprias non habuerit, mittatur in bannum vsque dum rex interrogetur.

De hominibus ad mortem iudicatis, & postea eis vita concessa, si iustitiam quaesierint. cap. xlvii. ¶ Cap. 269.

De illis hominibus qui propter eorum culpas ad mortem iudicati fuerint, & postea eis vita fuerit concessa, si ipsi iustitiam ab aliis requisierint, aut eis iustitiam quaerere voluerint, qualiter inter illos iudicium terminetur. Primò omnium de illis causis pro quibus iudicatus fuerat ad mortem, nullam potest facere repetitionem: quia omnes res suae secundùm iudicium francorum in publico fuerunt reuocatae. Et si aliquid postmodum postquàm ei vita concessa est, cum iustitia acquirere potuerit, in sua libertate teneat & defendat secundùm legem: in testimonium autem non suscipiatur, nec inter Scabinos ad legem iudicandam teneatur. Et si ad sacramentum aliquid iudicatum fuerit quod iurare debeat, si aliquis ipsum sacramentum falsum dicere voluerit, * contendant. * cõcedatur.

De non cogendo ad pontem ire causa telonij. cap. liv. ¶ Cap. 270.

Vt nullus cogatur ad pontem ire vel ad fluuium transeundum propter telonij causas, quãdo ille in alio loco * compensius illud flumen * competentius.

transire potest. Similiter in plano campo vbi pons nec traiectus est, omnibus præcipimus, vt ibi telonium non exigatur.

De nimium blasphemis latronibus. cap. lxi.

¶ CAP. 271.

De latronibus qui magnam habent blasphemiam, quicunque aliquem ex his comprehenderit, nullum damnum exinde patiatur.

De eo qui domum alienam cuiuslibet fregerit. cap. lxv. ¶ CAP. 272.

Si quis domum alienam cuiuslibet infregerit, quicquid exinde per vim abstulerit aut rapuerit, aut furatus fuerit, secundùm legem & vadios illi cuius domus fuerit infracta & spoliata, in triplum componat, & insuper bannum dominicum soluat. Si seruus hoc fecerit, * iustitiam superiorem accipiat, & insuper secundùm suam legem compositionem faciat. Si quislibet homo aliquod tale damnum alicui fecerit, pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in vvadio pro seruo dare studeat, vsque dum plenam compositionem adimpleat.

*sententiam.

De vxoribus defunctorum quam partem post obitum maritorum de collaboratione accipere debeant. Ex lib. iv. cap. ix.

¶ CAP. 273.

Volumus vt vxores defunctorum post obitum maritorum tertiam partem collaborationis, quam simul in beneficio collaborauerunt, accipiant. Et de his rebus quas is qui illud beneficium habuit aliunde adduxit vel comparauit, vel ei ab amicis suis collatum est, has volumus tam ad orphanos defunctorum, quàm ad vxores eorum peruenire.

De viduis pupillis, & pauperibus. cap. xvi.

¶ CAP. 274.

Præcipimus vt quandocunque in mallum ante comitem viduæ, pupilli & pauperes venerint, primò eorum causa audiatur & definiatur. Et si testes per se ad causas suas quærendas habere non potuerint, legémque nescierint, comes illos vel illas adiuuet, dando eis talem hominem qui rationem eorum teneat, vel pro eis loquatur.

De raptu viduarum. cap. xvj.

¶ CAP. 275.

Qui viduam intra primos xxx. dies viduitatis, vel inuitam, vel volentem sibi copulauerit, bannum nostrum, id est lx. sol. in triplo componat: & si inuitam eam duxerit, legem suam componat, illa verò vlteriùs non attingat.

De homine publicam pœnitentiam agente, interfecto. cap. xvij.

¶ CAP. 276.

Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, & vvergelt proximis eius persoluat.

De homine libero vt potestatem habeat, vbicunque voluerit res suas dare, & qualiter hoc facere debeat. Cap. xviij.

¶ CAP. 277.

Si quis res suas pro salute animæ suæ, vel ad aliquem venerabilem locum, vel propinquo suo, aut cuilibet alteri tradere voluerit, eo tempore quando intra ipsum comitatum fuerit, in quo illæ res positæ sunt, legitimam traditionem facere studeat. Quod si eodem tempore quo illas tradere vult, extra eundem comitatum fuerit, siue in exercitu, siue in palatio, siue in alio quolibet loco, adhibeat sibi, vel de suis pagensibus, vel de aliis qui eadem lege viuant qua ipse viuit, testes idoneos, vel si illos habere non potuerit, tunc de aliis quales sibi meliores inuenire possit, & coram eis rerum suarum traditionem faciat. Et postquam hæc traditio ita facta fuerit, hæres illius nullam de prædictis rebus valeat facere repetitionem. Insuper & ipse fideiussorem per se faciat eiusdem inuestituræ, ne hæredi vlla occasio remaneat hanc traditionem immutandi: sed potius necessitas incumbat illam perficiendi: & si nondum res suas cum hæredibus suis diuisas habuit, non ei hoc sit impedimento: sed cohæres eius si sponte noluerit, aut per comitem aut permissum eius distringatur, vt diuisionem cum illo faciat ad quem defunctus hæreditatem suam voluit peruenire. Etsi cuilibet ecclesiæ eam tradere rogauit, cohæres eius eam legem cum illa ecclesia de prædicta hæreditate habeat, quam cum alio cohærede suo habere debuit. Et hoc obseruetur erga patrem & filium & nepotem vsq; ad annos legitimos, postea ipsæ res ad immunitatem ipsius ecclesiæ redeant.

De adulteratoribus monetæ. cap. xxxi.

¶ CAP. 278.

Quicunque falsam monetam percussisse probatus fuerit, manus eius amputetur. Et qui hoc consensit: si liber est, lx. sol. componat: si seruus, lx. ictus accipiat.

De terra tributaria cap. xxxv.

¶ CAP. 279.

Quicunque terram tributariam vnde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad ecclesiam, cuilibet alteri tradiderit: is qui eam susceperit, tributum quod inde soluebatur, omni modo ad partem nostram persoluat: nisi fortè talem firmitatem de parte dominica habeat, per quam ipsum tributum sibi per donatum possit ostendere.

De terra censuali. cap. xxxvij.

¶ CAP. 280.

Si quis terram censualem habuerit, quam antecessores sui, vel ad aliquam ecclesiam, vel ad villam nostram dederunt, nullatenus eam secundùm legem tenere potest: nisi ille voluerit ad cuius potestatem vel illa ecclesia, vel illa villa pertinet: nisi fortè filius aut eius nepos sit qui eam tradiderit, & ei eadem terra ad tenendum placitata sit. Sed in hac re considerandum est, vtrùm ille qui hanc tenet diues an pauper sit, & vtrùm aliud beneficium habeat, vel etiam proprium. Et qui horum neutrum habet, circa hunc misericorditer agendum est, ne ex toto dispoliatus in egestatem incidat, aut talem ille censum inde persoluat, qualis ei fuerit constitutus: vel portionem aliquam inde in beneficium accipiat, vnde se sustentare valeat.

De debito ad opus dominicum revuadiato. cap. lvj. ¶ CAP. 281.

Vt debito, quod ad opus nostrum fuerit revvadiatum, talis consideratio fiat: vt is qui ignoranter

ranter peccauit, non totum secundùm legem soluere cogatur, sed iuxta quod possibile visum est. Is verò qui tantùm mala voluntate peccauit, totam legis compositionẽ cogatur exoluere.

De eo qui per inuidiam, vel per dolum, liberi vel serui domum incenderit. Ex lib. v. Capitularium cap. cccli.

¶ Cap. 282.

Si quis per aliquam inuidiam, vel dolum in nocte vel in die ignem imposuerit, & incenderit liberi vel serui domum, primò omnia ædificia restituat. Et quicquid ibi arserit componat, & insuper lx. solidis sit culpabilis, & publica pœnitentia secundùm iudicium sacerdotũ mulctetur. Et quanti homines de ipso incendio euaserint, vnicuique secundùm legem componat, & omnia quæ ibi perdiderint restituat.

Vt si quis seruum alienum iniustè accusauerit, domino simile mancipiũ pro hoc facto reddat. cap. ccclij. ¶ Cap. 283.

Si quis seruum iniustè accusauerit alienum, & innocens tormenta pertulerit, domino simile mancipium pro hoc facto reddat. Si verò innocens in tormentis mortuus est, duos seruos eiusdem meriti sine dilatione domino restituat.

De eo qui causam alterius tulerit de loco suo. cap. ccclx. ¶ Cap. 284.

Si quis causam alterius tulerit de loco suo, ipsam illæsam reddat aut similem. Si verò foras aliquam traxerit & absconderit, atque negauerit interrogatus, furtiuam componat.

De venditionibus vili pretio vel cum vitio distractis. cap. ccclij. ¶ Cap. 285.

Placuit in venditione hanc formam seruari: vt seu res seu mancipia, vel quodlibet genus animalium venundetur, nemo propterea venditionis firmitatẽ irrumpat, quòd dicit se vili pretio vendidisse: sed postquam factum est negotium, non sit mutatum, nisi fortè vitium sibi à venditore celatum inuenerit. Si autem venditor dixerit vitium, stet emptio, & non sit mutata. Si autem non dixerit, mutare potest in illa die, & in alia, siue in tertia die. Et si ampliùs de tribus noctibus illud habuerit, postea non potest mutare: nisi fortè eum inuenire intra tres dies non poterit: tunc quando inuenerit, recipiat, quia vitium vendidit. Et si noluerit recipere, iuret cum suis sacramentalibus, quòd vitium ibi nullum sciebat in illa die, quando negotium fecit, & stet factum.

Vt qui arras dederit pro quacunque re, pretium reddere compellatur. Capitulo ccclxij.

¶ Cap. 286.

Qui arras dederit pro quacunque re, pretium cogatur implere, quod placuit emptori.

Vt peregrinos transeuntes nemo inquietet. cap. ccclxiv. ¶ Cap. 287.

Placuit ne peregrinos transeuntes quis inquietare præsumat, eisque nocere audeat: quia alij propter dominum, alij propter suas discurrunt necessitates. Quòd si aliquis præsumptuosus fuerit, qui peregrino nocuerit vel eum afflixerit, aut dispoliauerit, læserit, plagauerit, ligauerit, vendiderit, vel occiderit: ipsi peregrino sigillatim dupliciter, sicut de alio homine solet componi, aut suo seniori vel socio cum sua lege componat. Quòd si mortuus fuerit, & seniorem ibi vel socium non habuerit, tunc Episcopus aut sacerdotes eiusdem pagi ipsam compositionem in duplo, sicut de indigena distringente iudice accipiant, & in suam eleemosynam illa tribuant, & insuper 60. sol. fisco cogatur persoluere. Et si peregrinum viuentem reliquerit, omnem iniuriam ei factam, & quicquid illi intulit, dupliciter (vt prædictum est) & per singula illi componat, sicut solet de infra prouinciam aliquem componere. Si autem eum occiderit, vt liberum hominem de ipsa prouincia, in duplo componat, & ipsa pecunia à memoratis sacerdotibus in sua detur eleemosyna. Quoniam dominus ait: Peregrinum & aduenam non contristabis. Exod. 22.

De eo qui alicuius quadrupedis vnum oculum excusserit. Cap. ccclxvi.

¶ Cap. 288.

Si quis alicuius caballo vel boui, vel quilibet de quadrupedibus vnum oculum excusserit, appretietur illud pecus quod valet, & partem tertiam componat.

De eo qui iussu regis vel ducis aliquem occiderit. Cap. ccclxvij.

¶ Cap. 289.

Si quis iussione regis vel ducis illius qui ipsam prouinciam regit, hominem occiderit, non requiratur ei, nec propterea faidosus sit, quia lex & iussio dominica occidit eum, & ipse non potuit contradicere. Princeps verò & successores eius defendant eum, & totam progeniem eius, ne ob hoc pereat, aut malum patiatur. Quòd si propterea ipse aut eius progenies aliquid mali passi fuerint, aut occisi, dupliciter componantur.

De eo qui scripturas protulerit, vt veritatem eius testibus probet. Cap. ccclxviij.

Cap. 290.

Si quis scripturam profert, veritatem eius testibus probare debet. Quia in omnibus causis constitutum est, vt scripturam prolator affirmet.

De asino, boue, oue, omnique iumento, amico ad custodiendum tradito. Cap. xxiij.

¶ Cap. 291.

Si quis commendauerit amico asinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad custodiam, & mortuum fuerit aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullúsque hoc viderit, iusiurandum erit in medium, quòd non extenderit manum in rem proximi sui, suscipiátque dominus iuramentum, & ille reddere non cogatur. Si furto sublatum fuerit, restituat damnum domino suo. Si comestum à bestia, deferat ad eum quod occisum est, & non restauretur. Qui à proximo suo quicquam horum mutuò postulauerit, & debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere compellatur. Quòd si impræsentiarum dominus fuerit, non restituatur: maximè si conductus venerit pro mercede operis sui.

Qui seduxerit virginem desponsatam, vel dormierit cum ea. Cap. xxiv.

¶ Cap. 292.

Si seduxerit quis virginem desponsatam, & dormierit cum ea, dotabit eam & habebit vxorem.

De patre puellæ si eam dare noluerit, vt reddat pecuniam iuxta morem dotis. cap. xxv. ¶ Cap. 293.

Si pater noluerit virginem dare, reddat pecuniam iuxta morem dotis quam virgines accipere consueuerunt.

De eo qui propter Deum furtũ confessus fuerit. cap. xxxvij. ¶ Cap. 294.

Si propter Deum confessus fuerit homo furtum quod fecit, reddat capitalem & quintam partem desuper ei in quem peccauit.

De his qui fidelium oblationes auferunt, vel vastant, aut sine proprij Episcopi iussione dant vel accipiunt. cap. lxxxiv.

¶ Cap. 295.

Qui fidelium oblationes ab ecclesiis vel à iure sacerdotum auferunt, vel ablatas accipiunt, non solùm aliena vota dirumpũt, sed & sacrilegium operantur, necnon & ecclesiæ Dei fraudatores existunt. Quia ecclesiæ aliquid fraudari, vel auferri sacrilegium esse à maioribus approbatur.

Ne Episcoporum vel reliquorum sacerdotũ vita turbetur. cap. civ. ¶ Cap. 296.

Nullis vita Præsulum turbetur excessibus, quia valde indignum est, vt qui throni Dei vocantur, aliqua motione turbentur, aut iniquè tractentur. Vnde est illud: Qui vos tangit, quasi
Zachar. 2. pupillam oculi mei tangit. & illud: Qui vos au-
Luca 10. dit me audit, & qui vos spernit me spernit. Et
Matth. 18. rursus: Qui scandalizauerit vnũ de pusillis istis, melius est illi, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Quod sacrilegium sit auferre quæ à principibus concessa sunt ecclesiis, vel quæ singuli antistites impetrauerunt: & vt clerici non accusentur ad iudices seculares, sed ad Episcopos proprios. cap. cxj. ¶ Cap. 297.

Quæcunque à singulis regibus circa sacrosanctas ecclesias sunt constituta, vel singuli quique antistites pro causis ecclesiasticis impetrarunt, sub pœna sacrilegij iugi solidata æternitate seruentur. Clerici etiam non secularibus iudicibus, sed Episcopali audientiæ reseruentur: fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporali potestati subdantur.

De his qui ecclesiastica priuilegia violant vel dissimulant. cap. cxvj. ¶ Cap. 298.

Si ecclesiæ venerabilis priuilegia cuiusquam fuerint temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum hoc in triplo iuxta legum sanctionem, ecclesiæ cui factum est, componatur: nobisque bannus noster in triplo, hoc est ter lx. sol. persoluatur.

Vt socios suos nominet apud quem pars rapinæ fuerit inuenta. Capitulo cxxxvij.

¶ Cap. 299.

Apud quem scelus agnoscitur, & pars rapinæ fuerit inuenta, statim socios suos nominare cogatur. Quòd si nominare noluerit teneatur ad vindictam.

Contra priorum definitionem filio vel hæredi non licere venire. cap. cl. Cap. 300.

Filio vel hæredi contra priorum iustam aut legitimam definitionem venire non liceat: quia iustè repellitur præsumptio illius qui facta seniorum iniustè conatur irrumpere.

De his qui furibus conscij fuerint. cap. clx.

¶ Cap. 301.

Non solùm ille qui furtum fecerit, sed etiam & quicunque conscius fuerit, vel furto ablata sciens susceperit, in numero furantium habeatur, & simili vindictæ subiaceat.

De eo qui filios non habuerit, & in eorum locum alium sibi hæredem facere voluerit. cap. ccxij. ¶ Cap. 302.

Qui filios non habuerit, & alium quemlibet hæredem sibi facere voluerit, coram rege, vel coram comite & scabinis, vel missis dominicis qui ab eo ad iustitias faciendas in prouincia fuerint ordinati, traditionem faciat.

De fugitiuis & peregrinis, vt distringantur. cap. ccxxij. ¶ Cap. 303.

De fugitiuis ac peregrinis vt distringantur, vt scire possimus qui sint, aut vnde venerunt.

De armillis & bruniis negotiatoribus non dandis. cap. ccxxij. ¶ Cap. 304.

Vt armillæ & bruniæ non dentur negotiatoribus.

Ne quis præsumat hominem sine causa ad iudicium mittere. cap. ccxxviij.

¶ Cap. 305.

Vt nullus præsumat hominem ad iudicium mittere sine causa: nisi iudicatum fiat.

Vt nullus præsumat teloniũm rodaticum vel pulueraticum recipere. cap. ccxlij.

¶ Cap. 306.

Vt nullus homo præsumat telonium per vias vel per villas rodaticum, nec pulueraticum recipere.

De eo cui non rectè iudicatur. cap. ccliij.

¶ Cap. 307.

Vt si aliquis voluerit dicere quòd iustè ei nõ iudicetur, tunc in præsentiam nostram veniat, aliter verò non præsumat in præsentiam nostrã venire pro alterius iustitia dilatanda.

Ne aliquis ab ignoto homine equum, bouem, vel aliud animal emat. cap. ccxciv.

¶ Cap. 308.

Vt nullus comparet caballum, bouem, aut iumentum, vel aliud animal, nisi illum hominẽ cognoscat qui eum vendidit, & de quo est, & vbi manet, & quis est eius senior.

De Episcopo qui ab aliquo impetitur, vt si ipse quæstionem aliquam retulerit, per Episcopos iudices causa terminetur. cap. cccix.

¶ Cap. 309.

Si quis Episcopus à quoquam impetitur, vel ille aliquam quæstionẽ retulerit, per Episcopos iudices causa finiatur, siue quos eis primates dederint, siue quos ipsi vicinos ex consensu delegerint.

Si possessor per violentiam expellatur. Cap. cccliv. ¶ CAP. 310.

Quicunque violenter expulerit possidentem priusquàm pro ipso iudicis sententia procedat, si causam meliorẽ habuerit, ipsam causam de qua agitur perdat. Ille verò qui violentiam pertulit, vniuersa in statu quo fuerant recipiat. & quæ possedit securus teneat. Si verò illud inuadit quod per iudicium obtinere potuit, & causam amittat, & aliud tantum quantum inuasit reddat expulso.

Si ad diripiendum quisque alios inuitasse reperiatur. cap. ccliij.

¶ CAP. 311.

Si quis ad diripiendum alios inuitauerit, vt cuiuscunque rem euertat, aut pecora vel animalia quæcunque diripiat, illi cuius res direpta est in septuplum quæ sublata sunt restituat: si verò qui cum ipso fuerint, ingenui sint, quinos solidos componere compellantur. Aut si non habuerint vnde componant, 150. flagella suscipiant. Si verò serui hoc sine domini voluntate commiserint, centenis quinquagenis flagellis verberentur, & ab eis res omnes integro in statu reddantur.

Vt iudicandus si ita maluerit, ad episcopale iudicium dirigatur, & quicquid Episcoporum fuerit sententia definitum, immobile permaneat: & vt vnius etiam Episcopi testimonium ratum sit. cap. ccclxvi.

¶ CAP. 312.

Quicunque litem habens siue possessor siue petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum curriculis, siue cum negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ legis antistitis, ilico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim quæ in iudicio captione præscriptionis vincula promi non patiuntur, inuestigat & promit sacrosanctæ religionis authoritas. Omnes itaque causæ quæ vel prætorio iure vel ciuili tractãtur, Episcoporũ sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis iure firmentur. Nec liceat vlteriùs retractari negotium quod Episcoporum sententiis deciderit. Testimonium etiam ab vno licet Episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant: nec alius audiatur, cùm testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis authoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine consciẽtia mentis illibatæ protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes.

Ex libro legum Theodosij tertio, cap. xij. de incestis. cap. ccccx.

¶ CAP. 313.

Quòd incesti non sint legitimi hæredes: sed infamia sint notatæ vtræque personæ.

Vt ita valeat commutatio, sicut & emptio. cap. ccccxvij. ¶ CAP. 314.

Commutatio si non fuerit per vim & metum extorta, talem qualem & emptio habeat firmitatem.

De homicidis, maleficis, veneficis, conuictis, appellare volentibus non audiendis. Ex lib. vij. cap. clxxxi. ¶ CAP. 315.

In ciuilibus causis vel leuioribus criminibus legibus dilatio præstanda est. Homicidæ, adulteri, venefici, conuicti, si appellare voluerint, non audiantur.

De causis in iudicio conuincendis, & de sententia aduersus absentes infirmanda, & de causis in iudicio non reuoluendis, & vt absentes non damnentur, & quòd absentes per alium nec accusare nec accusari possint. cap. cciv.

¶ CAP. 316.

Conuinci nemo potest in iudicio sine testibus aut scriptura. Sententia absente parte alia, à iudice data, nullam obtinet firmitatẽ. Causa inter præsentes iudicata, post decendium reuolui non potest. Nec inter absentes post vicendium. In causa capitali absens nemo damnetur, neq; absens per alium accusatorem accusari potest.

Vt ea quæ ad perpetuam vtilitatem sunt instituta, inconuulsa permaneant. cap. ccxxvij.

¶ CAP. 317.

Quæ ad perpetuam vtilitatem sunt instituta, nulla commutatione varientur. Nec ad priuatũ trahantur commodum, quæ ad bonũ sunt commune præfixa. Et manentibus terminis quos statuerunt patres, nemo damnet alienum, sed intra fines proprios atque legitimos prout quis voluerit, in latitudine se charitatis exerceat.

De Iudicibus contra legem iudicantibus, & legem audire nolentibus. cap. ccxlix.

¶ CAP. 318.

Quicunque iudex oblatas sibi in iudicio leges vel iuris species audire noluerit, & contra eas iudicauerit, ex hac re conuictus, in carcerem deportetur.

Quod de criminibus definitis non liceat postmodùm mouere certamen. cap. ccxcj.

¶ CAP. 319.

De his criminibus de quibus absolutus est, ab eo qui accusauit refricari accusatio non potest.

De tenendis ad solutionem qui debitum promittunt. cap. ccxcvij. ¶ CAP. 320.

Si quis pro alterius debito se pecuniam promiserit redditurum, ad solutionem statutæ promissionis est retinendus.

De his qui ad vendendum alterius rem acceperint, quid agendum sit. cap. ccxcviij.

CAP. 321.

Si facto pretio rem vendendam aliquis cuicunque tradiderit, & dum ab eo vendenda profertur, quacunque occasione perierit, ei perit qui eam dederat distrahẽdam. Cæterum si rem acceptam non rogante domino, sed promittente eo qui accepit dum vellet venũdare perdiderit, sibi rei perditæ ingerit detrimentum.

De his qui aliis aliquid debent, & ipsis ab eis aliquid debetur, vt in solutionem computentur. cap. ccciij.

¶ CAP. 322.

Si quis debeat alicui solidos decem, & ille qui debet de quacunque ratione debeantur illi à creditore suo solidi quinque, & veniat creditor totos decem solidos à debitore petat: si probauerit ille debitor sibi ab eo quinque solidos deberi quare illum in solidum pro totis decem solidis conuenit, causam perdit

qui noluit debitum compensare. Similis ratio est de frumento, vel de aliis speciebus.

De his qui filiisfamilias aliquid commodauerint quid agendum sit. Cap. ccciv.

¶ Cap. 323.

Qui filiofamilias contra interdicta legum inscio patre pecuniam commodauit, eam nec viuente nec mortuo patre ab eodem poterit postulare.

De peruasoribus finium priusquam causa iudicio terminetur. cap. cccxxv.

¶ Cap. 324.

Si peruasor finium fuerit approbatus, eò quòd priusquàm aliquid iudicio terminetur, id quod alter tenuerat inuasisse, non solum illud quòd malè præsumpserit, amittat sed ne vnusquisque rem alienam occupet, cùm fuerit in causa deuictus peruasor iuris alieni, tantum spatij restituat, quantum præsumpserit inuadere.

Quòd non solùm qui furtum fecerint, sed & qui ad hoc perficiendum adiutorium aut consilium dederint, furti actione sunt tenendi. cap. cccxl.

¶ Cap. 325.

Non tantùm qui furtum fecerit, sed etiam is cuius opere aut consilio furtum factum fuerit, furti actione tenebitur.

Qui sint agnati, & qui sint cognati. cap. cccxlj.

¶ Cap. 326.

Agnati sunt, qui per virilem sexum descendunt: Cognati autẽ qui per fœmineum. Et ideo patrui vel patruorum filij agnati sunt, & non cognati. Auunculi verò & auunculorum filij, cognati sunt & non agnati.

De his qui domos effregerint, vel villas expoliauerint, aut expugnauerint, vel rapinas fecerint, quid agendum sit. cap. cccxlij.

¶ Cap. 327.

Si qui ædes aliquas villásve expoliauerint, effregerint, expugnauerint, vel rapinas fecerint, si quidem id turba cum telis coacta fecerint, capite puniantur. Telorum autem appellatione omnia ex quibus saluti hominis noceri possit, accipientur.

De his qui latrones vel reliquos malefactores susceperint. cap. cccxliv. ¶ Cap. 328.

Receptores aggressorum, itémque latronũ, eadem pœna afficiuntur qua ipsi latrones. Sublatis enim susceptoribus grassantium cupido conquiescit.

De his qui incendium fecerint. cap. cccxlv.

¶ Cap. 329.

Si aliquis malitiæ studio incendium miserit, de hoc crimine conuictus pœnis grauissimis iubetur interfici. Quòd si per negligentiam factũ incendium comprobatur, damnum quod cuicunque illatum fuerit, résque quæ incendio perierit dupli satisfactione farciatur.

Quòd hi qui pro iniuria mediocri damna subire compelluntur, infames efficiãtur. cap. cccliij.

¶ Cap. 330.

Qui pro iniuria mediocri estimatæ iniuriæ damna subire compellitur, quamuis ciuiliter videatur addictus, tamen infamis efficitur.

De his qui res alienas violenter occupant, quicquid ibi perditum vel alienatum fuerit, eis quibus competebant pleniter restaurent. Cap. ccclv. ¶ Cap. 331.

Si ex rebus quas violenter aliquis occupauit, quælibet sub quacũque occasione perierint aut arserint, vel serui violẽter occupati mortui fuerint, qualibet fraude illius qui occupauit id quod perit factum non videatur, tamen ab ipso quæcunque perierint reddenda sunt, qui rem iuris alieni violenter visus est occupasse.

De familiaribus, vel hominibus tam liberis quã seruis dominum accusantibus, vel secreta eius prodentibus, quid agendũ sit. cap. cccxl.

¶ Cap. 332.

Si quis ex familiaribus vel ex seruis cuiuslibet domus, cuiuscunque criminis delator atque accusator emerserit, eius existimationem, caput, atque fortunas petiturus cuius familiaritati vel dominio inhæserit, ante exhibitionem testium, ante examinatum iudicium, in ipsa expositione criminũ atque accusationis exordio vltore gladio feriatur. Vocem enim funestam potius intercidi quàm audiri oportet. Eorum verò accusandi sacerdotes vel testificandi in eos os obstruimus, quos non humanis sed diuinis vocibus mortuos esse scimus.

De causis definitis minimè renouãdis. cap. cccel.

¶ Cap. 333.

Flagitari iudicium non debet de causa quæ definita vel iudicata est.

De eo qui post veritatem repertam aliquid deinceps discutit. cap. ccclxx.

¶ Cap. 334.

Quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlteriùs discutit, mendacium quærit. Idcirco ab omnibus cautè agendum est.

De his qui seruorum matrimonia dirimunt. cap. ccclxxij. ¶ Cap. 335.

Dictum nobis est, quòd quidam legitima seruorum matrimonia potestatiua quadã præsumptione dirimant, non attendentes illud euangelicum, Quod Deus coniunxit homo nõ separet. *Matth. 19.*
Vnde nobis visum est, vt coniugia seruorum nõ *Marc. 10.*
dirimantur, etiam si diuersos dominos habeant, sed in vno coniugio permanentes dominis suis seruiant. Et hoc in illis obseruandum est, vbi legalis coniunctio fuit, & per voluntatem dominorum.

De his qui ex industria peccant. cap. ccclxxv.

¶ Cap. 336.

Sed nec hoc prætereundum putamus, quòd quidam ex industria peccantes propter eleemosynarum largitionem quandam sibi promittunt impunitatem. Eleemosyna enim extinguit peccata: iuxta illud, Ardentẽ ignem extinguit aqua, *Eccl. 3.*
& eleemosyna extinguit peccata: Sed ea quæ aut necessitate, aut casu, aut qualibet fiunt fragilitate. Ea verò quæ ex industria ad cuiuslibet libidinem explendam idcirco fiũt vt eleemosynis redimantur, nequaquã eis redimi possunt. Quia qui hoc perpetrant, videntur Deum mercede conducere, vt eis impunè peccare liceat. Non ergo idcirco quis peccare debet vt eleemosynã faciat, sed ideo eleemosynam facere debet, quia peccauit. Mentem enim & corpus quæ libido traxit ad culpam, afflictio & contritio debet reducere ad veniam.

Vt Comites & Iudices viles personas non admittant ad testimonium. Cap. ccclxxi.

¶ CAP. 337.

Summoperè admonendi sunt Comites & Iudices ne viles & indignas personas coram se permittant ad testimonium accedere: quoniam multi sunt qui periurare pro nihilo ducunt, in tantùm vt pro vnius diei satietate, aut pro quolibet paruo pretio ad iuramentum conduci possint, animas suas periurio perdere minimè formidant. Quamobrem tales nequaquã ad quodlibet testimonium admittendi sunt. Et hoc notandum quòd non solùm illi qui periurant, sed etiam qui periuris consentiunt, simili plectendi sunt damnatione.

De eo qui decimam dare neglexerit ecclesiæ cuius esse debet, alterique ecclesiæ eandem dederit. cap. ccclxxvij.

¶ CAP. 338.

Quicunque decimam abstrahit de ecclesia ad quam per iustitiam dari debet, & eam præsumptuosè, vel propter munera aut amicitiam vel aliam quamlibet occasionem ad alteram ecclesiam dederit, à comite vel à misso nostro distringatur, vt eiusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

De malis scabinis eiiciendis. cap. ccclxxviij.

¶ CAP. 339.

Vt missi nostri vbicunque malos scabinos inuenerint eiiciant, & totius populi consensu in loco eorum bonos eligant: & cùm electi fuerint, iurare faciant vt scienter iniustè iudicare non debeant.

De melioribus & veracioribus eligendis. cap. ccclxxix. ¶ CAP. 340.

Vt omni comitatu hi qui meliores & veraciores inueniri possunt eligantur à missis nostris ad inquisitiones faciendas & rei veritatem dicendam, & adiutores comitum sint ad iustitias faciendas.

De scabinis qui propter munera aut amicitiam iniustè iudicauerint. cap. ccclxxx.

¶ CAP. 341.

Volumus vt quicunque de scabinis deprehensus fuerit propter munera aut propter amicitiam vel inimicitiam iniustè iudicasse, per fideiussores missus ad præsentiam nostram veniat. De cætero omnibus scabinis denuncietur, ne quis deinceps etiam iustum iudicium vendere præsumat.

De eo qui res alienas malo ingenio emptas filio suo aut cuilibet personæ legitimos annos non habenti tradiderit. cap. ccclxxxj.

¶ CAP. 342.

Quicunque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res comparatas habet per malum ingenium, proprio filio aut alteri cuilibet necdum legitimos annos habenti iustitiæ tollendæ causa tradiderit, volumus atque firmiter præcipimus, vt si pater eiusdem paruuli vixerit, ipse intret in causam rationem reddendi pro filio suo. Si autem ipse pater mortuus est, tunc legitimus eius propinquus, qui iustè ei tutor, aut defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter de aliis omnibus iustitiis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hereditate quæ ei per successionem parentum suorum legitimè euenire debuit. Quòd si quis hanc nostram iussionem contempserit vel neglexerit, sicut de cæteris contemptoribus ita de eo agatur. Is verò qui easdem res primus inuasit, nec non & emptores excepta sola persona paruuli, hoc quod fraudulenter admiserunt intra patriam, emendare cogantur, & postea sicut contemptores iussionis nostræ sub fideiussoribus ad nostram præsentiam venire compellantur.

De eo qui de obiectis se expurgare noluerit. Cap. ccclxxxij. ¶ CAP. 343.

Probat illa vera esse, quæ aduersùm se dicta sunt: qui ad ea confutanda minimè vult adesse. Vnde in secularibus legibus inuenitur scriptum: Iniustè victus infra tres menses reparet causam, quòd si facere neglexerit, sententia quæ aduersùs eum collata fuerit perseueret. Et ne sit vobis contrarium, vel etiam ne miremini quòd de sæcularibus legibus locutus sum in nostro iudicio, quia ecclesiasticæ leges & diuinæ eas recipiunt.

Vt quos regia potestas in gratiam receperit, his etiam minores potestates communicent. cap. ccclxxxiij.

¶ CAP. 344.

Si quos culpatorum regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes effecerit, hos etiam sacerdotum & populorum conuentus suscipere in ecclesiastica communione debebit, vt quod principalis pietas recipit, nec à sacerdotibus Dei extraneum habeatur.

Vt seculari potentia compescantur qui monitis sacerdotem obedire contemnunt. Libelli secundi xl. cap. ccclxxxiv.

¶ CAP. 345.

Qui sacerdotum admonitionibus nolunt obedire, volentes in suis criminibus perdurare, oportet eos per disciplinam secularis potentiæ, à tam praua coërceri consuetudine.

De hominibus impari conditione coniugatis. cap. xvj. ¶ CAP. 346.

Homines liberi qui vxores fiscalinas regias, & fœminæ liberæ quæ homines fiscalinos regios accipiunt, nec de hæreditate parentum, nec de causa quærenda, nec de testimonio pro hac re abiiciantur.

De eo qui latroni dederit mansionẽ. cap. xxiij.

¶ CAP. 347.

Quicunque latroni mansionem dederit, si Francus, cum duodecim similibus Francis iuret, quòd ipse latronem eum fuisse non sciesset: Si iurare non poterit, quasi latro iudicetur.

De rixantibus, si alter eorum quoquomodo percussus lecto decubuerit.

¶ CAP. 348.

Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, & iacuerit in lecto, si surrexerit & ambulauerit foris super baculum suum,

innocens erit: ita tamen vt operas & impensas eius in medicis restituat.

Si in apertam negligenter cisternam quoddam ceciderit iumentum. Cap. xvi.

¶ Cap. 349.

Si quis aperuerit cisternam & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium, quod autem mortuum est, ipsius erit.

Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit domino sciente, vitiosum esse bouem suum. cap. xvij. ¶ Cap. 350.

Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit, vendent bouem viuum, & diuident pretium & cadauer. Si verò sciebat dominus eius quòd bos vitiosus erat, & noluit eum custodire, reddat bouem pro boue, & cadauer integrum accipiat.

De eo qui furatus fuerit ouem aut bouem. cap. xviij. ¶ Cap. 351.

Qui furatus fuerit bouem, aut ouem, quinque boues pro vno restituat, & quatuor oues pro vna.

De fure, si inter furandum occisus fuerit. cap. xix. ¶ Cap. 352.

Si effregerit fur domum, siue suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit.

De eo qui lædit agrum vel vineam, & sinit iumentum suum aliena depascere. cap. xx. Cap. 353.

Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit iumentum suum vt depascatur aliena, quicquid optimum habuerit in agro vel in vinea, pro damni æstimatione restituat.

De eo qui ignem accendi per quem alicui damnum euenit. cap. xxj.

¶ Cap. 354.

Si egressus ignis inuenerit spicas, & comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris, reddat damnum qui ignem succenderit.

Vindicta in aduocatum cupidum. cap. lvij.

¶ Cap. 355.

Si aduocatus in causa suscepta iniqua cupiditate fuerit repertus, à conuentu honestorum, iudiciorúmque communione separetur: & videant ne iudicis, & assertoris personam accipiat.

Pœna serui delatoris domini sui. cap. clxxvij.

¶ Cap. 356.

Seruus si super dominum suum fuerit delator, etiam si obiecta probauerit, puniatur.

Omnes qui sunt anathema ne publicam habeant vocem. cap. ccxv.

¶ Cap. 357.

Omnium anathematum vox in accusatione vel testimonio, aut humano iudicio pleniùs non audiatur.

Vt fures & malefactores idoneis testibus conuicti secundùm legem moriantur. cap. cclvii. ¶ Cap. 358.

De furibus & malefactoribus decreuimus obseruari, vt si quinque aut septem bonæ fidei homines absque inimicitia præposita, criminosum cum sacramenti interpositione esse dixerint, sicut contra legem fecit, sic secundùm legem moriatur.

Ne quis debitorem teneat contempto fideiussore. cap. cccxxxiv. ¶ Cap. 359.

Si quis contempto fideiussore debitorem suum tenere maluerit, fideiussor vt hæres eius à fideiussione liberatur.

De consciis alienorum peccatorum. cap. cccxxxvi. ¶ Cap. 360.

Peccatorum alienorum conscij nisi emendationis & salutis causa prodiderint, delinquunt.

Vt contra extraneos parentela aut propinquitas testimoniũ minimè dicat. cap. cccxlviij.

¶ Cap. 361.

Fratres, sorores, vterini, patrui, auunculi, materteræ, seu eorum filij, item nepotes, neptes, consobrini, vel amitini, seu etiam quidam ex propria consanguinitate in iudicio aduersùs extraneos testimonium dicere non permittimus: nisi forsitan parentes eiusdem cognationis inter se litem habuerint, aut in causa de qua agitur aliam omnino ingenuitatem deesse constiterit.

Quod ea quæ domino consecrantur, ad ius ecclesiasticum pertineant. cap. cccxciv.

¶ Cap. 362.

Ea quæ domino offeruntur vel consecrantur ad ius pertinent sacerdotum. Et sacrilegi sunt omnes qui ea auferunt, vel in aliud transferunt.





D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI, DECRETI PARS DECIMA-SEPTIMA.

CONTINENS SPECVLATIVAS Sanctorum Patrum sententias de Fide, Spe, & Charitate.

Aug. tract. de primi hominis creatione, tom. 9.

QVANTA SIT DIGNITAS CONDITIONIS HVMANÆ, & ne quis ab ea seruili conditione degeneret.

¶ CAPVT PRIMVM.



ANTA dignitas humanæ conditionis esse dignoscitur, vt non solum iubentis sermone, vt alia sex dierum opera, sed consilio sanctæ Trinitatis, & opera diuinæ maiestatis creatus sit homo: vt ex primo conditionis honore intelligeret quantum suo conditori deberet, dum tantum in conditione mox dignitatis priuilegium præstitit ei conditor, vt tantò ardentius amaret conditorem, quantò mirabiliùs se ab eo conditum intelligeret. *Genes. 1.* Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Nec ob hoc solum quòd sanctæ Trinitatis consilio † sic ab excellentia conditoris conditus sit, sed etiam quòd ad imaginem & similitudinem suam ipse creator omnium eum creauit, quod nulli alij ex creaturis donauit. *† sit excellenter à conditore conditus.* Quæ imago diligentiùs interioris hominis nobilitate est consideranda. Primò siquidem, vt sicut Deus semper vbique totus est, omnia viuificans, mouens, & gubernans, sicut Apostolus confirmat dicens, quod in eo viuimus, mouemur, & sumus: *Act. 17.* sic anima in suo corpore vbique tota viget, viuificans illud, mouens & gubernans. Neque enim in maioribus sui corporis membris maior est, in minoribus minor: sed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc est imago vnitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se, quæ quoque quandam sanctæ Trinitatis habet similitudinem. Primò in eo, quia sicut Deus est, viuit, & sapit, ita anima secundum suum modum est, viuit, & sapit. Est quoque & alia Trinitatis similitudo in ea, qua ad imaginem sui conditoris perfectæ quidem & summæ Trinitatis, quæ est in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, condita est. Et licet vnius sit illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem, memoriam. Quod idem licet aliis verbis, in Euangelio designatur, cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum *Matth. 22.* ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, id est, ex toto intellectu, & ex tota voluntate, & ex tota memoria. Nam sicut ex Patre generatur Filius, ex Patre & Filio procedit Spiritus sanctus, ita per intellectum generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria, sicut facilè à sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus, nec horum trium vnum aliquid, quantum ad suam pertinet beatitudinem, sine aliis duobus integrum constat. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus non tres dij, sed vnus est Deus, tres habens personas, ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates: atque in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur diligere conditorem: vt quantum intelligitur, diligatur, & quatenus diligitur semper in memoria habeatur. Nec solum sufficit de eo intellectus, nisi fiat voluntas in amore: nec duo hæc sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus, sic vt nullum possit esse momentum, quo præsentem eum non habeat memoria. Et hæc de imagine habeto. Nunc verò de similitudine aliqua intellige, quæ in moribus cernenda est, vt sicut *Similitudo Dei in homine.* Deus creator, qui hominem ad similitudinem suam creauit charitas est, & bonus est, & iustus, patiens, † mundus, & misericors, & cætera virtutum insignia quæ de eo leguntur: ita homo *† multum & misericors.* creatus est, vt virtutes easdem haberet, quas quantò plus quisque in semetipso habet, tantò propinquior est Deo, & maiorem sui conditoris

gerit similitudinem. Quando vadit aliquis per deuia vitiorum & diuortia criminum, ab hac nobilissima sui conditoris similitudine degener oberrat, tunc fiet de eo quod scriptum est: Et homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quis maior honor potuit homini esse, quàm vt ad similitudinem sui conditoris conderetur, & eisdem virtutum vestimentis ornaretur quibus & conditor? [ita nullum debet esse momentum, quo homo vtens Dei bonitate & misericordia, non sit memor eius] de quo scriptum est: Dominus regnauit, decorem indutus est, id est, omnium virtutum & totius bonitatis decore ornatus. Sed quod maius homini potest esse dedecus, aut infœlicior miseria, quàm vt hac similitudinis gloria Dei conditoris amissa, ad informem & irrationabilem brutorum iumentorum dilabatur similitudinem? Quapropter quisque diligentiùs primæ conditionis suæ excellentiam, & verendam sanctæ Trinitatis in seipso imaginem agnoscat: honoremque similitudinis diuinæ ad quam creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat, vt quando apparebit qualis sit, similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliúsque in secundo reformauit.

Psal. 48. — *Hæc in Aug. non leguntur.* — *Psal. 92.*

Quòd anima cùm sit incorporea corporis tamen possit habere similitudinem. Augustinus ad literam. CAP. 2.

De Genesi ad literam lib. 12. cap. 33.

Animam verò non esse corpoream, non me putare sed planè scire, audeo profiteri: tamen habere posse corporis & corporalium omnino membrorum similitudinem quisquis negat, potest negare animam quæ in somnis videt vel ambulare se, vel sedere, vel hac atque illac egressu, aut etiam volatu ferri ac referri, quod sine quadam similitudine corporis non fit. Proinde si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem sed corpori similem, ita etiam in locis videtur esse non corporalibus, sed corporalium similibus, siue in requie, siue in doloribus. Quamquam & illud me nondum inuenisse confiteor, inferos appellatos, vbi iustorum animæ requiescunt. Et Christi quidem animam venisse vsque ad ea loca in quibus cruciantur peccatores, vt eos solueret à tormentis, quos esse soluendos occulta sua nobis iustitia iudicabat, non immeritò creditur.

Quòd etiam Christus secundùm carnem fuit in lumbis Abrahæ quando Leui decimatus est. Augustinus. ¶ CAP. 3.

Ibid. lib. 10. cap. 20.

Me non parum mouet, quamuis nullius hominis anima sit in lumbis patris sui, secundum carnem tamen in lumbis Abrahæ constitutum Leui decimatum, & ibi constitutum secundùm carnem Christum non decimatum. Secundùm rationem quippe illam seminalem ibi fuit Leui, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundùm quam rationem non ibi erat Christi caro, quamuis secundùm ipsam ibi fuerit Mariæ caro. Quapropter nec Leui nec Christus in lumbis Abrahæ secundùm animam, secundùm carnem verò, & Leui & Christus. Sed Leui secundùm concupiscentiam carnalem: Christus autem secundùm solam substantiam corporalem. Cùm enim sit in semine & visibilis corpulentia, & inuisibilis ratio, vtrunque † concurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam vsque ad corpus Mariæ, † quod & ipsum eo modo conceptum & exortum est: Christus autem visibilem carnis substantiam de carne virginis sumpsit. Ratio verò conceptionis eius non à semine virili, sed de longè aliter ac desuper venit. Proinde secundùm hoc quod de matre accepit, etiam † in lumbis Abrahæ fuit. Ille est ergo decimatus in Abraham, qui licet secundùm carnem tantùm, sic tamen fuit in lumbis eius, quemadmodum in sui patris etiam ipse Abraham, id est, qui est sic natus de patre Abraham, quemadmodum de suo patre natus est Abraham: per legem scilicet in membris repugnantem legi mentis, & inuisibilem concupiscentiam, quamuis eam casta & bona iura nuptiarum non sinant valere, nisi quantùm ex ea possunt generi substituendo prospicere. Non autem & ille ibi decimatus est: cuius caro inde non feruorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur quod curabatur, non illud vnde curabatur. Eadem namque caro non Abrahæ tantùm, sed ipsius primi, terrenique hominis simul habebat & vulnus præuaricationis, & medicamentum vulneris. Vulnus præuaricationis in lege membrorum repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem seminali ratione quasi transcribitur. Medicamentum autem vulneris in eo, quod inde sine opere concupiscentiali in sola materie corporali per diuinam conceptionis, formationisque rationem de virgine assumptum est, propter mortis sine iniquitate consortium, & sine falsitate resurrectionis exemplum.

Heb. 7. — † *cucurrit.* — † *quia.* — † *de.* — *Rom. 7.*

Quòd omnia peccata in baptismo deleantur. Aug. in Enchiridio. ¶ CAP. 4.

Cap. 42. 43. 44.

A paruulo enim recens nato vsque ad decrepitum senem, sicut nullus est prohibendus à baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo. Sed paruuli tantum originali, maiores autem etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt. Sed ideo etiam ipsi peccato mori plerumque dicuntur, cùm proculdubio non vni, sed multis peccatis omnibúsque moriantur, quæcunque iam propria commiserunt, vel cogitatione, vel locutione, vel opere. Quia etiam per singularem numerum pluralis numerus significari solet, sicut ait ille: Vterúmque armato milite complent, quamuis hoc multis militibus fecerint. Et in nostris literis legitur: Ora ergo vt auferat à nobis serpentem. Non ait serpentes, quos patiebatur populus, vt hoc diceret & innumerabilia talia. Cùm ergo & illud originale vnum † alio numero significatur, quando dicitur, in remissionem peccatorum baptizari paruulos, nec dicimus in remissionem peccati: illa contraria locutio est, qua per pluralem locutionem significatur numerus singularis, sicut in euangelio de Herode mortuo dictum est: Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri. Non dictum est, mortuus est. Et in Exodo: Fecerunt, inquit, sibi deos aureos: cùm vnum vitulum fecerint tantùm, de quo dixerunt: Hi sunt dij tui Israël qui te eduxerunt de terra Ægypti. Et hic pluralem ponentes pro singulari.

Virg. 2. Æneid. — *Num. 21.* — † *plurali.* — *Matth. 2.* — *Exod. 32.* — *Ibidem.*

Enchirid. cap. 45. Rom. 5.

Quòd in vno Adæ peccato plura inueniantur peccata. Ex eodem. ¶ CAP. 5.

Quamuis & in illo peccato vno, quod per vnum hominem intrauit in mundum, & in omnes homines pertransiit, propter quod etiam paruuli baptizantur, possint intelligi plura peccata, si vnum ipsum in sua quasi membra singula diuidatur. Nam & superbia est illic, quia homo in sua potius esse quàm in Dei potestate dilexit. Et sacrilegium, quia Deo non credidit. Et homicidium, quia semetipsum præcipitauit in mortem. Et fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est. Et furtum, quia cibus prohibitus vsurpatus est. Et auaritia, quia plusquàm illi sufficere debuit appetiuit: & si quid aliud in hoc vno admisso diligenti consideratione inueniri potest. Gen. 3.

Cap. 46.

Paruulos ante baptismum parentum suorum peccatis obligari. Ex eodem. ¶ CAP. 6.

Parentum quoque peccatis paruulos obligari, non solùm primorum hominum, sed etiam suorum de quibus ipsi nati sunt non improbaliter dicitur. Illa quippe diuina sententia: Reddam peccata patrum in filios, tenet eos vtique antequàm per regenerationem ad testamentum nouum incipiant pertinere. Quod testamentum prophetabatur, cùm diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum: nec vlteriùs futuram in Israël parabolam illam, Patres manducauerunt vnam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Ideo enim quisque renascitur, vt † saluetur in eo quicquid peccati est cum quo nascitur. Nam peccata quæ malè agendo postea comittuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non est instituta regeneratio nisi quia vitiosa est generatio, vsque adeo vt etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in vtero aluit. Neque hic dixit, in iniquitate vel peccato, cùm & hoc rectè dici possit, sed iniquitates & peccata dicere maluit. Quia etiam in illo vno quod in omnes homines pertransiit, atque tam magnū est, vt in eo mutaretur & conuerteretur in necessitatē mortis humana natura, reperiuntur sicut supra disserui, plura peccata & alia parentum, † quæ non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia & misericordia diuina subueniat.

Exod. 34. Deut. 5. Cap. 18. Hier. 31. † soluatur. Psal. 50. † qui etsi.

Cap. 47.

De eadem re. Ex eodem. ¶ CAP. 7.

Sed de peccatis aliorum parentum, quibus ab ipso Adam vsque ad patrem suum, progenitoribus suis quisque succedit, non immeritò disceptari potest: vtrum omnium malis actibus, & multiplicatis delictis originalibus quis cum nascitur implicetur, vt tantò peiùs quantò posteriùs quisque nascatur. An propterea Deus in tertiam & quartam generationē de peccatis parentum eorum posteris comminetur, quia iram suam quantùm ad progeneratorum culpas, non extendit vlteriùs moderatione miserationis suæ: ne illi quibus regenerationis gratia non confertur, nimia sarcina in ipsa sua æterna damnatione premerentur, si cogerentur ab initio generis humani omnium præcedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere & pœnas eis debitas pendere. An aliud aliquid de re tanta scripturis sanctis diligentiùs perscrutatis tractatis valeat vel non valeat reperiri, temerè affirmare non audeo. Exod. 20.

Originale delictum non posse solui, nisi per Christum. Ex eodem. ¶ CAP. 8. Cap. 48.

Illud tamen vnum peccatum, quod tam † magno in loco & habitatione fœlicitatis admissum est, vt in vno homine originaliter, atque vt ita dixerim radicaliter, totum genus humanum damnaretur, non soluitur ac diluitur, nisi per vnum mediatorem Dei & hominum Iesum Christum, qui solus potuit ita nasci, vt ei opus non esset renasci.

† magnum in loco & habitu tantæ infœlicitatis, sic hodie August.

De resurrectione mortuorum. Item. Ex eodem. Cap. 84. ¶ CAP. 9.

Iam verò de resurrectione carnis non sicut quidam reuixerunt, iterumque sunt mortui, sed in æternam vitam, sicut Christus ipse resurrexit, quemadmodum possim breuiter disputare, & omnibus quæstionibus quæ de hac re moueri solent satisfacere, non inuenio. Resurrecturam tamen carnem omnium quicumque nati sunt hominum, atque nascentur, & mortui sunt atque morientur, nullo modo potest dubitare Christianus.

De abortiuis vel informibus partibus. Ex eodem. Cap. 85. ¶ CAP. 10.

Vnde primò occurrit de abortiuis fœtibus quæstio, qui iam quidem nati sunt in vteris matrum, sed nondum ita, vt iam possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus, de his qui iam formati sunt tolerari potest vtcunque quod dicitur. Informes verò abortus quis non procliuiùs perire arbitretur, sicut semina quæ concepta non fuerint? Sed quis negare audeat, etsi affirmare non audeat, id acturam resurrectionem, vt quicquid formæ defuit, impleatur? Atque ita iam non desit perfectio quæ accessura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia quæ accesserant tempore: vt neque in eo quod aduersum atque contrarium dies attulerant, natura turpetur, sed integretur quod nondum erat integrum, sicut instaurabitur quod fuerat vitiatum.

Quòd resurrecturus sit infans, etiamsi recepto vitali spiritu mortuus fuerit antequàm natus. Ex eodem. ¶ CAP. 11. Cap. 86.

Ac per hoc scrupulosissimè quidem inter doctissimos quæri ac disputari potest, quod vtrùm ab homine inueniri possit ignoro, quando incipiat homo in vtero viuere. Vtrùm sit quædam vita occulta quæ nondum motibus viuentis appareat. Nam negare vixisse puerperia, quæ propterea membratim execantur, & ejiciuntur ex vteris prægnantium, ne matres quoque, si mortua ibi relinquantur occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo viuere, ex illo vtique iam mori potest. Mortuus verò, vbicumque illi mors potuit euenire, quomodò ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum.

Animam non humano semine propagari, sed formato iam corpore diuinitatis creari. Augustinus dicit. ¶ CAP. 12. De Eccles. dogmati. cap. 14.

Animas hominum non esse dicimus ab initio

inter cæteras intellectuales naturas, nec simul creatas, vt Origines finxit: neque cum corporibus per coitum seminari, sicut Luciferiani, Cyrillus & aliqui Latinorum præsumentes affirmant quasi naturæ consequentia seruiente: sed dicimus corpus tantum per coniugij copulam seminari, Dei verò iudicio coagulari in vulua, & compingi atque formari, formato iam corpore animam creari atque infundi, vt viuat in vtero homo ex anima constans & corpore, egrediaturque viuus ex vtero plenus humana substantia, creationem verò animæ solum creatorem omnium nosse.

Quòd duæ animæ non sint in vno homine, sed vna tantùm. Item Augustinus. Ibid. cap. 15.

¶ CAP. 13.

Non duas animas esse dicimus in vno homine, sicuti quidam Iacobus & alij Syrorum disputatores scribunt, vt vna animalis sit, qua animetur corpus, & immixta sit sanguini: & altera spiritualis quæ rationem ministret: sed dicimus vnam esse eandemque in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrij, vt in sua substantia eligat cogitationem quam vult.

Quòd solus homo habeat substantiuam animam. Item Augustinus. ¶ CAP. 14. Ibid. cap. 16.

Solum hominem credimus habere animam substantiuam † ex qua corpus viuit, & rationem suam & ingenia viuaciter tenet. Neque cum corpore moritur sicut † Arabs asserit, neque post modicum interuallum, sicut Zenon, quia substantialiter viuit.

† quæ exuta corpore viuit, & sensus suos atque ingenia &c. Sic hodie August.
† Aratus habet August.

Quòd pecudum animæ cum carne mortis finiantur. Item Augustinus. Ibid. cap. 17.

¶ CAP. 15.

Pecudum animæ non sunt substantiuæ, sed cum ipsa carnis viuacitate nascuntur, & cum carne mortis finiuntur. Et ideo nec ratione reguntur, sicut Plato & Alexander putant, sed ad omnia naturæ incitamenta ducuntur.

Quòd anima humana cum carne non moriatur. Item August. ¶ CAP. 16. Ibid. cap. 18.

Anima humana non cum carne moritur, quia non cum carne vt superiùs diximus seminatur, sed formato in ventre matris corpore, Dei iudicio dicimus eam creari & infundi, vt viuat homo intus in vtero, & sic natiuitate procedat in mundum.

Quòd homo constet duabus substantiis. August. Ibid. cap. 19.

¶ CAP. 17.

Duabus substantiis constat homo: anima tantùm & carne. Anima cum ratione sua, & caro cum sensibus suis, id est, visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu, quos tamen sensus absque animæ societate non mouet caro: anima verò & sine carne rationem suam integrè tenet.

Quòd non sit tertius in substantia hominis spiritus, vt quidam affirmant. August. Ibid. cap. 20.

¶ CAP. 18.

Non est tertius in substantia hominis spiritus, vt Didymus contendit, sed spiritus ipsa est anima. Anima verò pro spirituali natura, vel pro eo quòd spiret in corpore, spiritus est appellata. Anima verò ex eo vocatur, quòd ad viuificandum animet corpus. Tertium verò qui ab Apostolo cum corpore & anima inducitur spiritum, gratiam sancti Spiritus esse intelligamus, quam orat Apostolus vt integra perseueret in nobis, nec nostro vitio aut minuatur aut fugetur à nobis, quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. 1. Thess. 5. Sap. 1.

Quòd Deus sicut ex nihilo bona facere potuit, ita cùm voluit, per incarnationis suæ mysterium etiam perdita bona reparauit. Gregorius in suis Moralibus. Lib. 4. Moral. cap. 8.

¶ CAP. 19.

Omnipotens Deus sicut ex nihilo bona facere potuit, ita cum voluit per incarnationis suæ mysterium etiam perdita bona reparauit.

Hominem idcirco per Christum ad Dei gratiam reuocatum, quia carnis infirmitate peccauit: Apostatam verò Angelum non posse reparari, quia sponte cecidit. Ex eodem. Cap. 9.

¶ CAP. 20.

Duas verò ad intelligendum se creaturas fecerat, Angelicam videlicet & humanam. Vtramque verò superbia perculit, atque ab statu ingenitæ rectitudinis fregit: sed vna tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne gestauit. Angelus namque solummodò spiritus, homo vero & spiritus est & caro. Misertus ergo creator vt redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse: & eò amplius debuit apostatam Angelum repellere, quò cùm à persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestauit. Vnde & rectè Psalmista, cùm misertum redemptorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit, dicens: Et memoratus est quia caro sunt. Ac si diceret: Quo eorum infirma vidit, eo districtè culpas punire noluit. Psal. 77.

Quòd tres Deus vitales spiritus crearit, vnum, qui carne non tegeretur: alium, qui carne tegeretur, sed non cum carne moreretur: tertium qui carne tegeretur, & cum carne moreretur. Ibid. ¶ CAP. 21. Lib. 4. cap. 3.

Habent etiam infideles fidem, sed vtinam in Deum. Quam si vtique haberent infideles non essent. Sed hinc in sua perfidia redarguendi sunt, hinc ad fidei gratiam prouocandi: quia si de ipso suo visibili corpore credunt quod minimè viderunt, cur inuisibilia non credunt, quæ corporaliter videri non possunt? Nam quia post mortem carnis viuat anima, patet ratio, sed fidei admixta. Tres quippe vitales spiritus creauit omnipotens Deus. Vnum qui carne non tegitur: alium qui carne tegitur, sed non cum carne moritur: tertium qui carne tegitur, & cum carne moritur. Spiritus namque est qui carne non tegitur, Angelorum. Spiritus qui carne tegitur, sed cum carne non moritur, hominum. Spiritus qui carne tegitur & cum carne moritur, iumentorum, omniúmque brutorum animalium. Homo itaque, sicut in medio creatus est, vt esset inferior Angelo, superior iumento, ita ali- Ibid. cap. 3.

quid habet commune cum summo, aliquid commune cum infimo: immortalitatem scilicet spiritus cum Angelo, mortalitatem verò carnis cum iumento, quousque & ipsam mortalitatem carnis gloria resurrectionis absorbeat, & inhærendo spiritui caro seruetur in perpetuum: quia & ipse spiritus inhærendo carni seruatur in Deum. Quæ tamen caro nec in reprobis inter supplicia perfectè deficit, quia semper deficiendo subsistit, vt qui spiritu & carne peccauerunt, semper essentialiter viuentes, & carne & spiritu sine fine moriantur.

Quòd homo in prima conditione sua libero arbitrio donatus sit. Augustinus.

Lib. de spiritu & anima cap. 48.

¶ CAP. 22.

Libertati arbitrij sui commissus est homo statim in prima conditione, vt sola vigilantia mentis annitente, etiam perfecta custodia perseueraret si vellet, in id quod creatus fuerat. Postquam verò seductione serpentis per Euam cecidit à naturæ bono, perdidit pariter vigorem arbitrij, non tamen electionem, ne non esset suum quod emendaret peccatum: nec immeritò indulgeretur quod arbitrio diluisset. Manet ergo ad quærendam salutem arbitrij libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente priùs Deo & inuitante ad salutem, [vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasionem salutis, hoc est, inspirationem Dei. Vt autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse, liberè confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus,] vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est. Vt adipiscamur † quod adquiescendo admonitioni cupimus, diuini est muneris. Vt non labamur adepto salutis munere, solicitudinis nostræ est, & cœlestis pariter adiutorij. Vt labamur, potestatis nostræ est, & ignauiæ.

Gen. 3.

Hæc non leguntur in Augustino.

† quod adipisci desideramus.

Quòd omnes homines in præuaricatione Adæ naturalem possibilitatem perdidissent. Ex decretis Cœlestini Papæ. cap. v.

Epist. 1. ad epis. Galliæ cap. 4.

¶ CAP. 23.

In præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei † miserentis erexerit, pronunciante beatæ memoriæ Papa Innocentio atque dicente in epistola sua ad Carthaginense Concilium: Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultiùs vtitur bonis, cadens, in præuaricationis profunda demersus est: & nihil quemadmodum exinde resurgere posset inuenit, suaque in æternum libertate deceptus, huius † ruina iacuisset oppressus, nisi eum pòst Christi, pro sua gratia, releuasset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem omne præteritum vitium sui baptismatis lauacro purgauit.

† miserantis. Epist. 25.

† ruinæ latuisset.

De eadem re. Ex decretis eiusdem.

Ibid. cap. 7.

¶ CAP. 24.

Quòd nemo nisi per Christum libero bene vtatur arbitrio, idem magister in epistola ad Mileuitanum Concilium data, prædicat dicens: Aduerte tandem † prauissimarum mentium peruersam doctrinam, quòd primum hominem ita libertas ipsa decepit, vt dum indulgentius

Epist. 26. † ô prauissimarum mentium doctrina.

frænis eius vtitur, in præuaricationem præsumptionis ceciderit: nec ex hac potuit erui, nisi ei prouidentia regenerationis, statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset aduentus.

Quòd homo sic positus sit in paradiso si obediens permaneret, vt quandoque ad cœlestem patriam sine carnis morte transiret. Greg.

Lib. 4. moral. cap. 30.

¶ CAP. 25.

Ad hoc in paradiso homo positus fuerat, vt si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis astringeret, ad cœlestem patriam Angelorum quandoque sine carnis morte transiret. Sic namque est immortalis conditus, & tamen si peccaret, & mori posset. Et sic mortalis est conditus, vt si non peccaret, etiam non mori posset, atque ex merito liberi arbitrij beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare vel mori non posset. Vbi igitur post redemptionis tempus carnis morte interposita, electi transeunt, illuc proculdubio parentes primi si in conditionis suæ statu perstitissent, etiam sine morte corporum transferri potuissent.

Quòd nos carnales in huius exilij cæcitate nati, puero in carcere nato & nutrito comparemur.

Lib. 4. dialogo, cap. 1.

¶ CAP. 26.

Postquam de paradisi gaudiis culpa exigente pulsus est primus humani generis parens, in huius exilij atque cæcitatis quam patimur ærumnam venit: quia peccando extra semetipsum fusus, iam illa cœlestis patriæ gaudia quæ priùs contemplabatur, videre non potuit. Homo quippe in paradiso assueuerat verbis Dei perfrui, & beatorum Angelorum spiritibus cordis munditia, & celsitudine visionis interesse: sed postquàm huc cecidit, ab illo quo implebatur mentis lumine recessit. Ex cuius videlicet carne, nos in huius exilij cæcitate nati audimus quidem esse cœlestem patriam, audimus eius ciues Angelos Dei, audimus eorundem Angelorũ socios spiritus iustorum & perfectorum: sed carnales quique quia illa inuisibilia scire non valent per experimentum, dubitant vtrùmne sit, quod corporalibus oculis non vident. Quæ nimirum dubietas primo parenti nostro inesse non potuit, quia exclusus à paradisi gaudiis, hoc quod amiserat, quoniam viderat, recolebat. Hi autem sentire vel recolere audita non possunt: quia eorum nullum, sicut ille saltem, de præterito experimentum tenent. Ac si enim prægnans mulier mittatur in carcerem, ibique puerum pariat: qui natus, in carcere nutriatur & crescat, cui si fortasse mater quæ genuit eum, solem, lunam, stellas, montes, & campos, volantes aues, currentes equos nominet, ille verò qui in carcere natus est & nutritus, nihil aliud quàm tenebras carceris sciat, & hæc quidem esse audiat, sed quia per experimentum non nouit, veraciter esse diffidat: ita in hac exilij sui cæcitate nati homines, dum esse summa & inuisibilia audiunt, diffidunt an vera sint, quia sola hæc in quibus nati sunt, infima & visibilia nouerunt. Vnde factum est, vt ipse inuisibilium & visibilium creator ad humani generis redemptionem vnigenitus Patris veniret, & Spiritum sanctum ad corda nostra mitteret, quatenus per eum viuificati crederemus, quæ † hic scire per experimentum non possumus. Quotquot ergo hunc spiritum hæreditatis nostræ pignus accepimus, de vita inuisi-

† adhuc ere.

bilium non dubitamus. Quisquis autem in hac credulitate adhuc solidus non est, debet proculdubio maiorum dictis præbere fidem, eisque iam per Spiritum sanctum inuisibilium experimentum habentibus credere: quia stultus puer est, si matrem ideo æstimat de luce mentiri, quia ipse nihil aliud quàm tenebras carceris agnouit.

Epist. 1. ad Episcopos Galliæ c.5.

Quòd per semetipsum nemo bonus fieri possit. Ex decr. Cœlest. Papæ.

¶ Cap. 27.

Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet qui solus est bonus. Numquid nos de eorum post hæc rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant deberi quòd boni sunt, nec illum considerant, cuius quotidiè gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se assequi posse confidunt?

Ibid. cap.6.

De eadem re. Ex decretis eiusdem.

¶ Cap. 28.

Neminem etiam baptismatis gratiâ renouatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad deuincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. Nam quamuis hominem redimeret à præteritis ille peccatis, tamen eum sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum & post ista corrigere, multa seruauit, quotidiana præstans illi remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.

Ibid. cap.9.

De eadem re. Ex decretis eiusdem.

¶ Cap. 29.

Quòd ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. (Ioan. 15.) Ad hanc enim nos professionem idem doctor instituit, qui cùm ad totius orbis Episcopos de diuinæ gratiæ opitulatione loqueretur, Quod ergo, ait, tempus interuenit quo eius non egeamus auxilio? (Zosimus Papa in epi. nobis ignota.) In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adiutor & protector orandus est. Superbum est enim vt quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & & sanguinem, sed contra principes & potestates aëris huius, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. (Ephes. 6.) Et sicut iterum ipse dicit: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? (Rom. 7.) Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Et iterum: Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboraui. (1. Cor. 15.) Non ego autem, sed gratia Dei mecum.

Quòd gratia diuina non solùm peccata dimittat, sed etiam adiuuet ne committantur. Greg. in Moralib.

Cap. 30.

Quòd gratia Dei non solùm peccata dimittat, sed etiam adiuuet ne committantur, & lex impleatur, non sicut Pelagius ait, facilè: quasi sine gratia Dei difficiliùs possit impleri. Illud etiam quod intra Carthaginensis synodi decreta constitutum est, quasi propriè Apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est: vt quicumque dixerit gratiam Dei qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad remissionem solam peccatorum valere quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non admittantur: anathema sit. Et iterum quarto capitulo: Quisquis dixerit gratiam Dei per Iesum Christum, propter hoc tantũ nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum Dei, vt sciamus quid appetere & quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus atque valeamus: anathema sit. Cùm enim dicat Apostolus, Scientia inflat, charitas verò ædificat, (1. Cor. 8.) valde impium est vt credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi, & ad eam quæ ædificat non habere, cùm sit vtrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus, vt ædificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, Qui docet hominem scientiam: (Psal. 93.) ita etiam scriptum est, Charitas ex Deo est. (1. Ioan. 4.) Item quinto capitulo: vt quisquis dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam, quamquam & si gratia non daretur non quidem facilè, sed tamen possemus etiam sine illa implere diuina mandata: anathema sit. De fructibus † etiam mandatorum dominus loquebatur, vbi non ait, sine me difficiliùs potestis facere: sed ait, sine me nihil potestis facere. († enim. Ioan. 15.)

Quòd prædestinatio Dei ita sit ordinata, vt ea nociua quæ prædestinata sunt electorum precibus solui queant.

Lib. 1. dia. c. 8.

¶ Cap. 31.

Obtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerint: sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt vt precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare. Petrus. Probari mihi apertiùs velim si potest prædestinatio precibus adiuuari. Gregorius. Hac quod ego Petre intuli, concitè valet probari. Certè etenim nosti, quia ad Abraham Dominus dixit: In Isaac vocabitur tibi semen. (Gen. 21. Ibid. 17.) Cui etiam dixerat, Patrem multarum gentium constitui te. Cui rursum promisit dicens: Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris. (Ibid. 22. & 26.) Ex qua re apertè datur intelligi, quia omnipotens Deus semen Abrahæ prædestinauerat per Isaac multiplicare, & tamen scriptum est: Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua eò quòd esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. (Ibid. 25.) Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur coniugem sterilem accepit? Sed nimirum constat quia prædestinatio precibus impleretur, quando is in quo Dominus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, oratione obtinuit, vt filium habere potuisset.

De Dei prævidentia & simul prouidentia. Aug. in lib. de Prædest. dicit.

¶ CAP. 32.

Omne iudicium secundùm sui naturam quæ sibi subiecta sunt comprehendit. Est autem semper Deo æternus, ac præsentarius status. Scientia quoque omnem temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate præsentiæ, infinitáque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi iam gerantur in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præsentiam pensare quis velit qua cuncta dinoscit, non esse præsentiam, quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectiùs æstimabit. Vnde non prævidentia sed prouidentia potiùs dicitur, quòd porrò ab rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat. Quid igitur dicendum est, vt necessaria fiant quę diuino lumine lustrentur, cum ne homines quidem necessaria faciant esse quæ videant? Num enim quæ præsentia cernuntur, aliquam eis necessitatem videntis addit intuitus? Minimè. Atqui si est diuini humanique præsentis digna collatio, vti homines hoc temporario pręsenti quædam vident, ita ille omnia suo cernit æterno. Quare hæc diuina prænotio naturam rerum proprietatémque non mutat, taliáque apud se præsentia spectat, qualia in tempore olim futura prouenient: nec rerum iudicia confundit, vnóque suę mentis intuitu tam necessariè quàm non necessariè ventura dinoscit. Sicuti aliquis cùm pariter ambulare in terra hominem, & oriri in cælo solem videt, quamquam simul sit, vtrumque in conspectu tamen discernit, & hoc voluntarium illud esse necessarium iudicat: ita igitur cuncta respiciens diuinus intuitus, qualitatem rerum minimè perturbat, apud se quidem præsentium, ad conditionem verò temporis, futurarum. Quo fit vt hoc non sit opinio, sed veritate potiùs nixa cognitio, cùm extaturum quid esse cognoscit, quod idem existendi necessitate carere non nesciat. Hîc si quis dicat quod euenturũ Deus videt id non euenire non posse, quod autem non potest non euenire, id ex necessitate contingere: respondebit illi, res quidem solidissimæ veritatis, sed cui vix aliquis nisi diuini speculator accesserit. Firmatur namque idem venturum cùm ad diuinam notitiam refertur necessarium, cum verò in sua natura perpenditur, liberum prorsus atque absolutum videri. Duæ etenim sunt necessitates, simplex vna, veluti qua necesse est omnes homines esse mortales, altera conditionis, vt si aliquem ambulare quis sciat, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque nouit, id esse aliter ac notum est nequit. Sed hæc minimè secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntate gradientem: quamuis eum tum cùm graditur, incedere necessarium sit. Eodem ergo modo si quid prouidentia præsens videt, id esse necesse est: tametsi nullam naturæ habeat necessitatem. Atqui ea Deus futura quæ ex arbitrij libertate proueniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata diuinum, necessaria fiunt per dispositionem diuinæ notionis, per se verò considerata ab absoluta naturæ suæ libertate non desinunt. Fient igitur proculdubio cuncta quæ futura Deus esse praenoscit: sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio, quæ quamuis eueniant existendo, tamen naturam propriam non amittunt, quia priusquàm fierent etiam non euenire potuissent.

Quòd diuina æternitas nec fuisse, nec futurum esse habeat. Gregor. in Moral. Lib. 4. c. 32.

¶ CAP. 33.

Sed quia beatus Iob sancto æternitatis spiritu impletur, & fuisse vel futurum esse æternitas non habet: cui nimirum nec præterita transeunt, nec quæ futura sunt veniunt: quia cuncta per præsens videt.

Quòd cuncta quæ hominibus fiunt, absque omnipotentis occulto consilio non veniant. Greg. in Moral. suis dicit. Lib. 12. c. 1.

¶ CAP. 34.

Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante secula decreuit, qualiter per secula disponantur.

De eadem re. Gregorius. Lib. 16. c. 6. quamquam non iisdem verbis.

¶ CAP. 35.

Nec Propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur, nec dominica statuta conuulsa sunt, quia vt ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque quod ante secula præfixum fuit, atque spatium vitæ quod inopinatè foris est additum, sine augmento præscientiæ Dei fuit intus statutum.

Quòd Deus singulis dies suos præfigat, vt nec minui nec augeri possint. Gregorius in Moralibus. Lib. 11. c. 15.

¶ CAP. 36.

Præfixi dies singulis ab interna Dei præscientia, nec augeri possunt nec minui, nisi contingat vt ita præsciantur, vt aut cum optimis operibus longiores sint, aut pessimis breuiores, sicut Ezechias augmentum dierum meruit impensione lachrymarum, & sicut de peruersis scriptum est: Indisciplinatis obuiat mors. Sed sæpe iniquus quamuis in occulta Dei præsentia longa vitæ eius tempora non sint prædestinata, ipse tamen qui carnaliter viuere appetit longos animo dies proponit, & quia ad illud tempus peruenire non valet quod expectat, quasi antequàm dies illius impleantur, perit. Quod tamen intelligere & aliter possumus. Plerumque enim quosdam cernimus & peruersè agere, & vsque ad senectutem vltimam peruenire. Quomodò enim dicitur: Antequam dies eius impleantur peribit, cùm in quibusdam sæpe videamus, quia ætate longa iam membra deficiunt, & tamen prauitatem suam eorum desideria exequi non desistunt.

4. Reg. 20. 2. Para. 32. Esai 38. Iob. 15.

Quòd Deus peccata dissimulet. Greg. in Moral. Lib. 14. c. 18.

¶ CAP. 37.

Omnipotens Deus quid nobis profuturum esse valeat sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, vt augeat vtilitatem, vt purgetur vita per pœnam, & quietis tranquillitas quæ hic inueniri non valet, alibi quæratur.

Lib.18.c.17. *Quòd Deus cuncta disponat, & consideret vniuersorum finem, Greg. in Moral.*

¶ Cap. 38.

Iob. 18. Tempus ergo posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat. Vniuersorum nomine & electos voluit & reprobos comprehendi. Nam bona faciens & ordinans Deus, mala verò non faciens, sed ab iniquis facta ne inordinatè eueniant, ipse disponens; considerat vniuersorum finem, & patienter tolerat omnia, atque intuetur electorum terminum, quo ex malo mutentur ad bonum. Intuetur etiam reproborum finem, quo de malo opere dignum se trahantur ad supplicium. Vidit finem per sequentis Saüli, quò prostratus diceret: Domine, quid me Act. 9. vis facere? Vidit finem quasi obsequentis discipuli, quòd pro commisso scelere guttur la- Matth. 27. queo stringeret, seque & peccantem puniret; & deteriùs puniendo deciperet. Vidit Niniui- Iona 3. tas delinquentes, sed considerauit finem delin- Gen. 18. & 19. quentium pœnitentia correctorum. Vidit quoque Sodomam delinquentem, sed considerauit finem ardoris luxuriæ, ignem gehennæ. Vidit gentilitatis finem, quòd possessa iniquitatum tenebris, quandoque fidei luce clarescere. Vidit etiam terminum Iudeæ, quòd ab ea luce fidei quam tenebat, obduratæ perfidiæ tenebris cæcaretur.

Lib. de prædestinatione. *Item de prædestinatione. Ex dictis Fulgentij.*

¶ Cap. 39.

Neque enim est alia Dei prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio. Et hîc præparationem prædestinationem nominauit. Proinde siue præparationem seu prædestinationem in sanctorum dictis positum inuenerimus, vnum idemque significare docemur.

Item de prædestinatione. Ex dictis Ambrosij.

¶ Cap. 40.

His omnibus testimoniis prædestinati ostenduntur mali ad pœnam, sed non prædestinati ad peccatum. Quoniam eorum quæ facturus est Deus; prædestinator est. Quæ verò non fecit nec facturus est, ea non prædestinauit. Quia autem iudicaturus est mundum & impios iusto supplicio pro iniquitatibus suis damnaturus: propterea & eos prædestinauit, ad pœnam, & pœnam prædestinauit illis. Ad peccatum autem eos non prædestinauit, quoniam non est Deus author iniquitatis. Quoniam sicut iustitia ex Deo est; & omne opus bonum, ita iniquitas & omne opus prauum ex diabolo.

Item de prædestinatione. Ex dictis Augustini.

¶ Cap. 41.

Prædestinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur; sed misericors & iusta diuini operis sempiterna dispositio præiudicatur.

Item de prædestinatione. Ex dictis Isidori.

¶ Cap. 42.

Quia ergo Deus nulla necessitate compellitur, vt aliquid nolens promittat: nullius itaque aduersitatis impeditur obstaculo quo id quod promisit aut minùs quàm vult, aut tardiùs faciat. Proinde potuit sicut voluit quosdam prædestinare ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinauit ad gloriam, prædestinauit ad iustitiam. Quos autem prædestinauit ad pœnam, non prædestinauit ad culpam. Item paulò superiùs, In sanctis igitur coronat Deus iustitiam quam eis gratis ipse tribuit, gratis seruauit, gratisque perfecit. Iniquos autem condemnauit pro impietate vel iniustitia quam in eis ipse non fecit. In illis enim opera sua glorificat, in istis autem opera sua condemnat.

Item de prædestinatione. Ex dictis Augustini.

¶ Cap. 43.

Fidelibus congruit credere & fateri Deum bonum & iustum præscisse quidem peccatores homines: quia nihil eum latere potuit futurorum. Neque enim vel futura essent si in eius præsentia non fuissent, non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum, quia si ad peccatum aliquod Deus hominem prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret. Dei enim prædestinatione aut peccatorum præparata est pia remissio: aut peccatorum iusta punitio.

Item de prædestinatione. Ambrosius dicit.

¶ Cap. 44.

Iniquos itaque quos præsciuit Deus hanc vitam in peccato terminaturos prædestinauit supplicio interminabili puniendos. In quo sicut culpanda non est præscientia humanæ iniquitatis, ita prædestinatio iustissimæ laudanda est vltionis vt agnosceretur non ab eo prædestinatum hominem ad qualecumque peccatum, quem prædestinauit peccati merito puniendum. Deus itaque omnia hominum opera siue bona siue mala præsciuit, quia eum latere nihil potuit, sed sola bona prædestinauit, quæ se in filiis gratiæ facturum esse præsciuit. Mala verò futura opera illorum quos non prædestinauit ad regnum, sed ad interitum præsciuit potentissima diuinitate; & ordinauit prouida bonitate.

Item de prædestinatione. Ex dictis Augustini.

¶ Cap. 45.

Dominus ipse suo sermone nos perdocuit in eo, quòd à se ostendit paratum non solum regnum vbi lætentur boni, sed & ignem æternum vbi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est: Venite benedicti patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi. Malis autem dicturus est: Ite maledicti Matth. 25. in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & Angelis eius. Ecce ad quid Deus iniquos & impios prædestinauit, id est, ad supplicium iustum; non aliquod opus iniustum, ad pœnam non ad culpam, ad punitionem non ad transgressionem, ad interitum quem ira iusti iudicis peccantibus reddidit, non ad interitũ quo in se iram Dei peccantium iniquitas prouocauit. Quod beati Apostoli prædicatio manifestat, qui malos quos in æternum damnaturus est Deus, vasa vocat iræ non culpæ. Ait enim: Quòd Rom. 9. si volens Deus iram ostendere, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ

præparauit in gloria. In hac extrema sententia notandum quòd de Euangelio sumens testimonium, ait præ destinatos malos in ignem æternum: eò quòd dicturus est Dominus in iudicio non solum bonis vt percipiant regnum Dei paratum à constitutione mundi, verum quòd malis dicturus est: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Ex hoc enim approbat quòd iniquos & impios Dominus prædestinauerit ad supplicium, ex eo quòd illis dicturus est: Ite in ignem æternum. Vnde qui volunt dicere quòd pœna prædestinata sit iniustis, non iniusti prædestinati ad pœnam, viderint qualiter huius authoris dicta intelligant. Cui enim paratur pœna, is nimirum præparatur ad pœnam.

Matth. 25.

Item de eodem. Augustinus.

¶ CAP. 46.

Vasis verò iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum: quia nec Deus peccanti homini iustè inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam.

Item de prædestinatione. Ex dictis Fulgentij.

...de Prædestinat.

¶ CAP. 47.

Sicut enim præscientia Dei neminem compellit ac peccatum, cum vtique præscierit singulorum ante sæcula æterna peccata: ita quoque & prædestinatio eius neminem compellit ad pœnam, licet & antequam nascatur aliquis † prædestinatus, sit permansurus in iniquitate ad pœnam.

† prædestinatus sit, si permansurus in iniquitate, &c.

Item de prædestinatione. Ex dictis Ambrosij.

¶ CAP. 48.

Sicut enim nemo potest imputare Deo quòd peccat, ita quoque quòd peccatis puniendus sit. Peccat enim propria voluntate delinquens, puniendus est autem iusto iudicio iudicantis. Et sicut peccati causa non ex Dei prescientia descendit, quia nullus idcirco peccat, quia Deus eum peccaturum præscierit, sed idcirco, quia magis propriæ concupiscentiæ obedierit, quam præcepto prohibentis Dei à peccato: ita quoque nullus idcirco ad pœnam vadit, quia hoc in prędestinatione Dei antè fuerat. Ex eo enim quòd præscitus est in peccatis permansurus, & sine pœnitentiæ fructu vitam præsentem terminaturus, ex eo deputatus est ad pœnam. Et sicut causa peccati concupiscentia est, qua magis obeditur voluntati carnis quam præcepto diuino, ita pœnæ deputatio causa est peccati perpetratio, & postea pro peccato nulla digna satisfactio.

Item de prædestinatione. Ex dictis eiusdem.

¶ CAP. 49.

...7. Et scriptura dicit: Considera opera Domini, quia nemo potest corrigere, quem ille despexerit.

Item de prædestinatione. Ex dictis Augustini.

¶ CAP. 50.

Nemo quisquam benè credit in Deum, qui dubitat prescientia illius cœlum terramque contineri, mundumque prouidentia diuina regi. Et sicut nihil latet sapientiam eius, ita dispositio illius vniuersa moderatur & regit. Sicut nulla est creatura occulta in conspectu eius.

De creatione Angelorum. Idem Augustinus.

De Ecclesiast. dogma, cap. 10.

¶ CAP. 51.

In principio creauit Deus cœlum & terram, & aquam ex nihilo: & cùm adhuc tenebræ aquam ipsam occultarent, & aqua terram absconderet, facti sunt Angeli & omnes cœlestes virtutes, vt non esset otiosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa antè spatia bonitatem suam ostenderet: & ita hic visibilis mundus ex † his quæ creata fuerant, factus est & ornatus.

Genes. 1.

† materia quæ à Deo facta fuerat. Sic hodie August.

Quòd nihil sit incorporeum & inuisibile præter solum Deum. August.

Ibid. cap. 11.

¶ CAP. 52.

Nihil incorporeum & inuisibile in natura credendum, nisi solum Deum. Qui ideo incorporeus creditur, quia vbique est; & omnia implet atque constringit. Ideo & inuisibilis omnibus creaturis est, quia incorporeus est.

Quòd omnis creatura sit corporea. August.

Ibid. cap. 12.

¶ CAP. 53.

Creatura omnis corporea est, Angeli & omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet non carne subsistant. Ideo autem corporeas esse credimus intellectuales creaturas, quoniam localiter circumscribuntur: sicut & anima humana quæ carne clauditur, & dæmones, qui † substantia Angelicæ naturæ sunt.

† per substantiam.

Quòd omnes intellectuales naturæ immortales sint. August.

¶ CAP. 54.

Ibid. cap. 13.

Immortales esse credimus intellectuales naturas, quia carne carent: nec habent quod cadat, vt resurrectione egeat post ruinam.

Quòd omnes apostatæ Angeli ante ruinam liberum arbitrium habuerint.

Gregor. lib. Mor. 5. c. 27.

¶ CAP. 55.

Vnaquæque enim res quasi tot passibus ad aliud tendit, quot mutabilitatis suæ motibus subiacet. Sola autem natura incomprehensibilis ab statu suo nescit moueri, quæ ab eo quod semper idem est, nescit immutari. Nam si Angelorum substantia à mutabilitatis motu fuisset aliena, bene ab authore condita, nequaquã in reprobis spiritibus à beatitudinis suæ arce cecidisset. Mirè autem omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit, vt si qui permanere nollent, ruerent: & qui in conditione persisterent, tantò in ea iam dignius, quantò ex arbitrio starent, & eò maioris apud Deum meriti fierent, quò mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixissent.

Cur Angelorum spiritus irremissibiliter peccarint, homo verò peccans veniam meruerit. Gregor. in Moral.

Lib. 9. cap. 36.

¶ CAP. 56.

Angelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccauerunt, quia tantò robustiùs stare poterant, quantò eos carnis admixtio non tenebat.

Homo verò idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid quo semetipso minor esset, accepit. Vnde & apud respectum iudicis argumentum pietatis est hæc eadem infirmitas carnis.

Quòd Angeli custodes hominibus præponantur. Gregorius. ¶ Cap. 57.

Moral. lib. 4. cap. 31.

Quia verò Angeli hominibus præsint per Prophetam testatur Angelus dicens: Princeps regni Persarum restitit mihi. Quòd verò Angeli à superiorum Angelorum potestatibus dispensentur, Zacharias Propheta perhibet, qui ait: Ecce Angelus qui loquebatur in me egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum: Curre & loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Hierusalem.

Dan. 10. Zach. 2.

Quòd singulis hominibus singuli Angeli dentur custodes. Ex dictis cuiusdam in vitis Patrum.

¶ Cap. 58.

Abbas Paulus simplex habebat gratiam vt ingredientes in Ecclesiam senes aspiceret, & ex ipsa facie eorum vniuscuiusque cogitationes siue malæ essent seu bonæ sentiret. Cùm ergo venissent ad Ecclesiam & ingrederentur senes, vidit eos clara facie & læto animo ingredi, & Angelos eorum cum gaudio pariter cum ipsis. Vnum autem nigrum & nebulosum habentem corpus, & dæmones hinc atque inde trahentes eum cum admisso freno in naribus, & Angelum sanctum eius de longè sequentem tristem. Beatus ergo Paulus cœpit flere amarissimè, & pectus suum tondere, sedens ante Ecclesiam, propter eum quem talem viderat. Omnes autem alij senes videntes eum sic flentem, cœperunt eum rogare, vt si quid in illis vidisset, cum eis ingrederetur in congregationem. Ille autem noluit ingredi, sed semper flebat propter eum quem sic viderat. Post paululum autem cum absoluta congregatio discederet, iterum omnium vultus circumspiciebat, si tales egrederentur quales ingressi sunt. Et vidit illum quem antea viderat nigrum & nebulosum, egressum de Ecclesia clara facie & candido corpore, & dæmones de longè sequentes eum, & sanctum Angelum eius prope eum hilarem & gaudentem super eum nimis.

Quòd dextra Dei sit Angelorum pars electa, sinistra autem eius, pars Angelorum reproba. Gregorius.

Lib. 2. Moralium, cap. 21.

¶ Cap. 59.

3. Reg. 22. Quid est ergo quòd exercitus cœli à dextris & sinistris eius stare perhibetur? Deus enim qui ita est intra omnia, vt etiam sit extra omnia, nec dextra nec sinistra concluditur: sed dextra Dei, Angelorum pars electa, sinistra autem, Angelorum reproba pars designatur. Non enim ministrant Deo solummodò boni qui adiuuent, sed etiam † mali qui probent. Non solum qui à culpa redeuntes subleuent, sed etiam qui redire nolentes grauent. Nec quod cœli exercitus dicitur, Angelorum pars reproba in eo intelligi posse prohibetur. Quas enim suspendi in aëre nouimus, aues cœli nominamus. Et de iisdem spiritibus Paulus dicit: Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Quorum caput enuncians ait: Secundum principem potestatis aëris huius. A dextera ergo Dei & sinistra Angelorum exercitus stat, quia & voluntas electorum spirituum diuinæ pietati concordat, & reproborum sensus suæ malitiæ seruiens, iudicio districtionis eius obtemperat. Vnde & mox fallax spiritus in medium prosiliisse describitur, per quem Achab rex exigentibus suis meritis decipiatur. Neque enim fas est credere bonum spiritum fallaciæ deseruire voluisse, vt diceret: Egrediar & ero mendax spiritus in ore omnium Prophetarum eius. Sed quia Achab rex peccatis præcedentibus dignus erat vt tali debuisset deceptione damnari: quatenus qui sæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam. Occulta iustitiæ licentia malignis spiritibus datur, vt quos volentes in peccatis laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. Quòd ergo illic à dextris & sinistris Dei exercitus cœli astitisse describitur, hoc hic inter filios Dei Satan adfuisse perhibetur. Ecce à dextris Dei steterunt Angeli qui nominantur filij Dei: ecce à sinistris stant Angeli, quia adfuit inter eos etiam Satan.

† alij qui reprobent.

Ephes. 6.

Ibid. cap. 2.

3. Reg. 22. 2. Para. 18.

3. Reg. 22.

Quòd immundi spiritus in hoc cœli terræque medio vagentur. Gregor.

Lib. 2. Moral. cap. 34.

¶ Cap. 60.

Cœlum verò aërem dici paulò antè iam diximus: vnde & aues cœli nominamus. Et scimus quòd immundi spiritus qui è cœlo æthereo lapsi sunt, in huius cœli terræque medio vagantur, qui tantò magis corda hominum ascendere ad cœlestia inuident, quantò se à cœlestibus per elationis suæ immunditiam proiectos vident.

De hoc, si pax in sublimibus retineatur. Greg.

Lib. 17. Moral. cap. 7.

¶ Cap. 61.

Sed inter hæc libet inquirere, si pax in sublimibus summa retinetur, quid est quod per Angelũ Danieli dicitur: Ego veni propter sermones tuos, princeps autem regni Persarum restitit mihi xx. & vno diebus: & ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi. Et paulò post: Nunc reuertar vt prælier aduersùs principẽ Persarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorũ adueniens? Quos itaque alios principes gentium, nisi Angelos appellat, qui sibi resistere exeunti potuissent: Quæ ergo pax in sublimibus esse potest, si inter ipsos quoque Angelicos spiritus præliandi certamen agitur, qui semper conspectui veritatis assistunt? sed quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus prælata sunt, cum subiectorum mores aduersùs se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus contra se venire referuntur. Is namque Angelus qui Danieli loquebatur, captiuis Israëlitici populi in Perside constitutis prælatus cognoscitur. Michaël autem eorum qui de eadem plebe in Iudea terra remanserant, præpositus inuenitur. Vnde & ab hoc eodem Angelo paulò pòst Danieli dicitur: Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michaël princeps vester. De quo & hoc quod præmisimus, dicit: Et ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi. Qui dum nequaquam simul esse, sed venire in adiutorium dicitur, apertè ei populo prælatus agnoscitur, qui captus in alia parte tenebatur.

Dan. 10.

Quòd diaboli voluntas sit semper iniqua, potestas autem eius nunquam iniusta. Greg.

Lib. 2. Moral. cap. 10.

¶ CAP. 62.

Sciendum verò est quia Satanæ voluntas semper iniqua est, sed nunquam potestas iniusta: quia à semetipso voluntatem habet, sed à Domino potestatem, quod enim ipse facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non nisi iustè permittit. Vnde bene in libris Regum dicitur: Spiritus Domini malus irruebat in Saul. Ecce vnus idemque spiritus, & Domini appellatur & malus: Domini videlicet per licentiam potestatis iustę, malus autem per desiderium voluntatis iniustæ. Formidari igitur non debet qui nihil nisi permissus valet. Sola ergo vis illa timenda est, quæ cùm hostem sæuire permiserit, ei ad vsus iusti iudicij & iniusta illius voluntas seruit. Paululum verò manum postulat extendi: quia exteriora sunt quæ expetit conteri. Neque enim Satan aliquid multum se facere putat, nisi cùm in anima sauciat, vt ab illa patria feriens reuocet, à qua ipse longè telo superbiæ suæ prostratus iacet.

1. Reg. 18.

Quòd quatuor modis loquatur Deus ad diabolum, & tribus modis diabolus ad Deum. Gregor.

Lib. 2. Moral. cap. 7.

¶ CAP. 63.

Sciendum verò est, quia sicut hoc loco discimus, quatuor modis loquitur Deus ad diabolum, tribus modis diabolus ad Deum: quia & vias iniustas eius arguit, & electorum suorum contra illum iustitiam proponit, & tentandam eorum innocentiam ei concedendo permittit, & aliquando eum ne tentare audeat prohibet. Iniustas enim vias eius redarguit: sicut iam dictum est, Vnde venis? Electorrum suorum contra illum iustitiam proponit, cùm ait: Considerasti seruum meum Iob, quòd non sit similis ei super terram? Tentandam eorum innocentiam ei concedendo permittit, sicut dicit: Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt. Rursusque eum à tentatione prohibet cùm dicit: Tantum in eum ne extendas manum tuam. Tribus autem modis loquitur diabolus ad Deum, cùm vel vias suas insinuat, vel electorum innocentiam fictis criminibus accusat, vel tentandam eandem innocentiam postulat. Vias quippe suas insinuat: quia ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Electorum innocentiam accusat, quia dicit: Nunquid frustra timet Iob Deum: Nonne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum? Tentandam eandem innocentiam postulat, cùm dicit: Extende manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.

Quòd non sit palma victoriæ nisi labore certaminis. Gregorius.

Lib. 1. dia. cap. 10.

¶ CAP. 64.

Sine labore certaminis non est palma victoriæ. Vnde ergo victores sunt, nisi quia contra antiqui hostis insidias decertauerunt? Malignus quippe spiritus cogitationi, locutioni, atque operi nostro semper assistit, si fortasse quid inueniat vnde apud examen æterni iudicis accusator existat. Vis etenim nosse quomodò ad decipiendum semper assistat? Quidam qui nunc nobiscum sunt, rem quam narro testantur, quòd vir vitæ venerabilis Stephanus nomine, Valeriæ prouinciæ Presbyter fuit, huius nostri Bonifacij Diaconi atque dispensatoris Ecclesiæ cognatione proximus. Qui quadam die de itinere domum regressus mancipio suo negligenter loquens præcepit dicens, Veni diabole discalcia me. Ad cuius vocem mox cœperunt se caligarum corrigiæ in summa velocitate dissoluere: vt aperte constaret quòd ei ipse qui nominatus fuerat ad extrahendas caligas diabolus obedisset. Quòd mox vt Presbyter vidit, vehementer expauit, magnisque vocibus cœpit clamare dicens, Recede miser recede, non enim tibi sed mancipio meo locutus sum. Ad cuius vocem protinus recessit: ita vt inuentæ sint magna iam ex parte dissolutæ corrigiæ, ex parte remanserint. Qua in re colligi potest antiquus hostis, qui tam præsto est factis corporalibus, quàm nimiis insidiis nostris cogitationibus insistat.

De creatura, natura, ministerio Angelorum, & de casu Apostatarum. Sanctus Isidorus in libro Officiorum sic loquitur.

Lib. 1. de summo bono cap. 10.

¶ CAP. 65.

Angelorum nomen officij est, non naturæ. Nam secundùm naturam spiritus nuncupantur. Quando enim de cœlis ad annunciandum hominibus mittuntur, ex ipsa annunciatione Angeli nominantur. Natura enim spiritus sunt, Tunc autem Angeli vocantur, quando mittuntur. Natura Angelorum mutabilis est: sed facit eos incorruptos charitas sempiterna. Gratiâ dicimus, non naturâ esse incommutabiles Angelos. Nam si naturâ incommutabiles essent, diabolus vtique non cecidisset. Mutabilitati itaque naturæ suffragatur in illis contemplatio creatoris. Inde & priuatus est apostata Angelus, dum fortitudinem suam non à Deo, sed à se voluit custodiri. Ante omnem creaturam Angeli facti sunt, dum dictum est: Fiat lux. De ipsis enim dicit scriptura: Prior omnium creata est sapientia. Lux enim dicuntur, participando luci æternæ: sapientia verò dicuntur, ingenitæ inhærendo sapientiæ. Et dum mutabiles sint naturâ, non tamen sinit eos contemplatio mutari diuina. Ante omnem*creaturam mundi creati sunt Angeli, & ante omnem creationem Angelorum, diabolus conditus est, sicut scriptum est: Ipse est principium viarum Dei. Vnde & ad comparationem Angelorum Archangelus appellatus est. Priùs enim creatus extitit ordinis prælatione nõ temporis quantitate. Primatum habuisse inter Angelos diabolum excellentia prælationis constat, ex qua fiducia cecidit, ita vt sine reparatione laberetur: Cuius prælationis excellentiam Propheta his verbis annunciat: Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquauerunt summitatem illius. Omne lignum paradisi non est assimilatum ei: quoniam speciosiorem fecit eum Deus. Distat conditio Angeli à conditione hominis, homo enim ad Dei similitudinem conditus est: Archangelus verò qui lapsus est, signaculum Dei similitudinis appellatus est, testante Domino per Ezechielem: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in delitiis paradisi Dei fuisti. Quantò enim subtilior est eius natura, tantò pleniùs extitit ad similitudinem diuinæ veritatis expressa. Priùs de cœlo cecidisse diabolum liquet, quam homo conderetur. Nam mox vt factus est, in superbiam erupit, & præcipitatus de cœlo est. Nam iuxta veritatis

Eccles. 1.
* creationem, or.
Iob. 40.
Ezech. 31.
Ezech. 28.

Ioan. 8. testimonium, Ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit: quia statim vt factus est, cecidit. Fuit quidem in veritate conditus, sed non stando confestim à veritate est lapsus. Vno superbiæ lapsu dum Deo per tumorem se conferunt, & homo cecidit, & diabolus. Sed homo reuersus ad pœnitentiam Deo se inferiorem esse cognoscit: diabolus verò non solum hoc contentus quòd se Deo æqualē existimans cecidit, insuper etiam superiorem se Deo dicit, secundum Apostoli dictū, qui ait de Antichristo: Qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Diabolus ideo iam non potit veniam, quia non compungitur ad pœnitentiam. Membra verò eius sæpe per hypocrisin deprecantur, quod tamen pro mala conscientia adipisci non merentur. Discat humana miseria quòd eâ causâ citiùs prouocetur Deus præstare veniam, dum infirmo compatitur homini, quia ipse homo traxit ex parte inferiori infirmitatē peccandi, hoc est ex carne, qua inclusa anima detinetur. Apostatæ verò Angeli ideo veniam non habent, quia carnalis fragilitatis nulla infirmitate grauati sunt vt peccarent. Homines autem post peccatum idcirco reuertuntur ad veniam, propterea quòd ex lutea materia pondus traxerunt infirmitatis, ideoque pro infirma carnis conditione reditus patet homini ad salutem, sicut & Psalmista dicit: Ipse scit figmentum nostrum. Memento Domine quòd terra sumus. Et iterum: Memorare, inquit, quæ sit mea substantia. Postquàm apostatæ Angeli ceciderunt, reliqui perseuerantiâ æternæ beatitudinis solidati sunt. Vnde & post cœli creationem in principio repetitur. Fiat firmamentum. Et vocatum est firmamentum cœlum. Nimirum ostendens quòd post Angelorum ruinam, hi qui permanserunt firmitatem meruerunt æternæ perseuerantiæ & beatitudinis, quam antea minus acceperant. Vnde oportet agnosci, quod malorum iniquitas sanctorum seruat vtilitati: quia vnde mali corruunt, inde boni proficiunt. Bonorum Angelorum numerus, qui post ruinam Angelorum malorum est diminutus, ex numero electorum hominum supplebitur, qui numerus soli Deo est cognitus. Inter Angelos distantia potestatum est, & pro graduum dignitate ministeria eisdem sunt distributa, alijque aliis præferuntur, tam culmine potestatis, quam scientia virtutis. Subministrant igitur alij aliorum præceptis atque obediunt iussis. Vnde & ad Prophetam Zachariam Angelus Angelum mittit, & quæcumque annunciare debeat præcipit. Nouem esse distinctiones, vel ordines Angelorum sacræ scripturæ testantur: id est, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubim & Seraphim. Horum ordinum numerum etiam Ezechiel Propheta describit sub totidem nominibus lapidum, cum de primatu apostatæ Angeli loqueretur: Omnis, inquit, lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, & topazius, & iaspis, chrysolithus, & onyx, & beryllus, sapphirus, carbunculus, & smaragdus: quo numero lapidum ipsi ordines designati sunt Angelorum: quos apostata Angelus ante lapsum, quasi in vestimento ornamenti sui affixos habuit, ad quorum comparationem dum se clariorem cunctis aspexit, confestim intumuit, & cor suum ad superbiam eleuauit. Angeli semper in Deo gaudent, non in se. Malus verò ideo est diabolus, quia non quæ Dei, sed quæ sua sunt requisiuit. Nulla autem maior iniquitas, quam non in Deo, sed in se velle quempiā gloriari. Angeli in verbo Dei cognoscunt omnia antequam fiant in re: & quæ apud homines adhuc futura sunt, Angeli iam reuelante Deo nouerunt. Præuaricatores Angeli etiam sanctitate amissa, non tamen amiserunt viuacem naturæ Angelicæ sensum. Triplici enim modo præ scientiæ acumine vigent: id est, subtilitate naturæ, experientia temporum, reuelatione superiorum potestatum. Quoties Deus quocumque flagello huic mundo irascitur, ad ministerium vindictæ apostatæ Angeli mittuntur: qui tamen diuina potestate coërcentur, ne tantum noceant quantum cupiunt. Boni autem Angeli ad ministerium salutis humanæ deputati sunt: vt curas administrent mundi, & regant omnia iussu Dei, testante Apostolo: Nonne omnes, inquit, sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Angeli corpora in quibus hominibus apparent de superno aëre sumunt, solidamque speciem ex cœlesti elemento induunt, per quam humanis obtutibus manifestiùs demonstrentur. Singulæ gentes præpositos Angelos habere creduntur: quod ostenditur testimonio Angeli Danieli loquentis. Ego, inquit, veni vt nunciarem tibi, sed princeps regni Persarum mihi restitit. Et post alia: Non est qui me adiuuet nisi Michaël princeps noster. Item omnes homines Angelos habere probantur, loquente Domino in Euangelio: Amen dico vobis quia Angeli eorum semper vident facient patris mei, qui in cœlis est. Vnde & Petrus in Actibus Apostolorum cum pulsaret ianuam, dixerunt intus Apostoli: Non est Petrus, sed Angelus eius est. Si Deum Angeli contuentur & vident, cur Petrus Apostolus dicit: In quem desiderant Angeli Dei conspicere? Item si eum non contuentur, nec vident, quomodò iuxta sententiam Domini. Angeli eorum semper vident faciem patris, qui in cœlis est? Sed bene vtrumque est. Nam veraciter credimus, quòd Deum Angeli & vident & videre desiderant, & habent & habere festinant, & amant & amare nituntur. Si enim sic videre desiderant, vt effectu desiderij non perfruantur, desiderium hoc necessitatem habet. Necessitas ita pœnalis est, † & beatis Angelis omnis pœna longè est: quia nunquam simul pœna & beatitudo conueniunt. Rursum si eos dicimus Dei visione satiari, satietas fastidium habere solet: & scimus illos Dei visionem, quam & desiderant, fastidire non posse. Quid ergo est, nisi vt miro modo simul vtrumque credamus, quia & desiderant, & satiantur? Sed desiderant sine labore, & satiantur sine fastidio. Ne enim sit in desiderio necessitas, desiderantes satiantur. Et iterum, ne sit in satietate fastidium, † satiati desiderant. Vident ergo Angeli faciem patris per satietatem, sed quia satietas ista fastidium nescit, Angeli desiderant in eum prospicere semper. Vbicumque in scripturis sanctis pro Deo Angelus ponitur, non pater, non Spiritus sanctus; sed pro incarnationis dispensatione, solus filius intelligitur. Ante Dominicæ incarnationis aduentum, discordia inter homines & Angelos fuit: veniens autē Christus pacem in se & Angelis & hominibus fecit. Eo quippe nato clamauerunt Angeli: In terra pax hominibus bonę voluntatis. Per incarnationem igitur Christi, non solū Deo reconciliatus est homo, verum etiam pax inter Angelos & homines reformata est. Discordia

Marginalia: 2. Thess. 2. — Psal 102. — Psal. 88. — Gen. 1. — Ibidem. — Zach. 2. — Ezech. 28. — Heb. 1. — Dan. 10. — Matth. 18. — Act. 12. — 1. Pet. 1. — Matth. 18. — † sed à or. — † satiari. or. — Luc. 1.

igitur ante aduentum Christi Angelorum & hominum fuisse per id maximè intelligitur, quòd salutati in veteri testamento ab hominibus Angeli, despiciunt † se salutari ab eis. Quod in nouo testamento à Ioanne factum, non solum reuerenter Angelus suscipit, verum etiam ne fiat interdicit. Ob hoc homo in veteri testamento despicitur, nec resalutatur ab Angelo, eò quòd homo adhuc nondum transisset in Deum. Suscipitur autem homo à Deo, & reuerenter salutatur ab Angelo. Nam & Mariam Angelus Gabriel legitur salutasse, & Ioanni Angelum salutanti ab eodem Angelo dicitur: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum. Per quod agnoscitur per incarnationem dominicam pacem hominibus fuisse & Angelis redditam.

† resalutari. Apoc. 19. & 22.

Luc. 1. Apoc. 19. & 22.

Quòd supernorum ciuium numerus & finitus sit, & infinitus. Greg. in Moral.

Lib 17. c. 7.

¶ Cap. 66.

Supernorum ciuium numerus & infinitus & definitus exprimitur, vt qui Deo est numerabilis esse nobis innumerabilis demõstretur: quamuis aliud est assistere, aliud ministrare. Assistunt enim illæ proculdubio potestates, quæ ad quædam hominibus nuncianda non exeunt. Ministrant verò hi qui ad explenda officia nunciorum veniunt, sed tamen ipsi quoque contemplatione ab intimis non recedunt. Et quia plures sunt qui ministrant, quàm hi qui principaliter assistunt, assistentium numerus quasi definitus, ministrantium verò infinitus ostenditur. Angelicos verò spiritus rectè Dei milites dicimus: quia decertare eos contra potestates aëreas non ignoramus. Quæ tamen certamina non labore sed imperio peragunt: quia quicquid agendo contra immundos spiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis possunt.

Ibid, cap. 8.

Quòd omnis culpa ante discessum munere oblationis soluatur. Ex Dial. Greg.

Lib. 4. cap. 55.

¶ Cap. 67.

Sed neque hoc silendum existimo, quod actum in monasterio meo ante hoc triennium reminiscor. Quidam namque monachus Iustus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem monasterio constituto, sedulò obsequi, atque in assiduis ægritudinibus meis excubare consueuerat. Hic itaque languore corporis præuentus ad extrema deductus est. Cui in ipsa molestia sua frater germanus nomine Copiosus, seruiebat, qui ipse quoque nunc in hac vrbe per eandem medicinæ artem temporalis vitæ stipendia sectatur. Sed prædictus Iustus cum iam se ad extrema peruenisse cognouisset, eidem fratri suo Copioso quia occultos tres aureos haberet innotuit. Quod nimirum fratribus non potuit celari. Sed subtiliter indagantes, atque illius omnia medicamenta perscrutantes, eosdem tres aureos in medicamine inuenerunt absconsos. Quod mox vt mihi nunciatum est, tantum malum de fratre qui nobiscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui: quippe quia eiusdem mei monasterij semper regula fuerat, vt cuncti fratres ita communiter viuerent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio mœrore percussus, cogitare cœpi, vel quid ad purgationem morientis facerem, vel quid ad exemplum viuentibus fratribus prouiderem. Precioso igitur eiusdem monasterij præposito ad me accito, dixi, Vide vt nullus ex fratribus se ad eum morientem iungat, nec sermonem consolationis ex cuiuslibet eorum ore percipiat, sed cum in morte constitutus fratres exquisierit, ei suus frater carnalis dicat, quia propter aureos quos occultè habuit, à cunctis fratribus abominatus sit, vt saltem in morte de culpa mentem ipsius amaritudo transuerberet, atque à peccato quod perpetrauit, purget. Cum verò mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur, sed quolibet fossam in sterquilinio facite, & in ea corpus eius projicite, ibique super eum tres aureos quos reliquit iactate, omnes simul clamantes, Pecunia tua tecum sit in perditionem: & sic eum terra cooperite. In quibus vtrisque rebus vnam morienti, alteram verò volui viuentibus fratribus prodesse: vt & illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret, & istos auaritiæ tanta damnatio † misceri in culpa prohiberet. Quod ita factum est: nam cum idem monachus peruenisset ad mortem, & anxiè quæreret fratribus se commendare, nullusque è fratribus se ei applicare, & loqui dignaretur: ei carnalis frater cur ab omnibus esset abominatus innotuit. Qui protinus de reatu vehementer gemuit, atque in ipsa tristitia è corpore exiuit. Qui ita est sepultus vt dixi. Sed fratres omnes ex eadem eius sententia perturbati, cœperunt singuli extrema quæque & vilia, quæ eis semper habere regulariter licuerat, ad medium proferre, vehementerque formidare, ne quid apud se esset vnde reprehendi potuissent. Cum verò post mortem eius triginta iam essent dies euoluti, cœpit animus meus defuncto fratri compati, eiusque cum dolore graui supplicia pensare, & si quod esset ereptionis eius remedium quærere. Tunc euocato ad me eodem Precioso monasterij mei præposito, tristis dixi, Diu est quòd frater ille qui defunctus est in igne cruciatur, debemus ei charitatis aliquid impendere, & eum inquantum possumus, vt eripiatur adiuuare. Vade itaque, & ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium stude, vt nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius salutaris hostia non † immoletur. Qui protinus abscessit, & paruit. Nobis autem alia curantibus, atque euolutos dies non numerantibus, idem frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cum vidisset, inquisiuit dicens, Quid est frater? Quomodò es? Cui ille respondit, Nunc vsque malè fui, sed iam modò benè sum: quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens protinus fratribus in monasterio indicauit. Fratres vero solicitè computauerunt dies, & repererũt quòd ipse dies extitit, quo pro eo tricesima oblatio fuit impleta. Cumque & Copiosus nesciret quid pro eo fratres egissent, & fratres ignorarent quid de illo Copiosus vidisset: vno eodemque tempore, dum cognoscit ille quid isti egerant, atque illi cognoscunt quid ipse viderat: concordante simul visione & sacrificio res aptè claruit, quia frater qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam supplicium euasit.

† terreret, & à culpa prohiberet.

† offeratur.

Quòd sacra oblatio post mortem animabus prodesse possit, si non sint culpa indissolubiles. Ex Dial. Greg. ¶ Cap. 68.

Lib. 4. cap 55.

Si culpæ post mortem insolubiles non sunt,

multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare: ita vt hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur. Nam prædictus Fœlix Episcopus à quodam venerabilis vitæ presbytero, qui vsque ante biennium vixit, & in diœcesi Centumcellensis vrbis habitabat, atque ecclesiæ beati Ioannis quæ in loco qui Tauriana dicitur sita est, præerat, cognouisse se asserit, quòd idē presbyter in eo loco in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quoties necessitas corporis exigebat, lauari consueuerat. Vbi dum die quadam fuisset ingressus, inuenit quendam incognitum virum ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calceamenta abstraheret, vestimenta susciperet, & exeunti de caloribus sabana præberet, atque omne ministerium cum magno famulatu perageret. Cumque hoc sæpius fieret, idem presbyter die quadam ad balnea iturus, intra semetipsum cogitans dixit. Viro illi qui mihi solet tam deuotissimè ad lauandum obsequi, ingratus apparere non debeo: sed aliquid me necesse est ei pro munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit. Qui mox vt peruenit ad locum, hominem inuenit, atque ex more eius obsequio in omnibus vsus est. Lauit itaque, & cum iam vestitus voluisset egredi, hoc quod secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit, petens vt benignè susciperet, quod ei charitatis gratia offerret. Cui ille mœrens afflictúsque respondit, Mihi ista quare das pater? Iste panis sanctus est, & ego hunc manducare non possum. Etenim quem vides, aliquando huius loci Dominus fui, sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, vt pro peccatis meis interuenias, & tunc te exauditum esse cognosce, cum huc ad lauandum veneris, & me minimè inueneris. In quibus verbis disparuit, & is qui homo esse videbatur, euanescēdo innotuit quia spiritus fuit. Idem verò presbyter hebdomada continua sese pro eo in lachrymis afflixit, salutarem quotidie hostiam obtulit: & reuersus postea ad balneum, eum minimè inuenit. Qua ex re quantum prosit animabus immolatio sacræ oblationis ostenditur, quando hac & ipsi mortuorum spiritus à viuentibus petunt, & signa indicant quibus per eam absoluti videantur.

Ex Dialogis Gregorij lib. 4. c. 58. *Quòd beatius sit quemque liberum hinc exire, quam post mortem libertatem quærere.*

¶ Cap. 69.

Cunctis ostendatur, quia si insolubiles culpæ fuerint, ad absolutionem prodesse minimè etiam mortuis victima sacræ oblationis possit. Sed sciendum est, quia illis sacra victima mortuis profit, qui hic viuendo obtinuerint, vt eos etiam post mortem bona adiuuent quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. Inter hæc autem pensandum est quod tutior via sit, vt bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat dum viuit ipse per se. Beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere.

Lib. 16. c. 31. *Quòd nullus debeat rogare pro peccato quod est ad mortem. Gregor. in Moral.*

¶ Cap. 70.

Peccatum quippe vsque ad inferos ducitur, quod ante finem vitæ præsentis per correctionē ac pœnitentiam non emendatur. De quo videlicet peccato, per Ioannem dicitur: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. 1. Ioan. 5. Peccatum namque ad mortem est peccatum vsque ad mortem: quia scilicet peccatum quod hic non corrigitur, eius venia frustra postulatur. De hoc adhuc subditur: Obliuiscatur eius Iob. 14. misericordia. Omnipotentis Dei misericordia obliuisci eius dicitur, qui omnipotentis Dei iustitiam fuerit oblitus. Quisquis enim eum nunc iustum non timet, pòst inuenire non valet misericordem.

Quòd omnes animæ electorum credendæ sint esse in cœlo, & iniquorum animæ in inferno. Ex Dialogis Gregorij. Lib 4. c. 28.

¶ Cap. 71.

Inquisitioni meæ iam video sufficienter satisfactum: sed & hoc est adhuc quod quæstione animam pulsat, quia cum superius dictum sit, esse iam sanctorum animas in cœlo, restat proculdubio vt iniquorum quoque animæ esse non nisi in inferno credantur. Et quid de hac re habeat veritas ignoro. Nam humana æstimatio non habet peccatorum animas posse ante iudicium cruciari. Greg. Si esse sanctorum animas in cœlo sacri eloquij satisfactione credidisti, oportet vt per omnia esse credas & iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ iustitiæ ex qua iam iusti gloriantur, necesse est per omnia vt & iniusti crucietur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est quòd à die exitus sui ignis reprobos exurat.

Quòd sicut finis non est gaudio bonorum, sic finis non est tormentis malorum. Ex Dial. Gregor. Lib. 4. c. 44. Petrvs.

¶ Cap. 72.

Nunquid nam, quæso te, dicimus eos qui semel illic mersi fuerint semper arsuros? Gregor. Constat nimirum & incunctanter verum est, quia sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormentis malorum. Nam cùm Matth. 25. veritas dicat, Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam, quia verum est quod promisit, falsum proculdubio non erit quod minatus est Deus.

Quòd non ita sit vt quidā affirmant, quòd Deus ob hoc pœnā minatus sit æternam peccantibus vt corrigeret à malis. Ex Dial. Greg. Proximè pòst.

Petrvs. ¶ Cap. 73.

Quid si quis dicat: idcirco Deus peccantibus æternam pœnam minatus est, vt eos à peccatorum perpetratione compesceret? Greg. Si falsum est quòd minatus est vt ab iniustitia corrigeret, etiam falsa est pollicitus, vt ad iustitiam prouocaret. Sed quis hoc dicere, vel insanus præsumat? Et si minatus est quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, fallacem quod nefas est dicere, prædicare compellimur.

Cur peccata quæ cum fine perpetrata sunt, sine fine puniantur. Ex Dial. Greg. Ibidem.

Petrvs. ¶ Cap. 74.

Scire velim quomodò iustum sit, vt culpa

quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. Greg. Hoc rectè diceretur si districtus iudex non corda hominum sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent vtique si potuissent sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

Ibidem. *Quòd pius sit Deus, & non pascatur cruciatu miserorum: iustus autem, & ideo non sedatur in perpetuum ab iniquorum vltione. Ex Dialog. Greg.* Petrvs.

¶ Cap. 75.

Sed nullus iustus crudelitate pascitur, & delinquens seruus à domino iusto idcirco cædi præcipitur vt à nequitia corrigatur. Ad hoc enim vapulat, vt emendari debeat. Iniqui autem gehennæ igni traditi, si ad correctionem non veniunt, quo fine semper ardebunt? Gregor. Omnipotens Deus quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur. Quia autem iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati sua quidem iniquitate puniuntur: & tamen ad aliquid ardebũt, scilicet vt iusti omnes & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in illis respiciant supplicia quæ euaserunt: quatenus in æternum tantò magis diuinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quantò magis in æternum mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt.

Lib.4.c.44. *De hoc, si ante restitutionem corporum animæ iustorum in cœlum recipiantur. Ex Dial. Greg.* Petrvs.

¶ Cap. 76.

Placet quod dicis. Sed velim nosse si nunc ante restitutionem corporum, in cœlum recipi valeant animæ sanctorum. Greg. Hoc neque de omnibus iustis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorundam iustorum animæ quæ à cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur. In quo dilationis damnó quid aliud innuitur, nisi quòd perfectæ iustitiæ aliquid minus habuerunt? Et tamen luce clariùs constat, quia perfectorum iustorum animæ mox vt huius carnis claustra exeunt, in
Matth.24. cœlestibus sedibus recipiũtur. Quod & ipsa per se veritas testatur dicens: Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Quia vbi ipse redemptor noster est corpore, illuc procul dubio colliguntur & animæ iustorum. Et Paulus dissolui desiderat, & cum Christo esse. Qui
Phil.1. ergo Christum esse in cœlis non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat. Qui etiam de dissolutione sui corporis atque in habitatione
2.Cor.5. patriæ cœlestis dicit: Scimus quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, sed æternam in cœlis.

Ibidem. *Quòd iusti in die iudicij animarum simul & corporum gloria lætabuntur. Ex Dial. Greg.*

Petrvs. ¶ Cap. 77.

Si igitur nunc in cœlo sunt animæ iustorum, quid est hoc quod in die iudicii pro suæ iustitiæ retributione recipient? Greg. Hoc eis nimirum crescit in iudicio, quòd nunc animarum sola, postmodum verò etiam corporum beatitudine perfruantur: vt in ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro domino cruciatúsque pertulerunt. Pro hac quippe gemi- Esai.61.
nata eorum gloria scriptum est: In terra sua duplicia possidebunt. Hinc etiam ante resurrectionis diem de sanctorum animabus scriptum est:
Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est Apoc.6.
illis vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus conseruorum & fratrum eorum. Qui itaque nunc singulas acceperunt, in iudicio binas stolas habituri sunt: quia modò animarum tantummodò, tunc autem animarum simul & corporum gloria lætabuntur.

De hoc, si boni bonos in regno, vel mali malos in supplicio agnoscant. Ex Dial. Greg. Lib.4.cap.33.

Petrvs. ¶ Cap. 78.

Nosse vellem si boni bonos in regno, vel mali malos in suppliciis agnoscant? Greg. Huius rei sententia in verbis est dominicis quam iam superiùs protulimus, luce clariùs demonstrata. In quibus cum dictũ esset: Homo quidam erat Luc.16.
diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, & erat quidam mẽdicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat, sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius: subiunctum est, quòd Lazarus mortuus portatus est ab angelis in sinum Abrahæ, & mortuus diues sepultus est in inferno. Qui eleuans oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meã. Cui Abraham dixit: Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Diues autem de seipso iam spem salutis non habens, ad promerendam suorum salutem conuertitur, dicens: Rogo te pater vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Quibus verbis apertè declaratur, quia & boni bonos, & mali malos agnoscant. Si igitur Abraham Lazarum minimè recognosceret, nequaquam ad diuitem positum in tormentis de transacta eius contritione loqueretur dicens, quòd mala receperit in vita sua. Etsi mali malos non recognoscerent: nequaquam diues in tormentis positus fratrum suorum etiam absentium meminisset. Quomodo enim præsentes non posset agnoscere, qui etiam pro absentium memoria curauit exorare? Qua in re illud quoque ostenditur quod nequaquam ipse requisisti, quia & boni malos, & mali cognoscũt bonos. Nam & diues ab Abraham cognoscitur, cui dictum est, Recordare, quia recepisti bona in vita tua, & electus Lazarus à reprobo est diuite cognitus, quem mitti precatur ex nomine, dicens: Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam. In qua videlicet cognitione vtriusque partis cumulus retributionis excrescit, vt & boni ampliùs gaudeant, qui secum eos lætari conspiciunt quos amauerunt, &

mali dum cum eis torquentur quos in hoc mundo despecto Deo dilexerunt: eos non solum sua, sed etiam eorum pœna consumat. Fit autem in electis quiddam mirabilius, quia non solùm eos cognoscunt quos in hoc mundo nouerunt: sed velut visos ac cognitos recognoscunt bonos, quos nunquam viderunt. Nam cùm antiquos patres in illa æterna hæreditate viderint, eis incogniti per visionem non erunt quos in opere semper nouerunt. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt? Nam quidam noster vitæ venerabilis vir, religiosúsque valde & laudabilis, cùm ante triennium moreretur, sicut religiosi alij qui præsentes fuerunt testati sunt, in hora sui exitus Ionam Prophetam Ezechielem quoque & Danielem cœpit aspicere. Quos dum venisse ad se diceret, & depressis luminibus eis reuerentiæ obsequium præberet, ex carne eductus est. Qua in re apertè datur intelligi, quæ erit in illa incorruptibili vita notitia, si vir iste adhuc in carne corruptibili positus, Prophetas sanctos quos nimirum nunquam viderat agnouit. Solet autem plærumque contingere, vt egressura anima eos etiam recognoscat, cum quibus pro qualitate culparum, vel etiam præmiorum, in vna est mansione deputanda: quod multi in eo exitu vident, quos aut in regno, aut in supplicio pares habebunt.

De hoc, si ignis purgatorius credendus sit qui post mortem animas à peccatis expurget. Ex Dialog. Gregor. PETRVS. Lib.4.c.39.

¶ CAP. 79.

Discere vellem si post mortem ignis purgatorius esse credendus est. GREGOR. In Euangelio Dominus dicit: Ambulate dum lucem habetis. Per Prophetam quoque ait, Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Quod Paulus Apostolus exponens dixit, Ecce nunc tempus acceptabile, &c. Salomon quoque ait. Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos quo tu properas. Dauid quoque ait, Quoniam in seculum misericordia eius. Ex quibus nimirum sententiis constat, *quia qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur.* Sed tamen de quibusdam leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est, eò quòd veritas ait, Quia si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo dimittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Quòd enim de vno negatur, consequenter intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen (vt prædixi) hoc de paruis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus ociosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris (quæ vix sine culpa ab ipsis agitur, qui culpas qualiter declinare debeant sciunt) aut non in grauibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem grauant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerint relaxata. Nam & cum Paulus dicat Christum esse fundamentum, atque subiungat: Si quis superædificauerit super hoc fundamentum, aurum, & argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit: si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem. Quamuis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito possit intelligi, attamen si quis hæc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum solicitè est quia illum dixit per ignem posse saluari: non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est, peccata maiora, & idcirco duriora, atque iam tunc insolubilia, sed ligna, fœnum, stipulam, id est, peccata minima atque leuissima, quæ ignis facilè consumit. Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac vita adhuc positus vt illic obtineat promereatur.

(Marginal references to Cap. 79: Ioan.12. Esai.9. 2 Cor.6. Eccli.9. Psal.137. Matth.12. 1 Cor.3.)

Quòd vnus sit gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciet. Ex Dial. Greg. PETRVS. Lib.4.c.43.

¶ CAP. 80.

Quæso te: Vnus esse gehennæ ignis credendus est, an quanta peccatorum diuersitas fuerit, tanta quoque & ipsa æstimanda sunt incendia esse præparata? GREGOR. Vnus quidem est gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciat peccatores. Vniuscuiusque etenim quantum exigit culpa: tantum illic sentietur pœna. Nam sicut in hoc mundo sub vno sole multi consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia alius plus, atque alius minus æstuat, ita illic in vno igne non vnus est modus incendij, quia quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas peccatorum, vt & ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.

Quot genera sint oblationis pro defunctis facienda. Ex dictis August.

¶ CAP. 81.

Quatuor sunt genera oblationis. Pro valde bonis gratiarum actiones sunt: hoc est, Deo gratias agunt quia bene vixerunt. Pro non valde bonis, vt plena remissio fiat. Pro non valde malis, propitiationes sunt: vt tolerabilior sit damnatio. Pro valdè malis etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque consolationes viuorum sunt. Enchi.c.110.

Cur sanctorum animæ pro peccatoribus non orent, quando eos in igne æterno ardere prospexerint. Ex Dial. Greg. PETRVS. Lib.4.c.44.

¶ CAP. 82.

Et vbi est quòd sancti sint, si pro inimicis suis quos tunc ardere viderint non orabunt: quibus vtique dictum est: Pro inimicis vestris orate? Matth.5. GREGOR. Orant pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda conuertere, atque in ipsa conuersione saluare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apostolus ait, vt det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendā veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem? 2.Tim.2. PETRVS. Et quomodò pro illis tunc orabit, qui iam nullatenus possunt ad iustitiæ opera ab iniquitate commutari? GREGOR. Eadem itaque ratio cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est vt non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, nisi quia de eis quos vtique deputatos æter-

no supplicio iam nouerint, ante illum iam iudicis iusti conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt? Quòd si nunc quoque viuentes iusti mortuis & damnatis iniustis minimè compatiuntur, quando adhuc aliquid iudicabile de sua carne sese perpeti etiam ipsi nouerunt, quantò districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitæ corruptione exuti, ipsi iam iustitiæ viciniùs atque arctiùs inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc quod iustissimo iudici inhærent vis districtionis absorbet, vt omnino eis non † liceat quicquid ab illius æternæ regulæ subtilitate discordat. libeat.

Quòd duobus modis vita dicatur, duobus etiam mors intelligatur. Ex Dial. Gregor. [Li]b.4.c.45.

PETRVS. ¶ CAP. 83.

Non est iam quod responderi debeat apertæ rationi, sed hæc nunc quæstio mentem mouet: quomodo anima immortalis dicitur, dum constat quòd in perpetuo igne moriatur. GREGOR. Quia duobus modis vita dicitur, duobus etiam modis mors debet intelligi. Aliud est namque quòd in domino viuimus, aliud verò quòd in hoc quòd conditi vel creati sumus, id est, aliud beatè viuere, & aliud essentialiter. Anima itaque & mortalis esse intelligitur, & immortalis. Mortalis quippe, quia beatè viuere amittit. Immortalis autem, quia essentialiter viuere nunquam desinit, & naturæ suæ vitam perdere non valet, nec cùm in perpetua fuerit morte damnata. Illic enim posita beata esse perdet, & esse non perdet. Ex qua re semper † agitur vt & mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patiatur. [c]ogitur.

Quòd electi seu reprobi ad loca communia deducantur in tormentis. Ex Dial. Greg. [Li]b.4.c.35.

¶ CAP. 84.

Quòd verò siue electi siue reprobi, quorum communis causa in opere fuerit, ad loca etiam communia deducantur, veritatis verba nobis satisfacerent, etiam si exempla deessent. Ipsa quippe veritas propter electos in Euangelio dicit: In domo patris mei mansiones multæ sunt. [Io]an.14. Si enim dispar in illa beatitudine æterna retributio non esset, vna potius mansio quàm multæ essent. Multæ ergo mansiones sunt, in quibus & distincti bonorum ordines propter meritorum consortium communiter lætantur, & tamen vnũ denarium omnes laborantes accipiunt, qui multis mansionibus distinguuntur: quia & vna est beatitudo quam illic percipiunt, & dispar retributionis qualitas, quam per opera diuersa consequuntur. Quæ nimirum veritas iudicij sui diem denuncians ait: Tunc dicam messoribus, Colligite zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Messores quippe angeli zizania in fasciculos ad comburendum ligant, dum pares paribus in tormentis similibus sociant, vt superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, auari cum auaris, fallaces cum fallacibus, inuidi cum inuidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cum ergo similes in culpa ad tormenta similia adducantur, quia eos locis pœnalibus angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant. [Ma]tth.20. [Ma]tth.13.

De hoc, quod in domo Dei multæ mansiones sunt. Gregor. in Moral. [Li]b.4.c.42.

¶ CAP. 85.

In Euangelio veritas dicit: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diuersitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Vnde & non æquè laborantes in vinea, æquè cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud patrem mansiones multæ sunt: & tamen eundem denarium dispares laboratores accipiunt, quia vna cunctis erit beatitudo lætitiæ: quamuis non vna sit omnibus sublimitas vitæ. [Io]an.14. Matth 20.

Quòd illum quem semel culpa ad pœnam pertrahit, misericordia vlterius ad veniam non reducat. Greg. in Moral. Lib.8.c.14.

¶ CAP. 86.

Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet. Nubes quippe ad altiora suspenditur, sed densata vento impellitur vt currat: calore autem solis dissipatur, vt euanescat. Sic nimirum corda sunt hominum quæ per acceptæ rationis ingenium ad alta emigrant: impulsa autem maligni spiritus flatu, prauis desideriorum suorum motibus huc illucque pertrahuntur: sed † districta respectu superni iudicis quasi solis calore liquefiunt, & semel locis pœnalibus tradita ad operationis vsum vltra non redeunt. Vir igitur sanctus elationis cursum defectumque humani generis exprimens dicit: Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet. Ac si apertè loqueretur, dicens: In altum currendo deficit, qui superbiendo ad interitum tendit: quem si semel culpa ad pœnam pertrahit; misericordia vlteriùs ad veniam non reducit. Iob. 7. † districto.

Quòd Deus dicatur zelans, dicatur iratus, dicatur pœnitens, dicatur misericors, dicatur præscius. Gregor. in Moral. Lib.20 c.24.

¶ CAP. 87.

Deus ergo quomodò zelans est, qui in custodienda castitate nostra nullo mentis cruciatu tangitur? Quomodò irascitur, qui in vlciscendis vitiis nostris nulla perturbatione animi commouetur? Quomodò est pœnitens, qui id quod semel fecerit, se fecisse nequaquam dolet? Quomodò habet misericordiam, qui nunquam cor miserum habet? Quomodò est præscius, dum nulla nisi quæ futura sunt præsciantur? Et scimus quia Deo nihil futurum est: ante cuius oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt: quippe quia omne quod nobis fuit & erit in eius prospectu præsto est, & omne quod præsens est, scire potest potius quàm præscire. Et tamen dicitur zelans, dicitur iratus, dicitur pœnitens, dicitur misericors, dicitur præscius: vt quia castitatem animæ vniuscuiusque custodit, humano modo zelans vocatur, quamuis mentis cruciatu non tangatur: & quia culpas percutit dicitur irasci, quamuis nulla animi perturbatione moueatur: & quia ipse immutabilis id quod voluerit mutat, pœnitere dicitur, quamuis rem mutet, consilium non mutet: & cũ miseriæ nostræ subuenit, misericors vocatur.

Cur Deus suos electos sic permittat mori, vt in vita illorum non ostendat cuius sanctitatis sint. Ex Dial. Greg. Lib: 4. c. 24.

PETRVS. ¶ CAP. 88.

Quid est hoc quæso te, quòd omnipotens

Deus sic permittit mori, quos tamen post mortem, cuius sanctitatis fuerint non patitur celari? GREG. Cùm scriptum sit: Iustus quacumque morte præuentus fuerit, iustitia eius non auferetur ab eo: electi qui proculdubio ad perpetuam vitam tendunt, quid eis obest si ad modicum durè moriantur? Et est fortasse nonnunquam eorum culpa, licet minima, quæ in eadem debeat morte resecari. Vnde fit vt reprobi potestatem quidem contra viuentes accipiant, sed illis morientibus hoc in eis grauiùs vindicatur quòd contra bonos potestatem suæ crudelitatis acceperunt: sicut idem carnifex qui eundem venerabilem diaconum viuentem ferire permissus est, gaudere super mortuum permissus non est. 3 Reg. 3. Quod sacra quoque testantur eloquia. Nam vir Dei contra Samariam missus, quia per inobedientiam in itinere comedit, hunc in eodem itinere leo occidit. Ibidem. Sed statim illic scriptum est: Quia stetit leo iuxta asinum, & non comedit de cadauere. Ex qua re ostenditur quòd peccatum inobedientiæ in ipsa morte fuit laxatum: quia idem leo qui viuentem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit: quia is qui culpabilis in vita fuit, punita inobedientia erat iam iustus ex morte. Leo ergo qui priùs peccatoris vitam necauerat, custodiuit postmodùm cadauer iusti.

Quòd miseris mors sine morte fiat. Greg. in Mor. Lib. 9. c. 48.

¶ CAP. 89.

Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine defectu: quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Quia igitur & mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam tenebras decutit, quantum ad notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non habent, quæ non suam per omnia qualitatem tenent.

Quòd in inferno peccatoribus ad consolationem ignis non luceat, sed vt magis torqueat. Greg. in Moral. Proximè post. ibid. cap. 49.

¶ CAP. 90.

Quamuis illic ignis & ad consolationem non lucet, & tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces quosque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenus qui eorum vitam carnalem contra præcepta conditoris amauerunt, ipsorum quoque eos interitus in augmento suæ damnationis affligat.

De eadem re. In Moralibus. Eodem cap.

¶ CAP. 91.

Sicut ergo electis ignis ardere nouit ad solatium, & tamen ardere ad supplicium nescit, ita ediuersò gehennæ flamma reprobis & nequaquam lucet ad consolationis gratiam, & tamen lucet ad pœnam: vt damnatorum oculis supplicium & nulla claritate candeat, & ad doloris cumulum qualiter crucientur ostendat. Quid hic mirum si gehennæ ignem credimus habere supplicium simul obscuritatis & luminis, quando experimento nouimus, quia & tædarum flamma lucet obscura? Tunc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit. Tunc infinitè patens inferni barathrum deuorat, quos nunc inanis elatio exaltat, atque qui quolibet ex vitio hîc voluntatem callidi persuasoris expleuerunt, tunc cum suo duce reprobi ad tormenta perueniunt. Et quamuis Angelorum atque hominũ longè sit natura dissimilis, vna tamen pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat. Ibid. cap. 50.

Quòd humana anima ita immortalis sit vt & mori possit, & ita mortalis vt mori non possit. Greg. in Moral. Lib. 4. c. 7.

¶ CAP. 92.

Quia ergo nostræ mortalitatis hoc tempus non ita vt malè sit, sed ita perit vt non sit, quærendum est quid sit quod non ita vt non sit, sed ita perire optatur, vt malè sit. Humana enim anima seu Angelicus spiritus ita immortalis est, vt mori possit, ita mortalis vt mori non possit. Nam beatè viuere, siue per vitium, siue per supplicium perdit: essentialiter autem viuere, neque per vitium, neque per supplicium amittit. A qualitate enim viuendi deficit, sed omnimodò subsistendi interitum nec moriens sentit. Vt ergo breuiter dixerim, & immortaliter mortalis est, & mortaliter immortalis.

Quòd corporeus sit ignis gehennæ, & non indigeat alia materia nisi reproborum cruciatu. Gregor. in Moral. ¶ CAP. 93. Lib. 15. c. 14.

Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis namque corporeus vt esse valeat ignis, corporeis indiget fomentis. Qui cùm necesse est vt reseruetur, per congesta ligna proculdubio nutritur: nec valet nisi succensus, esse, & nisi refotus, subsistere. At contra gehennæ ignis cùm sit corporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat: nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret. Benè ergo de hoc iniquo dicitur: Deuorabit eum ignis qui non succenditur. Iob. 20. Quia omnipotentis iustitia futurorum præscia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum verò est, quòd omnes reprobi quia & in anima & carne simul peccauerunt, illic in anima & carne pariter cruciantur.

Cur anima in corpore manens & egrediens videri non possit. Ex Dialog. Gregor. Lib. 4. cap. 5.

¶ CAP. 94.

Quid mirum Petre si egredientem animam non vidisti, quam & manentem in corpore non vides? Nunquidnam modò cùm mecum loqueris, quia in me videre non vales animam meam, idcirco me esse exanimem credis? Natura quippe animæ inuisibilis est, atque ita ex corpore inuisibiliter egreditur, sicut in corpore inuisibiliter manet. PETRVS. Sed vitam animæ in corpore manentis pensare possum ex ipsis motibus corporis: quia nisi corpori anima adesset, eiusdẽ membra corporis moueri non possent. Vitam verò animæ post carnem in quibus motibus, quibúsue operibus videam, dicas: vt ex rebus visis esse colligam, quod videre non possum.

Quòd nullus dubitare debeat esse ea inuisibilia quæ Deo inuisibili subministrant. Ex Dial. Gregor. ¶ CAP. 95. Proximè post.

Sicut vis animæ viuificat & mouet corpus, sic vis

vis diuina implet quæ creauit omnia: & alia inspirando viuificat, aliis verò tribuit vt viuant: aliis hoc solummodò præstat vt sint. Quia verò esse non dubitas creantem & regentem, implentem, & circumplectentem, transcendentem, & subsistentem, incircumscriptum atque inuisibilem Deum: ita dubitare non debes hunc inuisibilia obsequia habere. Debent quippe ea quæ ministrant ad eius similitudinem tendere cui ministrant, vt quæ inuisibili seruiunt, esse inuisibilia non dubitentur. Hæc autem quæ esse credimus, nisi sanctos Angelos & spiritus iustorum? Sicut ergo motum considerans corporis, vitam animæ in corpore manentis perpendis animo, ita vitam animæ exeuntis à corpore perpendere debes à summo, quia potest inuisibiliter viuere, quam oportet in obsequio inuisibilis manere. PETRVS. Rectè totum dicitur, sed mens refugit credere, quod corporeis oculis non valet videre.

Quòd nulla visibilia videri vel cognosci possint, nisi per inuisibilia. Ex Dial. Gregor. Ibidem.

¶ CAP. 96.

Hebr. 11. Cùm Paulus dicat: Est enim fides sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium: hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri. Nam credi iam non potest, quod videri potest. Vt tamen te breuiter reducam ad te: nulla visibilia nisi per inuisibilia videntur. Ecce enim cuncta corporea oculus tui corporis aspicit, nec tamen ipse corporeus oculus aliquid videret corporeum, nisi hunc res incorporea ad videndum acueret. Nam tolle mentem quæ non videtur, & incassum patet oculus qui videbat. Subtrahe animam corpori, remanent proculdubio oculi in corpori aperti. Si igitur per se videbant, cur discedente anima nihil vident? Hinc ergo intellige, quia quoque ipsa visibilia non nisi per inuisibilia videntur. Ponamus quoque ante oculos mentis domum ædificari, immensas moles leuari, pendere magnas in machinis columnas, quisquæso te, hoc opus operatur? Corpus visibile quod illas moles manibus trahit, an inuisibilis anima quæ viuificat corpus: Tolle enim quod non videtur in corpore, & mox immobilia remanent cuncta, quæ moueri videbantur visibilia corpora metallorum. Qua in re pensandum est, quia in hoc quoque mundo visibili, nihil nisi per creaturam inuisibilem disponi potest. Nam sicut omnipotens Deus aspirando vel implendo ea quæ ratione subsistunt, & viuificat & mouet inuisibilia, ita ipsa quoque inuisibilia implendo mouent, atque † sensificant carnalia corpora quæ videntur. PETRVS. Istis fateor allegationibus libenter victus, propè nulla iam esse hæc visibilia existimare compellor: qui priùs in me infirmantium personas suscipiens de inuisibilibus dubitabam. Itaque placent cuncta quæ dicis: sed tamen sicut vitam animæ in corpore manentis ex motu corporis agnosco, ita vitam animæ post corpus apertis quibusdam rebus attestantibus agnoscere cupio.

† sensim viuificant.

Quòd incorporeus spiritus in inferno à corporeo igne affligatur. Ex Dialog. Gregor. Lib. 4. c. 29.

¶ CAP. 97.

Si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem cùm incorporeus spiritus sit, etiam corporeo igne teneatur? PETRVS. In viuente quolibet idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia viuificat corpus.

Quòd incorporeus spiritus viuificare possit, & ibi tenere, vbi à corporeo cruciatur igni. Ex Dial. Gregor. Proximè post.

¶ CAP. 98.

Si incorporeus spiritus Petre in hoc teneri potest quod viuificat, quare non pœnaliter & ibi teneatur vbi mortificatur? Teneri autem per ignem spiritum hominis dicimus, vt in tormento ignis sit viuendo atque sentiendo. Ignem namque eo ipso patitur, quòd videt, & quia cremari se aspicit, crematur. Sicque fit vt res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur: vt per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur. Quamuis colligere ex dictis Euangelicis possumus, quia incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis etenim voce diues mortuus in inferno dicitur sepultus. Cuius anima quia in igne teneatur insinuat vox diuitis qui Abraham deprecatur dicens: Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Dum ergo diuitem peccatorem damnatum veritas in ignibus perhibet, quis iam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? PETRVS. Ecce ratione & testimonio ad crudelitatem flectitur animus: sed dimissus iterum ad rigorem redit. Quomodò enim res incorporea à re corporea teneri atque affligi possit ignoro. Luc. 16.

De apostatis spiritibus, quòd incorporei sint credendi. GREGOR. Ibidem.

¶ CAP. 99.

Dic quæso te, apostatas spiritus à cœlesti gloria deiectos, corporeos an incorporeos esse suspicaris? PETRVS. Quis sanè sapiens esse spiritus corporeos dixerit?

Quòd gehennæ ignis corporeus esse credendus sit. GREG. ¶ CAP. 100. Ibidem.

Gehennæ ignem esse corporeum, an incorporeum fateris? PETRVS. Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo corpora certum est cruciari.

De hoc quod scribitur, Deum nemo vidit vnquam, & qualiter illud intelligendum sit. Greg. in Moral. Lib. 18. c. 37.

¶ CAP. 101.

Deum nemo vidit vnquam (inquit Ioannes.) 1. Ioan. 4. Rursumque cùm testamenti veteris patres intueor, multos horum, teste ipsa sacræ lectionis historia, Deum vidisse cognosco. Vidit quippe Gen. 32. Iacob Dominum: & ait, Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Vidit Moyses Dominum, de quo scriptum est: Lo- Exod. 33. quebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, Iob. 42. sicut loqui solet homo ad amicum suum. Vi- Esai. 6. dit Dominum Iob qui dixit, Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te. Vidit Esaias Dominum qui ait: Anno quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Vidit Michæas 3. Reg. 22. Dominum qui dicit: Vidi Dominum sedentem

super solium suum, & omnem exercitum cœli
Iob. 28. 1. Ioan. 4. astantem ei à dextris & à sinistris. Quid ergo est quòd tot veteris testamenti patres Deum se vidisse testati sunt, & tamen de hac sapientia quæ Deus est, dicitur: Abscondita est ab oculis omnium viuentium. Et Ioannes ait: Deum nemo vidit vnquam, nisi hoc quod patenter datur intelligi, quia quamdiu hic mortaliter viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest: vt anima gratia spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim eius essentiæ non pertingat? Hinc est quòd Iacob qui Deum se vidisse testatur, hunc non nisi in Angelo vidit. Hinc est quòd Moyses qui cum Deo facie ad faciem loquitur, sicut loqui solet homo ad amicum suum, inter ipsa verba suæ locutionis dicit: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè, vt videam te. Certè enim si Deus non erat cum quo loquebatur, ostende mihi Deum diceret, & non ostende temetipsum. Si autem Deus erat cum quo loquebatur facie ad faciem, cur petebat videre quem videbat? Sed ex hac eius petitione colligitur, quia eum sitiebat per incirconscriptam naturæ suæ claritatem cernere, quem iam cœperat per quasdam imagines videre, vt sic superna essentia mentis eius oculis adesset, quatenus ei ad æternitatis visionem nulla imago creata temporaliter interesset. Et viderunt ergo patres testamenti veteris dominum, & tamen iuxta Ioannis vocem, Deum nemo vidit vnquam. Et iuxta beati Iob sententiam, Sapientia quæ Deus est, abscondita est ab oculis omnium viuentium: quia in hac mortali carne consistentibus, & videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, & videri non potuit per incirconscriptum lumen æternitatis. Sin verò à quibusdam potest in hac adhuc mortali carne consistentibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine æterna Dei claritas videri, &c.

(Marginalia: Genes. 32. — Exod. 33. — 1. Ioan. 4. — Iob. 28. — Ibid. cap. 38.)

De duplici pœna damnatorum. Ex dictis Isidori. (Lib. 1. de summo bono, cap. 28.)

¶ Cap. 102.

Duplex damnatorũ pœna est in gehenna, quorum & mentem vrit tristitia, & corpus flamma † iuxta vicissitudinẽ: vt qui mente tractauerunt quod perficerẽt corpore, simul & animo puniantur & corpore. Ignem gehennæ ad aliquid lumen habere, & ad aliquid non habere: hoc est, habere lumen ad damnationem, vt videant impij vnde doleant: & non habere ad consolationem, ne videant vnde gaudeant. Apta fit comparatio de camino triũm puerorum, ad exemplum ignis gehennæ. Nam sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, & arsit ad comburenda ligamina vinculorum: ita ignis gehennæ & lucebit miseris ad augmentum pœnarum, vt videant vnde doleant: & non lucebit ad consolationem, ne videant vnde gaudeant. Inter huius vitæ & futuræ infœlicitatis miseriam, multa discretio est. Illic enim & miseria est propter cruciationem dolorum, & tenebræ propter lucis auersionem. Quorum vnum in hac vita, id est miseria, est, aliud non est. In inferno autem vtrumque est.

(Marginalia: † iusta vicissitudine. — Dan. 3.)

De pœnis impiorum. Ex dictis eiusdem. (Ibid. cap. 19.)

¶ Cap. 103.

Sicut fasciculi lignorum ad combustionem de similibus colligantur, ita in die iudicij similis culpæ rei suis similibus iungentur: vt ex æquo pœna constringat quasi in fasciculũ, quos actio similes fecit in malum. Sicut vnusquisque sanctus in futuro iudicio pro quantitate virtutum glorificabitur, ita & vnusquisque impius pro quantitate facinorum condemnabitur. Nec deerit in supplicio futuro damnationis ordo, sed iuxta qualitatem criminũm discretio erit pœnarum Propheta firmante. De charorum suorum quoque suppliciis additur etiam pœna defunctis: sicut apud inferos diuiti sermo prædicat Euangelicus, sicut pro augendo Iudæ supplicio dicit etiam Psalmus: Commotione moueantur filij eius, & mendicent. Impij ex hoc duriùs in iudicio puniendi sunt mentis dolore, ex quo visuri sunt iustos gloriæ beatitudinem meruisse. Cunctis videntibus est præcipitandus diabolus, quando sub aspectu omnium bonorum Angelorum & hominum, cum eis qui de parte eius erunt, in ignem æternum mittendus est. Dum sublatus fuerit diabolus vt damnetur, multi electi qui in corpore sunt inueniendi Domino ad iudicium veniente, metu concutiendi sunt, videntes tali sententia impium esse punitum, quo terrore purgandi sunt: quia si quid eis ex corpore adhuc peccati remanserit, metu ipso quo diabolum damnari conspiciunt, purgabuntur. Hinc est quòd ait Iob: Cùm sublatus fuerit timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Multos perire posse ex eis in die iudicij, qui nunc electi esse videntur & sancti, dicente Propheta: Vocabit Dominus iudicium ad ignem, & deuorabit abyssum multam, & comedet partem domus. Pars quippe domus deuorabitur, quia illos etiam infernus absorbebit, qui nunc se esse in præceptis cœlestibus gloriantur. De quibus & Dominus ait: Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, in nomine tuo dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus? Tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem: nescio qui estis.

(Marginalia: Luc. 16. — Psal. 18. — Iob. 41. — Amos. 7. — Matth. 7.)

De Antichristo. Ex dictis eiusdem. (Ibid. cap. 25.)

¶ Cap. 104.

Omnis qui secundùm Christianæ professionis normam, aut non viuit aut aliter docet, Antichristus est. Plærique autem Antichristi tempora non visuri sunt, & tamen in membris Antichristi inueniendi sunt. Antequàm veniat Antichristus multa membra eius præcesserunt, & prauæ actionis merito caput proprium præuenerunt, secundum Apostoli sententiam, qui iam iniquitatis mysterium operari illum affirmat, etiam antequam reueletur. Magnitudo signorum faciet sub Antichristo, vt electi si fieri potest, in errorem mittantur. Sed si electi, quomodò sunt in errorem mittendi? Ergo ibunt in errorem titubationis ad modicum, propter multitudinem prodigiorum: non tamen deijciendi sunt à stabilitate sua terrorum impulsu atque signorum. Vnde & ideo ponitur Si fieri potest: quia electi perire non possunt, sed citò resipiscentes cordis errorem religione coërcebunt, scientes prædictum esse à Domino, vt dum hoc fecerint aduersarij, non conturbentur sancti. Tam mira facturus est prodigia & signa dum venerit Antichristus, vt etiam electis quoddam cordis gignatur scrupulum,

(Marginalia: 2. Thess. 2. — Matth. 24.)

quod tamē cito exuperet in illis ratio, per quam sciēt in deceptionem reproborū, & electorum probationem eadem fieri signa. In quo tempore per patientiam gloriosi erunt sancti, non per miracula sicut sancti martyres fuerunt priores. Illi enim & persecutores sustinebunt, & facientes prodigia. Proinde & duriùs bellum sustinebunt, quia non solum contra persequentes, sed etiam contra miraculis corruscantes dimicaturi sunt. Grauius sub Antichristi temporibus contra Ecclesiam desæuiet Synagoga, quàm in ipso aduentu saluatoris Christianos est persecuta. Dum in martyres diabolus iam exercuerit magnam crudelitatem etiam ligatus, crudelior tamen erit sub Antichristi temporibus, quando etiam erit soluendus. Nam si tanta ligatus facere potuit, quanta solutus faciet? Quantò propinquiùs finem mundi diabolus videt, tantò crudeliùs persecutiones exercet: vt quia se continuò damnandum conspicit, socios sibi multiplicet cum quibus gehennæ ignibus addicatur. Quantò breue tempus videt diabolus sibi restare vt damnetur, tantò in magna persecutionis ira mouetur, diuina iustitia permittente, vt glorificentur iusti, sordidentur iniqui, & vt diabolo durior crescat damnationis sententia.

Quòd ante diem iudicij etiam electi periclitabuntur in aduentu Antichristi. Greg. in Mor.

¶ Cap. 105.

In diebus eius stupebunt nouissimi, & primos inuadet horror. Tanta enim tunc contra † iustos iniquitate effrenabitur, vt etiam electorum corda non paruo pauore feriantur. Vnde scriptum est: Ita vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. Quod videlicet dicitur, non quia electi casuri sunt, sed magnis terroribus trepidaturi. Tunc verò contra eum certamen iustitiæ & nouissimi electi habere narrantur, & primi: quia videlicet & hi qui in fine mundi electi reperiuntur, in morte carnis prosternendi sunt: & illi etiam qui à prioribus mundi partibus processerunt, Henoch scilicet & Elias ad medium reuocabuntur, & crudelitatis eius sæuitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt. Huius vires in tantam potestatem laxatas nouissimi obstupescunt, & primi metuunt: quia licet iuxta hoc quòd spiritu superbiæ subleuatur, omnem temporalem eius potestatem despiciunt: iuxta hoc tamen quòd ipsi adhuc in carne mortali sunt, in qua cruciari temporaliter possunt, ipsa quæ fortiter tolerant, supplicia perhorrescunt: ita vt in eis vno eodemque tempore & constantia ex virtute sit, & pauor ex carne: quia etsi electi sunt, vt tormentis vinci nequeant, per hoc tamen quòd homines sunt, & ipsa metuunt tormenta, quæ vincunt.

Item de Antichristo. Greg. in Moral.

¶ Cap. 106.

Vidit enim quòd in fine mundi Satan hominem ingrediens, quem sacra scriptura Antichristum appellat, tanta elatione extollitur, tanta virtute principatur, tantis signis & prodigiis in sanctitatis ostensione eleuatur, vt argui ab homine eius facta non valeant: quia cum potestate terroris adiungit etiam signa ostensæ sanctitatis. Et ait: Quis arguet coram eo viam eius? Quis videlicet hominum illum increpare audeat, cuius visum ferre pertimescit? Sed tamen eius viam non solum Elias & Henoch, qui in eius exprobrationem ad medium deducuntur, sed etiam omnes electi arguunt dum contemnunt, dum virtute mentis eius malitiæ resistunt.

Item de Antichristo. Gregor. in Moral. Lib. 15. c. 36.

¶ Cap. 107.

Hoc in loco homo humana sapientia dicitur: sed cum plus sint omnes quam innumerabiles, quærendum nobis est cur ante se innumerabiles, Iob. 21. & post se omnes trahere dicatur: nisi quòd antiquus hostis reprobum tunc hominem ingressus, cunctos quos carnales inuenerit sub suæ iugum ditionis rapit: qui & nunc priusquam appareat, innumerabiles quidem, non tamen omnes carnales trahit: quia quotidie à carnali opere ad vitam multi reuocantur, adque statum iustitiæ, alij per breuem, alij per longam pœnitentiam redeunt: & nunc innumerabiles rapit cum falsitatis suæ stupenda hominibus signa non exhibet: cùm verò coram carnalium oculis miranda eis prodigia fecerit, post se tunc non innumerabiles, sed omnes trahit: quia qui bonis præsentibus delectantur, potestati illius se absque retractione subjiciunt. Sed sicut præfati sumus, quia plus est omnem hominem quàm innumerabiles trahere, cur priùs dicitur quòd omnem trahit, & pòst in augmento innumerabiles subjiciuntur? Ratio namque expetit, vt priùs quod minus est, & pòst in augmento quod maius est diceretur. Sed sciendum quia in hoc loco plus fuit innumerabiles dixisse, quam omnes. Post se enim omnem hominem trahit, quia in tribus annis & dimidio omnes quos in studiis vitæ carnalis inuenerit, iugo suæ † dominationis astringit. † damnationis. Ante se verò innumerabiles traxit, quia per quinque milia, & adhuc ampliùs annorum curricula, quamuis carnales omnes trahere minimè potuit, multò tamen plures sunt in tā longo tempore hi, quos ante se innumerabiles rapit, quam omnes quos in tam breui tempore rapiendos inuenerit. Benè ergo dicitur: Post se omnem hominem trahit, & ante se innumerabiles: quia & Iob. 21. tunc minus tollit, cum omnes tulerit: & nunc amplius diripit, cum corda omnium inuadit.

Quòd in nouissimis Israëlitæ omnes per prædicationem Eliæ conuerti debeant. Greg. in Mor. Decerptum videtur ex lib. 35. c. 15.

¶ Cap. 108.

Sed extremò Israëlitæ omnes ad fidem cognita Eliæ prædicatione concurrunt, atque ad eius protectionem quem fugerant redeunt, & tunc illud eximium multiplici aggregatione populorum conuiuium celebratur.

De hoc, cur in hac vita sæpius bonis malè sit. Gregor. in Moral. Lib. 5. cap. 1.

¶ Cap. 109.

Cum valdè occulta diuina sint iudicia, cur in hac vita nonnunquam bonis malè sit, malis benè, tunc occultiora sunt, cum & bonis hic benè est, & malis malè. Nam cū bonis malè est, malis benè, hoc fortasse deprehenditur, quia & boni si qua deliquerunt hic recipiunt, vt ab æterna plenius damnatione liberētur, & mali bona quæ pro hac vita faciunt hic inueniunt, vt ad sola in posterū tormenta pertrahantur. Vnde & ardenti Luc. 16. in inferno diuiti dicitur: Memento fili quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter ma-

la. At cum bonis hic benè est, & malis malè, incertum valdè fit, vtrum boni ideo bona accipiant, vt prouocati ad aliquid meliùs crescant, an iusto latentique iudicio hic suorum operum remunerationem percipiant, vt à præmiis vitæ sequentis inanescant. Et vtrum malos idcirco aduersa feriant, vt ab æternis suppliciis corrigendo defendant: an hic eorum pœna incipiat, vt quandoque complenda eos ad vltima gehennæ tormenta perducat.

Lib. 26. c. 24. *Quòd etiam omnes resurgere debeant ad tormenta, non ad iudicium. Gregor. in Moral.*

¶ Cap. 110.

Resurgunt etiam omnes infideles, sed à l tormenta ad iudicium. Non enim eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum districti iudicis iam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem verò fidei retinentes; sed professionis opera non habentes, redarguuntur vt pereant. Qui verò nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt: quia præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius quem despexerant inuectione redargui non merentur. Illi saltem verba iudicis audiunt, quia eius saltem fidei verba tenuerunt: isti in damnatione sua æterni iudicis nec verba percipiunt, quia eius reuerentiam nec verbotenus seruare voluerunt. Illi legaliter pereunt; quia sub lege positi peccauerunt: istis in perditione sua de lege nihil dicitur; quia nihil legis habere conati sunt.

De Eccles. dogma. c. 7. *Quòd omnes homines resurgere debeant. August.*

¶ Cap. 111.

Omnium hominum erit resurrectio. Si omnium erit, ergo omnes moriuntur, vt mors † in Adam data omnibus eius filiis dominetur: & maneat illud priuilegium in domino, quod de eo specialiter dicitur: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Hanc rationem maxima patrum turba tradente suscepimus. Verùm quia sunt & alij æquè Catholici & eruditi viri; qui credunt anima in corpore manente immutandos ad incorruptionem & immortalitatem eos, qui in aduentu Domini viui inueniendi sunt: & hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quòd mortalitatem immutatione deponant, non morte: quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus; nisi ex contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in Ecclesiæ lege carnis resurrectionem credere futuram de morte.

† ab Adam ducta.

Psal. 15. Act. 2.

Ibid. cap. 8. *Quomodò intelligatur quòd viui & mortui dicuntur indicandi. Idem Aug.*

¶ Cap. 112.

Quòd autem dicimus in Symbolo, in aduentu Domini viuos & mortuos iudicandos, non iustos tantùm ac peccatores significari, sicut Diodorus putat, sed & viuos eos, qui in carne inueniendi sunt, credimus. Qui ob hoc morituri creduntur vel immutandi, sicut alij volunt, vt suscitati continuò vel reformati † à mortuis, iudicentur.

† cum antè mortuis iudicentur. Sic hodie Aug.

Ibid. c. 9. *Quòd Angeli apostatæ, & impij homines post tormenta quasi suppliciis expurgati, iustorum societate non donentur. Item Aug.*

¶ Cap. 113.

Post resurrectionem & iudicium non credamus restitutionem futuram, quam Origenes delirat: vt dæmones vel impij homines post tormenta, quasi suppliciis expurgati, vel illi in Angelicam qua creati sunt redeant dignitatem, vel isti iustorum societate donentur: eò quòd hoc diuinæ conueniat pietati, ne quid ex rationalibus pereat creaturis, sed quolibet modo saluetur. Sed nos credamus ipsi iudici omnium, & retributori iusto qui dixit: Impij ibunt in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam, vt percipiant fructum operum suorum. Et iterum: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.

Matth. 25. Ibidem.

Quòd resurrectio fieri debeat in ætate perfecta iuuentutis qua profectu non indigeat. Ex dictis Isidori. Lib. 1. de summo bono cap. 26.

¶ Cap. 114.

Inchoatio pacis sanctorum est in hac vita, non perfectio. Tunc autem erit plenitudo pacis, dum ad Dei contemplationem absorpta carnis infirmitate conualuerint. Resurrectio mortuorum, vt Apostolus ait, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi futura est: in ætate scilicet iuuentutis quæ profectu non indiget, & absque inclinatione defectus in perfectione ex vtraque parte & plena est & robusta. Quamuis nunc filiorum Dei nomine homines fideles vocentur, tamen ex eo quòd hanc seruitutem corruptionis patiuntur adhuc iugo seruitutis addicti, sunt accepturi plenam filiorum Dei libertatem, dum corruptibile hoc induerit incorruptionem. Nunc Deus per speculum agnoscitur, in futuro autem quisque electus facie ad faciem præsentabitur, vt ipsam speciem contempletur, quam nunc per speculum videre conatur. In hac vita electorum numero ad dexteram pertinentium, & reproborum qui ad sinistram ituri sunt, Ecclesiam Dei compleri dicitur, in fine autem sæculi zizania à frumento disiungi.

Ephes. 4. 1. Cor. 15. 1. Cor. 13. Matth. 13.

Quòd districtus iudex ad iudicium veniens, peccatorem videat vt feriat, non vt saluet. Greg. in Moral. Lib. 8. c. 13.

¶ Cap. 115.

Districtus Iudex ad iudicium veniens, & ad saluandum non videt; & ad feriendum videt: quia quem in præsenti vita dispensationis suæ miseratione non respicit, respiciendo postmodum per iustitiam extinguit. Nunc enim peccator quisque Deum non metuit, & viuit, blasphemat; & proficit: quia scilicet misericors creator quem expectando vult corrigere, aspiciendo non vult punire, sicut scriptum est: Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Sed tunc peccator cùm respicitur non subsistit: quia cum districtus iudex merita subtiliter inquirit, reus ad tormenta non sufficit. Quamuis hoc etiam iustorum voci congruit, quorum mens semper solicita venturo examini intendit. Omne enim quod agunt metuunt, dum cautè considerant ante quantum iudicem stabunt. Intuentur potentiam illius magnitudinis, & pensant quanto reatu constricti sunt propriæ infirmitatis. Enumerant mala proprij operis, & contra hæc exaggerant bona gratiæ conditoris. Considerant praua quam districtè iudicet, bona opera quam subtiliter penset: & perituros se absque ambiguitate præsciunt, si remota pietate iudicentur. Quia hoc ipsum quoque quòd iustè videmur viuere culpa est, si vitam nostram cum iudicat, hanc apud se diuina misericordia non excusat.

Sap. 11.

Lib. 1. de summo bono, cap. 27.

Quòd in die iudicij duo ordines in quatuor diuidentur. Ex dictis Isidori.

¶ CAP. 116.

Duæ sunt differentiæ vel ordines hominum in iudicio, hoc est electorum & reproborum. Qui tamen diuiduntur in quatuor. Perfectorum ordo vnus est, qui cum Deo iudicat, & alius qui iudicatur. Vtrique tamen cum Christo regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duo, dum hi qui intra Ecclesiam sunt mali iudicãdi sunt & damnandi. Qui verò extra Ecclesiam inueniendi sunt, non sunt iudicandi, sed tantum damnandi. Primus igitur eorum ordo qui iudicantur & pereunt, opponitur illi ordini bonorum, de quo sunt qui iudicantur & regnant. Secundus eorum ordo qui non iudicantur & pereunt, opponitur illi ordini perfectorum, in quo sunt hi, qui non iudicantur & regnant. Tertius ordo eorum qui iudicantur & regnant, illi ordini contrarius est, de quo sunt qui iudicantur & pereunt. Quartus ordo eorum qui non iudicantur & regnant, opponitur illi contrario ordini, in quo illi sunt qui non iudicantur & pereunt. Gemina punitur sententia impius, dum aut hic pro suis meritis cæcitate percutitur ne veritatem videat, aut dum in fine damnabitur vt debitas pœnas exoluat.

Lib. 24. c. 9. Vide August. lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 14. Apoc. 20.

Quòd liber vitæ sit ipsa visio aduenientis Iudicis, quia quicquid quis fecerit, ipso viso statim intelliget. Gregor. in Moral.

¶ CAP. 117.

Libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his quę scripta erant in libris. Liber namque vitæ est ipsa visio aduenientis Iudicis, in quo quasi scriptum est omne mandatũ, quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia quicquid non fecit intelligit. Libri aperti referuntur, quia iustorum tunc vita conspicitur, in quibus mandata cœlestia opere impressa cernũtur. Et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, quia in ostensa vita iustorum, quasi in expansione librorum legunt bonũ quod ipsi agere noluerũt, atque ex eorum qui fecerũt comparatione damnantur. Ne ergo vnusquisque tunc videns eos, quod non fecit defleat nunc in eis quod imitetur attendat: quod quidem facere electi non cessant.

Lib. 1. de summo bono, cap. 33.

De gloria sanctorũ post mortem. Ex dictis Isidori.

¶ CAP. 118.

Non faciet in futurum cor miserum iustorum ex compassione damnatorum condolendi affectio: vbi tantum erit sanctorum de Dei contemplatione gaudium, vt tristitiæ nullum tribuat introitum. Sicut comparatus color candidus nigro colori fit pulchrior, ita sanctorum requies comparata damnationi malorum gloriosior erit: sic iustitia iniustitiæ, sic virtus vitio. Crescit ergo sanctorum gloria, dum debita damnantur impij pœna. Post resurrectionem sanctis in carne promissa est cœlorum ascensio, dicente ad patrem Christo: Volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum. *Ioan. 17.* Si enim membra capitis sumus, & vnus in se & in nobis est Christus: vtique vbi ipse ascendit, & nos ascensuri sumus.

Aug. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 14.

Quòd finito iudicio incipiet esse cœlum nouum, & terra noua. Ex dictis eiusdem.

¶ CAP. 119.

Vt ait beatus Augustinus, peracto finitóque iudicio tunc esse desinet hoc cœlum & hæc terra, quando incipiet esse cœlum nouum & terra noua. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus. *Apoc. 21.* Vnde & Apostolus dicit: Præterit enim figura huius mundi: *1. Cor. 7.* figura ergo præterit, non natura.

Aug. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 18.

Contra eos, qui dicunt, si post factum iudicium erit conflagratio mundi, vbi tunc esse poterunt sancti, qui non contingantur flamma incendij. Ex dictis eiusdem.

¶ CAP. 120.

Hanc quæstionem beatus Augustinus dissoluit. Quærat ait, forsitan aliquis, si post factum iudicium mundus iste ardebit, antequam pro illo cœlum nouum & terra noua reponantur, *Apoc. 21.* eo ipso tempore conflagrationis eius, vbi erunt sancti, cum eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit? Possumus respondere, futuros esse in superioribus partibus, quò ita non ascendet flamma illius incendij, quemadmodum nec vnda diluuij. Talia quippe illis erunt corpora, vt illic sint vbi esse voluerint: sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent immortales atque incorruptibiles facti: sicut virorum trium *Dan. 3.* corruptibilia corpora atque mortalia in camino ardenti illæsa viuere potuerunt.

Vt nullus se putet eleemosynis peccata sua posse redimere, nisi studeat vitam suam corrigere. Augustinus. *Ench. c. 70.*

¶ CAP. 121.

Sanè cauendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt regnum Dei non possidebunt, *1. Cor. 6.* quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidie redimenda. In melius est quippe vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodò, vt ea semper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentũ peccandi, quamuis miserãdo deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

Leuia peccata Dominica nobis dimitti oratione, si tamen debitoribus nostris ita dimittimus, sicut & nobis dimitti volumus. Augustin. *Ibid. cap. 71.*

¶ CAP. 122.

De quotidianis autem breuibus leuibúsque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fideliũ satisfacit. Eorum est enim dicere: Pater noster qui es in cœlis, qui iam patri *Matth. 6.* tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. *Ioan. 3.* Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata. Delet & illa à quibus vita fideliũ etiam scelerate gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit, si quemadmodum veraciter dicitur: Dimitte nobis debita nostra, quoniam non desunt *Matth. 6.* quæ dimittantur, ita veraciter dicatur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, id est, fiat quod dicitur. Quia & ipsa eleemosyna est veniam petenti homini ignoscere.

Quòd non solum tunc eleemosyna detur, quando solatium aliquod indigenti, sed etiam quando vel venia peccanti, vel disciplina datur erranti. Augustin. *Ibid. cap. 72.*

¶ CAP. 123.

Ac per hoc ad omnia quæ vtili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait: Date eleemosynã, & ecce omnia munda sunt vobis. *Luc. 11.* Non solum autem qui dat esurienti cibum, sitienti potũ, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulũ, ægro vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subiectionem, cæco dedu-

ctionem, tristi consolationē, non sano medelam, † delirantii. erranti viam, † deliberanti consiliū, & quod cuique necessarium est indigenti, verumetiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat. Et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coërcet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius quo ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur: non solum in eo quòd dimittit atq; orat, verumetiam in eo quòd corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynā dat: quia misericordiā præstat. Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati non voluntati: quia ipsi sibi inueniuntur esse inimici, amici verò eorum potiùs illi quos inimicos putant, & reddūt errando mala pro bonis, cum reddere mala Christianus non debeat, nec pro malis. Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quæ cum facimus, adiuuamur vt dimittantur nobis debita nostra. Rom. 12. 1. Thess. 5. 1. Pet. 3. Matth. 6.

Perfectorum esse filiorum Dei, retribuere bona pro malis. August. ¶ CAP. 124. Ibid cap. 73.

Sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus quod in nos quis peccauit. Minus enim magnum est, erga eum esse beneuolum siue etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit: illud multò grandius & magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & si potest facit, tu bonum semper velis, faciasque cùm possis, audiens dicentem Iesum: Diligite inimicos vestros: benefacite eis qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos persequuntur. † Sed dona perfectorum sunt ista filiorum Dei, quò quidem se debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum orando Deum, secumque agendo luctandoque perducere. Matth. 5. † Sed quoniam perfectorum. Sic August.

Quomodò ab imperfectis impleantur verba dominicæ orationis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, &c. August. ¶ CAP. 125. Proximè post.

Tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cùm in oratione dominica dicitur: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, proculdubio verba sponsionis huius implentur, si homo qui nondum ita profecit vt iam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccauit in eum, vt ei dimittat, dimittit ei ex corde, quia etiā sibi roganti vult vtique dimitti cum orat, & dicit: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, id est, sic dimitte debita nostra rogantibus nobis, sicut nos dimittibus rogantibus debitoribus nostris. Matth 6.

Quòd nihil valeat eleemosyna quando non corrigitur vita. August. ¶ CAP. 126. Ibid. cap. 75.

Sanè qui sceleratissimè viuunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi ideo blandiuntur, quoniā Dominus ait: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Hoc enim quàm latè pateat non intelligunt, sed vt intelligant, attendant quibus dixerit: nempe in Euangelio sic scriptū est: Cum loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus vt pranderet apud se, & ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit id quod foris est, etiam id quod intus est fecit? Veruntamen quod superest, date elemosynā, & ecce omnia munda sunt vobis. Itane hoc intellecturi sumus, vt Pharisæis non habentibus fidē Christi, etiam si non in eum crediderint, nec renati fuerint ex aqua & Spiritu sancto, munda sint omnia, tantū si eleemosynas dederint, sicut isti eas dandas putant: cum sint immundi omnes quos non mundat fides Christi, de qua scriptum est: Mundans fide corda eorum. Et dicat Apostolus: Immundis autem & infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum mens & conscientia. Quomodò ergo Pharisæis omnia munda essent, si eleemosynas darent, & fideles non essent? Aut quomodò † fideles essent, si in Christū credere, atque in eius renasci gratia † noluissent? Et tamen verū est quod audierant: Date eleemosynā, & ecce omnia mūda sūt vobis. Luc. 11. Ibidem. Ioan. 3. Act. 15. Tit. 1. † infideles. † voluissent. Luc. 11.

Quòd non sit vocandus inimicus qui veniam rogare disponit. Aug. ¶ CAP. 127. Ibid. cap. 74.

Iam verò qui eum in quem peccauit hominem rogat, si peccato suo mouetur vt roget, non est adhuc deputandus inimicus, vt eum diligere sit difficile, sicut difficile erat quando inimicitias exercebat.

Non remitti peccata nisi remittenti ex corde in se peccanti. Aug. ¶ CAP. 128. Proximè post.

Quisquis autem roganti & peccati sui pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo existimet à Domino sua peccata dimitti, quoniam mentiri veritas non potest. Quem verò Euangelij lateat auditorem, siue lectorem quis dixerit, Ego sum veritas? Qui cum docuisset orationem, hanc in ea positam sententiam vehementer commendauit dicens: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Ad tam magnum tonitrūum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. Et tamen potens est ille etiam mortuos excitare. Ioan. 14. Matth. 6.

Item quomodò largienda sit eleemosyna. Aug. ¶ CAP. 129. Ibid. cap. 76.

Qui autem vult ordinatè dare eleemosynam, à seipso debet incipere, & eam sibi primùm dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeq; dictum est: Miserere animæ tuæ placens Deo. Propter hoc renascimur, vt Deo placeamus, cui meritò displicet quod nascendo contraximus. Hæc est prima eleemosyna quam nobis dedimus, quoniam nosipsos miseros per miserantis Dei misericordiam requisiuimus, iustum iudiciū eius confitentes, quo miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus: Iudicium quidem ex vno in condemnationē. Et magnæ charitati eius gratias agentes, de qua idem ipse dicit gratiæ prædicator: Commendat autem suam dilectionē Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: vt & nos veraciter de nostra miseria iudicantes, & Dei charitatem quam donauit ipse, diligentes, piè rectéque viuamus. Quod iudicium & charitatem Dei cùm Pharisæi præterirent, decimabāt tamen † præter eleemosynas quas faciebant, etiā quæque minutissima fructuum suorum. Et ideo non dabant eleemosynam à seipsis incipientes: secúmque priùs misericordiam facientes, sicut isti eas dandas putant. Propter quem dilectionis Eccli. 32. Rom. 5. Ibidem. Matth. 23. † propter. Luc. 11.

Matth. 22. ordinem dictum est: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Cùm ergo increpasset eos quòd forinsecus se lauarent, intus autem rapina & iniquitate pleni essent, admonens quandã eleemosynam quam sibi homo debet primitus dare, & interiora mundare: Veruntamen inquit, quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Deinde vt ostenderet quid admonuisset, & quid ipsi facere non curarẽt, ne illum putarent eleemosynas eorum ignorare: Sed væ vobis inquit Pharisæis: tanquam diceret, Ego quidem commonui vos ad eleemosynam dandam, per quam vobis munda sint omnia: sed væ vobis qui decimatis mentham, & rutam, & omne olus: has enim noui eleemosynas vestras, ne de illis me vos nunc admonuisse arbitremini, & prçteritis iudiciũ & charitatem Dei. Qua eleemosyna possetis ab omni inquinamento interiori mundari, vt vobis munda essent & corpora quæ lauatis, hoc est enim, Omnia, & interiora scilicet & exteriora. Sicut alibi legitur: Mundate quæ intus sunt, & quæ foris sunt munda erunt. Sed ne istas eleemosynas quæ fiunt de fructibus terræ respuisse videretur, Hæc inquit, oportuit facere. Id est, iudiciũ & charitatem Dei. Et illa non prçterire, id est, eleemosynas fructuum terrenorum.

Ne quis impunitatem sibi peccandi dari putet, eleemosynam dando. Aug. ¶ CAP. 130. Ibid. cap. 77.

Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum, vel cuiusque pecuniæ impunitatẽ se emere existimant in facinorum suorũ immanitate ac flagitiorum nequitia permanendo. Non solum enim hæc faciunt, sed ita diligũt vt in eis semper optent, tantum si possint, impunè versari. Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam: & qui odit animam suam, non est misericors, sed crudelis: diligendo eam quippe secundum seculum, odit eam secundùm Deũ. Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam munda illi essent omnia, odisset eam secundùm seculũ, & diligeret secundum Deũ. Nemo autẽ dat eleemosynã quamlibet, nisi vnde det ab illo accipiat qui nõ eget. Et ideo dictum est: Misericordia eius prçueniet me.

Pro inimicis similiter vt pro maximis peccatis orandum. Aug. ¶ CAP. 131. Ibid. cap. 78.

Quæ sint autem leuia, quæ grauia peccata, non humano, sed diuino sunt pensanda iudicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa, quale illud est quod venerabilis Paulus coniugibus ait: Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum in idipsum reuertimini, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram. Quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet coniungi non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis: vt fornicationis, siue adulterij, siue cuiusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quò potest tentante Satana libido pertrahere, incontinentium deuitet infirmitas. Posset ergo, vt dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Quis autem iam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus Apostolica authoritas fateatur? Tale quiddam est vbi dicit: Audet quisquam vestrum aduersùs alterum negotium habens, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? Et paulò pòst: Secularia igitur iudicia, si habueritis inquit, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos colllocate ad iudicandun. Ad reuerentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter† fratrem suum iudicare. Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Nam & hic posset putari iudicium habere aduersùs alterum non esse peccatum, sed tantummodò id extra Ecclesiam velle iudicari, nisi secutus adiungeret: Iam quidem omnino delictum est inter vos: quia iudicia habetis vobiscum. Et ne quisquam ita hoc excusaret, vt diceret iustum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam velit à se iudicum sententia remoueri: continuò talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit atque ait: Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini? Vt ad illud redeatur quod Dominus ait: Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium. Et alio loco: Qui abstulerit inquit, tua, noli repetere. Prohibuit itaque suos de secularibus rebus cum aliis habere iudicium: ex qua doctrina Apostolus dicit esse delictum. Tamen cùm finit in Ecclesia talia iudicia finiri inter fratres, fratribus iudicantibus, extra Ecclesiam verò terribiliter vetat, manifestum est etiam hic quid secundum veniam concedatur infirmis. Propter hæc atque huiusmodi peccata, & alia, licet iis minora, quæ fiunt verborum & cogitationum offensionibus, Apostolo Iacobo confitente ac dicente: In multis enim offendimus omnes, oportet vt quotidie crebróque oremus Deum, atque dicamus: Dimitte nobis debita nostra, nec in eo quod sequitur mentiamur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

† inter fratrem & fratrẽ iudicare.

Marginal references: Luc. 11. — Luc. 11. — Psal. 10. — Psal. 58. — 1. Cor. 7. — 1. Cor. 6. — Matth. 5. — Luc. 6. — 1. Cor. 6. — Iac. 3. — Matth. 6.

Quædam esse peccata grauia, quæ ab hominibus leuia putantur. Aug. ¶ CAP. 132. Ibid. cap. 79.

Sunt autem quædam quæ leuissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret? Cui tamen vulneri subiecit continuò medicinam, præceptum fraternę reconciliationis adiungens, mox quippe ait: Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùm te, &c. Aut quis ęstimaret quàm magnum peccatum sit dies obseruare & menses, & annos, & tempora: sicut obseruant qui certis diebus, siue annis, siue mensibus, volunt vel nolunt aliquid inchoare, eò quòd secundùm vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora: nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: Timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis.

Marginal references: Matth. 5. — Ibidem. — Gal. 4. — Ibidem.

Quale peccatum clamor in scriptura sancta appelletur. Aug. ¶ CAP. 133. Ibid. c. 80.

Hinc accidit, quòd peccata quamuis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur? vsque adeò vt non solùm non occultanda, verumetiam iam prædicanda ac diffamanda videantur. Quando sicut scriptum est, Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur. Talis in diuinis libris iniquitas clamor vocatur: sicut habes apud Esaiam Prophetam de vinea mala: Expectaui inquit, vt faceret iudicium,

Marginal references: Psal. 9. — Esai. 5.

fecit autem iniquitatem, & non iustitiam, sed clamorem. Vnde est & illud in Genesi: Clamor Sodomorum & Gomorræorũ multiplicatus est. Quia non solum iam apud eos non puniebantur illa flagitia, verumetiam publicè velut lege frequentabantur. Sic nostris temporibus ita multa mala, etsi non talia in apertam consuetudinem iam venerunt, vt pro his non solum excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec clericum degradare. Vnde cùm exponerem ante aliquot annos epistolam ad Galatas, in eo ipso loco vbi ait Apostolus: Timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis: exclamare compulsus sum, Væ peccatis hominum quæ sola inusitata exhorrescimus, vsitata verò pro quibus abluendis filij Dei sanguis effusus est, quamuis tam magna sint, vt omnino claudi contra se faciant regnum Dei, sæpe viuendo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur, atque vtinam, ô Domine, non omnia quæ non potuerimus prohibere, faciamus. Sed † vide vtrùm me immoderatus dolor incautè aliquid compulerit dicere.

Gen. 18. Gal. 4. † video.

Ibid cap. 81.

Quòd duabus ex causis peccemus. August.

¶ CAP. 134.

Hoc nunc dicam, quod quidem & in aliis opusculorum meorum locis sæpe iam dixi. Duabus ex causis peccamus, aut nondum videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos conuenit, sed profectò vincimur, nisi diuinitus adiuuemur, vt non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate delectatio iustitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, scientes videntésque peccamus: iam non solum peccatores, quòd eramus etiam cùm per ignorantiam peccabamus, verumetiam legis præuaricatores: cùm id non facimus quod faciendum esse iam nouimus, vel facimus quod non faciendum esse iam scimus. Quapropter non solùm si peccauimus vt ignoscat: propter quod dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: verumetiam ne peccemus †concedat, propter quod dicimus: Ne nos inferas in tentationem. Ille rogandus est, cui dicitur in Psalmo: Dominus illuminatio mea, & salus mea: vt illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem.

Matth. 6. † vt regat. Ibidem. Psal. 26.

Ibid. cap. 82.

Sine misericordia Dei hominem infructuosam agere pœnitentiam. August.

¶ CAP. 135.

Nam & ipsa pœnitentia quando digna causa est secundùm morem Ecclesiæ vt agatur, plerumque infirmitate non agitur. Quia & pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum æstimatio, quàm iustitia qua se quisque humiliat pœnitendo. Vnde non solùm cum agitur pœnitentia, verumetiam vt agatur Dei misericordia necessaria est. Alioquin nõ diceret Apostolus de quibusdam: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam. Et vt Petrus amarè fleret, præmisit Euangelista & ait: Respexit eum Dominus.

2. Tim. 2. Luc. 22.

Ibid. cap. 83.

Irremissibile fore peccatum illius, qui non credit in Ecclesia sancta posse omnia peccata dimitti. Augustinus.

¶ CAP. 136.

Qui verò in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam diuini muneris largitatem, & in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit. De qua quæstione difficili in quodam propter hoc solùm conscripto libello, enucleatissimè quantùm potui disputaui.

Nouel const. 7. § si verò, & sequent.

De rebus ad venerabilem locum pertinentibus, non alienandis.

¶ CAP. 137.

Omnes omnino sacerdotes à rerum Ecclesiasticarum alienatione se abstineant, pœnas timentes quas Leoniana constitutio minatur, id est, vt is quidem qui comparauerit rem loco venerabili, reddat cuius & antea fuerat: scilicet cum fructibus aliisque emolumentis, quæ in medio tempore facta sunt. Oeconomus autem Ecclesiæ qui præstare omne lucrum ex huiusmodi prohibita alienatione senserit, vel qui Ecclesiæ damnum effecerit, à ministerio submoueatur, ita vt in posterum œconomus non sit. Non solùm autem ipse, sed etiam successores eius hac lege teneantur, siue archiœconomus alienauerit, siue respiciens alienantem Episcopum non prohibuerit, multò magis si consenserit. Tabellionem qui talia interdicta instrumento conscripsit, perpetuo exilio tradi oportet. Magistratus autem qui eadem instrumenta admiserunt, & officiales qui operam dederunt, monumentis intimentur, & donationes vel certè alienationes actis interuenientibus infirmentur. Non solùm magistratus, sed etiam dignitates aliæ facultatibus suis cedant. Remittit autem constitutio ea quæ in præterito tempore acta sunt. Excipit autem quosdam contractus, quos in sequentibus exponit capitulis: per quos Ecclesiarum immobiles res alienari possunt. Xenodochium, id est, locus venerabilis, in quo peregrini suscipiuntur. Ptochotrophium, id est, locus venerabilis, in quo pauperes & infirmi homines pascuntur. Nosocomium, id est, locus venerabilis, in quo ægroti homines curantur. Orphanotrophium, id est, locus venerabilis, in quo parentibus orbati pueri pascuntur. Gerontocomium, id est, locus venerabilis, in quo pauperes, & propter senectutem solam infirmi homines curantur. Brephotrophium, id est, locus venerabilis in quo infantes aluntur.

FINIS

NOTÆ
IN DECRETVM IVONIS
PRÆFATIO AD LECTOREM.



ECRETVM Iuonis, quod tamdiu delituerat, & à Theologis ac Iurisperitis omnibus citatum non visum tantopere desiberabatur, superiori sæculo vir clarissimus Ioannes Molinæus summo totius Ecclesiæ bono typis primum excudi curauerat, vt ipsemet in sua præfatione docuit: Sed quia vnicum ei suppetebat manuscriptum exemplar, nec satis otij ad conferenda cum illo Conciliorum & Patrum originalia, accuratum planè aut absolutum edere non potuerat. Quod erat peritorum omnium desiderium, qui tantum opus tot mendis scatere dolebant: nullus tamen de eo inuestigando restaurandóue cogitabat; cùm alij aliis operibus occuparentur; alij quorum hoc sæculo maxima pars, nouis authoribus operibúsque, neglectis penitus antiquis, quod maximè dolendum, toti incumberent. Nos, quia iamjam prælo subijciendum opus audieramus, ne cum suis iterum mendis cuderetur, tantáque Iuoni nostro imò Ecclesiæ fieret iniuria, manum operi licet ex abrupto admouimus. Etenim festinantibus Typographis & currente iam prælo opus aggressi, quicquid tantæ rei perficiendæ nostrísque votis satisfaciendo necessarium erat præstare non potuimus. Quid autem in hoc labore, quantum per angustias temporis licuit, præstitum sit, paucis Lector accipe. Primò nacti vetustissimum Iuonis Decretum manuscriptum ex illustri Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, editum cum illo contulimus, ex eóque plura annotauimus & emendauimus. Deinde quia hodierna exemplaria Conciliorum ac Patrum in aliquibus discordant ab antiquis, singula fermè Decreti capita cum pluribus tam vetustis quàm hodiernis manuscriptis & excusis conferre studuimus: Quam discrepantiam tum in margine vbi leuis erat, tum vbi maior in hisce notis apposuimus. Vnde autem tot næui processeriut facilis est coniectura. Etenim collectionis Canonum primus author non fuit Iuo: vnde plurimam Decreti sui partem ex præcedentibus Canonũ collectoribus mutuatus ipsissima eorum verba tpote apud omnes recepta immutare non debuit. Cùm etiam & credibile sit istius sæculi exemplaria Iuoniano Decreto conformia fuisse: aut si quædam ab eo discreparent, id scribarum vitio euenisse, qui sæpe, vt fit in hodiernorum Typographorum maxima parte, cùm litteras non didicissent, emendatè scribere non valebant. Itaque exemplaribus, quæ sibi in manus deuenerant, vbi coactus erat Iuo, cùm emendatiora nancisci non posset. Sed & amplioribus codicibus diuersísque à nostris vsum in multis apparet. Quod autem ad citationum diuersitatẽ attinet, id ferebant istius sæculi exemplaria, in quo etiam Gratianus ipse Iuone nostro recentior allucinatus est. Sed hoc posteriora nostra sæcula non sine magno labore aliqua ex parte emendarunt. Quòd etiam plurima Conciliorum & Patrum testimonia, quæ hodie non extant, retulerit, mirum nemini videri debet, cùm multa hodie exciderint, quæ hisce temporibus habebantur, vt plura alia quæ iniuria temporum magno Ecclesiæ detrimento perierunt: multa etiam adhuc delitescant, quæ, vt plurima iam nostro sæculo, è tenebris aliquando studiosorum ope eruentur. Cæterum multæ citationes quæ generatim appositæ fuerant, suis locis restitutæ sunt, quas tamen ad marginem annotauimus, ne in edito exemplari, imo & in MSS. fieret immutatio multæ etiam tum ex sacra Scriptura tum ex Sanctis Patribus additæ sunt ad marginem. Plurimùm verò in hoc opere adiuti sumus tum illo insigni MS. S. Victoris Paris. tum compluribus MSS. & excusis nouæ & antiquæ editionis voluminibus Conciliorum & Patrum ex Bibliotheca S. Germani à pratis Paris. sine quibus hoc opus emendari vix potuisset. Porro quasdam notas quæ apud Gratianum habentur de industria hîc omisimus; Tum quia illud iam à correctoribus Romanis insigniter effectum est, & sic actum agere noluimus, quamquam illæ sint propriè huius loci, & ad Iuonem priùs quàm ad Gratianum pertineant; Tum quia non suppetiit tempus, quod tardius & festinante iam prælo opus aggresi sumus. Hæ ergo qualescumque sint sufficient, interim dum ampliores & lucubratiores ab eruditis, quod summopere exoptamus, parabuntur.

IN PROLOGVM.



Xcerptiones.) In præcedenti editione & in codice MS. S. Victoris Parisiensis, sicut etiam in omnibus Panormiæ & Epistolarum Iuonis MSS. & editis habetur *Exceptiones*. Sed quia recentiores dum illum citant, vt Antonius Augustinus & alij, posuerunt *Excerptiones*, ex quorundam iudicio hîc editum est. Cæterum præfationem hanc quæ verè est huius loci, vt nemini non liquet, in superioribus Iuonis Epistolarum editionibus ad calcem apposuerant Typographi, nec abs re, cùm & inter MSS. habeatur. quia tamen non est in epistola nec ad quemquam scripta reperitur, sed ad caput Decreti Iuonis, imo & Panormiæ, in omnibus tam MSS. quàm editis exemplaribus habetur, eam ex epistolis expunximus. Quod & rectè animaduertit Iuretus, qui inter epistolarum Iuonis notas huius etiam præfationis, quæ inter epistolas numerò 288. edita fuerat, meminit, & eam notâ illustrauit: quam quia insignis est hoc loco inseruimus. Sic ergo ille.

Exceptiones Ecclesiasticarum regularum) Typograghus in superiore editione hunc tractatum adiecit fini harum epistolarum: quem multi veteres codices non habent. In aliis nonnullis reperitur mediæ parti libri intertextus. Reuera non est propriè epistola, sed prologus quem olim præfixerat Iuo suo Decreto. nam se collegisse canones Ecclesiasticos testatur epist. 262. ad Pontium. extant duo diuersa volumina Iuonis nomine inscripta, eandemque habent præfationem; quorum vnum quod Pannormia dicitur, alterius maioris quod absolutè decretum inscribitur, quasi quædam est epitome. cuiusquidem meminit Vincentius Belluacus in speculo lib. 26. cap. 84. vbi dicit Hugonem Catalaunensem ex eodem volumine Decretorum abbreuiato composuisse libellum portatilem, qui summa decretorum Iuonis appellabatur. Cæterum in prisco exemplari seruini sequens titulus præfixus est huic tractatui. *Prœmium canonum domni Carnotensis Episcopi Iuonis, mirificam introductionem continens ad discretè intelligendum & suscipiendum sacrorum iudicia dispensationes canonum: cuius summa ac præcipua videtur esse intentio: quòd quicumque Ecclesiasticus doctor sacras regulas ita interpretatur & moderatur vt ad regnum caritatis cuncta quæ docuerit vel exposuerit, referat, nec peccat nec errat: cum saluti proximorum consulens, ad finem sacris institutionibus debitum peruenire intendat.* In aliis quibusdam exemplaribus strictiore verborum clausula sequens titulus apponitur. *de intelligentia, & dispensatiòne Ecclesiasticæ disciplinæ.* Quia igitur hic prologus additus fuerat primæ editioni, patior non inuitus hîc adiungi, ne quid lector desideret. Sanè enim lectu dignissimus est. obiter admonebo, superioribus annis hanc eandem præfationem sed tamen decurtatam magna sui parte, tributam fuisse Hildeberto Cenomanensi Episcopo, & illius epistolis adiectam in appendice Bibliothecæ sanctorum Patrum, quæ Lutetiæ primùm prodiit anno 1579. & aliis consequentibus. fucum fecit editoribus (quemadmodum suspicari licet) quòd illud fragmentum inuenerant insertum vetusto codici Ildeberti. adde quod Hildebertus in quadam sua epistolà testatur se disposuisse in vnum volumen colligere, & ordinare decretorum exceptiones, nondum tamen ad finem perductas esse: opus enim hoc, liberum curis pectus desiderare, cuius illum immunem Episcopatus fecit: bonam tamen partem expleuisse, atque ad id peragendum quod restat, Episcopum depositurum. Sed hæc præfatio magis redolet stylum Iuonis quàm Ildeberti. Deinde nulli antiquarij (quod sciam) adnotarunt ab Ildeberto decretorum collectanea vnquam fuisse diuulgata.

Salutem student augere) sic ex v. c.

Sed omnibus sanitatis remedium pro sua moderatione dispensare) hæc addita ex priscis exemplaribus.

Aut apparitibus vincitur. Spiritualis) correctum est fide vett. codd. malè antea cusum, *aut à parentibus vincitur. Spirituale.*

Illas ienadere) ita meliùs ex v. c. quàm vt antea, *illi eu.*

Et superba fiunt) id rectius ex manuscripto quàm quod anteà, *& sup. sunt.*

Iniquorum populorum cùm facultas est) alij libri perturbato verborum ordine habent. *iniquorum cum facultas est populorum.*

Cum Nestorio vel sentiant, &c.) tota hæc periodus aucta & restituta fuit ope & fide antiqui exemplaris Seruini. nam in reliquis mendosa. Etiam apud Gratianum passim laborat in can. 14. cau. 1. q. 7. quod accidit culpa prisci interpretis S. Cyrilli.

Parum quid à debito foras exire) hæc etiam verba non satis aptè reddita, culpa eiusdem interpretis. sententia tamen facilè concipitur.

A synodo cui Carolus Rex interfuit) alij libri, *cui Carolus interfuit Rex.* Sunt plures similes loci in Decreto Iuonis vnde perspicuum fit, Reges eo sæculo interfuisse synodorum Ecclesiasticarum celebrationi. Nam parte tertia, cap. 227. legitur. *Ex Concilio Beluacensi præsente Ludouico.* Et parte decima quarta. cap. 117. *Ex Concilio apud Atlheum cui interfuit Conradus Rex.* Et cap. 121. *Ex Concilio Triburiensi cui interfuit Arnulfus Rex.* Item cap. 125. *Ex Concilio apud Ephesfurt cui interfuit Rex Henricus.* Et cap. vlt. *ex Concilio apud Altheum cui interfuit Conradus Rex.* Nimirum Episcopi vtebantur consilio Principis. Nam in canone dicti Concilij apud Ephesfurt dicitur, *decreuit sancta synodus cum consilio serenissimi Principis.* Conuenire autem inter se debent Reges & Sacerdotes pacis & salutis publicæ causa.

Et Papa Gelasius dicit) sic v. c. Ineptè anteà, *& paparum glosa dicit.* nempe orto errore ex praua interpretatione compendiosæ scripturæ quam offendi in nonnullis membranis. *Pap. Gl. dicit.*

Ad partem I.

Cap. 1.) In codice MS. S. Victoris, generalis titulus huius primæ partis habetur tantùm ante tertium caput, quod incipit *credimus, &c.* sicut & in Panormia, in qua tamen prima pars incipit absolutè ab hoc capite *credimus.* omissis scilicet duobus præcedentibus capitibus.

Cap. 150.) Ille locus non est Gregorij, sed Zachariæ Pap. epist. 9. ante medium, vbi sic ait. *nam similiter de illo fals. Ep. quem dixisti adulterati Cler. & homicidæ filium, &c. astrectare: sed neque pœnitens aut talis quem sacri canones prohibent esse sacerdotem. De Bap. &c.*

Cap. 180. *animarum.*) In originali additur, *quas eripi volumus.*

Cap. 246. *cum carne nascitur.)* Hic locus sic videtur restituendus ex D. Gregorio: *Cum carne*

non nascitur, cur in ea carne quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur?

Cap. 290. *vt Episc.*) sic videtur legendum: *vt vbi Episcopus, & conuentus &c.*

Cap. 293. *Pueris autem quibus, &c.*) variat hæc lectio in originalibus Conciliorum tomis. In Parisiensibus & Coloniensibus sic habetur. *Pueris autem, quibus quòd adhuc impuberes, à pubertate vocabulum est, &c.*

Quibus satis esse non debet.) In Paris. & Colon. deest particula *non*.

Quisquis hac violauerit antistitum.) In Par. & Col. *quisquis hoc violauerit institutum.*

Cap. 295.) Hoc caput non videtur esse illius Concilij Triburiensis cuius canones extãt. Etenim caput 22. Concilij Triburiensis est de adhibendo diligenti examine si quis fidelis liber infamis cuiusdam criminis accusetur. Capite autem 16. prohibetur vt nemo sepulturam morientium vendat. De chrismate verò & cæteris, quæ in hoc capite continentur, nihil.

Cap. 297.) Epistola hæc, vt & multæ aliæ summorum Pontificum, non distinguitur per capita.

Authoritate.) In origin. Concil. habetur. *veneratione.*

Cap. 305. *Inquis priorum dicta.*) In Conciliis Colon. & Paris. habetur. *Inq. priorum patrum nostrorum dicta.*

In Ecclesiâ Isauria.) In Parisiensibus Regiis habetur, *in Ecclesiis Isauriæ.* In Colon. *Ecclesiæ Isauria Ephes. Sim. Hieros. & etiam aliarum ciuitatum. Episcopis etiam earum ciuitatum.*

Vt nullo modo coniugio se recip.) In orig. ita habetur. *vt nullo modo iam se in coniugium reciperent mulieres aut viri quicumque aliqua ratione susceperint natos proprios.*

Per mundum.) In Concil. additur, *& vniuersorum error accrescat.*

A primo ergo &c.) Sic legitur. *A primo pabulo sacrati salis, & ingressus sanctæ Ecclesiæ vsque ad confirmationem Spiritus sancti per chrisma. Ab hoc ergo primo Spiritus sancti dono vsque ad septimum.*

Ad partem II.

Cap. 25. *Si tamen, &c.* apud Augustinum ita legitur. *Si tamen mens sine affectu peccandi sit. nam habentem adhuc voluntatem peccandi, grauari magis, &c.*

De Domini mis.) lege sic. de Domini miseratione qui peccata piæ confessioni donare consueuit *accedat.* Porro locum istum etiam citant ex D. Aug. Algerus & Gratianus, licet aliqui dubitent esse D. Augustini. Sed de hac materia habet caput integrum D. Augustinus scilicet 3. lib. 1. ad Inquisitiones Ianuarij.

Cap. 63. *fermentum.*) post hoc verbum in Victorino habentur ista. *Hic inuenit Manichæos in vrbe, quos etiam exilio deportauit.*

Cap. 67.) hoc est secundum caput epistolæ 1. Decretal. Anacleti Pap. initio, & sic habetur. *Ipsi autem quando Domino sacrificant, &c.*

A fronte) in orig. est *in fronte.*

Cap. 68. *Aquam sale, &c.*) ante hæc verba habetur in Victor. hic titulus, *De conspersione salis & aquæ.*

Cap. 70. Est hæc epistola 2. Sixti Pap. 1. cap. 1. In fine hæc addenda videntur ex originali, *& hi etiam, qui non peccauerunt mala patiantur, aut pereant, quia perit iustus sæpissimè pro impio.*

Cap. 74. *ministratur.*) additur in orig. cultusque diuinus omni cum honorificentia & honestate à sacerdotibus reliquisq; Ecclesię ministris celebratur.

Cap. 75. *Concedi.*) post illud postremum verbum hæc habentur in Victorino sicut & apud Gratianum. *His ergo frater charissime omnibus quæ tua dilectio voluit à nobis exponi prout potuimus, respondere curauimus.*

Cap. 123. *quod ad Episcopum pertineat.*) hæc non habentur in epistola Clementis.

Quicumque obediunt ei.) In origin. sic habetur: *Quicumque enim obediunt Episcopis suis, videntur quidem aliquid gratiæ conferre Deo; qui autem eis non obediunt, indubitanter, &c.*

Cap. 131. *pariterque vom.*) In orig. habetur, *parit, qua vom. &c.* sicut & apud Gratianum.

Ad partem III.

Cap. 6.) In originali hoc caput variat paululùm in fine.

Cap. 45. *De Ecclesiis, &c.*) hoc quod in priori editione non habebatur suppletum est ex cod. MS. S. Victor.

Cap. 58. *aut aliquo tali, &c.*) In Vict. habetur tantùm, *aut tali peccato discretos.*

Cap. 59. *fuerint incensæ.*) hoc caput quod in Conc. Paris. est nonum Concil. Moguntiacensis sub Stephano V. & Arnulpho Rege sic legitur: *fuerint incensæ, in capellis missas interim liceat celebrare donec ipsæ, &c.*

Aliter omnino interdicimus.) hæc non habentur in prædicto capite 9.

Cap. 60. *In libro regum legitur.*) hæc addidimus ex orig. & Gratiano quamquam non ita necessaria.

Cap. 61. *Diuinis habeb.*) in Concil. *diuinis supplicationibus consecrabant.*

Sic autem legitur, &c.) corruptus est hic locus, & ita restituendus. *Si autem vt legitur in Concil. Laod. c. 26. quòd hi qui ab, &c.*

Cap. 68.) in Conc. ita habet hoc caput, *vt institutio missarum sicut in metropolitana Ecclesia agitur ita in Dei nomine in omni Tarraconensi prouincia tam ipsius Missæ ordo quàm psallendo vel ministrando, &c.* in Paris. verò ita legitur. *De institutione missarum vt quomodo in metr. Ecc. fuerit, ita in omni, &c.* sicut suprà.

Cap. 72.) Hoc caput non habetur apud D. Augustinum, sed desumptum est ex Regula Tarnatensi c. 15. §. 4. vt doctissimè annotauit R. P. Hugo Maynardus Ordinis S. Benedicti, satis notus in concordia regularum c. 59. Quænam autem sit illa Regula Tarnatensis videndus idem Maynardus in præludiis huius concordiæ vbi de variis regulis earumque auctoribus agit luculenter.

Cap. 79. *Renati*) in orig. *Arenata.*

Cap. 92. *Dominis suis.*) hæc duo verba non habentur in Victor.

Cap. 99. *Inquirendum est.*) In Vict. est distinctum caput cui inest hic titulus: *De Presbyteris qui ex reditibus Ecclesiæ res sibi comparauerint, & structuras ibi fecerint, & mulieres ibi posuerint ex Conc. Rem. c. 10.*

Cap. 104. *De conf. cœm.*) In omnibus tam Conciliorum quàm Gratiani & Panormiæ codicibus hoc caput incipit ab his verbis: *Sicut antiquitus, &c.* in Panormia citatur ex Concil. Antiocheno c. 5. apud Gratianum verò titulus est, *excommunicetur qui confinia Ecclesiæ frangere tentauerit.*

Cap. 105.) Idem ferè habetur in Conc. Agathensi c. 66. sed pro *Diaconion* habet *Diaconicon.*

Cap. 149.) Idem habetur in Synodo sexta Romana sub Symmacho Papa in medio.

Ad partem IV.

Cap. 16.) Hoc caput in Conciliis paulò aliter

habetur sic enim habet Moguntiacum: *omnes dies Dominicos cum omni veneratione decreuimus obseruari, & à seruili opere abstinere: & vt mercatus in eis minime sit, nec placitum, vbi aliquis ad mortem vel ad pœnam iudicetur.* In Conc. verò Francofordiensi c. 21. habetur, *vt dies Dominica à vespera vsque in vesperam seruetur.*

Cap. 18.) hoc caput est ex secunda versione huius Concilij ex Isidori mercatore: in priore autem sic habebatur. *Quoniam sunt in die Dominica quidam ad orationem genua flectentes & in diebus Pentecostes vt omnia in vniuersis locis consonanter obseruentur placuit sancto Concilio stantes Domino vota persoluere.* Ad marginem autem verbi *Concilio* cum asterisco habetur *à Pascha vsque ad octauas Pentecostes stantes, &c.* quam versionem sequutus est MS. cod. S. Victor. originale verò sic habet. Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ Κυριακῇ γόνυ κλίνοντες καὶ ἐν ταῖς τῆς Πεντηκοστῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ.

Cap. 20 21. 22.) non habentur in hoc Concilio sed in capitulari Aquisgranensi Caroli Magni c. 81. & lib. 1. capitularis c. 81. licet aliquantùm diuersa.

Cap. 31. *Ieiunia.*) In Conc. Paris. Regiis habetur. *Ieiuniorum superpositiones per, &c.*

Cap. 32.) habetur hoc apud Palladium in historia Lausiaca cap. 52. In vita Abbatis Apollinis non autem Apollonij. Sic autem habet. *Catholica autem & generalia ieiunia non licet soluere sine ingenti necessitate. In quarta enim feria traditur Seruator, & in parasceue crucifigitur. Qui ea ergo soluit, Seruatorem vnà tradit, & vnà crucifigit.*

Cap. 65. *Actus etiam nomine Petri Apostoli, apocryphi*) hæc non leguntur in originali.

Euang. nom. Barnabæ,) ante hoc habetur in orig. *Euangelium nomine Matthiæ apocryphum. Euangelium nomine Petri Apostoli apocryphum. Euangelium nomine Iacobi minoris apocryphum.* Et ad marginem habetur, *mirum quia & hic non fiat mensio Euangelij Nicodemiani.*

Cap. 84.) ad calcem huius capitis in Victor. hæc adduntur nescio quam ob rem. *Item. furtum non ex sua æstimatione sed ex comparatione peccati maioris id est adulterij non grandis esse culpa perhibetur.* Quæ nec sunt huius loci nec apud Bedam legere est.

Cap. 88.) desumptum est hoc caput ex capite 1. regulæ S. Benedicti iuxta Maynardum, cuius insignem notam videre est ad illud caput initio concordiæ Regularum §. 1. ad quem Lectorem remittimus quia commentarios hic non edimus.

Instrumenta virtutum) vulgò ex Smaragdo & S. Dunstano legitur. *Exempla & instr. virt.*

Cap. 109. *De capitul.*) In orig. Sic legitur. *De capitulorum namque veritate & numero Nicæni Concilij, cui, &c.*

Cap. 152.) In fine huius capitis in MS. Victor. habentur & hæc: *Item celebritas vnius diei non nisi accensis lampadibus intus & foris rectè colitur.*

Cap. 171.) In fine etiam istius hæc adduntur in Victor. *Item. Tunc apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis Grammaticæ artis profunda rimatus est.*

Cap. 225.) Hæ responsiones sunt ex epistola 14. Adriani vbi videnda nota Binij. Porro apud S. Ambrosium lib. de Tobia c. 20. ita habetur. *At de corporalibus quidem pignoribus sanctus etiam Esdras nos docuit, &c.* & ad marginem habetur *Nehemiæ* 5. id est 2. Esdr. 5. Libro autem 2. de Spiritu sancto c. 7. ita habet S. Ambrosius. *Esdras nos docuit dicens in quarto libro. Et in die secunda iterum creasti spiritum firmamenti.* ad marginem autem 3. *Esdr.* 6. in multis porro editionibus habetur in tertio libro sicut hîc, sed est error sicut videre est apud Esdram l. 4. c. 6. ex quo desumptum est hoc testimonium.

Cap. 243.) Totus hic canon ad sensum non ad verba citatus est.

Ad partem V.

Cap. 3.) Ante hoc caput habetur aliud in cod. MS. S. Victoris Paris. sed quia habetur infrà in 6. parte c. 316. inutile visum est hîc apponere.

Cap. 5.) non habetur hoc caput in Victor.

Cap. 8. *damnauerint*) post hoc verbum in Conciliis ita habetur. *quia in contumacia permanens erga primæ sedis Romanæ priuilegium resipiscere à suis superstitionibus vt seruaretur à prima sede Apostolica noluit: & ponens, &c.*

Dioscorus ipsam, &c.) sic habet origin. *Ipsam iam factum Dioscorum excommunicationem dictasse.*

Cap. 11. *quia maioris, &c.*) hæc & quæ sequuntur vsque ad finem capitis non habentur in Victor.

Cap. 14.) De hoc & de aliis Leonis IV. ad Lotharium Imp. epistolis videnda nota Benij ad vitam Leonis IV.

Cap. 16.) hoc habetur ijsdem prope verbis initio vitæ Adriani II. in Concil. Paris.

Cap. 18. *existimas.*) In Paris. legitur, *existimetis.*

Cap. 19. hoc caput diuersum est in quibusdam ab originali.

Cap. 38.) ad calcem huius capitis habetur & illud in MS. cod. S. Victoris. *Benedictus vniuersis Episcopis per Galliam & Europam. Sit ruina suâ dolore prostratus quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis: nec locum deinceps inter Sacerdotes habeat, sed extorris à sancto fiat mysterio. Non de eius iudicio quisquam curam habeat, quoniam iam damnatus à sancta Ecclesia & Apostolica authoritate, suaque inobedientia atque præsumptione à quoquam esse non dubitatur. quia maioris excommunicationis deiectione est exigendus cui sanctæ fuerit Ecclesia commissa disciplina: qui non solùm prælatæ sanctæ Ecclesiæ iussionibus parere debuit, sed etiam alios ne præterirent insinuare. sitque alienus à diuinis & pontificalibus officiis, qui noluit præceptis obtemperare Apostolicis.*

Cap. 40.) Caput hoc est ex epistola Adriani Pap. ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum in actione secunda Synodi septimæ: & totum ad sensum citatum est non ad verba.

Cap. 54. *Similiter*) ante hunc paragraphum habetur. In Victor. titulus eiusmodi. *Suspecta iudicia vel ad primatem vel ad sedem referantur Apostolicam.*

Cap. 75. *ordinatur.*) In Conc. Paris. habetur, *promouetur.* Quæ sequuntur vsque ad §. *& alibi. Dolens, &c.* non leguntur in orig.

Cap. 76. *arceri.*) post hoc verbum addenda sunt hæc ex originali: *non sine periculo facinus tale perpetrantes.*

Cap. 120.) paulò aliis verbis, sed eodem sensu habetur in orig.

Cap. 165. *Qui posterius, &c.*) hæc & quæ sequuntur non sunt in MS. Victor. nec in Panormia nec apud Gratianum.

Cap. 200.) hæc epistola habetur in libro tertio Concilij Nicæni.

Cap. 215.) habetur post Concilium Hispalense 1. in fragmentis cap. 1. & apud Burchardum l. 1. c. 115. sed pro *numerum* habetur in Concilio *numerus.*

Cap.216.) paulò aliter & breuius adhuc habetur in orig.

Cap.243. *Iniquè gessit.*) Ad calcem huius capitis, scriptorum incuriâ additæ fuerant quinque aut sex lineæ tumultuariæ, quæ non sunt huius loci, nec habentur etiam in MS. Victor. sed habentur superiùs c.54. huius partis propterea illas expunximus.

Cap.270.) paulò aliter habet orig. sed est idem sensus.

Cap.289. *Eos accusare.*) In orig. habetur, *maiores natu accusare* pro *noscitur* habetur *nescitur.* sicut & apud Gratianum.

Testimonium non dicant) In orig. & apud Gratian. legitur, *proferant, sed præsentes de his quæ viderunt & nouerunt, veraciter testimonium dicant, nec de, &c.*

Cap. 292. *Quòd si, &c.*) hæc vsque ad finem non sunt in orig.

Cap.296.) *Ne quis Domini sacerdotes.*) In orig. ita legitur. *Ne quis Domini sacerdotibus detractiones irroget, quantò magis accusationes non ex radice charitatis prolatas?*

Cap.308.) hic locus omnino varius est apud Gregorium, sensus tamen est idem.

Cap.313.) hoc caput paulò aliter quoad initium habetur apud Gratianum. Cæterum non reperitur in Decretis Leonis, sed in peruetustis pontificalibus, & habetur apud Baronium tomo 9. Annal. ad an.800. num.8.

Cap.358. *Regibus ministremus*) apud Gratiani nouissima exemplaria habetur *legibus ministremus.* In vetustis quibusdam excusis, *legibus Religionis ministr.* In MS. S.Germ. *legibus.* In tomis autem Conciliorum Coloniensi an 1606. Regio Parisiensi an.1644. habetur *Regibus.* De vtraque lectione videntur Archidiaconus in illum Gratiani locum. Cæterùm epistola hæc est 16. Pelagij I. vbi & habetur fides eiusdem quam misit ad Childebertum.

Ad partem VI.

Cap. 7. *vt memoriæ mandet.*) apud Isidorum habetur. *Et regnum Dei memoriæ commendat de scripturarum testimoniis, vnde exerceat donum.* Et in Conc. Aquisgran. sub Stephano V. & Ludouico Pio cap.4.

Cap.11. *ad solam, &c.*) apud Isidorum habetur. *sed sola propter authoritatem summo sacerdoti Clericorum ordinatio, &c.*

Cap.20. *Archipresbyter, &c.*) hæc vsque ad illa verba, *Ad primicerium* non habentur in Victorino, cui conforme est quod ad marginem appositum est à Molinæo: *Hæc non habentur in codice Regio, suspectaque mihi perpetuò visa sunt quòd Archipresbyter subdatur Archidiaconis quod vetustum non esse in canonibus Conciliorum vel mediocriter versatus nemo ignorat. Ioannes Molinæus.* habentur tamen in fragmentis Conc. Toletani 1. fragmento 8. vide ad marginem istius fragmenti.

Cap.24.) paulò aliter habetur in orig. *Qui verò ex nostris parochiis aut ad titulum aut absolute ordinari petuntur nullatenus ordinentur nisi aut in Clero certo & religioso, &c.*

Cap.41.) hic canon multùm differt ab orig. est tamen eadem sententia: conuenit verò maximè cum capite 88.l.1. capitularium.

Cap.48. *claues desp.*) In orig. sic habetur. *Contra traditas claues disputare & agere videntur.*

Cap.70.71.) hæc duo capita erant inuersa in Iuone, sed ordini suo restituta sunt ex orig. & Gratiano.

Cap.103. *solus Moyses.*) In margine habetur cum asterisco *Aaron*, quod vnde acceperit Molinæus conjicere non possum nisi fortè ex codice quodam mendoso siquidem in Conciliorum tomis habetur *Moyses*, & ad marginem citatur *Exod.* 40. vbi agitur tantùm de Moyse, cui nimirum Deus erectionem istius altaris præceperat, non Aaroni, vt clarè liquet ex toto illo capite.

Cap.123.124.) hi duo canones non sunt propriè sextæ Synodi œcumenicæ, quæ scilicet nullos edidit canones. At verò centum & tres canones qui sub nomine illius sextæ Synodi circumferuntur, à Conciliabulo quodam editi sunt quod post decem annos habitũ est Constantinopoli in Trullo quodque Quini sextum vulgo appellatur, & habetur in tomis Conciliorũ sub nomine Conciliabuli Constantinopolitani siue Concilij Quini sexti sub Sergio. Ita Binius in notis ad hæc Concilia. Cæterùm paulò aliter habentur quoad verba apud Iuonem, sed tamen eodem sensu.

Cap 134.) Citatur ad sensum non ad verba vt in plerisque aliis.

Cap.163.) Originale Græcum sic habet, *πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας μὴ παραμένοντας καὶ τῇ προσευχῇ, καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ ἀφορίζεσθαι χρή.*

Cap.223.) non reperitur sed habetur alio prorsus sensu in Conc. Carthag. & apud Gratianum.

Cap.231.) habetur inter epistolas Gregorij II. hoc modo. *De Presbytero verò si quilibet sacerdos à populo fuerit accusatus, &c.*

Cap.238. *Qui autem suam, &c.*) hæc non habebantur in antiquo, sed visa sunt addenda ad sensum complendum.

Cap.242.) Idem caput 15. sic in vetustis quibusdam libris legitur: *vt Episcopi Presbyteri & Diacones non sint cond. aut pr. prin. neque vllo tali negotio victum quærant, quò eos peregrinari vel ab Ecclesiasticis officiis auocari necesse sit.* Ita in Conc. Colon. notatur à Binio.

Cap.243. *Si castig.*) In orig. habetur, *Si castigatus per satisfactionem veniam ab Episcopo noluerit promereri.*

Cap.244. *Quia, &c.*) hæc propter sensum addita sunt ex orig.

Cap.283.) hoc non reperitur: sed simile quiddam habetur. In Conc. Metensi sub Stephano V. cap.6. *Et vt nemo Clericorum arma portet vel indumenta laicalia induat, id est, cottos vel mantellos sine cappa non portet.*

Cap.262.) hoc caput desumptum est ex regula S.Aureliani cap.13. vt rectè annotauit Hugo Maynardus in concordia regularum c.75.§.3.

Cap.265.) Caput hoc est idem & eiusdem Concilij cum superiore, sed ex secunda editione, vt videre est in Conciliis. vide etiam epistolam Euaristi Pap. & Grat. dist. 93. c. Diaconi qui quasi.

Cap.356.) de hac re vide notam insignem Maynardi concordiæ Regularum cap.66. pag.985.

Com. 358.) Diuersa hæc sunt ab orig. Græco, sic enim habet. οἱ *κληρικοὶ τῶν πτωχείων καὶ μοναστηρίων ὑπὸ τὴν. ἐν ἑκάστῃ πόλει ἐπισκόπων τὴν ἐξουσίαν κατὰ τὴν τῶν ἁγίων πατέρων παράδοσιν διαμενέτωσαν, καὶ μὴ καταυθαδιάζεσθαι ἢ ἀφηνιᾶν τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου.* οἱ *δὲ τολμῶντες ἀνατρέπειν τὴν τοιαύτην διατύπωσιν, καθ' οἱονδήποτε τρόπον καὶ μὴ ὑποταττόμενον τῷ ἰδίῳ ἐπισκόπῳ, εἰ μὲν εἶεν κληρικοὶ, τοῖς τῶν κανόνων ὑποκείσθωσαν ἐπιτιμίοις; εἰ δὲ μονάζοντες οἱ λαικοὶ, ἔστωσαν ἀκοινώνητοι.*

Cap.359.) Est idem cum præcedenti sed ex antiqua versione quæ non extat in Conciliis, vt rectè notant correctores Romani apud Gratianum 18. q.2.c. *quidam monachorum.*

Cap. 362.) Tres primæ lineæ huius capitis vsque ad hæc, *item placuit* non reperiuntur in hoc Concilio.

Cap. 373. *Quos verò, &c.*) Locus hic corruptus erat, ſed ex orig. reſtitutus eſt. Sic autem habebat. *Quos verò flagitiis ordinauerit*, & in Victorino aliquis qui voluerat emendare ſic malè reſtituerat, *Quos verò in flagitiis obligauerit.*

Cap. 393.) hoc & tria ſequentia capita paululùm variant in noſtris S. Cypriani editis exemplaribus, ſed tamen idem eſt ſenſus.

Cap. 397. & 398.) paululùm differunt in orig. & ſic habetur. *Verùm quod ſequenter in epiſtolis fraternitas tua nobis innotuit videlicet quod in canone Ancyritano capitulo 19. legitur poſt lapſum corporalem reſtaurandum honoris gradum poſt pœnitentiam. Et alibi legitur poſt huiuſmodi delictum, &c.*

Cap. 399.) vide notas Maynardi in concordiam regul. c. 34. pag. 542. hoc autem caput deſumptum eſt ex regula S. Fructuoſi de qua copioſè diſſerit idem Maynardus in præludiis ad concordiam regularum.

Cap. 400.) habetur in fine Concilij Ilerdenſis nec ita rectè vt notat Antonius Auguſtinus in notis ad pœnitentiam librum Rabani Mauri vbi hic canon extat.

Qui autem de p.) Sic variat apud Rabanum & in Conciliis: *Qui autem de prædictis viris per occultam confeſſionem mala à ſe abſconsè commiſſa coram, &c.*

Si ſe, &c.) In prædictis, *ſi veraciter pœnituerint & ſe, &c.*

Cap. 410.) non reperitur, ſed habetur quiddam ſimile in Conc. Claromont. ſub Vrbano II. cap. 25. his verbis. *Ne filij Presbyterorũ, Diaconorum, vel Subdiaconorum, Canonicorum ad ordines vel alios ordines Eccleſiaſticos promoueantur, niſi monachus vel regularis Canonicus fuerit.* Et in additis ad hoc Concilium ſic habet alius canon. *nec filios Presbyterorum aut aliter etiam ex concubinis ſuſceptos liberos ad Presbyteratus gradum prouehi liceret, niſi aliquo in monaſterio religionem profeſſi eſſent.* Sic & in Pictauenſi l. c. 9. & refertur cap. 1. de ætate & qualitate, &c.

Cap. 421.) omnino aliter in orig. Græco ad Latinum collato ſic habetur. *Semel autem ſecundum hoc factos Diaconos aut Presbyteros nullomodo derelinquere ſacerdotium. Quod non ſolùm in Diacono & Presbytero ſancimus, ſed etiam ſi Subdiaconus aut fortè Lector fiat aliquis hunc relinquere priſtinum ſchema (σχῆμα) & ad alteram migrare vitam: ſcientem quia ſi tale aliquid egerit ſecundum quod à nobis iam ſancitum eſt aut in curiam cum ſubſtantia aut ſub inopia degens ad officialem deponetur fortunam.*

Cap. 428.) *Ante vnius anni)* De vnius anni probatione in monachis videnda eſt inſignis nota Maynardi ad caput 65. regulæ S. Benedicti pag. 938. concordiæ regularum, vbi & huius capitis menſionem facit.

Cap. 429.) hoc caput paululùm differt ab orig. eſt tamen fuſius in Iuone.

Ad partem VII.

Cap. 1. *Et neque communicare, &c.*) In vltimis Conciliorum editionibus ſic habet. *Nec Eccleſiaſticis verò nec ſæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo ſint moleſti.* Quod à textu Græco paululùm differt. μήτε δὲ ἐκκλησιαστικοῖς μήτε βιωτικοῖς παρενοχλεῖν πράγμασιν, ἢ ἐπικοινωνεῖν καταλιμπάνοντας τὰ ἴδια μοναστήρια, &c.

Cap. 5. *Liber pſal. &c.*) In orig. & apud Gratianum habetur. *Nunquam de manu & oculis recedat liber, diſcatur pſalterium ad verbum, oratio ſine intermiſſione, vigil ſenſus ſit.* In Victor. pro *vigilet* habetur, *vigil & ſenſus.*

Cap. 33.) Capitis illius ſenſus habetur in orig. licet paulò aliis verbis.

Mundiburdis.) vox eſt Germanica quæ Tutores & Curatores ſignificat.

Cap. 57. *Et inceſt.*) hæc poſtrema verba quæ etiam ſunt in Victor. non habentur in Conc. nec apud Gratianum.

Cap. 62. *tenere caſt.*) Alia lectio ſic habet: *teneant caſtitatem, & nulla vidua ad nuptias iterandas vi venire cogatur.*

Cap. 65. Hoc caput habetur mancum & mutilatum in Conciliis & diuiſum à Gratiano in duo. Vnde conijci poteſt eum, qui hæc reſcripta Nicolai I. collegit ex Gratiano, & Conciliis inſeruit, non vidiſſe Iuonem, ex quo locus ille integer reſtituendus videtur.

Cap. 68.) paulò fuſius hîc habetur quàm in originali.

Cap. 85.) hoc caput paululùm differt ab orig. vbi habetur, *ſecundum regulam S. Benedicti.* In orig. & in MS. Vict. ſicut & apud Gratianum habetur tantùm *ſecundum regulam.* Credo quia Regula S. Bened. quæ tunc temporis erat præcipua, κατ' ἐξοχὴν Regula dicebatur.

Cap. 93.) *Ab Epiſcopo cuſtod.*) In Africano & Carthaginenſi ita legitur. *Epiſcopi prouidentia vel Presbyteri, vbi Epiſcopus abſens eſt, in monaſterio virginum vel grauioribus fœminis, &c.*

Cap. 101.) In orig. & Grat. Sic habetur. *Mulier quamuis docta & ſancta viros in conuentu docere non præſumat.*

Cap. 109. *vel conſenſu parentum*) hæc abſunt ab orig.

Cap. 127.) In aliquibus differt ab orig. ſed præcipuè ſunt ad marginem annotata.

Cap. 291.) Epiſtolæ S. Bonifacij martyris habentur impreſſæ Moguntiæ anno 1605. per Serrarium.

Cap. 139. *hinc potius admoneamur ita amitti, &c.*) Corruptus eſt hic locus & ſic reſtituendus. *hinc pot. adm. ita non amitti corporis ſanctitatem manente animi ſanctitate etiam corpore oppreſſo*; amittitur corporis ſanctitas violata animi ſanctitate etiam corpore intacto.

Intuens enim, &c.) origin. ſi habet. *Innuens enim in duorum corporum commixtione, &c.*

Cap. 153.) hoc caput multùm differt ab hodiernis exemplaribus, eſt tamen idem ſenſus.

Ad partem VIII.

Cap. 69. *Non licet.*) In origin. hæc adduntur. *Qui & Spurij appellantur* περὶ τὴν σπορὰν *I. à ſatione.* Gloſſa verò ad marginem habet. *vel* περὶ τὸ σπείρειν, ἢ περὶ τὴν σποράδην. *Plutarch.*

Cap. 73. *vidualis*) hæc vox non eſt in originalibus S. Auguſtini excuſis, neque etiam in vetuſtiſſimo codice S. Germani à pratis.

Cap. 85. *Quanto, &c.*) hæc addidimus ex orig. quia ſenſum magis illuſtrant.

Cap. 90.) Titulus huius capitis, opinor, negligentiâ librariorum appoſitus fuerat ad calcem ſuperioris capitis, quaſi ad illud pertineret, ſed eum loco ſuo reſtituimus.

Cap. 91.) Corruptus planè erat hic locus, ſed ex originali eſt reſtitutus.

Cap. 98. *Fœminam ſub viro eſſe.*) nonnihil differt ab originalibus tam MSS, quàm excuſis. Sic autem habet. *Fœminam ſub patre antequam nubat,*

& sub viro nuptam noluit lex vouere, ita aliq. &c. suam; id est, in aliquarum rerum lat. con. abst. vt in eisdem votis fœminea non praualeat (MS. S. Germ. *valeat*) *authoritas. Ita vt* (MS. S. Germ.) *si adhuc innupta, &c. & sit omnino. Lex* non est in MS. nec in excusis.

Cap. 101.) In orig. sensus est integrior.

Cap. 103. *Ipsum corpus.*) orig. Sic habet. *Ipsum corpus tuum templum in te est Spiritus sancti.* Sicut ad marginem notatum est. Eodem modo habetur in MS. S. Germani à pratis.

Cap. 116. *cum persona.*) Ita legitur in orig. *Cùm personam quàm, &c. fatigat quotidie conterit, quando vult ad iudicium educit quando, &c. praeceperat, quis est qui dicere possit quantis malis introducta submittitur.*

Cap. 152.) *post pœnit.*) In vtraque versione huius Concilij sic habetur. *post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt.*

Cap. 153. *Quod dico competentibus*) In orig. habetur. *Quod dico competentibus & fidelibus, audiant pœnitents. Quod dico fidelibus, dico & competentibus & pœnitentibus.*

Sufficiant vobis vxores) In orig. sequitur *aut nec vxores.*

Cap. 162. *secund. Eccles. reg.*) In Græco est κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα. Canon autem ille Ecclesiasticus est ex Conc. Neocæsariensi memorato suprà ab Iuone c. 160. videndus hîc Binius ad hunc canonem Conc. Laodiceni.

Cap. 170. *rapiunt*) sequitur in orig. *vel consensu parentum accipiunt.*

Pœnitentia) In orig. additur: *& sponso legaliter multa componat* & ad marginem habetur, *fortè mulctam.*

Propulsatus) additur: *& Canonicè nequiuerit approbari secundùm sanctorum Patrum statuta, se purgare cogatur.*

Cap. 178.) Apud Grat. 27. q. 2. & 33. q. 1. cap. *quod autem interrogasti* citatur ex Gregorio iuniore: sic etiam capitul. l. 6. c. 55.

Cap. 181.) hoc caput non reperitur in Tribur. nisi quod idem ferè est sensus non tamen omnino similis. Differt etiam multùm apud Gratianum.

Cap. 203.) Ad calcem huius cap. hæc videntur addenda ex orig. *Si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit vlterius non ludere eum de communione pacis.* Ex ex altera versione, *non edere eum, &c.*

Cap. 213.) non sunt eadem verba in Tribur. est tamen ferè idem sensus.

Cap. 228.) *quæ est apost. præcip.*) hæc addita sunt ad illustrationem huius loci.

Cap. 252. *Comparem f.*) In orig. habetur. *comp. f. & bos requirit & equus, &c.* & suprà loco *alius* habetur *frequenter*, pro *defecerit* est *defuerit.* Et sic in duobus MSS. S. Germani.

Cap. 235. *Ita manente in se vinculo.*) In orig. additur, *fœderis coniugalis vxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi, &c.*

Cap. 261.) hoc caput omnino deprauatum erat: vnde ad marginẽ in præcedenti editione Molinæus apposuerat *locus obscurus.* nempe quia hoc tempore nondum erant excusa Hincmari opera. Ipsum autem ex editis recens exemplaribus restituimus.

Cap. 286. *vxores duxerint.*) hæc duo verba non sunt in origin.

Cap. 295. *Expetendo honorem*) neque hæc duo habentur in orig.

Cap. 301. non habetur hoc caput loco citato, sed simile quid in eodem Concil. c. 7.

Cap. 303. *Et peccatum non est, &c.*) Corruptus est hic locus, & sic restituendus ex orig. & Gratiano. *Et quod peccatum non est soluì inter peccata credi omnino non debet.*

Cap. 15. *Connubio.*) In Conc. habetur *conuiuio.* quod videtur aptius. Sic enim Græcum exemplar. εἰς γάμοις διγαμούντων μὴ ἑστιᾶσθαι, *ad nuptias Bigamorum non conuiuari:* vel, *in nuptiis eius qui duas vxores ducit non conuiuari*, vel, *conuiuio secundarum nuptiarum interesse.* vel, *in nuptiis Bigami non prandere.* vt habent tres versiones.

Ad partem IX.

Cap. 1. *Cum his, &c.*) In orig. Sic habetur. *Cum his pater incertus sit.*

Cap. 8.) Hoc caput variat apud Baronium qui tom. 11. Annal. ad an. 998. num. 1. Ita illud refert. *Pater tuus, &c. ab antec. nostro Gregorio V. cum Episc. qui placito interfuerunt reprehensi sunt, vt postea ad sedem, &c.* Alicubi autem in quodam MS. habetur *excommunicati*, vt in margine annotauimus, in quâ sic legendum, *aliàs sensus non est integer.*

Cap. 16. *Et matris*) hæc addidimus ex orig. quia necessaria sunt ad sensum.

Cap. 46.) Ante hoc caput habetur illud in MS. S. Victoris Paris. *Ex Epistola Gregorij Pap. Episcopis Gallia missa. Progeniem suam vnumquemquè ad septimam decernimus obseruare generationem, & quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad coniugalem copulam accedere denegamus.*

Cap. 69. *Nec ipsi, &c.*) In orig. habetur. *Nec illa adultera soror, nec ille vir qui cum illa adulterauit alios vnquam accipiant.*

Cap. 113.) Desumptum est hoc caput ex Palladio historia Lausiacæ c. 68. sed paulò expressius. Sic enim habet. *Videte ne quis qui noctu phantasiam habuit mulieris audeat accedere ad sancta sacramenta. ne quis ex vobis visis & phantasiis pulsus somniet. nam qui absque phantasiis fiunt fluxus seminis, casu fiunt, nec ex vniuscuiusque libero animi arbitrio insunt, sed absque voluntate. Procedunt enim ex natura, & ex redundanti materia excernuntur. Quocirca nec sunt peccato obnoxij. visa autem ac phantasia procedunt ex libera eligendi voluntate & sunt argumentum mali animi.* Hinc apparet caput hoc intelligendum esse de pollutionibus nocturnis, quæ ex præcedentibus turpibus cogitationibus accidunt, si culpâ nostrâ non ex infirmitate contingant, vt clarius patet ex testimonio D. Gregorij apud Iuonem nostrum par. 2. cap. 52. vbi hanc quæstionem mirabiliter elucidat. De hoc etiam vide Cassianum collat. 22. cap. 4. 5. & 6. & D. Thomam 3. par. q. 80. art. 7.

Cap. 120.) hoc caput diuersum est in textu D. Augustini.

Ad partem X.

Cap. 25. *perfect. consequi.*) In Græco habetur τοῦ τελείου μετέχειν, quo verbo sæpius vtitur hîc Concilium pro communione ad quam scilicet pœnitentes post peractam pœnitentiam admittebantur, vt se cum cæteris fidelibus ad perfectam gratiam plenamque communionem admissos esse intelligerent. Ita Binius ad hoc Concilium ex Baronio. De hac re videndus canon 18. Conc. Nannetensis sub Formoso.

Cap. 31. *Treua Dei.*) Ad marginem huius capitis in præcedenti editione habebatur, *Treua Dei videtur proprium nomen esse alicuius loci.* Sed non rectè, vt in lectione Conciliorum paulisper versatis constat: vnde hoc ex peritorum iudicio expun-

ximus. Erat autem Treua vel Treuia vel Treuga Dei induciæ quædam ab Ecclesia institutæ, quibus ab omni lite, hostilitate, & vexatione quacumque abstinere oportebat. De hac multa dici poterant, sed impediunt properantes Typographi. Omnium instar erit insignis nota quæ habetur in appendice ad Conc. Claromontanum sub Vrbano II. in fine tomi 26. Conciliorum editionis vltimæ Parisiensis ex Typographia Regia anno 1644. ad quam lectorem remittimus.

Ad partem XII.

Cap.77. *vnusquisque enim prop.)* In origin. ita habetur, *vnusquisque enim sicut ante altare stans Dei timorem habet præ oculis, & propriam conscientiam mundam seruat Deo, quod in memoria retinet, nullatenus habet intermittere, quoniam vs quod ment. &c.*

Cap. 85. *iusserunt.)* post hæc additur in origin. *omnesque simul vtriusque ordinis viros infames esse censuerunt: & non solùm, &c.*

Ad partem XIII.

Cap.10. *Iuxta formam diuinitus datam.)* Hæc non habentur apud Iuonem, sed restituta sunt ex orig. & Gratiano ob sensum.

Cap.50.) hoc caput habetur in secunda regula Patrum codicis MS. Floriacensis, cuius initium est. *Cum in nomine Domini cum fratribus nostris conuenissemus*, vt rectè notat Maynardus.

Cap. 62. *à sacerdotibus, &c.)* hæc vsque ad *noluerint* addita sunt ex orig. ad pleniorem sensum.

Cap.77. In Regula S. Fructuosi c.17. in fine sic habetur de Monachis loquens. *Ebriosus quis si repertus in cœnobio fuerit, superiori sententiæ subiacebit, siue is qui citra permissum Abbatis siue præpositi alicubi literas destinauerit, vel ab alio destinatas acceperit*, vt notat Maynardus ad caput 30. concord. Reg §.13.

Ad partem XIV.

Cap.3. *Iudicis)* origin. habet *iudicij.*

Ante rectitud. operu.) In origin. habetur, *ante rectitudinis operationem.*

Cap.4. *Interno)* In orig. inferitur per parenthesim, *quia maledicto debeant feriri.*

Cap.5. *Aliter enim, &c.* orig. sic legit. *Aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiæ, aliter liuore vindictæ. Maledictum quippe iustitiæ iudicio, &c.*

Cap.34. *Mandatum ei dirigere)* Mandatum hoc loco idem est ac nuntium, significatio, legatio. Et sic hoc declarat aliquid per internuntium significare. Melius Gallicè, *luy mander quelque chose*, plura Maynardus in notis ad hoc caput.

Cap.75.) Ex hoc & sequenti cap. compendiosè collecta fuit forma publicandi anathematis, id est, excommunicationis solennis pro grauioribus culpis, quæ habetur parte tertia Romani Pontificalis cap. *De ordine excommunicandi & absoluendi.*

Cap.88. *matrim.)* In orig. additur, *& dicit hoc non esse peccatum.*

Cap. 95. *nisi ea, &c.)* Hæc non habentur apud Isidorum, sed à Burchardo & Iuone vnde sint addita non liquet.

Cap.107.) hoc caput paululùm differt ab originali.

Cap. 110.) Hoc caput apud Burchardum citatur etiam *ex dictis Basilij*. verùm *ex S. Isidoro* apud Grat. 11. q.3. c. *qui consentit*. Sed in neutro habetur, verùm in Regula Orientalium, & in Regula S. Pachomij vt rectè notauit antiquitatis studiosissimus indagator Maynardus in concord. regul. c.74. Ex quo huius capitis citationem restituimus.

Cap.124. *Cur canones interd. eis)* In orig. breuius, *cur non eis qui, &c.* Et sic in Moguntino & Wormatiensi legitur.

Ad partem XV.

Cap.19. *priùs eum tond.)* In origin. desunt hæc, *aut in cinere & cilicio habitum mutare faciat, nisi priùs aut.* Desunt etiam ista: *aut velata fuerit aut.*

Sapius enim laicis.) post hæc non habetur *cum fœminis.*

Cap. 22.) In origin. magna est differentia in verbis.

Cap.29. *& in per, &c.)* hæc corrupta sunt. Melius originale *in periculi vrgentis instantia.*

Cap.36. *ne obl. &c.)* In Moguntino ita legitur, *ne obl. excommunicatione alieni ex consortio bonorum fiant.*

Vnct. olei.) In Moguntino habetur *vnct. Dei.* cætera sunt similia.

Cap. 57. in fine, *innotuit.)* In origin. & apud Gratianum sic habetur: *Innotuit, videlicet quòd in Canone Ancyritano cap.19. legitur post lapsum corporalem restaurandum honoris gradum post pœnitentiam; alibi verò legitur post huiusmodi, &c.* vide suprà ad c.397. & 398. partis 6.

Cap.141.) Hoc caput paululùm variat in orig.

Ad partem XVI.

Cap.8. *Criminibus.)* nonnihil variat originale, quod sic habet: *criminibus erga Ecclesiastica iusta & rationabilia iudicia contemptor repertus fuerit, vel inflatus ac tumidus monitis Ecclesiasticis ac sanctorum Patrum constitutionibus contradicto vel subsannator comprobatus fuerit, si monitis Episcopalibus obtemp. &c.*

Cap. 23. *auctoritatem Ecclesiasticam.)* in orig. additur *ac ius ciuile.*

Partis decimæ septimæ plurima capita cum originalibus contulimus, sed per angustias temporis non licuit varietatem, quæ non maxima tamen est, annotare. vnde vrgentibus nimiùm Typographis finem hîc imponere coacti sumus.

FINIS

INDEX VNIVERSALIS EORVM OMNIVM QVÆ CONTINENTVR IN Decreto Iuonis Carnotensis Episcopi.

Prior numerus partem, Posterior caput demonstrat.

Euangelium.

Eucharistia.

Eneuchus.

Eusebius Cæsariensis.

Excommunicatio & anathema seu maledictum.

Index.

Iudicium supremum.

Iurare Iuramentum & promissum.

Ius & Iustitia seu Iudicium.

Incantatio v. Hariolus.

L.

Labor manualis.

Laici & sæculares.

Lapsi.

Hucusque Index Decreti Iuoniani in hac Basilica Sancti Iuonis concinnatus ac consummatus.

Ann. D. CIↃ. IↃC. XLII. IV. Kalend. Septemb.

Laus Deo B. Mariæ Virg. & B. P. N. Iuoni, & omnibus Sanctis.

D. IVONIS CARNOTENSIS OPERVM

PARS ALTERA.

QVÆ CONTINET EPISTOLAS CVM NOTIS Doctissimorum virorum IVRETI Canonici Lingonensis, & SOVCHETI Canonici Carnotensis SERMONES quibus additi duo ex MSS. Bibliothecæ Regiæ & Petauianæ: Et breue CHRONICON de Regibus Francorum. His omnibus additus est Index copiosissimus.



PARISIIS,
Apud LAVRENTIVM COTTEREAV, viâ Iacobæâ, sub signo Montis Carmeli.

M. DC. XLVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

NOMINA EORVM AD QVOS scriptæ Epistolæ Iuonis.

NOMINA ALIORVM QVORVM EPISTOLÆ inserta vel adiunctæ sunt Iuonianis.

D. IVONIS



D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI, EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

*VRBANVS * EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei dilectis in Christo filijs clero ac populo Carnotensi salutem & apostolicam benedictionem.*

* Secundus.

NOS quidem * tum pro beatæ Mariæ semper virginis deuotione ac reuerentia, * tum pro nostri officij debito, ecclesiæ vestræ dilectionem, protectionem, & curam specialiùs impendentes, eiusque labores diuturnos quos à * Gaufrido quondam episcopo passa est, propensiore animo perpendentes, rei veritate diutiùs atque diligentiùs pertractata, largiente Domino iustitiæ satisfecimus. Bonam itaque animi vestri voluntatem præuenientes ac subsequentes, venerabilem virum Iuonem presbyterum, quem Gaufrido per nos deposito catholicè atque canonicè secundum nostra monita elegistis, ne quod vlteriùs hac in re * impedimentum vestra ecclesia pateretur, sine moræ longioris obstaculo consecrauimus. Nunc eum ad vos remittentes tanquam beati Petri manibus * consecratum, beati Petri vice vos rogamus & obsecramus, quatinus eum benignè suscipientes, debita, vt pastoris veri membrum, obedientia honoretis, debita sollicitudine quæ vobis annunciauerit obseruetis: & vt ipse Deo placere, & eum pro vestris valeat excessibus dignè intercedendo placare, vos quoque placere Deo totis conaminibus procurate. Si enim placere Deo studueritis, pastorem proculdubio Deo placentem habebitis: nos quoque in vestris opportunitatibus ad exaudiendum paratos inuenietis. Porrò de Gaufrido, qui sine conditione omni nostris in manibus episcopatum reddidit, indignum se patenter agnoscens, præcepimus & præcipimus ne quis ei vllo modo ad episcopatum reinvadendum vel infestandum * assensum accommodare præsumat, aliàs & ipsum & ipsius fautores excommunicationi subiacere censemus. Obedientes verò monitis nostris gratia diuina custodiat. Data Capuæ viij. Kal. Decemb.

[Left margin notes, partly cut off: ...ius v. c. ..., tam. / ...em, quàm / Gaufredo, Galfrido. & in seq. / ...etrimen-... / ...t in tit. ... 8. / ...multa-... Iuonis ...c in pri-... ...m sedem ...cere ten-... ...,ut con-... ex epist. ... 12.]

EPISTOLA II.

VRBANVS EPISCOPVS, SERVVS Seruorum Dei Richerio Senonensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

QVantas pro Gaufrido quondam episcopo Carnotensis ecclesia molestias sustinuerit, quantæ ad apostolicam sedem querelæ perlatæ fuerint, dilectionis tuæ strenuitas recognoscit. Tandem rei veritate diligentiùs perquisita, largiente Domino iustitiæ satisfecimus, & ab ipso in nostris manibus sine cuiuslibet tenore conditionis episcopatus refutatus est. Tunc * ad tuam fraternitatem scripta direximus rei gestæ ordinem indicantes, & vt tuum Carnotensibus ad eligendum & consecrandum antistitem auxilium contribueres flagitantes. Nostra itaque fulti licentia Carnotenses venerabilem presbyterum Iuonem canonico ordine in episcopum elegerunt. Cùm autem à te consecrationis gratiam pro more ecclesiæ petiuissent, tua ei fraternitas manum imponere recusauit. * Ad nos igitur ipsis venientibus & consecrationis eius dem gratiam deposcentibus, nos qui viri religionem iamdudum noueramus, & eius eligendi licentiam dederamus, petitioni iustæ deesse nequiuimus. Consecratum ergo eum salua ecclesiæ tuæ obedientia remittentes, dilectionis tuæ dulcedinem postulamus, vt omni litis fomite consopito, benignitate eum debita complectaris, & ad ecclesiæ suæ regimen auxilium tuum ei largiaris. * Porrò Gaufridum si episcopatum inuadere aut ecclesiam infestare tentauerit, ipsum ipsiúsque fautores anathemati subjacere decreuimus. Data Capuæ vij. Kal. Decemb.

* al. vnde ad

* Metropolitano nimis protelante, electus in episcopum, à Papa consecratur, saluo ecclesiæ priuilegio, vt in can. nūc vero can. 9. q. 3. videque scribit auctor inf. epist. 8.

* al. & eum.

ORATIO VRBANI PAPÆ ad Iuonem consecratum Episcopum.

QVoniam vt credimus diuino tenutu vocante, clerus & populus † Carnotensis ecclesiæ vnanimiter elegerunt rectorem, & ad nos vsque perducentes petierunt consecrari episcopum, & ideò Deo annuente per manus nostræ impositionem episcopus consecratus es: amodò frater cariſſime ſcias te maximum pondus ſuſcepiſſe laboris, quod eſt ſarcina regiminis animarum, & commodis deſeruire multorum, omniumque fieri minimum atque miniſtrum, & pro credito tibi talento in die diuini examinis rationem redditurum. Nam ſi Saluator noſter dixit: *non veni miniſtrari, ſed miniſtrare*, & animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, quanto magis nos deſidioſi ſerui ſummi patrisfamiliàs debemus maximo ſudore incumbere, oues dominicas nobis à ſummo paſtore conſignatas ad ouile dominicum ſuffragante diuina gratia abſque morbo † vel macula perducere? Exhortamur itaque dilectionem tuam, vt fidem quam in exordio tuæ conſecrationis breuiter lucidéque digeſſimus, illibatam & inuiolabilem cuſtodias: quia fides eſt fundamentum omnium virtutum. Scimus autem quòd ab infantia ſacris es litteris eruditus, & canonum inſtitutis edoctus: attamen breuiter ad te noſter dirigendus eſt ſermo. Nullus te fauor extollat, nulla aduerſitas atterat, id eſt, * nec in proſperis cor tuum eleuetur, nec in aduerſis aliquo deiiciatur: ſed omnia & in omnibus cautè & cum diſcretione agere te volumus, vt abſque reprehenſione ab omnibus viuere comproberis. Sancta Trinitas fraternitatem tuam ſua protectione incolumem cuſtodiat: vt dum † tali moderamine in Domino noſtro onus quod ſuſcepiſti peregetis, in die æternæ retributionis eo dicente audire merearis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium domini tui.*

† ciuitatis illius.

Marci 10. Matt. 20.

† & mancha

* al. vt nec. al. non in.

† cum.

Luca 19. Matth. 25.

EPISTOLA III.

** Vrbano ſummo pontifici patri & domino ſuo Iuo Carnotenſis.*

* Hæc epiſtola à Iureto primùm edita, reperta eſt in vetuſtis ſchedis Ant. Loeſelli iur.

SI animo meo morem gerere vellem, ſi denique ſic eſſet tolerabile vt non etiam penale iudicaretur ſucceſſorem Petri in arce ſummi pontificatus poſitum laceſſere, iam quidem in vos odiorum caſtra mouere, maledictis perſequi non ceſſarem. Credo enim propter quod loquor, me opera veſtra de tranquillitatis littore abſtractum in altitudinem maris inopinato caſu deueniſſe, & temporalium occupationum quaſi procelloſis fluctibus iactandum proſpicio, vbi dum multorum vtilitatibus prouidere compellor, tam meæ quàm ipſorum ſaluti poſſe ſufficere deſpero, elegeram abiectus eſſe in domo Dei, vt pote cui non generis nobilitas, non ſcientiæ dignitas eloquentiæ animos dabat, & paucorum * fratrum pia ſocietas caritate plena plus omnibus diuitiis mihi applaudebat: cum ſic mihi latenti, nec tale quid ſuſpicanti eccleſia Carnotenſis * pontificatus profeſſionis pondus obtruſit. nec ſanè eius voluntati aliqua ratione victus cederem, niſi id vos * velle atque præcepiſſe, cui non obedire nefas eſt, proteſtaretur. Epiſcopum * Beluacenſem ſanctitati veſtrę commendo, cuius ſimplicitas hoc habet laudabile, quòd nec peruerſa agentibus placere, nec rectè ſapientibus diſplicere poteſt, nouit enim prudentia veſtra cum in quibuſdam accuſatum, non tam zelo iuſtitiæ quàm virtutis æmulatione. Sed mihi non videtur rationabiliter poſſe fieri, vt à minori perſona debeat retractari quod ſub veſtri iudicij examine finem ſortiri meruit. Sed ad me reuertar quem paſtoralis curæ vincula premunt: qui etiam, quod nondum erratibus meis adhibui, cogor debere correctionem alienis erroribus: cuius vita licet olim in conſpectu ſummi iudicis calumnioſa haberetur, nunc maximè tamen vicinior eſt accuſationi ſuæ quàm excuſationi alienæ. Vale.

* Beluacenſium. adi ep. 17.

* epiſt. 8.

* epiſt. 11.

* videtur [...] telligere fulcone, [...] gumento [...] rum quæ [...] taui ad ep[...] 30. ex An[...] mo Cant[...] rienſi Arch[...] piſcopo.

EPISTOLA IIII.

*Iuo Dei gratia humilis Carnotenſium Epiſcopus dilectiſſimo Abbati maioris Monaſterij Bernardo, & * qui ſecum ſunt fratribus in Domino ſalutem.*

* al. qui [...] cum.

QVoniam ſummus Paſtor paſtoris nomen habere nos voluit, & officium paſtorale exercere pręcepit, errabundis & languidis ouibus congruam medicinam prouidere nos conuenit: vt nec importuna inſtantia aliquam præfocemus, nec blandiente nobis deſidia noſtra negligenter aliquam perire permittamus: ne ocium noſtrum negociis ſecularibus præponamus, quominus parturienti eccleſiæ debitum miniſterium perſoluamus. Licet enim in amplexus ſpecioſæ Rachel intendat labor militiæ noſtræ; ſpe tamen prolis numeroſioris, amplexus Liæ nobis eſt tolerandus: quia cùm illa plus videat, iſta plus fructificat: & cùm illi viſio ſua ſit iocundiſſima, huius actio multis eſt neceſſaria: & vt euidètius dicam, cum in illa penè ſola ſit dilectio Dei, in hac manifeſta eſt etiam dilectio proximi. Cuius dilectionis ſequacibus ſuis inſinuandę formam protulit mediator Dei & hominum, qui non ſolùm pro nobis de ſecreto ſuo ad publicum noſtrum prodiit, ſed etiam carnem aſſumptam flagellis, colaphis, ſputis, ac demum morti crucis addixit. Quid? quid hoc facto ſummus paſtor nobis inſinuat, niſi vt nos dicti paſtores oues erroneas ad cuſtodiam noſtram pertinentes per deuia quæque & aſpera fugientes indeficienti caritate conſectemur, vt ad gregem reportentur, licet in ſequendo vepribus * conſcindamur, crebris ſpinarum aculeis cruentemur? Quod quia prudentiam veſtram latere non ignoro, neſcio vtrum patientiam veſtram vel negligentiam, quantum fas eſt ex caritatis affectu, reprehendo, quòd contra inſtituta maiorum quoſdam fratres ſemel à nobis ad cuſtodiam animarum dimiſſos apud vos detinetis: in quibus noſtram & illorum famam lædi permittitis, & morbis ouium illis commiſſarum nullam medicinæ curam præparatis. vnde, vt interim de cæteris ſileam, rogando moneo, monendo rogo fraternitatem veſtram, vt omni occaſione remota vſque ad præſens caput ieiunij tranſmittatis mihi domnum Gauterium quondam monaſterij Bonæuallis Abbatem, quatinus au-

Geneſ. c. [...]

* inf. ep. [...]

dita ab eo ſuæ diſceſſionis cauſa, ſolutio eius ſi probanda eſt, à nobis approbetur; vel ſi approbanda non eſt, conſilio & auxilio cooperatorum noſtrorum in officio & loco ſuo pleniſſimè reformetur, Vale.

EPISTOLA V.

Ivo Dei gratia Carnotenſium humilis Epiſcopus Adelæ nobili Comitiſſæ rectè in Chriſto ſapere.

REgius in excellétia veſtra ſanguis ex vtraque linea deſcendens, nobilitatem generis in * oculis omnium manifeſtè commendat. Sed hanc apud religioſas mentes morum probitas & larga ad erogandum manus, quantum didici, vehementer exuperat. vnde miror qua ratione conſobrinam veſtrã * Adalaidem ſicut vos ipſam amare dicatis, cuius adulterinos cũ * Gulielmo complexus vel defendere, vel protelare tanto ſtudio laboratis, nec ſaluti veſtræ vel illorum ſatis commodè prouidetis, neque quantum periculum, vel quanta infamia mihi ſuper hoc immineat, aliquatenus præcauetis. Quomodo enim gladius ſpiritus in ore meo poſitus ferire audebit longè poſitos ſimili cõtagione pollutos, qui tangere non audebit vel diſſimulabit iuxta ſe poſitos? nonne dicturi ſunt mihi illud euangelicum: * Eiice primùm trabem de oculo tuo, vt poſtea videas feſtucam in noſtro. Hanc porrò me habere tolerantiam terribiliter Apoſtolus vetat de huiuſmodi ſcelerum patratoribus dicens: *Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, nec ſolùm qui faciunt, ſed etiã qui conſentiunt facientibus.* Cõſentientes autem B. Ambroſius diſſimulantes vocat, vel defendentes. Qua de re obnixè peto, vt non indignetur aduerſum me veſtra ſublimitas: quoniam teſtis mihi eſt ille cui nuda eſt abyſſus humanæ conſcientiæ, me hoc non arripuiſſe cauſa maliuolentiæ meæ vel alienæ, ſed ſolo rigore & amore iuſtitiæ, in tantum vt ſi aliter fieri non poſſit, malim hominum incurrere maliuolentiam, quàm legem Dei mei derelinquere. Quadam tamen conditione condeſcendam petitioni veſtræ, ſi vterque iurauerit quòd ante finitam cauſam à carnali coniunctione ſe immunes cuſtodiant: alioquin ſatagendum eſt mihi, vt mortuum iam quatriduanum longè latéque fœtentem crebra admonitione de inferno inferiori valeam euocare. Valete.

al. oculis omnium. — *al. Adalidem.* — *al. Vuilelmo.* — *in v.c. eice. Matth. 7.* — *epiſt. Pauli ad Romanos cap. 1.* — *Ioan. 11.* — *Pſalm. 85.*

EPISTOLA VI.

*Ivo Dei gratia quamuis indignus Carnotenſium Epiſcopus, * Gerardo dilecto ſibi in Chriſto ſalutem.*

al. Girardo. al. Geraldo.

APices tuæ caritatis in me. huncios per præſentium latorem nuper accepi, quibus quæ mihi pax apud vicinos, quæ gratia apud principes diligenter inquiſiſti. Inſtrumentum etiam niuei candoris ad ordinandos capillos in idipſum caritatis ſignum tranſmiſiſti. Quod cùm mihi placeat in ſuo genere quantum huiuſmodi placere debent propter exteriorem pulchritudinem, vehementiùs tamen placet propter pulchri ſacramenti interiorem celſitudinem. Nam cum in capillis inordinati mores, vel inordinati populi quadam comparatione poſſint intelligi: credo prudentiam tuam munuſculo hoc quaſi quodam monitorio vigilantiam meam excitare, vt ſtudeam inordinatos populorum mores diuerſis exhortationum modis componere, atque habito diſcretionis moderamine ad debitum ordinem reuocare. Quid verò ipſo inſtrumenti decore, quod longa lima & longa politura ad hũc candorem perductum eſt, ſignificare videris, niſi vt caſtigem corpus meum & in ſeruitutem redigam, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus fiam? Rogo itaque te per ipſa caritatis viſcera, quæ viſitare me dignata eſt quo modo voluit aut valuit fraternitas tua, * vt quemadmodum prædictis beniuolentiæ ſignis cogis nos habere memoriam tui frequentem, ſic in orationibus tuis habeas frequentem memoriam noſtri. Veſtræ enim orationes quanto quietiores, tanto ſaniores. Noſtræ verò & ſi non ſauciæ, tamen propter inſtantes neceſſitudines, * & ſecularium negociorum tumultus, ſæpè ſunt perturbatæ. Perturbationis verò meæ cauſas & ſi non noſti per experientiam, noſti tamen per ſcientiam. Nam qui in modico flumine ad regendam modicam nauem priùs nulla ratione præualebam, quomodo nunc quaſi de portu tranquillitatis eductus, & in altitudinem maris deductus ad regendam tam ponderoſam támque naufragoſam nauem ſufficiam? Quòd ſi meruiſſem præſentiam tuam, ſicut Lugduni te rogaueram, per prudentiam conſilij tui, & per gratiam quam habes in oculis ciuium noſtrorum, multa perfeciſſet diuina clementia, quæ attingere nondum audet imbecillitas mea. Itaque pulſando inſto, inſtando pulſo: vt quæſita opportunitate nos tuæ viſitationis conſolatione lætifices, quod & ſaluti multorum proderit, & propoſito tuæ ſanctitatis non oberit. Proſpera autem noſtra & aduerſa de quibus quæſiſti, ſic modificat medicinalis Dei ſapientia, vt nec frangi permittat aduerſitate, neque extolli proſperitate, quatinus dicere poſſimus cum Apoſtolo: *fidelis Deus, qui non permittit nos tentari ſupra id quod poſſumus ſuſtinere.* Pauci tamen calcaneum meum obſeruant: Sed Deo miſerante plures ſunt, qui matutini exitus & veſperæ lætificari deſiderant. * Pædagogus ille ab officio paſtoris & nomine procul pulſus, iam non habet vnde lac & lanas ouium perditarum diripiat, præterquam quòd in Normannia præpoſituram quandam Eccleſiæ noſtræ, auxilio inſulſi Comitis terræ illius ſibi vſurpat & deuaſtat. Vale.

** al. vt quomodo.* — ** al. neceſſitates hac de re conqueritur epiſt. 19.* — *1. Cor. 10.* — *Pſal. 45.* — ** Pædagogi nomen in deteriorem ſenſum accipit vt epiſt. 98. & intelligitur Gaufridus de quo epiſt. 1.*

EPISTOLA VII.

Ivo Dei gratia Carnotenſium humilis Epiſcopus Roſcelino non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.

SI eſſes ouis * centeſima in deſerto perdita, ſed gregi iam reddita, ſicut exarſerat in te zelus meus quamdiu te intellexi auerſum & aduerſum, ſic requieſceret in te ſpiritus meus, ſi te cognoſcerem ad doctrinam ſanam conuerſum & reuerſum. Sed quia ſcio te poſt concilium Sueſſionenſe in auribus quorundam quos mecum bene noſti, priſtinam ſententiam tuam clandeſtinis diſputationibus ſtu-

** Luc. 15. & Matth. 18. Epiſt.*

diosissimè defendisse, & eandem quam abjuraueras, & alias non minùs insanas persuadere voluisse, non potest intrare in cor meum quòd adhuc fidem tuam correxeris, quòd mores in melius commutaueris. Si ergo ex hac occasione te adflixit, & rebus tuis nudauit quorundam violentorum rapax auaritia, non hoc ex se fecit iniusta eorum violentia, sed iusta & correctioni † tuæ consulens Dei sapientia, faciens etiam per malos quamuis nescientes bona sua: cuius vestem scindere conabaris rationibus humanis armata, sed tamen infœcunda * facundia. Cum verò multis exemplis ethici tractatoris veram constet esse sententiam:

† correptioni.

** sic loq. epist. 207.*

Horatius lib. 1. epist. 3.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

non tamen propter me timerem vel horrerem præsentiam tuam, de te sperans meliora & saluti viciniora. Sed quidam ciues nostri ad cognoscendam vitam alienam curiosi, * quamuis ad corrigendam suam desidiosi; te quidem odibilem, me verò propter te suspectum haberent, & audito nomine tuo & pristina conuersatione tua, more suo subitò ad lapides conuolarent, & lapidum aggere obrutum præfocarent. Interim igitur cōsulo tibi, vt assumpta patientia beati Iob, quamuis longè impar, cum eo tamen dicas: Sustinebo iram Dei, quoniam merui, donec iustificet causam meam. Testificor enim tibi, si conuersus ingemueris, & in simplicitate fidei degere volens à vanitate carnalis sensus tui detumueris, non deerunt tibi * vbera diuinæ consolationis: & mater Ecclesia quæ deuium exasperauit paterna seueritate, correctum assumet materna pietate. Restat igitur vt palinodiam scribas, & recantatis opprobriis vestem Domini tui, quam publicè scindebas, publicè resarcias, quatinus sicut multis exemplum erroris fuisti, * sic de cætero fias exemplum correctionis †. Sic enim bono odore præcedente, & pristinum fœtorem consumente, & à nobis, & ab aliis diligi & colligi, & beneficiis poteris ampliari.

** idem locus epist. 34. & 108. & 240. ex S. August. lib. 10. Confess.*

** sic vett. codd. anteà, verba diu. cons.*

** similis locus epist 141.*
† correptionis

EPISTOLA VIII.

*Richerio Dei gratia Senonensi Archiepiscopo, Iuo per eandem gratiam * Petri manibus Ecclesiæ Carnotensis consecratus & delegatus Episcopus, à Romana Ecclesia pace non discedere, & si quid aliter sapuit, valdè velociter † resipiscere.*

** id est, Vrbani Papæ, vt supra epist. 1.*
† Celeriter

Litteras contumeliosas & amaritudinis plenas sigillo vestro signatas, & nomine † titulatas, à quibusdam clericis nuper accepi: in quibus primò depressionem * meam & falsas criminum obiectiones in me factas, postremò sedis apostolicæ maiestatem non leuiter læsam mecum vehementer indolui. Cum enim vt pacem haberetis, & in filium susciperetis apostolica auctoritate * fuissetis † commonitus: nec vt fratrem salutastis me in litteris illis, nec vt coëpiscopum, qui nullum vobis coëpiscopi adiutorium, vel filij denegaui † obsequium. Cur igitur alienigenam ad iudicium vocatis, cur obedientiæ vinculis astringitis, quem nec suffraganeum, nec collegam esse cognoscitis? Huic iniuriæ meæ grauiorem superadditis, quòd demembratorem metropolitanæ sedis non aptè satis appellatis. Nam cùm * ramus aridus, qui in radice arboris matris nunquam coaluit, nec in se virens fructum fecit, magni cultoris manu excisus esset; eadem manus quæ ramum præmortuum excidit, me non ad demembrationem, sed ad supplendum locum indemortui †, eidem arbori quantum in se erat inseruit, quia † hoc & cū aliqua spe fructus & sine vulnere matris arboris posse fieri * existimavit. Cui ergo sine vestra contradictione licuit quod nocebat excidere, quæ ratio impedit vt ei non liceat quod profuturum sperabat inserere? Dicitis etiam † in litteris illis, me sedem inuasisse Gaufridi coëpiscopi vestri: in quo manifestè contra sedem apostolicam caput erigitis: dum quod illa ædificat, vos quantum in vobis est, destruitis; & quod illa destruxit, vos ædificare contenditis: cuius iudiciis & constitutionibus obuiare, planè est hæreticæ prauitatis notam incurrere: cùm scriptura dicat, *hæreticum esse constat, qui Romanæ ecclesiæ non concordat.* Præterea † famæ vestræ non benè consulitis, qui captum emissarium, cuius adulteria, fornicationes, periuria, proditiones, per omnem fermè Latinam ecclesiam publicatæ sunt, qui pro his & aliis similibus à sede apostolica damnatus est, ita vt se purgare non valens virgam pastoralem redderet & anulum, de quo apostolicum accepistis decretum in hæc verba: *Quicunque Gaufridum depositum deinceps iuuerit ad infestandum vel re inuadendum Carnotensem episcopatum, excommunicatum eum † esse censemus*: adhuc episcopum vocare, in episcopum reformare contenditis: cuius malefacta defendere, quid est aliud nisi similem damnationis sententiam in se prouocare? Cùm enim secundum Apostolum satis sit ad damnationem peccatis alienis consentire, cur non magis sufficiet eadem fouere & defendere? Neque enim in hoc protegit vos clypeus ignorantiæ, cùm hæc (sicut dixi) nota sint non tantùm ecclesiis Lugdunensis Galliæ, sed omnibus fermè ecclesiis Latinæ linguæ. Est & aliud in litteris illis, in quo euidentissimè & irreuerentissimè os vestrum posuistis in cœlum, & lingua vestra transiuit in terra, cùm benedictionem per manus impositionem Papę datam & Cardinalium Romanæ Ecclesiæ, non simpliciter benedictionem, sed qualemcumque * hostili irrisione appellastis: cùm ad ipsam principaliter & generalissimè pertineat, tàm metropolitanorum, quàm cæterorum episcoporum consecrationem † confirmare vel infirmare, constitutiones vestras & iudicia retractare, suas verò inconcussas retinere, & nullius inferioris iudicio retractandas vel corrigendas concedere. Sic enim de non infirmandis apostolicæ sedis iudiciis scribit Papa Gelasius in epistola Fausto magistro directa, de iusta depositione Acatij. *Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. contra quos hoc ipso † venire se produnt, quod primæ sedi sana rectáque suadenti parere diffugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri: ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, sententiámque illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt.* Et paulò post: *Qua traditione maiorum apostoli-*

† Vestro v. c.
** vnus v. c. reprehensionem.*

** sub epist. 2.*
† fuisses, Bar.

† abnegauit Bar.

** Gaufridus de quo epist. 1. quem etiam videtur appellare inimicum hominem epist 12.*
† demortui.
† quæ Bar.
** v. c. æstimauit.*

† enim. v. c.

Ca. nolite dist 11.
† deest in Bar.

Sup. epist. 1
† deest in Baroniano.

Psal. 72.

** hæc de etiam conqueritur 1 epist. 12.*

† consecrationes, v. Bar.

Gelasius i Fausto leg to vide can nes sub can 9. q. 3. ip sunt.
† hinc ips e. sed hoc melius es

Non, ab dat in v sed in epi la Gelasi peritur.

cam ſedem in iudicium vocant? Et item: *Viderint ergo ſi alios habent canones, quibus ſuas ineptias exſequantur. Cæterum iſti qui ſacri, qui eccleſiaſtici, qui legitimi celebrantur, ſedem apoſtolicam ad iudicium vocare non poſſunt.* Item Gregorius in epiſtola de Aldrico * Cenomanenſi epiſcopo ad Gallias directa: *Nullus Aldricum * iudicet, aut iudicare præſumat. Sed ſi quid, quod abſit, graue intolerandumque ei obiectum fuerit, noſtra erit expectanda cenſura: vt nihil prius de eo qui ad ſinum ſanctæ Romanæ confugit eccleſiæ, eiuſque implorat auxilium, decernatur, quam ab eius eccleſiæ fuerit præceptum auctoritate; quæ vices ſuas ita alijs impertiuit eccleſiis, vt ſint in partem vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Proinde dilectio veſtra quorum deuotione gaudemus, iungat curam ſuam diſpoſitionibus noſtris.* Et poſt plura: *Nec pigeat fortè aut pudeat noſtris obedire mandatis, aut apoſtolicæ ſedis obſecundare præceptis: quia † humilibus datur gratiá, non ſuperbis. Nam * nulli fas eſt velle vel poſſe tranſgredi apoſtolicæ ſedis præcepta, nec noſtræ diſpoſitionis miniſterium, quod veſtram ſequi oportet caritatem. Sit ergo ruinæ ſuæ dolore proſtratus, * quiſquis apoſtolicis voluerit contraire decretis: nec locum deinceps inter ſacerdotes habeat, ſed extorris à ſancto fiat miniſterio, nec de eius iudicio poſtea quiſque curam habeat. quoniam iam damnatus à ſancta & apoſtolica eccleſia ac auctoritate, pro ſua inobedientia atque præſumptione à quoquam eſſe non dubitatur.* Inobedientem me quoque litteræ veſtræ nō rectè accuſant; quia cùm obediturum me paternitati veſtræ literæ Domni Papæ * commendauerint, nulla à me paterna veſtra admonitio refutata eſt, quia nec audita. Quod aliunde me expetiſſe benedictionem calumniamini, veritate teſte verum dicam, quia † nec epiſcopatum nec benedictionem epiſcopalem à vobis petij, * nec à quoquam. Sed cùm clericorum primò ingenio, poſtea violentia regi fuiſſem præſentatus, & inde cum virga paſtorali à rege * mihi intruſa ad eccleſiam Carnotenſem adductus, cúmq; clericis petentibus & pulſantibus nullum diem conſecrationis meæ velletis præfigere, interea conſilium mihi fuit electioni eorum non * omnimodè aſſenſum præbere, donec certus fierem & de Gaufridi depoſitione, & ſummi Pontificis voluntate: ad quem cum cùm perueniſſem, ad petitionem eccleſiæ Carnotenſis apoſtolica auctoritate ſum conſtrictus, & ita in epiſcopum conſecratus. His & huiuſmodi tam rationibus quàm auctoritatibus munitus, licèt irritatus magis quam canonicè vocatus, licèt tam in me quàm in capite meo & veſtro, * ſi tamen veſtro, iniuriam paſſus; tamen paratus ero tempore opportuno & loco tuto intra Senonenſem prouinciam, vel etiam * Stampis, ſi conductum tutum, Comitem videlicet Stephanum ex parte domini noſtri Regis & veſtra propter circunſtantes inimicos habuero: paratus inquam ero vobis occurrere, & quantum ſalua reuerentia ſedis apoſtolicæ licuerit, obiectionibus veſtris reſpondere, ad cuius audientiam aliquando forſitan opportebit * iſta referre. Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat cor veſtrum * & intelligentiam veſtram, vt obedientia veſtra prælatis veſtris exhibita, nos vobis obedientes exhibeat & deuotè ſubiectos.

** al. Cenomanenſi.*
** aut. e hac.*
† qui humilibus dat gratiam. Bar.
** ca. 5. nulli. diſt. 19.*
** al. in v. e. quiſque vel, quicunque.*
** ſup. epiſt. 2.*
quod.
ita plures v. c in aliis, et ab aliquo idem fatetur ſe ad ſolium principum fuiſſe euatum per anum Philippi Regis ep. 2. de iure virgæ agit epiſt. 60.
al. omnimodò.
Vrbano.
Infrà epiſt. . dicit ſe nordinatè iſſe Stampis ccuſatum de rdinatione b Vrbano ccepta.
al. nos iſta.
al. & animam veſtrã.

EPISTOLA IX.

*Philippo * Dei gratia magnifico Francorum Regi Domino ſuo, Iuo humilis Carnotenſium * Epiſcopus ab eo ſaluari qui dat ſalutem regibus.*

CVm teſtem factorum meorum circumſpicio conſcientiam meam, vehementer admiror quia nihil in me reperio cur pia lenitas veſtra atque regia manſuetudo in tantam aduerſum me conuerſa ſit amaritudinem, vt à veſtra ſerenitate nullum audiam nuncium bonum, nihil audiam niſi verbum aſperum. Quòd enim inter Beccenſes * & Moliſmenſes monachos quamtulamcunq; pacem pro tēpore feci, nullam Beccenſibus in hoc violentiam intuli. Sed Abbas Beccenſis cognoſcens & erubeſcens inordinatam ſpoliationem factam Moliſmenſibus à quibuſdam neophitis monachis ſuis, multùm me rogauit, vt vel pacem inter eos componerem, vel iuſtè inter eos decernerem. Sed ego propter reuerentiam veſtram iudicium interim diſtuli: & gratis oblata portione victualium ſuorum ab ipſo Abbate, quę Moliſmenſes repetebant, iurgia quæ inter eos erant, pro ipſius Abbatis caritate mitigaui. Qua de re non decuit humilitati meæ ſuccenſere ſublimitatem veſtram: quia ſi ipſos ſpoliatores etiam ab inordinata inuaſione deſiſtere coëgiſſem, maieſtatem tamen † regiam nullatenus offendiſſem. Sicut enim eſt regiæ poteſtatis † ciuilia iura ſeruare, & eorum tranſgreſſores debita pœna multare: ſic epiſcopalis officij eſt eccleſiaſticas inſtitutiones ſubditis ſeruandas imponere, & tranſgreſſores earum paterna ſeueritate ad debitum ordinem reuocare. * Abſcindantur itaque qui ſerenitatem veſtram conturbant, quorum perſuaſionibus ſi adquieueritis, nec per vias iuſtitiæ incedetis, nec ad gaudia * patriæ cæleſtis peruenire valebitis. Quicunq; autem illi ſunt, ſi conductũ bonum mihi & his qui mecum ſunt miſeritis, vt ſecuri ſimus in eundo & redeundo, & apud vos morando, paratus ſum in præſentia veſtra omnibus æmulorum meorum obiectionibus reſpondere, & iniunctas * eorum calumnias irrefragabili ratione confutare. Noſtis enim quantos inimicos habeam pro iuſtitia maximè in patria iſta, & in curia veſtra. Bene valete, & & ſacerdotem veſtrum nolite impedire quominus pro incolumitate veſtra poſſit orare.

** primo, Henrici Regis filio.*
** al. miniſter.*
** confer epiſt. 39.*
† veſtram tamen maieſtatem regiam. v. c.
† eſt. v. c.
** vett. codd. abſcidantur.*
** cæleſtis patria v. c.*
** in vno v. c. cæterum.*

EISTOLA X.

*Iuo Dei gratia Carnotenſium Epiſcopus. Virginibus in Dunenſi * monaſterio ſancti Auiti Deo deuotis in virginitatis propoſito placere virginum ſponſo.*

** al. cœnobio. epiſt.*

GLorioſum nomen virginitatis, ſed glorioſior eſt fructus. Cùm enim iuſtus quiſque Domini ſui veſtigia iubeatur ſequi quâ poterit, de virginibus legitur quia ſequuntur agnum quocumque ierit. Et cùm vnuſquiſque gradus coniugatorum vel continentium ſemper habeat de perpetrata carnis corruptione quod defleat: virginitas intemerata ſemper habet in auctore ſuo quo gaudeat. Cuius quanto

* est. v. c.
† facilior v. c. sed lectio quæ est in textu, rectior

superior † gradus, tanto grauior est casus. Cui perseueranti quanto fœlicior † & suprema speranda est glorificatio, tanto cadēti miserior & extrema timenda damnatio. Virginitas supernæ ciuitatis est virtus, supernorum ciuium decus, vbi non habet quis de integritate quod perdat, de corruptione quod doleat. quam quisquis in hac mortalitate studiosiùs æmulabitur, eo familiariùs sponsi virginum visitatione & caritate delectabitur. vt autem probetis hanc paradisi esse virtutem, mementote quia primi *parentes hanc ante peccatum in paradiso seruauerunt, post lapsum facti exules in terris amiserunt. Nam quia suæ ciuitatis munimenta proiecerunt, ab antiquo hoste facilè expugnati, & in huius exilij ęrumnas expulsi, eiusdem ciuitatis ornamenta meritò perdiderunt. Vt ergo valeatis de exilio ad patriam repedare, eiusdem patrię munimentis vos munite, eiusdem ornamentis vos ornate: quo & antiqui hostis callida tentamenta fortiter respuatis, & immortali sponso, cui integritatem corporum vestrorum deuouistis, complacere valeatis. Christo enim vouistis nubere, non clericis. Christo vouistis nubere, non secularium hominum colloquia frequētare. Ad hoc enim vobis septa monasterij facta sunt, ne mundi amatores intra castra mundum fugientium recipiatis, ne ad publicum prodeatis, ac de corporali mundi visione, tractis introrsum fœdis imaginibus, atque expugnata intus virginitate, corpus quoque corruptioni subiici permittatis. Quomodò ergo pudicitiam seruare valebitis, quæ cum impudicis hominibus miscere colloquia publica vel priuata quotidiano vsu laboratis? legistis enim, *Corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ.* Non enim beata Virgo Maria, cuius vita Christi virginibus * specialis est forma proposita, residebat in publico, nec procorum delectabatur colloquio, quando est ab angelo salutata, quando est spiritu sancto obumbrata & mater saluatoris effecta. Sic reliquæ sanctæ mulieres, quæ in proposito sanctitatis Deo placere voluerunt, virorum colloquia respuerunt, præter eos, quorum necessitatibus aliquando de sua substantia caritate monente ministraverunt, vel à quibus sanctæ exhortationis gratiam percipere meruerunt: non † autem aliquando carnis amatoribus pretiosa veste, vel fucata facie, non gestu lubrico, vel soluto incessu placere studuerunt. immortalis etenim sponsus in interiori homine vestro imputribilem quærit pulcritudinem, non exterioris hominis pulcram putredinem. † Sic enim de sponsa Christi legitis † in psalmo: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* Christi ergo virginem primùm decet cordis humilitas, facies pallida macieque cōfecta, cutis cilicio squalida, non balneis frequentibus accurata, in loquendo verecundia, in audiendo obedientia, in cibo parcitas, in potu sobrietas, in incessu grauitas, in veste vilitas, non dissolutæ mentis nutrix & index prodigalitas: vt in his omnibus non voluptati seruiatur, sed necessitati. Sicut enim bona domus in ipso * vestibulo agnoscitur: sic religiosæ mentis habitus his signis foris agnoscitur, & eisdem ad contemptum sui quotidianis profectibus eruditur. Quanto enim quisque vilior est in oculis suis, tanto sublimior est in oculis cōditoris. Oportet quoque vt semper sitis intentæ orationi,

1. Cor. 15.
* sic in vett. codd. anteà spiritualis.
† deest in v. c.
† putre pulcritudinem. v. c.
Psal. 44.
† legistis v. c.
* ex S. Ambrosio lib. de virg. 2.

* aut lectioni, aut operi vt diabolus vos inueniat occupatas, nec mentes vestras * nocuis & vagis cogitationibus expositas. Iste enim mos legitur fuisse in monasteriis Ægyptiorum, * vt neminem reciperent qui nollet operi operam dare, non propter necessitatem, sed propter vitandam otiositatem, quæ inimica est animæ. Adhæc fortasse dicturæ estis, quod dixerunt quidam à Domino recedentes, & post sathanam abeuntes: *durus est hic sermo.* Non potest talia pati nostra ætas, non potest ferre nostra ingenuitas. Quibus respondeo: Quæ vestrûm nobilior beata Cecilia, quæ cilicio membra domabat? Quæ vestrûm Agnete beatissima tenerior, quæ non solùm coniugium nobilium spreuit, sed sicut ipsa de se dicit, carnis spurcitias immaculato calle transiuit? plena sunt exemplis religiosarum & religiosorum sæcula, qui in omni conditione, in omni sexu, in omni ætate supra dictis modis Domino placuerunt. Quare ergo vos non poteritis in patre luminum, quod isti & istæ potuerunt? Est aliud quod fortasse vel tacita cogitatione proponetis. Si familiaribus nostris denegauerimus consueta colloquia, & ipsi denegabunt nobis solita obsequia, subtrahent nobis necessaria subsidia. Ad quod ego vobis ex apostolica voce promitto, quòd fidelis Deus, qui non patietúr vos tentari supra id quod potestis sustinere, sed parabit vobis pro vno carnali amatore centum spirituales amatores, per quos vobis necessaria ministrabit, & res monasterij vestri tutas & incolumes conseruabit. Si enim aliqua vestrum † esset alicui nuptiali fœdere * sociata & ad alium transiret, nonne adultera iudicaretur? nônne capitali sententia à iudicibus puniretur? quanto magis putatis eam maiora mereri supplicia, quæ spretis castis immortalis sponsi nuptiis, amorem suum cuiquam carnaliter impendit? Hoc † considerantes charissimæ immortali sponso adhærete, totum amorem vestrum illi impendite: famæ vestræ, quam ex parte * maculastis, de cetero consulite: ne compellar ad vos quandoque in virga venire, & inueniam vos quales nolo, & vos me inueniatis qualem non vultis. Volò autem & præcipio in summa obedientia, vt omni hebdomada semel in conuentu vestro legatur hæc epistola, quatinus ea quæ inhonesta sunt, sollicitè cauere discatis; & quæ honesta † sunt & saluti vestræ congrua, alacriter & fortiter obseruare studeatis. Bene valete.

* ex S. Hier. in ca. nunquam dist. 5.
* al. nociuis vel lasciuis.
* S. Hieron. epist. ad Rusticū monachum, & Epiphan. hæresi 80.
Ioan. 6.
1. Cor. 10.
† nuptiali fœdere esse alicui v. c.
* al. copulata. Augustinus in Psal. 83. & can. quæ Christi ca. 27. q. 1
† Hac.
* idem reprehēdit in sanctimonialibus cœnobii sanctæ Fara epist. 70.
† deest in v. c.

EPISTOLA XI.

*Iuo humilis Carnotensium Episcopus * Gontherio fratri & compresbytero ascendenti à conualle lachrymarum, intensè cantare canticum gradnum.*

* al. Guntherio. v. c.

GAudeo te quasi postliminio rediisse, gratias agens protectori nostro, cuius misericordia te protexit etiam per marina discrimina. Nunc ergo quia incolumis es redditus fratribus tuis, licèt desiderio internæ quietis omnibus prodesse non possis, tamen vel paucis prodesse non graueris. Vnde moneo fraternitatem tuam, vt ad ecclesiam Gornacensem beatæ semper Virginis transeas: vbi & desideratæ quieti vacare, & aliquorum fratrum saluti poteris prouidere. De cætero ora pro

me frater * cariſſime, ne remigantem in altitudine maris tempeſtas ſubmergat me. Vale.

* al Kariſ.

EPISTOLA XII.

Reuerendiſſimo Patri Patrum Vrbano, fideliſſimus eius filius Iuo Carnotenſium dictus epiſcopus, non deficere in tribulationibus.

QVoniam per ſacram veſtræ manus *impoſitionem, me de ſtercore erectum diuina prouidentia ſuæ meſſis ordinauit operarium: in ipſa Dei agricultura † exercenda quantum valeo me moueo, ſed tanquam formicino greſſu incedens, præpediente imbecillitate mea, non quantum volo * promoueo: in erogando verbi ſemine, curam, prout diuina gratia ſubminiſtrat, adhibeo. Sed quia meſſis multa eſt, & ab inimico homine * multum zizaniorum priùs ſeminatum vel ſuperſeminatum eſt, paucos fructus ex meo labore capere me ſentio. Timens igitur triticum eradicare cum lolio, & tanquam de diſcretione prudentis agricolæ mihi blandiens multa tolero, multa diſſimulo. Sed rurſus †, vtrum hoc ſit virtus diſcretionis, * vel vitium remiſſionis † ſub ſpecie virtutis occurrentis, non ſatis acutè diſtinguo. In qua mentis anxietate, cùm diuinum à me ſtudioſiùs imploretur auxilium, inſufficientiæ meæ neceſſarium ac debitum à veſtra paternitate piæ orationis implorο ſuffragium. Neque enim aliqua ratione hoc onus ſubire voluiſſem, niſi veſtra præmonuiſſet ſanctitas: niſi vt id ipſum ſubirem veſtra perfeciſſet auctoritas. Paternè igitur filio vteri veſtri conſulite, paternè ſuccurrite: vt ſi quid per me diuina manus dignata fuerit operari, non meæ paruitati, ſed veſtræ poſt Deum † aſcribatur ſanctitati. Multa enim inordinata fieri video in domo Dei † quæ me torquent, maximè quòd apud nos qui * altari non ſeruiunt, de altari viuunt. A quo ſacrilegio, cùm eos abſterrere velim monendo, increpando, excommunicando; altaria à me redimere volunt ſub nomine perſonæ, ſicut * à prædeceſſoribus meis ex praua conſuetudine redemerunt. In quo maximè indigeo conſilio veſtro, ſi id tolerabile vobis videtur, vel auxilio, ſi id intolerabile iudicatur. Cætera quidem tolerabilia vel corrigibilia mihi in parochia noſtra videntur, ſi hoc conſilio veſtro & auxilio ad ordinem redigi cogeretur. De cætero notum facio beatitudini veſtræ, quòd Senonenſis archiepiſcopus * conſilio Pariſienſis epiſcopi infatuatus, adhibito * ſibi eodem Pariſienſi epiſcopo, & duobus aliis non diſſimilis vecordiæ, Meldenſi & Trecaſſino, hoc anno Stampis de ordinatione quam à vobis acceperam, me inordinatè ſatis accuſauit, dicens me * in maieſtatem regiam offendiſſe, qui à ſede apoſtolica conſecrationem præſumpſeram accepiſſe. Cùm itaque conarentur Gaufridum depoſitum * contra decretum veſtrum in ſtatum priſtinum reformare, & in me depoſitionis ſententiam proferre, ſedem apoſtolicam appellaui, & decretis apoſtolicis, quamuis ea non niſi in futurum timerent, à ſua præſumptione reuocaui: appellationem tamen nec proſequi taxauerunt, nec plenam pacem mecum habere voluerunt. Vnde neceſſarium mihi videtur, vt litteras communes tam archiepiſcopo quàm ſuffraganeis mittatis, quatinus aut plenam mecum pacem habeant, aut præſentiam veſtram, rationem inde reddituri, mecum adeant. Suggero † etiam paternitati veſtræ, vt partibus noſtris ordinetis aliquem legatum, * virum boni teſtimonij, qui non ſua quærat, ſed quæ Ieſu Chriſti. Neceſſarius enim eſſet eccleſiæ Dei, in qua quilibet quodlibet audet, * & quod audet facit, & quod facit impunitum tranſit. Aduerſa an proſpera erga vos ſint, * ſpeciali filio veſtro mandate, quatinus quantum Deus donauerit, orare ſtudeamus: vt ſi proſpera ſunt firmentur, ſi verò aduerſa pellantur. Si venerit ad vos quidam propter infamiam * de eccleſia noſtra pulſus, rogo ne de eo quicquam ſtatuatur, donec à vobis cauſa eius pleniùs audiatur. Bene valeat ſanctitas veſtra.

* ab Vrbano enim Romæ fuit conſecratus epiſcopus ſup. epiſt. 2. & 8.
† agri Dei cultura v. c.
* valeo. v. c.
* Matth. 13. Luc 3. videtur autem ſubintelligere Gaufridum de quo epiſt. 1. & à cuius crimina deſignat epiſt. 8.
† rurſum. v. c.
* al an vitii.
† deſunt in v. c.
† Dominum
† video v. c.
* al. altario v. c.
1. Cor. 9.
* al ab anteceſſorib. huc ſpectant verba concilij Aruernenſis relata in ca. quæſitum. can. 1. q 3.
† Richerius ex epiſt. 2. & 8.
* al. ſecum.
* deliquiſſe. v. c.
* ex epiſcop. dicit epiſt. 49
† deeſt in v. c.
* confer epiſt. 109.
* idem loc. epiſt. 66.
* ita v. c. vt etiam in titulo epiſt. 25. malè anteà, ſpirituali.
* iunge ep. 9.

EPISTOLA XIII.

** Rainaldo reuerendo Remorum Archiepiſcopo Iuo humilis Carnotenſium epiſcopus, conſolationis viſceribus abundare.*

* al. Rainoldo, v c. vel Ramnaldo.

EXpertus quantum ſit periculum prælatorum, iuxta quod in pſalmo * legitur: *Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt mirabilia in profundo: aſcendunt ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos* †, *anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* In quo per me minùs ſapio, veſtro cæterorumque conſilio prudentium informari vel confirmari deſidero. Nuper enim cum à Domino noſtro rege fuiſſem * inuitatus ad colloquium, quorundam maliuolorum meorum ſuggeſtione obnixè me rogauit, vt eſſem ei adiutor in celebrandis nuptiis quas facere diſponebat, de Bertreda † dicta coniuge * Comitis Andegauenſis. Ad quod cùm reſpondiſſem non ita oportere fieri, quoniam nondum eſſet cauſa diffinita inter ipſum & vxorem eius, teſtatus eſt pleniter diffinitam eſſe apoſtolica auctoritate, & veſtra veſtrorumque coëpiſcoporum laudatione. Quo audito, reſpondi me hoc ignorare, nec huiuſmodi nuptiis velle intereſſe, niſi vos earum eſſetis conſecrator & auctor, & coëpiſcopi veſtri aſſertores & cooperatores, quoniam id competit iuri eccleſiæ veſtræ ex apoſtolica auctoritate, & antiqua conſuetudine. Quoniam igitur confido de religione veſtra, nihil vos de re tam periculoſa, & famæ veſtræ & honeſtati totius regni tam pernicioſa facturum dicturumve, quòd non auctoritate vel ratione nitatur: ſtudioſiſſimè & deuotiſſimè obſecro caritatem veſtram, vt mihi fluctuanti veritatem huius rei quam ſcitis, aperiatis, & ſanum conſilium licèt arduum & aſperum ſuper hoc præbeatis. Malo enim perpetuo officio & nomine epiſcopi carere, quàm puſillum gregem Domini mei legis præuaricatione ſcandalizare. Sunt etiam latentes cauſæ, quas interim tacere me conuenit, propter quas hoc matrimonium laudare non * poſſim. Valete.

* centeſimo octauo. v. c. Pſal. 108.
† deeſt in v. c.
* aliàs, euocatus.
† al. Bertrada.
* Fulconis conſanguinei ſui, vt dicit epiſt. 211. eaſdem nuptias improbat epiſt. 14. 15. 19. & 23.
* al. poſſum.

EPISTOLA XIV.

** desunt in v. c.*

*Archiepiscopis & Episcopis ad regales nuptias inuitatis, Iuo humilis * Carnotensis ecclesiæ minister, cum spiritu consilij spiritum habere fortitudinis.*

EXemplar litterarum, quas misi Domino nostro Regi, caritati vestræ transmitto: vt eandem causam me habere sciatis, quam & vos habetis, cur nuptiis, ad quas vocati estis, subtrahere vos debetis. Vos igitur qui conuenistis, nolite fieri canes * muti, latrare non valentes: sed sicut boni speculatores videntes gladium venientem super terram, buccina insonate: vt cùm feceritis quod debetis, vestras animas, & eorum qui ad vocem buccinæ se obseruauerint, vobiscum liberetis. Exemplar autem hoc est.

** idem obijcit episcopis in fine epist. 25. Esaiæ 16. Ezechiel. 33.*

EPISTOLA XV.

Domino suo Philippo magnifico Francorum Regi, Iuo humilis Carnotensium episcopus, sic militare in regno terreno, vt non priuetur æterno.

SIcut serenitati vestræ dixi præsens ante iuramentum vestrum, ita nunc scribo absens: quia huic nuptiarum solemnitati ad quam me vocatis interesse nec volo nec valeo, nisi priùs generalis * Concilij diffinitione decretum esse cognoscam †, inter vos & vxorem vestram legitimum interuenisse diuortium, & cum ista quam ducere vultis, legitimum vos inire posse matrimonium. Si autem inuitatus fuissem ad huius rei discussionem in eo loco, in quo cum coëpiscopis canonicas securè possem conferre sententias, vbi temerariam non timerem multitudinem, libentissimè ad hoc venirem, quod lex & iustitia dictaret cum audientibus audirem, cum dicentibus dicerem, cum facientibus facerem. Nunc verò quia absolutè vocor vt Parisius * cum vxore vestra veniam, de qua nescio vtrum possit esse vxor: propter conscientiam meam, quam coram Deo conseruare debeo, & propter famam, quam Christi sacerdotem bonam habere oportet apud eos qui foris sunt, malo cum mola asinaria * in profundum mergi, quàm per me mentibus infirmorum tanquam cæco offendiculum poni. Nec ista contra fidelitatem vestram, sed pro summa * fidelitate dicere me arbitror: cùm hoc & animæ vestræ magnum credam fore detrimentum, & coronę regni vestri summum periculum. Mementote * quia primum parentem, quem Dominus vniuersæ visibili creaturæ præfecerat, mulier in paradiso seduxit, & ita vterque à paradiso exulauit. Sanson quoque fortissimus per mulierem seductus, fortitudine amissa qua hostes superare solebat, ab hostibus est superatus. Salomon sapientissimus propter mulierum concupiscentiam à Deo apostatauit, & ita sapientiam qua præcellebat amisit. Caueat ergo sublimitas vestra, ne in horum incidatis exemplum, & ita cùm diminutione terreni, regnũ amittatis æternum. Consulite ergo angelum magni consilij, vt accepto ab eo spiritu consilij, inhonesta & inutilia vitare, honesta & vtilia in omnibus negotiis vestris valeatis perficere. Valete.

** vide Annonii monach. hist. l. 6. c. 50.*
† agnoscam.
** antea Parisiis. v. c. sed Parisius legitur in vett. codd. vt etiã epist. 189. & sæpe in aliis scriptoribus illius sæculi.*
** al. in profundum maris demergi, Marc. 9. 1. Timoth. 3.*
** confer epist. 22.*
** epist. 28. monet eundem Regem, obturare auditum contra sibilum serpentis.*
Genesis 3. Iudicum 16. 3. Regum 11.
Isai. c. 6.

EPISTOLA XVI.

*Iuo Dei gratia humilis Carnotensium episcopus * Walterio Meldensium episcopo, viriliter stare in agone christiano.*

** Galterio.*

LItteris vestris per portitorem præsentium nuper ad me directis, humilitatem meam consuluit vestra fraternitas, vtrum quis habere possit eam mulierem in coniugem, quam prius habuit pellicem. Quod idcirco vobis videtur illicitum, quia apud vos hactenus fuit insolitum. Nunc verò dicitis hoc ipsum idcirco venisse in dubium, quòd Rogerius * Romanæ ecclesiæ legatus Romæ hanc consuetudinem Siluanectis asseruit, & hoc posse fieri beati Augustini sententia confirmauit. De qua re vobis respondemus quia super hoc diuersas habemus sententias, alias prohibentes, alias remittentes. Dicit enim beatus Gregorius in epistola ad Felicem Siciliæ episcopum: *Eam quam aliquis aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugiũ ducere nulli Christianorũ vel licet licebit.* Legitur quoque in Concilio Cabilonensi capitulo xxiiij. quia iuxta canonicam auctoritatem raptores ad coniugia legitima raptas sibi iure vendicare non possunt. Habemus etiam † in decreto Hormisdæ Papæ, nuptias oculte factas non esse legitimas. Et Papa Euaristus contubernia non coniugia dicit esse illarum mulierum, quæ non sunt à parentibus traditæ, & legibus dotatæ, & à sacerdotibus solemniter benedictæ. Habetur & in Concilio Aquisgrani habito, * *Qui mulierem rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit, nunquam eam vxorem habeat.* Et in hunc modum plurima reperiri possunt. E diuerso verò legimus in decretis Eusebij Papæ capitulo v. *Virgines quæ virginitatem non custodierint, si eosdem, qui eas violauerint, maritos acceperint, eo quod solas nuptias violauerint, post pœnitentiam vnius anni reconcilientur.* Dicit quoque B. Augustinus in libro de bono coniugali: * *Posse sanè fieri legitimas nuptias ex malè coniunctis, honesto postea placito consequente, manifestum est.* Quantum ergo mihi videtur, quòd quidam patres concubinas vxores fieri vetuerunt, honestatem coniugij commendantes, & fœdam concubinatus consuetudinem coërcere cupientes, rigorem iustitiæ teneri decreuerunt. Quòd verò alij aliter scripserunt, hoc intelligo, quia intuitu misericordiæ quorundam imbecillitati occurrentes, rigorem canonũ temperare maluerunt. In quibus sententiis non alia mihi videtur esse distantia, nisi ea quam inter se habent, iudiciũ & misericordia: quę quotiens in vnum negotium conueniunt, in discretione Rectorum ita consistunt, * vt habita consideratione salutis animarum, pro qualitate personarum, pro opportunitate locorum & temporũ, nunc seueritas canonum possit exerceri, nunc indulgentiam, quibus oportebit, impendi. De his hactenus. De eo quod monetis, vt pro pace vobis impetranda, dominum Regem suo tempore conueniam; secundum Comici * sententiam vobis respondeo: *quia opus est huic patrono, quem defensorem paras.* Hoc verò vobis consulo, vt coniugium * eius quod ante factum ratione resistente non laudastis, post factum nec dicto nec facto inconsultè approbetis: sed commune consilium & iudicium comprouin-

** malè antea Rogerium, cardinalem appellat. epist. 18.*
† &
** ca. placuit can 31. q. 1.*
** ca. deniquè. can. 31. q. 1.*
** epist. 55.*
** ex Terent.*
** epist. 13.*

cialium epiſcoporum & cæterorum ſtudiosè expetatis & longanimiter expectetis, & ſi quid aduerſi pro amore iuſtitiæ vobis acciderit, æquanimiter ſupportetis : hoc attendendo, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Valete.

Roman. 8.

EPISTOLA XVII.

*Iuo Dei gratia humilis Carnotenſium† epiſcopus dilectis in Christo filiis * cum ceteris fratribus ſic boni propoſiti curſum tenere, vt ad brauium ſupernæ vocationis* valeant peruenire.*

† Deo. * in vno v.c. interſtitium vacuum relictum eſt, deſunt enim propria nomina. Alij antiqui libri notant agi de fratribus eccleſiæ S. Quintini nẽpe Beluacenſis, vt epiſt. 31. & 32. * actus valeatu v. c.

QVæcumque diuerſa vel aduerſa de me vobis rumor popularis aſpergat, firma ſtat anchora ſpei meæ, fidelem habens Deum, qui omnes tentationes meas puſillanimitati meæ contemperat, & ad tolerandum fortitudinem præſtat. Vnde ſi aliquando ex humana infirmitate volitante fama, aliquorum periculorum comminatione perturbor, diſceptat aduerſum me† ratio mea, & ſi non his verbis, hac tamen ſententia : *Quare triſtis es anima mea? quare conturbas me?* Qui nunquam defuit tibi, *nuſquam deerit tibi Deus tuus ſalutare tuum. Quid eſt † epiſcopatus, niſi cruciatus ? Quid aliud eſt hic honor, niſi onus? Quid eſt † hæc ſublimitas, niſi naufragoſa tempeſtas? vnde ſi inuenta honeſta occaſione huic oneri te ſubtraheres, & tibi ſoli vacares, nullo impediente ſtadium huius vitæ percurrens, ad brauium ſupernæ vocationis expeditiùs peruenires. Aſſume ergo tibi pennas columbæ, & auolabis à moleſtiis, & requieſces, & inhabitabis in ſolitudine mentis. Ibi expectabis eum qui† ſaluum te faciet à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. In hac mea deliberatione, & quadã commodorum & incommodorum veluti libratione, plurimùm mihi placet † illa ſententia : vt ſummoperè optem mihi occaſione iuſtitiæ aliquam inferri violentiam, * vt exoneratus ſarcina paſtorali plena amaritudinis faſtidioſæ, plena curæ † nubiloſæ, vertere me poſſim quò me inuitat honeſtum otium, plenum dulcedinis nõn faſtidioſę, plenum ſecuritatis delitioſæ & luminoſæ. Sed rurſus in hac ſententia quodam modo mihi diſpliceo, timens voluntatem Dei non ſequi * ſed præuenire meo deſiderio. Et tandem ſecurè mihi conſulit ratio, vt ſicut non præueni voluntatem Dei epiſcopatum ambiendo, ſic non præueniam contemnendo, ſed voluntati eius in omnibus obnoxius de manu Domini æquo animo ſuſcipiam proſpera* & aſpera, ſecundum illud apoſtoli: *Nemo noſtrum ſibi viuit, & nemo noſtrum ſibi moritur, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt.* Ideò non audeo manus ſubtrahere ſuſcepto regimini. Non audeo officium linguæ meæ negare populo Dei, cotidiè ad conſulta animæ ſuæ recurrenti, ne plectar pœna ſerui mali & pigri. Vnde oportet me propter ſpem numeroſæ prolis, conſortiũ Liæ nocte mihi ſuppoſitæ, licet lippæ, tamdiu tolerare, donec poſt expletionem ſenarij operis ad amplexus ſpecioſæ Rachel donante Dei gratia valeam penetrare, ligat me etiam caritas cleri, deuotio populi, beneuolentia principis quæ ita ſe mihi gratuitò contulit, vt etiam Comitiſſa* me non petente, imò renuente, in manu mea, quam ſanctè ſpoponderit pro ſe & pro Comite, ſe mihi omnem fidem ſeruaturos, & in nulla perſecutione, quam pro lege Dei patiar, aliquatenus defuturos. De domino autem Rege, quod mihi infeſtus ſit, quia nuptiis * eius dicto & ſcripto calumniam quam debui feci, ſcio vos non latere. Propter quod donec hæc procella vertatur in auram, præſentiam meam non * valeo vobis exhibere, abſens verò exopto & exhortor, vt pacem ſectemini & ſanctimoniam. Hoc vouiſtis, hoc debetis, hoc & exhibetis, ſed vt exhibeatis mãgis. Per hoc bono odore diffuſo, qui hactenus à vobis proceſſit, & facultates eccleſiæ veſtræ frequentibus augmentis multiplicabitis, & euntes de virtute in virtutem vt filij * pacifici in pace in idipſum dormietis. Nec alia vobis ſcribere ſcio, niſi vt quæ à me audiſtis, & accepiſtis, & tenuiſtis, ea indefeſsè teneatis, & omnes* ad ſocietatem veſtram venientes * tenenda doceatis. Præcipuè verò memores eſtote cõmunionis veſtræ, ne ſi, quod abſit, auaritia in vobis radicem fixerit, apoſtolicę conuerſationis, qua viuere optatis, obliti cum Anania & Saphira apoſtolica maledictione condemnemini. Et quia prona eſt omnis ætas ab adoleſcentia in malum, adoleſcentes veſtros honeſtis ſemper exercitiis intentos, ſumma diligentia cuſtodite, vt caſtè nutriti ſacris poſſint miniſteriis applicari. Si quis autem inter vos ambulat inquietè, hunc mihi per epiſtolam notate, vt congregatis vobis & meo ſpiritu digna eum poſſimus ſeueritate corripere : quia non requieſcet in eo ſpiritus meus, à quo ſcandalizatur grex puſillus. Poſtremò quod monui* iterum moneo, vt aliquem ſubſtituatis loco meo : non quòd velim fraternitatem veſtram deſerere, ſed (ſi ita diuinus ordo ſe habet) † vt aliquando poſſitis ſub eo quem meo conſilio vobis præfeceritis, ſtrenuè † militare. Et quomodocunque res ſe habeat, viuens vellem de veſtra conuerſatione experimento cognoſcere quid boni poſt mortem meam de vobis ſperare audeam. De cætero orate pro me, & quomodo res veſtræ ſe habeant interiores & exteriores, & de incolumitate fratrum mihi reſcribite. Valete.

† deeſt in v.c. Pſal. 41. * al. nũquid. † tibi. v.c. † tibi. v.c. Pſal. 54. † te v.c. † mihi v.c. * confer loc. epiſt. 9. † faſtidioſæ & v.c. * al ſed conuenire meo. * al. & aduerſa Rom. 14. * Carnotenſis cuius ſæpe meminit.

* ſupra epiſt. 13. * al. poſſum. * al. pacis. Pſal. 4. * omnibus. v.c. * venientibus v. c. Act. 5. * Adi epiſt. 32. † Sequentia verba reſtituta ſunt ope veterum codicum. † vt deeſt in v.c ſtrenue deeſt.

EPISTOLA XVIII.

Iuo Dei gratia humilis Carnotenſium epiſcopus Rogerio ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinali, non deuiare à veſtigiis Petri.

QVod Simonem* de Melfa adhuc in adulterio ſuo perdurantem, ſub velamine apoſtolicæ auctoritatis ab anathematis vinculo relaxare diſponitis, quantum in vobis eſt majeſtatem apoſtolicam multùm minuitis, & famæ veſtræ non benè conſulitis. Si enim iuſto anathematis vinculo eſt ligatus, cùm iuſta vincula non diſſoluat niſi vera cordis conuerſio †; eo adhuc permanente in crimine, ad perſuaſionem quamlibet ſplendidæ perſonæ quid eſt hoc anathema deſtruere niſi ſeipſum præuaricatorem conſtituere? Si verò acceptis excuſatoriis eius ſacramentis de* abſentatione veſtri concilij, * præproperam in eum me dediſſe ſententiam cognoſcitis : (vt interim taceam quòd confeſſione culpæ veſtræ crimen eius tegitis :) huic rationi reſpondeo, quia nequaquam ex ſententia concilij veſtri, cui non interfui, cuius ſcita nec probaui nec audiui,

* quidã cod. Melphaalius Nihelfa. quod verius conſeo. Melfa enim eſt oppidulum diœceſis Carnot. vita habet v.c. † confeſſio v. c. * aliàs in duob. v.c. abſentione. in alio abſentia. * cod. put. perperam.

aliquid in eum iudicaui. Sed eo sæpe vocato & monito, & bis aut ter indultis spaciis quæ voluit, causam eius multa mora & multa lima discussi; & eo ad vltimum omnem subterfugiente iustitiam, iudiciali sententia in eum data ex lege, anathematis eum vinculis alligaui, quamdiù pœnitentiæ remedio non deleuerit maculam adulterij sui. Post aliquantum verò temporis defuncta coniuge, cui istam quam nunc habet superinduxerat, pulsatus precibus eius & quorumdam amicorum suorum, cum ei ostium misericordiæ quam flagitabat, rationabiliter *operire nō valerem; dedi ei litteras seriem eius causæ continentes ad *domnum Papam, vt cognita veritate quod inde vellet ordinaret, & mihi remandaret, Hoc responsum expecto, nec aliter mutabo sententiam, nisi aut ex ore eius audiam, aut ex litteris intelligam Quod si hoc pertinaciter & non rationabiliter vobis videor facere, paratus sum in capitulo Carnotensi, vel in præsentia domni Papæ coram positis vniuersis calumniantibus, legibus in medium datis, iustitiæ satisfacere. Valete.

*aperire v. c.
* quidam cod Dominum.

EPISTOLA XIX.

Iuo Dei gratia humilis Carnotensium ecclesiæ seruus Vuilelmo reuerendo Abbati Fiscanensis monasterij, non fraudari brauio diurni denarij.

MAgnis honestatis propugnatoribus & turpitudinis oppugnatoribus, Ioanni scilicet & Heliæ, assimilare me voluit in litteris vestris vestra fraternitas. Quorum sanctitati quamuis longè impares simus, eorum tamen vestigia honorare, mirari & imitari quātum donante Deo †possumus exoptamus. Vnde non tantum à Rege, *cuius illicito coniugio contradiximus, verùm etiam à quibusdam aliis filiis huius seculi, quorum peruersitatibus quantum possumus reluctamur, bonorum ecclesiasticorum *grauia damna perpetimur. Quorum direptionem lucri maioris compensatione per Dei gratiam longanimiter sustinemus, * & maiora si necesse sit subire parati sumus, attendentes illud apostoli: *Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Et illud: *Si compatimur, & conregnabimus*. Et quia iam instant illa tempora periculosa, in quibus impletur quod scriptum est, *Ex abundantia iniquitatis refrigescet caritas multorum*: dicendum est petris montium, *Cadite super nos, & abscondite nos ab ira agni*. quod quid est* aliud dicere, nisi in fide robustis, & sanctitate sublimibus viris in hac sententia supplicare: nostræ miseriæ misericorditer condescendite, & ne in tentationem inducamur, & iram Dei incurramus, vestris orationibus impetrate. De quibus petris quia vos & in sancta societate vestra plures esse non diffidimus, hanc à vobis apud Deum intercessionem obnixè postulamus: quatinus sic per ignem & aquam transeamus, vt in refrigerium diuino ductu educi valeamus. Nos enim publicorum negociorum tumultibus *occupati, cùm ipsis compescendis, tota die laborando sufficere non possimus, internæ quietis suauitatem vix aliquando admittimus. Raro etiam canonicum pensum determinatis horis soluere præualemus. Vos igitur & cæteri serui Dei, qui velut in portu nauigatis, oportet vt nobis orationis manus, quàm longè potestis, extendatis, & vobiscum ad optatam requiem perducere studeatis. De cætero, de fratre illo quem absolui à me postulatis, vt liberè eum in monachum suscipere valeatis, hoc vobis respondeo: quia si mores eius experimento sicut ego nosceretis, nec ligatum nec solutum eum habere *curaretis. Homo enim magnus est in oculis suis, amans primos recubitus in cœnis, primas cathedras in synagogis, salutationes in foro, quamuis mundo renunciauerit, vanitati vestium studens, locorum mutatione gaudens; ita deses, vt per decem annos non expleuerit dimidiam hebdomadam missæ in ordine vicis suæ: qui* totiens hoc facere conatus est, *quotiens desideratus honor ei à fratribus delatus non est: totiens desiuit, quotiens locum implendæ vanitatis inuenit. Quem si fratres loci absoluerint, ego eum non tenebo. Aliter autem hoc facere non valeo. Si ergo adeo vobis carus vel necessarius est frater ille, à confratribus eius hanc solutionem quærite: quia quicquid sibi licere dicat, sine vlla conditione & stabilitati loci & societati fratrum canonicæ professionis vinculis est alligatus. Vale.

† possumus v c.
* epist. 13.
* vide epist. 12. & 25. in fine.
*vt sup. epist 16.
Rom. 8.
2. Timoth. 2.
Luc. cap. 23.
Apocal. 6.
* deest in v. c.
* de quibus conqueritur epist. 6.
* al. quæreretis.
* al. toties.
* al. quoties.

EPISTOLA XX.

Iuo Dei gratia Carnotensis Episcopus clericis & laicis Carnotensibus salutem.

AVdiui primates vrbis vestræ ad inuicem coniurasse guerram se facturos aduersus Vicecomitem pro mea liberatione. Quod nequaquam mea liberatio est, *nec inclusionis meæ non solùm exasperatio, sed interminata productio. Quare ne fiat prohibeo, interdico. Nec *enim incendiis domorum, deprædationibus pauperum potestis Deum placare, sed vehementer exasperare: sine cuius beneplacito neque vos neque aliquis poterit me liberare. Nolo ergo, vt aduersum me impleri faciatis aures Dei pauperum clamoribus, lamentis viduarum. Nec *enim decens est vt, qui armis bellicis ad episcopatum non veni, *armis bellicis recuperem, quod non est pastoris, sed inuasoris. Si manus domini tetigit me, & adhuc extenta est super me, permittite me solùm ebibere miseriam meam, & sustinere iram Dei, donec iustificet causam meam; & nolite tribulationem meam aliena cumulare miseria. Decretum est enim mihi non solùm includi, vel ecclesiastico honore priuari, sed etiam magis mori, quàm per me stragem hominum fieri. Moneo igitur vos per supereminentem Christi caritatem, vt neque hoc faciatis, neque fieri permittatis. Quod tamen si feceritis, certum est quia nihil proderit vobis, cum detentor meus multos habeat adiutores, & nihil habeat quod ei auferre possitis. Recordamini quod legitur, quia Petrus seruabatur in carcere, oratio autem sine intermissione fiebat ab ecclesia ad Deum pro eo. Orationibus ergo & seueritate ecclesiastica contenti estote: quam si transgressi fueritis, scio quia ne vlterius episcopum habere non vultis. In eo enim quod semel recessistis, sicut exitus approbat, non benè mihi & vobis consuluistis. De cætero ergo contenti estote terminis quos posuerunt patres vestri: ne si his con-

* sed v. c.
* al. neque.
* al. neque.
* infrà, epist. 30.
Act. cap. 12.

tenti fueritis, quæram liberationem meam eo forsitan modo qui non placeat vobis. Valete. Deus pacis * & consolationis det vobis in hoc negotio & in omnibus aliis recta sapere & facere.

* al. & dilectionis. v. c.

EPISTOLA XXI.

*Venerabili Dei gratia Hoëllo * Cenomanensium episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensium episcopus, in Christi permanere visceribus.*

* Ita in omnibus in v. c. anteà, Boëllo.

GRatias ago primùm Deo liberatori meo * in die qua eripuit me de * manu omnium inimicorum meorum, & de manu Saul. Dehinc vigilantissimæ caritati vestræ, qua intensis orationum clamoribus dominum in naui dormitantem * suscitauit: quatinus eo increpante ventos & mare, cessaret nubilosa tempestas, & rediret serena tranquillitas. Vnde me vobis arctioribus caritatis nexibus * adstrinxistis, & inexcusabilem commodorum executorem adquisistis; sed in hoc nubilo mentis meæ plenam adhuc consolationem non habui, quòd illi sanctæ lætitiæ, quando corpus beati Iuliani translatum est, adhuc in ergastulo clausus interesse non merui. Posset autem vestra fraternitas hanc nubem cordis mei in serenitatem citò conuertere, si aliquas illius sancti corporis reliquias paruitati meæ velletis communicare. Non enim inde patrocinium loci vestri minueretur: sed fama & meritum beati confessoris pro mea occasione in Belgica prouincia, in qua meritum eius minùs notum est, publicaretur, & festiuitas eius omni anno celebriter coleretur. Mandate igitur * per fratrem istum cùm ad nos redierit, si hoc fieri possit: quatinus vel ad vos mittam, vel ipsemet, si vobis visum fuerit, veniam. Valete.

* coniectus enim fuerat in carcerem à Vicecomite, sup epist. 20.
* al. manibus v. c.
* in multis v. c. dormientem Marci cap 4.
* ita sex v c. a ... , vinculis.
* mihi.

EPISTOLA XXII.

Philippo piissimo Francorum Regi, domino suo, Iuo humilis Carnotensium Episcopus sic gubernare temporale regnum vt non amittat æternum.

QVoniam præcedente diuina gratia de stercore pauper vsque ad solium * principum per manum vestram eleuatus sum, fateor me post Deum pro posse meo cuncta vobis debere quæ vestro congruunt honori & saluti. Sed quia exasperatus propter salubres monitus * quos serenitati vestræ ex summa fidelitate & caritate direxi, me diffiduciastis, * & bona episcopalis domus diripienda aduersariis nostris exposuistis, grauia & grandia inde perpessus * incommoda, regali Curiæ ad præsens nec securè possum interesse nec honestè. Supplico itaque maiestati vestræ, vt Regia interim me mansuetudine supportetis; donec possim aliquantulum respirare, & damna quæ mihi penè vsque ad penuriam panis inflicta sunt aliqua ex parte reparare. Expecto etiam per misericordiam Dei citò futurum, vt verum esse cognoscatis illud prouerbium Salomonis: *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula blandientis.* De cætero calumniatoribus meis, quibus me respondere iubetis; cum insinuatum fuerit qui sint, & quid expostulent, respondere non subterfugiam, vel in ecclesia, si ecclesiastica sunt negocia, vel in Curia, si sunt Curialia. Bene valete.

* intelligit episcopatum, virgã pastoralem sibi à Rege intrusam dicit epist. 8.
* vide ep. 15.
* Sic loquitur epist. 173.
* confer. cum epist. 19.

EPISTOLA XXIII.

*Iuo Dei gratia humilis Carnotensium episcopus * Vuidoni Domini Regis dapifero salutem.*

* in septem veteribus exemplaribus ita scriptum est, vt etiam in titulo ep. 47. quæ habet idem argumentum. Anteà cusum fuit, Vuilelmo. Sunt etiã quædam mẽbranæ quæ nõ expresso nomine primam tantùm literam præferunt, vnde nata diuersa interpretatio.

CArissime, quia scio velle te laborare de componenda pace inter me & dominum meum Regem, multas gratias tibi reddo. Sed quia hæc pax non posset esse stabilis quamdiu voluerit in incœpto suo durare; consilium meum est adhuc expectare, si fortè Deus daret ei mentem bonam, vt vellet consilium suum in melius * commutare. Quod si facere vellet, scias omnia esse parata quæ necessaria sunt ad faciendum diuortium inter eum & nouam coniugem * suam. Vidi enim litteras, * quas misit domnus Vrbanus apostolicus ad omnes Archiepiscopos & Episcopos regni sui, vt eum ad rationem mittant: & nisi resipuerit, ecclesiastica eum disciplina ad emendationem venire constringant. Hæ quidem litteræ iam publicatæ essent, sed prò amore eius feci eas adhuc detineri: quia nolo regnum eius quantum * ex me est, aduersus eum aliqua ratione commoueri. Hæc omnia volo vt dicas domino nostro Regi, & secundùm hoc quod apud eum inueneris, mihi facias remandari. Vale.

* conuertere, vel, v c.
* Bertredam scilicet cõcubinam. de qua sup epist. 14.
* fortasse illa sunt quarum meminit ep. 25. in fine.
* al. in me est. Idem locus epist. 28.

EPISTOLA XXIIII.

Hugoni reuerendo Lugdunensium Archiepiscopo, humilis Iuo Carnotensium Episcopus, in Christi esse visceribus.

AVdiui domnum Vrbanum apostolicum legationem apostolicam tuæ credidisse caritati, qua laudabiliter functus es * tempore prædecessoris sui beatæ memoriæ Papæ Gregorij. Audiui & lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, tum propter sinceram qua te amplector caritatem, tum propter communem ecclesiæ Christi vtilitatem. Sed hanc meam lætitiam postea perturbauit quod mihi dictum est, te in tanta perturbatione humerum huic oneri nolle subponere, dissuasione quorundam dicentium, propter languidum caput, ægrotanti corpori & penè viribus * definito non posse commodè subueniri. Sed imperitorum medicorum est tale consilium, * tumores palpantium, & palpando putredines digestantium, amantium suam tranquillitatem, non ægrotantium sanitatem, nec attendentium quod veritas dicit, *Non est opus sanis * medico, sed malè habentibus.* Licèt enim in regno Italico surrexerit alter Achab, in Gallico autem altera Iezabel, quærentes altaria suffodere, prophetas occidere; non est tamen dicendum Heliæ: *relictus sum solus, & quærunt animam meam:* ne diuinum dicat ei responsum: *reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal.* Licèt ad placitum Herodis saltet Herodias, petat caput Ioannis, concedat Herodes, dicat tamen Ioannes: non licèt tibi vxorem tuam inordinatè relinquere, & contribulis tui coniugem, vel pellicem in coniugium habere. Licèt Ba-

* confirmat epist. 109.
tuum v. c.
* al. viribus destituto. v. c.
* est v. c.
* al. medicus Matth. 9.
3. Reg. 19. & ad Rom. 6. Marc. 6.

Num. 25. laam doceat Balac edere & fornicari, Phinees tamen non parcat Israëliti cum Madianite fornicanti. Licèt ad persuasionem Simonis Nero Act. 8. Petrum liget, * incarceret, non minùs tamen Petrus Simoni dicat: *pecunia tua tecum sit in *perditione.* Quanto enim studiosiùs peruersorum temeritas & audacia rectitudinis statum labefactare conatur, eo vehementiùs est eorum improbitati resistendū, & religioni Christianæ consulendum, & lamentabilibus Ecclesiæ ruinis obuiandum. Non hæc quasi ignoranti scribo: sed persuasum esse vellem tuæ paternitati, vt iterum manum ad aratrum mitteres, & de agro Domini spinas quas posses euelleres, & semina quæque messem latura superseminare non differres. Hæc hactenus. De cætero deuotissimè postulo paternitatem tuam quatinus paruitati meæ rescribas, vtrum naui periclitantis ecclesiæ, etiam penè naufragium patientis, manum adhibere disponas, & quo in loco circa initium quadragesimæ te valeam inuenire. Quædam enim ecclesiastica negotia tractanda sunt mihi cum tua prudentia, quod mihi operosum, tibi autem non erit onerosum. Vale.

* in carcere v.c.
* al. perditionem.

EPISTOLA XXV.

Vrbano summo pontifici. Iuo specialis eius filius, non seruilis timoris, sed castæ dilectionis obsequium.

AD visitandum paternitatis vestræ dulcedinem, ad releuandas cotidianas cruces meas, præsentiam vestram iam sæpè adire proposui. Sed impediente sathana votum meum 1. Cor. 15. adhuc implere non valui. Nam ad bestias cotidie pugnans, non inuenio requiem spiritui meo: & miserabiles Christianæ religionis ruinas, quibus reficiendis vix aliquis, aut nullus insudat, cum multa cordis contritione deploro. Vnde quia video me præesse, sed nulli ferè prodesse, sæpè delibero renuntiare curæ pastorali, * & ad pristinam quietem redire, vbi illum expectem, qui saluum me faciat à pusillanimitate spiritus & tempestate. Sed penè sola Psal. 54. retinet me paternitatis vestræ dilectio, cui quantum debeam nec ipse pensare sufficio. Tamen Psal. 72. nisi viderer os meum ponere in cœlum, iniuriarum aduersus eum agerem, qui septem annis pro Rachel seruienti, Liam iussit nocte supponi. Quæ saltem si fœtaret, & speciositatem Genes. cap. 29. Rachel sua fœcunditate compensaret, vix tandem ea conditione toleranda videretur, vt ad amplexus Rachel post alios septem annos perueniendi copia donaretur. Nunc verò, quia huius sterilitatem experior, & illius delectatione non perfruor, miserabiliorem omni homine me iudico: & vt tam lamentabile damnum diu tolerer *, animæ meæ persuadere non vaPsal. 2. leo. Si placet itaque sanctitati vestræ vt adhuc tolerem, cudite mihi virgam ferream, qua vasa lutea conterantur, quæ non eo modo parcat vni, vt in discrimen adducantur plurimi. Hoc ideò suggero sanctitati vestræ, quia quidam clericus * nostræ vrbis, falsis delationibus aures vestræ pietatis iam secundò pulsauit, dicens se per coniecturas accusatum, & de sola * suspectione proscriptum. Sed causa illa propter quam à clero separatus est, tam manifestis indiciis est reuelata, tam certa accusatione publicata, tam euidenti exitu comprobata, vt nemini non tantùm ciuium, sed etiam comprouincialium dubium sit, quin in domo sua falsam monetam fabricari fecerit, & in quadam ecclesia eiusdem * præpositura, quam ei * Gaufridus vendiderat, contra voluntatem omnium fratrum hoc publicum facinus, & quædam eius horrenda flagitia Deo volente vera esse probabo suo tempore in vestra præsentia. Ideò sacramentum quod mihi obtulit, intuitu caritatis nolui suscipere, sciens eum peccatum periurij peccato priori velle superponere. Tamen propter reuerentiam vestræ paternitatis * ad quam confugerat, quamuis dolosè, interim volui ei * reditus vnius præbendæ integerrimè dare, & cibum mecum in mensa, donec possem de hoc negocio in præsentia vestra agere, & consilio vestro quæ restituenda viderentur, misericorditer restituere. Ipse autem vti superbus & arrogans est, tanquam falsa dicendo perditam recuperasset innocentiam, neque mihi, neque amicis suis voluit adquiescere, nisi quæcunque petebat, & in manu mea non sunt, & ab his qui ea legitimè acceperunt, inuitis auferri non possunt, redderem integerrimè. Igitur secundum quod placuerit discretioni vestræ, aliquid tale super hoc paruitati meæ rescribite, quod huic stulto & cæteris cornua non addat, & vires meas non excedat. Ipse autem nunc ad vos venire disposueram, sed iste publicauit aduentum meum studiosissimè per totam Romani itineris viã. * Preterea quæ damna, * quas passiones, quas persecutiones intus & foris hoc anno pro lege Dei pertulerim, nota vobis facere poterit iste frater. Litteras sanctitatis vestræ securus mei periculi metropolitanis, * & eorum suffraganeis sine mora direxi: adhuc tamen tacent, tanquam canes muti non valentes latrare. Valete.

* Vide epist. 17. & 219. in fine
* tolerem v.c.
* confer lot. epist. 12. in fine
* aliàs, suspicione. v.c.
* deest in v.c.
* cuiusdam.
* de quo epist. 1.
* vestra v.c.
* al. redditus.
* deest in v.c.
* vt sup. epist. 19.
* aduersus Regis adulterium, de quibus suprà epist. 25.

EPISTOLA XXVI.

*Iuo Dei gratia humilis Carnotensium episcopus Walterio * Abbati Fossatensis monasterij, in sancto proposito viriliter stare.*

QVoniam pro gratia tibi diuinitùs collata annonam quam potes conseruis tuis fideliter administras, licet ipsos conseruos ingratos & de sua salute non satis sollicitos inuenias: non tamen sub pondere & æstu diei fatigeris, vt peracto die à patrefamiliâs diurnum denarium percipere merearis. Audiui enim à fratre tuo Raimberto * monasterij nostri * monacho, quòd exteriorum tribulationum crebra infestatione vexatus, & propter indisciplinatam monasterij tibi commissi conuersationem quodam tædio tabefactus, onus tibi impositum disponas * deponere, & in ocium te conferre, magis eligens in imo saluari quàm in summo periclitari. Et hæc forsitan bona intentio est, sed summa & frequenti libratione pensanda: ne angelus sathanæ transfigurans se in angelum lucis sub hoc pallio piæ intentiones te à rectitudinis tuæ statu deijciat, & sic paullatim ad perpetranda aliqua inordinata latenter inducat. Nam si aliquibus ibi prodesse potes, non est sanum consilium vt fratres tibi ordinatè commissos inordinatè relinquas: sed omnem sollicitudinem tuam intus & foris illis impendens bonos verbo & exemplo ad meliora prouoces, malos corrigendo toleres, omnes communiter ames. Sicut

* al. Vvlfterio. vel, Vulfepio.
* Ramberto.
* S. Quintini Beluacensis, instituti ab ipso Iuone.
* abbas consensu episcopi potest locum suum deserere, ca. abbas cau. 18. q. 2.
2. Cor. 11.

Sicut enim ait beatus Papa Gregorius: *Ibi æquanimiter *portandi sunt mali, vbi aliqui reperiuntur boni.* Si autem apud te omnes ita sunt suæ salutis inimici, vt penitus sit inutilis labor tuus; consulo fraternitati tuæ, vt relicta terra maledicta ad terram benedictam te conferas, vbi & si non alterius, tuæ saltem saluti prouideas. Sic enim propinato sibi veneno beatus pater tuus fecit Benedictus, * qui præesse his noluit quibus prodesse non potuit. Quem si imitaris, monasticæ professioni nullatenus aduersatis. Hęc pauca tibi pro multis scribere curaui, persuasione prædicti fratris tui *Raimberti, videlicet vt in hoc consilij tui summam diligenter attendas; quatinus aut cum aliquo fructu onus tibi iniunctum longanimiter feras, aut sine aliquo fructu tibi victurus deponas. Vale.

EPISTOLA XXVII.

*Iuo Dei gratia humilis Carnotensium episcopus * Eudoni Normaniæ dapifero à zelo bono non tepescere.*

QVæsiuit à me dilectio tua, vtrum contra eum qui ante ordinationem suam de symoniaca hæresi, & quibusdam criminibus apud metropolitanum & comprouinciales episcopos à te & aliis honestis pulsatus, diem statutæ examinationis anticipando subterfugit, & violentia Principis consecrationem adeptus sedi episcopali est intrusus, agere debeatis sicut episcopum, vel sicut tantummodo clericum. Ego planè hoc ad inquisita respondeo: quia licèt apud quorundam imperitiam existimetur episcopus, illis tamen non est in quorum conscientiis inuasor est & hæreticus. Vnde sic dicit Leo Papa * in epistola Rustico Narbonensi episcopo directa, *Nulla ratio sinit vt inter episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti.* Et post pauca. *Quis ambigat non esse eis tribuendum quod non docetur fuisse collatum?* Quibus verbis ostenditur, quia inuasoribus episcopalis honor nullatenus est tribuendus. non esse etiam clericatu dignos probat idem Leo in epistola * episcopis Galliæ & Germaniæ directa, sic dicens. *Sic decet fidem sanctorum patrũ seruari in ecclesia catholica, vt quod habuit amittat qui improbabili temeritate quod non accepit assumpserit.* Quos non esse sacerdotes beatus Gregorius ita confirmat in epistola* Syágrio & coepiscopis eius missa. *Quicumque sacerdotium studet precij datione mercari, non officium, sed nomen attendit; non esse sed dici tantùm sacerdos concupiscit.* Idem in epistola * ad Ciriacum episcopum Constantinopolitanum. *Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus. Et sicut scriptum est: nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Et alibi* *Sicut qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris altaribus est admouendus: sic qui vltro ambit, aut importunè se ingerit, proculdubio est repellendus.* Hinc dicit Papa Paschasius: *Quomodo tales episcopos vel abbates vel clericos deuitamus, cum quibus * si vel simus, vel oramus, excommunicationem subimus.* Quos quidem sacerdotes esse saltem credere, omnino errare est. De quorum repulsione etiam in canonibus Parisiis promulgatis * ita habetur: *Si per ordinationem regiam istius honoris culmen aliquis peruadere nimia temeritate præsumpserit; à comprouincialibus episcopis, nullatenus recipi mereatur, quem indebitè ordinatum cognoscunt.* Inde ait beatus Ambrosius in libro pastorali. *Oculis carnalibus videtur episcopus quasi magnus, sed diuinis obtutibus est leprosus, qui per pecuniam adquisiuit indebitum ordinem.* Hinc & beatus martyr Cyprianus: *plebs obsequens * dominicis præceptis, & Deum metuens, à peccatore sacerdote separare se debet, cùm habeat potestatem dignos eligendi, & recusandi indignos: quia in lege ostendit dominus ordinationes sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente vel malorum crimina detegantur, vel bonorum merita prædicentur.* Si igitur rationes vestræ constant, constat non esse agendum contra eum vt episcopum, ** quem prædictæ auctoritates episcopum esse non sinunt. Nam sicut dicit Papa Bonifacius: *manifestũ est confiteri de crimine, qui indulto & delegato iudicio purgandi se occasione non vtitur.* Præterea secundum consuetudinem Romanæ ecclesiæ aliter agitur contra Symoniacam & neophitorum * hæresim, quàm aduersus cætera crimina. Nam cùm in aliis accusationibus, accusatorum & testium innocentia quæratur, ad insimulationem talium etiam infames personæ admittuntur. Possem quidem latiùs ista dixisse, & multa similia ad huius sententiæ confirmationem de authenticis scripturis collegisse: sed propter vitandam prolixitatem epistolæ, nunc ista sufficiant. De cætero suadeo dilectioni tuæ, vt in causa ista non facilè te committas illorum iudicio, qui in huius inuasoris depositione suum attendunt imminere periculum. Sicut enim dicit beatus Leo, * *qui episcopi talem consecrauerint sacerdotem, qualem esse nõ liceat, etiamsi aliquomodo damnum proprij honoris euaserint, ordinationis tamen ius vlterius† non habebunt, nec illi sacramento intererunt, quod neglecto diuino iudicio immeritò præstiterunt.* Si ergo secus quàm iustitia se habet, tibi iudicatum fuerit, iudices ipsos ad apostolicam inuita audientiam, sine qua huiusmodi negocia commodè finiri non possunt. Ego autem * domno Papæ litteris meis commendabo causam vestram, si legati vestri * per me transierint. De ipso verò Papa de quo quæsisti, hoc tibi dico, quia mense Nouembri * cum eo Romam pacificè intraui: mense Ianuario ibi eum dimisi. Ibi adhuc moratur, & aduersariis Romanæ ecclesiæ, quantum Deo donante præualet, * obluctatur. Valete.

[Left margin notes:] *…cau.24. q.4* — *S. Gregor. dialog lib.2. c.3.* — *Ramberti. c.* — *in vno v. c. Eudoni in a… Reudoni.* — *epist 90. c.1. in ca. 1. dist. 62.* — *epist. 86. … d in ca. sic … cet cau.25. … 2. tribuun… r Syluerio … papæ.* — *epist 110. … 7. vide … rat. sub tit. … irit. emere … u.1. q.1. … epist. 169. … 6.* — *… ebr. 5.* — *Gregor. lib. … epist. 110. … Syagriũ. … in ca. sicut. … u. 1. q. 61. … de episc. … cler. c.* — *in vno cod. … vel simul … amus ex… … mmunica… … ni subieci… … r. ita ms c.*

[Right margin notes:] ** cap. 8. concilij Parisiensis 1. & in ca. 5. distinct. 63. in sex duntem vett. codd hic scriptum Parisij.* — ** vnus v. c. diuinis lib. 1. epist. 3. & 4. vide ca. plebs & seqq. distinct. 63.* — ** al. quoniam.* — ** Gratia distinct. 48.* — ** epist 85. ad episcopos Africanos, & refertur in ca. 24. si qui. cau. 25. q. 2.* — *† deest in ms. c.* — ** al. domino.* — ** sic in omnibus libris vt epist. 88.* — ** al. Nouembris.* — ** confer locum initio epist. 43.*

EPISTOLA XXVIII.

Philippo Dei gratia magnifico Francorum Regi, Iuo humilis sublimitatis suæ clericus, sic se regere vt regi regum valeat complacere.

EXcellentiæ vestræ litteras nuper accepi, quibus submonebar vt apud Pontesium vel Caluum montem cum manu militum vobis die quem statueratis occurrerem, iturus vobiscum ad placitum quod futurum est inter Regem Anglorum, & Comitem Normannorum quod facere ad præsens magnæ & multæ causæ me prohibent. Prima, quia domnus Papa Vrbanus interdicit vobis auctoritate apostolica * thorum mulieris quam pro vxore ha-

** vide epist. 211. & 46.*

betis, & quia sacramentum de securitate* concilij quod vobis mandauerat, fieri vetuistis. A cuius commixtione si à modo non cessatis, separat vos eadem auctoritas à participatione corporis & sanguinis dominici*. Interdicit etiam omnibus episcopis, ne capiti illius mulieris coronam imponant, quam, vt vbique penè terrarum dicitur, lateri vestro illicitè copulastis. Parcens igitur maiestati vestræ dissimulo vestram adire præsentiam, ne sedis apostolicæ iussione compulsus, cui vice Christi parere me oportet, quod nunc dico in aure, cogar in vestris & multorum auribus publicare. Ego autem nolo vos scandalizare, vel Regiam majestatem vestram minuere, quamdiu possum aliqua honesta ratione dissimulare. Prӕterea casati ecclesiæ & reliqui milites penè omnes vel absunt, vel pro pace violata excommunicati sunt; quos sine satisfactione reconciliare* non valeo, & excommunicatos in hostem mittere non debeo. Postremò nouit vestra serenitas, quia non est mihi in Curia vestra plena securitas, in qua ille sexus* mihi est suspectus & infestus qui etiam amicis aliquando non satis est fidus. Expecto igitur vt aliquando cor vestrum illustrante diuina clementia, contra sibilum serpentis auditum* obturetis, & monitis salutis aures cordis aperiatis. hoc desidero: hinc ante Deum cotidie preces* effundo. Valete.

* confer loc. epist. 35.
* dominici ms. c.
* sic in sex v. c. aliàs, non audeo.
* ob Bertredam, cuius inimicitias memorat epist. 50.
* vide epist. 15.
* al. fundo. ita ms. c.

EPISTOLA XXIX.

Iuo humilis Carnotensium episcopus, Rogerio confratri & compresbytero salutem.

QVoniam sub disciplina & timore domini à pueritia tua nutritus es, & eruditus, & in excessibus regularis vitæ tam verborum quàm verberum seueritate correctus; non tantum ad presbyterij dignitatem promotus es, sed etiam nomen tuum in tantam enituit claritatem, vt opinio tua non tantùm inter eruditos sed etiam celebris fieret inter Dei seruos. Vnde quidam quærentes bonas margaritas, postpositis aliis multis æquè vel plus nitentibus te tanquam singulariter preciosam margaritam sua* existimatione repererunt, & tanquam lucernam ardentem & lucentem, vt in domo Dei luceres, te super candelabrum posuerunt. Quis ergo te fascinauit, quis oculos tui cordis excæcauit, vt flagitium hoc quod tibi imponitur, non tantùm non perpetrares, sed ne saltem de te probabiliter cõfingi posset, modis omnibus præcaueres? Putabam concupiscentiæ carnalis ardorem flumine lacrymarum tuarum medullitùs in te refrigeratum: & si quid ille ignis vrens aliquando reliquerat in conscientia tua cauteriatum, putabam frequenti sacræ scripturæ meditatione tanquam temperatiui malagmatis superpositione malaxatum, & cœlitus infusa sancti spiritus vnctione curatum. Putabam quod angelus primogenita* Ægyptiorũ percutiens, domum tuam in vtroque poste signatam inter Hebræos pertransisset, & primogenita tua intacta reliquisset. Nunc verò publicus rumor est, te esse reuersum* in Ægyptum, & hoc primogenitum, quod est castitas, malleo vniuersæ terræ miserrimè* in te esse contritum. Hic oculis meis penè cotidianus fletus occurrit, hic iam mihi à tergo reuertitur, hic à dextera & læua frequenter auribus meis quasi nouus infertur. Hoc deuotarum muliercularum submurmurat & circunfert curiosa loquacitas. Hoc eremitarum contristat habitacula. Hoc monasteriorum quasi commiserando mirantur conuentus. Hoc quasi argumentum ad defensionem suarum abusionum subsannando sibi adsciscunt quidam ecclesiarum cœtus. Hoc audiens & ideò altè ingemiscens, ampliùs sustinere non valui, quin dolorem tibi mei cordis effunderem,* & de mea tristitia te salubriter contristarem. Suadeo ergo tibi, seu vera, seu veri similia sint quæ dicuntur,* vt à candelabro cui superpositus es, inuenta honesta occasione descendas: * ne amodò fumum magis quàm splendorem circunstantibus effundas. Si enim vera sunt, apud auditores tuos reprobus est sermo tuus: & qui flagitiorum tuorum sarcina premeris, aliena non corriges. Si autem tantùm verisimilia sunt, nec sic tamen proficies: quia famam tuam neglexisti, quam propter vtilitatem proximorum tuorum immaculatam conseruare debuisti. Quòd si honore gaudens, & * quærens tua, præesse magis desiras quàm prodesse: conuentus ille pauperum fratrum tibi commissus, non tantùm per manum tuam vltrà non multiplicabitur, sed etiam cotidianis defectibus ad nihilum redigetur. Quòd si hoc consilium meum ad præsens videtur tibi importabile, obtestor te per tribunal æterni iudicis, ante quod stabis, vt saltem nunc* vtili rubore suffusus, amodò suspectarum personarum colloquia fugias, familiaritatem perhorrescas: ne illud propheticum iure* objiciatur tibi, *facies meretricis facta est tibi.* *Noluisti erubescere.* In futuro autem sublatus à facie iudicantis, tradaris ministro puniendus sine respectu miserantis. Non vt confundam te hæc scribo, sed vt filium * carissimum moneo, vt saluti tuæ prouideas, & prauo exemplo mores simplicium non corrumpas. Vale.

* vnus cod. æstimatione.
* al. Ægyptum. Exod. 12.
* al. ad Ægyptũ ms. c.
* quidam, intriisse cont.
* cod. S. Ger. infunderem.
* al. vt de Matth. 5.
* idem consulit Aldeberto, epist. 277.
* tua. ms. v.
* al. vtili rubore perfusus.
* in vett. codd. objiciatur, vt sæpe alibi.
* Iere. cap. 3.
* al. Kar.

EPISTOLA XXX.

Fulceni Dei gratia Beluacensium episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensium episcopus, in aduersis fortitudinem, in prosperis humilitatem.

QVoniam diabolus aduersarius noster tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, fraternitatem vestram familiari exhortatione commoneo, vt fallaces eius circuitus omni vigilantia cauere studeatis: quatinus propositi & officij vestri memor mundanam superbiam non * armis mundanæ malitiæ, sed armis Christianæ militiæ superare valeatis. Suadendo etiam consulo, & consulendo suadeo, vt contra mandata * domni apostolici, & legati eius Lugdunensis archiepiscopi,* vbi restat adhuc anchora aliqua spei nostræ, nulla ratione caput erigatis, si post quantascunque procellas ad portum peruenire cogitatis. Exemplar litterarum quas misit mihi domnus Papa de causa Regis, postquam legati Regis nuper discesserunt * ab eo, vobis transmitto: vt sciatis quia domnus Papa & si non antecedit, non tamen retrocedit. Valete.

1. Petri 5.
* in aliquot vett codd. præfigitur capitulum sequens non laudabat vt episcopus armis debellaret superbos.
* in hanc sententiam epist. 20.
* al. Domini.
* Hugonis, de quo epist. 24.
* confer epist. 28.

EPISTOLA XXXI.

Desunt in MS. Codice.

Fulconi Dei gratia Beluacensium episcopo, Iuo eadem gratia humilis Carnotensium episcopus, grauitatis anchora se in sancto proposito retinere.

QVoniam tam scientia quàm experientia noui, prælatos in congregatione sibi commissa assiduos esse debere, postquam placuit ei qui ad conuiuium suum me inuitauerat, vt recumbenti mihi in loco humili diceret, *ascende superiùs*, frequenter monui fratres * mihi commissos, vt de confratribus suis vel aliunde si ita eis complaceret, prælatum sibi eligerent, qui eos in disciplina sibi tradita posset custodire, & ad ascensiones in corde de valle lacrymarum cotidianis monitis subleuare, ne lupus inuisibilis aditum inueniens ouile Domini ingrederetur, & oues dominicas aut extra raperet, aut intus occultis morsibus strangularet. Quod cùm hactenus suis de causis ab eis dilatum sit, nunc tandem adquieuerunt monitis meis, & disponunt aliquem secundùm quod mentibus eorum inspirauerit Deus sibi præficere, qui pro viribus sibi collatis in necessitatibus eorum studeat eis tam spiritualia quàm corporalia ministrare. Ea igitur hora qua litteras istas acceperitis, per easdem litteras, licèt absens corpore, præsens tamen spiritu, depono in manu vestra prælationem quam hactenus habui in ecclesia beati Quintini, toto desiderio expostulans, vt quem congregatio illa concorditer vel pars sanioris consilij regulariter sibi præferri postulauerit, in eo loco & ordine in quo ibi eram, substituatis, & substitutum in anxietatibus suis pro officio vestro paterna consolatione releuetis. Ego tamen & si depono prælationem, non desero illius ecclesiæ societatem, in qua aliquando potero vobis esse vtilis, si Deus reddiderit pacem seruis suis. Valete.

...uc. 14. In aliquot ...eteribus co...dicibus habe...ur capitu...um sequens. ...uomodo ...rælationem ... Quintini ...eposuit in ...anu episco...i; conferen...a est cum se...uente.

EPISTOLA XXXII.

*Iuo Dei gratia Carnotensis ecclesiæ seruus, * vestræ autem societatis fidelis frater, confratribus suis deuotum fraternitatis obsequium.*

...ic concep... ...est titulus ...vett. codd. ...oquitur ...tem cano...os ecclesiæ ... Quintini ...uacensis. ...conferen... ...unt epist. & 31.

SIcut nauis præsentia gubernatoris destituta, licèt bonos habeat nautas, & reliquos nauis adiutores, licèt etiam prosperum habeat ventum, tamen aut fluitat, aut fluctibus immergitur, aut scopulis illiditur, & sic planctum magis inuenit quàm portum: sic ecclesia Dei, Rectoris * sui præsentia viduata, multis modis in hoc mundo tanquam in mari naufragoso periclitatur, & ab aditu æternæ quietis, tanquam ab introitu portus, aut diu differtur, aut in æternum remouetur. Quod ego attendens, sicut sæpe monui, * ita nunc moneo, & licentiam do, vt vobis rectorem regulariter eligatis, quem sicut patrem animarum vestrarum omni honore dignum habeatis, cuius salutaribus monitis cum omni humilitate in omnibus obediatis. Nolo enim cum periculo meo & vestro vobis præesse & non prodesse: terram occupare, & messem quam terra culta latura est, vmbra mea * præfocare. Malo vos † viuentes videre sub alieno regimine, quàm lugere mortuos sub prælationis meæ velamine: habere vos fratres ordinatos, quàm filios incompositos. Nolo enim sine causa laborasse in vobis, quos materno affectu de veteri homine in nouum mediante Dei timore generaui: quos geminorum vberum lacte vsque ad solidi cibi perceptionem educaui: quos ita vnicè dilexi, vt cum gaudentibus gauderem, cum dolentibus dolerem, cum infirmis infirmus fierem: quorum onera tanta mansuetudine supportaui, quanta parentes filios carnis suæ tolerasse vix possunt inueniri. Cùm ergo impediente nescio qua Dei dispositione * ex maternis vberibus lac sumere non possitis, quærite vobis matrem adoptiuam, de cuius vberibus lac sugatis: ne aliqui vestrum ante tempus ablactati, matrem quam expectant non inueniant, & sic ad solidam escam non perueniant. In eligendo itaque omnes in commune consulite: vt nemo ibi priuatam occasionem attendat, nemo de priuata excellentia intumescat, nemo contentiosus existat, nec illi humiliter subdi refugiat, quem fraterna concordia prouisa vtilitate sibi præferri expostulat. Qui tamen tanto nunc diligentiùs à vobis est discutiendus, quanto postea non reprehendendus, sed ab omnibus æquanimiter est tolerandus. Nolo autem certam vobis designare personam, sed habere liberum electionis arbitrium: vt electum vestrum eo æquanimiùs toleretis, quo eum voluntariè vobis prætuleritis. Hoc * tamen in fraternitate vestra retineo, vt quem de fratribus mecum habere voluero, mihi sicut patri filium transmittatis: & sicubi eum manere voluero, sine scandalo cōcedatis. Qua in re non est † vobis formidandum, quia satis in hoc seruabo modum. Hoc etiam apud vos interim volo habere priuilegium: vt si † quæ, quod absit, inter prælatum vestrum & aliquem de fratribus orta fuerit contentio, & aliqua intemperantia zeli aduersus alterum alter exarserit, si hoc commodè per vos sedari non poterit, non priùs ad aures publicas causa hęc prodeat, quàm ad me deferatur: vt studeam vel immoderatum zelum illum temperare, vel demum canonicæ seueritati vires dare. Inexpertus enim auriga dum nescit fræna moderari, primo cursu cogit equum acceleratione lassari. Cùm ergo sit ars artium, onus onerum, regimen animarum, postquam vsu ipsius artis edoctus fuerit vester prælatus, quid debeat dissimulare, quid debeat in * promtu vindicare; tunc iam suo & vestro iudicio contenti, poteritis omnia commodè negocia vestra commodare. Quicumque autem ille sit, talem eligat fraternitas vestra, qui sciat de thesauro suo proferre noua & vetera, qui etiam nouerit mores vestros, cuius mores & vos non habeatis ignotos. melius enim sibi inuicem cohærent lapides, qui frequenter collimati, inęqualitatem suam deposuerunt frequenti limaturæ exercitio. Quòd si forsitan contigerit eum in causis exterioribus * minùs esse exercitatum, ad disponenda omnia sibi commissa, iuuabit eum bona conscientia & bonum testimonium. Ipse etiam faciat sibi Prępositum, qui consilio eius & vestro omnia exteriora disponat. Ipse autem * intus secūdum traditionem sanctorum Patrum vacet orationi & lectioni, & nutriendæ fraternæ dilectioni. Multa loquor, sed quasi nunc demum

...mus cod. ...oris sui.

...t suprà, ...t. 17.

...nus cod. ...care. ...idere MS.

* *al. dispensatione à mat.*

* *al. tantùm.*

† *deest in MS. C.*

† *deest in MS. c.*

* *vnus v. c. promptu.*

* *in ca. Petrus distinct. 39.*

* *solus cod. Put. interim.*

vos ablactans vellem vos in omnibus esse instructos: vt quæ sunt * recta sapiatis, & rectè intellecta, opere impleatis. Sed * quia ad hoc non sufficitis, consulite angelum magni consilij: vt consilia vestra dirigat, & * ad bonum finem perducat. Deus patientiæ & solatij sit vobiscum. Valete.

* al. bonn. * al. si ad. * v. c. S Vict. ad bonum finem.

EPISTOLA XXXIII.

Lamberto Dei gratia Atrebatensium Episcopo, Iuo ecclesiæ Carnotensis † seruus, syncera dilectionis munus.

† ecclesia ms. c.

SI tanta esset nobis conuicinitas locorum quanta est animorum, frequenter vellem tuo dulciloquio mulceri, tua consolatione refoueri. Desiderarem tibi frequenter æstus meos effundere, perturbationum mearum crebras incursiones tuis orationibus propulsandas ostendere, amissam quietem spiritus tecum sæpe deflere: in qua licebat aliquando diuini verbi mensa gustare, * diuini amoris dulcedinem apposita diuini verbi mensa gustare. * Sed quoniam & tu iubente Deo remigasti in altum, vt laxares retia in capturam, amodò poteris ex tuis mea pensare pericula, qualia prælatos in profundo experiri pronunciat psalmista: *ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.* In quibus periculis vnum est singulare consilium, quatinus toto affectu clamemus ad Dominum, cui mare & venti obediunt, vt procellam nostram conuertat in auram, & sileant fluctus eius. Quòd si Dominus in naui dormiens, vt experiatur sustinentiam nostram, moram fecerit, sustinentes sustineamus: quia veniet, & supra sustinentiam nostram tentari nos non permittet. De cætero * carissime læta tua, tristia tua communica suo tempore diligenti & dilecto: quia læta & tristia tua mea sunt, sicut mea tua esse non ambigo. Vale.

* sic v. c. antea, cogitare. — Psal. 106. — Matth. 8. — 1. Cor. 10. — * al. Kar.

EPISTOLA XXXIIII.

Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ seruus, Roberto iam bonæ spei fratri, ascensiones in corde.

QVoniam sicut quorundam relatione didicimus, iam vilescit tibi mundus, & omnis vana spes eius, credimus quia propitia diuinitas inchoauit in pectore tuo templum suum, & locum sanctum habitationis suæ: vnde bonorum omnium largitori, à quo fit hæc de vetustate in nouitatem laudanda mutatio, grates exsoluimus, & bonis principiis fœlicem pronectum & bonum exitum conferri * ab eodem omnium bonorum largitore postulamus. Tu igitur carissime, * adiuuante diuina clementia sollicitè caue, ne immundus spiritus ad te reuertens, domum quam reliquit, intus vacantem, & foris ornatam inueniat, & secum alios septem nequam spiritus virtutum specie palliatos inducat, sicque nouissima tua peiora prioribus efficiat. Contra spirituales itaque nequitias pugnaturus, si securus vis pugnare, castris Christi militum ordinatè pugnantium te insere: ne si singulari certamine contra exercitatos inexercitatus pugnare * contenderis, innumera aduersariorum tuorum multitudine comprimaris. Postquam verò spiritu consilij & fortitudinis armatus calliditates antiqui hostis euitare consueueris, * iam exercitatior in spirituali certamine poteris solus, si ita contingat, contra quoslibet hostes certamen inire, quorum impetus didiceris sustinere in acie. Vnde dominus noster Iesus Christus discipulos nondum Spiritu sancto confirmatos, & adhuc spiritualis certaminis expertes admonuit † dicens: *Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Possem fraternitati tuæ hunc in modum multa scribere, sed quia tu per te sapis, hoc præ cæteris obsecro, vt qui iam de tuis Deo in membris eius cœpisti offerre sacrificium, principaliter ei de te offerre studeas holocaustum, ne si aliter, quod absit, féceris, dicatur tibi: * *Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti, cùm tua tribuas, & teipsum tibi retineas.* Vale.

* ita omnes v. c. anteà, proferri. — * al Kariss. — Luc. 11. — * al. contendit, ita ms. c. — * al. idem exerc. — † admonet v. c. ms. — Luc. 24. — * citat & explicat ep. 47.

EPISTOLA XXXV.

*Richerio Dei gratia sanctæ matris Ecclesiæ Senonensis archiepiscopo, Iuo Ecclesiæ Carnotensis † seruus obedientiam secundum * constitutiones patrum, & cæteris coepiscopis in vrbe Remensi congregatis fraternæ dilectionis obsequium.*

† ecclesiæ. — * ita omnes v. c. antea consuetudines.

SI diuinæ legis fuissetis memores, cuius debetis esse doctores atque tutores, non contra † sanctorum Patrum instituta me inuitassetis ad concilium, præsertim cuius facinus ignoratis aut flagitium. Primò, quia inuitauerunt me quidam episcopi nõ comprouinciales mei, qui sine auctoritate apostolica mei iudices esse non debent: cùm peregrina iudicia nullius esse momenti decretorum pariter & canonum generali sanctione decernat * auctoritas. Secundò, quia admonitione metropolitani mei protrahere nitimini causam meam extra prouinciam. Quod cum multis sanctionibus sanctorum patrum præcisum sit, vnam ex multis beati Stephani Papæ & martyris producam ad medium, quæ tanquam gladius biceps vtriusque intentionem reuerberet, inuitantis scilicet & accusantis. Dicit enim beatus Papa. * *Vltra prouinciæ terminos accusandi † licentia non progrediatur: sed omnis accusatio intra prouinciam audiatur, & à comprouincialibus terminetur, nisi ad apostolicam sedem fuerit tantum appellatum.* Et. * *neganda est accusantibus licentia criminandi, priusquam se crimine quo premuntur exuerint.* Postremò quia non de veritatis tramite, sed de odij fomite * mea procedit accusatio, apostolicam sedem appello. quòd omnibus in crimine pulsatis apostolica concedit auctoritas, vt per se, aut per vicarios suos loco & tempore, quod mihi præscripserit, causam meam discutiat, & cùm peroratum fuerit, legitimam sententiam proferri præcipiat. Neque hoc bene mihi conscius causa vitandi iudicij facio; cum manifesta & breuis sit mea purgatio de crimine periurij, qui nulli hodie viuentium aliquando iuramentum feci. Sed nolo exemplum esse cæteris recedendi ab ordine, neque sanum est consilium † pro incerto commodo vel nullo, certis periculis me opponere. Conductum enim à Domino meo Rege * quæsiui, nec habere potui.

† instituta ms codex defuit in ms — * al. decernit. vel decreuit refertur in ca. peregrina, cum seq. cau. 3. q. 6. — * Stephani Papæ epist. — † accusantis ms cod. sic dem. — * l. negandi C. qui accusare non poss. ca. 1. caus. q. 11 — * à pseudo episcopis fatigatum dicit epist. 6. — † est. — * confer locum epist. 21.

Quantum verò ex intentatis minis intelligo, non liceret mihi in conuentu vestro impunè dicere veritatem; qui pro iam dicta veritate, & apostolicæ sedis obedientia tantam sentio, iam seueritatem, vt periurium arguar incurrisse*, & maiestatem regiam minuisse. Quod vt pace vestra dicam, rectiùs in eos retorqueri potest, qui vulnus fomentis incurabile, *tanquam pij medici cauteriis competentibus dissimulant vrere, vel medicinali ferro præcidere. In qua sententia si mecum firmiter fuissetis, iam ægrotum nostrum ad sanitatem perduxissetis. Quod quamdiu distulistis, videte si fidelitatem quam debetis pleniter exhibetis, si officij vestri munus expletis. Faciat ergo * dominus Rex aduersum paruitatem meam, quantum Deo permittente libuerit & licuerit. includat, excludat, proscribat: inspirante Dei gratia & prosequente, decreui pati pro lege Dei mei, nec vlla ratione cogente volo ei * consentaneus in culpa esse, qui nolo esse consors in pœna. Angelus magni consilij, & spiritus fortitudinis sit vobiscum, vt recta sapiatis, & recta faciatis. Valete.

deest in ...s.
loquitur de ...ptiis Philippi Regis ...m pellice ... quibus ...ist. 13.
...cuius odia ...r decenniũ ...lerasse scri...t epist. 141.
...esse MS. c.

EPISTOLA XXXVI.

Reuerendo confratri Petro Pictauensi Episcopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, sic bona plantare, vt non studeat bona conuellere.

Si fraternitatem vestram in ius vocare possemus, quantum saluo caritatis vinculo fieri posset, iure à vobis multas expostularemus iniurias, partim communes, partim proprias: proprias, quia clericum in diœcesi * nostra Deo militantem, & pro pulcritudine & dulcedine vitæ contemplatiuæ, fonti vitæ totis desideriis inhiantem, ad publicum prodire, quietem suam interrumpere, nostra admonitione, nostra auctoritate compulistis. Quem cum vobis ad regimen cuiusdam regularis ecclesiæ * diœcesis vestræ, vestris epistolis crebrò compulsi concessimus, & canonicè electum ab ipsa ecclesia transmisissemus, non satis aptam à vobis passus est repulsam, qui præpostero ordine tunc de eius prælatione disceptare cœpistis, quando iam facta à fratribus & collaudata à vobis eius electione, in prioratus sui sede eum sublimare debuistis. In quo & illi fratri non modicam intulistis verecundiam, & amico * vestro non minimam fecistis iniuriam. Non enim erat tanta precum instantia ab amico postulandus, qui ad iniuriam doni & donantis tam facilè mutata sententia fuerat refutandus. Nec satis tuentur vestram fraternitatem litteræ domni Papæ, quibus dictandis à latere interfuimus, * quæ confirmant abbati sancti Cypriani ius illud prædictæ ecclesiæ, quod se habere dicebat ex legitima concessione quorumdam monachorum, qui (vt audiuimus) quietam possessionem clericorum approbant, monachorum verò sancti Cypriani intrusionem prorsus improbant. Ad hoc enim prædictus abbas modis omnibus nitebatur, vt prædictæ ecclesiæ prioratus ei à domno Papa concederetur. Quod domnus Papa nobis reclamantibus, & libertatem clericorum pro posse nostro defendentibus facere noluit: præcauens, sicut ipse dicebat, ne sub hac occasione prædictus abbas clericos moliretur excludere, & monachos suos intrudere. Clericorum autem ordini publicam infertis iniuriam, qui monachorum ordinem ad tam ruinosam superbiam erigitis, vt clericos * eis subiugare studeatis: quorum tanta debet esse excellentia, vt secundum beatum Augustinum, * *vix etiam bonus monachus bonum clericum faciat.* Sed quia clericus ista dixit de clericis, audiamus monachum dicentem de monachis. Dicit enim Hieronymus: * *monachus non docentis, sed dolentis habet officium.* Et alibi: *clerici oues pascunt: ego pascor.* Et alibi: *Si cupis esse quod diceris monachus, id est solus, quid facis in * vrbibus? quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum. Habet vnum quodque propositum principes suos. Et vt ad nostra veniamus, episcopi & presbyteri habeant ad exemplum apostolos & apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilarios, Macharios.* Et alibi: *Mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est. Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* Possemus in hunc modum multa colligere de priuilegio clericorum, & subiectione monachorum, nisi vitaremus prolixitatem epistolæ. Nec tamen ista dicendo, monachorum religioni detrahimus: immò vt veri monachi sint, id est, vt verè singularem sectentur vitam, totamente desideramus, Laudamus quidem eos & beatos esse profitemur, si non transgrediantur terminos à patribus suis positos: & tunc magis esse beatos, cùm subesse magis studuerint quàm præesse, cùm humilitas & obedientia sit eorum summa prouectio, ambitio verò & superbia lamentabilis * deiectio. Hæc & his similia diligenter attendite, & ordinem clericorum, in quo estis, & cui Deo auctore præestis, ad meliora prouocando honorate, & nulli alij ordini eum contra morem ecclesiasticum subiugari permittite. Vale.

v. c. diœ...si.
al. diœcesis.
sic v. c. id ...Iuoni ma...antea, no...ro.
ita hic lo...us restitutus ...e v. c. Adi...ot.
** ei ms. c.*
** epist. 76. ad Aurelium: & refertur in ca. legi. 36. causa 16. q. 1.*
** lib. aduersus Vigil. & lib. de instit. monachi, & lib. de laude vitæ solit.*
** Gratia sub causa 16. q. 1.*
Prou. 22.
** & superba MS. cod.*

EPISTOLA XXXVII.

Iuo Carnotensis Ecclesiæ seruus, Roberto in Christo dilecto fratri, memorem esse vxoris Loth.

Gloria misericordi & sapienti Deo, qui cor tuum * inanitum inflatum, sagittis acutis vulneratum, ad tantam humilitatem perdomuit vt iam ad petras montium confugias, & ab ira agni abscondi desiderans ab eis vitam salutis ardenter inquiras. Et quia decorem domus Dei diligere, & de valle lachrymarum ascendens canticum graduum cantare cœpisti, quod ipse per te nosti, solum hoc superest, vt cum apostolo quæ retrò sunt oblitus in anteriora te extendas, donec ad montem Bethel virtutum ascensione peruenias vbi dilectum fugientem desiderij lacrymis prosequaris, & aliquando reuertentem interni * amoris brachiis complectaris. Sed quis sit aptus vitæ modus, vel quis locus ad ambulandum in via Dei sit eligendus sic affecto vti nunc es, nec tua fraternitas quæsiuit, neque ipse scire possum, nisi me pulsante ad ostium cordis tui, tuos æstus ipse proferres, & in quo vetus homo resistat, quominus nouum hominem perficias, simpliciter aperires. Quod licet

** al. inaniter.*
Apoc. 6.
** internis ms. c.*

aliqua ratione impediente ad præsens fieri non contingat, Deum tamen pro amabili fraternitate tua rogabo, vt qui in pectore tuo templum suum inchoauit, ipse perficiat: simul exhortans, vt certum vitæ modum, quem Deus tibi † ipse inspirauerit, eligas: in quo humilitatis viam * sub obedientiæ fræno insistas, & experimento simul & exemplo vitæ tuæ moderamen addiscas. Sic enim decens est, vt ab imis inchoans ad summa proueharis, non vt à summis incipiens ad ima dilabaris. Quòd cum nostris temporibus de quibusdam † ipse videris & audieris, exemplo illorum te oportet esse * correctum, vt non simile incurras retrogradationis opprobrium. Plumesce igitur in nido, antequam voles in altum: vt solidatis virtutum pennis possis alas in actiuæ vitæ moderatione deponere, & easdem in altitudinem contemplationis eleuare. Vale. apud fratrem Lambertum habe me excusatum: quia nondum mihi scribere licuit quæ voluit. Scribam autem quæ Deus donauerit, cum mihi opportunum fuerit.

† ipse deest in MS.
** duo v. c. viæ.*
† ipse vid. desunt in MS.
** al. correptum.*

EPISTOLA XXXVIII.

** Guacelino reuerendo * Vuintoniensium episcopo, Iuo humilis Carnotensis ecclesiæ seruus salutem *.*

** al. Gualcelino. m s. c.*
** sic v. c. antea Vuintoniensium.*
** deest in MS.*

Liberalitatis tuæ fama nullo simulationis fuco palliata, iampridem mihi per multos innotuit & placuit. Qua fiducia per Gulielmum sancti Satyri præpositum, vasculum chrismale, cuius forma nostris artificibus erat ignota, à tua munificentia postulaui, & sine dilatione impetraui. Quod mihi gratius fecit caritas dantis, quàm appetitus postulantis. Vnde quoties mihi ad vsus necessarios ante oculos ponitur, tui memoria dulciter mihi ad mentem reuocatur, & fraterna caritas ad rependendam vicem, si opportunitas se offerret, excitatur. Vnde postulo fraternitatem tuam, vt & tu memoriam confratris in tua mente reponas, quatinus & orationum manus* desideranti mihi porrigas, & vtrùm apud te hanc gratiam impetrauerim, aliquo signo ostendas. Vale.

** sic omnes antiqui libri anteà, manus, ita m s. c.*

EPISTOLA XXXIX.

Anselmo reuerendo Cantuariensium archiepiscopo, Iuo humilis ecclesiæ Carnotensis seruus, pro modulo sibi collato fidelium orationum munus.

QVamuis placuerit ei qui te inuitauit,* tibi non alta requirenti dicere, *ascende superius*; non tamen ideò credimus paternitatem tuam * nulli religioso onerosam minùs esse memorem eorum quos aliquando in Christo dilexerat, vel à quibus pro Christo aliquod obsequium fraternitatis acceperat. Quod tamen si aliquando ex quotidiana ecclesiasticorum negociorum instantia contingeret: tamen non immemores vestri †, paruitatis nostræ memoriam tuæ sublimitati quibus possumus vehiculis ad mentem reducimus,* vtpote qui tuis desideramus orationibus fulciri, & copiis si necesse fuerit releuari. Adstitimus enim hoc anno pro multa in te beniuolentia monachis Beccensibus * contra Molismenses, quantum ratione & auctoritate suffragante potuimus. Et iam de * Pixiacensi monasterio plenam per nos consecuti fuissent iustitiam, nisi quòd priùs affectant regis captare beniuolentiam. De cætero commendo paternitati tuæ fratrem * Rothardum præsentium latorem, per obedientiam confratrum ad partes istas directum, vt in quo indiguerit consilio, eum munias & auxilio. Si autem seruitium nostrum in aliquo tuæ sanctitati fuerit commodum, obedituro præcipe. Vale.

** in septem v. c. vt tibi nec quærenti diceret.*
** Luc. 14. vestram m s. c.*
† nostri m s. c.
** in vno v. c. reducere curamus. m s c. habet reducere tantùm.*
** Huc videtur referenda epist. 6.*
** aliàs, Pixiacensi, Pexinacensi, Pijacensi eadem varietas in tit. epist. 45.*
** al. Robardum vel Rotrardum.*

EPISTOLA XL.

Iuo Carnotensis ecclesiæ non satis aptus minister fratre Manegaldo, sit crucem Christi portare, vt eius remigio mare huius mundi valeat transfretare.

QVoniam post multos circuitus leuem Christi sarcinam subire, & contempto mundi flore in domo Dei abiectè viuere elegisti, sciens quia *melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas*, diuinæ bonitati, quæ humilibus dat gratiam, grates exsoluimus: & vt de commisso tibi talento tanquam fidelis nummularius creditori tuo multiplicem referas vsuram, eandem diuinam bonitatem intensiùs obsecramus. Sic enim ordo rationis poscebat, vt qui verbo ad viam vitæ plurimos informaueras, aliquos aliquando conformares & confirmares exemplo: & qui de semine patris Iacob tanquam Zelpha inueterata & ancillari consuetudine philosophandi filios pepereras, iam de eiusdem patris semine tanquam speciosa Rachel ex intimæ visionis libertate spiritualem sobolem multiplicare non desistas. Ista * dicens, Mineruam quidem non doceo, à qua magis doceri indigeo; sed fraternis profectibus congaudens, bonis principiis meliores exitus apponi desidero. Simul obsecro, vt pusillanimitatem meam in alto remigantem, & penè aliquando naufragantem, de portu tranquillitatis tuæ orationibus iuues, salutaribus monitis aliquando consoleris. Notum enim credo prudentiæ tuæ mihi pro * Rachel seruienti Liam esse nocte suppositam, * quam quidem inuitus suscepi, & inuitus tolero, vt pote parùm videntem, parùm parientem, sed multùm exasperantem. Quarum molestiarum tædio frequenter affectus, retrospecta quietis amissæ pulcritudine grauiter ingemisco, & datis mihi columbæ pennis auolare, iterum vacare desidero. In qua perturbatione solum mihi refugium est orare, & eum expectare qui saluum me faciat à pusillanimitate spiritus & tempestate. A cuius voluntate si dissentire non timerem, tanto oneri impar, eidem oneri humerum libenter subtraherem. Cùm ergo à te ad partes nostras transierint vel redierint aliqui, fac vt videam interiorem hominem tuum in litteris tuis, sicut ex parte vidisti meum in meis. De cætero commendo fratrem istum portitorem præsentium * fraternitati tuæ, vt * familiarem eum habeas, & in lectionibus tuis ei benignè respondeas. Quantum enim de homine æstimare possumus, ædificari quærit, non inflari.

Psal. 36.
Genes. 29. & 30.
** Ita m s. c.*
** vt epist. 4. & 17.*
** al. quanquam inuitus.*
Psal. 54.
** quidam addunt, litterarum.*
** vnus, familiariter.*

EPISTOLA XLI.

* aliàs Goifredo, Goffrido, Godefrido.

*Iuo humilis ecclesiæ Carnotensis minister, * Gaufredo Vindocinensis monasterij abbati cum dilectione salutem.*

QVantum ex tenore litterarum tuarum perpendere potui, summa inquisitionis tuæ fuit, vtrùm monachus qui tantùm à monacho, & non à suo abbate benedictus est, ab abbate suo * iterum sit benedicendus sit. Quod fieri posse & dimitti posse arbitror absque vllo benedicti vel benedicentis incommodo. Monachi enim benedictio non est manus impositio, vel alicuius sacramenti ex apostolica traditione celebratio. Nec aliam vim habere mihi † videtur, quam super pœnitentem absolutio, vel super populum sacerdotis oratio. Dicit enim B. Hieronymus. *Monachus * non habet officiū docentis sed plangentis, qui se & mundum lugeat.* Sicut ergo monachus in hoc officio sibi soli prodest, ita ex gratia vocantis solus ad hoc officium accedere potest: nec præiudicat ad salutem, vtrùm † simpliciter à monacho vel abbate suscipiat benedictionem: quia verum monachum nulla facit exterior adiectio, nisi mundi contemptus, & plena Dei dilectio. Quod in principibus huius ordinis, Paulo videlicet & Antonio, & multis aliis Ægyptiis monachis facilè apparet, qui nullam à præcedente abbate vel monacho suscipientes benedictionem, perfectam ab eo qui habitare facit monachos in domo, sui laboris consecuti sunt retributionem. Quòd verò postea multiplicatis monachorum congregationibus professiones ab eis exactæ sunt, & benedictiones super eos datæ, quadam cautela factum est: vt monasticus ordo quanto firmiùs in conspectu Dei & hominum & solemniùs ligaretur, tanto robustiùs & deuotiùs ab ipsis seruaretur. Et si qui vellent ab hoc proposito recedere, testimoniis pluribus conuincerentur †, & tanquā * iurati in Christi sacramenta tirones, ad propositum suum reuerti cogerentur. Quibus liquet traditiones huiusmodi, nihil esse aliud quàm quædam religionis vincula, humanæ instabilitati prouisa. Quoniam omnis traditio religionis nouitate & raritate viget & floret, antiquitate verò & numerositate, nisi districtè ligetur & seruetur, frigescit & vilescit. Vnde in discretione abbatum hoc mihi ponendum videtur, vtrùm debeant professiones coram aliis factas, vel benedictiones ab aliis datas in sua præsentia iterare: quia non est hoc ecclesiastica sacramenta iterando violare, sed pro instabilitate personarum * vinculum vinculo superponere. Quòd si monachi benedictio esset consecratio, etiam apud Cluniacenses, * apud quos (vt asseritis) est ista consuetudo, nulla prorsus fieri * posset benedictionis iteratio. Vnde nec consecratio virginum, quæ ex auctoritate apostolica episcoporum priuilegio reseruatur, si aliquando * à presbyteris vsurpetur, propter sacramentum Christi & ecclesiæ quod ibi continetur, nullatenus ab episcopis iteratur. Dixi de proposita quæstione quod sensi, &, quantum mihi videtur, in nullo à ratione vel auctoritate dissensi. Vale, & quomodo ieris vel redieris, & quod audieris de consilio * domni Papæ mihi rescribe.

* deest in ms. c.
† habere ms. c.
* al. non est. vel. monachi officium non est docentis.
† à simplici ms. c.
† vincerentur ms. c.
* in vno cod. periurati.
* al. vinculis vincula.
* sic leg. ex melioribus libris. Cluniacēsis monasterij meminit. ep. 78. malè anteà, apud Gloriacēs. c.
* al. deberet.
* can. sicut & can. presbyteri. dist. 68.
* al. domini.

EPISTOLA XLII.

Hugoni Dei gratia Suessionensium episcopo, Iuo humilis Carnotensis ecclesiæ minister, confortari in domino.

PVblicis negotiis præpeditus, plura quæ volui fraternitati vestræ scribere non valui. Si autem aliquando mererer dulce colloquium vestrum, dicerem plurima in aure tua, quæ chartula celare non posset, si in æmulorum manus, antequam ad vestras perueniret, incideret. Hoc itaque interim suadeo vobis, vt iuuentutem vestram honestis exercitiis occupetis, lectione, oratione, sacræ legis meditatione: vt si aliquando aliqua fœda imaginatio per sensuum fenestras templum cordis irrumpens ibi appingi tentauerit, vel prorsus ab ipso introitu repellatur, vel si fortè aliqua incuria vel importunitate ostium cordis irrepserit, casta intus vigente dignitate cum dedecore excludatur. Sic enim testimonio bonæ conscientiæ poteritis in iustitia Dei exultare, & internæ suauitatis gustum proximis * fiducialiter eructare. Nec infructuosus esse poterit sermo doctoris, quem intus accendit & format diuini virtus amoris. Si verò peruersorum odia & detractiones ex hoc incurrerit vestra fraternitas, toleranda erunt vobis verbera verborum: qui in eorum numero * estis, qui apostolico gradu insistentes pro domo Dei sustinuerunt non tantum rapinas bonorum suorum, sed etiam tormenta & mortes corporum. Quod enim illi sustinuerunt pro fidei defensione, nos sustinere habemus pro criminosorum actuum reprehensione. alioquin erimus pastores nosmetipsos pascentes, nostra quærentes, oues morbidas non sanantes, sed fortes & pingues deuorantes. Nec ab hac fortitudine deterreat vos raritas præsentium exemplorum, cùm excusare nos non valeat hæc ratio apud iudicem internorum. Valete, & fratres nostros * Bistesiaci Deo militantes sub patrocinio vestro pro Dei amore & nostro iuuate, & contra æmulorum infestationes paternè supportate.

* vnus cod. fideliter.
* idem cod. in eorum merito.
Ezech. 34.
* al. Bistisiaci.

EPISTOLA XLIII.

Domno & patri suo Vrbano summo pontifici. Iuo † ecclesiæ Carnotensis minister, cum Petro pugnare, & cum Petro regnare.

† humilis

QVoniam Romana ecclesia post multa naufragia sub vestro regimine ad portum penè † peruenit, & Italiæ regnum * iamdiu rebelle in conspectu vestro totum penè conticuit, ita vt nouus Rex ad voluntatem Dei & vestram in manus vestras se dederit: gaudeo in domino, & gaudium meum nullis syllabarum metis explicare sufficio. Cotidianas etiam preces coram Deo pro vestra incolumitate & pace multiplico: vt sermo Dei per vos currat, & de die in diem magis proficiat, & bona quæ per vos inchoauit, ad finem vsque perducat. Notum autem facio sublimitati vestræ, quod * Guillelmum bonæ spei fratrem in Carnotensi ecclesia nutritum, Parisiensis ecclesia elegit in episcopum. Qui quidem sine consilio & assensu nostro nihil tale præsumere voluit. Misimus itaque cum eo quosdam de fratribus,

† iam ms. c.
* suprà epist. 24. dicit in regno Italico surrexisse alterū Achab. & in fine ep. 27. Vrbanum Romæ obluctari aduersariis.
* al. Vvillelmum de quo etiam ep. 50.

qui diligenter inquirerent, vtrùm in eum vota omnium concurrerent: vtrùm hæc electio mediante pecunia, vel aliqua esset à Rege extorta violentia. Quibus benè cuncta renunciantibus, illi fratri dedimus consilium & assensum, vt illi electioni cederet, & diuinæ ordinationi se non subduceret. Timebamus enim ne alius ex transuerso intruderet, & ecclesiam symoniaca peste macularet. Addidimus quoq; consilio eius, quia aliquantulum infra annos legitimos* nobis esse videbatur, vt promotiones ad gradus ecclesiasticos per congrua interualla* differret, & interim aut per se aut per nuncios ecclesiæ pro his quæ ad integritatem ordinationis minus sunt, à paternitate vestra indulgentiam postularet. Quod scribo absens, si opportunitas se offerret, dicerem præsens: & pro ipsa ecclesia, & cum ipsa ecclesia à paternitate vestra magna in vos † fiducia postulo, vt nulli æmulo de eius insimulatione aurem de cætero* commodetis, & per præsentium latorem mihi & ipsi ecclesiæ litteris vestris, quo ordine & quo † modo res incœpta ad exitum cum gratia vestra perduci possit, vos ipse disponatis. Conterat dominus sathanam oro sub pedibus vestris. Valete.

*triginta, quæ ætas viri perfecti dicta in concilio Agatensi relato cap. 6. episcopus distinct. 77.
*de interuallis ordinum, Grat. distin. 77.
† magna animi fiducia. ms.c.
* al. accommodetis.
† deest in ms. c. Ad Roman. cap. 16.

EPISTOLA XLIV.

Iuo Dei gratia Carnotensis ecclesiæ minister, omnibus in eiusdem ecclesia episcopatu positis salutem in Domino.

NOtum sit vobis dilectissimi, qui ad supernam Hierusalem pertinere vos creditis, quia si donatiuum superni Regis, ad quod vocati estis, promereri desideratis, pacem vobis à Deo mandatam remota omni discordiæ peste seruare debetis. Hanc enim Christus mundum ingrediens angelica reuelatione mundo mandauit cœlesti militia concinnente, *gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hanc Christus proximè de mundo egressurus & in breui ad cœlos reuersurus commendauit dicens, *pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Hanc apostolus necessariò tenendam admonet dicens: *pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Cùm enim Christi aduentus non solùm inter se cœlestia & terrestria, sed etiam ipsa terrestria ad inuicem* pacificare venerit, vt in vnitate fidei & Christianæ pacis vnum Christi corpus fierent: quid ei proderit Christi aduentus, qui extra pacem fuerit inuentus? Hanc professi estis, cùm ad Deum auctorem pacis & amatorem reuertentes, diabolo auctori & amatori discordiæ & omnibus operibus eius in fonte vitæ renunciastis. Ergo fratres, si dissimulare non vultis, magna est vobis* indicta necessitas obseruandæ pacis, qui Regis æterni premij expectatione cœlesti militiæ vos mancipastis. Pro certo enim sciat † fraternitas vestra, quia in regno Christi nullus est relictus discordiæ locus. Solùm cum auctore † mortis & operibus eius, indeficiens est nobis iniuncta discordia. Cùm ergo, vt dictum est, Christianorum* fides pacem debeat habere continuam, & non tantùm mentes eorum à vitiis, sed etiam manus debeant vacare ab operibus viciosis: videte quantum iam desit* vobis ad Christianam perfectionem, qui dies,

Luc. 2.
Ioan. 14. deest in ms. c.
Heb. 12.
* ad inuicem ipsa terrestria ms. c.
*ita v. c. Put. alijs iniuncta. ms. c. ep. 50. pacem quæ indicta est.
† vestra ms. c.
† al. actore.
*ita v. c. Put. vt paulo antè dixit, in vnitate fidei & Christianæ pacis. In aliis est: fines pacē debeant habere. ms. c.
* in vno v. c. vobis Christianæ perfectionis

quos deuouistis cœlesti militiæ ad quærendam salutem, remitti vobis cogitis exercendæ malitiæ ad inueniendam mortem. Attendite fratres, si quis vestrum alternatim carnem suam tribus diebus ferro incideret, vel igni combureret, vel quolibet alio cruciatu affligeret, quatuor verò diebus tantùm vocaret †, nónne ab amicis ligaretur, nónne tanquam* phreneticus ad medicum duceretur? Quanto magis vulnerator animæ suæ vel interfector fortioribus † Christi vinculis esset alligandus, vt à morte animæ suæ cessaret, & incessanter vitæ operam daret? Sed quia prona est omnis ætas ab adolescentia in malum, & peruersi homines stipendia peccati magis quàm iustitiæ diligentes aduersus † correctores suos insurgunt tanquam* phrenetici in medicos, expectantes de vobis meliora & viciniora saluti, toleramus imperfectionem vestram: dissimulamus impietatem vestram: & cum abundante iniquitate sanare vos perfectè nequeamus, malumus, infirmos & saucios vos habere † quàm penitus mortuos. Rogamus itaq; & obsecramus, & ex auctoritate Domini Iesu, cuius legatione licèt indigni fungimur, vobis præcipimus: vt saluationis vestræ memores,* saltim hos quatuor dies, quibus & Dominus & saluator noster medicinalia salutis nostræ sacramenta euidentiùs operatus est, pacificos* firmiter habeatis, & ab omni* iniuria tam inimicorum quàm amicorum, tam alienigenarum quàm indigenarum mentes, manus, linguas compescatis. Nouit enim quicunque est Christianæ religionis † discipulus,* quia quinta feria Dominus Iesus vltimum cum discipulis conuiuium celebrauit, in quo corpus & sanguinem suum, quæ sunt nostræ reconciliationis sacramenta, & vulnerum nostrorum medicamenta, edendum & bibendum, & de cætero in sui commemorationem faciendum eisdem discipulis commendauit. Completo itaque cœnæ mysterio, eorundem discipulorum pedes lauit, in sacramentum pœnitentiæ & remissionis: hoc † sacramento designans*, terreno puluere etiam religiosa corda sordere, & neminem esse mortalium, qui non egeat pœnitentia & peccatorum indulgentia. Eiusdem diei fine discipulo prodente, traditus est in manus Iudæorum: quod tanta patientia fieri pertulit, vt se male tractantibus in nullo resisteret, imò aurem præcisam seruo principis benignè restitueret. Quinta quoque feria peracta dispensatione suæ incarnationis videntibus discipulis, in glorificata carne cælos ascendit. De cætero ad dexteram patris interpellans pro nobis: vt eò sequatur humilitas gregis, quò præcessit celsitudo pastoris. Quid in his omnibus dux noster, quid nisi pacis exempla monstrauit? videlicet vt qua die Christiana plebs tot ad vitam medicamenta suscepit, nemo alium lædendo se potius lędat, nemo alium interficiendo se potius interficiat; cum læsus foris, lędens intus* pereat. Sexta verò feria primus Adam de limo † plasmatus est, & secundus Adam ad redimendum hominem veniens, in vtero virginis angelo nunciante est incarnatus. Eadem quoque feria Christus † passus est, & homo perditus, ad imaginem Dei per Christi sanguinem est reformatus. Qua ergo die pax reddita est mundo, pacem seruare debet omnis homo: ne ad mortem redeat, quam protoplastus vniuerso intulit mundo. Septima autem feria

† vacaret ms. c.
* al. freneticus.
† deest in ms. c.
Genes. 6.
† correptores ms. c.
* al. frenetici.
† habere vos ms. c.
*ita v. c. Put. al. saltem.
* vnus v. c. vos fir. exhibeatis.
* al. iniquo.
† est ms. c.
* Quinta feria cultus.
Matth. 26.
Lucæ 22.
Ioan. 13.
† Hoc ms. c.
* designatur. ms. c.
Luc. 22.
Marci 16.
Genes. 1.
* al. interius.
† est ms. c.
Luc. 1.
† est ms. c.
Ioan. 19.

requieuit Deus ab omni opere suo, significante hoc nobis spiritu sancto quòd non tantùm quiescere debemus ab omni opere vicioso, sed & requiem expectare post tempus quo sabbatizandum est ab omni opere oneroso. Non enim onerosum erit Deum perfectè diligere, & eius laudibus ex dilectione incessanter insistere. * In figuram quoque futuri & præsentis sabbatismi, prædicta feria caro Christi requieuit in sepulcro, anima eius interim debellante tartara, & hostis antiqui fortitudine superata, perdita spolia reportante. Noli ergo Christiane Christi sanguine redempte, noli beneficiis tui redemptoris ingratus existere: noli tartara in hac ereptionis & requietionis die tua præsentia cumulare, bona proximi tui rapiendo, & eum qui aliena non rapuit, sed se ipsum tibi impendit in membris sui iterum persequendo. De octaua feria, quæ & prima, nulli credenti dubium est quòd ea die dominus resurrexit, & certum nobis argumentum & exemplum duplæ nostræ resurrectionis sua resurrectione contulerit, in qua plena pax dabitur filiis adoptionis, iam non concupiscente carne aduersus spiritum, vel spiritu aduersus carnem. His & aliis de causis quæ pro breuitate sermonis onerosum est enumerare, maiores nostri in his potissimum diebus seruandam pacem esse sanxerunt, & pro qualitate personarum & quantitate malorum diuersa & dira supplicia violatoribus pacis inferri decreuerunt. Quorum vestigia pro posse nostro sequentes, exhortando præcipimus; & præcipiendo exhortamur, vt pacem, cuius constitutionem vobis scriptam dirigimus, sine disceptatione seruetis, & seruandam tactis sacrosanctis reliquiis propria manu firmetis. Hoc enim vobis bonum est, & ad augmentum * rerum temporalium, & ad profectum bonorum incommutabilium. Obedientibus à Deo pax & misericordia. * huic autem constitutioni non obediturus, sit anathema maranatha. Valete.

** vnus cod. In figuram quoque præsentis sab.*

** quidam, verum corporalium.*
** al. his autem constitutionibus non obediturus.*

EPISTOLA XLV.

Iuo Dei gratia Carnotensis episcopus, clericis Mellentinis, & omnibus in Pixiacensi archidiaconatu salutem.*

PErlatum est ad aures nostras, quòd Mellentinus Comes ducere velit in vxorem filiam Hugonis Crispeiensis Comitis; * quod fieri non sinit concors decretorum & canonum sanctio, dicens: *Coniunctiones consanguineorum fieri prohibemus.* Horum autem consanguinitas nec ignota * est, nec remota, sicut testantur & probare parati sunt præclari viri de eadem sati prosapia. Dicunt enim quia Gualterius * Albus genuit matrem * Gualeranni Comitis, qui genuit matrem Roberti Comitis. Item supradictus Gualterius * genuit Radulphum patrem alterius Radulfi, qui genuit Vermandensem Comitissam, ex qua nata est vxor Comitis Hugonis, cuius filiam nunc ducere vult Mellentinus Comes. Si autem prædicta genealogia ita sibi cohæret, legitimum non poterit esse coniugium, sed incestum contubernium, nec filios poterunt habere legitimos, sed spurios. Vnde vobis ex apostolica & canonica auctoritate præcipimus, vt tam calumniosum coniugium in ecclesiis nostri episcopatus nec ipsi consecretis, nec ab aliquo, quantum in vobis est, consecrari permittatis, nisi primùm in præsentia nostri consanguinitas hæc septimum gradum excessisse legitimè fuerit comprobata. Valete, & has litteras Mellentino Comiti transmittite.

** sic plures v.c. aliàs Pixecẽsi MS. C Pixeiensi, Pixicensi, Pixetensi, vt epist. 39.*
** cod. Put. quod fieri contra decertat canonum sanctio.*
** al. ignorata.*
** al. Gauterius.*
** al. Vvaleranni.*
** Gauterius.*

EPISTOLA XLVI.

Vrbano summo pontifici, Iuo sanctitatis suæ filius fidelium orationum munus.

VEnturi sunt ad vos in proximo nuntij ex parte Regis Francorum, per quorum os locuturus est spiritus mendax, qui infatuati adeptione vel promissione * honorum ecclesiasticorum infatuare molientur * sedem iustitiæ. Contra quorum calliditatem à paruitate mea vigilantiam vestram volo esse præmonitam & præmunitam, quatinus rigorem vestrum promissiones eorũ non emolliant, comminationes non exterreant.* Quicquid enim dicent † iam securis ad radicem arboris posita est, nisi vt aut arcum remittatis, aut gladium suspendatis. Qui ergo venturi sunt confidentes in calliditate ingenioli sui, & venustate linguæ suæ, prædictis de causis impunitatem flagitij se impetraturos Regi à sede apostolica promiserunt: hac ratione ex parte vsuri, * Regem cum regno ab obedientia vestra discessurum, nisi coronam restituatis, nisi regem ab anathemate absoluatis. Si autem impœnitenti venia concedatur, quanta spes impune peccandi peccantibus de cætero relinquetur, non est meum instruere vestram prudentiam, cuius potissimum interest delinquentium errata non fouere, sed ferire. Si autem aliqui † subdoli euidenter ab vnitate matris suæ discedũt, qui iampridem mente discesserunt: consoletur sanctitatem vestram diuinum responsum: *Reliqui mihi septem millia virorum.* & illud apostoli: *Oportet hæreses esse, vt hi qui probati sunt manifesti fiant.* De cætero volo sciat vigilantia vestra, quia ex præcepto Regis, Remensis, & Senonensis, & Turonensis archiepiscopi inuitauerunt suffraganeos episcopos, vt post responsa vestra apud Trecas prima dominica post festiuitatem omnium sanctorum conueniant. Quò inuitatus ire dissimulo, nisi vestro consilio munitus: timens ne quid contra iustitiam, & sedem Apostolicam moliatur ille conuentus. De his itaque, & de his quæ circa vos sunt, quæ libuerit rescribat mihi vestra paternitas, vt in aduersis compati, & in lætis valeam congratulari. Valete.

** quidam, bonorum.*
** al. moliuntur, sic vocat Romam. epist. 92.*
** ita ex v. c.*
Matth. 13
† Vt quid enim.
** adi ep. 28. & 211.*
† deest in MS. C.
3. Reg. 19.
1. Cor. 11.

EPISTOLA XLVII.

*Iuo humilis Carnotensis episcopus, * Vvidonis Regis dapifero salutem.*

QVæ mihi mandasti per Landricum presbyterum iam audieram per Ebrardum nepotem tuum, videlicet quòd Rex multa mala dimittere, & multa bona se promittat velle facere, si cum pace sedis apostolicæ & communione ecclesiastica mulierem * quam illicitè habet, valeat ad tempus retinere. Vnde ex auctoritate diuina hoc caritati tuæ rescribo, quia nulla redemptione vel commutatione quis peccatum suum poterit abolere, quamdiu vult in eo permanere, secundùm illud apostoli; *voluntariè peccantibus non relinquitur hostia pro*

** al. Guidoni Regio dap. ad eundem scribit epist. 23. quæ est eiusdem planè argumenti.*
** Bertradam de qua epist. 15. 28. 46.*
Heb. 10.

Genes. 4. peccato. Quod est aliis verbis dicere, quia nemo in peccato suo perdurare volens, peccatum suum poterit aliqua eleemosyna vel oblatione redimere. Vnde & Dominus Cain sua offerenti, & tamen homicidium cogitanti legitur respondisse *Si rectè offeras & non rectè diuidas, peccasti: quiesce.* * quasi dicat, peccas non rectè partiendo qui tua offers, & de homicidio tractans, teipsum qui tuis melior es, mihi aufers. Hinc etiam dicit beatus Papa Gelasius: * *Legatur ex quo est religio Christiana, vel certum detur exemplum in ecclesia Dei à quibuslibet pontificibus, aut ab ipsis apostolis, ab ipso denique saluatore, veniam nisi corrigentibus se fuisse concessam. Auditum autem sub isto cœlo ab aliquibus nec legitur omnino, nec dicitur: date nobis veniam, vt tamen nos in errore duremus.* * *Ostendant ergo quibus occasionibus, quibus regulis,* * *qua lectione vel quo documento, siue à maioribus nostris, siue ab ipsis apostolis, quos potiores fuisse merito non dubium est, siue ab ipso Domino saluatore, qui iudicaturus creditur viuos & mortuos, vel si factum est vnquam, vel faciendum esse mandatur.* Propter hæc & alia multa his similia, scio consilium domini Regis bonum exitum habere non posse, nisi ab hoc peccato desistat, & Christi iugo se pœnitendo subiiciat: cùm * Deus non nostra, sed nos ad salutem nostram requirat. * Dic ergo hæc omnia domino Regi, vt sanius consilium perquirat: quod si ei * Deus ministraret, me adiutorem in quibuscunq; possem inueniret. Vale.

* quiesce ab est ab vno v. c. vt etiam epist. 34.

* in ca. legatur. causa 23. q. 2.

* al. ostendatur.

* al. qua ratione.

* al. dominus. ms c.

* vnus v. c. dicantur.

* al. dominus. ms. c.

EPISTOLA XLVIII.

Vrbano summo pontifici, Iuo humilis ecclesiæ Carnotensis seruus fidelium orationum munus.

QVia * Gallicanarum ecclesiarum pericula, cotidianarum pressurarum experimento cognoscimus, earundem pressurarum onera sedi apostolicæ releuanda notificari præoptamus. Vnde Remensem metropolim * quondam matrem vestram, nunc autem filiam, sub omni celeritate vestris consolationibus refoueri, vestro auxilio fulciri postulamus: ne aduersarius noster qui circuit quærens quem deuoret, electionem in domnum Manassem factam aliqua valeat versutia perturbare, aliqua perturbatione * cassare Non enim poterat illa ecclesia inter omnes filios suos quemquam inuenire sedi apostolicæ magis deuotum, suis vtilitatibus magis necessarium, tum propter generis nobilitatem, tum propter morum honestatem. Quantum verò necessarium sit Romanæ ecclesiæ, vt in prædicta sede deuotum sibi ministrum substituat, non est meum vestram prudentiam instruere; quæ nouit eandem sedem diadema regni * habere, & omnibus penè Gallicanis ecclesiis exemplum ruinæ vel resurrectionis existere. Valete.

* Quoniam ms c.

* al aliquando. ms c.

1. Petr. 5.

* al. quassare.

* non tamen semper Reges Remis coronatos probat. epist. 189.

EPISTOLA XLIX.

Iuo indignus ecclesiæ Carnotensis minister, Stephano Palatino Comiti salutem.

MAnsuetudinem vestram aduersum me amaricatam non sufficienter admiror, qui personam vestram læsisse, vel principatus vestri ius legitimum in nullo me minuisse * arbitror. Quod tamen si aliqua subreptione fecissem, familiaribus colloquiis vt errorem meum corrigerem, fueram admonendus, aut demum ad ius congruis locis & temporibus inuitandus, non verbis indignantibus & minacibus exasperandus. * Cùm ergo nihil horum præcesserit, cognoscat strenuitas vestra, quam subitò in amicum insurrexerit: & compescat indignationem suam: qui sic parati sumus vestræ parere amicitiæ, vt tamen ministerium nostrum honorificemus satisfaciendo iustitiæ. Quod enim à claustro canonicorum omnis secularis potestas sit eliminata, iamdiu ante tempora patrum * vestrorum & Regum decretis est cautum, & ecclesiasticis sanctionibus multimodè roboratum, & ad vsque tempora Gaufridi exepiscopi sine vlla interruptione conseruatum. Quod ergo ecclesia tam liberaliter in primis obtinuit, quod tam multis temporibus quietè possedit, putatis vnius hominis leuitate vel peruersitate à iure ecclesiæ posse auferri, & sine multa discussione, sine iudiciali deffinitione in alienum ius * posse transferri? Redeat ergo ad se mansuetudo vestra, & adquiescat * verbis sapientiæ dicentis: *ne transgrediaris terminos antiquos, terminos quos posuerunt * patres tui.* Quos quicunque præsumpserit aduersus ecclesiam paruitati meæ † commissam transcendere, parati sumus pro * potestate nobis à Deo collata vsque ad damna rerum, vsque ad exilium contradicendo resistere, & gladio sancti spiritus vsque ad dignam satisfactionem persequendo ferire. Hic gladius penetrat turres, deiicit propugnacula, & omnem altitudinem aduersus humilitatem Christi se erigentem, & hereditatem quam sibi suo sanguine adquisiuit, iniustè peruadentem. Hic gladius in egestate fortior est, in exilio, non frangitur, carcere non alligatur, iuxta illud apostoli: *Verbum Dei non est alligatum.* Quòd si nos cum hoc gladio non timetis, timete Deum in nobis, cuius fungimur legatione licèt indigni, cuius sacramentorum dispensatores sumus dicente Domino per prophetam: *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Habet enim legitimus principatus, ecclesiarum quieti prouidere, non ecclesiarum quietem perturbare, sua dare, non suis spoliare: quatinus ecclesia Deum pro principibus & potestatibus orans, non cum disceptatione hoc faciat, sed cum pietate. De cætero de securitate, pro qua me inuitastis, vt eam vobis * Mellis facerem, non est mihi consilium vt eam vobis alibi faciam nisi in ciuitate pro qua & de qua vobis eam debeo. Nec decet tam rectæ opinionis hominem, vt aliquid à me exigatis contra consuetudinem propter suscitandi odij occasionem. Non enim adeò sum cupidus aut timidus, vt me, vel hoc, vel illud, ducat in aliud quàm habet ratio & consuetudo. Ego enim perquisitis ecclesiæ scriptis, consultis etiam antiquioribus ecclesiæ clericis, nullo modo inuenire potui aliquem antecessorum meorum canonicè promotum, hanc securitatem fecisse antecessoribus vestris, nisi in ciuitate. Valete, & Deus pacis sit vobiscum.

* me ms. c.

* confer. epist. 86.

* al. nostrorum.

* deest in ms. c.

* vnus cod. sapientiæ dicenti Prou. 22.

* al. patres nostri. ms. c.

† nostræ ms c.

* al. possibilitate.

2. Tim. 2.

Psal. 104.

* in vno v. c. Meldis, & rectiùs.

EPISTOLA L.

Richerio Dei gratia Senonensium archiepiscopo, Iuo humilis Carnotensium episcopus salutem cum debita obedientia.

PArabam me sicut mihi mandauerat vestra paternitas, vt venirem ad colloquium vestrum & confratrum nostrorum, cum eruditioribus ecclesiæ nostræ filiis. Sed interim mihi pro certo intimatum est à quibusdam amicis meis, quia parabantur mihi insidiæ à quibusdam parochianis vestris, qui sunt affines illius olim dictæ reginæ, * cuius inimicitiæ nondum sunt aduersum me aliqua ratione sedatæ. Vnde rogo mansuetudinem vestram* vt à Picueris * vsque ad vos securum mihi conductum præparetis, si præsentia mea adeò necessaria est vobis. Nam in hoc itinere me periculum aliquod incurrere, quantum mihi est damnosum, tantum vobis ignominiosum. Quod si ad præsens fieri non potest, quæ dicerem vobis præsens, ea scribo vobis absens. De veteri querela quam habet aduersus Senonensem ecclesiam Lugdunensis ecclesia, laudo & consulo vt si qua habetis priuilegia apostolica manu roborata, vel scripta autentica, quæ primatum * Lugdunensis ecclesiæ, quem aliquando ex catalogis ciuitatum conjicimus extitisse, ab ecclesia vestra remoueant, & libertatem quam desideramus eidem ecclesiæ defendant, ea confratribus nostris ostendatis, & eadem paruitati nostræ transmittatis, quibus tanquam firmis sustentaculis innitamur, & libertatem matris nostræ pro posse nostro tueamur. Quæ si modò ad manum non habetis, non est consilium meum vt contra torrentem brachia dirigatis: immò apostolicis sanctionibus interim adquiescatis absque præiudicio priuilegiorum vel autenticarum scripturarum, si quando reperiri poterunt, quæ hanc subiectionem ab ecclesia vestra remoueant, & eiusdem ecclesiæ libertatem defendant. Qui meliùs sentiunt, meliùs consulant. Hoc tantùm * prouideant, quia rerum exitus prudentia metitur, vt ab imminenti gladio caput vestrum eripiant. De cætero sciatis canonicos Parisienses, decanum videlicet, cantorem, Rainaldum archidiaconum in præsentia nostra secundum præceptum domni Papæ iurasse se nullo terrore Regis vel dictæ * Reginæ compulsos, domnum * Gulielmum episcopum sibi elegisse, neque aliquid symoniacæ prauitatis in eius electione intendisse. Vnde mando vobis ex parte domni Papæ, vt si Parisiensis ecclesia eum sibi ordinari & consecrari postulauerit, ante festum sancti Remigij secundum auctoritatem & consuetudinem ecclesiæ vestræ ei manum imponatis, & honore pallij * ad tempus vobis interdicto, in eius ordinatione & consecratione vti nullatenus formidetis. Sic enim domnus Papa mihi concessit apud montem Pessulanum, cùm ad petitionem Regis de eiusdem * Gulielmi electione tractaretur, & post multam ventilationem eiusdem electionis discussio mihi à domno Papa committeretur. Ad vltimum rogo paternitatem vestram, vt secundùm * institutionem pacis quæ à domno Papa omnibus Gallicanis ecclesiis indicta est, de parochianis vestris Stampensibus, videlicet Vrsione filio Theodonis & complicibus eius, iustitiam faciatis: qui episcopatus nostri partem episcopatui vestro contiguam omnino deuastant, & pacem quam habet reliqua pars episcopatus sine causa perturbant. Præcipite itaque * Stampensi archipresbytero, vt vel eos ad satisfactionem adducat, vel ipsis excommunicatis & locis in quibus morantur diuinum officium * interdicat secundùm consuetudinem pacis. Valete, & quod vobis placet per præsentium portitorem mihi remandate *.

* Bertrada. epist. 13 & 105.
* vide Not.
* Plicueris ms. c.
* cuius etiam meminit epist. 54.
* al prouideant.
* quæ soror istius electi, vt ait in fine epist. 54.
* al. Vuillelmum, vt dicta epist. 54. & 55.
* dignitas pallij dicitur epist. 250.
* al. Vuillelmi.
* vnus v. c. constitutionem.
* coniunge epist. 50.
* vt epist. 263.
* vnus cod. rescribite.

EPISTOLA LI.

*Iuo Dei gratia Carnotensium episcopus dilecto fratri & compresbyro * Sanctioni recta sapere in Domino.*

NOuerit fraternitas tua litteras mihi esse directas à clericis Aurelianensibus, qui maiores in clero illo esse videntur, constanter te accusantibus super grauibus capitulis, * symoniaca videlicet hæresi, & inuasione Aurelianensis ecclesiæ, aliisque criminalibus culpis: quæ si veræ sunt, canonica seueritate sunt plectendæ. Quinetiam talionis * vinculo in eisdem litteris se adstringunt, nisi legitimo numero testium vera hæc esse probauerint, vel in præsentia nostra, vel eorum ad quorum sententiam tuum referendum est iudicium. Vnde caritate, qua in Christi corpore vnum sumus, fraternitatem tuam commoneo, vt si in his reprehensibilem conscientia tua te iudicat, ab incepta prauitate pedem retrahas, ne tua inaniter disperdas & te cum tuis miserabiliter perdas. Attende quia ætatem tuam iam vsque in * senium diuina misericordia pertraxit, & excessus tuos moderatis flagellis feriens, pœnitentiæ tempora tibi indulsit. Noli ergo sub ipsum funus illam celsitudinem ambire, quam imbecillitas tua vel assequi non valeat, vel aliquando cadentem grauiùs elidat; quam etiam assequi non valuisti, quando eras ætate virídior, ingenio acutior, viribus corporis longè robustior. Nonne tibi * carissime satius erat in loco humili saluari, quàm in sublimi periclitari? Si in conuiuio Domini tui nouissimum locum elegisses, & ab inuitatore tuo tibi dictum esset, *amice ascende superius*, tunc esset tibi laus & gloria corã simul discumbentibus. Nunc verò sicut dicitur, contra ecclesiasticas sanctiones data vel promissa pecunia immensa, adiuncta etiam seculari potentia ad fastigium curæ pastoralis adspiras, quantum videtur cum rubore nouissimum possessurus locum, cum bona tua distraxeris, & ecclesiam quam inuadis, thesauris suis & ornamentis spoliaueris. Credo enim quia nemo * condiœcesanorum tibi manum audebit imponere, nisi aut Papa præceperit, aut te immunem ab his criminibus legitima discussio demonstrauerit. Nunc tibi vsque ad vndecimam horam * ocianti & oscitanti, in vinea Dei laborandum erat, vt saltem in vespera laborares, & denarium diurnum cum his qui portauerunt pondus diei & æstus reciperes. Non hæc ex aliqua amaritudine dico, sed ex summa dilectione. Vale.

* ita suppletum nomen episcopi ex v. c. S. Germ. sed variat in libro Put. in quo est Samsoni quæ varietas etiam notatur in tit. epist. 53. Primitiua editio habebat tantùm primam literam nominis, vt multi quoque manuscripti.
* de quibus postea purgatus, ep. 54.
* de quo epist. 138.
* hunc Sanctionem ætate grauem dicit epist. 54.
* al Kar.
Luc. 14.
* al. condiœcesianorum.
* vnus v. c. moranti.
Matth. c. 20.

EPISTOLA LII.

Iuo humilis ecclesiæ Carnotensis minister, Gaufrido Cenomanensis ecclesiæ Decano salutem.

MVltis & magnis negociis occupatus, fraternitati tuæ sufficienter ad præsens scribere non potui. De Ebrardo * tamen hoc tibi respondeo, quia cùm morum acerbitate, & tam actuum suorum quàm verborum importabili præsumptione confratres suos frequenter offenderet, hoc modo licentiam ab eis promeruit, & hoc tantùm vt monachus maioris monasterij maneret, obtinuit. Qui ergo contempto clericatu ad monasterium confugit, & è conuerso contempto monasterio iterum ad clericatum aspirare contendit, non mihi facilè suscipiendus videtur ab his, quibus vita & doctrina & moribus nondum fuit manifestus. Si ergo huiusmodi personæ intrusione te senseris prægrauari, libera est tibi facultas refutandi, quia secundùm decretum Papæ Celestini *, *tunc primùm alter de altera eligendus est ecclesia, si de ciuitatis ipsius clero, cui episcopus est ordinandus, nullus dignus (quod euenire non credimus) potuerit reperiri*. Et quia per te sapis, superfluum mihi videtur te instruere, quibus auctoritatibus debeas ignotos, & ex transuerso venientes refutare. Hoc tamen consulo tibi, vt abbatem maioris monasterij, cuius adhuc monachus est, commonefaciatis: quatinus prædictum Ebrardum à tali ambitione compescat, ac regulari seueritate si sit necesse coërceat. Licèt enim abbatem eum fieri consenserit, non tamen eum à iugo monasticæ disciplinæ liberauit. Vale.

* Eberardo ms. c.

* in ca. 12. nullus, distinct. 61.

EPISTOLA LIII.

*Iuo Dei gratia humilis Carnotensium episcopus, * Sanctioni Aurelianensium episcopo, viriliter agere & confortari in Domino.*

AVdiui de fraternitate vestra quod mihi vehementer displicet, & omnibus bonis: quia si quid peruersum admittitit (quia vobis manus imposui) mihi imputatur, & æmulus vester non tantùm aduersum vos, sed etiam aduersum me, de vestris excessibus gloriatur. Insinuatum est enim mihi per litteras, quod clericum illum, quem in die vestri introitus secundum morem vestræ ciuitatis nostra exhortatione de carcere liberastis, iterum carcerali custodiæ crudeliter mancipastis. Ea namque die qua vobis in missa seruierat, qua vobis in mensa communicauerat, verberatum, spoliatum, per manus seruorum trahi fecistis ad carcerem, & curiæ traditum nulla consolatione refouistis, neque de eius liberatione curare voluistis. Nonne satius erat rapinam bonorum vestrorum perpeti, vel etiam personam vestram sicut promiseratis carceri mancipari, quàm clericus vester non iudicatus, non damnatus à vobis curiæ * traderetur? vbi more furis, contumeliis & iniuriis cotidianis cruciaretur. Non est hoc officium pastoris, sed mercenarij. Non facit tales fructus arbor quam plantauit Dominus: non promittunt bonos exitus * mala principia. Vnde si vultis ampliùs nos amicos habere & * adiutores, aut diaconum curiæ traditum liberate, aut pro eius liberatione, quod exigit cura pastoralis, sine dilatione perficite. Quod si non feceritis, patens erit proculdubio quia consilio vestro vel vestrorum captus fuit, nec eum fides sed fraus in introitu vestro liberauit. Paraueram quippè litteras mittendas Lugdunensi archiepiscopo de ordinatione vestra, quas retineo donec audiam quomodò vos habueritis in hoc negocio. Valete.

* ita suppletum nomen ex v. c. S. Germ. in cod. Put. Samsoni. qua scripturæ varietas etiam habetur in tit. epist. 51. In cod. S. Vict. legitur tantùm Sal.

* curiæ tradere vt epist. 66.

* al. ista pr.

* vnus cod. coadiutores.

EPISTOLA LIV.

*Hugoni Dei gratia Lugdunensi archiepiscopo sedis apostolicæ vicario, episcopi Iuo Carnotensis * Vuillelmus Parisiensis, * Vualterius Meldensis, obsequium deuotum cum debita obedientia.*

QVoniam quæ geruntur in ecclesiis, ad auditum sedis apostolicæ vel legatorum eius referenda sunt per litteras vel nuncios eorum per quos gesta sunt, ne vel æmulorum obtrectatione, vel famæ mutatione secus acta credantur quàm facta sunt, ad notitiam vestram referri curauimus quid de Aurelianensis ecclesiæ ordinatione nuper egerimus. Defuncto enim Ioanne Aurelianensi episcopo, Turonensis archiepiscopus qui in prædicta ecclesia adhuc sibi vsurpabat præposituram & archidiaconatum, & quidam eiusdem ecclesiæ subdecanus * cognomine peior lupo, cum quibusdam iam defuncti episcopi & suis familiaribus clandestinis machinationibus conari cœperunt, vt Ioannem quendam archidiaconum cum consensu Regis * haberent in episcopum, cuius vita nec annorum plenitudine, nec litterarum scientia, nec morum maturitate videbatur esse probabilis. Immò pro inhonesta familiaritate * quam cum defuncto episcopo, & quibusdam eorum qui eum expetere voluerunt * habuisse dicebatur, modis omnibus reprobabilis. Hoc ergo audiens reliquus clerus qui erat numero longè amplior, litteris eruditior, vitare volens * oppressiones quas perpessus erat à prædictis personis tempore defuncti episcopi, * saniore consilio pro temporis opportunitate & loci, elegit sibi cum consensu Regis in episcopum * Sanctionem eiusdem ecclesiæ decanum, virum, vt scitis, ætate grauem * & moribus maturum. Quem cùm à nobis ex admonitione Senonensis archiepiscopi consecrari postulasset apud castrum Nantonense, quod * est iuxta parochiam Senonensem, omnino recusauimus, propter primatum Lugdunensis ecclesiæ, * quem irrationaliter refutat illa sedes, & interdictum sedis apostolicæ. Interim itaque æmuli prædicti electi, missis litteris rogauerunt nos vt ei manum non imponeremus, quoniã symoniacus esset * & inuasor: simul addentes se hoc probaturos in loco competenti & tempore extra manus regiæ potestatis. Cùm ergo adiunctis precibus Regis instãter postularet ecclesia electum suum sibi consecrari, prætendens irreparabiles ecclesiæ ruinas futuras si id non fieret: missis litteris statuimus prædictis calumniatoribus tempus diem ante consecrationem, locum Carnotum, videlicet vbi potestas regia eis obesse non poterat. Ipsi verò neque venerunt, neque personam aliquam pro se miserunt.

* al. Guillelmus vt ep. 50

* al. Gualterus, ad eum scribit epist. 16.

* al. cognomento.

* cum ad id consensum Regis haberent, in Episcopum eligerent. ms. c.

* succubuit enim dicebatur, vide ep. 66 & 67.

* volebant ms. c.

* al. volebant.

* sanior ms. c.

* quidã cod. Sancionem. alius, Samsonem Ad Sanctionem coepiscopũ scribit epist. 62.

* senem tunc fuisse indicat epist. 51.

* quidam, est intra. ita ms. c.

* vide epist. 50.

* hæc duo crimina obiiciebantur dicto Sanctioni, vt firmat locus epist. 51.

runt. Subtrahentibus itaque se prædictis calumniatoribus, nescimus qua calliditate, legitimæ discussioni, victi precibus penè totius ecclesiæ, habito inter nos consilio accepimus tam ab eo quàm ab illis qui cum illo erant meliores districta sacramenta vsque ad septem, * quæ eum (quantum in conspectu hominum purgari poterat) purgauerunt de inuasione & symonia. Remotis itaque impedimentis quæ ei specialiter opponebantur, eum promissa vobis obedientia consecrauimus, & ecclesiæ quæ eum expetierat destinauimus. A qua susceptus est cum omni deuotione sine vlla contradictione. Hæc ita esse vera si opus in erit comprobabimus, vt potè qui ista tractauimus quàm maiori diligentia potuimus. Vnde rogamus paternitatem vestram vt non facilè aurem his accommodetis, quos exclusa veritate quæ sua sunt quærere cognoscetis. Huic verò epistolæ interserere curaui ego Iuo Carnotensis Episcopus sacramentum quod secundum præceptum Papæ fecerunt Parisienses pro electo suo Decanus, Cantor, Archidiaconus reliquis consentientibus. *non elegimus nobis in Episcopum* * *Vuilelmum propter munus acceptum vel promissum ab aliquo, vel gratia contubernij quod habebat* * *soror eius cum Rege, vel propter minas nobis illatas à Rege, vel prædicta eius sorore. Sic nos Deus adiuuet, & hæc sacra euangelia.* Sic purgatus secundum quod apud montem Pessulanum Rege postulante Papa præceperat, * ante festum sancti Remigij, à suo metropolitano est consecratus. Valete.

** septima purgatio appellatur epist. 229.*

** al Guillelmum. confer epist. 26. & 50.*

** quæ dicta Reginæ eodem ep. 50.*

** dicta epist. 50.*

EPISTOLA LV.

Hugoni Dei gratia Lugdunensi Archiepiscopo apostolicæ sedis legato, Iuo humilis ecclesiæ Carnotensis minister, cum debita obedientia fidele seruitium.

CAusam Beluacensis electi nuper apud Nemausum coram domno Papa familiariter ventilari vestra paternitas audiuit, & aliquando vt Beluacensi ecclesiæ secundum vota sua, facta electio confirmaretur apud domnum Papam cum aliis intercessoribus intercessit. Sed quia dominus* Papa quibus de causis voluit prædictam electionem confirmare distulit, ecclesia ab intentione sua non desistens, per diuersa pericula, per laboriosa itinera post eum legationem misit, electum suum quem vtilem sibi in recolligendis bonis suis quæ malè dispersa erant, fore * præuiderat, & iam experta erat, summa deuotione quæsiuit, multa precum ingeminatione promeruit, sic tamen vt super hoc vestra quæratur beniuolentia, & desiderium supplicantis ecclesiæ vestræ discretione impleatur sententia. Quoniam ergo exitus huius negocij ex vestro pendet arbitrio, vigilantiam vestram multa precum instantia flagitamus, vt si aliquis venialis excessus, prout est humana conditio, in prædicti electi persona notatus est, quominus plena in eo videatur regularis integritas, prouida hunc compensatione libretis, & vtili dispensatione supportetis; præsertim cùm ecclesia præsens æquè sibi vtilem non inueniat, quem cum pace regni & ecclesiæ consensu in Episcopum eligat. Neque enim, vt nobis videtur, damnosè aliquando rigor canonum remittitur * vbi multorum vtilitati prouidetur. Sic enim Papa Pelagius quendam Syracusanæ vrbis electum vxorem habentem & filios, cùm ista occasione ordinationem eius multo tempore distulisset; postea interueniente * Cetego Patricio, quia ecclesia in voluntatis suæ proposito irreuocabiliter perstitit, accepta ab eo cautione quæ competebat, ordinari permisit. In hunc quoque modum si velimus præteriti & præsentis temporis exempla colligere, inueniemus principes Ecclesiarum quædam pro rigore canonum districtiùs iudicasse, * multa pro temporum necessitate tolerasse, multa pro personarum vtilitate dissimulasse. Quæ quia sollicitudini vestræ ignota esse non credimus, ea vobis enumerare superfluum duximus. Tantùm prouideat vestra vigilantia, ne vlteriùs suspendendo ordinationem electi, laboret * & periclitetur Ecclesia. Quòd si in hoc non bene consultum famæ vestræ creditis, vtile est & conducibile, vt metropolitani sui & comprouincialium discretioni & prouidentiæ cum vestra beniuolentia committatis. Valete.

** al. dominus.*

** al. prouiderat.*

** idem epist. 171.*

** sic plerique vett. codd. vt etiam in can. 13. de Syracusanæ. dist. 28. anteà, Metego.*

** sup. ep. 16. Gratian. sub can. 1. q. 7. & tit. multa ex circunstantiis &c. dist. 29.*

** vnus v. c. laboret electus & p. confer locum epist. 60.*

EPISTOLA LVI.

Philippo Dei gratia Serenissimo Regi Francorum, Iuo humilis presbyter suus salutem, & sicut domino & Regi suo fidele seruitium.

DE eo quod paruitati meæ mandauit vestra sublimitas, post duo concilia hoc anno à domno Papa celebrata, nunc legatum eius Lugdunensem Archiepiscopum infra eundem annum, tertium generale conuocare, & ad hoc regni vestri Episcopos inuitare, serenitati vestræ respondeo, quia cùm nuper litteras eius habuerim nihil tale ibi legi, vel à misso eius audiui. Quod tamen si faceret, non esset hæc apostolica institutio, vel Ecclesiastica consuetudo. Si autem aliquis pro culpis suis indulto sibi congruo spatio à Legaticis apostolicis vocatus fuerit, non potest subterfugere, quin ad diem sibi præscriptum occurrat, nisi eum legitima causa detineat. Quòd si quis eos * vltra terminos à patribus constitutos angariare voluerit, vos habito cum eis communi consilio iniustis oppressionibus pro persona vestra resistite, sic vt quæ Dei sunt, Deo* reddant, & quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddere non omittant. Valeat multo tempore sublimitas vestra.

** al. contra.*

** al. reddantur. Marc. 12.*

EPISTOLA LVII.

Iuo Dei gratia humilis Carnotensis Episcopus, Ganfrido Vindocinensis monasterij Abbati, mundum spernere cum suo flore.

DE fratre illo qui ter à vobis fugiens secundum constitutionem monasticæ regulæ ter* susceptus fuerat, & nunc quarta vice auersus fugerat, & item conuersus & reuersus sepulturam cum fratribus per misericordiam obtinuerat, mihi satis placet quia superexaltat misericordia iudicium, & Dominus principi Apostolorum consuluit, conuerso peccatori non tantùm dimittendum septies, sed vsque septuagies septies. Sed quia sacrilegium quod commisit * abscondit, nec condigna satisfa-

** confer epist. 160.*

Iacobi 2. Matth. 18.

** commiserat, ms. c.*

ctione monasterio rem sublatam restituit, monendo consulimus, & consulendo monemus, vt sepulturam quam cum fratribus misericorditer acceperat, amittat: quatinus cæteri timorem habeant, & à simili sacrilegio manus contineant, quia non potest sequi plena remissio vbi non fuit vera conuersio.* Vale.

vnus v. c. confessio.

EPISTOLA LVIII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, congregationi Senonensi beati Stephani, salutem & suæ † necessitatis debitum adminiculum.

† necessitati, ms c.

PEtitorio vestro mandauit nobis vestra fraternitas, vt electum vestrum in purificatione* beatæ Mariæ, pro officio nostro ordinemus in presbyterum, sequenti autem Dominica consecremus in Episcopum: sed apostolica institutio & paterni canones habent, vt non fiat leuitica vel sacerdotalis ordinatio, nisi ieiunio quarti mensis, septimi & decimi,* aut initio quadragesimæ, vel sabbato medianæ quadragesimæ. Et quia periculum est ordinatoris & ordinati * citra ordinem à patribus traditum, sacrum ordinem tradere vel accipere, & verba sunt Sapientiæ: *hæreditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit:* Expectet interim vestra fraternitas legitima tempora, donec cũ confratribus nostris, & cum ipso electo colloquium habeamus, & quicquid fieri vel non fieri possit, diligenti inter nos examinatione pertractemus. Obstare enim quædam videntur, de quibus nobis cum ipso electo agendum est, antequam ipsius electionem confirmemus, quod ad præsens* Deo annuente fieri poterit, cùm ad colloquium regis pariter conuenerimus. Valete.

** al. sanctæ.*

** ca. nullus. dist. 5. & ca. vlt. dist. 75. de temporib. ordinat. Albinus Flaccus. lib. de diu offic & Amalarius, l 2. de presb. & diacon. sabbato consecr.*

** al. contra. Prou. 20.*

** apud Senones. v. c.*

EPISTOLA LIX.

Hugoni Dei gratia Lugdunensi Archiepiscopo apostolicæ sedis legato, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, cum debita obedientia deuoti famulatus obsequia.

SI dilectioni vestræ aliquando fuit de paruitate mea bona spes, non oportuit grauitatem vestram tam citò desperare, nec maliuolorum, non quæ Dei sunt sed sua quærentium, obtrectationibus* tam facilè aurem inclinare: vt eorum lacerationibus, qui non possunt aliter sibi famam probitatis adquirere, nisi famæ insidientur alienæ, suspicemini me aut in via Dei non ambulasse, aut ab ea propter humanum fauorem deuiasse. Testis enim est mihi scrutator renum & conscius secretorum, quia in consecratione Aurelianensis Episcopi,* in qua mansuetudinem vestram exasperasse nunc videor, immunis est manus mea ab omni munere, munda est mens mea ab omni temporalis commodi expectatione. Ea etiam mala quæ de prædicto Episcopo sollicitudini vestræ suggesta sunt, vel inaudita † mihi fuerunt vel incognita; vel si aliqua ad aures meas peruenerunt quæ purgatione digna viderentur, licet* nulla exstaret legitima accusatio, sic tamen sunt secundum canonicam institutionem publica sacramentorum examinatione purgata,* vt si qua posset remanere pro humana infirmitate suspitio, iam non humano; sed diuino mihi videretur reseruanda iudicio. Vnde sine vlla disceptatione testimonium mihi reddit conscientia mea, me nihil in hoc negocio commisisse quod aduersetur rectæ fidei, sanæque doctrinæ, qui generales patrum sanctiones de ordinatione Episcoporum me nescio transcendisse. Nam quòd opposuistis castitatem * eius non fuisse probatam, nec à me in litteris meis fuisse commendatam, superfluum mihi visum fuit, post* domnum Papam de castitate eius disceptare, cuius præcepto videram eum Romæ in presbyterum ordinari (cuius eadem lex est continentiæ, quæ & Episcopi) cuius etiam sacerdotium post litteras Papæ commendatitias legi litteris vestris commendatum, & Episcopum suum, qui eius sacerdotium aspernabatur, à vobis vehementer reprehensum. Quòd verò mihi scripsistis, propter officium legationis vobis iniunctæ priùs † hoc ad notitiam vestram fuisse referendum, vt tunc eum demum consecraremus, cùm quòd vobis benè placeret, agnosceremus; quoniam sic* præcepit Leo Papa Anastasio Thessalonicensi Episcopo legato suo; personale hoc fuisse intelligimus priuilegium, non generale decretum, maximè cùm secundum eundem Leonem, *legationis officium pars sit apostolicæ sollicitudinis, non plenitudo potestatis.** quæ etiam pars modò plus, modò minus recipit pro arbitrio committentis. Sed quia modò per vos demum cognoui, quòd nec dicto nec scripto alicuius antè didiceram, non est meum studium contra priuilegium legationis vestræ, vel quantamcunque sublimitatem diuina dispensatio vobis dare voluerit, contentiosè agere, qui semper fui paratus pro viribus obedire, & honestati vestræ contra omnes obtrectatores vestros, eos etiam qui me nunc apud vos lacerant, quantum præualui propugnare. De cætero itaque consulo sollicitudinem vestram, vt mihi rescribatis quid nobis agendum sit de Daimberto Senonensis Ecclesiæ electo,* quem, licèt nobis inconsultis electum, Senonenses clerici offerunt in initio quadragesimæ ordinandum, ac denuò in Episcopum consecrandum. Commendant enim eum satis accuratè electores eius, & generis nobilitate, & morum honestate, & publicarum actionum strenuitate. Cuius electio si iusta vobis videbitur, petimus vt nullas moras innectatis: si iniusta, qua lege differenda sit, vel cassanda, me & consuffraganeos meos sic litteris vestris instruatis, vt nec vni, nec alteri, sed omnibus hoc onus imponatis. Bene valete, & à versutia Turonensis * Archiepiscopi diligenter vobis cauete, ne plus noceat amicus, quàm nocere poterit inimicus.

** tam fac. deest in ms. c.*

** videtur intelligi Sanctio, vel Samso de cuius consecratione agit epist. 54.*

† mandata, ms. c.

** videtit. deficiètib. accusatorib. quis sit cogendus ad purgandũ. cau. 2. q. 4.*

** septem sacramentis*

huic Sanctioni purgatum testatur dicta epist. 54.

** iuxta canones apud Gratia. dist. 81.*

** al. Domnum.*

Inclusa desumpta sunt ex ep 90 c 3. Leonis primi ad R. stic. Narbon.

† post, ms. c.

** al præcepe rit. Leo Papa 1. in epist. 82. cap. 1 & refertur in ca. 4. de person. distinct. 65.*

** citatur in ca. multum. causa 3. q 6. idem de cæteris ecclesiis quibus vices suas impertit Romana dicit S. Gregor. suprà ep. 8.*

** hunc etiam laudat à nobilitate, eruditione & bono testimonio, epist. 60. quem tamen hic Hugo cõsecrari prohibuit causa relata epist. 65. qua de re cõqueritur autor epist 60.*

** huius insidias notat ep. 66 cuius mores turpissimos exagitat epist. 67.*

EPISTOLA LX.

Hugoni Lugdunensi Archiepiscopi sedis apostolicæ legato, Iuo humilis ecclesiæ Carnotensis minister salutem & seruitium.

FActum est vt imperastis, & manus à consecratione Senonensis* electi continuimus, & litteras vestras per comprouinciales Episcopos pro apostolicæ auctoritatis obedientia direximus. Petendo itaque consulimus, & consulendo petimus discretionem vestram, vt parciùs de cætero nos apostolicæ obedientiæ vinculis adstringatis, ne humeris nostris importabilia imponendo, in inobedientiam labi,

** Daimberti, vt liquet ex epist. 65 huiusce autem epistolæ commeminit, epist. 67.*

prohibente aliqua impossibilitate, vel imperante aliqua necessitate faciatis. quia facile est vobis comminante arcu de longinquo pugnare. nobis autem nimis periculosum aduersantem gladio de præsenti ferire. Nos tamen interdicta seu mandata pro fidei defensione, pro fidelium correctione, pro sceleratorum emendatione, pro imminentium vel futurorum malorum interdictione, promulgata à sede apostolica sic volumus obseruare, vt parati simus Deo coöperante quælibet aduersa pro eorum defensione tolerare. Cùm verò ea quæ indifferenter se habent, & in quibus non obseruatis minimè salus periclitatur, vel obseruatis minimè iuuatur, tam obnixè seruanda sancitis: vel cùm ea quæ antiquitas sanxit, consuetudo seruauit, & venerabilium auctoritas patrum sacrata firmauit, prout vultis, minuitis, aut mutatis: attendere debet prudētia vestra, quid saluti eorum quibus per omnia prodesse debetis, conferatis, vel quorum institutio sit potiùs tenenda, vel quibus obedientia potiùs sit exhibenda; an illis sanctis patribus qui adhuc nobis in scriptis suis loquuntur, an vobis quibus nihil est aliud propositum, nisi priorum sequi & honorare vestigia. Neque hæc † dico, quòd contra nouos excessus non liceat noua promulgare mandata: sed hoc dico, quòd dicit Papa Zozimus Narbonensibus: * *contra statuta patrum concedere aliquid vel immutare,* **nec huius quidem sedis potest auctoritas. apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reuerentiam.* In libro quoque pontificum, qui dicitur Diurnus, ita continetur de professione Romani pontificis: *nihil de traditione quam à probatissimis prædecessoribus meis traditam & seruatam reperi,* * *diminuere, vel mutare, aut aliquam nouitatem admittere, sed feruenter vt eorum discipulus & sequipeda* * *totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonicè comperio, obseruare ac venerari profiteor.* Beatus quoque Gregorius Maurentio * magistro pro causa Theodori: *graue nimis est contra veterem vsum sacerdotes sibi quidquam arripere.* Item idem: *omnia quæ vsus antiquitatis statuit, intemerata seruentur.* Inde Leo quartus scribit Iudici Sardiniæ: *nec mos, nec nouiter introducta consuetudo nostra ecclesiæ nostris prædecessoribus fuit, contra canonum statuta, noua vel inusitata præsumere.* Item Gregorius * vniuersis Episcopis Numidiæ: *consuetudinem, quæ contra fidem nihil vsurpare dignoscitur immotā permanere concedimus, siue de primatibus constituendis, siue de cæteris capitulis.* Item Leo quartus Lothario: *quòd iusta ac sedula consuetudo* † *nos imitari non præcepit, ita ab hoc* * *veluti à magno præcipitio nos custodire oportet.* Nicolaus quoque inter cætera sic scribit * Hincmaro Remensi Archiepiscopo. *Ridiculum est & satis abominabile dedecus, vt traditiones quas antiquitus à patribus suscepimus,* * *infringi patiamur.* Gelasius quoque vniuersis Episcopis per Dardaniam de hac eadem re ita scribit: * *Quia per ambitiones illicitas non pudet quosdam ecclesiarum iura turbare, & priuilegia quæ metropolitanis vel comprouincialibus Episcopis decreuit antiquitas, auida præsumptione peruadere, non respicientes* * *quoniam æterno iudici rationem tam de catholicæ sinceritatis iniuria, quàm de traditionum præiudiciis paternarum non sine perpetuæ* † *damnationis interitu sint*

† hoc ms. c.
* can. contra statu. 25. q. 1.
* ne, ms. c.
* hoc etiam testatur epist. 93.
* al. totius.
* vnus cod. Maurentino.
* epist 75 lib. 1. & in can. nos dist. 12.
† Quod si ista cōsuetudo ac sedula. ms c.
* al. vti à.
* v. c. Ser. Hingmauro al. Hicmaro, sed Hincmaro legitur in ipsius Nicolai prim. epist. 70 citatur etiam ca. 6. dist 12.
* additur dicta ep. 70. pro libitu semper errantium.
* ca. quia per dist. 64.
* al. quia ita ms. c.
† sint. v. c.

reddituri: si in hac obstinatione permanserint, caritatem vestram duximus instruendam, vt vos omnes in commune fratres per Dardaniam, siue per contigam quamque prouinciam constituti, qui vos sub metropolitanis vestris esse meministis, & ab eisdem † *substitui decedentes, sicut vetus consuetudo deposcit, vnanimiter studeatis antistites: & vicissim si metropolitanus humanæ conditionis sorte recesserit, à comprouincialibus Episcopis, sicut vetus forma transmisit, sacrari modis omnibus* * *censeatis.* Cùm ergo tam ista quàm alia generalia instituta tam absolutè consecrationem metropolitani contineant, miramur cur priuatis legibus & nouis traditionibus veteres traditiones & consuetudines remouere contenditis, præcipiendo vt Senonēsis electus * ante consecrationem suam vobis præsentetur, & iure primatus vestri subiectionem & obedientiam profiteatur. Quod hactenus nec in Senonensi prouincia, nec in aliis prouinciis antiquitas instituit, nec consuetudo seruauit. Vnde Papa * Nicolaus inter cætera sic scribit Radulpho Archiepiscopo Bituricensi aliqua vltra ius primatis sibi vsurpanti: *Primates vel Patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones* * *concedunt, & prisca illis consuetudo contulit, diffinimus, ita vt secundum regulas Nicenas* * *sua priuilegia seruentur ecclesiis.* Quòd si priuilegio vestræ legationis eum vobis contenditis præsentari, qui nec apud nos nec apud vos ab aliquo est accusatus, non ita Papa Leo Anastasio instituit Thessalonicensi Episcopo vicario suo, * sed vt tantùm de nomine electi ad notitiam eius prouinciales referant sacerdotes: ipse autem nullis difficultatibus, nullis dilationibus iustas fatigaret electiones. Quantum enim audiuimus, persona nobiliter nata, * competenter erudita, boni testimonij inter notos, cùm in ecclesia sua diaconatus fungeretur officio, sine vlla dissonantia gratuitam habuit electionem. Sed si his exactionibus modò cederet, diceretur munere linguæ vel officij suam comparasse consecrationem. Quod autem scripsisti prædictum electum inuestituram Episcopatus de manu Regis accepisse, nec relatum * nobis ab aliquo qui viderit, nec cognitum. Quod tamen si factum esset, cùm hoc nullam vim sacramenti gerat in constituendo Episcopo vel admissum vel omissum, quid fidei, quid sacræ religioni officiat, ignoramus: cùm post canonicam electionem * Reges ipsos apostolica auctoritate à concessione Episcopatuum prohibitos minimè videamus. Legimus enim sanctæ recordationis summos pontifices aliquando apud reges pro electis ecclesiarum, vt eis ab ipsis Regibus * concederentur Episcopatus ad quos electi erant, intercessisse; aliquorum, quia concessiones Regum nondum consecuti fuerant, * consecrationes distulisse. Quorum exempla * supposuissemus, nisi prolixitatem epistolæ vitassemus. Domnus quoque Papa Vrbanus * Reges tantum à corporali inuestitura excludit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum sunt caput populi, vel concessione; quamuis octaua synodus solùm prohibeat eos interesse electioni, non concessioni. Quæ concessio siue fiat manu, siue nutu, siue lingua, siue virga, quid refert? cùm Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantum

† hisdem.
* sic plures v. c. quia à constituatis.
* Daimbertus, cuius consecrationem impediebat hic Hugo ob causam relatam epist. 65.
* citatur latius infrà epist. 83.
* al. concesserunt.
* ca. 6 Nic. Conc. & in ca. mos antiquus. dist. 65.
* in ca. de persona dist. 65.
* confer locum epist. 59. in fine.
* est, ms. c.
* epist. 164. & in ca. cum longe dist. 63.
* ca. Reatina. 16. dist. 63.
* ca. Agatho. & seqq. dist. 63.
* al. proposuissemus.
* inf. ep. 233.

aut votis petentium annuere, aut villas ecclesiasticas & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent ecclesiæ, ipsis electis concedere. Vnde Augustinus super Ioannem prima parte tractatu sexto: * *Quo iure defendis villas ecclesiæ, diuino an humano? diuinum ius in scripturis habemus, humanum in legibus Regum. Vnde quisque possidet quod possidet, nonne iure humano? Nam iure diuino, Domini est terra & plenitudo eius. Iure humano dicitur, hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic seruus meus est. Tolle iura imperatorum, quis audet dicere, hæc villa mea est, meus est iste seruus, mea est ista domus?* Item. *noli dicere, quid mihi & Regis? Quid tibi ergo & possessioni? Per iura Regum possidentur possessiones. Dixisti, quid mihi & Regi? noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa iura renunciasti humana, quibus possessiones possidentur.* Quòd si hæc æterna lege sancita essent, non esset in manu præsidentium, vt ea in quibusdam districtè iudicarent *, in quibusdam misericorditer relaxarent, ipsis in honore accepto permanentibus contra quos ista loquuntur. Nunc verò quia ea illicita maximè facit præsidentium prohibitio, * licita quoque eorundem pro sua æstimatione remissio; videmus nullos aut penè nullos pro huiusmodi transgressione damnatos, plurimos autem vexatos, plurimas ecclesias spoliatas, plurima scandala exorta, diuisum regnum & sacerdotium, sine quorum * concordia res humanæ nec incolumes esse possunt nec tutæ. Videmus quoque miseros Episcopos & Abbates, nec ruinis morum nec murorum reficiendis velle vel posse vacare, solùm ad hoc intentos, vt possint sibi aliquam linguam magniloquam amicam facere, cuius nundinis se possint vtcunque defensare. Multi quoque electi qui gratuitam & canonicam habent electionem, quia huiusmodi dilationibus vel fatigationibus impediuntur; * comparatis sibi pecunia mediatoribus & prolocutoribus, ne turpem patiantur repulsam, in simoniacam offendunt aliquando consecrationem. Cùm ergo omnis institutio ecclesiasticarum legum ad salutem referenda sit animarum; istarum institutionum transgressiones aut districtiùs essent corrigendæ, vt saluti prodessent, aut interim silentio prætermendæ, ne spiritualia vel temporalia commoda supradictis modis impedirent. Nec ista dico tanquam velim aduersus sedem apostolicam caput erigere, vel eius * salutaribus dispositionibus obuiare, vel meliorum sententiis præiudicium facere, si viuis nitantur rationibus, & euidentioribus veterum patrum auctoritatibus. Sed hoc vellem cum multis mecum piè sentientibus, vt Romanæ ecclesiæ ministri tanquam probati medici maioribus morbis sanandis intenderent, & non ab irrisoribus suis audirent, *Culicem * excolantes & camelum glutientes, mentem, rutam, ciminum, & anetum decimatis, grauiora autem legis præcepta prætermittitis*: cùm per totum penè mundum flagitia & facinora videamus publicè perpetrari, nec ea à vobis aliqua iustitiæ falce resecari. Quorum exempla quia vel à vobis non sunt remota, vel vobis non ignota, non est meum eos speciali sermone taxare. Vos videritis quid de his & similibus agere debeatis. Nunc verò specialiter ad hoc intendit stilus meus, vt electum * Senonensis ecclesiæ, si nihil in eo quod sacris canonibus obuiet, repertum fuerit, secundum morem antiquum consecrari permittatis: quia de tantillo iure, cedere quod habent ecclesiæ nostræ, * nec volumus nec debemus cedere: cùm beatus dicat, * *Quàm periculosum sit in diuinis rebus, vt quis cedat iure suo & potestate, scriptura sacra declarat, cùm Esau primatus suos inde perdiderit, nec recipere id postmodum potuerit* * *quod semel cessit.* Quòd si huic petitioni nostræ adquieueritis, consecrato omni studio persuadebimus, vt primatum * Lugdunensis ecclesiæ recognoscat, vobis sicut primati suo deferat & omnem debitam reuerentiam secundum traditiones patrum exhibeat. Qui si adquiescere noluerit nostris persuasionibus, nos tamen ab his quæ præceperit * apostolica sedes, non recedemus. Si autem petitionibus nostris non adquieueritis, & aliquod schisma inde fuerit exortum contra votum nostrum; securè dicam, neque iniquitas mea, neque peccatum meum: neque vos poteritis dicere, vobis non fuisse prædictum. De cætero prædam à Puteacensibus * in me & in Carnotensem ecclesiam factam iure possem à vobis repetere, si reuerentiam vestram in ius vocare possem, qui ad suggestionem æmulorum meorum, prædictos sacrilegos à me & ad coëpiscopis meis communione priuatos, me nesciente communioni reddidistis, ac per hoc scelerum suorum impunitate ad perpetranda maiora sacrilegia relaxastis. Quod vtrum faciendum fuerit, vel post factum cognita veritate corrigendum, iudicet iustitia vestra, cùm iusta vincula non soluat nisi vera pœnitentia. Si ad hæc omnia respondere non licet, vel non placet, ad hæc saltim duo vltima respondeat sanctitas vestra. Bene vale.

* ca. quo iure dist. 8.
Psal. 23.
* vindicarent. ms. c.
* similis locus epist. 190 & 236.
* ex Leonis 1. epist. 19 in ca. 20. res autem causa 23 q. 5. In quam rem Iuo epist. 106. & 114.
* hinc laborare & periclitari ecclesias ait epist. 55. Inde primus monetur nihil moræ aut difficultatis adferre rectis ordinationibus, ca. 4. de persona. dist. 65
* al. salubribus, ita ms. c.
* al. colantes
Matth. 23.
Luc. 11.
Huc refer epist. 109. vbi de legatis Pontificiis conqueritur.
* Daimbe tu vt suprà.
* singulis enim eccl. sua priuilegia seruanda. ca. mos. dist. 65.
* epist. 6. lib. 1 ad Magnum.
* al. quo. ms. c
* cuius mentio supra, & epist. 50 & 54 & 236.
* in tribus vett. codd. Romana sedes
Psal. 58.
* epist. 75. 111. 112 & 204.

EPISTOLA LXI.

Hugoni primæ sedis Episcopo Romanæ ecclesiæ legato, Iuo humilis Carnotensis ecclesiæ minister salutem & obsequium.

Secundum mandatum vestrum gratanter & deuotè vobis quacunque occasione, * vbi cunque opportunè fieri posset, occurreremus; sed de terra nostra exire vel in eandem redire sine magno periculo non possumus, propter quosdam sceleratos viarum nostrarum obseruatores * quos pro pace violata & cæteris enormitatibus suis sathanæ tradidimus. Præter hoc secundum consuetudinem * ecclesiæ nostræ, synodum vij. Kal. Nouemb. celebrare debemus, in qua de negociis ecclesiasticis & pace totius patriæ multa nobis tractanda sunt, quæ sine præsentia nostra vel non tractarentur, vel tractata non terminarentur. Verùm de eo quod consecrationem Niuernensis electi ad nostram diœcesim pertinentem, * Augustuduni facere disposuistis: simpliciter dico paternitati vestræ, quia nec dispositionem vestram reprehendimus, quoniam reuerentiæ vestræ deferimus, nec tamen approbamus, quia nec ex auctoritate, nec ex consuetudine ordinem huius consecrationis habemus, nec in consuetudinem ducere sine multa deliberatione audemus, timentes rei fieri sponsionis quam metropolitanæ sedi fecimus. Cuius præsides si non rectè incedunt, videtur nobis secundum

* vbique. ms. c.
* confer epist. 211.
* de synodis singulis annis celebrandis Gratia. Decret parte 1. dist. 18.
* al. Augustiduni. ita ms. c.

dominicum præceptum enormitas eorum deuitanda, peruicacia arguenda, non autem potestas * cathedræ, quæ non sacris locis propter personas huius temporis, sed propter sacra loca personis conceditur, est euertenda. Cùm ergo metropolitana sedes ad præsens ab hoc officio suspensa sit, possemus nos pro sede metropolitana confratribus † nostris secundùm consuetudines nostras intra diœcesim hoc sacramentum consecrationis implere, confirmata per ministerium vestræ legationis prætexatæ personæ electione; quam aliter facientes quàm cum ea vel pro ea, vel non † confirmantes, videremur prelatam nobis cathedram quodammodo subuertere. Quòd si aliquando contigit penuria catholicorum Episcoporum, vel aliqua alia necessitate cogente aliquem * episcopum à comprouincialibus non fuisse consecratum; non debent hæc exempla præiudicium facere legi communi, vel generali consuetudini. Licèt enim prudentia vestra velit & debeat ministerium suum * honorare, reminisci tamen debet, quia cùm Petrus Paulo esset prælatus, dederunt tamen sibi inuicem dexteras * societatis, vt alter in gentibus, alter in circumcisione prædicaret euangelium. Attendat ergo discretio vestra, vtrum hoc ita fieri liceat, & si liceat, vtrum expediat, ne fortè odisse & detrectare incipiant iugum vestrum, quos vultis habere subiectos, dum hoc exemplo suo se intellexerint iure esse priuandos. Quanta autem firmitate singulis ecclesiis sua sint iura seruanda demonstrat Stephanus quintus Papa ità scribens * Walberto patriarchæ: *Miramur prudentiam * vestram Cumensi ecclesiæ denegare consecrare pastorem, cùm te etiam * ad hoc prouocatum noueris apostolica exhortatione. Nunc verò iteratò tibi scribimus, nolentes alicuius ecclesiæ priuilegium infringere, licet apostolica prærogatiua possimus de qualibet ecclesia clericum ordinare.* Cùm ergo præcipua virtus sit viri illustris * parcere subiectis, & debellare superbos, cauendùm est vestræ solertiæ, ne glorientur aduersus * nos, recalcitrantes aduersus vos, tanquam plus profuerit eis sua repugnantia, quàm nobis obedientibus nostra obedientia. Sed non est opus, vt nos multum in dicendo laboremus, quia nihil vltra terminos patrum vestram moderationem vsurpare arbitramur. Valete.

* idem locus epist. 226.
† cum fratribus, ms. c.
† deest in ms. c.
* Vide Gratianum sub epist. 64. & 65.
* al. honorificare, quo verbo vtitur epist. 142. & 146. ita ms. c.
* infrà epist. 134. ad Galat. cap. 2.
* quidam, Gualberto, alius extat in ca. nunc verò, can. 9. q. 3.
* al. tuam, ita ms. c.
* iam, ms. c.
* Virgil. 6. Æneid.
* al. aduersum, ita ms. c.

EPISTOLA LXII.

*Iuo Dei gratia Carnotensis ecclesiæ minister * Sanctioni confratri & coepiscopo * salutem & seruitium.*

* al. Sancioni. ita ms. c.
* fortè Aurelianensi, ex epist. 53.

PAcem quam feci cum Adelecia Puteacensis castri domina, super quam admiramini, non ita feci vt aliquid vestris iuris vsurparem. Sed omne quod ad vestrum ius pertinet, patenter exciperem. Meam enim tantùm iniuriam remisi non vestram: & hoc postulaui à fraternitate vestra, vt pro præteritis iniuriis meis supra prædictam fœminam nullam exerceretis vindictam. ad quam rem magna ex parte me compulit timor vester. Significastis enim mihi litteris vestris multa incommoda imminere vobis & ecclesiæ vestræ, si differrem pacem cum ea facere. Vnde inuenta occasione volui tam vestris quàm meis commodis prouidere. Si ergo restant aliquæ iniuriæ ad propriam parochiam pertinentes, ne videar vobis esse importunus, prout vobis placuerit & ratio permiserit eas expostulate. De clericis autem vel monachis Puteacensibus qui contra interdictum vestrum missas celebrauerunt, mortuos sepelierunt, chrisma aliunde acceperunt: hoc vobis respondeo & consulo, vt si gratiam Lugdunensis archiepiscopi pleniter habetis, cuius consensu interdictum vestrum prædicti Puteacenses cassatum fuisse dicunt, plenam secundùm rigorem * canonicum super eiusmodi † transgressores vindictam exerceatis: vt & istos & alios ab huius † inobedientia compescatis, secundùm illud apostoli, *in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* Alioquin, leuius erit ea supportare, quæ non licet ad plenum vindicare. De Geruasio * quoque non debet vestra fraternitas mirari vel indignari, quòd eum ad communionem in paschali curia suscepi. Pro Regia enim honorificentia hoc feci, fretus auctoritate legis, in qua legitur: * *Si quos culpatorum Regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes effecerit, hos etiam sacerdotum & populorum conuentus suscipere in ecclesiastica communione debebit: vt quod principalis pietas * recipit, nec à sacerdotibus Dei * alienum habeatur.* Vale.

* al. canonū.
† huiusmodi ms. c.
† huiusmodi ms. c.
2. Cor. 10.
* epist. 261. & 266.
* in multis antiquis lib. Si quem ms. c. hæc lex refertur etiam epist. 171.
* vel recepe- rit.
* al. extraneum.

EPISTOLA LXIII.

Iuo humilis ecclesiæ Carnotensis minister, Lendoni fratri & compresbytero salutem.

POst multam obliuionem recordatus sum tuæ petitionis & meæ sponsionis: quia † spoponderā me scripturum aliqua cōtra quorundam nescio simplicium an duplicium ineptias, qui secundùm apostolum nesciunt neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, dicentes: quascunque personas etiam sacrum ordinem non habentes, verba dominica proferentes, sacramenta altaris & cætera ecclesiastica sacramenta posse conficere, & salubriter accipientibus ministrare. Quorum fatuitas multipliciter improbari potest, partim ratione, partim diuinorum operum attestatione, postremò sanctorum patrū irrefragabili auctoritate. Primò namque si à quibuscunque personis diuina sacramēta * confici & tractari possent, ex abundanti constitutus esset in ecclesia ordo sacerdotalis & leuiticus, quod impium est aliquem arbitrari: cùm hunc vtrunque ordinem & vetus lex, primò Domino iubente sub figura constituerit, & euangelica vel apostolica doctrina postmodum in veritate consecrauerit. Vnde in Exodo Dominus ita loquitur ad Moysem: *Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & baltheos ac tiaras in gloriam & ac decorem, vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo, & cunctorum consecrabis manus, consecrabisque eos vt sacerdotio fungantur mihi.* Et in sequentibus: *Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi, & iuxta compositionem eius non facietis aliud.* Et item: *Sanctum sanctorum erit in thymiama, talem compositionem non facietis. Quicunque homo fecerit simile, peribit * de populis suis.* Vnde legitur in Leuitico, quòd Nadab, & Abiu, filij Aaron, cum acceptis thuribulis posuissent ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis

† qua, ms c.
1. Timoth. 1.
* &
Exodi cap. 28
* al. de filiis.
Leuitici cap. 10.

non erat præceptum, egressus est ignis à Domino & deuorauit eos. Quid est autem ignem alienum sacrificio apponere, nisi sacerdotij opus sine legitima ordinatione ex sui spiritus præsumptione vsurpare? Habemus quoque in Leuitico, quia completis à sacerdote summo

Leuit. c. 9.

Aaron hostiis pro peccato & holocaustis & pacificis, egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum & adipes qui erant super altare. Vnde è contrariò in libro numeri legitur, quòd

Num. c. 16.

cùm Datan, Core & Abyron sacerdotium sibi vsurpare volentes, imposito igne thuribulis thymiama superposuissent; non thymiama diuinus ignis adoleuit; sed absorptis principibus à terra complicem multitudinem similiter thurificantem materialis ignis assumpsit. Sicut ergo diuinus ignis holocausta vmbratilia à legitimis tamen sacerdotibus oblata visibiliter absumebat, & in se conuertebat, vsurpatorum autem victimas non tantùm respuebat, verùm etiam vsurpantes terribiliter condemnabat: sic diuina virtus sacramenta huius temporis à legitimis sacerdotibus ministrata inuisibiliter consecrat, & in veritatem Christi corporis & sanguinis transformat. Aliter verò præsumentium hostias non tantùm habet irritas, verumetiam ipsos præsumptores interim cæcitate interiore condemnat, in futuro quoque eis irremediabiles pœnas parat. Neque enim illa sacrificia quæ erant vmbra futurorum, solis verbis Dominus perfici voluit, sed omnia circunstãtia mysteria & ministeria ad completionem eorum adhiberi præcepit, altaria videlicet & vasa ad hoc opus sacrata: sacerdotes quoque & ministros ad hæc offerenda vel ministranda ordinatos non sine ornamentis mysticis ad hoc officium sanctificatis, de quorum omnium

Leuit. c. 8.

sanctificatione sic habemus in Leuitico. *Tulit Moyses vnctionis oleum quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili sua. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, vnxit illud & omnia vasa eius, labrumq; cum basi sua, quod fundens super caput Aaron vnxit eum & consecrauit, filiosque eius oblatos vestiuit lineis tunicis, & cinxit* * *balteos, imposuitque mitras, vt iusserat Dominus.* Et post pauca: *Assumensque vnguentum & sanguinem qui erat super altare, aspersit super Aaron & super* * *vestimenta eius, & super filios eius ac vestes eorum, & sanctificauit in vestitu suo. Completa autem sanctificatione dixit Moyses ad Aaron, accede ad altare, & immola pro peccato tuo. Offer holocaustum & deprecare pro te & pro populo. Statimque Aaron immolauit vitulum pro peccato suo, cuius sanguinem obtulerunt ei filii eius.* In quibus attendendum est, quia primùm sacratur tabernaculum, altare & vasa, sacerdotes & indumenta sacerdotalia: dehinc iubetur vt accedant* ad altare sacrificaturi, & pro suis populique peccatis Dominum deprecaturi: vt intelligat populus Christianus, quia si in his sacrificiis quæ tantùm fiebant ad emundationem carnis, cum tanta reuerentia, iste ritus ministrorum & ministeriorum erat obseruandus: quanto magis in consecratione dominici corporis & sanguinis, in quibus consistit emundatio carnis & spiritus, non statim ad mysticas benedictiones & obsecrationes, quibus illa consecratio perficitur, quilibet est admittendus, nisi primùm fuerit in ordine sacerdotali consecratus, & omnium congruentium supellectilium; & omnium circunstantium ministeriorum plenitudine subornatus.

* al. baltheo.

* deest in ms. c.

* ad, deest in v. c. S. Ger.

Quòd verò alius quàm sacerdos ad consecrandum accedere non debeat, legitur in libro Numeri dicente Domino ad Aaron: *Tu & filij tui custodite sacerdotium vestrum, & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur. Si quis externus* * *accesserit, occidetur.* Quid Aaron nisi summos sacerdotes, quid filij eius nisi minores significant sacerdotes? qui accipientes à summis sacerdotibus manus impositionem, tanquam per paternam successionem, promouentur ad sacerdotalem benedictionem: qui ea quæ intra velum sunt administrant, dum corpus & sanguinem Domini, quæ intus aliud sunt, aliud foris apparent, mystica benedictione consecrant, & fidelibus populis salubriter administrant. Quid est autem externus nisi in presbyterali officio non consecratus? qui autem sacramenta dominica simulare præsumit, iustè occiditur; quia à corpore iustorum sua præsumptione præciditur.

Num. c. 18.

* al. extraneus.

Quòd verò non sine sacris vestibus ministrare debeant, legitur in Exodo. Cùm enim Dominus ad Moysem loquens vestes sacerdotales enumerasset, addidit: *Facies* * *& fœminalia linea, vt operiant carnẽ turpitudinis suæ à renibus vsque ad femoralia* *, *& vtentur eis Aaron & filij eius, quando appropinquant ad altare, vt ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur.*

Exod c. 28.

* al. & femoralia.

* feminalia, ms. c.

De cætero si ad paginas veniamus euangelicas, legimus saluatorem non laïcis personis, sed solis discipulis suis sacramenta sui corporis & sanguinis commisisse celebranda. Qui etiam cùm sacerdotium vetus transferre vellet in nouum, præcepit eisdem discipulis, vt sibi Pascha pararent in cœnaculo: vbi ipse manifestè nouo functus sacerdotio eos huius sacerdotij constituit successores, post ministratam Eucharistiam ita illis præcipiens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quid est quod saluator primùm in cœnaculo voluit hoc sacramentum celebrari, nisi quia cœnaculum celsior est habitatio domus: sicut sacerdotium celsior est in ecclesia gradus? Cùm ergo facta Domini, & facta sint in aperto, & & aliud loquantur in occulto, quid voluit Dominus * hac loci positione signari, nisi vt nemo attrectare præsumat hoc * mysterium, nisi priùs peruenerit ad sacerdotium? Hinc & apostolus ad Hebræos. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.*

Marc. 14.

Luc. 22.

* al. huius.

* ita v. c. anteà, ministerium.

Hebr. 5.

Hoc officium ab apostolis, cæteris presbyteris per successionem esse relictum testatur Hieronymus in epistola ad Heliodorũ monachum: *Absit vt de eis sinistrum quicquam loquar, qui apostolico gradui* * *succedentes, corpus Christi sacro ore conficiunt, per quos nos etiam Christiani sumus, qui habent claues regni cælorum.* Quod autem * non solùm solemnibus verbis diuina contenta sint sacramenta, testatur idem Hieronymus in explanatione super Sophoniam his verbis: * *Sacerdotes qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populis eius diuidunt, impiè agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba non vitam, & necessariam esse tantùm solemnem orationem, & non sacerdotum merita, de quibus dicitur: Et sacerdos in quacunque fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino.*

* in vno additur, sacerdotes.

* al. non solis.

* cap. 3. in Sophon, & in can. sacerdotes ca. 1. q. 1.

Leuit. 21.

Huic sententiæ consonat pater Augustinus, quòd benedicere non possit quis, nisi fuerit ordinatus, ita dicens in quæstionibus veteris

Num. cap. 6. & i : ca dictum 93. cau. 1 q. 1. testamenti: *Dictum est à Domino in Numeris ad Aaron. Vos ponite nomen meum super filios Israël. Ego Dominus benedicam eos, vt gratiam* * *traditio per ministerium ordinati transfundat* * *hominibus. Quanta autem dignitas sit sacerdotalis ordinis, hinc aduertamus. Dictum est autem de nequissimo Caïpha interfectore Saluatoris, inter catera: Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset princeps sacerdotum anni illius prophetauit. Per quod ostenditur spiritum sanctum gratiarum non personam sequi digni aut indigni, sed ordinem traditionis: vt quamuis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere nisi fuerit ordinatus, vt officium ministerij exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis.* Ex his igitur claret, quia diuinorum plenitudo sacramentorum non in solis constat mysticis orationibus * & solemnibus verbis, sed etiam his quæ suprà taxata sunt * indiget supplementis. Qui enim dedit præceptum, vt ordinatè fierent, negauit effectum veritatis, quæ in sacramentis intelligitur his qui traditum ordinem prætermitterent. Vnde apostoli qui potestatem acceperant super omnia dæmonia, cùm quendam lunaticum solo verbo sanare voluissent, & non valuissent, cum admiratione ad Dominum reuertentes didicerunt se prætermisisse quædam necessaria, sine quibus perfici non poterat illius lunatici cura. Ait enim: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & ieiunio.* Si ergo hi qui potestatem acceperant, id quod intendebant prætermisso ordine implere non potuerunt, quid mysticum, quid diuinum facere poterunt, qui nullam potestatem tractandorum diuinorum mysteriorum acceperunt? Sufficiant tibi interim ista carissime: quia cum his quæ à nobis dicta sunt multa legendo reperiet tua diligentia, quibus facilè propulsabitur talium vaniloquorum nulla ratione vel auctoritate fulta insipientia. Auertat autem Deus hunc errorem ab ecclesia sua, qui eam mundauit sibi lauacro aquæ in verbo, vt eam haberet sponsam sine macula & ruga. Vale.

*gratiarum, ms. c.
* transfundatur, ms. c.
Ioan. 11.
* ordinationibus, ms. c.
* in septem ... c indigent. ms. c.
Matt. 17. Marc 9.

EPISTOLA LXIV.

Hæc epistola in ms. cod. est 67.

Iuo Dei gratia Carnotensis ecclesiæ minister, Ioanni Aurelianensium electo salutem.

DE duobus illis clericis, Roberto videlicet & * Vulgrino, super quibus nos consuluistis, quorum alter * alterius archidiaconum dicitur inuasisse; duabus de causis certam non possumus dare vobis sententiam. Primò quia magnum nobis arietem opponitis, Lugdunensis videlicet Archiepiscopi institutum, cui obuiando nec volumus, nec debemus alicui dare consilium. Postremò quia iustus mediator non est, qui altero litigante & altero absente super re indiscussa certam vult determinare sententiam. Si autem aliquando in audientia nostra, & aliorum ad quos id pertinet, hæc controuersia ventilata fuerit, auditis vtrorumque rationibus, quod ratio persuaserit, & lex dictauerit, libenter proferemus. Vale.

* al. Vuilelmo.
* dicitur ms. c.

EPISTOLA LXV.

Domno * *& patri suo Vrbano summo pontifici Iuo filius* * *salutem & obsequium.*

* quid cod. Domino.
* suus. ms. c.

POstquam discessi à facie vestræ beatitudinis, multis hinc * inde concurrentibus causis non fuit mihi facultas ad vos redeundi, nec per nuncium meum vestram celsitudinem salutandi. Cum enim Parisiensis episcopus ad vos proficisceretur, iam fermè compleuerat iter octo dierũ, quando nondũ audieram eum ad vos esse venturum. Quo tamen audito, per quendam seruientem suum, misi post eum litteras istas, quibus commendo eum paternitati vestræ, vtpote apud nos enutritum & eruditum, & quantum videbatur in annis adolescentiæ suæ innocenter & sine querela conuersatum. Pro eo itaque quia ex indulgentia vestra pastoralem suscepit sollicitudinem, supplicamus paternitati vestræ vt eum materna pietate colligatis, paterna grauitate corrigatis: quatinus ex disciplina vestra correctior, ex grauitate vestra nobis reddatur grauior; videlicet vt studium venandi, * & alia iuuenilia desideria in se comprimat, studiosiùs solito orationi & lectioni incumbat. Prætereà summopere rogamus excellentiam vestram, vt eum munitum apostolicis litteris remittatis contra Latiniacensem abbatem & monachos eius, qui nescio qua noua libertate suos excessus tuentur, & subiectionem Parisiensi ecclesiæ debitam & hactenus exhibitam, contra canonicam institutionem de ceruice sua excutere moliuntur. Hæ autem personæ huiusmodi sunt, quibus magis necessaria est subiectio quàm libertas, qui libertate in occasionem carnis abutuntur, * quibus si decem millia pædagogorum in Christo ad custodiam deputarentur, vix tamen sic regularis continentiæ legibus ligarentur. Sicut ergo decet discretionem moderationis apostolicæ, ita rem inter vtrumque temperate*: vt nec Parisiensis ecclesia suo iure minuatur, nec Latiniacense monasterium aliquod grauamen à Parisiensi ecclesia indebitè patiatur. De Senonensi electo, * cuius consecratio à legato vestro Lugdunensi Archiepiscopo ob hoc impeditur, quia ei iure primatus sui, ante consecrationem suam, obedientiam non profitetur, quid nobis agendum sit, rescribat vestra paternitas. Cùm enim nulla aliquo accusante alia causa prætenderetur, propter quam eius consecratio differretur, eo tamen iubente * propter reuerentiam vestram manus ab eius consecratione continuimus, cùm de professione à metropolitanis primatibus facienda, nihil legamus consuetudine firmatum, vel legibus institutum: vltra quas metas nihil concessum esse primatibus testatur Papa Nicolaus ita scribens, * inter alia, Radulfo Bituricensi archiepiscopo: *primates vel patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit.* * *definimus.* De pace sanctæ Romanæ ecclesiæ & vestra prosperitate, det nobis Dominus audire * quod optamus. Valete.

* &.
* venatio clericis interdicta ca. Esaü cum seq. distinct. 86. & c. 1 de cler. venat.
* Latiniacenses monachi incontinentis vita.
* temperare, ms. c.
* Daimbertũ intellige ex collatione epist. 59. 60. & 67.
* vide epist. 60.
* citat epist. 83. refertur ca. conquestus. cau. 9. q. 3.
* v. c. diffinimus.
* aliqua. ita ms. c.

EPISTOLA LXVI.

Hugoni Lugdunensis ecclesiæ primæ sedis Episcopo, Romanæ ecclesiæ legato, Iuo humilis Carnotensis ecclesiæ minister salutem & seruitium.

QVia decorem domus Dei vos hactenus dilexisse intelleximus, post domnum * Papam super omnes Ecclesiasticas personas speciali amore vos diliximus, & famam vestram ab aliquo lacerari ęquo animo ferre non potuimus. Eundem itaque zelum in vobis nec frigere nec tepere æstimantes, miseriam * Aurelianensis ecclesiæ ante oculos vestros ponimus, quam filij alieni sua quærentes strangulant & deuorant. De qua cùm manu vestra è auulsa esset arbor infructuosa, nunc inseritur pestifera. Turonēsis enim Archiepiscopus prædictæ ecclesiæ pędagogus & incubus, in Natale Domini, Regi contra interdictum * vestrum coronam imponens, hac arte à Rege obtinuit, vt Ioannes qui per Ioannem defunctum Episcopum multis submurmurantibus & malè sentientibus factus est archidiaconus, eidem ecclesiæ præficeretur episcopus. De hoc enim Rex Francorum non secretò sed publicè mihi testatus est, quòd prædicti Ioannis succubus fuerit. Et hoc ita fama per Aurelianensem episcopatum & vicinas vrbes publicauit, vt à concanonicis suis famosæ cuiusdam concubinæ Flora * agnomen acceperit. Hoc quod dico clerus approbaret, hoc populus acclamaret, nisi metu Regis comprimerentur, vel insidiis Turonensis Archiepiscopi terrerentur, qui clericos sibi aduersantes clandestinis delationibus curiæ * tradi facit, aut in exilium pellendos, aut bonis suis spoliandos. Hic enim cùm duos * Episcopatus habere non possit, Aurelianensem ecclesiam, quam non potest retinere per propriam, per * submissam vult possidere personam: vt in ea possit quos voluerit humiliare, quos voluerit sublimare. Cui non sufficit, quòd in ecclesia, in qua irrepsit contra canonicas & apostolicas sanctiones, toleratur, nisi ei liceat ecclesiam Dei quibus libuerit procis prostituere: oculos videntium etiam medicorum vaniloquiorum suorum fumo, promissionum suatum nebulis intenebrare, vt quæ audiunt de eo non audiant, quæ vident non videant, & quæ certa sunt tanquam ignota sustineant. Sic enim de se ipso dicere solet, *se non indigere bonis clericis vel canonibus, cùm hæc omnia præsto sint ei in marsupio suo.* Nec mirum, * cui quod libet licet, & quod licet impunè facit, vt multi inde scandalizati altiùs gemant, dicentes magis impetrare desideria sua apud Iudices ecclesiasticos, zelantes iniquitatem, quàm sequentes bonitatem. Veritas mihi testis est, me non ista dicere tanquam aduersus istos homines aliqua sit mihi priuata controuersia. Sed tabescere me facit zelus meus, cùm videam in messe Dei vepres & spinas bonum semen suffocare, nullamque aut penè nullam eradicantem manum. Et si aliquando sunt qui perficiant malæ arboris ruinam, non peruigilant vsque ad fructuosæ arboris insertionem. quod in hoc negocio manifestum est. Non enim Turonensis archiepiscopus ideò laborauit, vt * Sanctio deponeretur, quatinus eo melior eidem ecclesiæ præficeretur, sed huiusmodi qui ei per omnia famularetur. Iste etenim iuuenis qui Rege iubente, & Turonēsi Archiepiscopo impingente prędictæ ecclesiæ est intrusus, ita est sub Turonensi archiepiscopo, sicut puer sub pædagogo: vt nec stans sedere, nec sedens audeat surgere, nisi eo iubente, aut innuente, vt pote qui se ei ad turpes vsus dicitur subdidisse. Ad vltimum cùm multa nefaria & turpissima dici verissimè possent, quæ deficientibus testibus veritatis pro humana infirmitate probari forsitan non possent, hoc ad repulsionem prędicti adolescentis sufficit, quòd persona ignominiosa est, & per vicinas ecclesias turpiter diffamata. Hic itaque per litteras Regis & capituli mihi est oblatus suo tempore ordinādus in presbyterum, postmodum consecrandus in Episcopum. eius autem electio nec adhuc à me est improbata, vel adprobata, sed nec aliquando adprobanda, nisi * domni Papæ vel vestra me ad hoc pertrahat obedientia. Scio enim ecclesiæ Dei non tantùm hoc esse ignominiosum, sed etiam perniciosum. Rogo itaque paternitatem vestram, vt in hac causa vigilantissimè honestati & auctoritati vestræ consulatis, & ecclesiæ Dei prouideatis? ne in manibus eius committatur salus aliena, qui nunquam adhuc deliberauit de salute sua. Per portitorem itaque præsentium mihi rescribite, quid me velitis super hoc negocio facere: vt quod responsurus sum respondeam Aurelianensibus ex vestra auctoritate. Ipsi tamen quicquid respondeam, de vestra beniuolentia plus iusto præsumentes, * vanizando dicunt, quòd iuxta petitionem Turonensis Archiepiscopi eum consecrabitis, vel consecrari * facietis. Quicquid autem vos faciatis, ego liberaui animam meam. Multi enim Aurelianenses ad hæc quæ dixi mihi darent testimonium, nisi timerent carcerem vel exilium. Et ne me ista aliqua occasione confinxisse credatis, vnam cantilenam * de multis, metricè & musicè de eo compositam ex persona concuborum suorum vobis misi, quam per vrbes nostras in compitis & plateis similes illi adolescentes cantitant, quam & ipse cum eisdem concubis suis sæpe cantitauit, & ab illis cantitari audiuit. Præterea * sciat vestra sollicitudo, quia cùm abbas * Burguliensis ore patulo, manibus apertis cum multa securitate ad Curiam in Natale venisset ad accipiendum episcopatum, sicut ei illa * prædicta Regina promiserat; quia animaduersi sunt plures & pleniores sacculi nummorum latere in apothecis amicorum istius quàm apud abbatem, ille est admissus, iste est exclusus. Et cùm abbas quereretur * apud Regem, quare sic eum delusisset, respondit: *Sustinete interim donec de isto faciam proficuum meum, postea quærite vt iste deponatur, & tunc faciam voluntatem vestram.* Summa itaque hæc est verborum meorum. Rogo, moneo, vt huic electioni nunquam adsensum præbeatis, ne domum Dei publicum prostibulum & speluncam latronum faciatis. Postremò rogo, quia semel ab Aurelianensibus deceptus sum, si quid mihi de eo scribere volueritis, per talem nuntium cui credere possim, transmittatis. Et quia turpitudo non potest nisi verbis suis exponi, irreligiosis verbis pro religione tamen assumptis veniam postulo. Valete.

* al. dominum.
* epist. 67.
* epist. 67. in fine.
* huius Floræ meminit etiā dictæ ep. 67.
* sic etiā loq. epist 53.
* bigamiam ecclesiæ vocat epist. 153.
* summissam ms. c.
* Idem locus suprà epist. 11.
* quidā vett. codd. Sancio, vt etiam ep. 54.
* quidam, domini.
* vanizando. sic in omnibus libris.
* in hanc rem ipse Hugo litteras inuitatorias scripserat, vt indicat Iuo epist. 68.
* Horū etiam mentio fit in epist. 67.
* al. sciat vestra solertia.
* sic v.c. antea Gurguliensis.
* sollet illius nomen reticere. confer locum ep. 68.
* al. aduersus regem.

EPISTOLA LXVII.

Vrbano summo pontifici, Iuo minimus sanctitatis suæ filius misericordiam & iudicium.

AVdiui dulcedinem vestram in me amaricatam, serenitatem vestram aduersum me turbatam: audiui, & conturbatus est venter meus, & ossa mea conturbata sunt. Et diligenter consului* memoriam meam quid dixerim, quid fecerim, vnde mansuetudinem vestram exasperauerim. Nec occurrit mihi, nisi quòd dixerunt quidam mihi quasdam litteras me composuisse aduersus Romanam disceptantes ecclesiam, quas miseram legato vestro Lugdunensi Archiepiscopo, pro causa Senonensis electi. * Sed cùm has apud me reperiens diligenter perlegissem, multa ibi pro Romana ecclesia, nihil contra Romanam ecclesiam in his scriptum intellexi: nisi quis fortè ad voluntatem scriptoris non accedens, & vnam faciem *castorum eloquiorum non attendens, dicat, quod absit, authentica scripta sibi inuicem aduersari, & auctoritatem auctoritate impugnari; cùm multa dissona ibi legantur, nisi suo modo intelligantur, & ad sententiam scriptoris accommodentur. In his enim litteris, sicut mihi testis est conscientia mea, & ipsarum tenor litterarum, nihil aliud intendi, nisi quòd propter crebras inuectiones ac murmurationes *aduersus Romanam ecclesiam, quibus cotidie tinniunt aures meæ, per * Domnum Archiepiscopum Lugdunensem, cui consilia vestra committitis, sollicitudinem vestram volui esse præmunitam: quatinus cum vicariis vestris sic vestra decreta libraretis, vt ecclesia non grauaretur, & eorundem transgressor sua sententia multatus, aliis se corrigendi exemplum præberetur, & fama vestra illibata seruaretur. Hic simplex* oculus totum defendit corpus illarum litterarum. Sed quia * domno Lugdunensi Archiepiscopo quædam ibi verba aduersa secus* quàm vellet sonuerunt, maximè de primatu Lugdunensi; postpósita* contemplatione scriptoris secundum quod tunc affectus fuit, participem vos suæ amaritudinis fieri voluit. Liceat cuique dicere quod sentit. Ego de me sentio, quòd non est aliqua persona transmontana, quæ pro fidelitate vestra, pro assertione præceptorum vestrorum tot contumelias pertulerit, tot iniurias acceperit. Sed quia illa verba quacunque occasione animum vestrum exacerbauerint, non est meum aduersum vos intrare in iudicium. Malo* enim Episcopatui renuntiare, quàm iram vestram iustè vel iniustè sustinere. Hęc satisfactio si *placuerit vestræ paternitati, placet & meæ paruitati. Hanc si placet, accipite: si plus placet, plus addite. Si desisto vester esse seruus, non desistam vester esse filius: & sicut expertus sum ante Episcopatum, plus potero prodesse in ecclesia Dei exemplo priuatus quàm verbo prælatus. Gratissimum enim mihi est nudum nudam Christi crucem portare,* vt in illo vberrimo & amplissimo prædio contendam, in quo amor paupertatis copiosos, amor diuitiarum facit ærumnosos. Ecce iam hoc transacto septennio, vineam mihi commissam pro posse meo excolui, stercora etiam circumposui: fructum autem quem quærebam, non inueni. Detur ergo mihi libertas octauo anno vt hoc principium * veræ octauæ aggrediar, vt possim mihi sabbatizare, dulces fructus contemplationis carpere, & octauæ illius gaudia prælibare. Quòd si vestra permissione id modò non facio, necessitate tamen me oportebit id facere propter renouatas in me veteri de causa Regis * inimicitias, & propter parochianos meos contemptores verbi Dei, qui proni sunt solis terrenis inhiare, nunquam autem parati sursum cor leuare: qui neque propter timorem Dei, neque propter ruborem temporalis excommunicationis, sacrilegia quæ perpetrant in ecclesiis, volunt dimittere, nec iustitiam Dei recognoscere. Per portitorem ergo præsentium quod vobis placet mihi rescribite, & si petitioni meæ acquiescitis, in vestra manu me retinete, ne possint me* pseudoepiscopi pro libitu suo fatigare. De cætero quicquid de me fiat, obsecro vos per caritatem Christi, vt si Turonensis Archiepiscopus vel aliquis Aurelianensis clericus pro electione pueri sui ad vos venerit,* non ei aurem præbeatis. Cuius dotes vt vobis breuiter amplectar, persona est ignominiosa, & de inhonesta familiaritate Turonensis Archiepiscopi, & fratris eius defuncti, multorumque aliorum inhonestè viuentium, per vrbes Franciæ turpissimè diffamata. Quidam enim * concubij † sui appellantes eum Floram, multas rithmicas cantilenas de eo composuerunt quæ à fœdis adolescentibus, sicut nostis miseriam terræ illius, per vrbes Franciæ in plateis & compitis cantitantur, quas & ipse * cantitare, & coram se cantitari non erubuit. Harum vnam * domno Lugdunensi in testimonium misi, quam cuidam eam cantitanti violenter abstuli. Prouidendo itaque vestræ honestati & ecclesiæ vtilitati, nunquam eum consecrari permittatis, ne ecclesiam Dei prostibulum publicum & speluncam latronum faciatis. Sciatis etiam quia Turonensis Archiepiscopus contra interdictum* legati vestri in Natale Domini Regi coronam imposuit, & vt iste Episcopus fieret,* hac mercede promeruit. Et vt sciatis puerilem fuisse electionem, quidam etiam de eligentibus in Natale * innocentium in eligendo ita iocatus est.

Eligimus puerum, puerorum festa colentes,
Non nostrum morem, sed Regis iussa sequentes.

Psal. 6.
* vnus cod animam.
* intelligit epist 60. ad Hugonem Lugd. arch.
* sic loq. in tit. ep. 111.
* al. aduersum de his Gallorum conquestionibus agit epist 87. 89. & 109.
* al domnum.
* ita etiam loq. ep. 189.
* al. domino.
* aduersa dictu durius, ms. c.
* aliàs leg. postposita intentione scriptoris ita ms. c.
* omni, ms. c.
* placet. ms. cod.
* vnus cod. & in illo v. & a. prædio esse contentū, in quo.
* al. verè.
* epist. 67. & 141.
* de quibus conqueritur epist. 35.
* huius epistolæ meminit epist. 68.
* horū etiam mentio fit ep. 66 Flora autem tūc temporis erat famosa concubina vt ait dicta ep. 66.
† concubi.
* aliquando
* al. domino.
* adi epist. 66.
* al. hanc mercedem.
* al. Natali.

EPISTOLA LXVIII.

Hugoni primæ sedis Lugdunensis ecclesiæ Episcopo, sedis Apostolicæ vicario, Iuo Dei gratia Carnotensis episcopus salutem.

LItteras vestræ paternitatis nuper accepi inuitantes me vel quoslibet qui vellent impugnare electionem Ioannis * Aurelianensis archidiaconi, vt in Kal. Martij præsentiæ vestræ se exhiberent probaturi capitula quæ ei obiicere voluerint, siue de * symonia, siue de aliis quæ valeant ad eius repulsionem: quoniam non potestis simul accusator esse ac iudex. Sed hoc de occultis dictum esse, nouit prudentia vestra. Manifesta * autem, accusatione non egere testatur beatus Ambrosius super epistolam ad Corinthios, ita dicens de eo qui nouerca sua manifestè abutebatur. *Iudicis inquam non est sine accusatore damnare. Cognito autem opere istius, pellendum eum de fraternitatis cœtu censuit. Omnes enim crimen*

* coniugenda est epist. 66. & 67.
* duo vet. cod. symoniaca.
* refertur cā. 15 & ca. 17 cau. 2. q. 1.

eius sciebant, in qua re neque testibus opus erat neque tergiuersatione aliqua poterat tegi crimen. Simile quid scribit Papa Nicolaus Carolo Regi: * *Quæ Lotharius rex vester nepos operatur, accusatione non indigent. Manifesta quippè in eo sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio & immunditia.* Cum ergo quæ in prioribus litteris scripsi, non tantum in vnius ciuitatis, sed multarum ciuitatum notitia conspicua sint, mirantur multi, quare quærantur occulta, cum ad repulsionem eius qui nondum positus est, sola sufficiant manifesta. Cùm enim multa ei desint quæ in examinatione consecrandi Episcopi Paulus dicit necessaria, vnum deesse ei nobiscum benè scitis, quod cæteris enumeratis per se præ cęteris necessarium idem Apostolus commendat dicens: *Oportet episcopum bonum habere testimonium ab his qui foris sunt, ne in opprobrium incidat & laqueum diaboli.* Iste autem famam suam hactenus neglexit: quam qui negligit, secundum beatum Augustinum * crudelis est. Occidit enim proximum quantum in se est. Potestas autem episcopalis in ædificationem debet esse non in destructionem. Et cum secundum apostolum quorundam peccata manifesta sint præcedentia ad iudicium, quorundam & subsequantur: symoniaca istius intrusio, quæ licèt vera sit, nondum tamen præcedit ad iudicium, quoniam ista execrabilis negociatio per cubicularios & pedisequos * facta est, manifesta relatione ad aures vestras perueniet; nisi plantationem quam non plantauit Dominus stabilire præproperetis, & electionem Regiis precibus, quæ idem valent secundum vulgare prouerbium quod minæ, extortam, vestra auctoritate confirmetis. Habetur enim apud nos quidam negociatores creditores illius * dictæ Reginæ, qui secundum quod nobis dixerunt, expectant partem pecuniarum à parentibus Ioannis promissarum. Sed referente eadem dicta Regina quodam cautelæ studio ad persoluendum differuntur, donec securiùs post eius consecrationem persoluantur. Quarum tamen repetundarum actio citò ventilabitur, si consecratio aliquandiu differatur. Quid verò super electione * à principibus facta dicat septima synodus, quid octaua, quid cætera sanctorum patrum, quid etiam vestra instituta clament, non est meum vestram docere prudentiam. Præterea si intra prouinciam secundùm quod instituta maiorum continent, fieret prima discussio, sicut necesse foret, in loco vbi non timeretur temeraria multitudo, non deessent accusatores, non deessent testes, qui pro huiusmodi negociis non audent ad remota loca prodire, nec se nec sua pro incerto exitu incertum periculum præcipitare. Testis est mihi verax * veritas, & amborum caritas, quia & vera dixi, & pro veritate & caritate dixi: prouidens quantum in me est, & ecclesiæ vtilitati & vestræ honestati: ne si, quod absit, aliter feceritis quàm desiderant qui vos sincerè diligunt, lamentabiliter posteà illud Ieremiæ dicant: *obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.* Sciatis autem me ea quæ vobis mandaui, domno quoque Papæ * mandasse, & me super his responsionem eius exspectare.

* ea quæ Lotharius cau. 2. q. 1. extat inter epistolas Nicolai primi epist. 55.
Galat. 5.
1. Tim. 2.
* Augustin. Ser. 52. vide epist. 240.
* quidam cod. pedisequas ita sequipedam dixit epist. 60. ms. c.
* confer locũ epist. 66 fortasse Bertrada subintelligitur, de qua epist. 13.
* Hac de re epist. 102. vide Gratia. ca. nullus cum seq. dist. 63.
&, ms. c.
Thren. 4.
* intelligit epist. 67.

EPISTOLA LXIX.

*Iuo humilis ecclesiæ Carnotensis minister Galterio * Stirpensis ecclesiæ præposito, & pusillo gregi sibi commisso, salutem & orationum suffragia.*

QVantum intellexi ex litteris ex vestra parte mihi nuper oblatis, grauiter fert vestra fraternitas quòd Lemouicensis Episcopus in synodo agens, interdixit omnibus * regularibus clericis & regimen parochiarum, & confessionem pœnitentium. Qui rectiùs quidem fecisset, si omnes sacerdotes ad regularem vitam inuitasset, quàm regulariter viuentes à dominicarum ouium custodia penitus remouisset: quibus tanto plus displicet aliena malitia, quanto longiùs discesserunt à sua. Hæc tamen prohibitio licèt aliquo forsitan liuore canonici ordinis facta esse videatur, quantò salubrior, tanto fraternitati vestræ debet esse acceptior. * Vos enim eò per viam Dei expeditiùs inceditis, si alienorum criminum deprimentes fasciculos cum cotidianis vestrorum excessuum lapsibus non portetis. Hoc verò interim ad inquisita respondeo: quia clerici regulares ab hoc officio nec penitus sunt remouendi, * nec * indiscretè admouendi. Nam si penitus remouentur, canonico ordini indigna fit iniuria, cui tanto securiùs est credenda * correctio vitæ alienæ, quanto maiorem diligentiam adhibuit vitæ suæ corrigendæ. Si verò indiscretè regularibus clericis hoc onus imponitur, in quibusdam ecclesiastica disciplina frangitur, & ipsi fratres qui in claustris tanquam in castris contra tentationes fortiter stabant & vincebant, cùm soli ad pugnam prodeunt, in tentationibus faciliè superantur. Vnde ait beatus Hieronymus: *remotio viri castitatis arma * collocat, construit in melioribus castra pudoris.* Si qui ergo sunt in collegio vestro viri prudentes & maturi, & igne tentationum examinati, quibus hoc onus imponi velitis, eos deducite ante præsentiam Episcopi, vt ab eo * curas animarũ suscipiant; sine cuius arbitrio, si meministis, secundum canonicas sanctiones, nec criminales pœnitentias quilibet * presbyter potest iniungere, nec peracta pœnitentia pœnitentes sacris altaribus reconciliare. Sic enim facientes, & Episcopali reuerentiæ quod suum est deferetis, & canonicæ institutionis nulla dispendia facietis. qui ideò canonici appellati estis, quòd canonicas regulas vos velle obseruare cæteris arctiùs deuouistis. Quòd verò voluistis, vt Lemouicensi Episcopo aliqua super hoc negocio scriberem, interim ea de causa distuli, quia ille * domnus ignotus est mihi, & opportunum tempus expecto, vt de his & similibus quod ratio & auctoritas dictauerit, inter nos viua voce disseramus. Vale.

* al. Gauterio.
* confer epist. 215.
* Eo enim expeditius per viam Dei inceditis. ms. c.
* in vno additur, nec ad hoc officium.
* ita in ms. c.
* al. correptio.
* al. colligit.
* curam ms. cod.
* al. Presbyteri possunt. ita ms. c.
* al. dominus.

EPISTOLA LXX.

*Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis seruus, * Galterio Meldensi Episcopo, sancta sapere & sancta facere.*

* al. Gautherio Meldensium.

QVoniam zelus domus Dei tepere non debet in cordibus nostris, eiusdem domus

decorem diligere, & pro eadem domo murum nos oportet opponere: vt impetus, quos super eam facit antiquus hostis, aut præcauendo propulsemus, aut si iam in eam per aliquam partem irrupit, cooperante Dei gratia collectis in vnum animi viribus excludamus. Et quamuis difficilior sit labor ruinosa reficere, quàm integra in suo statu custodire, nos tamẽ per angusta & ardua, inter cruentationes etiã spinarum, inter incerta itinera nebularum, debemus perdita quærere, dispersa colligere, quantum in nobis est sordidata mundare, moniti & instructi exemplo summi patrisfamilias, qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, centesimam quæ perierat, ipse quæsiuit, suo sanguine redemit, & ad ouile à quo aberrauerat reportauit. Ne ergo nobis tanquam pastoribus sua quærentibus à summo pastore cum nostra confusione exprobretur: *Quod perierat non quæsistis, quod confractum erat, non consolidastis*: nullus nos priuatus amor, nullius quamlibet excellentis personæ fauor, nulla spes commodorum, nullus timor incommodorum ab officij nostri intentione dimoueat, quominus errantes ad viam reuocemus, & animas propria fragilitate, vel diabolica illusione deceptas, de fauce lupi inuisibilis eripere studeamus. Quod ideò suggero dilectioni vestræ, quia tam ex verbis Turonensium monachorum, quàm ex litteris * Dominæ Adeleidis venerabilis Comitissæ audiui turpissimam famam de monasterio sanctæ Faræ, quod iam non locus sanctimonialium, * sed mulierum dæmonialium prostibulum dicendum est, corpora sua ad turpes vsus omni generi hominum prostituentium. Quæ quidem si corrigi nollent, & sibi tantùm mortem facerent, tolerari forsitan possent. Sed quia multarum factæ sunt laqueus animarum, suggero & consulo vigilantiæ vestræ, vt aut prædictas mulieres in loco suo & in suo ordine corrigatis, aut si id fieri non potest, religiosis monachis locum illum cum suis possessionibus committere studeatis; accepta tamen ab eis cautione vt prædictas mulieres sub arcta disciplina coërceant, & eisdem necessaria de rebus monasterij quãdiu vixerint prouideant. Hoc enim modo multiplicem fructum de bono principio facietis: quia & incontinentes illas mulieres ad propositum continentiæ reducetis, & possessiones monasterij necessitatibus sanctorum à fidelibus deputatas, in suum statum reformabitis, & detestabilem famam religiosa monasteria malo odore contristantem compescetis, & incestuosorum animas ex earum contubernio pereuntes, ab æterno interitu liberabitis. Quæ vobis scribo, ex visceribus profero caritatis, idem mihi à vobis fieri desiderans, si me desidem in simili periculo audieritis in via Dei namque ambulantes mutuas exhortationum manus nobis inuicem porrigere debemus: vt in * peruentione pariter de manipulis æternorum fructuum gaudeamus. Valete.

Luc. c. 15. Matth. 18.

Ezech. 34.

al. domnæ deiæ.

sed prostibulum est sterum monialium. ms. c.

Psal. 125. quidam ad. vt in fine pariter.

EPISTOLA LXXI.

*Guillelmo * glorioso Regi Anglorum Iuo humilis ecclesiæ minister salutem & seruitium.*

IN litteris à sublimitate vestra * mihi directis nuper, mansueti & prudentis hominis ingeniũ notaui, cùm * placeret dignitati vestræ priùs à mea paruitate rationem quærere, quàm de me aliquid inconsultè iudicare, secundum illud viri sapientis: *ne iudices antequam cognoscas*. Quæsiuit enim ab humilitate mea vestra excellentia, qua ratione * exsoluerim Niuardum de Septolio à fiduciis & sacramẽtis quibus se vestræ magnitudini obligauerat: cum Christiani erga Christianos fiducias sacramentà quæ sibi inuicem præbent, obseruare debeant. Quod quidem ita concedimus, si legitima vel non illicita * fuerint sacramenta. Prædictus autem Niuardus testatus est mihi fiducias & sacramenta quæ sublimitati vestræ fecerat, prioribus sacramentis fuisse contraria, quæ fecerat naturalibus & legitimis dominis suis, de quorum * manibus susceperat hereditaria sua beneficia: nec posteriora se posse obseruare, nisi priora * vellet violare. Cui ratione fultus & auctoritate consilium dedi, vt accepta de posterioribus pœnitentia, iusta iniustis, legitima non legitimis, priora posterioribus sacramẽta præponeret. Quod cum multis rationibus & auctoritatibus cõfirmari possit, de multis pauca subnectere curaui. Habemus enim in Toletano Concilio IX. Capitulo IV. *Duo mala licèt omnino cautissimè sint præcauenda, tamen si necessitas ex his vnum temperare compulerit, hoc debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligari.* * Vnde Augustinus de bono coniugali: *Si ad peccatum admittendum adhibetur fides, mirum est si fides appellatur. Veruntamen qualiscunque sit, si contra ipsam * fit, peius fit, nisi cùm propterea deseritur, vt ad fidem veram legitimamque redeatur.* Item Tharasius Patriarcha: * *Herodes obseruauit illicitum sacramentum, & periit. Petrus verò negauit cum iuramento, & conuersus fleuit, & saluatus est.* Item Hieronimus super Hieremiam lib. I. *Animaduertendum quod iusiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iustitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed periurium.* Hinc Honorius Papa quosdam transpadanos Episcopos vehementer redarguit, qui suadebant Petro viro glorioso, vt sacramenta quæ præbuerat Aconio regi patri regis Adulubaldi frangeret, & * Ariobaldo consentiret. Ipsum verò gloriosum Petrum accuratè commendat, quia prauis sacerdotum persuasionibus non adquieuit, sed sacramenta quæ Aconio fecerat firmiter obseruauit. His & aliis huiusmodi cognosci potest sacramenta legitima vel licita firmiter obseruanda: illicita verò aut esse vitanda, aut si facta sunt, cum pœnitentia dissoluenda. Aliud consilium si parochiano meo mihi commisso dedissem, ouem errantem non reuocassem; oui morbidæ curam quam debueram non impendissem. Valete.

al. Vvillelmo qui sec. luit & nemissimus, vt it Matth. aris.

* nuper ad me directis.

* al. placuerit.

Eccles. c. 18.

* absoluerim. ms. c.

* facta, ms. c.

* plures v. c. manu. ita ms. c.

* prima, ms. c.

Can. duo mala, & seq. dist. 13.

* al. inde.

August. c. 4. & refertur in cap. 20. cau. 22. q. 4.

* al. fit. ms. c.

* in ca. 18. cau. 22 q. 4.

Lib. I. comment. ad c. 4. Hieron. & in ca. 2. cau. 22 q. 2.

* sic vett. codd. antea Arlobaldo.

EPISTOLA LXXII.

*Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, G. Abbati monasterij sancti * Guandregesili salutem in Domino.*

* al. Vvandregisili. al. Guandegesili.

COnsuluit * paruitatem meam dilectio vestra vtrùm tabulæ altarium aliquãdo consecratæ, cùm translatæ fuerint, & super nouam struem lapidum positæ, denuò sint consecrandæ. Quod nobis ex auctoritate & ratione faciendum videtur, cum Canon dicat: *altare si motum fuerit, Ecclesia denuò consecretur.* Quòd

* huius epistola meminit epist. 82.

si Ecclesia propter motionem solius altaris denuò est consecranda, quanto magis ipsum altare quod motum est? Præterea cum signa similitudinem habeant earum rerum quarum signa sunt; sicut fides, quæ caput & fundamentum est sacræ religionis, immobilis debet * manere in credente: sic visibile altare, quod figuram gerit fidei debet manere immobile.

** al. permanere.*

Et sicut à fundamento fidei, si quis motus fuerit per manus impositionem corpori Christi, quod est ecclesia, reconciliandus est: sic mensa altaris fidei typum gerens, si mota fuerit, iterum sacris mysteriis imbuenda est. Nec satis similis ratio est quam quidam fratres vobis obiiciunt, quòd altaria * portatilia licèt de loco ad locum moueantur, non tamen denuò consecrantur. Hæc enim altaria non aliter consecramus, nisi vel in tabulis ligneis, vel aliquo competenti substratorio compacta & firmiter sint affixa. Vnde licèt de loco ad locum * portentur, non tamen de loco in quo consecrata sunt mouentur. A quo si euulsa fuerint, sicut cætera altaria denuò sunt consecranda. Hæc de proposita quæstione breuiter vobis rescripsi, † eadē rationibus & auctoritatibus prolixiùs ostensurus, si opportunum esset. Sed hæc prudentiæ vestræ sufficere sum arbitratus. Vale.

** al. portabilia.*

** al. comportentur.*

† eisdem, vs. c.

EPISTOLA LXXIII.

Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, Bernardo maioris monasterij Abbati, promereri euge serui boni.

VErbum quod erat in ore multorum auditui meo non intulit gaudium, quo animaduerti generale dispendium monasticæ religionis, & speciale incommodum vestræ perturbationis. Relatum enim est mihi quosdam è fratribus aduersus fraternitatem vestram insurrexisse, qui dicerent curam vobis commissam non legitimum habuisse principium, his de causis, quòd ab eo qui dicebatur excommunicatus esse, benedictionem acceperitis, & subiectionem debitam metropolitanæ sedi ante benedictionem promiseritis. Habent fortasse * fratres isti zelum Dei, sed non secundum scientiam: putantes quòd promotionem * Abbatis faciat Episcopalis benedictio, & non potiùs fratrum communis electio: cùm tamen ipsam benedictionem conferat Dominus non secundum meritum dantis, sed secundum fidem, & puritatem, benedictionem accipientis. Vnde beatus Augustinus in libro quæstionum veteris testamenti: *Dictum est à Domino in numeris ad Aaron. Vos ponite nomen meum super filios Israël, ego Deus benedicam eos: vt gratiam traditio per ministerium ordinati transfundat hominibus: nec voluntas * sacerdotis obesse possit aut prodesse, sed meritum benedictionem poscentis.* Vnde idem Augustinus in lib. tertio de vnico baptismo: *Aliud est non habere aliquid, aliud non iure habere, vel illicitè vsurpare. Non ideò itaque non sunt Sacramenta Christi & Ecclesiæ, quia eis illicitè vtuntur non soli hæretici, sed etiam omnes iniqui & impij; sed illi corrigendi sunt aut puniendi, illa verò agnoscenda & veneranda sunt.* Item idem in libro contra Parmeniani epistolam, *Sicut redeunti non redditur, quod & foris habebat: sic venienti non repetendum est quod foris acceperat.* Vnde consequenter intelligitur peruersitatem hominum esse corrigendam: sanctitatem autem sacramentorum in nullo peruerso esse violandam. Constat enim eam in peruersis hominibus & sceleratis, siue in eis qui intùs sunt, siue in eis qui foris, impollutam * & inuiolabilem permanere, sed in bonis ad præmium, in malis verò ad iudicium. Vnde etiam Anastasius Papa, sacramenta quæ Achatius condemnatus celebrauerat, rata esse confirmat, ita scribens Anastasio Imperatori: *Secundum Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem sincerissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quòd nullum de his vel quos Achatius baptizauit, vel quos sacerdotes vel leuitas secundum canones ordinauit, vlla ex nomine Achatij portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita sacramenta, minus firma esse videantur.* Et infrà: *Ideò ergo & hic, cuius nomen dicimus esse reticendum, malè bona ministrando sibi tantùm nocuit. Nam inuiolabile sacramentum quod per eum datum est aliis, virtutem suæ perfectionis obtinuit.* Item Augustin. contra scripta Petiliani: *Vt sit quisque verus Sacerdos, oportet vt non * solùm Sacramento, sed iustitia quoque induatur, sicut scriptum est: sacerdotes tui induantur iustitiam. Qui autem solo Sacramento sacerdos est, sicut fuit pontifex Caiphas persecutor vnius & verissimi sacerdotis, quamuis ipse non sit verax, quod dat tamen verum est, si non det suum, sed Dei.* Sacerdotij autem ordinem, sicut dicit idem Augustinus in libro de bono coniugali, qui semel acceperint, non priuantur, licèt aliqui pro aliquibus culpis ab officio remoueantur. Ad vltimum, diuina sacramenta talia sunt vnicuique, quali corde accesserit, sicut dicit Augustinus in dialogo contra Petilianum. Et hæc quidem dicta sunt de sacramentis Ecclesiasticis, sine quibus Christiana conuersatio non ducitur, nec à Domino præmium æternæ salutis adquiritur. Quid ergo est disceptandum de benedictione Abbatis, à quocunque Episcopo eam fuerit consecutus, in qua nec fit manus impositio, nec consecratio * sed simplex oratio, in qua accepta vel non accepta salus subditorum nec minuitur nec augetur. Nouit enim fraternitas vestra quàm multi serui Dei in Ægypto & Palæstina, cæterisque prouinciis monasteriorum patres extiterunt, qui nec tamen huiusmodi benedictionem ab humano ore acceperunt, quibus subditi nihilominus omnem obedientiam exhibuerunt, nec de salute sua propter hoc timuerunt. De cætero, quòd calumniantur non rectè vos fecisse, quòd ante benedictionem * promisistis obedientiam sedi metropolitanæ, vana vel nulla calumnia est. Quomodo enim connexa sibi adinuicem poterunt esse membra corporis Christi, nisi dispensatores canonicarum vel monasticarum congregationum eam obedientiam exhibeant prælatis suis, quam † sibi exhiberi volunt à subditis suis? Præterea quæ culpa est, si exigitur quod debetur, & quod debetur exhibetur? Vnde August. ad Simplicianum libro primo: *Quis non videat iniquitatis neminem argui posse, qui quod sibi debetur exegerit, nec eum certè qui quod ei debetur donare noluerit? Hoc autem non esse in eorum qui debitores sunt, sed in eius cui debetur arbitrio.* Debitores autem esse qui ad dignitates promouentur ecclesiasticas, promittendæ obedientiæ, testatur concilium Tole-

** al. forsitan. ita ms. c.*

** Abbatis promotio an sit potius benedictione Episcopali quàm fratrum electione.*

Num. c. 6.

** vnius v. c. dantis ob.*

Sacramenta in bonis & malis æquè valent, epist. 136. in fine.

** atque, ms. v.*

Hoc latiùs refertur in ca. 8. dist. 19.

** al. solè. Psal.*

** idem sup. epist. 88.*

** aliud esse in electo Episcopo erga suum primatem scribit epist. 60. & 66. supr.*

† quamuis ms. c. alij qualem.

Toletanum vndecimum, capitulo xj. *Vnusquisque qui ad gradus Ecclesiasticos accessurus est, non ante honoris consecrationem accipiat, quàm placiti sui innodatione promittat, vt fidem Catholicam sinceri cordis deuotione custodiens, iustè & piè viuere debeat, & in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat, atque vt debitum per omnia honorem atque obsequij reuerentiam præminenti sibi vnicuique dependat.* Ipse enim summus Pontifex,* antequam consecrationis gratiam consequatur, consuetudines Romanæ Ecclesiæ & decreta prædecessorum suorum se inuiolabiliter seruaturum profitetur. Sic reliqui Pontifices ante consecrationem examinantur, omnē veterum* morum honestatem & debitam obedientiam se exhibituros suis ordinatoribus pollicentur. Cùm enim humilitas sola, quæ comes est obedientiæ, digna sit exaltari, sicut superbia deiici, non peccat Abbas si profitetur ore, quod semper * debet in corde habere, &, cùm opportunum fuerit, exibere in opere. Non ergo huiusmodi perturbatores & perturbati ociosè & curiosè agentes, non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, inutilibus scrutiniis suis, & vanis * susurriis fraternitatem vestram à sabbato cordis expellant, vel à suscepta obedientia vos quantalibet tempestate remoueant, & cadat super vos illa hostilis irrisio, *hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Nouit enim vestra diligentia, quia ad hoc potissimum antiquus hostis inuigilat, vt quietem seruorum Dei interrumpat, & cùm interruperit, vasa sibi ablata restituat, & restituta antiquis & nouis sordibus vehementiùs inficiat. Multiformes igitur eius insidias calliditate serpentis aduertite, & murmuratorum molestias columbina simplicitate supportate, & tamen, quantum in vobis est, iustam eis murmurandi causam auferte: ne, sicut aiunt, res monasterij vestra incuria dilabantur, & solita fratrum subsidia minuantur. Quod si fortè per aliquam corporis* imbecillitatem, vel supernæ contemplationis studium ad hoc minùs sufficitis, sunt vobiscum viri prudentes, vobiscum vno spiritu gradientes, quibus potestis partem vestri oneris imponere: vos autem liberiùs & ideò vberiùs dulcedinem supernæ contemplationis gustare, & in tempore verbi annonam conseruis ministrare. Non* homini ignoranti scribo, sed admonitam volo esse caritatem vestram, ne tempestas apud vos orta offendiculum *fiat infirmis aut scandalum, qui occasionem quærentes incurrunt illud problema Salomonis: *qui timet ventum, nunquam seminat: & qui considerat nubes, nunquam metit.* Auferte igitur omnibus infirmis vel inuidis occasionem sanctum propositum blasphemandi, vel arctam vitæ viam non adgrediendi: ne increpando dicatur vobis per prophetam à Domino: *quod perierat non quæsistis, quod infirmum fuerat * non consolidastis, quod confractum non colligastis.* Quod auertat à sanctitate vestra, qui animam suam pro nobis posuit, & vt pro fratribus animas nostras poneremus, verbo monuit, & exemplo declarauit. Vale.

Idem scribit epist. 60 ex libro cui titulus Diuini.

deest in ms. c.

** habere, ms c.*

** sic vett. c. ad*

Luc cap. 14.

** solus v. c. Fab. incommoditatem.*

** al hac ig. ita ms. c.*

** al fiat.*

Ecclesiastes cap. xj.

Ezech. c. 34.

** al. erat.*

EPISTOLA LXXIV.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, Hildeberto Cenomanensi Episcopo in tribulatione tolerantiam, in tolerantia perseuerantiam.

QVantum ex tenore litterarum tuarum perpendi, ad suggestionem æmulorum tuorū de proditione * Cenomanicæ vrbis nuper facta insimulare te molitur Regis Anglorum metuenda seueritas, nulla aduersum te legitima accusatione prolata, sed prauorum delatione coniecturarum diuinationibus palliata: & cum paratu sis ad perficiendam purgationem legitimam, non aliter vult te huius proditionis immunem credere, nisi igniti ferri examinatione demonstres innocentiam tuam. Consulis itaque humilitatem meam vtrùm tibi bene conscius pro conseruanda integritate famæ tuæ, & recuperanda Regis gratia debeas voluntati eius adquiescere, an quælibet aduersa pati, vt non recedas ab ordine. breuiter itaque tibi respondeo, consulens vt non transgrediaris terminos antiquos, terminos quos posuerunt patres tui. Aliter* namque innocentiam defendere, est innocentiam perdere.* monomachiam enim & ferri calidi examinationem nec consuetudo Ecclesiastica in discutiendis causis Ecclesiasticis recipit, nec Canonica auctoritas instituit. Vnde Nicolaus in causa Regis Lotharij & *Thebergæ de falsis criminibus impetitæ; *monomachiam in legem non assumimus, quam præceptam esse non reperimus; cùm hac & huiusmodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur.* Dicit † autem Augustinus in libro quæstionum super Genesim: *Quando habet homo quod faciat, non debet tentare Deum suum.* Inde etiam ita scripsit Alexander II Papa * Ramaldo Cumano Episcopo: *Super causa Gislandi Presbyteri tui de morte Episcopi sui prædecessoris tui infamati in medium consuluimus. Itaque circum astantium omnium fratrum assensu vnanimi tuæ dilectioni rescribimus, præfatum Gislandum * ante te præsentandum: vbi si certi accusatores defuerint, tunc dictante iustitia, sine omni controuersia Presbyter quæcunque ob hoc iniustè amisit, ac sacerdotium & integra accipiat beneficia: purgationem tamen * anteà duobus sibi sacerdotibus iunctis, vbi accusator cessauerit, eundem ex se præbere tuo committimus arbitrio. * Vulgarem denique legem ac nulla canonica sanctione fultam *, feruentis scilicet siue frigidæ aquæ ignitique ferri contactum, aut cuiuslibet popularis inuentionis (quia fabricante hæc sunt omnino ficta inuidia) nec ipsum exhibere, nec aliquomodo te volumus postulare, immò Apostolica auctoritate prohibemus * firmissimè.* Inde etiam * Stephanus V. Papa dicit Lamberto * Episcopo Magontino. *Ferri candentis vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censuerunt canones: & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. Spontanea enim confessione vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini iudicare: occulta verò & incognita illius sunt iudicio relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.*

** al. Cenomanicæ extat huius Hildeberti epist. 19. qua conqueritur de sæuitia Regis Anglorum.*

** Quid si tali ter.*

** confer. epist. 205.*

** infrà Teutberga ep. 205 al. Tecberga, vel Tieberga refertur à Grat. in ca. monomachiam. cau. 2. q. 5.*

† enim. ms c.

** al. Rimaldo, vel Raynaldo, refertur ea. super cau 2. dist. 4.*

** presbyrum, ms. c.*

** al. ante te.*

** in ca. Mennam. cau. 2. q. 4. & Greg. lib 11. ep 8.*

** anulla canonica sanctione fultam legem ms. c.*

** al. seuerissimè.*

** ca. consuluisti. cau 2. q. 4. al. Sylnester 2. ms. c.*

** Luitberto, ms. c.*

D

Plura tibi perſcripſiſſem ſuper his ſi licuiſſet. Tu itaque his & aliis auctoritatib9 patrum vndique munitus viriliter age, & ne de te aliis præbeas exemplum futuris & præſentibus nociturum. Si enim aliquid contra iuſtitiam pateris, de tribulatione purgaberis & probaberis, deque probatione miſericordiam conſequeris. Vale.

EPISTOLA LXXV.

Iuo Dei gratia Carnotenſis Epiſcopus, Ioanni eadem gratia Aurelianenſium Epiſcopo ſalutem.

* in aliquot vett. codd. caput ſequēs præfigitur. Quòd ſedis apoſtolicæ licentia, alterius parochianum excommunicare liceat confer cum fine epiſt. 60.
* Adeliciam vocat epiſt. 76.

QVòd * licentiam poſtulaui à domnó Papa Putuacenſem dominam * & milites eius excommunicandi, magna & manifeſta me compulit neceſſitas pro interminatis iniuriis Carnotenſi eccleſiæ ab eis frequenter illatis, & ab Aurelianenſi eccleſia nondum emendatis. Ad quod etiam nunc laborare videntur qui pro vobis ſcripſerunt, ad libitum ſuum interpretantes litteras domni Papæ, ſenſum ſuum non aptantes eius voluntati, ſed inſidias facientes grammaticæ poſitioni, tanquam & ipſi qui litteras apoſtolicas ſcripſerunt, non fuerint grammatici. Quando enim dixit, vt confirmaretis ſententiam noſtram canonicè dictatam in prædictam Domnam, iam dixerat eſſe parochianam veſtram, & tamen dedit Carnotenſi eccleſiæ licentiam excommunicandi eam pro ſuis iniuriis. * Canonicum itaque eſt eam excommunicare admonitam, & ſæpè vocatam, & nón reſipiſcentem ſathanæ tradere: cùm illa poteſtas hoc conceſſerit, * cuius eſt de omni perſona & de omni eccleſia iudicare. Rogo itaque & moneo, vt impleatis præceptum quod accepiſtis, quia & ego ad præſens non priuabor apoſtolico munere quod accepi. Quod autem offertis mihi eam ad iuſtitiam in Capitulo Aurelianenſi, vos * ipſe ſcitis non eſſe canonicum: quia honor quem contra canones inuadit, Carnotenſis eccleſiæ eſt, in qua obtuli ei omnem iuſtitiam, & adhuc offero. Sed ipſa omnino refugit, quia iniuſtam ſe nouit habere calumniam. Debet autem noſſe veſtra fraternitas * quòd quæque negocia in locis in quibus orta ſunt, primùm ſunt diſcutienda. Valete.

* al. canoni vō. ita ms. c.
* idem dicit epiſt. 78.
* vnus cod. ipſi.
* al. quia. hoc repetit epiſt 184. Vide Grat. cau. 3. q. 6.

EPISTOLA LXXVI.

Daimberto Dei gratia Senonenſium Archiepiſcopo, Iuo humilis ſacerdos ſalutem & debitam reuerentiam.

* vnus v. c. quando.

QVoniam * ex antiqua inſtitutione prouincialem ſynodum celebrare, veſtra ſollicitudo diſpoſuit, in qua ad correctionem prauorum promulganda ſunt inſtituta apoſtolica & canonica, paruitatem meam quam inuitatis, licèt minùs vtilem, ſubtrahere nec volo nec debeo, ſi tamen diuina miſeratio libertatem mihi conſeruauerit & ſoſpitatem. Per quancumque autem viam eadem diuina miſeratio venire me conceſſerit, ante aliquot dies præmando vobis, vt in loco competenti quàm ſecuriorem conductum poteritis mihi tranſmittatis. De electione autem Niuernenſium, in qua ſe * ſtudia partium diuiſerunt, ex inſtitutione patrum inſtructam credo eſſe prudentiam veſtram, vt illum modis omnibus præferatis, qui maioribus * ſtudiis iuuatur & meritis. Sed quia nemini citò manus imponenda eſt, ſi id ad præſens ad plenum deprehendere non valetis, differendum mihi hoc negocium vſque ad futuram ſynodum videtur, vt tunc euidentiùs diſcutiantur & eligentium ſtudia & electorum merita. De cætero * Adeliciam Puteacenſem dominam & Hugonem * filium eius cum cæteris adiutoribus ſuis propter tyrannidem quam in nos exercent, ex auctoritate Apoſtolica à nobis excommunicatos precando inſiſtimus, & inſiſtendo precamur, vt vos quoque excommunicetis, aut malè inuaſa nobis reſtitui faciatis. Sic enim antiquitus eſt inſtitutum, & nuper in * Auernenſi Concilio omnium Epiſcoporum qui aderant, conſenſu confirmatum: vt ab vno Epiſcopo quemlibet pro iniuriis eccleſiaſticis excommunicatum, vicini quoque * Epiſcopi excommunicent. Quòd ſi cauſatur iniuſtè ſe excommunicatam, veniat ad eccleſiam cui calumniam facit, & à qua nullam iniuriam pertulit: audiet * Deo iuuante iuſtam ſe accepiſſe ſententiam. Apoſtolica autem auctoritate à nobis eam eſſe excommunicatam, exemplar Apoſtolicarum litterarum quod vobis tranſmiſi, declarabit. Valete.

* al. vota variūm.
* Nicen. Conc. ca 6. & Antioch. ca. 19. Leo Papa epiſt. 82. vide Gratia. diſt. 61. & 65.
* epiſt. 75.
* de quo ep. 111. & 112.
* in ſolo v. c. Put Niuernenſi.
* inf epiſt. 111. & 110.
* cod. Put. Deo annuente.

EPISTOLA LXXVII.

Iuo Dei gratia humilis Eccleſiæ Carnotenſis Miniſter, Hugonis Beluacenſis Eccleſiæ Decano, & cæteris fratribus eiuſdem Eccleſiæ ſalutem in Domino.

DE molendino quod Eccleſiæ veſtræ † ab Epiſcopo eiuſdem molendini conſtructore eſt donatum, & non tantùm tricenaria * vſus capione quietè poſſeſſum, ſed etiam veſtrorum priuilegiorum auctoritate firmatum: nunc verò impedimentis pontium & tinctorum ſordibus impeditum, molendi amiſit officium, iuſtam & omni ratione ſubnixam cauſam habere videmini, & maximè aduerſus Epiſcopum, qui non ſolùm debet ſuis temporibus illicita non patrare, ſed etiam ab anteceſſoribus ſuis illicitè patrata corrigere. Sic enim ſcribit Papa Gelaſius Creſconio & Meſaliæ † Epiſcopis. * *Deceſſorum ſtatuta ſicut legitima & iuſta ſucceſſorem conuenit cuſtodire, ita debet etiam malefacta corrigere.* Ideò nunc eſt ſufficiens ratio quòd dicit Epiſcopus, præcepto ſuo nullum impedimentum illatum fuiſſe molendino, quominus officium ſuum faceret, niſi ipſe eos qui impediunt pro poteſtate ſui officij remoueat ab impedimento. Sicut enim ſcribit Ioannes VIII. Papa Ludouico Imperatori, * *Facientis culpam habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare.* Quòd ſi Epiſcopus hoc à ſua poteſtate remouere conatur, * legat ſententiam de Concilio Gelaſij Papæ. Dicit enim: * *Placuit huic ſanctæ ac magnæ ſynodo, vt res vel priuilegia quæ Dei eccleſiis ex longa conſuetudine pertinent, ſiue à diuæ recordationis Imperatoribus, ſiue ab aliis Dei cultoribus in ſcriptis donata, & ab eis per annos triginta poſſeſſa ſunt, nequaquam † remoueantur à poteſtate præſulum eorum, quæcumque ſecularis perſona per poteſtatem eis ſubtrahat, aut per * argumenta qualibet auferat: ſed ſint omnia in poteſtate ac iuſſu præſulis eccleſiæ, quæcunque intra triginta annorum ſpatium ab eccleſiis poſſeſſa*

† noſtra, ms. c.
* al. vſucaptione, in nonnullis vo& vſus. deeſt.
† Maſſala, ms. c.
* ca. deceſſorum. cau. 25. q. 2.
* citat etiam epiſt. 100.
* al. legatur ſententia, ms. c.
* can. placuit cau. 16. q. 3.
† deeſt in ms. c. ſicut & in decreto.
* al. argumentum quodlibet.

ergo clericorum, vel. *fuisse noscuntur. Quisquis igitur * secularium contra præsentem definitionem egerit, tanquam sacrilegus iudicetur: & donec se correxerit, & Ecclesiæ propria priuilegia, seu res restituerit, anathema sit.* Item de eodem Papa Nicolaus Adoni Viennensi Archiepiscopo: * *De rebus quæ semel Deo contributæ atque dedicatæ sunt, & postea sub occasione concessionis principum à quibusdam inuaduntur atque diripiuntur, sancimus vt prius consulto principe * ad resecandam tam præsumptiuam factionem, & cognoscendum vtrùm illius sit concessio, an inuasoris præsumptio. Quòd si principis inordinata fuerit largitio, & ipse sit princeps pro emendatione redarguendus. Si autem inuasoris declaratur præsumptio, vsque ad emendationem excommunicationis sit vindicta coërcendus.* Oppositio verò annuæ possessionis secundum consuetudinem suæ ciuitatis, siue obligatio Episcopi qua se promisit obseruaturum consuetudines eiusdem ciuitatis, siue turbulenta coniuratio factæ communionis nihil præiudicant legibus Ecclesiasticis. Pacta enim & * constitutiones vel etiam iuramenta quæ sunt contra leges canonicas & auctoritates sanctorum Patrum, sicut vos ipsi benè nostis, nullius sunt momenti. Dicit enim Papa Zozimus Narbonensis: *contra statuta Patrum aliquid * concedere vel mutare, nec huius quidem sedis potest auctoritas.* Quòd si aduersus canonum formas aliquid vobis iudicatum fuerit, si vobis visum fuerit, appellabitis audientiam eorum Iudicum, qui apud vos maioris videntur esse auctoritatis, siue apud vestrum metropolitanum, siue apud legatum Romanum. Post appellationem verò infra * quinque dies postulabitis litteras ab eo à quo appellatum est, ad eum ad quem appellatum est, vt diem vtrique parti constituat, in quo causam vestram iudiciali sententia terminari præcipiat. Valete.

[margin:] can. de rebus caus. 12. q. 2. extat inter epistolas Nicolai Papæ ad Odonem Archiepisc. ep. 9. tom. 3. epist. summor. Pontific. consultis principem.

[margin:] al. consuetudines.

[margin:] Narbonensi vet. ms. c. al. condere. Legitur in ca. contra cau. 25. q. 1.

[margin:] epist. 220 & ca. si quis eum eq. cau. 2. q. 6.

EPISTOLA LXXVIII.

Iuo Carnotensis Ecclesiæ humilis minister, Monachis Dolensis monasterij vnanimes habitare in domo.

VEnientes ad nos quidam de vestro monasterio diuersa sentientes, notificauerunt nobis dissensionem quę inter vos orta est de electione fratris vestri Bernerij quondam Bonæ vallis * monachi. Quorum relatione audita valdè doluimus, proculdubio scientes, quia Sathanas expetiuit vos, & timentes ne ista occasione vos inuicem mordeatis & comedatis, & inuicem * consumatis. Vocato itaque ad nos Abbate Bonæ vallis * monasterij, & conuocatis quibusdam de melioribus Ecclesiæ nostræ fratribus diligenter inuestigauimus, vtrùm prædictus frater, vel in clericali ordine vel in monastico aliqua notabilis apparuisset infamia. Bonum ergo ei * testimonium in omni ætate & ordine comperimus. Hoc solum Abbas & Monachi obiecerunt, quòd sine licentia fratrum à monasterio discesserit. Sed huius discessionis causam & per nos scientes, & per alios subtiliùs inquirentes, cognouimus, quia eo tempore quo discessit, magna in eo monasterio perturbatio fuit, quam etiam Abbas eiusdem loci ferre non valens, ad maius monasterium, in quo ad conuersionem venerat, necessitate compulsus rediit. Causam autem propter quam Abbas discessit, propter reuerentiam monastici ordinis melius est silere quàm reuelare. Quapropter illa discessio, quæ illi fratri & multis aliis piè sentientibus visa est in melius mutatio, * nullum nobis videtur ei facere præiudicium, si vota omnium vestrum vel meliorum in eo conueniant, & mores monastico regimini non congruentes impediant, maximè cum summus Pontifex, * cuius est de omni persona & de omni Ecclesia iudicare, eum ab hoc vinculo absoluerit, Missas etiam ab eo audierit, & in omnibus sacramentis Ecclesiasticis coram religiosis personis sæpè communicauerit. Quapropter si alia quæ canonicis institutis contraria sint in eo reperta non fuerint, rogamus & monemus vt in eo caritatem confirmetis, & ad pacis compagem festinanter redire studeatis. Habemus enim præ manibus religiosorum exempla virorum, qui relictis probabili causa monasteriis suis, ad * Cluniacense monasterium, vel ad alia monasteria secesserunt; vel etiam ad Ecclesiasticas dignitates vel monasteriorum curas * sine omni repulsione * ascenderunt. Ex quibus duo de monasterio crucis, litterati & religiosi, Guimundus & Robertus, alter ad Episcopatum * Auersensem, alter ad gubernationem monasterij sancti Laurentij Auersensis, auctoritate Apostolica assumpti sunt. * Arnulfus Beluacensis monasterij sancti Simphoriani monachus, vir prudens & religiosus simili de causa relicto monasterio nunc Cantuariense monasterium regit. Sic & multi alij. Valete.

[margin:] al. Bonæ-valensis, ita ms. c.

[margin:] vnus cod. consumamini.

[margin:] Bonævalensis, ms. c.

[margin:] eius, ms. c.

[margin:] vnus cod. nullum eius videtur impedimentum.

[margin:] vt epist. 75.

[margin:] cuius meminit ep. 41.

[margin:] ita vett. codd. vide not. ms. c.

[margin:] repulsa.

[margin:] sic ex pluribus antiquis libris.

[margin:] vnus, Ernulfus.

EPISTOLA LXXIX.

*Iuo Dei gratia Carnotensis Episcopus, * Gulielmus Parisiensis, Ioannes Aurelianensis, * Galterius Meldensis, Humbaldus Autissiodorensis Philippo Trecassino Episcopo salutem.*

[margin:] al. Vilelmus.

[margin:] Gauterius.

COngregatis in Stampensi concilio multa * super fraternitate tua licèt ingratis audiroribus nobis relata sunt, de quibus valde mirati sumus, quoniam & auribus * piorum sunt onerosa, & ordini tuo si vera sunt periculosa: de quibus quia eadem legati tui retulerunt, vel referre poterunt, interim silere decreuimus. Sed quia ad concilium * vocatus non venisti, nec legatum, nec legitimam excusationem scripto vel dicto * pro te misisti, potuissemus in te canonicam dedisse sententiam. Non enim metum mortis aut cruciatus suspicionem inferendi, sed præsentem tantùm secundum leges * pro legitima excusatione accipimus, vbi iter anticipare vel circuire nullæ angustiæ * prohibuerint. Præterea quidam contemptus in litteris tuis notari potuit, quod nec nomen metropolitani, sicut in litteris * excusatoriis fieri solet, interposuisti, nec ad eum aliqua excusatoria verba direxisti. Nos autem misericordiæ magis intenti quàm iudicio, inducias tibi à Domno Metropolitano impetrauimus vsque ad Dominicam proximam ante Natalem Domini, quando futura est consecratio Niuernensis Episcopi. Monendo itaque mandamus & mandãdo monemus, vt tunc præsentiam tuam remota omni excusatione Domno metropolitano exhibeas, satisfacturus de obiectis. Quòd si adesse neglexeris, amodò non erit culpa nostra, si pro mise-

[margin:] al. de frat.

[margin:] al. proborum.

[margin:] al. inuitatus.

[margin:] vnus cod. præmisisti.

[margin:] l. 9. D. quod met. cau.

[margin:] prohibuerunt.

[margin:] vnus cod. excusationis ita excusatoria sacramenta dixit epist. 18.

ricordia iudicium susceperis. Nec enim tibi timendum erit de Vicecomite, qui de se & de filio suo,& omnibus suis omnem tibi securitatem in pręsentia totius concilij promisit. Vale.

EPISTOLA LXXX.

*Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, * Vuilelmo Fiscanensis monasterij Abbati, orationum munus mutuum & deuotum seruitium.*

* al. Guilelmo.

DE motione altaris vel parietum Ecclesiæ, vtrùm iteranda sit consecratio, vel non iteranda, nihil scriptum in antiquis regulis reperi. In * collectionibus autem Burchardi Wormacensis Episcopi, ex concilio Meldensi capitulo quinto ita scriptum reperitur: *Altare si motum fuerit, Ecclesia denuò consecretur: parietes verò si moti fuerint, & non altare, salibus tantùm exorcizentur.* Hoc capitulum si diligenter attendatur, ad omnes inquisitiones vestras respondet. & quia de motione altaris monachis * sancti Wandregisili rationes quas potui, aliquando reddidi, easdem religioni vestræ scribere curaui, quibus ita scripsi. Consuluit paruitatem meam vestra dilectio, vtrùm tabulæ altarium aliquando consecratæ, cùm translatæ fuerint, & super nouam struem lapidum positæ, denuò sint consecrandæ. Quod nobis ex auctoritate & ratione faciendum videtur, cùm canon dicat: * *Altare si motum fuerit, Ecclesia denuò consecretur.* Quòd si Ecclesia propter motionem solius altaris denuò est consecranda, quanto magis ipsum altare quod motum est? Præterea cùm signa similitudinem habeant earum rerum, quarum signa sunt: sicut fides, quæ caput & fundamentum est sacræ religionis, immobilis debet manere in credente; sic visibile altare, quod figuram gerit fidei, debet manere immobile. Et sicut à fundamento fidei, si quis motus fuerit, per manus impositionem, corpori Christi, quod est Ecclesia, reconciliandus est: sic mensa altaris fidei typum gerens, si mota fuerit, iterum sacris mysteriis imbuenda est. Nec similis satis est ratio, quam quidam fratres vobis objiciunt, quòd altaria * portatilia, licet de loco ad locum * moueantur, non tamen denuò consecrantur. Hęc enim altaria non aliter consecramus, nisi vel in tabulis ligneis, vel in aliquo competenti substratorio compacta & firmitus * sint affixa. Vndè licet de loco ad locum portentur, non tamen de loco in quo consecrata sunt, mouentur: à quo si * auulsa fuerint, sicut cætera altaria denuò sunt consecranda. Hæc de motione altaris. De parietibus verò si restaurentur, quare salibus tantùm sint exorcizandi & non consecrandi, ratio nobis inuestiganda: * ad quod nobis necessarium videtur, vt primùm attendamus formam templi inuisibilis, vt cum ea postea conferre possimus figuram templi visibilis. Dicit enim Apostolus: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis, ego vt sapiens architectus fundamentum posui.* fundamentum hoc, vt * supradiximus, intelligimus fidem, cui superponuntur bona opera, quibus probatur dilectio Dei, & proximi, tanquam parietes spiritualis ædificij. His omnibus superadditur vice tecti, celsitudo spei, quę procedit penetrando vsque ad interiora velaminis. Scriptum est autem ab eodem Apostolo: *sine fide impossibile est placere Deo.* Fides ergo si euellatur, tota ædificatio spiritualis proculdubio destruitur. Reliqua verò ædificatio, si aliqua vetustate atteritur, aliqua læsione minuitur, sacramenta fidei nequaquam iterantur; sed tantum quod maculatum est, asperitate pœnitentiæ & compunctionis lacrymis emundatur. Secundùm ergo hanc similitudinem, moto altari, quod figuram gerit fidei, sicut dictum est, tota Ecclesia consecranda est, quæ corrupta fide tota destructa est. Motis verò parietibus sola aqua & salibus, tanquam pœnitentiæ sacramentis reformanda est. Nouit enim prudentia vestra, quia sic orat Ecclesia, vt quod in manufactis templis agitur, hoc in nobis spiritualiter impleatur: quatinus per cultum visibilium sacramentorũ prouocemur ad * agnitionem & amorem inuisibilium ędificiorum. Possent de his obseruationibus cum his quæ dicta sunt plura dici, sed hoc puto sufficere prudentiæ vestræ, quæ nouit de minimis maxima, de paucis plura conijcere. Vale.

* cod. Put. collationibus extat in Decreto Burch. lib. 3 cap. 11. ex decretis Higini Papa cap. 4. Ab aliis autem appellatur Brocardus, vt decretalium lib. 4. tit. 4.
* epist. 72. aliàs leg. Guandregisili.
* ca. si motum 18. de consecr. dist. 1. adde tit. 40. de consecr. eccles. vel altar. lib. 3. decretal.
* al portabilia.
* vel moneamus n. t. il. consecramus
* al firmiter. ita ms. c.
* vel euulsa. ms c.
* videtur, ms. c.
1 ad Corint. cap. 3.
* sicut, ms. c.
Hebr. 11.
* al. cognitionem, ita ms. c.

EPISTOLA LXXXI.

Paschali summo Pontifici Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, debitam obedientiam cum fideli orationum obsequio.

PAternitatem vestram Apostolici culminis gradum ascendisse, & in locum beatæ * memoriæ Papæ Vrbani successisse, nostra paruitas gratulatur, & summæ prouidentię gratias inde referens, vt de bonis principiis meliores exitus proueniant, pro modulo suo Deum cotidianis orationibus deprecatur. Credimus enim religionem vestram zelum Dei hactenus habuisse, & decorem domus Dei non fictè dilexisse. Vnde postquam paternitatem vestram vicem Apostolici gradus accepisse cognouimus, summum desiderium nostrum fuit, vt per propriam personam adiremus præsentiã vestram, nisi nos retinuisset periculum molestiæ corporalis, quod ineundo facilè incurreremus de nobis vera fatendo; vel periculum lapsus animæ quod nobis immineret vera negando. Sic enim Petrus Christum negasse dicitur, non quòd negaret Christum esse Christum, sed quia negauit Christi se esse discipulum. Mitto itaque interim vobis fratrem istum præsentium portitorem, quem rogo vt vice mea familiarem habeatis, & in his quæ salubriter & vtiliter reuerentiæ vestræ suggesserit, tanquam meipsum audiatis. Valete.

* bona, ms. c.

EPISTOLA LXXXII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister Gaufrido Vindocinensis monasterij Abbati salutem.

QVidam frater monasterij tui nomine Daniel ad nos veniẽs grauiter cõquestus est, à tua fraternitate se inordinatè & miserabiliter multotiens tractatũ tam contumeliis verborũ quàm iniuriis verberum: & qualem te in se expertus est, talem te existere in omnes, aut penè omnes pronũciat. Vnde moneo fraternitatem tuam quatinus zelum tuum ita modifices, vt nec tumori parcas, nec in sanas partes ferrum mittas, & quos corripis cum caritate corripias, & quibus parcis cũ caritate parcas. Nosti enim quia cùm vnus prophetarum ligna cæ-

dens immoderatè percuteret, ferrum de manibus * prosiliuit de manubrio, & vnum de filiis prophetarum occidit. Sic sic, carissime, immoderatus rigor disciplinę quos corripit non corrigit, sed in laqueum diaboli præcipitanter impellit. Rogo itaque & moneo fraternitatem tuam, quoniam prædictus monachus sub pondere correptionis * tuæ deficit, vt eum in aliqua cella monasterij tui respirare permittas: aut si omnino importabilis tibi videtur eius conuersatio, licentiam ei saluandi animam suam in alio monasterio concedas, & hoc mihi ad præsens rescribas. Ita enim fieri poterit, vt & frater renouatis moribus melioretur, & anima eius de manu tua non requiratur. Vale.

* de manibus deest in ms. c. Idem locus epist. 164. ex Deuter. 6.19.

* correctionis ms. c.

EPISTOLA LXXXIII.

Reuerendis in Christo fratribus diœcesis Remensis Episcopis, Iuo humilis Carnotensium Ecclesiæ minister salutem in Domino.

Litteras * à metropolitano vestro ad vos directas vidimus & legimus, & quàm asperis & minacibus verbis sit vsus dictator earum, credo quia meminit prudentia vestra. Sed quicquid * minarum vel contumeliarũ intentent litteræ illæ, vestrum est tam pro vobis quàm pro confratre vestro Suessionensi Episcopo pondus earum animaduertere, & in periculo eius periculum vestrum studiosè præcauere. Si enim concessum fuerit, vt metropolitanus in Ecclesiis * comprouincialibus absque consensu * Episcoporum, qui eis præsunt, quicquid voluerit, valeat imperare, clericos earundem iudicare, vel ab officio suo suspendere, dignitati Episcoporum indigna fiet violentia, & auctoritati sanctorum Patrum * ruinosa iniuria. Rogatu itaq; cõfratris vestri * Suessionensis Episcopi, ex communi debito caritatis hortamur vestram reuerentiam, vt huiusmodi inceptis manus obuias extendatis, & tantos impetus canonicæ auctoritatis ariete repellatis. Habetis enim in heptatico, * quia in contentione duorum, qui ad alterius pudenda manum miserit, lapidibus obruatur. Quòd quid est aliud dicere, nisi qui in aliqua disceptatione in aliquem conuitiosa verba protulerit, ab omnibus duriter arguatur? Quandiu enim Suessionenses parati sunt in capitulo suo per Episcopum suum canonicè satisfacere, nemo eis debet hæresis aut sacrilegij crimen imponere, & ipsi clerici vel eorum Episcopus si canonica seruatur auctoritas, nisi canonicè satisfactum fuerit, eis de obiecta per scriptum infamia nullatenus * debent ad obiecta respondere. Et cùm ea quæ à me scripta sunt multis auctoritatibus possint muniri, pauca de multis subnectere curaui, non ad docendum vos, sed ad commonefaciendum. Dicit enim beatus Augustinus: *Qui maledicto vel criminis obiectu aliquem læsit, studeat ex ore eodem proferre medicamenta vnde protulit vulnera.* Alioquin secundum Papam Fabianum, qui non probauerit quod obiecit, * pœnam quam intulit, ipse patiatur. Nisi illud fortè obsit, quia maiorum nugæ negocia vocari solent. De non iudicanda verò alterius Ecclesia, multorum sententiis consentiens inter alia dicit * Callixtus Papa: *Sicut alterius vxor nec adulterari ab aliquo vel iudicari aut disponi nisi à proprio viro eo viuente permittitur: sic nec vxor Episcopi, quæ eius Ecclesia vel Parochia indubitanter intelligitur, eo viuente absque eius iudicio & voluntate alteri iudicari vel disponi conceditur.* Inde etiam scribit Papa Nicolaus Radulfo Bituricensi Archiepiscopo: * *Conquestus est apostolatui nostro frater noster Sigegodus Archiepiscopus Narbonensis, quòd Clericos suos eo inuito ad iudicium tuum venire compellas, & de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus eo inconsulto quasi iure Patriarchatus tui disponas: cùm hoc nec antiquitas (cui patres sanxere reuerentiam) habeat, & auctoritas sacrorum canonum penitus interdicat: nisi fortè pro causis quas apud se terminare non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum prouocauerint: vel si Episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ sua iudicio tuo dispensare voluerint. Primates enim vel Patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus, ita vt secundum Nicenas regulas sua priuilegia seruentur * Ecclesiis.* Possem in hunc modum multa interponere, sed superuacuum videtur, quoniam habentur apud vos sicut apud nos. Valete.

* confer epist. 85.

* deest in ms. c.

* Gratia. cau 9. q. 3.
* concessũ, ms. c.

* solus cod. Put calumniosa iniuria [ ] inclusa desunt in eod cod.
* al. suessionis.
* Deuter. c. 25. vide notas.

* vnus cod. debent obiectis.

* tit. qua pœna &c. apud Grat cau. 2. q. 3.
* epist 2. & in ca. sicut. cau. 7. q 1.

* refertur etiam epist. 236.

* ca. 1. 2. 8. 10. 17. 21. cau. 25. q 1.

EPISTOLA LXXXIV.

Ioanni Presbytero Cardinali, Romanæ Ecclesiæ legato, Iuo humilis Carnotensium Ecclesiæ minister, legatione fungi in Christo.

Litteras tuæ beneuolentiæ indices nuper accepi, quibus aliqua constantiæ tuæ opera paruitati meæ notificasti. In quibus hoc egregiè laudabile intellexi, quòd te à communione Regis * abstinuisti, quoniam in hoc & famæ tuæ & legationi tibi commissæ sanè consuluisti: licèt quidam Belgicæ prouinciæ Episcopi in Pentecosten contra interdictum bonæ memoriæ Papæ Vrbani coronam ipsi Regi imposuerint, tanquam mortuo præcone * iustitiam mortuam esse crediderint. Quod autem Pictauis aut intra prouinciam Aquitanicam concilium celebrare disponis, omnino laudo: quia si intra prouinciam Belgicam vel Celticam Concilium celebraretur, multa premi silentio oporteret, quæ ventilata scandalum generarent, & totum penè fructum concilij aliqua exæstuatione præfocarent; pressa verò silentio, tanquam verbo * Dei alligato, legationis tuæ auctoritati plurimum derogarent. De termino verò habendi Concilij, quem iiij. Kal. Aug. designasti, facilè occasionem quærent Episcopi partium nostrarum, dicturi non esse congruum spatium ad peragendam viam, & præparandum viaticum. Non enim poterunt multi Episcoporum ad locum peruenire concilij, nisi per multos circuitus, & per acquisitos vndecunque conductus. Si ergo videtur prudentiæ tuæ, conuenientior videretur mihi terminus in capite autumni: * quando & annus erit fertilior, & vnusquisque inuitatus indulto sibi congruo spatio ad eundum paratior. Si autem præter spem euenerint hæc omnia, cùm Deus inuicem nos loqui concesserit, & de termino & de loco habendi concilij, & de multis aliis cum prudentia tua tractabo. quia multa prætereo quæ non sine ratione interim chartæ commendare dissimulo. Mitto itaque tibi

* Philippi, de quo epist. 211.

* iusticiã, ms. c.

* solus v. c. Put. verbo Dei suffocato, Romanæ auctoritati.

* al. quoniam.

vnus v. c. cum hoc gerulo.

* cum breuigerulo tuo cursorem istum, per quem mihi remandes & de tempore & de loco colloquij nostri, & de constitutione habendi concilij. Vale.

EPISTOLA LXXXV.

Manassæ Reuerendo Remorum Archiepiscopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, caritatis visceribus abundare.

ALlatæ sunt nobis nuper litteræ* à vobis per comprouinciales Episcopos vestros missæ, quibus perlectis intelleximus graue scandalum leui de causa inter Remensem & Suessionensem Ecclesiam nuper exortum. Cùm autem in prouincia vestra peregrinum sit iudicium nostrum, peregrinum tamen non putamus esse consilium nostrum, quo caritate suadente reuerentiæ vestræ & omni religioni, si facultas esset, vellemus bene esse consultum. Videbantur autem illæ litteræ, vt pace vestra dicam, plus continere inuectionis quàm † correctionis, perturbationis quàm reconciliationis: magis percutere robur sanorum, quàm colligare vulnera infirmorum: niti etiam auctoritatibus honestis & firmis, non tamen satis* aptè ad id de quo agebatur accommodatis. Nec ista mordendo dico, sed dolendo, fraterno amore desiderans vt scandalum prudenti moderatione sopiatis, & his qui curiosi sunt* ad cognoscendam vitam alienam, desidiosi autem ad corrigendam suam, occasionem disceptandi de vobis quàm celeriùs potestis subtrahatis, & cæcis offendiculum non ponatis. Legitur enim in Exodo: quia si litigauerint duo viri, & perculserint mulierem prægnantem, & exierit infans nondum formatus, detrimentum patietur quantum indixerit vir eius, & dabit pro anima sua. Quid est autem hæc mulier prægnans, nisi anima infirma, nondum in amore Dei perfecta? hæc ergo anima religiosis viris inter se contendentibus, & sua contentione scandalum generantibus, percutitur & scandalizatur, ita vt amorem Dei, quem tenuiter conceperat, * abiiciat & perdat. Qui autem huic infirmiori & muliebri animæ abortiuum excussit, damnum patietur, quia mercede, qua fidelis seruus pro talento multiplicato donandus est, priuabitur. Vir verò huius mulieris est Christus qui pœnam huic offensioni debitam † inducit, sic dicens: *qui scandalizauerit* * *vnum de pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circundaretur mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur.* Quæ detrimenta vt euitare valeatis, filiam vestram Suessionensem Ecclesiam, quam sacrilegam, licèt canonicè obedire paratam, provt libuit, * appellatis, ad sinum matris paternè reuocate, & hæc amaritudinis verba, quę æternarum inimicitiarum esse monumentum possunt †, mutata in melius mente temperate. ne fortè si pertinaciter vos inuicem mordetis & comeditis, ab inuicem consummamini. Quantum enim intellexi, nisi zelum vestrum temperaueritis, non absque canonica ratione cauebit se iudicio vestro submittere, qui velut in hostem videmini aduersus eam exercitum commouere, & quasi procinctum belli præparare. Vtatur ergo prudentia vestra * consilio non iratorum, sed eorum qui possint esse discreti mediatores vtrarumque partium: ne fortè post multas vexationes alienum cogamini subire iudicium. Valete.

** quarum mentio epist. 85.*
† correptionis, ms. c.
** deest in ms. c.*
** idem locus epist. 7. & 118.*
Exod c. 21.
** in vett. codd. abiciat, vt sæpe alibi. In aliis vnũ de pusillis istis qui in me credunt melius est ei vt suspendatur mola asinaria ad collũ eius, & demergatur in profundum maris ita ms. c.*
† indicit ms. c. in quo duo sequẽtia verba desunt.
** marci 9*
** al. appellastis ita ms c.*
† possunt esse monimentum, ms. c.
** vnus cod. consilio maiorum, sed.*

EPISTOLA LXXXVI.

*Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister Stephane Palatino Comiti, * dilectionem & pacem in Christo.*

CLericos minis territos & contumeliis affectos, ad vos mittere non valeo. Mitto itaque chartam non timentem, neque erubescentem, iustitiam exigentem & iustitiam promittentem. Moneo itaque excellentiã vestram nunc tertiò, vt homines vestros qui in pacem offenderunt, ad iustitiam pacis, quam ipse dictastis & promisistis, venire faciatis: & cum hoc correctum fuerit, si quid in vos deliquimus, emendare parati sumus. Neque enim aliud aliquid aliquando de hoc negocio vobis mãdaui, quicquid dixerint vobis legati vestri. Quicquid autem vel plus, vel minus hactenus in auribus * vestris dictum sit, vel aliter, nunc expostulo iustitiam & offero iustitiam, secundùm rationem rerum gestarum & ordinem admonitionum, prout concorditer illi iudicabunt, qui iusta iudicia se facturos de pace iurauerunt. Et hoc futura die Martis Quod si refutaueritis, scimus quia potentia vestra & principatus vester pace Ecclesiastica non eget. Nos verò erimus contenti terminis nostris: & pacem istam, quæ Ecclesiæ valde est onerosa & * sumptuosa, quam contra vos tenere non possumus, dimittemus: in aliis autem sicut magno & potenti viro * seruiemus. Valete.

** al. salutem & dilectionem. confer epist. 49.*
** desunt in ms. c.*
** quidam. infructuosa.*
** al seruientes.*

EPISTOLA LXXXVII.

Ioanni & Benedicto Cardinalibus Presbyteris, & Romanæ Ecclesiæ Vicariis, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, ita sibi commissa fungi legatione, vt Angelo magni consilij valeant complacere.

QVia Beluacensis Ecclesiæ lapsum dudum vobis ex parte per litteras insinuaui, nũc in quantum profundũ * malorum descẽderit, sollicitudini vestræ reticere non valeo: ne mea taciturnitas mihi reputetur in vitium. & veterno ipsius Ecclesię morbo nullum procuret adhibere remedium. Prędicta enim Ecclesia tamdiu iam bonos desueuit habere pastores, vt malos habere, videatur ei quasi legitimum, bonos autem eligere quasi nefarium. Quod in hoc satis patet, quòd aduersus litteras * domni Papæ & vestras de electione vel assumptione Episcopi illicita prohibentes, ad contemptum sedis Apostolicę, irrisoria & contemptibilia verba in vos protulerunt, & postposita omni canonica obedientia clericũ quendam illiteratum, aleatorem & cæteris * huiusmodi lenociniis vacantem, procul etiam à sacris ordinibus inuentum, quondam quoque propter publicũ adulterium à Legato Romanæ Ecclesiæ Lugdunensi Archiepiscopo de Ecclesia eiectum, pro voluntate Regis, & illius * contubernalis suæ, in Episcopum assumpserunt. Prædictus autem intrusus Stephanus vocatur de * Guarlanda. Cui si ad Episcopalem * ministrationem aliquãdo Apostolica auctoritate patuerit aditus, manifestum est temporibus nostris exitiale silentium impositum esse canonicis legibus. Quomodò enim ad fontem scientiæ pertinge-

** deest in ms. c.*
** confer. epist. 89. ad Paschalem.*
** al huius mundi.*
** al contubernalis, ms. c. de qua epist. 11.*
** quidã cod. de Gallanda, vel de Varlanda.*
** in aliis cod. itams c consecrationem.*

cod. Put. cui si Episcopalis consecratio aliq. ap. auct. patuerit per vos man. f. ** al. permittitur?* ** dominum*

mus, si ab ipsis qui clauem tenent, intrare non *permittimur? His & huiusmodi præmonitam & præmunitam volo esse sollicitudinem vestram, vt & vobis caueatis, & domnum * Papam super his cautum faciatis: vt qui ex aduerso stat occasionem maledicendi non habeat de vobis tanquam sua quærentibus, & non quæ Iesu Christi. Prædictus enim intrusus festinat vt citò Romam vadat, aut mittat, & palatinos quibus poterit muneribus vel promissionibus flectat in suam partem, & domnum * Papam quacumque poterit machinatione decipiat. Rei itaque veritatem vobis notificamus, vt & auctoritati apostolicæ prouideatis, & famę vestræ benè consulatis, & Ecclesiam in malis tabescentem solatio foueatis, forti manu releuetis, & corrosorum dentes sinceritatis lapide conteratis *Si enim & in hoc cassata fuerit expectatio nostra, iam quid contra obloquentes * pro Romana Ecclesia loquamur, non habebimus, & murum pro domo Dei ponere fiducia Romanæ Ecclesiæ vltrà * non audebimus. De mundana ergo Dei domo, & de vindicando contemptu vestro, consilium citò capite, & quid super hoc & super aliis dispositionibus vestris facere velitis, per portitorem præsentium rescribite. Cùm vobis Deo donante locui poterimus, hæc & alia diligentiùs & diffusius exponemus. Valete.

** al. dominum.* ** vnus cod. conterundatis.* ** vide in hāc rem quæ scribit epist. 109.* ** al. non valebimus.*

EPISTOLA LXXXVIII.

** al. domino.*

Domno * *& omni veneratione dignissimo Paschali summo pontifici, Iuo humilis eius filius, omnis obedientiæ affectum & effectum.*

AVdiui nescio quorum falsidicorum delatione ad aures sanctitatis vestræ peruenisse Domnum Hilgotum * quondam Suessionensem Episcopum pro certis criminibus depositum ad monasterium confugisse. Quod absit vt credat sanctitas vestra. Nulla enim infamia denotatus, nulla criminali accusatione pulsatus, propter * prælatorum pericula, quæ iam expertus fuerat se salubriter ferre non posse, Episcopatui renunciauit, & ad portum monasterij confugiens de naufragio huius mundi nudus euasit. Eram quippe tunc temporis presbyter Beluaci in quadam regulari Ecclesia: ipse autem mihi familiaris erat propter aliquam, quam in me * æstimabat pietatis formam. Per me enim transiuit, in auribus meis coram Deo totum se effudit, ad vltimum propositum suum aperuit: & cùm ei licèt leniter * resisterem, & vt in regimine sibi commisso persisteret multis modis persuaderem: multis verbis vltro citroque habitis, summa fuit consilij sui, se malle in loco humili saluari, quàm * in alto periclitari. Visa itaque animi eius constantia, quòd vir tantæ nobilitatis, & tantæ fœlicitatis, ita mundum calcaret, & sub leue Christi iugum confugeret, approbaui intentionem eius: & qui me fecerat conscientiæ suæ iudicem, habuit de cætero sui propositi laudatorem. Qualiter autem in monasterio sit postea conuersatus, dicant vobis qui nouerunt, qui etiam approbata conuersationis eius experientia in patrem sibi eum elegerunt. In quo nihil aliud opponunt, quibus plus displicet bonum insolitum, quàm malum inolitum, nisi quòd Episcopali dignitati indigna fiet iniuria, si qui Episcopus fuit, fiat archimandrita. Dicunt enim quia non potest esse Abbas * sine benedictione. Si autē benedicitur, Episcopali benedictioni vehemens iniuria irrogatur. In quibus omnibus vestra expectanda est censura, vestra est tenenda sententia. Nam quicquid horum decernere velit Apostolici culminis prærogatiua, nulla Episcopali sacramento nobis fieri videbitur iniuria: cùm Abbatis benedictio nulla sit sacramenti repetitio: * vel huius benedictionis abstinentia non impediat virum ad hoc electum ad procuranda bona spiritualia vel temporalia. Quod quàm multis modernorum & antiquorum patrum probari possit exemplis, nouit vestra prudentia. Hęc suggerere volui sanctitati vestræ, vt non omni spiritui credatis, nec de honesta persona inhonesta murmurantibus aurem facilè præbeatis. Valete.

** al. Hilgodum.* ** prælationis.* ** al existimabat.* ** al. leuiter.* ** quidam, in summo.*

** al. si non benedicatur, ita ms. c.* ** vide epist. 73.*

EPISTOLA LXXXIX.

Paschali summo pontifici, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, quicquid filius patri.

QVoniam * vterinum filium Romanæ Ecclesiæ testante conscientia mea me esse cognosco cum scandalizatur, non possum non vri: cùm tribulatur, tribulor: cùm detractorum liuido dente laceratur, disrumpor. Vnde suggero dulcissimæ paternitati vestrę, vt si quæ de partibus nostris accusandorum vel excusandorum Episcoporum vel aliorum hominum ad aures vestras causæ perlatæ fuerint, non statim petionibus eorum qui quæ sua quęrunt, & non quæ Iesu Christi, adquiescatis, sed indulto congruo & prolixo spatio, religiosorum, qui in vicina regione rem liquidè nosse possunt, testimonia requiratis, & ita cognita veritate pro-vt vobis Deus inspirauerit, iustè vel misericorditer quælibet negocia terminetis. Ita enim bonam famam vestram, quæ sedi apostolicæ valdè necessaria est, conseruando, multorum saluti prouidebitis, & æmulorum linguas à maledicto reuocabitis. Alioquin si qua pudenda patris, quod Deus auertat, reuelata fuerint, non ea vt filij auersionis deridebimus: sed tamen ab huiusmodi admonitionibus, quas infructuosas videbimus, stilum & linguam cohibebimus. Nec indignetur sanctitas vestra, si vt filius talia suggero paternitati vestræ: * quia multos amatores iustitiæ iam vidi propter remissa flagitia, vel multorum dissimulata facinora †, ori suo silentium posuisse, & à spe corrigendorum malorum plurimùm defecisse Hæc hactenus. De cætero notum facio excellentiæ vestræ, Beluacenses clericos contra interdictum vestrum & legatorum vestrorum, quendam clericum nomine Stephanum * in Episcopum assumpsisse, procul à sacris ordinibus inuentum, vtpotè nondum subdiaconum, hominem illiteratum, aleatorem, mulierum sectatorem publicè olim de adulterio publico infamatum, * & ob hoc à Domno Lugdunensi Archiepiscopo tunc temporis sedis apostolicæ Legato, Ecclesiæ communione priuatum. De quo possent dici multa alia inhonesta †, sed hæc quæ vera & manifesta sunt ad repulsionem eius sufficiunt, si apostolica & canonica instituta vigorem suum non amittunt. Volo itaque * sanctitatem vestram à paruitate mea super hoc esse præmonitam & præmunitam, ne per subreptionem innocentiā vestram aliquis decipiat, vt licentia vestra ad Episcopa-

** aliàs in v. c. Put intimum filium. Sic iam epist. 12. ad Vrbanum Papam scribens de se dicit filio vteri vestri consulite.*

** al. quia multos pastores iam vidi. confer. locos epist. 109 & 110.* *† vel dissimulata multorū facinora, vel flagitia ms. c.* ** de quo epist. 87. 95. & 104.* ** accusante Lisiardo Archidiacono, vt ait epist. 45.* *† dici, ms. c.* ** [illegible]aternitatem.*

tum perueniat. Quod si factum fuerit, quantum in hoc casura sit sedis apostolicæ auctoritas, si verbis meis non creditis, tandem rei experientia cognoscetis. Ne igitur diu terram occupet,* pædagogum illum ab Ecclesia Dei remouete, vt cæteri incircuncisi clerici hæc videntes à simili ambitione desistant, & ita sermo Dei in diebus vestris currat & proficiat. Sciat autem sanctitas vestra hunc Stephanum priùs à Beluacensibus propter prætaxatas causas fuisse repulsum: sed cum sanior pars assensu Regis quendam religiosum vellet eligere, à quibusdam maleuolis clericis & laïcis excommunicatis eundem fuisse receptum. iamdiu enim illa Ecclesia tales consueuit * habere pontifices, quibus ipsa damnaretur, non à quibus ad viam vitæ dirigeretur. Vestrum autem est & oues errantes & dissipatas per nebulas & auia deserti quærere, & ad pascua reducere; pastoremque qui gregis curam habeat, eidem prouidere. Et licèt ipsæ oues velint perire,* velint errare, velint se verocitati luporum suffocandas objicere; dicendum est tamen sanctitati vestræ, nolo erretis, nolo pereatis. Vt autem sciatis verum esse quòd propter adulterium fuerit de Ecclesia eiectus, exemplar litterarum Lugdunensis Archiepiscopi vobis mittere curaui. Valete.

* in malam partem vt epist. 6. & 98.

* Vnus cod. consuerat. iungendi sunt similes loci epist. 87. & 92.

* vide loc. epist. 10.

EPISTOLA XC.

Daimberto Dei gratia Senonensi Archiepiscopo, Iuo Carnotensis Ecclesiæ minister salutem & seruitium.

POrtitor litterarum vestrarum festinabat ad reditum; ego autem aliquantulum potione & sanguinis minutione* debilitatus eram: pro valetudine tamen & opportunitate hæc ad interrogata respondeo, quia * treuia Dei non est communi lege sancita, pro communi tamen vtilitate hominum ex placito & pacto ciuitatis ac patriæ, Episcoporum & Ecclesiarum, vt nostis, est auctoritate firmata. Vnde iudicia violatæ pacis modificari oportet, secundum pacta & diffinitiones quas vnaquæq; Ecclesia consensu parochianorum instituit, & per scripturam vel bonorum hominum testimonium memoriæ commendauit. Vnde palam est, quia vitricus & frater vestet erga illum quē in iurando pacem ab obseruantia pacis exceperunt, quamuis reatum homicidij incurrerint, non tamen pactum pacis violarunt. Sed quia exceptio illa personam nocentis non excessit, & nepos illius excommunicati non erat priùs de eius adiutorio vel communione culpatus; si ille nepos paci erat iuratus, quantum nobis videtur, iniustè est cōtra pacis instituta peremptus: nisi fortè alias rationes habeatis, quæ in litteris vestris minimè fuerunt, quibus interfectorem eius à violatæ pacis iniuria defendatis. Non enim etiam ipsos violatores pacis, non tantùm ad puniendum non exponendos inimicis, sed nec excommunicandos esse censemus, nisi postquam accusati & conuicti fuerint, & * malefacta sua emendare contempserint. Vnde Augustinus in libro de pœnitentia: *nos quemquam à communione prohibere * non possumus, quamuis hæc prohibitio non sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum aut aliquo siue sæculari siue ecclesiastico iudicio accusatum atque conuictum.* In hunc modum multa dici possent, sed hæc vos ignorare non æstimo. Valete.

* al. diminutione

* treuuia.

* al. maledicta

* quidam cod. priuare.

EPISTOLA XCI.

Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, Adelæ nobili Comitissæ, cum fideli oratione seruitium.

GRatias agimus Deo, qui procellam vestræ infirmitatis conuertit in serenitatem recuperandæ sospitatis:* quia sicut contristauit nos nubilum ingruentis infirmitatis, sic lætificauit serenum redeuntis sospitatis. Interpellamus itaque diuinam clementiam, vt præsentia flagella carnis medicinam esse faciat interioris hominis; quatinus & commissa præterita fletu diluatis, & flenda de cætero caueatis committere: ne diuina manus, quæ modò misericorditer flagellat, postea miserabiliter conterat. Rogo autem pro remedio animæ vestræ, vt Ecclesiam Beati Ioannis Baptistæ, in qua regularem vitam Deo donante ordinauimus, diligatis, & res ad ipsam Ecclesiam pertinentes contra insidiantes & incursantes pro posse vestro defendatis, & præcipuè † reculas cuiusdam Haimerici quondam serui Sanctæ Mariæ Iotrensis monasterij in eadem Ecclesia conuersi, quietè ab incursu vestrorum possidere faciatis. Abbatissa enim prædicti monasterij seruum illum cum rebus suis eidem Ecclesiæ manumisit,* sicut dicet vobis Domna Hilescendis * Vicedomina. Pro hoc enim à fratribus prædictæ Ecclesiæ habebitis munus orationum, & à nobis fidele seruitium. Valete.

* al. quoniam.

† ita leg. ex v. c.

* iuxta canones sub distinct 54.

* al. Hilesendis. ms. c. vel Hilensis.

EPISTOLA XCII.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, debitam cum omni deuotione obedientiam.

MAter mea Beluacensis Ecclesia, quæ in Christo me genuit, quæ lacte suo me aluit, crebra mutatione perniciosorum * aut inutilium Episcoporum valdè vexata & vehementer attri[...] lacrymabili vociferatione post me clamat, tanquam per me impediatur* electi sui consecratio, vel eam apud sanctitatem vestram mea impetrare possit intercessio. Et quia materni dolores, quamuis aliquando non vsquequaq; rationabiles pia viscera vehementiùs penetrant, eius conquæstionibus non possum non moueri, eiusdem gemitibus non compungi. Postulat autem eadem Ecclesia in persona electi sui vnam tantùm imperfectionem remitti: videlicet quòd in sacris ordinibus* non est inuentus, cùm in cæteris eius integritatem prædicet, vtilitatem commendet. Si autem in eo aliquid criminosum, vel quod sacris canonibus obuiet, repertum fuerit; pro huiusmodi non est nostrum apud sedem* iustitiæ intercedere, nec vestrum inordinatis precibus aurem præbere. Scimus tamen ad audientiā vestram, & legatorum vestrorum quorundam relatione fuisse perlatum, aliquando prædictum electum insimulante Lisiardo prædictæ Ecclesiæ Archidiacono per Lugdunensem Archiepiscopum, tunc sedis apostolicæ legatum, cuiusdam criminis* obiectione fuisse pulsatum, non tamen sponte confessum, vel aliquo Ecclesiastico vel seculari iudicio fuisse conuictum. Asserit itaque prędicta Ecclesia eundem ad omnia obiecta fore paratū canonicè respondere, si quis

* Al. atque. vide epist. 87. & 89.

* is erat Stephanus de Guarlanda vt constat ex ep. 87. & 89.

* nondum enim erat Subdiaconus vt ait dicta epist. 89.

* sic etiam Romam appellat ep. 46. & thronum iustitiæ epist. 250.

* adulterij scilicet, vt scribit epist. 89.

canonicè poſſit accuſare. Prædictus etiam Liſiardus qui tunc inimicus accuſabat, nunc conuerſus ſpecialiùs eum diligit *, præ cæteris expetit, quanta poteſt excuſatione defendit. In cauſis autem in quibus accuſatores fiunt defenſores, quid iudex facere debeat, non eſt meum veſtram ſollicitudinem monere, veſtram prudentiam docere. Quicunque verò huius facti ſint laudatores aut vituperatores, ipſe electus tanquam de conſcientia ſua, quæ illi non dubius teſtis eſt, aut pro ſe, aut contra ſe, benè ſecurus tribunalibus veſtris ſe præſentat, aut miſericordiam accepturus, aut iudicium ſubiturus. Petimus itaque cum petentibus *, pulſamus cum pulſantibus, quatinus ſic iudicium ex miſericordia temperetis, vt quantum ſaluo honore veſtro poteſtis, miſerabilibus Eccleſiæ ruinis miſericorditer occurratis. Sic enim volumus amicis prodeſſe, vt auctoritati & honeſtati ſedis apoſtolicæ in nullo velimus * obeſſe. Valete.

*al. eligit.

* Scripſit coactus importunitate dicti Stephani, vt ait initio epiſt. 95.

* vt in fine epiſt. 133.

EPISTOLA XCIII.

Daimberto Dei gratia Hieroſolymitano Patriarchæ, Iuo humilis Carnotenſis Eccleſiæ ſeruus, fidelium orationum munus.

QVia diuina miſeratio ſollicitudinem veſtram illi Eccleſiæ præeſſe voluit, de qua verbum Dei proceſſit, gaudemus tum propter familiarem qua vos amplectimur caritatē, tum propter vtilitatem quam populo Dei collaturam ſperamus veſtram ſollicitudinem. Quos igitur corporalis non iungit aſpectus, iungat indiſſolubilis caritatis affectus, & ante oculos mentis nos inuicem cotidiana repreſentet oratio, quorum præſentiam corporalem* ſpacioſa terrarum volumina excludunt. oramus itaque, vt extenſis in cœlum manibus, & fuſis in monte precibus vincatur Amalech: quatinus poſt multa flagella filiorum Iſraël, in tempore ſacerdotij veſtri arca Dei liberata reuertatur in Sylo, vbi populus pacificas hoſtias poſſit immolare, & pro offenſionibus ſuis ſacrificio cōtriti cordis Deum placare. Mittat etiam ſaluator & propugnator noſter *, Dauid fidelem in auxilium veſtrum, qui numeroſa Philiſtinorum præputia circuncidat, & in ſortem Iſraëliticæ plebis adducat: quatinus hæc terrena Hieruſalem non ſeruiat vt ancilla cum filiis ſuis, ſed ſupernam quæ libera* eſt imitetur; cuius ciues * ſunt non tantùm qui in hac perigrinantur, ſed omnes qui ad ſupernæ viſionis pacem pertinere* merentur. De cætero commendamus ſollicitudini veſtræ, parochianos noſtros portitores præſentium litterarum, & cæteros quos Hieroſolymam veniſſe cognoueritis, vt eos paternis conſolationibus foueatis: & ſi à via iuſtitiæ deuiauerint, obſecrando, increpando, arguendo, ad ſupernæ tramitem intentionis redire moneatis. Nihil tranſitorium, nihil quod ad præſentem vitam pertineat à vobis expetimus: ſed ſi aliquid pium, aliquid ſanctum, quod memoriam veſtri menti noſtræ arctiùs imprimeret, & maiorem in nobis gratiam deuotionis excitaret, nobis mittere poſſetis, hoc optaremus, hoc humiliter peteremus. Si quid autem de ſtatu veſtro, & matris noſtræ orientalis Eccleſiæ paruitati noſtræ ſcribere volueritis, per iſtos ſecurè poteritis. Augeat Dominus per officium linguæ veſtræ populum fidelem merito ſibi & numero ſeruientem. Valete.

* ſic habent nonnulli vett. codd. In aliis eſt, ſpacioſa terrarum excludit interpoſitio, vel intercapedo, ms c. Exod c. 17. & lib. 1. Reg. c. 4.
* ita ex vett. codd in quorū vno, ſcriptum. D D. male antea Dominus fid.
* al. cum liberis.
* al fiunt.
* vnus cod. nituntur.

EPISTOLA XCIV.

Paſchali ſummo Pontifici, Iuo humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, ſanctitatis ſuæ ſeruus obedientiæ & ſeruitij munus debitum.*

* in vno cod: ſeipſum vt filiū obedientiſſimum.

QVoniam diuino adiutorio Carnotenſis Comes prauas conſuetudines quas habuerant anteceſſores ſui, & ipſe in domibus & rebus Carnotenſis Epiſcopi defuncti vel depoſiti, multo meo labore & ſumptu Eccleſiæ dimiſit, & paruitas mea ſuper hoc, priuilegium à ſanctitate veſtra promeruit ad perficiendam eiuſdem libertatis confirmationem; peto ab excellentia veſtra mitti litteras clero Carnotenſi continentes hanc ſententiam: vt ſi fortè aliqui Carnotenſium Comitum, vel miniſtrorum eorundem aliquando cupida temeritate & temeraria cupiditate libertatem à Comite conceſſam infregerint, tanquam Eccleſiaſtici iuris ſacrilegi peruaſores ab ipſo clero apoſtolica auctoritate excommunicentur, & Eccleſiæ tam ciuiles * quàm ſuburbanæ vſque ad ſatisfactionem claudantur. Non enim poteſt populus rapinis * aſſuetus aliter à ſua malitia coërceri, niſi ſummo rigore iuſtitiæ refrenetur, & terribili excommunicatione plectatur. Addatur etiam, vt ſi ſuccedens Epiſcopus illius ſacrilegij patratores abſque ſatisfactione abſoluerit, vel ambitione adquirendi Epiſcopatus vel timore amittendi ſupportauerit, tanquam ſacrilegij particeps, & Epiſcopatus exutor adiudicetur. Tali enim obice poterit malitiæ torrens à ſolito præcipitio retineri, intráque debitos limites coërceri. Nec indebitum eſt, ſi aduerſus noua morborum genera inueniuntur & apponuntur inſolita medicamenta. Valete.

* vt epiſt. 121
* quidam aſſuefactus.

EPISTOLA XCV.

*Paſchali ſummo Pontifici, Iuo humilis Carnotenſis Eccleſiæ * miniſter, ſe ipſum vt filium obedientiſſimum.*

* Epiſcopus ſanctitatis ſuæ ſeruus obedientiæ & ſeruitij debitum obſequium, ms. c.

LÆtatus ſum ſupra quàm dici poſſit, & de * Stephani Beluacenſis Eccleſiæ proci repulſione*, & de facta in me propter eum paterna inuectione: quamuis ego in poſterioribus litteris nihil contrarium prioribus ex me ſcripſerim, nec pro eius perſona, ſed pro ruinis Eccleſiæ ſanctitatem veſtram interpellauerim. Importunitate enim ſua extorſit à me litteras, * quas ei * nullo modo profuturas, imò multum credidi offuturas *, ſi intelligentem haberem † lectorem, & commodum expoſitorem. In litteris itaque veſtris, quàm conſtans ſit in vobis amor iuſtitiæ & zelus domus Dei, liquidò mihi apparuit; & me publicante ferè omnibus noſtri regni Eccleſiis ad laudem diuini nominis innotuit. Nihil itaq; de hoc negocio reſtat, niſi vt bonis principiis & bonis prouectibus bonus imponatur exitus. De cætero notū * facimus prouidētiæ veſtræ, quòd venerabilis confrater, & Romanæ Eccleſię ſemper amator Catalaunenſis Epiſcopus, per nos qui * Pictauienſi concilio interfuimus, conuenit & interpellat clementiam veſtram, quatinus ſententiam veſtrā de theſauraria Catalaunenſis Eccleſiæ, importunitate Drogonis & * nebulis verborum eius ab innocentia veſtra extortam, mi-

* Vide epiſt. 87. 44. & 97.
* veſtra, ms. c.
* Intelligit epiſt. 92.
* Al. nullatenus, ms. c.
* vnus v. c. offenſuras.
† haberent ms. c.
* al. facio prudentiæ.
* Pictauienſi.
* Ita promiſſianum nebulas dixit ep. 66.

tigetis, vel in melius mutetis, &, sicut decet Apostolicam moderationem, confratri nostro iusta & possibilia iubeatis. Et cùm iudicium Apostolicum à nemine sit foris * retractandũ, vos ipse perpendite, vos ipse iudicate, vtrùm synodalis sententia Apostolicis decretis & canonicis sanctionibus munita dissolui debuerit sine vtriusque partis audientia. Nec enim indecens est, sicut Apostolicis docemur exemplis & scriptis, si aliquando sententiam* mutet ipse Apostolicus in melius, cùm aliquid subreptum vel falsis precibus à sede Apostolica fuerit impetratum. Vt autem per subreptionem à sanctitate vestra litteras Catalaunensi Episcopo missas extortas agnoscatis, seriem causæ quam tractauimus, prudentiæ vestræ breuiter intimabimus. Prædictus enim Drogo cum omnium in Pictauensi* Concilio considentium importunis clamoribus aures oneraret, dicebat, se prędicta thesauraria à Philippo Catalaunensi Episcopo canonicè fuisse inuestitum, & ideò iniustè spoliatum. Cuius rei veritas cùm diligenter fuisset euentilata, contestantibus Catalaunensis ecclesiæ clericis, Drogoni prædicto obiectum est, quòd secundum ordinem ecclesiasticum prædictum honorem habere non posset nisi ipsius ecclesiæ canonicus, quod ipse nec fuerat, nec esse poterat, cum iam esset in alia ecclesia, & in alia prouincia factus Canonicus & Archidiaconus. Additum est etiam quòd prætaxatus Episcopus iam moriens & inunctus, importunitate Drogonis superatus *non eum prædicta administratione inuestierit, sed tantùm eo tenore concesserit, vt eo viuente nunquam se de ea intromitteret, nec eius vsusfructus vsurparet. Inuitati itaque à venerabilibus * Cardinalibus vestris ad iudicium, cùm nullus esset qui prædictis rationibus obuiaret, & confirmantibus eisdem Cardinalibus iudicium * nostrũ, ex ratione & auctoritate iudicauimus non fuisse canonicam inuestituram, contra quam clamant decreta Apostolica, canonica instituta, & vniuersa penè Concilia. Leges enim nequaquam appellãt inuestituram concessionis, sed possessionis, quam prædictus Drogo in vita defuncti Episcopi non habuit, sed post mortem eius ipse se impudenter ingessit. Nec habet ordo canonicus, vt in ea ecclesia quis pręproperò saltu fiat præpositus, in qua nunquam meruit esse suppositus. Quòd autem prædictus clericus in * duarum ciuitatum titulari non possit ecclesiis, tam ex vestris quàm pręcessorum vestrorum comprobamus sententiis. Intelligimus etiam ex dictis Papæ Gelasij: quia si quid fuerit contra Apostolica decreta manifestè præsumptum, non opus esse vt tanquam res dubia deuocetur in iudicium, quod tam frequenter Apostolica falce est pręcisum, & generalium Conciliorum sententiis definitum. Nec enim alia de causa Concilia conuocatis, nisi vt contemptores decretorum † vestrorum ad eorundem obseruantiam reuocetis. Vnde si obseruatores Apostolicorum præceptorum vestra auctoritate fatigantur, vel fatigari permittuntur, vos* ipse videte, quæ pax restat ecclesiæ, quis * rigor superest disciplinæ. Sic enim † ab obedientia mandatorum sanctorum dissimulabunt non tantùm illi * qui ea seruant in angaria, sed etiam hi qui custodire volunt cum diligentia. Quid etiam vltrà valebunt celebrãda Concilia, quorum per vnius personæ delationem irrita fient quantalibet auctoritate fulta iudicia? Vnde rogamus sanctitatem vestram, vt librata consideratione commodorum & incommodorum * quæ de huiusmodi perturbatione nasci possunt, saniori sententiæ animum accommodetis, vt & iudicia synodalia non nisi summa ratione cassentur, & mandata Apostolica curiosiùs obseruentur. Valete.

* epist. 159.
* Vide ca. sententiam. cau. 35. q. 9.
* al. Pictauiensi.
* nec, ms. c.
* in vno exemp. additur Episcopis vel Cardinalibus.
* vnus cod. fratrum.
* in 7. Synodo & Concilio Calcedo. cap. 10. vide Gratianum cau. 21. q. 2.
† præceptorum, ms. c.
* al. ipsi.
* vigor.
† cod. Put. obedientiam.
* al. qui ad eam seruandam angariantur.
* al. quæ de eius misera perturbatione.

EPISTOLA XCVI.

Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister Petro pusilli gregis doctori, L. Suessionensis Ecclesiæ Præposito, H. eiusdem Ecclesiæ Decano, & reliquo Ecclesiæ clero salutem in Domino.

VEniens ad nos Petrus ecclesiæ vestræ Archidiaconus postulauit à paruitate mea, vt scriberem fraternitati vestræ flagitanti consilium meum, quid sentirem de sepultura patris sui, cui denegata est defuncto communio ecclesiastica, quam nec iudicio ecclesiastico, nec pro aliquo facinore in quo deprehensus fuisset amiserat, sicut idem Petrus dicebat in vita. Quod si ita est, rata nobis hæc sententia * videtur quoniam defunctis communionem interdicere non debemus, quibus * viuis non interdiximus: sicut defunctis illis communicare non debemus, quibus viuis non communicauimus. Non enim data est potestas ecclesiæ alia ligare vel soluere, nisi quæ sunt super terram. Vnde constat ea diuino reseruanda iudicio, * quæ inter viuentes humano non sunt terminata iudicio. Precor itaque fraternitatem vestram & consilium do, vt quantum salua reuerentia Episcopi vestri * fieri potest, anxietatem confratris vestri releuetis, & sepulturam ecclesiasticam, si ita iniustè ablata est, vt prædictus frater asserit, reliquiis patris eius reddi faciatis. Valete.

* ita v. c. antea, videtur quod.
* al. quam viuis.
* vt epist. 59. & 212.
* al. serui.

EPISTOLA XCVII.

*Reuerendis fratribus & coëpiscopis Lamberto Atrebatensi, & Joanni Taruanensi, * Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister salutem in Domino.*

* al. Taruernensi.

LItteras domni Papæ & vobis transmissas per confratres nostros beati Quintini canonicos credo vos accepisse: quibus & * reprehensi sumus de qualicunque assensu Stephani Beluacensis ecclesiæ proci, & præmoniti quatinus omnibus modis caueamus, ne in ecclesiam Beluacensem irrepat persona minùs apta sacra † ordinibus. Quoniam igitur vestra semper consuetudo fuit lupos in ouilia Dei subintrantes perfecto odio reprobare, & eos sicut fideles in domo Dei canes vbi licuit impugnare: vestram religionem importunè & opportunè rogamus & monemus, vt quod hactenus fecistis amore iustitiæ, propensiùs faciatis in hoc negocio ex debito obedientiæ. Vos itaque vt suffraganei Remensis ecclesiæ admonete metropolitanum vestrum, quatinus secundum tenorem litterarum quas * domnus Papa misit Beluacensibus, Beluacensis Ecclesiæ clericos ad faciendam canonicam electionem pro officij sui debito cohortetur, quatinus ex munimine auctoritatis eius & infirmi habeant vnde * sanentur,

* id etiam dicit initio ep. 95. quia precibus eadem scripserat ad Paschalem, vt indicat epist. 92.
† sacris, ms. c.
* meminit epist. 98.
* al. saluentur.

&fortes vnde solidentur. Quod si* præblandiente desidia facere distulerit, aut dissimulauerit, monendus est à vobis quatinus sic honorificet ministerium suum, vt quod per eum faciendum est, per manus non impleatur aliorum. Valete.

*al. si ipse blaud.

EPISTOLA XCVIII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister dilectis in Christo fratribus Beluacensis Ecclesiæ filiis stare, viriliter agere & confortari in domino.*

Diuinæ miserationi pro modulo nostro gratias referimus, quòd in corpore Ecclesiæ vestræ sint adhuc plura quàm crederemus membra sensibilia, de dolore suo dolentia, & pro sanitate sua laborantia. Benedictus Deus, quia in vobis adhuc est aliqua spes vitæ: quamuis inter vos sint aliqui filij alieni qui assumpta facie meretricis nescientes erubescere, pro ventris esca, quam Deus destruet*, & vilibus sarcinulis matrem suam euiscerant: & vitæ suæ & famæ non parcentes, tanquam membra putrida fœtorem suum non sentiunt, & reliquos qui sanari possent sua putredine & fœtore coinquinare contendunt. vos itaque qui adhuc mortem *vetare vultis, & prædicto putore formidatis putere: videte vt quantum in vobis est, apostolicis præceptis & monitis obtemperetis, & electionem in aliam personam non dico illam, vel illam, sed tantùm catholicam & canonicam, secundum tenorem apostolicarum litterarum citò facere studeatis. Hoc enim modo & Ecclesiam vestram à multiplici pædagogorum *inuasione liberabitis, & multas vexationes quæ adhuc pendente negocio fiunt, euitabitis, & famæ vestræ vtiliter consuletis. Nec ista dico vt aliquam specialiter sicut prætaxatum est commendem personam: quia omnis persona mihi placitura est quæ vita* clareat & doctrina. Nihil enim meum in hac causa requiro, sed vobis omnibus qui pro domo Dei viriliter stare volueritis, & me, & mea indifferenter expono, secundum vires consilio vobis profuturus & auxilio. Angelus magni consilij & spiritus fortitudinis operetur vobiscum. Valete.

*repulso Stephano P.ſchalis iussẽrat alium elegi vt constat ex collatione epist. 95. & 97. itaque elegerunt Galonem, de quo epist. 104.

*in eod Put. & libidinis sarcinulis.

*vitare, ms. c.

*in deteriorem partem accipit vt epist. 6.

*vilissimus enim Episcopus nisi præcellat scientia & sanctitate, in ca. 45. cau. 1. q. 1.

EPISTOLA XCIX.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, dilecto in Christo fratri & compresbytero Gualoni salutem in domino.

Sciscitata est à me dilectio tua, vtrùm pueri sex annorum vel infrà possint inter se* sponsalium vel matrimonij contrahere sacramenta: & celebratis sponsalibus, si aliter obierit, vtrùm possit superstes cum sorore, vel cum fratre defuncti inire matrimonium, cum quo priùs inierat desponsationis vinculum. Et de matrimonio quidem, si legem naturalem consulimus, & verba domini diligenter attendimus vbi dicit: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*: respondere incunctanter possumus, quia tunc primum initur legitimum matrimonium, cùm coniuges per commixtionem carnis reddere sibi inuicem possunt coniugij debitum. Si autem ante annos pubertatis ratione dilatandæ vel conseruandæ pacis inter aliquos talia sacramenta celebrantur: si inter eas personas fiat inter quas lex id fieri non prohibet, & ex amborum consensu, non reprehendimus: quia sicut dicit Papa* Nicolaus dicit, *matrimonium facit consensus, non coitus*. Vnde etiam in libro pandectarum, continetur libro 23. titul. 1. *In sponsalibus consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. Et ideò sicut nuptiis, ita sponsalibus filiam familiàs consentire oportet.* & in consequentibus: *Filio familiàs dissentiente, sponsalia eius nomine fieri non possunt.* Qua autem *ætate ista fieri debeant, nec ecclesiasticis, nec humanis legibus pleniter est diffinitum. Vnde in supradicto continetur libro: *In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium diffinita non est, vt in matrimoniis.* quapropter à primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modò id fieri ab vtraque persona intelligitur†, id est, si non sint minores quàm septem annis. Postquam verò sponsalia vtriusque personæ consensu contracta sunt, coniugij nomen acceperunt. Vnde dicit Ambrosius ad exhortationem virginitatis, libro primo. *Desponsata viro coniugis nomen accipit. Cum initiatur coniugium, tunc coniugij assumitur: non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis.* Item Isidorus ethymologiarum lib. 9. *Coniuges* veri appellantur à prima desponsationis fide, quamuis adhuc ignoretur coniugalis concubitus.* Inde etiam Augustinus in libro de nuptiis & concupiscentia: *Neque fallaciter ab Angelo dictum est ad Ioseph: noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniunx vocatur à prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognouerat, nec* cognosciturus erat.* His igitur auctoritatibus manifestum est, quia postquam per desponsationis fœdus inter duas personas ex maiori parte fuerit coniugium ex vtrorumque voluntate compactum, non* potest vlterius frater vxorem fratris ducere, nec soror sororis marito nubere. Vnde legitur in Concilio Triburiensi capitulo x. *Decretum est, vt quamuis mulier nupta esse non potuerit legitimo viro, desponsatam tamen fratri frater habere non possit.* Hæc tibi interim carissime ad interrogata sufficiant. Ex his enim quasi rationum *scintillis poteris maiora colligere, & quibus necesse fuerit de propositis satisfacere. Vale.

*al. sponsaliorum, ms. c.

Confer epist. 246.

Genes. 2.

*citat etiam epist. 243.

l. 7. & 11 D. de sponsalibus.

l. 13. D. eod. & epist. 134.

*l. 14. D. de sponsal. Leo Philosophus Nou. 109. statuit ne infra septimum annum sponsalia ineantur. Vide ep. 243.

†intelligatur, ms. c.

epist. 148. & 246.

*cod. Put. iure ap.

*al. cognituras. ita ms. c.

hanc in rem Gratianus causa 27. q. 2.

*al. poterit. ita ms. c.

*cod. Put. scintillulis.

EPISTOLA C.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, Ioanni eadem gratia Aurelianensis Ecclesiæ Episcopo salutem.

Expectans expectaui & non intendisti mihi, quia altare de basilicis, quod mihi in Concilio *Pictauensi adiudicatum est, secundum iudicium Synodi non restituisti mihi. Paganus* enim prædicti altaris sacrilegus inuasor adhuc manum mitti ad sacrilegium, & tam tuo consensu quàm Turonensis Archiepiscopi patrocinio, cui plus iusto subiacet fraternitas tua, sibi vsurpat ius meum. Si autem huic rei consensum non præbere te dicas, credi non potest, qui pro officio tuo cùm possis vindicare non vindicas, *Facientis* autem proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere non studet emendare. nec caret nauo consensionis*

*sic vett. cod. antea, Pictauiensi

*cuius mentio epist. 112. & 114.

*ca 3. dist. 86 & epist. 77.

occulta, qui manifesto facinori desinit obuiare. Vnde sciat fraternitas tua, quia si de prædicto peruasore plenam iustitiam mihi non feceris, quod exigi potest à faciente, de cætero quibus modis potero exigam à consentiente. Quid autem super hoc mihi facturus sis, per præsentium portitorem scripto mihi remandet tua fraternitas. Vale.

EPISTOLA CI.

Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister Adelæ excellenti Comitissæ salutem & orationum munus.

AVdiui quòd à * Radulfo Archipresbytero nostro * bannum leugæ requiritis propter quandam pseudomonacham, cuius reculas * saisiuit, quas apud quendam Burgensem Blesensem inuenit. Vnde rogamus & monemus excellentiam vestram, vt hanc nobis non * inferatis iniuriam. Omnes enim pseudoprædicatores, & pseudomonachi, & pseudoclerici fornicatores, adulteri, fœneratores & alij qui in Christianismo offendunt, (exceptis * his qui pœna capitali puniendi sunt,) à nobis distingendi & corrigendi sunt, & ipsi & eorum res nostri sunt iuris. Et hæc est antiqua & inconcussa consuetudo non tantùm Carnotensis Ecclesiæ, sed omnium Ecclesiarum per totum regnum Galliarum. & hoc astruere parati sumus, siue in Ecclesia nostra, siue in omni Ecclesia quæ * canonicum super nos possit facere iudicium. Cesset ergo à tali incœpto prudentia vestra & sicut inconcussum vultis habere principatum vestrum, sic Ecclesiam permittite habere ius suum. Nec obsit nobis apud excellentiam vestram, quòd vos & vestra diligimus, & inuiti aduersum vos aliquid etiam ratione * mouente attentamus. Sciat autem prudentia vestra, quia quod fecerunt ministri vestri in prędictum Archipresbyterum, grauiter ferimus, sed propter dilectionem vestram dissimulamus. Sed si res in peius, quod absit, se verterit, adhuc ab eis pro officio nostro districtè exigemus. Valete.

* quidam Gradulfo.
* bannum. vt epist. 134.
* eodem verbo vsus epist. 1..
* vnus cod. non faciatis.
* sunt.
N. B.
* aliàs, canonicè.
* aliàs, monente, ita ms. c.

EPISTOLA CII.

*Manassæ * reuerendo Remorum Archiepiscopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister salutem in Domino.*

QVàm crebris luporum * incursionibus, quàm multiplicibus filiorum alienorum deceptionibus aggrauata sit Beluacensis Ecclesia, non est necessarium vestram docere prudentiam *, cuius ista non præteriere notitiam. Sed quia Ecclesia illa in Christo me genuit, & fundamentum religionis in me posuit, quamuis ab aliis quantum Deus donauit, superædificatum sit: cum infirmatur, non possum non infirmari: cùm scandalizatur, non possum non vri. Vnde non miretur vigilantia vestra, si apud * paternitatem vestram intercedo pro genitrice & nutrice mea: vt vos qui quotidianas † eius ruinas frequenti relatione cognoscitis, pro officio vestro lamentabilibus eius lapsibus occurrere studeatis. Vestrum est enim dissipatas oues in die nubis & caliginis per auia quærere, & ad ouile, quantum ad vos pertinet, reducere, licèt velint errare, licèt velint * perire. Vestrum est etiã quærendo oues perditas, per ardua vos & aspera coarctare †, vt possitis gaudens & non gemens bonam ęterno iudici de commissa vos sollicitudine rationem reddere. Vestrum est oues morbidas quæ contagione sua * plurimas perdunt, ab ouili interim remouere, & inter eas quæ vocem pastoris audiunt non connumerare: sanis autem & non errantibus pascua prouidere, & pastori quem oues cognoscunt & expetunt, ouile committere. & quia integritatem personæ * electi per vos benè nostis, & voluntatem summi pontificis & consilium super hoc audistis, sanum consilium mihi * videretur, vt communicato & confirmato cum coëpiscopis consilio, consecrationem electi prædictæ Ecclesiæ * acceleraretis: ne differendo, vel non faciendo quod vestrum est, honorem vestrum alteri detis. Non enim licet Regibus, sicut sanxit octaua Synodus, quam Romana Ecclesia commendat & veneratur, electionibus Episcoporum se immiscere, vel aliqua eas ratione * impedire. Francorum etiam Reges Carolus & Lodouicus electiones Episcoporum Ecclesiis concesserunt, quod & in suis capitularibus * scriptum reliquerunt, & in Conciliis Episcoporum prouincialibus sanciri permiserunt. Habeat ergo Deus in Ecclesia sua principaliter quod suum est. Habeat Rex posteriori ordine post Deum quod sibi à Deo concessum est. Neque id impedire videatur, quod Regi de obnoxietate parentum eius inuidiosè suggestum est: quia secundum mediocritatem suam de honestis parentibus progenitus est, & obnoxietas eorum à nullo viuente legitimè comprobari potest. Quòd si Deus vult humilia & mundi infirma suo more eligere vt confundat fortia, quis est qui possit vel debeat eius ordinationi resistere? Sic Dauid de post fœtantes ad regnum assumptus est. Sic Petrus ad summum apostolatum de piscatione vocatus. Sic multi egeni de puluere suscitati & ad summa regimina Dei prouidentia * sublimati: vt ostenderet quia apud eum mundi sapientia vel secularis potentia nullius sunt momenti. Sed quia hæc omnia * non ignota sunt vobis, summam repetendo concludam nostræ apud vos intercessionis, videlicet vt labenti Ecclesiæ citò subuenire studeatis. Vale.

* al. venerando.
* vnus, v. c. morsibus.
* cod. Pnt. in cuius ista surrepsere notitiam.
* al. fraternitatem
† cotidianas. vitiis ms. c. vectius.
* sic epist. 89. in fine. & S. August in ca. displicet cau. 23 q. 4.
† latera etiã si necesse sit, inter spineta cruentare, ms. c.
* al. plurimos p. ab ouili interdum rem, ms. c.
* Galonis ex collatione epist. 104.
* al. videtur, ita ms. c.
* al. accelerатis.
* al. præpedire.
* lib. 1 cap. 84.
* al. sublenati.
* al. ignorata.

EPISTOLA CIII.

Paschali summo Pontifici Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, cum Petro militare, & cum Petro donatiuum recipere.

FIlius vester & confrater noster * Siluanectensis Episcopus pro Romana Ecclesia contra Romanam Ecclesiam absque audientia & iudicio de propria sede pulsus, rerumque suarum damna perpessus, quamuis hoc anno redierit à sede apostolica munitus litteris apostolicis, tamen nec apud Regem tribulationis suæ aliquod inuenit remedium, nec apud metropolitanum suum paternum suffragium, nec apud comprouinciales suos fraternum solatium *. Reditus quoque præbendæ suæ Parisiensis, de qua specialiter intuitu misericordiæ mandaueratis, nullos recepit: imò, sicut dicitur, Decanus Parisiensis præbendam suam alteri tradens, Episcopi præbendam sibi mancipauit.

* confer. epist. 144. & 258.
* al. redditus.

pauit. Condolens itaque non tantùm eius miseriæ, quantum ingemiscens apostolicæ sedis iniuriæ, hac æstate eum apud me detinui, & pro modulo meo stipendia ministraui. Supplicando itaque moneo, & monendo supplico, vt tam pro vestra quàm pro destituti fili iniuria, iam non desistatis arcum intendere: sed ceruici eorum, qui contemptores extiterunt præceptorum apostolicorum, nitamini gladium * fortiter imprimere. Si enim filius vester, creatio vestra, sub maternis alis protectionem non inuenerit, ignotus quid sperabit? Sicut igitur Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum* mater est & magistra; sic eam decet filiorum iniurias propulsare, & contemptorum inobedientiam vindicare: vt & filius fuisse se subditum gaudeat, & contemptores inobedientes se fuisse * pœniteat. Valete.

* i. excommunicationem.
* ca. non decet. dist. 12.
* al. pæniteant.

EPISTOLA CIV.

Paschali summo pontifici, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, cum deuoto filij affectu debiti famulatus obsequium.

Beluacenses clerici melioris famæ, & consilij sanioris, præcedente consilio vestro, consilio optimatum diœcesis suæ, & laude populi domnum * Galonem virum vita honestum *, litteralibusque studiis & Ecclesiasticis disciplinis ornatum in Episcopum sibi elegerunt. Pauci tamen ex clericis * Stephani illius repudiati complices, quos sibi pelliculis peregrinorum murium atque aliis huiusmodi vanitatum aucupiis inescauerat, huic electioni non adsenserunt, nec tamen ei aliquid quod sacris canonibus obuiet, objicere potuerunt. Cùm verò rem per se impedire non valerent, Regem adierunt, quædam verba auribus eius instillauerunt, quæ facilè in cor eius eliquauerunt: videlicet quòd prædictus electus discipulus meus fuerit apud me nutritus*, apud me eruditus, addentes quòd à sanctitate vestra fuerit electus, & quòd magnus ei futurus esset aduersarius si in regno eius aliquando * fieret Episcopus. Rex itaque virulentis his verbis succensus, & ab omni bona voluntate turbatus non vult electioni assensum præbere*, nec electo bona Episcopalia dimittere. Vnde electores eius ad paternitatem vestram iam confugissent, nisi quia metropolitanus eorum eos detinet * condicto die inter contradictores & electores, sicut dicitur pacem volens componere, vel forsitan propter voluntatem Regis rem callidè impedire. Superest ergo dilectissime pater, vt pro potestate & auctoritate vestra, sicut cœpistis, Ecclesiæ, prout clerici rationabiliter postulauerint, succurratis, & consilium vestrum inconfusibile faciatis, ne insidiatores & detractores vestri, subsannando de vobis dicere incipiant: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* De cætero notum facio sanctitati vestræ, quòd Francorum * Rex Romam in proximo se venturum dicit, quod tamen non credimus. Sed seu veniat, seu mittat, cauete & vobis & nobis, vt semper clauibus & cathenis Petri fortiter teneatur. Et si fortè absolutus fuerit, & ad vomitum *, sicut iam contigit, reuersus fuerit, e uestigio eisdem * clauibus recludatur, eisdem cathenis religetur. Et hoc litteris vestris omnibus Ecclesiis manifestetur. Ita enim

* conf. epist. 105.
* al. liberalibusque.
* de quo epist. 95.
* vnus cod. educatus & eruditus.
* al. fuerit.
* eiam iurauerat Rex hunc Galonem nunquam futurum Episcopum, vt ait epist. 105.
* vnus cod. constituto die.
Luc. c. 14.
* vox Francorum videtur à glossa irrepsisse, cum antea regem tantùm dicat.
* id est, illicitum consortiû Bertradæ, de qua epist. 13. & 105.
* eiusdem, ms. c.

corrosorum dentes confringetis, & iustitiæ satisfacietis. Quòd si fortè Deus cor eius ad pœnitentiam illustrauerit, mementote nostri * qui portauimus pondus diei & æstus: vt sicut fuimus particeps tribulationis, ita simus & consolationis. Valete.

* gratiam Regis perdiderat pro iustitia huius causa, vt ait epist. 141.

EPISTOLA CV.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, spiritu fortitudinis abundare.

De tribulatione qua à filiis vexatur alienis Beluacensis Ecclesia, & de Regis Francorum in flagitio * suo sacræ religioni perniciosa & ignominosa pertinacia, nihil apertius & nihil vestræ auctoritati vtilius & honestius scribere vel dicere possum*, quàm scripsi: præter quod sacramentum sacris canonibus & omni religioni obuium per quendam seruientem suum ad suggestionem Drogonis cantoris, qui omni religioni quantum præualet aduersatur, dari fecit, quòd Galo * in vita eius nunquam futurus esset Beluacensis Episcopus. Qua in re prudentiam vestram muniri oportet spiritu fortitudinis. quia si tali sacramento annullari potest canonica electio, nulla vlteriùs in Regno Francorum futura est, nisi aut simoniaca aut violenta intrusio. Quòd si sanctitati vestræ objicitur Regem non oportere cogi ad periurium, recordari potestis quid dicat beatus Ambrosius libro primo de officiis. Dicit enim: *est nonnunquam contra officium promissum custodire sacramentum: vt Herodes qui iurauit quoniam quisquid petiturus esset, daret filiæ Herodiadis, & necem Ioannis concessit, ne promissum negaret.* Dicit etiam Augustinus in sermone quem fecit in decollatione Ioannis Baptistæ: *Video Dauid hominem pium, sanctum, in iurationem temerariam * procidisse, & maluisse non facere quod iurauerat, quam iurationem suam fuso sanguine hominis implere.* Item, *iurauit Dauid temerè, sed non impleuit iurationem maiori pietate. De duobus peccatis elegit minimum.* Item Ambrosius in libro tertio de officiis. *Plerique sæpè * se constringunt iurisiurandi sacramento, & cùm ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt, sicut de Herode supra scripsimus. Quanto tolerabilius fuisset tale periurium sacramento, si tamen periurium dici posset, quod eiuratus inter saltantium choros promiserat?* Item Hieronymus lib. I. super Ieremiam: *Animaduertendum quòd iusiurandum hos habeat comites, veritatem *, iudicium atque iustitiam. Si ista defuerint, nequaquam iuramentum erit, sed periurium.* Et in actione * septimæ Synodi legitur: *Herodes obseruauit sacramentum, & periit. Petrus negauit cum iuramento, & conuersus fleuit & saluatus est.* Sed quia scientibus ista loquor, non docendo sed commemorando & commonefaciendo hæc dicere me arbitror. Ad summam veniam. Si Rex à sanctitate vestra, seu per se, seu per alios pœnitentiam * acceperit, & , vt pro certo credimus, ad vomitum reuersus fuerit, qualiter me habere debeam, instruite & litteris præmunite. Valete.

* epist. 13. & 104.
* confer epist. 104.
* vide epist. 104.
Vide Gratiã can. 22. q. 4.
* al. incidisse ms. c.
* al. constringuntur.
* refertur etiam epist. 161. & in ca. 2. cau. 22. q. 2.
* ca. actione. cau. 22. q. 4.
* sicut v. c. antea, egerit. De Philippo epist. 104.

EPISTOLA CVI.

*Henrico * excellenti Anglorum Regi Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, in eo viuere & regnare per quem Reges regnant.*

* primo, qui filius Vuilhelmi secundi.

QVoniam paterni regni solium conscendere vos fecit diuina * dispensatio, pro gratia * nobis collatã diuinam interpellamus clementiam, quatinus paternos mores, paternam vos faciat imitari honorificentiam; vt in nullo vestra sublimitas ab eorum nobilitate degeneret, & in nullo ab eorum frugalitate declinet. Et quia res omnes non aliter benè administrantur, nisi cum regnum & sacerdotium * in vnum conuenerint studium, celsitudinem vestram obsecrãdo monemus, quatinus verbum Dei in regno vobis commisso currere permittatis, & regnum terrenum cœlesti regno, quod ecclesiæ commissum est, subditum esse debere semper cogitetis. Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini. Et quantum valet corpus nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas nisi informetur & regatur ecclesiastica disciplina. Et sicut pacatum est regnum corporis, cùm iam non resistit caro spiritui: sic in pace possidetur regnum mundi, cum iam resistere non molitur regno Dei. Hoc cogitando, seruum seruorum Dei vos esse intelligite non Dominum, protectorem non possessorem: vnam debere esse de cedris Libani quas plantauit Dominus, in qua nidificent passeres, id est sub cuius tutela quietè fructificent, & * conuersentur Christi pauperes: quorum orationes pro statu regni vestri & incolumitate vestra quanto quietiores, tanto saniores, quanto saniores, tanto constat esse efficaciores. Hoc enim faciendo, & regnum terrenum quietè Deo cooperante possidebitis, & ad regnum æternum eiusdem miseratione peruenietis. De cætero commendo vobis hos canonicos nostros præsentium litterarum portitores, quos ecclesia nostra excellentiæ vestræ pro sua necessitate transmittit: quatinus ea audita prout vobis visum fuerit, & Deus inspirauerit, eidem necessitati occurratis, & caritatem quam erga eandem ecclesiam parentes * vestri habuerunt, & vos habere studeatis. Eadem enim ecclesia parentes vestros specialiùs cæteris benefactoribus suis * habet in memoria, tam pro eorum excellentia quàm pro eorum munificentia. Valete.

* vnus cod. miseratio. vt initio epist. 93.
al. vobis.
* hoc sæpè repetit epist. 60. 214. & 239.
Psal. 103.
* al. conseruentur.
* vt epist. 118.
* habet cum hem.

EPISTOLA CVII.

Reuerendæ Anglorum reginæ Matildi Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, in finibus terræ audire sapientiam Salomonis.

QVoniam vnam te esse de prudẽtibus mulieribus fama diuulgante cognouimus, corpore longè positam, præsentem te nobis bonæ opinionis odor exhibuit, & ad diligendam caritatem, quam in te castarum mentium sponsus ordinauit, excitauit. Vnde à tua excellẽtia mutuam promereri cupimus dilectionem, quam propter præclaram memoriam Reginæ Angelorum Mariæ, ecclesiæ, cui auctore Deo licèt indigni deseruimus, ante tua tempora exhibuerunt Reginæ Anglorum. Nec indecens est religioni & famæ tuæ, si quem diligere debes communi sorte vt hominẽ, quodam priuilegio diligas vt Christi sacerdotem, & Christianæ religionis pro suo modulo dilectorem. Hac itaque confidentia transmisimus tuæ liberalitati duos de canonicis nostris, qui necessitatem ecclesiæ nostræ tibi referant, * & benedictionem quam cordi tuo Deus immiserit, sicut benedictionem accipiant. Peto etiam vt ad imprimendam arctius menti meæ tuæ excellentiæ memoriam, poderem, vel aliquam aliã vestem sacerdotalem paruitati meæ transmittas, qualem deceat & Reginam dare, & Episcopum in celebratione diuinorum sacramentorum induere. Valete.

* conf. epist. 142.

EPISTOLA CVIII.

Paschali summo Pontifici Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, debitam cum omni deuotione obedientiam.

QVanta* caritate hactenus sollicitudo Romanorum Pontificum quieti inuigilauerit monachorum; quanto feruore studuerit procul fieri infestationes monasteria grauantium à vexatione monasteriorum, quãto etiam cautelæ studio discuti mandauerit personas & causas accusantium & testificantium, non est nostrum docere doctores nostros, à quibus tãtùm expectamus formam præcepta implendi, sicut accepimus regulam præcipiendi. Quæ omnia si obseruare vult sanctitas vestra in causa domni Abbatis maioris monasterij, nec accusatores admittendos credimus ad accusandum, nec testes ad testificandum. Primò enim si personam accusatoris Turonensis * videlicet Archiepiscopi attendimus, penè omnia quæ in ordinatione eius facta sunt, contra ordinem vsurpata sunt. Crimina verò aduersum se commissa vel in se admissa, periurium videlicet & proditio, quæ in prædictum Abbatem intendit, non sunt facilè, quantum videtur, à iudicibus ecclesiasticis audienda: quæ aut nunquam perpetrata sunt, aut ordinata curatione ad sanitatem perducta sunt, cùm dicat Apostolus: *Qui videbantur esse columnæ, quales antea fuerint, nihil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit.* Quæ si vera essent, tunc dicenda fuissent, quando videbat eum in publicis conuentibus de ecclesiasticis negociis cum Episcopis iudicantem, pontificalia sacramenta tractantem: quæ tractare non debet nisi manus à crimine immunis, & conscientia innocentiæ testis. Si de his rectè pulsari poterat, magis arguendus erat propter vsurpationem sacerdotij, quàm propter gerendam sollicitudinem monasterij: in qua nullũ nouimus esse genus ecclesiastici sacramenti, cùm dicat Hieronymus monachorum institutor præcipuus: * *Monachus non docentis habet officium, sed plangentis, qui se & mundum lugeat.* Sed dicet aliquis, quia tunc meritò tacuit, quãdo in Episcopatu eum non læsit. Tantò minùs itaque iste alienæ vitæ curiosus inspector & suæ desidiosus corrector audiendus * est, qui modò syncerum vas non amore iustitiæ, sed liuore vindictæ nititur * incrustare, non incrustatum à sorde mundare. Credo enim & benè credo, quia cùm veterem hominem depositurus, & nouum pariturus, vetustatis suæ saccum in oculis Dei me

* in v. c. hoc argumentum est, quòd monachus non accusandus est de his quæ fecit ante conuersionem.
* hunc sæpè culpat & reprehendit, vt epist. 19. in fine & 66. & 67.
Gal. 2.
* citat supra epist. 36.
* vnus v. c. attendendus est.
* Horat. lib. 1. sat. 3.

præsente conscinderet, & omne noxium quod intus latebat per confessionem oris effunderet, si hæc dedecora in se agnouisset, nullatenus abscondisset. Denique si causam huius accusationis inspicitis, manifestè scitis non aliunde exarsisse istam maliuolentiã, nisi inde quòd interdicente sedis apostolicæ decreto non potest Turonensis Archiepiscopus in maiori monasterio publicas missas * celebrare, erga monachos imperiosè agere, bona monasterij prout libuerit vsurpare. Vnde etiam hoc anno in Synodo agens, sicut dicunt qui adfuerunt, quantum in se est, Iuliani renouauit * decretum: videlicet, *ne quis seculo renunciaturus parochianorum suorum maius ingrederetur monasterium.* Postremò si testificantium personæ discutiuntur & causæ; tales sibi *subornauit, quos inter notos notum est aut maculis aspersos, aut sibi consanguineos, aut mercede conductos, aut de domo sua productos. quibus personis sicut scitis facilè poterit imperari, vt testimonium perhibeant tam mendacio quàm veritati. Cùm igitur ea quæ dicta sunt ita se habeant, quamuis non necessariò, tamen supplicando exhortamur sanctitatem vestram, quatinus sic in hac causa paternarum traditionum tramitem teneatis, vt & innocentia non periclitetur, & peruersa voluntas iusto talione punienda suis conatibus corruat, suisque nexibus innodetur. Valete.

* vt in ca. Abbatem. & ca. luminoso. cau. 18. q. 2.
* renocauit, ms c. sed melius renouauerit vt in textu.
* al. subordinauit.

EPISTOLA CIX.

Paschali summo Pontifici Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, sicut auctoritate, ita præminere virtute.

QVoniam apud nos cotidie videmus Ecclesiam ruentem, & nullam aut penè nullam manum erigentem, & pro domo Israël murum ponentem: caritas Christi vrget nos vt dolorem cordis nostri, quo pro morte & morbis ouium Christi cruciamur, paternitati vestræ reuelemus. Interest enim capitis membrorum imbecillitatibus prouidere, & pro valetudinum quantitate vel qualitate congrua remedia procurare. Cum enim à latere vestro mittitis * ad nos Cardinales vestros tanquam filios vterinos; quia in transitu apud nos sunt, non tantùm non possunt curanda curare, sed nec curanda prospicere: inde est quòd multi præpositorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt sedem apostolicam * non subditorum quærere sanitatem, sed suam, aut * lateralium suorum quærere commoditatem. Vnde ego & quidam conregionales nostri hoc murmur non æquanimiter accipientes, vtpotè Romanæ Ecclesiæ filij vnanimes, scribere decreuimus sanctitati vestræ, * vt alicui transalpino legationem sedis apostolicæ iniungatis, qui & viciniùs subrepentia mala cognoscat, & ea vel per se vel per relationem ad sedem apostolicam maturiùs curare præualeat. Cui sollicitudini nullum magis cognouimus idoneum, quam * domnum Lugdunensem Archiepiscopum, qui & in eodem officio iamdiu ministrauit, & vt experimento cognouimus, tam Romanæ Ecclesiæ quàm transalpinis Ecclesiis * mirabiliter profuit. multos enim ad visitandam sedem apostolicam prædiunt, aut pericula imminenti a aut rei familiaris indigentia, aut itineris difficultas, aut proprij corporis imbecillitas. Vnde si velletis mediocritatis nostræ suggestioni adquiescere, congruum videretur, vt mediatricem personam huic sollicitudini præficeretis, potissimum in eadem sollicitudine consuetudine & vtilitate probatam, quæ emergentia mala tanto frequentiùs quãto viciniùs agnosceret, & leuamina quæ meliùs valeret, adhiberet. Ausu quidem familiaritatis & filialis amoris hæc scribo: quia sic ego cum multis Ecclesiæ Dei meliùs credo posse consuli, & æmulorum * obtrectationes posse vitari. Etenim discipuli Domini, Domino * licèt nihil ignoranti, plurima necessaria suggesserunt, quæ ad informandam posteritatem prælatorum non solùm patienter audiuit, sed etiam æquanimiter adimpleuit. Valete.

* confer locos epist. 60. & 87.
* in v. c. Put. non clericorũ quærere. vide in hanc rem Ioannem Salesber. Policrat. lib. 6. c. 24.
* al. collateralium.
* eadem scribit epist. 12.
* al. dominum.
* in plerisque leg. venerabiliter, de Hugone loquitur vt epist. 24.
* al. detractiones.
* al. licet non ign.

EPISTOLA CX.

Paschali summo pontifici, Iuo humilis sanctitatis suæ filius, quicquid potest esse fœlicius.

QVoniam pro gratia nobis collata, decorem Ecclesiæ * Dei diligimus, multa inordinatè in eadem fieri vehementer dolemus. Qui * in quibusdam subditis cùm quædam illicita corrigere, vel cùm quosdam ad meliora promouere studemus, ipsi in stercoribus suis computrescere cupientes, litteras à sede apostolica, nescio quibus subreptionibus impetratas nobis deferunt ad palliandam malitiam suam, vel defendendam inobedientiam. vnde fit in Ecclesia mirabilis contemptus mandatorum Dei, & ineffabilis morum corruptela: cum ibi inuenit quorundam peruersitas incorrepta confugium, vbi innocentia sola deberet habere præsidium. Et quod mirabilius & miserabilius est, isti vitæ suæ curiosi corruptores * ab ipsis columnis gratanter audiuntur, cùm vitam religiosorum aliquibus maculis respergere moliuntur; quibus non est credendum de aliena iniustitia, quamdiu non * discesserent à sua. Cum itaq; tam pro nostra insufficentia, quàm pro subditorum duritia prędictæ causæ de fructu laboris nostri penè desperare nos cogant, onus quod penè infructuosè portamus, deponere sæpè deliberamus *, & pennas columbæ nobis dari flagitantes auolare à molestiis inutilibus, & in mentis * solitudine quiescere præoptamus. Hac itaque necessitate commoniti, præsentiam sanctitatis vestræ adire cupientes, & de his quæ * dicta sunt, cum multis aliis vobiscum tractare cupientes, venimus penè vsque ad Alpes: in quarum angustiis, quia insidias nobis paratas audieramus, vsi magnorum virorum consilio * inito itinere supersedimus. domnum itaque Gualonem confratrem & coëpiscopum nostrum, qui in suspectis locis ad occultandum se aptior est, paternitati vestræ transmisimus, in cuius ore verba nostra posuimus: quatinus eũm tam pro sua quàm pro nostra necessitate paternè audiatis, & quæ corrigenda sunt corrigatis, & quæ vtiliter statuenda, firmiter statuatis. Quamuis enim quod ratio suadet, vel quod vsus approbat, vel Episcopalis moderatio disponit, per se satis vigere videatur: tamen * carius fit, & quasi quadam luce irradiatur, cùm id quod prohibendum vel præcipiendum est, decreto apostolico roboratur. Valete.

* al. domus Dei.
* Et cum in ms. c.
* quidam cod. ab omnibus col.
* al discedunt.
* vt epist. 17. & 25.
* al. montis.
* al. prædicta.
* al. incœpto itinere.
* al. clarius, quod videtur textui congruentius.

EPISTOLA CXI.

Daimberto Dei gratia Senonensium Archiepiscopo, Ivo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister salutem & seruitium.

COlloquium vestrum iam à multo tempore desiderans, speraui me posse paternitati vestræ loqui in conuentu ad quem inuitati eramus in ciuitate Vellauorum, * & ore ad os clamorem facere de iniuriis quas mihi & Ecclesiæ mihi commissæ infert Hugo Puteacensis*, more suorum semper rependens mala pro bonis: quem nec pudor humanus, nec fides quam mihi debet vt domino, detinet à rapinis, dum nulla nostra in eum præcesserit iniuria, vel nulla ei à nobis sit denegata iustitia. Quod ergo certa ratione tunc distulimus, nunc præsentibus litteris, flexis genibus cordis, postulamus: vt eum à nobis excommunicatum excommunicetis*, & diuinum officium Merariuillæ & eius adiacentiis interdicatis; & Aurelianensi Episcopo, vt idem faciat * apud Puteacum, præcipiatis. Alioquin, si principes mundi plus timemus quàm Deum, manifestè iam portæ inferi præualebunt: & qui pro domo Israël murum ponere debemus, secundum propheticam irrisionem canes muti non valentes latrare reputabimur. Res enim Ecclesiasticæ, sicut testantur etiam seculi leges, quia diuini iuris sunt, in nullius bonis sunt. & ideò prorsus errat, qui pro suis occasionibus aut principum iussionibus, à quibus eas maximè seruari conuenit vsurpat, & malè tractat. Vnde ait Papa Symmachus in sexta Synodo: *qui prædia Ecclesiæ petierit, vel acceperit, vel possederit, vel retinuerit, nisi se citò correxerit, anathemate feriatur, sitque danti & accipienti, vel possidenti anathema.* Ista dicendo prudentiam vestram non docemus, sed ad officij vestri sarcinã fortiter portandam cohortamur, quatenus pusillanimitatem nostram consolatio vestra confoueat; patientiam nostram fortitudo vestra communiat. Valete.

* al. Vellauorum.
* epist. 76. & 112. & 211.
* vt epist. 76.
* quia excommunicatus à suo episcopo, debebat etiam excommunicari à vicinis. epist. 76.
vide epist. 145.
Ca. quicunque & ca. prædia cau. 12. q. 2.

EPISTOLA CXII.

*Ivo humilis Carnotensis minister Fulconi * Parisiensis Ecclesiæ decano, & clero sibi commisso dilectionem & salutem.*

QVoniam omnis iniuria Ecclesiastica quæ admonitione non corrigitur, anathemate plectenda est, si ancillam Ecclesiæ vestræ aduersus dominos suos calcitrantem excommunicastis quod vestri iuris erat fecistis, maximè cùm dominorum potestatem in seruos suos illibatam debere esse lex * constituat, nec cuiquam hominum ius suum detrahi posse permittat. Quòd autem ex consuetudine Ecclesiæ vestræ hoc vobis licere absque alterius personæ interpellatione adseritis, non est hæc solius Parisiensis Ecclesię consuetudo, sed etiam Carnotensis, & aliarum Ecclesiarum, quibus Episcopali auctoritate excommunicandi ius concessum est. Vnde non aliud sanius consilium vobis dare possumus, quàm vt consuetudinem fortiter teneatis: à qua si semel * cesseritis, non ad arbitrium vestrum recuperare valebitis. De cætero culpo dilectionem vestram, quòd * Paganum à nobis Ecclesiasticè excommunicatum, & apostolicà auctoritate exigentibus culpis suis in infamiam pulsum, in communionem recipitis, & * Hugonem Puteacensem similiter, quod à nobis fieri de vestris excõmunicatis manifestè culparetis. Moneo * itaque vt de cætero quam à nobis iustitiam in necessitate vestra vobis fieri velletis, eandem nobis in nostra necessitate faciatis: ne si vos negligentes inuenerimus in nostris, & nos similes inueniamur in vestris. Et vt hoc apostolica auctoritate debere fieri sciatis, litteras domni Papæ, quas misit Senonensi Ecclesiæ, & Aurelianensi, & Parisiensi interim vobis transmitto; quas iam bullatas domnus metropolitanus accepit.

* Hic postea electus fuit Episcopus Parisiensis. epist. 138. & 164.
* l. 2. D. de his qui sunt sui vel al. iur.
N. B.
* al. discesseritis.
* cuius meminit epist. 214.
* vide epist. 76. & 124. addatur etiã finu epist. 60.
* Monethum. ms. 6.

EPISTOLA CXIII.

Daimberto Dei gratia reuerendo Senonensium Archiepiscopo, Ivo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, filialem subiectionem & fraternam dilectionem.

DE electione * domni Manassæ facta in eum à Meldensi Ecclesia, pia tripudiatione gaudemus: quem bonæ indolis adolescentem & melioris spei iuuenẽ euidenti morum mansuetudine comperimus, partim aliorum relatione didicimus. Vnde ad eius consecrationem tam pro vestra paterna admonitione, quàm pro eius optabili dilectione gratanter occurreremus, etiamsi ad remota loca hac de causa inuitaremur. Sed quæ difficultates, quæ pericula vias nostras sepiant, non minùs nouit vestra paternitas quàm nostra paruitas. Vnde si tanta instantia huic consecratione interesse nos vultis, aut locum ad quem securè venire possimus eligite, aut conductum nobis securum procurate. Alioquin paterna discretione date veniam manifesta pericula metuenti, quam daretis eadem pericula non sine vestrę famæ iactura subeunti. Quòd si regius metus, vel aliorum qui aduersum nos iniustè sæuiunt, abesse coëgerit: consecrationem quam voce & manibus facietis corporaliter præsentes, confirmabimus litteris * & corde corporaliter absentes. Omnibus enim aliis cessantibus causis vehementer doleo, quòd nõ mereor vestro colloquio confoueri, vestra consolatione releuari. Gratias tamen quas possum refero excellentiæ vestræ, quia tribulationibus nostris compatimini, & doloribus nostris condoletis, & ad subueniendum, manum quantum potestis extenditis. Quod si alij confratres nostri similiter facerent, non in tantum portæ inferi præualerent. Vale.

* de qua in epist. 115.
* vt epist 115. non enim est validius dicere sacramenta in electione Episcopi. quàm scribere. vt ait Sidon. Apolin lib. 7. epist. 9.
Matth. 16.

EPISTOLA CXIV.

Ioanni Dei gratia Aurelianensi Episcopo, Ivo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister salutem.

QVòd nostris tribulationibus compatiatur vestra fraternitas, quantas sufficimus vobis gratias referimus. De pace autem quam inter nos & domnum * Ludouicum reformare velletis, hoc vobis respondemus: quia quãtum testatur nobis conscientia nostra, nullas ei iniurias intulimus, & si quid à nobis expostularet, iudicio vestro & confratrum nostrorum libenter ei satisfeceremus, & si quid aduersum paruitatem nostram fecit, quod eum non deceret, patienter supportaremus. Hugonem * autem Puteacensem, & Paganum * transfugam

* conf. epist. 124.
* de quo epist. 112.
* huius mentio epist 100. & 111.

atque desertorem, sine digna satisfactione suscipere non possumus: quia ita est inter nos non sine summa obligatione conditum, & apostolica auctoritate roboratum. Si autem Paganus ideò seipso vult maior fieri, quia deterior seipso factus est. & Episcopali excellentiæ summa fiet iniuria, & * ordini clericorum ad exorbitandum * procliuior patebit via. In hoc ergo negocio ita præcauete periculo vestro sicut & nostro. quia vt vobis vera fateamur, malumus quæ Deus permiserit, aduersa perpeti, quàm in parcendo filiis discordiæ, plurimos in discrimen adduci. De loco autem in quo securè colloqui possimus, certum non est mihi consilium: quia intra Episcopatum vestrum & nostrum nullus mihi securus est exitus: nisi fraterna caritas vos cogeret, quod petere non præsumo, vt vsque ad nos veniretis, & de quibus bonum esset nobiscum consultè quando velletis, tractaretis. Valete.

*vnus v. c. ...dinationi. * al. procli... ...is, ita ms. c.*

EPISTOLA CXV.

Daimberto Senonensis Ecclesiæ metropolitano, & suffraganeis eiusdem Ecclesiæ coepiscopis suis, Iuo humilis Carnotensis minister salutem & obsequium.

QVia Apostolicum * illud in me completum est, *foris pugnæ, intus timores*, præcordialiter † doleo quòd sancto & desiderabili conuentui vestro interesse non valeo. Et quia in nomine saluatoris congregatos vos esse non ambigo, quicquid salubriter statuistis*, vobiscum statuo: & nominatim domnũ Manassem claris natalibus ortum modestis moribus ornatum, quem Meldensis Ecclesia elegit, cum eligentibus eligo, & manus impositionẽ quam ei facturi estis præsentes corpore, hanc ego confirmo & facio, quantum in me est, præsens *corde. Credo enim vos esse tanti consilij, & tantæ fortitudinis, vt nihil præsumatis illicitum, nihil subterfugiatis legitimum. Valete.

...Cor. 7. ...fer cum ...ist. 113. & ...9. ...precordia... ...liter ms. c. ...statuitis, ...s. c.

...iuxta ca. 3. & 6. dist. ...& ca. 2. ...1. dist. 65. ...ho spectat ...am epist. ...

EPISTOLA CXVI.

Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, Adelæ excellenti Comitissæ salutem & obsequium.

CAritas qua nobilitatem vestram ab initio dilexi, nullatenus in me refrigescit, sed præcedentibus & subsequentibus in me beneficiis vestris, magis ac magis inardescit. Vnde excellentiam vestram rogando moneo, & monendo rogo, vt si quid* sinistrum me aduersum vos vel vestros fecisse vel dixisse suggestum fuerit, nullatenus credatis: nec quicquam quod ira dictante seruientes vestri postulent, ad præsens statuatis. Cùm enim terra exterius sit turbata, si etiam intestina surgerent bella, periculum repente imminere plebi posset & vrbi. Cùm autem Deo prosperante ad nos veneritis, tunc omnia veriùs addiscetis, & secundum audita sanius consilium capietis. Valete.

...al. sinistri. ...fer epist. ...

EPISTOLA CXVII.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, cum debito obedientia fœlicitatem vtriusque vitæ.

CVm nuper de amputandis prauis Ecclesiæ * consuetudinibus quædam mandata, vel interdicta vestræ paternitatis accepissem, & fratribus mihi cõmissis denunciassem, quidam * ita gratanter * susceperunt, vt non tantùm ea verbis approbarent, sed etiam quibusdam additis quæ ad honestatem vel libertatem Ecclesiæ prodesse videbantur, iureiurando firmarent. Et quia quibusdam qui sua quærunt, quorum famæ vel cõmodis hæc & similia obuiare videntur, aliquantisper displicent, vt per sucedentia tempora inconuulsa maneant sub claui Petri, ita ea obseruari per mediocritatis nostræ intercessionem postulant, vt nulli minori * claui ea vlteriùs soluere liceat, & à sua stabilitate conuellere. Misimus itaque duos ex nostrorum collegio fratres, qui auribus paternitatis vestræ rei ordinem & causam aperiant: vt cùm intellexeritis pro quanta libertate & honestate, vel pro quibus incommodis vitandis fecerint quod fecerunt, auctoritate qua præminetis, missis Ecclesiæ litteris confirmetis. Valete.

...nfer epist. ...

** quædam ms. c.*
** graniter ms. c.*
** Sic loquitur epist. 116.*

EPISTOLA CXVIII.

*Henrico excellenti Anglorum Regi, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, Regis regum * fœliciter militare.*

** in vno v. c. fideliter.*

QVoniam instantia precum sæpè flectitur excellentia Regum, licèt importuni videri erubescamus, tamen nunc tertiò per portitorem præsentium, Domnum videlicet * Gulielmum Ecclesiæ nostræ canonicum sublimitatis vestræ aures pulsamus, vt saltem nunc beneuolentiæ vestræ ostium apertum sentiamus, quatinus exsuscitetis dilectionẽ quam erga prædictam Ecclesiam parentes * vestri & affectu habuerunt, & effectu probauerunt. Cùm enim in regibus præcipuè vigere debeat pietas, mansuetudo, iustitia: ad pietatem pertinere credimus, quod ad diuinum cultum etiam vsque ad nos aliquos facultatum vestrarum ramusculos extendi flagitamus. Ad mansuetudinem verò pertinet, vt petentium importunitatem æquanimiter supportetis: ad iustitiam verò vt promissi vestri debitorem vos esse cognoscatis. Non enim ad proprios vel humanos vsus aliquid ab excellentia vestra requirimus: sed in quo non sufficimus ad decorandam vel conseruandam domum Dei, adminiculum vestrum misericorditer postulamus. Nec infructuosam credimus futuram largitionem vestram. Quia quod nostris viribus non valemus, meritis beatæ & perpetuæ virginis, cui Deo auctore famulamur, indubitanter obtineri posse confidimus. Valete.

** Guillelmum ms c.*
** confer. epist. 106.*

EPISTOLA CXIX.

Daimberto Dei gratia Senonensi Archiepiscopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister salutem & obsequium.

QVoniam aduersus electionem Domni Manassæ * contradictionem obortam esse audiuimus, tum pro ipsius Ecclesiæ vexatione, tum pro ipsius electi iniuria, qua debemus compassione dolemus. Dicitur enim quòd qui aduersus prædictum Manassem prodiit accusator, nullo testium sit fultus adminiculo, nihil etiam quòd præsens viderit vel audierit in accusatione protulerit, sed quod tan-

** confer. epist. 113. & 115.*

tùm suspicionibus ipse sibi suasit, vel volaticis rumoribus coniectauit. Quod si ita est, cùm etiam ipse accusator pridem sit notatus infamia, nec eius accusatio vllatenus est admittenda, nec iusta electio vllis est dilationibus fatiganda. Habent enim sicut nostis statuta maiorum *, *vt illæ causæ à Iudicibus Ecclesiasticis minimè audiantur, quæ legibus non continentur.* Tamen si prudentiæ vestræ visum fuerit, famæ ipsius electi & vestræ congruit, vt quos melioris testimonij fratres * de clero Meldensi probaueritis, ad purgandum eum postuletis, & accepta purgatione, sub conspectu eum publico ordinetis. Si enim præsens essem, si ita res se habet, vti superiùs dixi, nihil aliud reuerentiæ vestræ suaderem. Vale.

*citat epist. 220. & 241.

* iuxta ca. illud. dist. 23.

EPISTOLA CXX.

Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister Roberto Comiti Pontiuensi salutem.

SI iniustè vobis à Sagiensi Episcopo diuinum officium interdictum est, displicet mihi tam propter facientem quàm propter patientem. Sed quia id non debeo facere proximo quod nollem ab eo pati, ne miremini si chrisma quod à nobis petitis ad præsens non accipitis. Lex est enim Ecclesiastica *, vt qui interdicti vel excommunicati sunt ab vna Ecclesia, non recipiantur ab alia. Nec est meum in absentem iudicare, etiamsi pensem * vtrùm iustè an iniustè vester pastor vos obligauerit: cùm hoc tantùm obseruare debeam, vt in alienam messem falcem non mittam. Libenter autem tantis malis remedium quærerem, si Deus mihi daret opportunitatem * perficiendique facultatem. Vale.

* epist. 76. & 111.

* ita habet v.c.S G. pro essem ms. c.

& ms. c.

EPISTOLA CXXI.

Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, Adelæ excellenti Comitissæ, patientiæ & pacis abundare visceribus.

PRo summa charitate qua diligo principatum vestrum, iam * semel & secundò monui celsitudinem vestram, vt quod dictante ira suaderent vobis seruientes vestri non statim reciperetis, sed reditum vestrum ad nos ad audiendam & cognoscendam veritatem rerum gestarum exspectaretis: quia parati erant & adhuc sunt omnes canonici beatæ Mariæ ad exequendum per manum nostram & quod ratio dictauerit, & iustitia exegerit. Cùm itaque ad omnem iustitiam exequendam erga vos & erga vestros promptos se exhiberent, præcepto vestro, sicut dicunt, vestri seruientes annonam Ecclesię apud Castrumduni, & apud Bonam vallem violenter acceperunt, & vinum domni Hilduini cantoris in vico coriariorum * saisierunt: plurima etiam indigna clericis & hominibus eorum intulerunt. Postulant itaque clerici summa instantia, vt in ciuitate & per totum Episcopatum diuinum officium * interdicam donec sua recipiant, quæ iniustè & pręproperè sibi esse ablata reclamāt. Et quia iustitiæ deesse non possum postulaui ab eis inducias, quas vix impetraui, donec ad vos nunc tertiò mitterem, & ad corrigendum quod perperam factum est, excellentiā vestram commonefacerem. Moneo itaque & consulo, vt clericis sua restitui faciatis, ne tam præclara Ecclesia in tam sanctis diebus diuino priuetur officio, & de vobis à transeuntibus, qualem non deceret, publicetur opinio. In recuperabili enim re non est tam præceps danda sententia, nec maliuolorum inordinatè satianda sæuitia. Monui itaque & iterum moneo suadente caritate qua præcordialiter vos diligo, vt quod corrigendum est corrigatis, & quicquid duriter facere intenditis, vsque ad legitimam discussionem differatis: ne digesta ira pœniteat vos fecisse quod faciendum non fuisse ratione docente videbitis. Quòd si admonitionibus & petitionibus meis totiens repetitis adquiescere non vultis, & iustam satisfactionem respuitis: ne miremini si doleo cum dolentibus, & lugeo cum lugentibus, qui per omnia paratus eram & gaudiis vestris congaudere, & doloribus condolere. Valete.

* confer epist. 116. & 136.

*sic loq. epist. 101.

* vt epist. 94. & 120.

EPISTOLA CXXII.

Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister Vulgrino Parisiensi Archidiacono, à Zelo iustitiæ non tepescere.

QVia portitor litterarum vestrarum festinabat ad reditum, & ego publicis & familiaribus negociis præpeditus eram, plura scribere non potui. Breuiter itaque de Iudæa baptizata & Christiano nupta, postea verò ad Iudaismum reuersa, fraternitati tuæ respondemus: quoniam verum connubium fuit, quod inter personas eiusdem legis nulla interueniente causa quę coniugium soluit, ritè celebratum fuit. Quamuis itaque mulier dupliciter fornicata sit, quia & ad Iudaismū rediit, & viro alteri, Iudaici videlicet ritus nupsit: vir tamen Christianus qui aliam viuente ea duxit, proculdubio adulterium perpetrauit. Canon autem manifestè dicit, sicut ipse benè nosti *, *Quia incestis coniunctionibus nihil veniæ reseruamus, nisi cum adulterium separatione sanauerint.* Dicit enim * beatus Augustinus in libro de nuptiis & concupiscentia; *manet inter viuentes quoddam coniugale, quod nec separatio nec cum alio copulatio possit auferre.* Hieronymus etiam * ad Oceanum de morte Fabiolæ: *præcepit Dominus vxorem non debere dimitti excepta causa fornicationis: & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad fœminas. Neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus tenendus.* Multa in hunc modum reperiri possent, sed te hæc benè nosse non ambigo. Vale.

* epist 125.

* in ca vlt. cau. 32 q. 7. & epist. 125.

* in duobus v. c ad vltimum.

EPISTOLA CXXIII.

*Iuo Ecclesiæ Carnotensis minister * Galterio fratri, Beluacensis Ecclesiæ bibliothecario, salutem.*

* al. Gauterio.

REquisitus ex parte tua, qua pœnitentia multandus sit presbyter, qui verba diuina sacramenti, & insignia sacerdotalis officij in coniugali benedictione cuiusdam virginis illusoriè transmutauit, & alia pro aliis interposuit, hoc interim respondeo, quia specialem sententiam super hoc non inueni, quia nec tale adulterium vel potiùs sacrilegium diuinorum * sacramentorum ab aliquo perpetratum vlteriùs audiui. Videtur itaque mihi, quia sicut

* al. sacrorū alicubi perp.

nouum genus est criminis, ita procurandum est nouum experimentum medicaminis: ne tamen aliquid seueriùs in huiusmodi sacrilegio sine diuinæ auctoritatis munimine iudicetur. *vt in l. 11. de legibus. D. vbi * speciales sententiæ non occurrunt, quantum mihi videtur, generales, quæ super diuinorum sacramentorum temeratores promulgatæ sunt, sufficere possunt. Habetur enim latius extat in ca nihil cau. 7. q. 1. in Concilio Toletano viij. capitulo. xj. *Nihil contra ordinem, temeritatis ausu præsumatur: neque illa quæ summa veneratione censentur vel minimo præsumptionis actu soluantur.* & post pauca. *Si quis hæc temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* Item in decretis Iulij Papæ Episcopis per Ægyptum missis: *Sacerdos aliter quàm præceptum est faciens, tamdiu à sacrificando cessabit, quamdiu legitima pœnitentiæ satisfactione correptus ad gradus sui officium redeat quod amisit.* Et hæc de his qui simpliciter & ignoranter errauerunt; quanto magis de his qui fraudulenter verba sacra peruerterunt, & ita mulierculam simpliciter accedentem, quantum in se fuit, fornicationi addixerunt? Et de his ista sufficiant. Vale.

EPISTOLA CXXIV.

Daimberto Dei gratia Senonensium Archiepiscopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister per omnia deuotum obsequium.

*Iunge epist. 111 & 112. NOuerit paternitas vestra quoniam Hugo * Puteacensis timore Dei tactus, & corde compunctus, ea quæ Ecclesiæ nostræ abstulerat, quantum ad portionem suam pertinuit, integerrimè reddidit. Mihi verò quæ mea & meorum erant, se cuncta redditurum datis obsidibus sub fidei sponsione firmauit: & quia de discretione à vestra paternitate fueram commonitus, ea interim accipere distuli quam diu abstinuerit ab exactionibus & angariis, quas in terra Fraxineti facere consueuit. Vnde *quam maximas. ms. c. gratias referimus quantas * possumus vestræ paternitati, qui manum nobis in hac necessitate porrexit, & qua debuit miseratione condoluit. Rogamus etiam vt causa nostri de cætero non teneatis eum interdictum vel excommunicatum, neque suos, quamdiu in sponsione sua perseuerauerit, & prædictas exactiones *epist. 114. non acceperit. Domnus * vero Ludouicus non vult nobiscum pacem componere, quia nolo Paganum illum in infamiam lapsum, qui matrem suam euiscerauit, & quibus potuit vn- *al. schismatis. guibus * scismatis lacerauit, honoribus Ecclesiasticis sublimare. Ego itaque per manum vestram offero ei omnem iustitiam, vel si ad satisfactionem venerit, quam ei potero facere lege non contradicente misericordiam. Et quia vtrunque refutat, vnum consilium mihi restat exspectare misericordiam Dei, donec iustificet causam meam. Valete.

EPISTOLA CXXV.

*in alio exemp Vmberto malè. *Daimberto * Dei gratia Senonensium Archiepiscopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, cum humili deuotione seruitium.*

confer cum epist. 188. DE Hierosolymitanis, quorum vxores fornicatæ sunt, benè mihi videtur sentire sanctitas vestra: quia secundum Euangelicam & Apostolicam doctrinam oportet eos aut ad proprias vxores redire, aut eis viuentibus sine vlla carnis commixtione manere. Alioquin ij qui nec * adulteras mulieres abhorrent, adulteri reputabuntur, & adulterorum pœna apud Deum iudicabuntur, secundum illud Apostoli. *nunc, ms. cod. *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Vnde Augustinus in libro de x. cordis: *Non adulterabis, id est non ibis ad alienam aliquam præter vxorem tuam.* Idem in libro de nuptiis & Hebr. 13. concupiscentia. * *Vsque adeò manent inter viuentes semel inita iura nuptiarum, vt potiùs sint inter se coniuges etiam separati, quàm cum his quibus aliis adhæserunt.* & paulo post: *manet inter viuentes quoddam coniugale,* quod nec separatio, nec cum alio copulatio possit auferre. *cap. 20. & refertur in ca. 28. cau. 32. q. 7. Inde etiam Hieronymus ad Oceanum: *præcepit Dominus vxorem non debere dimitti excepta causa fornicationis: & si dimissa fuerit, manere innuptam, quicquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad fœminas. Neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus.* Matth. 16. & in c 19. cau. 32 q. 5. His & aliis eiusmodi auctoritatibus freti, si aliquando apud nos causa fornicationis tale diuortium * contigerit, censura Ecclesiastica cogimus separatos *al. contingat. vel sibi reconciliari, vel sine spe manere coniugij. Quòd sit ij qui debent vxores virtute præcedere, volunt vxores victrices esse libidinis, * ipsi autem vincuntur à libidine, qui *epist. 148. aliis mulieribus cupiunt adhærere, monemus eos, vt considerantes fragilitatem vasis muliebris id infirmiori sexui indulgeant, quod fortiori indulgeri desiderant. Dicit enim beatus Augustinus de sermone Domini in monte: *nihil enim iniquius quàm fornicationis causa dimittere vxorem, si & ipse vir conuincitur velle fornicari. Occurrit enim illud Apostoli: In quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas. eadem enim agis quæ iudicas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abiicere vxorem, debet & ipse à fornicatione esse alienus.* refertur in c. nihil. cau. 32. q. 6. Idem in lib. de verbis Domini tractatu xlvij. *Intactam quæris, intactus esto. Puram quæris, noli esse impurus.* Quòd si reprehensibiles se esse futuros formidant quòd fornicarias mulieres recipiunt, audiant quid dicat Hieronymus in explanatione Oseæ: *Non est culpandus Osea Propheta, si meretricem quam duxit, conuertit ad pudicitiam: sed potius laudandus quòd ex mala bonam fecerit. non enim qui bonus permanet, polluitur si societur malo, sed qui malus est in bonum vertitur si boni exempla sectetur.* Hieronymus super Oseæ lib. 1. ad cap. 1. citatur etiam epist. 148. Et quia non ignoranti legem loquor, hæc pauca quæ dicta sunt ad inquisita sufficere arbitror. Valete.

EPISTOLA CXXVI.

Daimberto Dei gratia Senonensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem & obsequium.

GRatias * referimus excellentiæ vestræ, *al. agimus. quòd paterna diligentia super nos vigilatis, & ne turba maior inter Ecclesiam Carnotensem & Comitissæ clientelam concitetur, præcauere nos moneris. Quod & nos studuimus, quamuis multis iniuriis lacessiti, * multis contumeliis prouocati. *vide epist. 121. Certum tamen habeat amantissima vestra paternitas, quia iuramentum quod fecerunt clerici de non-reci-

** vt etiam libertinis, epist 133. & conditionariis, epist. 147.* piendis vulgo * natis in concanonicos, vel quibuslibet aliis de * extranea familia genitis me inconsulto fecerunt. Sed quia non est meum filios mihi commissos in infamiam detrudere, ne periurium incurrerent, non solùm quod ** sic v.c. antea extraneæ f. gentis.* fecerant indulsi, sed etiam apud domnum Papam pro eis intercessi, vt quod fecerant approbaret, & decreti sui pagina roboraret, ne cui minori claui * soluere liceret, quod sub ** ita loq. epist. 117.* principali claui seratum esse cognosceret. Huius itaque decreti formam sanctitati vestræ transmisi, vt si fortè colloquium cum Comitissa vos habere contigerit, persuadeatis ei, vt hanc iniuriam, quæ quantùm ad eam pertinet, nulla est, æquanimiter ferat, aut quod iustitia & lex dictauerit, accipiat. Alioquin parati sunt clerici magis in æternum exilium trudi, quàm ad periurium aliquo modo pertrahi. Valete.

EPISTOLA CXXVII.

Ludouico Dei gratia Francorum Regi designato, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem & seruitium.

QVando venerunt ad nos litteræ vestræ, omnino imparatus eram, vt in tam breui securè & honestè venire possem ad colloquium vestrum. Præterea respectus est inter me & Comitissam vsque ad aduentũ Albanensis Episcopi, per cuius consilium vel iudicium promittit se satisfacturam Deo & Ecclesię nostræ. Infra ergo hunc respectum non est legitimum vel honestum, vt ei quæram aliquod malum vel nocumentum, vel etiam reddam me in hoc suspectum. Transacto verò hoc respectu potero vestræ celsitudini vbicunque placuerit cum vestro conductu occurrere, & liberè & apertè secundum quod ratio postulauerit, & rerum exitus, ea quæ erunt tractanda tractare, & prout ratio dictauerit diffinire. Non ergo indignetur aduersum me vestra sublimitas, si suspicionem doli & perfidiæ incurrere mea veretur humilitas: quibus remotis vestrum desidero habere colloquium, & meum pro viribus offerre seruitium. Valete.

EPISTOLA CXXVIII.

Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, Odoni Confratri & Compresbytero salutem.

LEgatus quem tua fraternitas mihi misit, non exspectauit responsum nostrum vel rescriptum. Nunc itaque fraternitati tuæ respondeo, de persona illa quam ad colloquium nostrum mittere disponebas, Virgilianum illud, *timeo Danaos & dona ferentes.* quia suspe- ** al. personas.* ctum me semper habuit, & apud sublimes* potestates quantum potuit me insimulauit. Vnde si secus quàm vellet, res accideret, de suspecto magis me suspectum redderet, & maiores inimicitias aduersum me concitaret. Si autem sua sponte, suo instinctu ad colloquium nostrum veniret, vel quicunque illius partis & modum conciliandæ pacis mihi intimaret, quantum Deo donante præualerem, puluerem pedum portantium pacem humiliter lauarem atque detergerem. Nostrum enim propositum est quantum possumus paci Ecclesiæ insudare, & potestate quam nobis Deus dedit, vti in ædificationem & non destructionem. Et quantumcumque me ad hoc implendum, aut mea impediat imbecillitas, aut resistat auditorum * peruicacitas, aut quantumlibet me ** de qua epist. 12. 25. 67. 204.* laceret æmulorum obtrectatio, principaliter tamen in corde meo ista viget intentio. quia & sol licèt suæ claritatis radios non effundat, cùm nube tegitur, tamen caloris sui virtute non priuatur. In his itaque recurro ad iudicem internorum: & cum bona volo & non valeo, iudici meo dico. *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* *Psal. 138.* Oret itaque fraternitas tua cum cæteris conseruis meis, vt qui dedit velle, addat & perficere pro bona voluntate. Vale.

EPISTOLA CXXIX.

Iuo Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis Episcopus, Gaufrido Vindocinensi Comiti salutem.

CVm omnibus ouibus nobis à Deo commissis, pastorali diligentia prouidere debeamus, ne pascua vitæ deserant, ne luporum inuisibilium morsibus se intrudant: præcipuè hoc nobilitati tuæ debemus, qui & noster es Parochianus, & Ecclesiæ nostræ * cataneus. ** notanda vox, cataneus. adi not.* Quod ideò dilectioni tuæ scribo, quoniam audiui te velle ducere in vxorem Vicecomitissam Blesensem, cuius defuncto marito fuisti consanguineus, sicut mihi scripserunt & probare parati sunt nobiles viri, tam tui, quàm defuncti Vicecomitis Roberti consanguinei. Vnde tibi mando, & per legem Christianam ** vetita. epist 15 & 111. Adi Gr. cau. 35. q. 2. & seqq.* interdico ferales & incestas nuptias, * quas nec lege poteris defendere, nec legitimos de eis hæredes suscipere. Si ergo salutaria nostra monita suscipis, cùm ad nos miseris, statuemus tibi diem certum & locum, quatinus ad legitimam discussionem venias: & sententiam quam lex Christiana dictauerit, super tali desponsatione * recipias. ** al. accipias.* Quod si aliter incœptum tuum adimplere præsumpseris, & excommunicationem incurres, & infamiæ notam non euades. Consanguinitas autem inter te & virum prædictæ mulieris sic se habet. Landricus Sorus quendam filium filiamque habuit; qui filius Lancelinus nomine filium Lancelinum genuit, ex quo Agnes fuit, quæ Robertum genuit, qui Robertus filiam Hugonis Dunensis in vxorem habuit. Filiam verò Landrici Sori habuit * Buchardus Rata-pilata. Ex ** al Burcardus.* quibus natus fuit Buchardus Caluus de quo ** al. Anser.* Fulco * Aser natus fuit, ex quo descendit Nifrana, * quæ Gaufridum Grisam tunicam genuit, qui illam vult accipere in vxorem. Vale. ** al. Vifrana vel Infrana.*

EPISTOLA CXXX.

Iuo Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis Episcopus Matildi Blesensi Vicecomitissæ salutem.

QVoniam tibi & omnibus quos in Deum vel propter Deum diligimus, salubria *Confer epist. superiorem.* monita vel præcepta dare debemus, monemus & præcipimus per legem Christianam, vt coniugium quod cum Comite Vindocinensi te inituram pepigisti, vsque ad legitimam discussionem differas, & bonam æstimationem quam hactenus habuisti non * amittas. ** al. perdas.* Quod si aliter præsumpseris, & excommunicationi subiacebis, & perdes res tuas

quas pro hoc coniugio distraxeris. Dicunt enim communes consanguinei Vindocinensis Comitis, & Roberti Vicecomitis mariti tui defuncti, quia consanguinei fuerunt Comes Vindocinensis, & Robertus maritus tuus, eo gradu quo litteræ Comiti missæ demonstrant, & probare parati sunt. De qua re statuam tibi & Comiti diem & locum, cùm ad me propter hoc nuncios vestros miseritis. Ordo autem parentelæ suprà * scriptus est. Vale.

Hæc verba non sunt de corpore epistolæ. *epist. 129.

EPISTOLA CXXXI.

Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister Wlgrino Parisiensi Archidiacono salutem.

DE Presbytero qui Ecclesiam quam regebat, nulla cogente necessitate in manu tua refutauit, & per manum laïcorum cubile sponsę, qua se indignum vel quam se indignam refutando iudicauit, conatur ascendere, hoc fraternitati tuæ respondeo: quia iustum est vt in iudicio quod de se iudicauit permaneat, & sponsam quam repudiauit, viuente fratre qui ei legitimè * incardinatus est, adulterare non præsumat. Quòd si per laïcorum violentiam intrudere se voluerit; tua fraternitas nouit antiquis regulis cautum esse, quòd laïcis * nulla est attributa facultas Presbyteros in Ecclesia ordinandi, vel de Ecclesia eiiciendi. Aduersus quam formam si Presbyter Ecclesiam irruperit, tui officij est in Presbyterum præsumptorem anathematis gladium * exerere, & laïcos huius peruasionis cooperatores, donec desinant, à liminibus Ecclesiæ sequestrare. Vale.

* *ità v.c. adnot.* * *vide canones sub can. 16. q. 7.* * *al. exercere.*

EPISTOLA CXXXII.

Daimberto Dei gratia Sononensium Archiepiscopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister salutem & seruitium.

QVoniam importunitas pulsantium frequenter quod quærit assequitur, iterum & iterum paternitatem vestram rogamus, vt iustitiam adhuc ab Archipresbytero * Stampensi dilatam, amodò acceleratis faciatis de Haymone Stampensi parochiano vestro & nostro, qui hominem meum & alium hominem huius Archipresbyteri mei angustiis carceralibus, & inedia iniustè ad redemptionem cogit; qui etiam eundem Archipresbyterum, cùm deferret legationem vestram & nostram ad eum, coëgit in fide spondere quòd nullam de eo proclamationem vel apud vos vel apud nos vltrà deberet facere. Hanc igitur ignominiosam iniuriam sicut decet animaduertite, & vobis & mihi super his quantam oportet iustitiam facite. De cætero disceptationem quæ est inter partes Ecclesiæ nostræ volo vt sciatis, quam breuiter annotabo vobis. Violato claustro * Carnotensi præterita æstate, maior cleri pars, quantum ad personarum & numerum, ferre non valentes Comitissæ iniurias & minas, de ciuitate exierunt, quosdam ex suis ad vos mittendo. Alij Regem Regisque filium pro reclamanda iniuria sibi illata adierunt: de stipendiis communibus fratrum, quod opus fuit, expenderunt. Iniuriam sibi factam dicit minor pars aduersaria, quòd res communis sine communi consilio est expensa. Cui obiectioni respondet pars altera: quod expendimus, tam pro vestra quàm nostra vtilitate expendimus: & quod vobiscum priùs hoc non tractauimus, ratio fuit, quia à quibusdam vestrum impedimentum timebamus, nec ad Ecclesiam nostram redire permittebamur. Consentiunt in hoc multi, quos ad hoc congregaui: quia quod pro communi necessitate expensum est plurimorum & maiorum consensu, de communi exsoluendum est. Volò itaque, vt per præsentium portitorem sententiam vestram & Ecclesiæ vestræ super hoc mihi rescribi faciatis. Vale.

* *confer. ep. 30. in fine.* * *conf. epist. 133.*

EPISTOLA CXXXIII.

*Ricardo * Dei gratia Albanensium Episcopo, & sanctæ Ecclesiæ Romanæ legato, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, benè valere, & non omni spiritui credere.*

* *al. Richardo.*

SCiens quia meliora sunt vulnera diligentis quàm fraudulenta oscula blandientis, & illud psalmographi, *corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me:* caustica * verba vestra, quantum pertinet ad simplicitatem intentionis vestræ, æquanimiter accepi: sed duplicitatem falsorum fratrum, qui quasi quibusdam latrociniis * noctis, falsa pro veris sollicitudini vestræ suggerunt, grauiter animaduerti: quorum falsitas citò patebit cùm luce veritatis reuerberabitur & in lucem prodire non audebit. Horum sunt quidam qui infamiam suam non aliter se posse velare arbitrantur, nisi famam bonorum lædere, & vasa sincera incrustare * moliantur: qui alia de causa symoniam non reprehendunt, nisi quòd * symoniaci esse non possunt: cum alij aliqui in Ecclesia assequuntur quod isti præpedientibus quibusdam incursionibus assequi non merentur. Quod * si oculos mentis in se reflecterent, præter symoniam multa in se tam facinora quàm flagitia meritò reprehenderent: vt patenter eis dici possit illud Apostoli: *In quo alterum iudicas, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas.* Nec ista dico quòd conscientiam meam aliquando tali scelere contaminatam intelligam: sed miror cur hoc solum vel in sola Carnotensi Ecclesia reprehenditur, cum & hoc & multa alia æquè damnabilia in omni penè Gallicana Ecclesia dominentur. Quòd autem vobis suggestum est, symoniacam hæresim me permittente in Ecclesia Carnotensi publicè dominari, omnino veritate caret; quia hoc malum ab initio clericatus mei semper exhorrui; & postquam ad Episcopatum veni, quantum Deo donante præualui, in superficie resecaui. Quod manifestum fieret, si pace confratrum & coëpiscoporum nostrorum fieri posset: in quorum Ecclesiis multæ malæ consuetudines adhuc caput erigunt, * quæ temporibus nostri sacerdotij Deo auxiliante in Ecclesia Carnotensi sopitæ sunt. Si qua autem adhuc sunt quæ pro consuetudine antiqua publicè exigant Decanus & Cantor & alij ministri ab his qui Canonici fiunt, me contradicente & persequente, Romanæ Ecclesiæ consuetudine se defendunt, in qua dicũt cubicularios & ministros sacri palatij multa exigere à consecratis Episcopis vel Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur, cùm nec calamus nec charta gratis ibi (vt aiunt) habeatur. & hoc quasi

Prou. 27. *Psal. 140.* * *sic etiam loq. ep. 277.* * *sic loq. epist. 219.* * *ex Horatio lib. 1. sat. 3.* * *quia ms. c.* * *qui ms. c.* *Rom. 2.* * *epist. 94. & 117.*

lapide conterunt frontem meam, cùm non habeam quid respondeam, nisi Euangelicum illud: *quod dicunt seruate & facite: sed si id faciunt, secundum opera eorum nolite facere:* Si autem hanc pestem radicitus euellere non valeo, non tantùm inualitudini meæ hoc imputandum est, quia ad hoc ab origine nascentis Ecclesiæ Romana Ecclesia laborauit, nec à gremio etiam suo tales sua quærentes penitus præualuit eliminare. Nec in diebus malis regnare desinet cupiditas, donec finito mundi termino pacatum regnum accipiat caritas. Interim autem, vt verbis Augustini vtar, *quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo: nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior quam archa Noë, vbi inter homines viij. reprobus vnus derisor patris inuentus est: aut melior quàm domus Abrahæ, vbi dictum est, eiice ancillam & filium eius: aut melior sit quàm domus Isaac; cui de duobus geminis dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et vt ad Christiana tempora veniam, semper patitur Christus, in membris suis Iudam proditorem, Ecclesia Nicolaum fornicationis laudatorem, Simonem lucrorum sacrilegorum sectatorem: & vt vniuersaliter dicam, semper abundabit palea donec ventiletur area. Si qua tamen talia in auribus nostris iudiciario ordine publicantur, si certis documentis approbantur, conseruato quidem legum tramite, inulta præterire non patimur. Incerta autem æterni iudicis tribunalibus iudicanda reseruamus: scientes quia qui non habet potestatem reum condemnare, vel non potest comprobare, immunis est. Intelligant igitur conserui vestri viuentes in diebus malis sicut & nos, quibus nondum sunt reuelata abscondita tenebrarum, & * manifesta consilia cordium, sicut nec nobis, ex imperfectione sua imperfectionem nostram, neque festinent incerta iudicare. Sed si forsitan ad ligna cædenda simpliciter incedunt, videant ne per immoderatum ictum* ferrum de manubrio fugiat, & aliquem de filiis prophetarum occidat. De cætero notum facio sollicitudini vestræ, suspectum vos esse Clericis Carnotensis Ecclesiæ, quòd eos Blesim inuitastis ad recipiendum pro emunitate claustri * Carnotensis iudicium, vbi dicunt se timere vim * temerariæ multitudinis; cùm clientela Comitissæ præcipuam ibi habeat potestatem, quæ statutum Carnotensis Ecclesiæ de non admittendis ad clerum * libertis aduersus suam factum esse conqueritur honestatem. Quapropter oportet libertatem religionis vestræ ita in medio stare, vt non videamini in iudicio paruipendere personam pauperis & honorare vultum potentis. Nec ista dico, quòd mali aliquid suspicer ex parte Comitissæ, sed quia debitor sum honestati Romanæ Ecclesiæ, * quantum ad paruitatem meam pertinet, prouidere. Cuius si non honoro missum, non videor honorare mittentem.

Hæc de re Gregorius Magnus epist. 44. & refertur in ca. sicut cau. 1. q. 2. Matth. 23. — Epist. 137. ad Hipponenses in ca. 6. dist. 47. Genes. 9. Genes. 21. Malach. 1. — * al. manifestata. — * Deut. c. 19. S. Gregor. lib. 10. moral c. 9. Pet. Bles. epist. — *confer. epist. 127 — * aliàs leg. contraria multitudinis. — * sic plerique vett. codd. in exemplari Ser legitur, libertinis. His coniungendi sunt loci epist. 126. & 147. — * vt in fine epist. 92.

EPISTOLA CXXXIV.

Daimberto Dei gratia Senonensium Archiepiscopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem & obsequium.

De pacto coniugali quod factum est inter duos nobiles, ita vt qui filiam habebat, iurauerit se eam traditurum vni de filiis alterius nobilis cui vellet, cum ad nubiles annos virgo peruenisset: hoc paternitati vestræ respondeo, quod & natura disposuit, & lex tam Ecclesiastica quam mundana firmauit: quia quorum per coniugalem copulam vnum debet fieri corpus, eorundem pariter animorum debet esse consensus. Quicquid ergo pater nesciente virgine * iurauerit, cùm ad annos rationales * perducta est, nisi ipsa virgo consentiat, etiam viuente patre secundum leges irritum erit. Vnde Papa Nicolaus Hincmaro scribit Episcopo. *Sufficiat* perleges solus eorum consensus de quorum coniunctionibus agitur.* Qui consensus solus in nuptiis si forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu frustrantur, Ioanne Chrysostomo magno Doctore attestante, qui ait, *Matrimonium non facit coïtus sed voluntas.* Inde etiam in legibus * Romanis Iustiniani Imperatoris ita habetur. *Sponsalia sicut nuptiæ consensu fiunt contrahentium. Et ideò sicut in nuptiis, ita sponsalibus filias familias consentire oportet.* Et alibi, *à primordio ætatis effici sponsalia possunt, si modo ab vtraque persona id fieri intelligatur, id est, si non minores sint quam duodecim annis.* Hoc de proposita quæstione * sentio, & huiusmodi controuersiam, si ad aures meas peruenerit, tali ratione diffinio. De cætero notum facio paternitati vestræ, quòd cum nulla à me illata esset iniuria, vel nulla denegata iustitia, cùm etiam* respectus esset inter me & Comitissam mediante Apostolico: Gulielmus Comitissæ filius in mortem * Clericorum Carnotensium, & perniciem meam, & omnium ad nos pertinentium coram* altare beatæ Mariæ coniurauerit, & omnes ciues qui sub banno sunt ad eandem coniurationem compulerit, nisi voluntati seruorum suorum cedamus, & sibi vsurpet violentia, quod sola debet * obtinere gratia. Ego itaque hoc Herodianum iuramentum audiens, nolui postea in præsentia huiusmodi coniuratorum diuina Sacramenta tractare, nec super eos benedictionem Episcopalem more solito dare. Promeritum tamen anathema distuli super eos fundere, donec consilium vestræ paternitatis & collegarum nostrorum super hoc acciperem, & consilio & auxilio multorum fretus debita eos censura à funesta conspiratione reuocarem. Cum ergo ad vos remisero, volo vos esse præmunitum, vt consilium & auxilium quod vobis sit honestum & nobis vtile ad manum habeatis, & naufragantibus ante submersionem manum extendere festinetis. Valete.

l. Titia D. de verb. obligat. — * al. iurat. — * vel. perueuerit. — * al. secundum leges, ita ms. c. vt in cap. 2. cau. 26. q. 2. — * al. Romanorum vide epist. 99. — * al. inquisitione. ita ms. c. — * sic loq. ep. 127. — * vide epist. 136. — * al altari, ita ms. c. — * vel, retinere.

EPISTOLA CXXXV.

Paschali Summo Pontifici, Iuo humilis Carnotensis minister, debitam cum deuotione obedientiam.

Miles iste præsentium portitor nomine Raimbaldus, in obsidione Hierosolymitana strenuè militauit. Vnde reuersus ad propria, diabolico instinctu & impetu iræ subuersus, quendam Monachum & Presbyterum Bonævallensis monasterij, quia quosdam eius seruientes herbam furantes, verberari fecerat, castrari fecit: Quod quia inauditum apud nos fuerat, coacto rigore Ecclesiastico, arma ei ab-

ſtulimus, & quatuordecim annorum pœnitentiam indiximus, vt diebus ſibi præſcriptis à cibis lautioribus abſtineret, & tam immane facinus eleemoſynis & ieiuniis expiaret. Quod obedienter quidem ſuſcepit: ſed poſtea adhibitis ſibi multis & magnis interceſſoribus multa nos precum inſtantia fatigauit, quatinus propter infeſtationes inimicorum ſuorum, armis ei vti concederemus. Sed huiuſmodi precibus aſſenſum dare noluimus, timentes ne & ipſum & multos alios tam facili indulgentia in * diſcrimen adduceremus. Reſeruantes itaque hanc indulgentiam Apoſtolicæ moderationi, ad Apoſtolorum eum limina direximus: quatinus & fatigatione itineris huius, peccatum ſuum diluat, & apud pietatis veſtræ viſcera miſericordiam quam Deus vobis inſpirauerit, inueniat. Valete.

* vt epiſt. 61.

EPISTOLA CXXXVI.

Iuo humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, Adelæ Palatinæ Comitiſſæ, & pacis & caritatis viſceribus abundare.

MVlta vobis de me referuntur, quæ non oportet vt à vobis vera eſſe credantur. Habui enim & habeo multos & magnos ad perturbandum * ſuaſores, qui ſe etiam promitterent futuros per omnia & in omnibus adiutores. Quod adhuc ſtudioſè euito & euitaui, licèt hoc à multis non religioni adſcribatur, ſed puſillanimitati, Et putabam me inueniſſe modum quo pax fieri poterat cum veſtra honeſtate & clericorum voluntate, niſi conſilio inſipientium & malignorum, filius * veſter Herodianum illud Sacramentum feciſſet, & ad idem Burgenſes * ſuos coëgiſſet: Quo facto vſus virorum honeſtorum conſilio, nolui eis vltra dare benedictionem. Sed tamen pro amore veſtro diſtuli maledictionem. nec enim benedictione digni ſunt, qui maledictionem meruerunt, & in * mortem immeritorum ineaute conſpirauerunt, donec reſipiſcant, & pro illicito iuramento veniam petant. Oportet ergo vt antequam res in peius vergat, aut per vos, aut idoneos mediatores colloquium habeamus & prout meliùs Deus donauerit, tam periculoſam & inutilem turbam ad pacem reducere ſtudeamus. Iam enim diſſimulare diu iuſtè non poſtero, quin iuſto anathemate feriam talium malorum incentores & eorum cooperatores, niſi tantis & illicitis auſibus remedium præpararetur, quo res impia & turba inutilis in pacis ſerenum conuertatur Valete, & quod melius vobis viſum fuerit per præſentium portitorem remandate.

* confer epiſt. 16 & 124.
* vide epiſt. 4.
* vocat ciues ſcta epiſt. 4.
* ſic ex vett. add. anteà. mortem inimicorum.

EPISTOLA CXXXVII.

Iuo humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, Beluacenſis Eccleſiæ Congregationi, diuinam in tribulationibus conſolationem.

SCiat fraternitas veſtra quia in tribulationibus veſtris contribulor, & paſſionibus veſtris compatior: ſed quia res veſtra in anguſto poſita eſt, prout oporteret certum vobis conſilium dare non poſſumus: quia in hoc negocio veſtro niſi Deus miſericorditer conſulat, oportet vt aut legem offendatis aut Regem. Si enim concanonicum veſtrum criminaliter impetitum alibi quam in Eccleſia examinari conceditis, canonicam legem offenditis: ſi audientiam regalis curiæ reſpuitis, Regem offenditis. In qua diſceptatione cùm ipſi & ratione & auctoritate ſciatis * quid ſit verius, quid honeſtius; tamen pro temporum opportunitate ſequi vos oportebit * quod infirmitati veſtræ erit tolerabilius. Si autem ſciremus vos eſſe paratos, vt cum gaudio tolerare poſſetis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum veſtrorum, poſſemus vos exhortari vt ſequeremini conſilium Suſannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quàm Dei legem derelinquere. Sed quia in donis ſpiritualibus conſilium & fortitudo coniuncta ſunt; conſilium aliud, niſi quod patientia veſtra tolerare poſſit, dare non audemus: quia qualis veſtra ſit fortitudo, ignoramus. De curia * autem in cauſis clericorum vitanda, de accuſatione vel teſtimonio clericorum aduerſus laicos vel laïcorum aduerſus clericos, quid decreta, quid canones, quid & mundanæ leges clament, & apud vos habetur, & nos ex parte ſcripſiſſemus vobis, niſi quia gerulus litterarum veſtrarum ſexta feria poſt meridiem ad nos venit, & ad redditum feſtinauit. Ad præſens aliud auxilium fraternitati veſtræ ferre non poſſumus, niſi quòd Angelum magni conſilij interpellabimus, vt conſilia veſtra & actus dirigat, & ad bonum exitum perducat. Valete.

* confer. epiſt. 63. & 264.
* in vno v. c. quid ſit verecundius, quidue.
* ſimilis ſententia epiſt. 171.
Daniel. 13.
* adi Grat. ca. 11. q. 1.

EPISTOLA CXXXVIII.

*Iuo humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter dilectis ſibi in Chriſto Archidiaconibus * Wulgrino & Stephano, decorem domus Dei diligere, & quæ Ieſu Chriſti ſunt quærere.*

CVm de electione Epiſcopi apud vos ageretur, & à quibuſdam veſtrûm domnus Fulco * Decanus veſter eligeretur, habita eſt vt audiuimus inter vos fœda contentio, quæ & multorum aures offenderet, & de Eccleſia veſtra non bonum odorem longè latéque diſpergeret. De obtenebrata itaque pacis veſtræ ſerenitate, fraterna compaſſione doluimus: quia quæ grauamina de fraterno * ſciſmate Eccleſiis euenire ſoleant, experimento didicimus. Petitioni veſtræ tamen hoc reſpondemus, quia electioni domni Fulconis vel alterius aſſenſum non dabimus, niſi quem aut cleri plebiſque conſenſus elegerit, aut metropolitani iudicium cum conniuentia * ſuffraganeorum habita legitima diſcuſſione probauerit. Conſulendo itaque monemus fraternitatem veſtram, vt nemo veſtrûm in tanto diſcrimine priuata odia exerceat, nullus priuatum honorem vel priuatum commodum quærat, nullus fratrem ſuum publica infamia pulſet, niſi iudicario ordine probare poſſit quod obiecerit: ne dum temerè non probanda objicit, ipſe * talionem recipiat, & ſe & ſua in periculum mittat. Miramur autem prudentiam veſtram, * quare aduerſus Regem in præſentia Regis diſpoſuiſtis cauſam iſtam examinare, vbi plus poterit voluntas Regis quàm iuſtitia legis: vbi nec veritas poterit cum pace diſcuti, vel inuenta ſeruari. Valete.

* Pariſienſib. ex epiſt. 122. & 131.
* Eccleſiæ Pariſienſis, vt conſtat ex tit. epiſt. 112. Confer. etiam epiſt. 139.
* al. ſchiſ.
* hanc in rem Gratia. diſt. 63. al. conuenientia. ms. c.
* talionis vinculum appellat epiſt. 51.
* ad huius electionis diſcuſſionem poſtea inuitatus fuit Iuo à Rege vt teſtatur ep. ſeq.

EPISTOLA CXXXIX.

Daimberto Dei gratia Senonensium Archiepiscopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister debitum filij famulatum.

APpellatio quam fecerunt Parisienses, ad vos referenda erat, vt vos eis diem & locum pro arbitrio vestro præscriberitis, & Episcopos suffraganeos ad hanc discussionem indulto congruo spatio inuitaretis. Quod quia factum non est, præproperè mihi facta videtur domni Fulconis * electio, & eiusdem electionis futura discussio. Et quia desideranti animæ nihil satis festinatur, poterit contingere quod per sapientiam dicitur: *hæreditas ad quam festinatur in initio, in nouissimo benedictione carebit.* Ad hanc autem discussionem à domino Philippo Rege inuitatus eram: sed hoc mihi displicebat, quia secundum morem Ecclesiasticum, & institutionem canonicam à vobis talis admonitio non præcesserat. Nunc vero audita vestra admonitione, si conductum promissum Rex mihi dederit, Deo donante venire curabo. Si autem aliqua præpediente ratione venire non potero, neque tot de collegis conuenerint, qui ad tanti negocij diffinitionem sufficiant, aut in aliud tempus rem differte, aut ad sedem Apostolicam vtramque partem ire permittite, ad quam iturus est domnus Fulco, siue rata, siue irrita fiat eius electio. Valete.

* sup. epist. 138.

Prouerb. 20.

EPISTOLA CXL.

Iuo Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis minister dilecto fratri & compresbytero Gunherio, cum quiete corporis quietem mentis.

SI Sacramenta Ecclesiastica ab Apostolico, vt rumor est, vetita, quibus periculosè interesse times, scriptis Apostolicis vel viua voce illius personæ, fraternitati tuæ interdicta fuissent, cui hæc interdicendi licentia commissa fuisset, consulerem vt non tantùm eis interesse timeres, sed etiam ea penitus abhorreres: non quia quod celebratur non sit Sacramentum, sed quia communicantibus vsurpatum per inobedientiam fit detrimentum. Securum itaque te in talibus faciat conscientia munda, quia secundùm Apostolum *omnia munda mundis:* coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, quia inquinata est eorum mens & conscientia. Si ergo ad diuina Sacramenta te vel pro consuetudine repræsentaueris, vel à fratribus inuitatus fueris; quæ celebrantur apud quoscunque inueneris, cordis * manu suscipe, mirare, & eorum significata sicut vitæ alimenta in ventre memoriæ suauiter ruminanda repone: non magnoperè attendens quid opinio aut rumor aspergat, sed quid legatio prælatæ potestatis ad vos vsque ordinabiliter perueniens prohibeat aut iubeat. Sicut enim iudicibus Ecclesiasticis non alia credenda sunt *, licèt vera sint, nisi quæ iudiciario ordine publicantur, quæ manifestis testimoniis comprobantur: Ita non omnia quæ dicuntur fidei committenda sunt, nisi litteris authenticis comprobentur, aut viua voce gerulorum publicentur. Hæc interim de tua dubitatione respondeo fraternitati tuæ, nullum faciens præiudicium sententiæ meliorum. Vale.

Rom. cap. 14.

* ex Eusebio Emisseno, citat in fine epist. 287.

* ca. quamuis. 73. cau. 11. q. 3.

EPISTOLA CXLI.

*Ricardo * Dei gratia Albanensi Episcopo, & sanctæ sedis Apostolicæ Vicario, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister salutem & obsequium.*

* al. Richardo.

SIcut de excommunicatione Regis grauiter doluimus, propter Christianæ religionis detrimentum, ita de absolutione eius, si ad honorem Dei & sanctæ sedis Apostolicæ fieri posset, granditer gauderemus, propter eiusdem sanctæ religionis incrementum. Vt autem secus fiat quàm sollicitudini vestræ à domno Papa commissum est, consulere non audemus, quia de rerum exitu sicut vos ita & nos incerti sumus. Si autem diuina gratia cor eius humiliauerit ad pœnitentiam, consilium nobis videtur, vt coram positis quamplurimis Episcopis publicè eum & solemniter absoluatis: quatinus sicut longè latéque patuit eius auersio, ita multorum religiosorum testimonio publicetur circunquaque eius optanda reuersio. In qua re satagendum erit diligentiæ vestræ, quatinus qui pro amore iustitiæ & obedientia sedis Apostolicæ perdiderunt eius amicitiam, in * reconciliatione eius redintegrantur ad gratiam. Consultum autem famæ vestræ meliùs credidissem, si alibi quàm Senonis ista fieret absolutio, vbi cuique liceret liberè dicere quod sentiret. De cætero ad Concilium denominatum gratanter ire desidero: sed contra voluntatem Regis, cuius odium * iam per decennium tolero, qua via, quo conductu, vel circuitu Trecas venire valeam, non inuenio. Si ergo vel per ipsum Regem vel per Comitissam, aliquam mihi securitatem impetrare potestis, obnixè rogo, vt id facere studeatis.

De absolutione Regis Philippi excommunicati. Iungo epist. 144.

* iunge. loc. epist. 104. in fine.

* Regis inimicitiæ in Iuonem, ep. 67. & minæ epist 55. à quo sibi metuit epist. 113.

EPISTOLA CXLII.

*Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, Mathildi * Anglorum Reginæ, cum Regina Angelorum in cœlo regnare.*

* Mathildi. confer epist. 107.

CVm omne datum non tãtum ex sua quantitate, quantum ex dantis affectu æstimandum sit: campanas quas beatæ & perpetuæ virgini dedistis, tum pro vestra deuotione, tum pro sua delectabili sonoritate vice ipsius perpetuæ virginis gratanter suscepimus, & in loco celebri ad auditum confluentium populorum collocari fecimus. Quæ quotiens ad significationem certarum horarum mouentur, ita auditorum mentes * mulcent, vt vestra memoria in singulorum cordibus renouetur. Nec leuiter est æstimanda talis memoria, quæ tunc reflorescit, quando illa singularis hostia pro nobis redimendis in ara crucis oblata, per noui Sacerdotij ministros in Domini mensa quotidie consecratur: quando hymnis cælestibus, tanquam vitulis labiorum, Deus à fidelibus * honorificatur: quando à peccatoribus rea pectora tundentibus Deus offensus sacrificio contribulati spiritus ad misericordiam inclinatur. Horum bonorũ proculdubio participes extant, qui Dei ministris bona quibus abundant & istis desunt, pro eius honore & amore subministrant. Ita quod deerat inopiæ nostræ, copia vestra benignè ministrare iam cœpit, & se suppleturam in supplendis vel resti-

* al. mulcentur.

* al. honoratur.

al. reficiendu. restituendis * Ecclesiæ nostræ tectis vberiùs repromisit. Sic antiquus Dei populus ad tabernaculi vsum iubente Domino per Moysem *Exod. 35.* offerebat aurum, argentum & æs, bissum quoque & coccum, purpuram & hyacinthum, mulieres etiam gemmas, & inaures, quibus tunc visibiliter vestimentum pontificis & tabernaculum ornarentur & ministrorum noui testamenti sancti mores designarentur. Quibus autem preciosa ista deerant, pilos caprarum offerebant, quibus vela cilina fierent, ad conseruandum splendorem interiorum ornamentorum, ne puluere sordescerent, vel imbribus putrefierent. Hanc formam pietatis sequetur excellentia vestra, cùm ad vtensilia vel sartatecta domus Dei reficienda, in quibus voluerit, vel quantum voluerit, suppeditabit necessaria. Pro quibus omnibus illum expectate procul dubio retributorem, quem talium didicistis fuisse præceptorem. Val.

EPISTOLA CXLIII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Roberto Mellentino Comiti, salutem & orationum suffragia.

Liberalitati, ms. c. Libertati * & prudentiæ vestræ gratias referimus, quòd domnum Richardum Pratellensis monasterij Abbatem, virum religiosum & prudentem, prout dignus est, honestè tractatis *, & in negociis suis, pro vt opus est, deuotè & fideliter ei assistitis *: & insuper rogamus, vt quod benè cœpistis, meliori fine concludatis. ** tractatis. ms c. * assistatis. ms. c.* Quòd enim in reuocandis monasterij sibi commissi possessionibus elaborat, professionis suæ debito coactus facit: quia ab vnoquoque Abbate, quando benedictionem accepturus est ab Episcopo, hoc exigitur: quatinus profiteatur res monasterij sui hactenus malè dispersas se recollecturum, & ad vsus fratrum pauperumque fideliter dispensaturum. Et in decretis Symmachi Papæ * cæterorumque sanctorum patrum de distractis Ecclesiæ rebus continetur, vt sit danti, & accipienti, vel possidenti anathema, nec aliquo se obstaculo ante tribunal Christi muniat, qui à religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta dispergit. ** citat epist. 11.* In Agatensi quoque Concilio continetur, vt in * venditionibus quas Abbates faciunt hæc forma seruetur: vt quicquid sine licentia Episcopi venditum fuerit, ad potestatem Episcopi reuocetur. ** idem Deueti lib. 2. tit. de alienatione & commutatio. rer. Eccles. & Gratianus in ca. 12. q 2. in res Ecclesiæ, &c.* Idem etiam de strenuitate vestra dici potest, quia diuina prouidentia vos eidem loco defensorem præparauit: quoniam quicquid à monasterio prædicto sine vestro assensu distractum est, totum oportet ipsi monasterio restitui, & vsibus fratrum quibus data sunt, integerrimè restaurari. Hæc hactenus. De cætero nobilitatem vestram in hoc culpamus, quòd beneficium * Carnotensis Ecclesiæ, quod aliis magnis magnum videtur, ita paruipenditis, vt neque quod dispersum est ab antecessore vestro reuocare studeatis, neque debitum nobis seruitium in aliquo impleatis. ** beneficium in epist. 168.* Qui enim beneficium illud occupauerunt, ita inter vtrumque natant, vt neque nobis seruiant propter vos, neque vobis propter nos. Monemus itaque vos, vt super hoc consilium capiatis, & nobis remandetis: quia in hoc nullum est vestræ amplitudini commodum, nobis autem magnum incommodum. Valete.

EPISTOLA CXLIV.

Paschali summo pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, cum debita obedientia fidelium orationum obsequium.

Notum facimus paternitati vestræ, quòd tertio * Kal. Augusti plures Episcopi tam Remensis quam Senonensis prouinciæ inuitati à domno * Richardo Albanensi Episcopo legato vestro, conuenimus in quoddam municipium Aurelianensis Episcopatus, nomine Balgenciacum, ad faciendam absolutionem * Regis secundùm tenorem litterarum, quas super hac re miserat moderatio vestra. ** quarto. * al. Richardo. * iunge epist. 141.* Conuenit etiam Rex & lateralis * sua, & secundùm præceptum vestrum tactis sacrosanctis Euangeliis parati fuerunt abiurare absolutè omnem carnalis copulæ consuetudinem, insuper & mutuam collocutionem, nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, vsque ad vestram dispensationem. ** de qua ep. 13. & 28.* Sed quia in litteris vestris continebatur, vt in hac absolutione consilium prudentium sibi adhiberet domnus Albanesis Episcopus, totum onus consilij voluit ex arbitrio pendere Pontificum. Episcopi verò nescimus quid conjicientes, semper replicabant se debere esse huius consilij comites & non duces. Quamuis quibusdam nostrûm videretur, quod prædicta absolutio ita posset sicut prætaxata est, honestè fieri, & propter quorundam simultates non satis rationabiliter impediri. Cùm itaque res indefinita remaneret in medio, Rex clamitans inculcabat se malè esse tractatum, qui tamen per se & per nos adhuc pulsat ad aures paternitatis vestræ, vt secundùm moderationem litterarum vestrarum, & verba quæ domno Galoni coëpiscopo nostro iniunxistis, causam eius temperetis: ne contingat de eo illud Salomonis, *qui multùm * emungit, elicit sanguinem.* Dispensationis autem modus nulli vnquam sapientum, displicuit. ** al. emungitur. Prou. cap. 30.* Vnde beatus * Cyrillus ad Gennadium Presbyterum: *Sicut enim qui mare nauigant, tempestate vrgente, nauique periclitante quædam exonerant, vt cætera salua permaneant; ita & nos cùm non habemus saluandorum omnium negociorum certitudinem, despicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur dispendia.* ** citat etiam epist. 171.* Et quia hæc suggerendo dicimus non docendo, nostræ suggestionis summa est, vt imbecillitati hominis, amodò, quantum cum salute eius potestis, condescendatis, & terram quæ eius anathemate periclitatur, ab hoc periculo eruatis. De cætero sanctæ paternitati vestræ supplicando suggerimus, vt domnum * Galonem coëpiscopum nostrum, de Beluacensi Episcopatu, quem propter sacramentum domini Ludouici habere non potest, per manum Senonensis Archiepiscopi transferre iubeatis in Parisiensem Episcopatum, quem ei gratanter & deuotè concedunt pro vestro amore Rex & Regis filius. ** epist. 145. & 146.* Qualiter autem in eum cleri & plebis vota conuenient, dicet vobis præsentium portitor clericus Parisiensis Ecclesiæ canonicus, vt cognoscatis eum benè posse transferri, qui sedem propriam nulla ratione præualet adipisci. Valete.

EPISTOLA CXLV.

Domno Manassæ Remorum Archiepiscopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, salutem & seruitium.

QVoniam ego Beluacensis ecclesiæ filiæ vestræ genuinus filius paternitatem vestram quasi innata dilectione amplector, vt omnia vestra in caritate fiant ex Euangelica & Apostolica institutione, qua valeo sinceritate exhortor. Vnde consulendo suggerimus, & suggerendo consulimus, vt rigorem iustitiæ quem nunc tandem, cùm res ad portum iam *penè peruenit, erga Beluacensem ecclesiam nescio quo impellente intendistis, consultiori moderatione remittatis, donec pax quæ inter dominum Regem, & domnum Gallonem Beluacensi ecclesiæ consecratum, aut integrè solidetur, aut penitus disrumpatur. Alioquin proretæ officium prohibere videbitur, ne nauis procellis circumacta vel ad optatum portum applicare valeat, vel ad alium. Valete.

*al. plenè.

Confer epist. 144.

EPISTOLA CXLVI.

Dainberto Dei gratia Senonensi Archiepiscopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, cum debita reuerentia seruitium.

NOtum facimus vestræ paternitati quòd Clerus & populus Parisiensis ecclesiæ voto & voce domnum Galonem* Beluacensi ecclesiæ consecratum in Episcopum elegerunt, & ipsam electionem cum litterarum adstipulatione missis ex clero idoneis personis prædicto Episcopo præsentes* vt pastoralem prædictæ ecclesiæ curam susciperet, humiliter & deuotè petierunt. Sed quia translationes* Episcoporum necessitate vrgente metropolitani auctoritate & summi Pontificis dispensatione fieri oportet; nos quantum in nobis est eidem electioni assensum præbentes, paternitati vestræ suggerimus, quatinus eidem electioni adstipulando, à domno Papa postuletis, vt prædictum Episcopum per manum vestram transferri præcipiat, cùm propriam sedem obtinere non valeat. Ita enim & vestrum ministerium *honorificabitis, & ecclesiæ desolatæ solatium præbendo, eligentium & electi* deuotionem vobis arctiùs adstringetis. Et in hoc consilium vobis damus, ne si alio exitu res prouenìat, ecclesiæ vestræ dignitas in aliquo minuatur, & mutua caritas non tam firmo vinculo colligetur. Valete.

*iunge epist. 144. & 145. & 260.

*præsentantes. ms c.

*de quibus agit epist. 288.

*al. honorabitis.

*al. dilectionem, ita ms. c.

EPISTOLA CXLVII.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, debitam cum sinceritate obedientiam.

QVoniam patres nostri antecessores vestri in multis negociis aliqua seueritati detraxerunt, in quibus salus minimè periclitabatur, vt maioribus malis amouendis operam darent: ea fiducia flexis genibus cordis maiestati Apostolicæ supplicamus, vt erga ecclesiam Carnotensem misericordiæ viscera effundatis, & pacem diu turbatam, quæ benè olentem ecclesiæ florem cùm prouectu bonorum fructuum concutit & discutit, eidem ecclesiæ reformare studeatis. Ità enim hæc res ex vestro tantùm pendet arbitrio: vt ex verbis illius Centurionis Euangelici securè sanctitati vestræ dicere possimus: *Dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus*. Iam enim tandem crebris persuasionibus publicis & priuatis precibus, multa mora, multa lima ad hoc Carnotensium clericorum corda Deo donante infleximus, quatinus apud paternitatem vestram fideliter intercedant, vt conditionarios* de familia Carnotensis Comitis, qui de legitimo coniugio nati fuerint, & regios fiscalinos, pro quibus similis perturbatio fieri posset, de priuigelio quod eidem ecclesiæ fecistis, de non admittendis conditionariis,* excipiatis, & in eundem statum in quo erāt ante priuilegium, redire iubeatis.* Non enim hoc impedit sacramentum clericorum quod super hac re antea fecerant: quia cognoscunt tam maiores quàm minores, & publicè fatentur se sacramentum illud hac conditione fecisse, vt possent instituto suo & profutura adjicere, & nocitura excipere. Aliter quippè damna, scandala, perturbationes intus & foris, contentiones, iræ, rixæ, quæ omnia ista de causa orta sunt, &* quotidie oriuntur, sedari non possunt. Hæc autem omnia Deo faciente cessabunt, si vigilantia vestra manentibus in sua stabilitate his qui in priuilegio sunt, ea tantùm quæ ecclesia dispensari postulat, paterna prouisione dispensauerit; & ea quæ cohibenda sunt, Apostolica censura cohibuerit. Hæc omnia in propria persona putaui me posse dicere sanctitati vestræ: sed à capite autumni ita me grauis vexauit infirmitas & debilitauit, vt non tantùm prolixum iter, sed nec breue adhuc valeam arripere. Vnde misi vobis vice mea domnum Bernerium monasterij Bonæuallensis Abbatem, boni testimonij virum, & Romanæ Ecclesiæ benè notum, qui & necessaria nostra vobis insinuet, & ea quæ ei commisimus à sanctitate vestra nobis reportet. Miserunt etiam canonici vice sua domnum* Goselinum presbyterum & concanonicum suum, qui commune votum concanonicorum suorum vobis sincera veritate denunciet, & quod sanctitas vestra inde statuerit, eis renunciet. Excusatos etiam volumus esse apud sanctitatem vestram Decanum & Cantorem à vobis inuitatos, quos iam grauat ætas, & irruentium * perturbationum importunitas. Valete.

Vide epist. 214. & 231.

Confer epist. 126.

Luc. 7.

*conditionariũ alicui obligati, vetabantur admitti ad sacrum ordinem. ca. 7. dist. 54. & ca. 15. dist. 54.

*vt etiam vulgò natis. epist. 126.

*al. permittatis.

*al. cotidiè. Confer epist. 132.

*al. Guaslinum vel Caustinum. ita ms. c.

*al. perturbantium.

EPISTOLA CXLVIII.

Hildeberto Dei gratia Cœnomanensi Episcopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister salutem.

DE viro illo qui priùs per concubinatum cuidam adhæsit mulieri, posteà verò cum eadem muliere infirmitate correpta pactum coniugale dato annulo iniit, hoc respondemus prudentiæ vestræ: quia ex maiori parte coniugij sacramentum impleuit, quod postea nisi adulterium intercessisset, lege diuina & humana prohibente, solui non potuit. Vnde Augustinus in libro de Bono coniugali: *Posse sanè fieri nuptias ex malè coniunctis honesto postea*

Confer epist. 16. & 155.

placito consequente manifestum est. Idem in eodẽ *Solet quæri cùm masculus & fœmina, nec ille maritus, nec illa vxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur, ea fide media vt nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, vtrum sint nuptiæ vocandæ? Et potest quidem fortassè non absurdè hoc appellari connubium, si vsque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit, & prolis generationem quamuis non ea causa coniuncti sunt, non tamen vitauerunt, vt vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo mala agant nascantur.* Ambrosius ad virginitatis exhortationem: *Desponsata viro coniugis nomen accepit. Cùm enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen assumitur. Non enim d floratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cùm iungitur puella, coniugium est, non cum viri admixtione cognoscitur.* Isidorus ethymologiarum lib. VIII. cap. VII. *Coniuges veriùs appellantur à prima desponsationis fide, quamuis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus.* Item Nicolaus *Hincmaro Episcopo: *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, quorum de coniunctionibus agitur.* Qui consensus si solus in nuptiis fortè defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu frustrantur celebrata, Ioanne Chrysostomo magno doctore testante, qui ait: *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.* Hinc etiam habetur in libro constitutionum*: *Si quis sine dotalibus instrumentis, affectione maritali vxorem duxerit, non audeat sine causa legibus cognita repudium ei mittere.* Item in libris Nouellarum*: *Si quis diuinis tactis scripturis iurauerit mulieri, se eam legitimam vxorem habiturum, vel si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illa legitima vxor, quamuis nulla dos, nulla scriptura alia interposita sit.* Quòd si propter patrata vtrobique adulteria dicitur eos vltrà non posse coniungi, consulatur Hieronymus ad Oceanum scribens: *Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet & viris, & eadem seruitus pari conditione censetur.* Item: *Indignantur mariti si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cum tanto grauiùs eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas.* Item. *Non erit turpis neque difficilis etiam post patrata atque purgata adulteria reconciliatio coniugum: vbi per claues regni cælorum non dubitatur fieri remissio peccatorum, sed vt post viri diuortium adultera reuocetur, non vt post Christi consortium adultera non vocetur.* Idem super Osee: *Non est culpandus Osee propheta, si meretricem quam duxit*, conuertit ad pudicitiam, sed potius laudandus quòd ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet ipse polluitur, si societur malo: sed qui malus est in bonum vertitur, si boni exempla sectetur.* Ex quo intelligimus non Prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam quam anteà non habebat. Ex his igitur & similibus sententiis colligere potest vestra prudentia inter prætaxatas personas verum fuisse connubium, & si vir alteram duxerit, vel mulier alteri nupserit, manifestum esse adulterium: si verò ex consensu reconciliati fuerint, nullum esse flagitium. Valete.

Consensus solus perficit nuptias. vide epist. 46.

** al. Hicma[ro]. al. Igma[ro] citatur [e]tiam epist. [2]43.*

Hom. 16. in Matth.

** l. fi. C. de [r]epud.*

** Nouel. 22. [d]e nuptiis. §. [n]uptias & §. [s]it itaque.*

[su]prà epist. [.]3.

[s]uprà epist. 25.

** al. conuer[t]erit citatur [i]nfrà epist. [2]88.*

EPISTOLA CXLIX.

Gulielmo Dei gratia Rothomagensium Archiepiscopo, & cæteris diœcesis Rothomagensis Episcopis, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, salutem & debitæ caritatis obsequium.*

** al. Villelmo.*

GRatias agimus iusto & misericordi Deo, qui Ecclesiam suam delinquentem paterna seueritate flagellat, & flagellis attritam misericorditer visitat: vt tanquam pia mater panem consolationis tribuat lugenti, qui flagella priùs iustè irrogauerat delinquenti. Quod in Ecclesia Luxouiensi nunc Deo propitiante, & vestra solertia cooperante prouenisse cognouimus. Quorum consilio & auxilio eliminata est de prædicta Ecclesia spurcitia* puerorum, noua & inaudita neophytorum hæresi cathedram Episcopalem in eadem Ecclesia vsurpantium. Quod quamuis ad tempus aliqua rationabili consideratione, vel aliqua pusillanimitate sit à vobis toleratum: nunc tamen est, quantum nobis videtur, in melius commutatum. Cùm & ipsos flammigeros* pueros de prædicta Ecclesia ejici feceritis, & virum strenuum & honestum, domnum videlicet Gulielmum Ebroicensem Archidiaconum in pastorem prædictæ Ecclesiæ elegeritis. Vnde multum liberalitati vestræ congratulamur: & caritati vestræ, si in hoc negocio paruitatis nostræ auxilium vel consilium foret opportunum, pro viribus paratum esse pollicemur. Valete.

Confer epist. 153. 154.

** Stercora vocat. epist. 153. ne autem Neophyti Episcopi fiant, vide can sub dist. 48.*

** vide epist. 157. vbi de Ranulfo Flammarda agitur.*

EPISTOLA CL.

Domno & patri suo Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister omnem pro sua possibilitate obedientiam.*

** al. domino.*

POst idus Ianuarij paternitatis vestræ litteras accepi, commonefacientes me, quatinus venirem ad Concilium à sanctitate vestra celebrandum in nonis Martij: à quo termino non restabant nisi septem hebdomadæ vsque ad diem denominati Concilij. Compensans itaque vires meas cum breuitate tanti articuli, sensi hoc opus à me nullo modo in tanta breuitate posse transigi, vtpote cui non erat ad manum tanta pecunia de qua possem tanto itineri necessaria tam citò præparare: vel ea corporis sanitas, vel tam libera membrorum agilitas, quæ posset tam prolixum iter per vias arduas & ruinosas tanta velocitate perficere. Vera esse quæ dico testis est mea veritas & conscientia mea, qui duo testes non sunt producendi impunè ad falsa testimonia: quorum etiam testimonio profiteor desiderantissimè faciem vestram videre me velle, non in turba, neque in transitu, sed in ea tranquillitate in qua possem vestro dulciloquio aliquandiu familiariter frui, & æstus cordis mei in oculis vestris effundere, & de fonte sacri pectoris vestri ad refocillationem languentis animæ aliquid salutiferi potus in cor meum eliquare. Supportate igitur paterna discretione absentiam meam, donec Deus donet vt suo tempore exhibere possim conspectui vestro præsentiam meam. Valete.

EPISTOLA CLI.

Gaufrido Dei gratia Beluacensium Episcopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, sibi & gregi sibi commisso salubriter prouidere.*

* in ora vitiata v.c S. Vict. additur hoc loco manu prisci librarij, PEIORI LVPO. Iam autem epist. 54. mentio fit sub decani cui cognomen erat PEIOR LVPO.
* Beluacensis scilicet vt notatur in vet. cod.

DE quanta spe promissionum vestrarum ceciderim noui ego, nouerunt & illi qui promissiones vestras mecum audierunt. Contra petitionem etenim meam & promissionem vestram, contra canonicam & apostolicam institutionem contradicentibus maioribus & prudentioribus Ecclesiæ beati*Quintini fratribus, Odonem olim fratrem, nunc verò hostem in prędicta Ecclesia, quod sine me fieri non poterat, confirmastis in Abbatem. Hanc plantationem vestram poterit eradicare, qui non plantauit eam Deus: fructum quippe primitiarum mearum quantum in vobis est in hoc mihi abstulistis, & vobis forsitan non satis vtiliter prouidistis. Qui enim hoc consilium vobis dederunt, callidè inter me & vos* discidium fieri voluerunt. Quod qua intentione factum sit, si modò non perpenditis, forsitan aliquando perpendetis. Hoc autem factum vestrum si ad præsens corrigere non vultis aut non valetis, saltem id quod mihi inter cætera promisistis, ornamenta quæ prædictæ Ecclesiæ commendaui †, mihi facite restitui, & in cella fratris * Gunherij custodiri, donec suo tempore cogitem quid inde velim facere. Interim autem vbicunque sint qui prædictum inuasorem non recipiunt, nihil graue, nihil intolerabile *super eos faciatis, vel fieri permittatis. quoniam sentientes se esse prægrauatos per me & per se sedem apostolicam appellant: in cuius redundabit iniuriam, si quis eis amodò aliquam intulerit violentiam. Valete.

* sic vett. codd. anteà dissidium.
† commodatui, ms. c.
* al. Gonherij fortasse ille est ad quem scribit epist. 128.
* al intolerandum.

EPISTOLA CLII.

Leodegario venerabili Bituricensium Archiepiscopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem & seruitium.

Ezech, 3.

QVoniam speculatores domui Israël positi sumus, in alto positi magis à circunstantibus & longè positis inspicimur & discutimur, quàm si in loco humili positi nostræ tantùm saluti & priuatis vtilitatibus nostris sollicitudinem nostram impendere studeremus. Vnde oportet vt in omnibus dispensationibus nostris simpliciter incedamus, & scandala fratrum præ cæteris cauere procuremus. Si enim sicut Apostolus monet, bonum nos habere oportet testimonium ab his qui foris sunt, quanto magis ab his qui domesticam conuersationem nostram sciunt, & quibus voluerint reuelare pudenda nostra magis quàm velare, in aliquo à nobis offensi parati sunt? Quod ideò dilectioni vestræ commemoro, vt iniurias domni Hugonis Maidunensis, sicut ipse dicit, hactenus neglectas zelo dilectionis paternæ attendatis: & quod verbo vel lingua corrigi non potest, seueritatis baculo feriatis. Nec enim decet honestatem vestram esse oblitam, qualiter vobis (sicut ipse commemorat) in omnibus necessitatibus vestris adiutor & propugnator adstiterit; qualiter de incommodis vestris sicut de suis doluerit: ne ingratum fuisse beneficiis eius vobis forsitan sit incommodum, & aliis in exemplum. Caritate itaque suadente excellentiam vestram moneo, vt quod hactenus erga nobilem virum minùs sollicitè fecistis, de cætero diligentiùs implere studeatis: ne si ad maiorem audientiam clamor eius peruenerit, & famæ vestræ incurratis dispendium, & rerum vestrarum non sine corporis vestri vexatione detrimentum. Valete.

1. Tim. 3.

EPISTOLA CLIII.

** Gulielmo Dei gratia Rotomagensium Archiepiscopo, & * Gilberto Ebrocensium Episcopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, abundare spiritu consilij & fortitudinis.*

* al. Vvillelmo
* al. Gisleberto. ita ms. C.

QVoniam pro domo Dei stare, & murum pro domo Israël ponere cœpistis, sollicitudini vestræ summoperè cauendum est, vt sartago quæ feruere cœpit, ferrea fortitudine nullis ignibus cedat, sed zelus domus Dei & amor decoris eius de die in diem in mentibus vestris & vehementiùs exardescat. Quod ideò sanctitati vestrę commemoro, vt quod de Luxouiensi Ecclesia benè incœpistis, meliore exitu terminare studeatis, vt caudam hostiæ cum capite immoletis. Audiuimus enim & dolemus, quòd stercora * quæ de prædicta Dei domo vestro fuerant labore emundata, multiplicato nequam spirituum numero in eandē sint reportata, & ipsa domus grauiori errore quàm priùs infecta. Quam domus Dei iniuriam si non vt decet animaduerteritis, si non pro persona quam portatis correxeritis, certum nobis est quia cùm iste fœdus & fœtidus rumor apostolicas aures vel nostra vel aliena relatione percusserit, nec præterita neglecta remittentur, & hæc grauiter exigentur. Ideò dum tempus est præmonemus dilectionem vestram, vt suo tempore libera fronte possimus famā vestram excusare, & apostolicas aures opportunè pro vobis & importunè pulsare. Cùm enim in ipsa infantia mundi in Lamech carnalis bigamia sit culpata, quomodo poterit in sponsa Christi quæ est Ecclesia *, laudari, quæ & sacramento & in veritate sacramenti vni debet viro desponsari? Eliminetur ergo de Luxouiensi Ecclesia * Ranulfus Dunelmensis Episcopus, vt digamia non admittatur: eliminentur pueri eius, vt neophytorum hæresis extirpetur. Non ignorantibus legem loquimur, sed caritatiuè vos monemus, vt vestræ consulatis honestati & Ecclesiæ vtilitati. Valete.

Leuit. 3.
* spurcitia dicitur epist. 149.
* vt epist. 154.
* al. Rannulfus. de quo epist. 154.

EPISTOLA CLIV.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ humilis minister, Roberto Comiti Mellentino, per viam vitæ incedere & ab ea non recedere.

QVoniam ad ouile nobis commissum pertinere te credimus, licèt lætis pascuis abundes, nostrum tamen est aliquod sacræ admonitionis tibi pabulum ministrare, & aduersus lupos inuisibiles tuam dilectionem prçmunire. Cùm enim gratiam inueneris in conspectu Regis Anglorum, testantur multæ Ecclesiasticæ personæ quòd plus ei placere studeas quam Regi Angelorum *. Non tamen culpamus ei placere in his quæ Deo non displicent: sed si quid molitur regia potestas aduersus Dominum & Christum eius, & Eccle-

* al. nec.

ſiam eius, in mente habere debes quia Chriſti ſanguine redemptus es, quia legibus Chriſti initiatus, per ſacramenta Eccleſiæ regeneratus * es, & illius es liber qui pro te ſe ſeruū fecit, vt libertas tua nihil ſe debere intelligat alicui, quo diuinam offendat maieſtatem, & Eccleſiæ minuat libertatem. Quod ideò ſuademus nobilitati tuæ, vt prædictum Regem ſanis conſiliis informes, & leges Eccleſiaſticas à ſanctis patribus traditas, & à Catholicis Regibus confirmatas in nullo conturbes. Quę enim ratio, quæ lex permittit, vt Rannulfus * Dunelmenſis Epiſcopus de Eccleſia alterius regni ad aliam Eccleſiam tranſeat, & velut quadam mæchatione præſentiæ ſuæ *, vel filiorum ſuorum occupatione, Luxouienſem Eccleſiam per violentiam Anglici regis inuadat? Quod facere vel tolerare, & contra legem eſt, & contra Regem: quia non eſt hoc hoc populo regimen præbere, ſed diſcrimen augere. Quantum ergo ex tua ſententia pendet eius conſilium, ſuade ei, vt Eccleſiam Dei quantum in ſe eſt liberet, nec de peccatis alienis ſua multiplicet. Vnde illi qui de aduentu eius ad has partes bona * ſenſerunt & bona prædixerunt, velint nolint mutent ſerenitatem laudis in nubilum vituperationis. Non enim ad hoc inſtituuntur Reges, vt leges frangant: ſed diſtortores legum gladio, ſi aliter corrigi non poſſunt, feriant. Vale.

* renatus, ms. 6.

* coniungenda epiſt. 153. & 157. & 185.

* veſtræ, ms. 6.

* al. ſentiebant.

EPISTOLA CLV.

Iuo Dei gratia Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, Odoni Aurelianenſi Archidiacono ſalutem.

IN litteris tuis ſciſcitata eſt fraternitas tua, vtrùm mulier prægnans de fornicatione, poſſit legitimè nubere: ad quod principaliter ex ſententia facilè reſponderi non poteſt; ſed quid in huiuſmodi obſeruandum ſit, ex ſimilibus ratiocinando ab his qui non plus ſapiunt quàm oportet, colligi poteſt. Qua in re ex ratione qua præditus es conſiderare te oportet, quia alia eſt medicina quæ congruit ſanis ad conſeruandam ſanitatem, alia quæ debetur ægrotis ad recuperandam ſoſpitatem: quid ſecundum imperium præcipiatur ſanis, quid ſecundum indulgentiam concedatur infirmis. Secundùm imperium quidem naturale & inſtitutum nulla mulier ſiue ex flagitio, ſiue ex matrimonio prægnans ante ablactationem ſui partus debet viro carnaliter commiſceri, ſine qui * non complentur iura matrimonij. Si autem moderationem apoſtolicam attendamus, qua dicitur: *vnuſquiſque vir habeat vxorem ſuam propter fornicationem, & vnaquaque mulier ſuum virum*; non excipiemus viduam, non excipiemus prægnantem, non excipiemus fornicariam, non excipiemus inceſtuoſam; tantùm * vt in Domino ſit, id eſt vt ipſum per ſe coniugium non ſit flagitioſum aut facinoroſum. Nec inde culpandus eſt vir, qui fornicariam duxit, ſed inde laudandus quòd impudicam caſtam fecit. Vnde Hieronymus ſuper Oſee lib. 1. *non eſt culpandus Oſee propheta, ſi meretricem quam duxit, ad pudicitiam conuerterit: ſed potiùs laudandus quòd ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet, polluitur, ſi ſocietur malo: ſed qui malus eſt in bonum vertitur, ſi boni exempla ſectetur.* Ex quo intelligimus non prophetam perdidiſſe

Aut refer epiſt. 16. & 47.

* quibus. ms. c.

1. Cor. 7.

* vt abeſt ab aliquot v. 6.

Refertur in c. 14. cau. 32. q. 1.

pudicitiam fornicariæ copulatum, ſed fornicariam aſſumpſiſſe pudicitiam quam antea non habebat. Quòd ſi cauſantur viri mulieres ſuas ante coniugiū fuiſſe fornicatas, attendant & ipſi forſitan ſe incidiſſe in crimen fornicationis vel adulterij. Quod ergo vult ſibi à muliere indulgeri, cur non & ipſe mulieri indulgebit *? Vnde Hieronymus ad Oceanum de morte Fabiolæ *: *Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris: eadem enim ſeruitus pari conditione tenetur.* Item Auguſtinus de adulterinis coniugiis: *Non erit * turpis neque difficilis & poſt parata atque purgata adulteria remiſſio peccatorum, non vt poſt viri diuortium adultera renocetur, ſed vt poſt Chriſti conſortiū adultera non vocetur.* Si ergo hoc fieri licet, de ea quæ fœdus cōiugale violauit, cur non fieri magis liceat de ea quæ in fœdus matrimonij quod nondum inierat nihil deliquit? Attendant etiam viri huiuſmodi calumnias inferentes, quod dicit Auguſtinus in libro de verbis Domini *: *Si ducturi eſtis vxores, ſeruate vos vxoribus veſtris: quales vultis eas ad vos venire, tales debent vos & ipſæ inuenire. Quis iuuenis eſt, qui non velit ducere caſtam vxorem? & ſi virginem ducturus eſt, quis non intactam deſideret? Intactam quæris? intactus eſto. Puram quæris? noli eſſe impurus. Non enim illa poteſt, & tu non potes.* Ex his ergo & ſimilibus intelligi & probari poteſt, quia ſi alligatus non eſſes vxori, poſſes deliberare: ſed poſtquam ex pari conſenſu alligatus es vxori, non debes quærere ſolutionem. Ita enim ab ipſa mundi creatione * naturale & inuiolabile manet coniugij ſacramentum: vt nec præuaricatio originalis illud abſtulerit, nec diluuij ſentētia crimina diluens immutauerit. Quod ergo diuina ſententia ſanxit, & immutabile fieri voluit, non debet humano interdicto diſiungi, niſi fuerit abſque contrahentium factum conſenſu, aut per ſe criminoſum, id eſt adulterinum *, aut inceſtuoſum. Quod cùm euenerit, non eſt differendum, ſed ſeparatione ſanandum. Vbi verò iſta defuerint, ſiue ſint raptores, ſiue excommunicati, ſiue quolibet alio vitio coniuges infecti, tamen hæc omnia toleranda ſunt pro conſeruanda fide coniugij. Quis enim in circunciſione vel in præputio coactus eſt à prædicatoribus noui teſtamenti vxorem quam habuit ante baptiſmum, dimittere poſt baptiſmum? Nec tamen dico, quòd contra interdicta copulanda ſint coniugia: ſed ſi copulata ſunt, propter has cauſa non eſſe diſiungenda. Qui autem contra interdicta talia coniugia cōtraxerint, vel presbyteri qui ea conſecrauerint, pro inobedientia ſua digna ſatiſfactione ad arbitrium Iudicis ſui corrigantur, vt cęteri à tali temeritate compeſcantur: coniugia verò niſi cauſa legibus cognita minimè ſoluantur. Sicut enim ſacramentum ordinationis quamuis ab ordinatoribus ordinationem illicitè vſurpantibus ſemel acceptum manet in ordinatis: ſic ſacramentum coniugij quamuis ab inobedientibus presbyteris impoſitum, manet in coniugatis. quia virtutem ſacramentorum caſſare non poſſunt praua merita vſurpatorum. Semper ergo ſanctitas eorum eſt honoranda, vſurpantium verò peruerſitas punienda. Sic thuribula Core, quia eis ante Deum miniſtratum eſt, iubente Deo altari appoſita ſunt: factores verò eius igne conſumpti ſunt. Prolixitatem vitans epiſtolæ non fui auſus plura inſerere paginæ,

* al. indulgeat.

* in ca. 20. cau. 32. q. 5.

* cit. 8. cau. 32. q. 1.

* Sermo. 46. & in ca. 2. cau. 32. q. 6.

* al. origine ita ms. c. vel conditione.

* vel.

Num. 16.

quia nolui fraternitatem tuam rerum tibi benè notarum multitudine onerare. Potes tamen ex his paucis intelligere quid de prætaxatis sentiam, & quid aliis ad hæc interrogata respondeam. Vale.

EPISTOLA CLVI.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister dilecto sibi in Christo fratri * Olrico salutem.* *al. Alrico.

IN litteris tuis cõtinetur facinorosum quendam cuiusdã vicini sui domum succendisse, & ideò cùm satisfacere nollet, à presbytero suo excommunicatum fuisse. Qui postea cum vellet absolui,* secretò crimen suum confessus est presbytero suo, cùm nihil restituere vellet de re perdita proximo suo. Quærit ergo fraternitas tua, quid mihi faciendum presbytero eius excommunicatori videatur, cùm ipse excommunicatus ecclesiam ingrediatur, vtrùm sit à communione publicè repellendus, an aliqua dissimulatione tolerandus. Quo in negocio quædam sententiæ sibi repugnare videntur, * nisi solerti discretionis libratione pensentur. Primò quia presbyter peccantem absoluere non potest, nisi pœnitentem, secũdum quod beatus * Augustinus scribit ad Armentarium & Paulinam: *Si res propter quam peccatum est, cùm reddi potest, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum, si tamen, vt dixi, restitui potest.* * Sunt & aliæ canonicæ sententiæ, sicut ipse nosti, quæ cum excommunicatis orare, vel cibum sumere, vel eis aue dicere, terribiliter contradicunt. Sunt & aliæ quæ confitentium secreta publicare nõ permittunt. Vnde habetur in Concilio Agatensi, capitulo viij. *Si tantùm Episcopus* * *alieni se sceleris conscium nouit, quandiu probare non potest nihil proferat, sed cum reo ad compunctionem cordis, secretis correptionibus elaboret. Qui si correptus pertinacior fuerit, & communioni publicæ se ingesserit, ille quamdiu probari nihil potest in communione* * *omnium, præterquam illius qui cum reum iudicat, permaneat.* In conclusione huius sententiæ, solus excommunicator rei, à communione eius quem excommunicauit, excipi non præcipitur sed excipiendo permittitur abstinere, quia exceptiones non solent esse regulæ sed permissiones. Est & alia sententia, quæ non tantùm secretam confessionem publicandam vetat, sed etiam * publicanti pœnam irrogat. Continetur enim in Concilio Carthaginensi cap. vij. cui interfuit * Faustinus Romanæ Ecclesiæ legatus. *Placuit vt si quando dicit Episcopus aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet Episcopus ad suam iniuriam pertinere quod sibi soli non creditur. & si scrupulo propriæ conscientiæ dicit se ei nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicauerit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis: vt magis caueat Episcopus, ne dicat in quemquam quod alius documentis conuincere non potest.* Vnde Augustinus ad Vincentium: *Facta nocentium quæ innocentibus demonstrari, vel ab innocentibus credi non possunt, non inquinant quemquam, si propter innocentes etiam cognita sustinentur. non enim propter malos deserendi sunt boni, sed propter bonos tolerandi sunt mali: sicut tolerauerunt prophetæ, contra quos tanta dicebant, nec communionem sacramentorum illius populi relinquebant. sicut ipse Dominus nocentem Iudam vsque ad condignum eius exitum tolerauit, & eum sacram cœnam cum innocentibus communicare permisit: sicut tolerauerunt Apostoli eos qui per inuidiam,* * *quod ipsius diaboli vitium est, Christum annunciabant.* Ne istæ ergo sententiæ dissonare videantur, sic modificandæ sunt, vt quæ de vitãda malorum communione loquuntur, de illis tantùm nocentibus intelligãtur, quorum facinora aut ita nota sunt vt probatione non egeant, aut quæ confessione euidenti manifesta sunt, aut iudiciario ordine publicata, aut sufficientibus testimoniis comprobata. Vnde etiam Augustinus de vnico baptismo lib. 2. *Sanè si Iudex es, si iudicandi potestatem accepisti* * *ex ecclesiastica regula, si apud te reus accusatur, si veris documentis testibusque conuincitur, coërce, corripe, excommunica.* Idem in Sermone de verbis Euangelij * *à malis corde semper disiungimini, ad tempus caute corpore copulamini.* Idem de eodem: * *Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis, sed contactu cordis non corporis: displicuit tibi quod quis* * *peccauit, non tetigisti immundum redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam, si res exegit congruam, & quæ vnitatem non violet, disciplinam, existi inde.* Possemus in hunc modum * plura colligere: sed ex iis & similibus intelligere potest dilectio tua, quia peccantem peccata sua secretò confitentem non debemus à nostra communione corporaliter separare, nec contactu cordis eius prauitati communicare. Hoc tenore vtramque sententiam seruabimus, & illam quã præcipimur excommunicatis non communicare, & illam qua iubemur confitentium crimina non propalare. Debent tamen presbyteri non designatis personis plebibus prædicare, taliter excommunicatos ante tribunal Iudicis cuncta cernentis esse damnatos, qui contra præceptum Dei proximo nocuerunt, & rem eius insatiabili cupiditate in suos vsus transtulerunt, aut diabolica malignitate de medio abstulerunt. Sic Dominus discipulis dicens, *vnus ex vobis diabolus est*, non designata persona Iudam & excommunicatum prædicebat: & tamen eum à communione sua suorumque minimè sequestrabat. Cum igitur vita Domini Iesu disciplina sit morum: perfectus erit quisque dicente Domino, si sit, sicut magister eius. Hæc de proposita quæstione sentio: sic ista quærentibus ex ratione & auctoritate respondeo. Vale.

Marginal notes: *al. secretè factum suũ. | *al. nisi sollicitæ disc. | epist. 54. ad Macedon. & in ca. si res cau. 14. q. 6. | *ca. excommunicatos. cau. 11. q. 3. | 2. Cor. 6. | 2. Ioan. 1. | *aliàs alicuius se sceleris. | *al. tam omnium quàm illius qui eum. | *al. publicã pœnam. | *al. Faustinus in ca. 3. cau 6. q. 2. | Epist. 48. in ca. 10. quàm magnum. cau 23. q. 4. | *al. quod ipsius diaboli merum est. | *al. ex Euang. regula. al. ex Apostolica reg. | *ca. 8. cau. 23. q. 4. | *sermone 18 de ver. Domini. | *quisque, mis. c. | *al. multa.

EPISTOLA CLVII.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, debitum cum omni subiectione famulatum.

CVm status ecclesiæ penè vbique terrarum ruinas lamentabiles patiatur, quisque dilector domus Dei, dehonestationes eiusdem domus quanto viciniùs sentit, tanto vberiùs plangit; quoniam & ignis viciniora comburit. Quod idcirco maiestati vestræ prælibauimus, quoniam cùm in aliis locis vnusquisque domus Dei prostitutor malitiam suam aliquo velamine tegere moliatur, in terra Normannorum ita manifestè prostituta est ecclesia, vt de ea illud propheticum dici possit: *peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderũt.* Quod in ecclesia Luxouiensi paternitas vestra poterit agnoscere, quam iam per plures annos Ran- Esaiæ 3.

al. cognomine Lanus meminit ep. 153. & 154. in qua hos pueros vocat flammigeros. nulfus agnomine Flammardus, Dunelmensis Episcopus inaudito inuasionis genere occupauit, qui duos filios suos vix duodennes accepto pastorali baculo à Comite Normannorum prædictæ Ecclesiæ intrudi fecit, ea conditione, vt si primogenitus moreretur, Iudaico more in Episcopatum alter* alteri subrogaretur. *adi Gratia. cau. 8. q. 1 Quod cum partim dolentibus partim deridentibus plurimis diu perpessa esset Ecclesia, monitu quorundam religiosorum grauiter redargui solo caritatis intuitu Rotomagensem Archiepiscopum*, *confer epist. 149 & 153. ad cuius diœcesim pertinet prætaxata Ecclesia, quòd ex aduerso non staret, quòd pro domo Israël murum non opponeret. Hoc idem feci aliis Episcopis eiusdem metropolitani suffraganeis. Tandem cum Comes terræ illius periculo amittendi principatus sui vrgeretur, quasi pœnitentia ductus monente Ebroicensi Episcopo cum metropolitano suo præcepit, vt prędictus Dunelmensis Episcopus de Ecclesia cum sua sobole ejiceretur & Episcopus ibi canonicè eligeretur. Oblatum est igitur prædictæ Ecclesiæ, vt secundum morem Ecclesiasticum Episcopum sibi eligerent: qui communicato cùm Episcopis consilio elegerunt virum strenuum Gulielmum Ebroicensem Archidiaconum, quem etiam à metropolitano suo postulauerunt sibi ordinari Episcopum. Sed cùm subauditum esset quòd metropolitanus ab officio Episcopali suspensus esset, prædictus Archidiaconus, quia familiaris meus erat, & nihil aduersus canones sciés præsumere volebat, ad me veniens mecum deliberauit, vtrùm cum hoc scrupulo posset à metropolitano suo sacram ordinationem suscipere, vel à suffraganeis quibus auctoritas metropolitana solet ista præcipere. In qua deliberatione cùm mihi occurreret illud apostoli: Rom. 14. *omne quod non est ex fide, peccatum est*: & illud Augustini: *quia consecratio magis constat in fide, & deuotione benedictionem poscentis, quàm in merito benedictionem dantis*: Confer epist. 73. prædicto fratri consilium dedi, vt tantum sacramentum nulla cum disceptatione susciperet, sed apostolicam sedem aut per se, aut per legatos suos consuleret, & rem, quantum nobis videbatur, benè inceptam auctoritate apostolica perficeret. Videns itaque Dunelmensis Episcopus consecrationem differri, aliud tergiuersationis genus arripuit, & prædictum Episcopatum cuidam clerico suo à Comite Normannorum datum esse asseruit. Vnde ille clericus ad sedem metropolitanam vocatus est, vt proferret si quid iuris se habere in Episcopatu confideret: qui nulla ratione potuit asserere, quòd electionem cleri aut consensum plebis habuisset, aut etiam donum Comitis, quod plus obesse quàm prodesse debuerat, accepisset. Consilio itaque nostro & quorundam comprouincialium suorum maiestatis vestræ præsentiam adiit, accepturus aut iustum pro ratione iudicium, aut necessarium pro dispensatione consilium. Ausu igitur familiaritatis filialis suggero sanctitati vestræ, quatinus apud maiestatem vestram gaudeat se inuenisse paternum suffragium, quæ nulli consueuit ad se confugienti denegare medicinale remedium. Vale.

EPISTOLA CLVIII.

Hugoni Dei gratia Lugdunensis Ecclesiæ primæ sedis Episcopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem & seruitium.

QVia Deo annuente sategimus cum Rege Francorum, & filio eius Rege designato, vt iam displiceat eis incestum coniugium, quod est inter Constantiam filiam prędicti Regis, & Comitem Trecassinum: fulti auctoritate legum, & adiutorio bonorum cupiunt huius coniugij maturare diuortium. Dum ergo hæc voluntas ita* feruens est, *quidam codd. ita recens est. eorum instinctu moneo & rogo paternitatem vestra, vt commonitorias litteras mittatis Archiepiscopis & Episcopis ad Curiam quæ habenda est in Natale Domini Suessionis: quatinus à Rege ipso audiant computationem* genealogiæ, *ita v. c. vt etiam paullo post malè anteà, copulatione gen. quam ipse sicut dicit paratus est iureiurando approbare, & idoneis testibus confirmare. Et quia hæc genealogia ab Aruernensibus* *al multoties. multotiens est vobis computata: obnixè precantur, vt eandem computationem litteris apertè signatis per præsentium portitorem Episcopis ad Curiam transmittatis, & rei veritatem litterarum testimonio manifestiorem faciatis. Nec enim decens est, vt tantæ nobilitatis sanguis tam publico* incestu *al. incesto. diutius polluatur, & ad similem incestum perpetrandum ferali exemplo carnalium voluntas animetur. Consulo itaque vt filius & familiaris, vt qui importunè instare* deberetis, *al. debetis. nunc opportunè quantum in vobis est malagma vulneri superponere minimè differatis. Valete.

EPISTOLA CLIX.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, per mare huius mundi prosperè nauigare, & post superata naufragia nauem in tuto collocare.

QVoniam iudicia Romanæ Ecclesiæ à nemine foris retractari posse*, *ca. patet. & nemo. c. ipsi ca. cuncta. cau. 9. q. 3. eadem Romana Ecclesia docente didicimus: siqui aliquando se prægrauatos ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, vt non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant: & inde expetant leuamen, vnde se conqueruntur accepisse grauamen: quia quæ aliquando corripit paterna seueritate, eadem frequenter colligit materna pietate. Quod ideò prælibauimus beatitudini vestræ, vt causam Fossatensium monachorum patienter audiatis, & quantum salua apostolica reuerentia fieri potest, anxietatem eorum misericorditer releuetis. Conqueruntur enim se in Concilio Turonensi fuisse prægrauatos quoniam ad suggestionem Comitis Andegauensis dicunt fuisse subreptum Domno Papæ Vrbano monasterium sancti Mauri situm in patria Andegauensi, quòd sub iure Fossatensis monasterij anteà per trecentos aut eo amplius annos extiterat, de eiusdem monasterij iure auferret, & ordinato ibi abbate liberum esse constitueret. Quod & factum est Fossatensibus monachis ius suum reclamantibus, & multis qui Concilio intererant, aliter sentientibus: cùm viderent priuilegium quo nitebantur Fossatenses monachi de mani-

bus eorum ab Andegauensibus fuisse ereptum, & in plures partes fuisse conscissum. Adhibitis ergo multorum intercessionibus supplicant prædicti monachi, vt eorum negocium à maiestate vestra legitima discussione retractetur, & vel misericordia flectente, vel iustitia dictante terminetur. Val.

EPISTOLA CLX.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister. † *O.* * *Gemietensis monasterij Abbati paterna dilectionis visceribus abundare.*

† Odoni. * in aliquot v. c. Gemeticensis.

HÆc ouis gregis vobis commissi derelicto grege suo luporum morsibus patens miserabiliter per huius mundi deserta vagatur, & multa ex eiusdem mundi conuersatione bella perpetitur; intantum vt penè vsque ad contemptum sui ordinis & monastici habitus venire cogatur. Hæc itaque iam panem desiderans filiorum, sicut voto, sic voce dicit: *Vadam ad patrem meum*, sed clausa se dicit inuenisse paterna viscera, vt nec inter filios recipi possit, nec inter mercenarios. Nouit autem fraternitas vestra, quia quicunque pastoris nomen habet, imitando summum pastorem, pastoris officium implere debet, qui oues quæsiuit errantes, inuenit perditas, curauit languidas, sanauit morbidas, lætatur de conuersis, qui dolere nos admonet de auersis. Non equidem ista dicendo vos docemus, sed commemorando per ipsa viscera caritatis, quibus nos inuicem diligere debemus, vos monemus & rogamus, vt hunc fratrem * reuertentem, de longinqua regione dissimilitudinis paternè suscipiatis, & cum satisfactione quæ eius excessibus debetur, intra ouile à quo aberrauerat colligatis. Val.

Luc. 15.

* confer epist. 57.

EPISTOLA CLXI.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, Radulfo Remensis Ecclesiæ Præposito, & Odolrico bonæ spei fratri salutem.

DE viro qui cum muliere, cuius nuptiæ interdictæ non erant, pactum iniit coniugale, postea verò ad alterius nuptias * transiit, hoc sentio: quia sacramentum nuptiarum quod cum periurio & pacti coniugalis violatione vsurpatum est, aut esse irritum, aut manere ad iudicium. Si irritum est, ad prius pactum constat esse redeundum: si autem manet ad iudicium, cessare debent opera nuptiarum. Quòd si neutrum fecerit, semper iuris peruasor erit alieni. Qui enim iuramento pactum coniugale firmauit, ex maiori parte sacramentum coniugale impleuit. Vnde & beatam domini matrem, quæ cum sancto Ioseph pactum coniugale inierat, Angelus coniugem Ioseph appellat: *noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, quam nondum traduxerat, nec aliquando carnali commixtione cogniturus erat. Super qua re multa patrum dedimus testimonia in * epistola Hildeberto Cenomanensi Episcopo missa. Est autem canonica sententia quia *quod contra leges præsumitur, per leges dissolui meretur:* veluti si quis contra decreta sacerdotij sacramentum sibi vsurpet, aut est omnino per leges deponendus, aut à ministerio altari suspendendus. Quibus auctoritatibus & rationibus liquet, quia non debet præponderare quod illicitè & cum iniuria proximi præsumptum est, sed id quod legitimè & honestè consensu contrahentium priùs confœderatum est: quamuis si alterum præponderaret, cùm vtrobique crimen sit, periculosè tamen secundùm scripturas illa admittitur compensatio*, quæ crimen crimine defendit. Nec enim in scriptura sacra laudatur, quòd Loth voluit Sodomitis filias suas prostituere, vt ea compensatione compescerentur à sua turpitudine. Si ergo aliqua compensatio in talibus admittenda est, ea est præferenda quæ iusta seueritate saluti proximorum consulit, non ea quæ simulata indulgentia latiorem viam ad patranda periuria, ad committenda scelera lubricis pandit *. Tutius enim est vnius iuris alieni peruasoris voluntati non parcere, quàm multos falsæ misericordiæ exemplo in discrimen adducere. Præterea de sacramentis minoribus ad maiora nisi ordinabiliter transiri non oportet: quia desponsata alteri, alteri nubere non debet; sicut coniugatus nisi à coniugio solutus, consecrari Presbyter, aut monachus ordinari non potest: & in hunc modum plurima. Vale.

* confer epist. 167.

Matth. 1.

* epist. 148.

* S. August. in ca. quod ait dist. 14.

Genes. 19.

* epist. 155. & epist. 170. item c. disciplina, & c. sunt namque. dist. 45.

EPISTOLA CLXII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, Ioanni eadem gratia Aurelianensi Episcopo salutem.

DE Presbytero qui in statua fœminea sacramenta Ecclesiastica profanauit, breuiter respondeo, quia vt sacrilegus & idolatra iudicandus est. Quem si tractare vultis secundùm censuram canonicam, oportet vt adhibitis vobis aliis quinque Episcopis publicè detractis sacerdotalibus indumentis per singulos * eum gradus deponatis, & depositum perpetuo carcere damnetis, aut in æternum exilium detrudatis. Quòd si id facere vobis fuerit difficile, tamen ab omni honore clericali eum suspendite, & cætera quæ suprà dicta sunt ad cæterorum correptionem * in persona eius perficite. Quòd verò merito sacrilegij sui deponendus sit, testatur decretalis sententia, qua dicitur *: *priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.* Quòd verò à conspectu eorum qui scelus eius cognouerunt remouendus sit, ne fœda facti memoria simplicium mentes perturbet, hinc probari potest: quòd pecus innocens quod à bestialibus hominibus ascendebatur, secundùm legem * occidi iubebatur, non propter crimen subacti pecoris, sed propter abolendam memoriam tam execrabilis fœditatis. Quanto magis ergo ab oculis conscientiorum remouendus est, quem nulla defendit innocentia nulla excusat ignorantia. Vt ergo ad summam veniam, hoc inauditum sacrilegium prudentia vestra tanta seueritate coërceat, vt omnes qui audierint, à tam execrabili abusione remoueat. Sicut enim crimen est inauditum, sic, si necesse sit, inaudita pœna est corrigendum: quia secundum beatum Augustinum *, noua genera morborum cogunt nos inuenire noua genera curationum. Val.

* vide cap. 27. nouimus extra de ver. signif.

* al. correctionem.

* al. quod dicit. Can. post ea quam ca. 25. q. 2. & c. vbi ista. 8. dist. 74.

* ca. 19 Leuitici August. q. 74. ad c. 20. Leuit.

* citat paullò aliter epist. 288.

EPISTOLA CLXIII.

Iuo Dei gratia Ecclesiæ Carnotensis minister, Gaufrido Vindocinensis monasterij Abbati, in omnibus libram tenere iustitiæ.

DE monacho illo quem iuramento constrinxisti, ne vltrà illam administraret

obedientiam quam aliquandiu sibi vsurpauerat per inobedientiam, consilium meum est vt vlterius eam non habeat, quod & illi esset criminosum & cæteris fratribus ruinosum. Cum enim iuramentum* comites habeat iustitiam & veritatem; si iustum fuit, quamuis contra ordinem præsumptum quod iurauit, oportet vt sit & verum. Testatur enim Apostolus iuramentum rem esse immobilem, per quod dicit Deum hæredibus noui testamenti immobilitatem sui pronuntiasse consilij. Præterea ad propriam redundaret infamiam, si palliata obedientia periuranti tuam adhiberes conniuentiam. Plura de his dicere possemus, quæ silentio præterimus, quia ignota tibi esse non credimus. Vale.

Hierem. 4. ** ex S. Hieronymo epist. 105.* *Hebr. 6.*

EPISTOLA CLXIV.

Iuo Dei gratia Ecclesiæ Carnotensis minister, Gaufrido sanctæ solitudinis cultori, irretortis oculis in anteriora se extendere.

QVàm delectabilis, quàm necessaria seruis Dei sit quies mentis cum quiete corporis, credo tam scientia quàm experientia didicit sancta fraternitas tua. Aliter enim mens discurrentium rumusculis & diffidentium obtrectationibus patens, perturbatas aut saucias habet orationes, nec se potest quantocunque suo conamine in vnitatem colligere, donec Dominus in naui dormiens tantis fluctibus circumacta intenso clamore suscitetur, quo increpante redeat desiderata tranquillitas. Vnde oportet vt sancta fraternitas tua ab auditu auris & ab auditu cordis verba eorum repellat, qui sub specie diligentium & consulentium virus infundunt decipientium & perimentium. Quod ideò prælibaui fraternitati tuæ, quia nuper oblatę sunt mihi à quibusdã monachis Blesensibus quædam litteræ à te Mauricio Abbati directæ, quas vix possum credere à te fuisse dictatas, cùm non tranquillo spiritu, sed perturbato dictatæ esse videantur, & quasi ferro excusso de manubrio indiscretis ictibus, non lignum cædere, sed fratrem occidere. Videntur etiã nonnihil redolere vanitatis & ambitionis, quasi cum amore relictam Abbatiam tenueris, & cum dolore amiseris*. Dicis enim in litteris illis, si tamen tuæ sunt, prædictum Mauricium vtcumque loco tuo positum, impulsu malorum te esse eiectum, vilissimumque omnium factum, & ab iniquis eum tibi superinductum. Contra quem etiam minaciter loqueris, si in aliquo eum tuæ voluntati contrarie perspexeris. Si hæc verba tua sunt, longè extra te factus es. Non congruunt proposito tuo, non congruunt gestis tuis, qui in manu Romanæ Ecclesiæ legati nullo* te cogente, immò ipso legato dissuadente, Abbatiam dimisisti, & in electione ipsius Mauricij primam vocem dedisti. Redi ergo dilectissime ad cor tuum, & ne plus credas adulatori tuo, immò perturbatori tuo de te quàm tibi quia plus aliquando corrigunt nos inimici reprehendentes, quàm amici fallaciter blandientes iuuant. Nosti enim quia dicit sermo Apostolicus, *Pacem sequimini, sine qua nemo videbit Deum.* Pacem ergo nulla tibi auferat præteritarum iniuriarum recordatio. Nec tibi dolendum vel condolendum esse credas, quòd de naufragio nudus euasisti: sed illis potiùs condole quos adhuc vides in alto periclitari. Talem te hactenus intelleximus, talem te adhuc æstimamus: nisi simplicitatem tuam perturbatorum duplicitas moueat, & à tranquillitate mentis expellat. De cætero ergo si quid in Abbate, si quid in subiectis corrigendum cognoueris: mitioribus verbis fraternè admone, vt ædificationi studere videaris, non vindictæ. Si autem te non audierint, antequam aliqua dissentio oriatur, rem perperam factam ad notitiam nostram perferre stude: vt pacem monasteriis necessariam studeamus talibus monitionibus imponere. Vale.

Marc. 4. *Deuteron. c. 19.* ** confer epist. 208.* ** al. nullo tunc cog.* *Hebr. 12.*

EPISTOLA CLXV.

*Sansoni Dei gratia *Wigornensis Ecclesiæ Episcopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, benè valere, & in extremis maris habitare.*

** Vuigornensis, ms. c.*

QVamuis ad præsens lateres oculos meos, non tamen latebas animam meam: quia bonum odorem tui nominis de transmarinis partibus olfaciebam, &* olfactum intimè diligebam. Ad vltimum nunciauit oculus, sensit manus, quòd per auditum priùs senserat cordis odoratus. Et ita sensibus intus benè nunciantibus expertus sum tuam in me non tepuisse caritatem: quamuis mutuam ad plenum non habuissemus inter nos collocutionem. Præuenit itaque liberalitas tua* tarditatem meam, mittendo* calceamenta euangelica. quo munere erga me dilectionem tuam demonstrasti, & ad iniunctum mihi officium diligentiùs exequendum monuisti. Quod ergo ipse monuisti, remigantes per hoc mare spatiosum & vndosum porrigamus nobis inuicem mutuas orationum manus: quatinus & prosperè nauigemus, & in optato salutis portu naues nostro regimini commissas collocare valeamus. Hoc tuæ dilectioni pro paruitate nostra promittimus. hoc è conuerso à tua deuotione requirimus: nec vlla diligentium corda disiungat localis remotio, quos fraternæ dilectionis conglutinat affectio. Plura scriberem, sed verbis nisi necessariis nolo aures onerare prudentis. Vale.

** duo v. c. olefactum.* ** tuam.* ** al. calciamenta. sandalia apostolicis digna pedibus appellat epist. 207.*

EPISTOLA CLXVI.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, Humbaldo eadem gratia Autisiodorensis Ecclesiæ Episcopo salutem.

NOuerit dilectio vestra præterita æstate cùm Domnus* Bruno Signinus Episcopus Apostolica legatione fungeretur, Hugonem Album præsentiam eius adiisse, & qualiter Pontius nepos Trecensis Episcopi filiam suam nomine Matildem Galeranno camerario Regis priùs à parentibus* traditam renitentem & flentem in coniugium sibi vsurpauerit, sibi indicasse. Sed qui vtraque persona absens erat, iniunctum est à prætaxato legato, Parisiensi Episcopo, vt vtramque partem die competenti ad causam vocaret, & auditis vtriusque partis rationibus controuersiam quæ erat inter Pontium & prædictam Matildem prudentium virorum consilio & iudicio terminaret. Reuersus itaque Parisiensis Episcopus diem & locum Pontio & Matildi constituit,

** meminit epist. 167.* ** in hanc rem ca. desponsatas & c. Atho. cau. 27. q. 2.*

me & quosdam coëpiscopos suos ad discutiendam & terminandam hanc * rem caritatiuè inuitauit. Conuenerunt itaque Parisium die constituto ad causam accusatores & accusatus, testes & Iudices. Quæsitum est à prætaxata Matilde, quare coniugium Pontij refutaret. Quæ breuiter respondit, quòd non esset ei legitimè iuncta, quoniam priùs esset * Galeranno à parentibus tradita, & huic contradicens pro posse suo & flens nolente matre copulata. Cùm ergo oblatum esset Pontio, vt ad obiecta responderet, quærens quædam diuerticula, nihil ad obiecta respondit, sed à conuentu cui se præsentauerat, non satis aptè recessit. Mandatum est ei itaque semel & sæpiùs, vt vel ad obiecta responderet, vel iudicium audire non differret. Cùm ergo ita à iudicio declinaret, iudicatum est ei ex apostolico decreto, quòd dilationem sententiæ ex absentia lucrari non * deberet: exinde prolatis ex legum & canonum auctoritate sententiis: quia si testes mulieris aduersus Pontium agentis, datis sacramentis probare possent quòd mulier obiecerat, à coniugio Pontij libera esset, & cui vellet in Christo nubere posset. Iterū mandatum est Pontio, vt ad audiendum hæc sacramenta veniret, aut si quid legitimè personis testificantium, vel dictis eorum objicere posset, objiceret. Quod cùm vt cætera simplicitate * vel duplicitate sua subterfugeret, à decem viris vel eo amplius data & accepta sunt sacramenta, quibus probatum est, & mulierem priùs à parentibus alteri fuisse traditam, & Pontio sine sua voluntate copulatam. Negocio itaque diligenter pertractato & iudiciario ordine terminato, iudicauimus mulieri quòd esset libera à Pontij vt non dicam coniugio, sed contubernio, & quia nubere posset cui vellet in Domino. Hæc scripsimus sanctitati vestræ, quia prædictam mulierem quidam parochianus vester vult habere in coniugem: ne de præteritis nuptiis aliquod apud vos generetur scandalum, vel præsentibus aliquod ponatur offendiculum. Valete, & ex mutua dilectione paruitatis meæ * memor estote.

* causam.

* potest conferri epist. 247.

* ca. decreuimus, cau. 3. q. 9.

* al. vel calliditate, vide not.

* nostræ.

EPISTOLA CLXVII.

Hildeberto Dei gratia Cenomanensi Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem.

QVidam parochianus vester vulgari nomine * Petitus de rupibus, nuper causa orationis ad Ecclesiam nostram veniens petiuit colloquium nostrum. Qui inter cætera retulit nobis, quòd filiam suam cuidam alteri parochiano vestro de municipio quod Pontiacum dicitur, coniugali fœdere tradidit, & ille eam se ducturum in vxorem tempore sibi constituto absolutè iurauerit. Nunc verò aliam duxit vxorem contra pactum coniugale, quod legitimè cum alia muliere priùs inierat. Legitima enim sunt fœdera nuptiarum inter eas personas quarum nuptiæ interdictæ non sunt, cum filia familias à voluntate patris non dissentit. Hæc fœdera solui, & diuinæ leges prohibent & humanæ. Et si mulier ad alium virum transire voluerit, dicit canonica sententia, quia mulierem * alij desponsatam, alteri non licet habere in coniugium. E conuerso, Si vir aliud vult inire coniugium, legitur in lege Nouellarum *: *Si quis diuinis tactis scripturis mulieri iurauerit se eam legitimam vxorem habiturum, vel in oratorio tale sacramentum dederit, sit illa legitima vxor, quamuis nulla dos, nulla scriptura interposita sit.* Qui aliter facit, contra leges sapit: & secundum decretum apostolicum *, *quod contra leges præsumitur, per leges dissolui meretur.* Sic enim cùm præterita æstate Signinus * Episcopus apostolicæ sedis legatus apud nos esset, & similis causa ad nostras aures delata esset, prolatis legibus iustum esse iudicauimus & legitimum. Hæc scripsi dilectioni vestræ rogatus à prætaxato milite, vt pro eo apud vos interdicerem *, quamuis ei non esse necessarium persuadere satagerem. Benè enim sentimus de religione vestra: quia vbi eluxerit vobis vera & iusta sententia, non declinabitis à via regia. Val.

* ita omnes v c. anteà, Petrus.

Confer. epist. 161 & Can. quicunque. can. coniugali. & can. duobus modis, caus. 27. q. 2.

* al. alteri.

* Nouella 12. de Nup: & inca. 9. cau. 30. q. 5.

* cap. vides dist. 10.

* epist. 166.

* intercederem.

EPISTOLA CLXVIII.

Daimberto Dei gratia Senonensium Archiepiscopo, Iuo eadem Dei gratia Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem & seruitium.

QVoniam in quibusdam negociis aliqua dubia vel difficilia occurrunt, debemus inuicem manus auxilij vel munus consilij porrigere: seriem cuiusdam causæ quæ præterita æstate apud nos emersit, & adhuc serpit, congruum duxi paternitati vestræ significare *, cui hæc causa principaliter litteris apostolicis terminanda committitur: vt & vobis, & nobis, cui secundo loco committitur, benè prouideatis, quatenus nec obedientiam apostolicam contemnamus, nec aliquem iniustè prægrauemus. Erat enim quidam fundus in parochia nostra, cuius partem habebat quidam miles, & in ea domum suam separatim, & alius aliam, & in ea domum suam similiter separatim: pro huius fundi tuitione, vtrique seruiebant Vicecomiti Carnotensi. Hanc verò tuitionem cum seruitio dedit Vicecomes * cuidam militi suo in beneficium, domino videlicet Curuæuillæ. post non multum temporis emit Comes Rotrocus partem illius fundi quæ alodium erat: comportauit ibi aggerem, & fecit minutionem. Quod audiens Vicecomes quia * Hierusalem iturus erat, & Dominus Curueuillæ, clamorem fecerunt in auribus Ecclesiæ, vt iustitia eis fieret, quæ debebatur * Hierosolymitanis & paci. Constitutus est dies vtriq; parti ad agendam causam. cùm conuenissent, obiectum est à Vicecomite Comiti Rotroco, quòd iniustè & contra pacem ædificaret munitionem in fundo tuitionis suæ. Quo audito responsum est pro Rotroco, quòd fundus minimè pertineret ad tuitionem Vicecomitis, sed potiùs ad tuitionem Rotroci Comitis. Quæ altercatio cùm aliquandiu durasset, præcipimus iudicium fieri; iudicatumque est quia hæc causa sine monomachia terminari non poterat, & iudicium * sanguinis nobis agitare non licebat, vt * vtraque pars * irent in curiam Comitissæ, ad quam talia iudicia pertinebant, & de cuius feudo * ista tenebant. Sicut iudicatum erat, venerunt vtrique in curiam Comitissæ, & actionibus vtriq; ventilatis nescio quibus de causis Vicecomes à causa cecidit. Postea cœperunt Iuo Dominus Curuæuillæ, qui hoc beneficium se asserebat habere à Vicecomite, &

Coniunge epist. 169. & 170.

* al. notificare.

* Hugo ex epist. 169 & 173.

* al. Ierusalem.

* epist. 169. & 173.

* vide epist. 247.

* quidam. iret.

* al. fœdo.

* sic etiam loquitur ep. 20. Comes Rotrocus aduersum se * guerram facere, & alter alterius bona diripere. Et sicut varius est euentus belli, quadam die, cùm prædictus Iuo procederet armata manu ad nescio quæ negocia sua agenda, captus est à militibus Rotroci, & incarceratus. Præcipitur itaque vobis & nobis ex clamore Hugonis Vicecomitis ab Apostolica sede, vt pro debito officij nostri, Guidoni fraternarum rerum custodi, & Iuoni capto iustitiam faciamus. Perlectis ergo litteris Apostolicis diligenter notate verba, & secundùm ordinem rei gestæ & tenorem litterarum Apostolicarum prouidete vobis quo ordine causa sit agenda: vtrùm statim sit Rotrocus excommunicandus, an ad iudicium inuitandus. Quia quo ordine * præcedet & in (* al. præceperit.) actione causæ & in executione iustitiæ nobis prælata sublimitas eo sequetur pro posse subiecta nostra humilitas. Et si ad præsens non eluxerit vobis certa sententia, his qui in litteris nominati sunt locum & diem competentē constituite, & accusatores & accusatum ad eundem locum inuitate; vt præsentialiter audita & cognita veritate pleniùs possitis iustitiæ satisfacere. Quod ex his vobis meliùs visum fuerit, paruitati meæ rescribite. Valete.

EPISTOLA CLXIX.

*Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, * Galloni eadem gratia Parisiorum Episcopo salutem.* (* al. Guallo-ni.)

CVm Rotrocus Comes munitionem * ædificaret in quodam fundo parochiæ nostræ, quem sui iuris & suæ tuitionis esse defendit, Vicecomes verò Carnotensis, & Iuo Curuæuillæ dominus ad ius suum pertinere contendit; suggestum est domno Papæ sicut forsitan audiistis ab Hugone Vicecomite Hierosolymum tendente, quatinus super hac iniuria iustitiam faceret, & rem Hierosolymitani secundum sua statuta * defenderet. Cuius rei veritatem Papa ignorans scripsit nobis quatuor, Senonensi Archiepiscopo, Carnotensi, Parisiensi, Aurelianensi Episcopis, quatinus pro debito officij nostri iustitiam faciamus tam de fundi inuasione, quàm de Iuonis captione. Acceptis igitur litteris istis importunè exigunt à me Guido fraternarum rerum custos, & dominus Curuæuillæ, quatinus prędictum * Rotrocum sine audientia, sine iudicio excommunicem: cùm ipse Rotrocus paratum se dicat, vt ad audientiam domni metropolitani, vel nostram, vel comprouincialium Episcoporum, congruo tempore & loco veniat; & secundum iustum iudicium de obiectis satisfaciat. Ego itaque seruato legum tramite, nolo quemquam more sicariorum sine audientia punire: nolo sathanæ tradere, donec vel audientiam subterfugiat, vel iudicium contumaciter respuat. Consulatur super hoc Euangelium, consulantur leges diuinæ * & humanæ, si de re in contentione posita aliter aliqua lex fieri iusserit: postposita mea sententia libenter cedam alienæ. Nec aliter puto domnum Papam intellexisse, vbi pręcepit nos pro debito officij nostri prędictis petitoribus iustitiam facere. Hoc * tonitruo circumstrepente, quamuis non essem dubius de veritate, scripsi tamen metropolitano, ad quem iam litteræ Apostolicæ venerant; vt diligenter inspectis litteris Apostolicis, & intellecta rerum gestarum veritate quam ei conscripseram, consilium mihi daret, vtrùm prędictum Rotrocum deberem sine audientia excommunicare, an ad iudicium vocare. Ipse verò nescio quo instinctu, quo intellectu, rescripsit mihi vt litteris Apostolicis obedirem, & Rotrocum excommunicarem. Nec tamē determinauit iuxta inquisitionem meam, vtrùm hoc facere deberem cum audientia. Litteris itaque vestris petimus muniri sententiam nostram si iusta est, aut remoueri si iusta non est. Addimus etiam petitioni nostræ, si necesse fuerit, quatinus si fraternè inuitati fueritis, pręsentiam vestram nobis exhibeatis, & quod faciendum erit nobiscum faciatis. Valete. Vt meliùs eas intelligatis, exemplar litterarum Apostolicarum transmisi vobis.

(* al. faceret. confer epist. 168. & 170.) (* vide epist. 173.) (* al. Retrochum, vt etiam in seq.) (* vide canones cau. 3. q. 9.) (* al. tonitru.)

EPISTOLA CLXX.

Daimberto Dei gratia Senonensium Archiepiscopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, plenum debitæ subiectionis obsequium.

DE parochiano vestro qui maritum cuiusdam mulieris interfecit, & postea vxorem interfecti in vxorem duxit, hoc respondemus excellentiæ vestræ: quia si mulier conscientiam suam purgare potest de morte mariti, vir verò, sicut dicitis, purgare se potest legitimè quòd mulierem illam viuente viro non adulterauerit, nec spe huius coniugij virum huius mulieris interfecerit, secundum legem naturæ & antiquum coniugij statum, potest ei indulgētia quam clauis Apostolica viduis aperit, aperiri, videlicet vt cui velint nubant in * Christo. Sic enim Dauid, de quo dicitur, nemo sanctior Dauid, patrato adulterio & homicidio, postquam ei dictum est acta pœnitentia, dimissum est tibi peccatum tuum, Bersabee vxorem Vriæ retinuit in coniugium. Sed posteriorum diligentia experta procliue esse humanum genus ad lapsum, & quia in huiusmodi casibus vni parcere nihil aliud esset quàm multos in discrimen adducere, seuerissimè sanxit, vt nullum tale coniugium fieri inter huiusmodi personas permitteretur, nisi priùs vir & mulier innocentes esse ab adulterio & homicidio districta examinatione probarētur. Nos verò qui medici animarum constituti sumus, & saluti subditorum prouidere debemus, in nostra deliberatione positum habemus, vt secundùm ingruentes necessitates aut rigorem teneamus disciplinæ, aut moderationem indulgentiæ: quatinus fortes indulgentia non emolliat, nec infirmos nimia seueritas frangat. De cætero si relatum fuerit ad vos nos Rotrocum nondum excommunicasse, * sciatis nos non inobedienter fecisse, sed rationabili & legitima causa distulisse. quia pendente negocio quamlibet humilem personam lege prohibente excommunicare non audeo; nec Apostolicus cùm ad hanc excommunicationem nobis præsentibus multis persuasionibus vrgeretur, aliter fieri voluit: qui litteris suis nos qui vicini eramus admonuit vt rei veritatem inuestigaremus, & cognita veritate non sententiam præcipitaremus, sed sicut debet officium nostrum seruato legum tramite rebellium inobediētiam vlcisceremur. Accusatores verò Rotroci ad audientiam venire, & iustitiam suam probare dissimulāt, aut causæ diffi-

(* vt epist. 168 in quibusdam leg. in domino. vt etiam epist. 155.) (Reg. 2. c. 12.) (* confer epist. 169.)

dentes, aut præcipitem ſententiam à nobis extorquere molientes; cùm Rotrocus promittat ad audientiam veſtram vel noſtram ſe venturum, & quod lex & iuſtitia dictauerit ſe facturum. Nec iſta dico tanquam velim Rotrocum defendere, vel munitionem quam * facit mea ſententia confirmare; quæ nulli tantùm nocitura eſt quàm mihi, & eccleſiæ mihi commiſſæ. Volo tamen in eum ita ſententiam dare, vt poſſim eam moribus & legibus in omni bonorum conuentu approbare. Valete.

** epiſt. 168. & 169.173.*

EPISTOLA CLXXI.

Daimberto Dei gratia Senonenſium Archiepiſcopo, Iuo humilis Eccleſiæ Carnotenſis Miniſter, delectabiles exitus matutini & veſperæ.

In v. c. hoc argumentum præfigitur de impœnitente quem timor Regis cogit abſoluere.

SIcut ex litteris veſtris accepimus, vndique ſunt vobis anguſtiæ: quia ſi raptores & ſacrorum dierum violatores iuſtè à vobis à communione ſeparatos, ſine ſatisfactione in communionem recipitis, offenditis legem: ſi in ſeparatione eorum ab eccleſia ſicut dignum eſt, perſeueratis offenditis regem. * Qua in re ſi adeſſet nobis ſpiritus fortitudinis, ſicut adeſt ſpiritus conſilij, ſeueritatem diſciplinæ eſſe ſeruandam cenſeremus. Sed quia in hoc rigore grauium diſſentionum periculum imminere ſentitis, rem diſpenſatione egere intelligimus. Et ideò non conſilium noſtrum, ſed ſanctorũ Patrum ante oculos ponimus. Dicit enim Cyrillus Epiſcopus ad Gennadium presbyterum & archimandritam. * *Diſpenſationes rerum nonnunquam cogunt parum quid à debito quoſdam foras exire, vt maius aliquid lucri faciant. Sicut enim hi qui mare nauigant, tempeſtate vrgente, nauique periclitante quædam exonerant, vt cætera ſalua permaneant: ita & nos cùm non habemus ſaluandorum omnium negociorum penitus certitudinem, deſpicimus ex his quædam, ne cunctorum patiamur diſpendia.* Vnde & Auguſtin. in epiſtola *ad Marcellinum *Soleo audire in poteſtate eſſe iudicis mollire ſententiam, & mitius, * vindicare quam leges.* Idem in tertio libro contra epiſtolam Parmeniani. *Cum quiſque fratrum & Chriſtianorum in eccleſiæ ſocietate conſtitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc vbi periculum ſciſmatis * nullum eſt.* Item: *Quando cuiuſque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poßit ſciſma contingere, non dormiat ſeueritas diſciplinæ.* Et quia diſpenſationes rerum temporalium regibus attributæ ſunt, & baſilei id eſt fundamentum populi & caput exiſtunt; ſi aliquando poteſtate ſibi conceſſa abutuntur, non ſunt à nobis grauiter exaſperandi; ſed vbi ſacerdotum admonitionibus non adquieuerint, diuino iudicio ſunt reſeruandi: vbi tanto diſtrictiùs ſunt puniendi, quanto minùs fuerint diuinis admonitionibus obnoxij. * Vnde habetur in libro Capitulorum regalium auctoritate Epiſcoporum conſtitutorum: *Si quos culpatorum regia poteſtas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut menſa ſuæ participes effecerit; hos & ſacerdotum & populorum conuentus ſuſcipere eccleſiaſtica communione debebit; vt quod principalis pietas recipit, nec à ſacerdotibus Dei * extraneum habeatur.* Ego itaque de mea infirmitate paternitati veſtræ profiteor, quia ſi aliqua diſpenſatione faciente cogerer aliquem impœnitẽtem ad reconciliationem admittere, patenter dicerem ei; nolo te fallere: introitum huius viſibilis eccleſiæ cum tuo periculo te habere permitto, ſed ianuam regni cæleſtis tali reconciliatione tibi aperire non valeo. Et ideò in tantum te abſoluo, quantum tua expetit accuſatio, & ad nos pertinet remiſſio. Dicent forſitan fortiores fortiora, meliores meliora: ego pro mediocritate mea ſic ſentio, non legem in talibus præſcribens, ſed propter vitanda maiora pericula eccleſiæ, neceſſitati temporum, ſi commodiùs fieri non poteſt, cedendum eſſe intelligens. Valete.

** Confer epiſt. 137.*

** citat etiam epiſt. 224. & epiſt 144.*

** Auguſtin. epiſt 158.*

** al. iudicare. itams c. citat latiùs epiſt. 236.*

** al ſchiſmatis.*

** id iam retulit: epiſt. 62. & extat in Concilio Toletano 12. cap. 3.*

** alienum, dicta epiſt. 62.*

N. B.

EPISTOLA CLXXII.

Iuo Dei gratia Carnotenſis Eccleſiæ Miniſter, omnibus Eccleſiæ filiis tam præſentibus quam futuris.

QVod ad multorum notitiam peruenire congruum duximus, litterarum monimentis mandare prouida deliberatione decreuimus. Nouerit ergo præſens ætas omniumque ſequutura poſteritas, quòd Mauricius Bleſenſis cœnobij ſancti Launomari Abbas intra terminos cuiuſdam parochiæ ſuæ quæ dicitur Vlcha *, capellam quandam noſtra auctoritate munitus cœpit * ædificare: ad quam quidam parochiani, qui remoti erãt à matrice Eccleſia, ſuis temporibus debitas oblationes reddituri poſſent conuenire. Quod audiens Vindocinenſis Abbas, miſſo petitorio ad hoc canonicè improbandum, aduerſus monachos Bleſenſes diem ſibi dari poſtulauit, & ex condicto vtriuſque partis accepit: qui cùm die ſtatuto ad cauſam veniſſent, dixit Abbas Vindocinenſis, ſe oblationes parochianorum qui morantur in municipio, quod appellatur Mons Fauni, per viginti annos ferè tenuiſſe, nec alicui iuſtitiam denegaſſe, & idcirco monahcos Bleſenſes iniuſtè eas accepiſſe. Vnde etiam dicebat priùs ſe eſſe reueſtiendum, antequã tranſiret ad actionem aliarum cauſarum. A quo cùm quæreretur vtrùm habuiſſet eas ex conceſſione Carnotenſis Epiſcopi, an ex iure parochiani, an ex largitione alicuius legitimi poſſeſſoris, nihil objicere potuit niſi pertinaciam retentionis. Ad quod reſponderunt Bleſenſes monachi ſe ab illis parochianis omnia parochialia accepiſſe, & illam partem oblationum quam ſibi Vindocinenſes monachi vſurpauerant, violentia Lancelini Balgenciacenſis * occupaſſe: nec tamen eas ipſis viginti annis in quibus cõfidebant, abſque ſynodali reclamatione tenuiſſe: immò ipſos monachos Vindocinenſes qui prædictum Montem Fauni occupabant inde iudicio Carnotenſis Eccleſiæ eliminatos, latibulum cuiuſdam ſyluæ petiiſſe. Quod cùm multorum teſtimonio confirmatur, & ab Abbate Vindocinenſi nullatenus infringeretur, iudicatum eſt Abbatem non eſſe inueſtiendum, cùm nihil dematur vſibus Eccleſiaſticis ſi quiſque quod ſuum eſt recipiat. Quod iudicium cùm diſplicuiſſet Abbati Vindocinenſi, non confidentia iuſtitiæ, ſed cauſa afferendæ moræ, ſedem appellauit apoſtolicam: quam tamen appellationem pro reuerentia domni Papæ patienter ſuſtinuimus, quamuis ſecundùm cautionem legum *, nec libellum ad eum qui de appellatione cogniturus erat à nobis poſtulaſſet, nec tempus nec modum nec ordinem exequendæ appellationis obſeruaſſet. Vnde cum à cauſa cecidiſſe intelligentes, capellam quam

** ſic iterum vocat in fine huius epiſt.*

** cœperit. ms. c.*

** ſic plures v. c. in alia eſt Balgiacenſis itams. c. anteà, Balgeracenſis. Lancelini Baugenciacenſis meminit Sugerius Abbas in vita Ludouici craſſi.*

** vide epiſt. 220.*

quam Blesensibus ædificare concessimus, de cætero confirmamus, & omnes oblationes capellarum adiacentium parochiæ quæ dicitur Vlcha*, illibatas tenere sancimus.

*ficiam vocat initio huius epist.

EPISTOLA CLXXIII.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, debitam cum omni deuotione obedientiam.

Hac de Rotroci causa iam egit epist. 168. 169. & 170.

SEcundùm tenorem litterarum vestrarum quas dedistis Hugoni Vicecomiti Carnotensi Hierosolymam eunti, Rotrocum Comitem ad iustitiam vocauimus, quia accusabatur munitionem in terra ad ius prædicti Hugonis pertinente, postquam crucem acceperat, ædificare cœpisse; & Iuonem eiusdem Hugonis militem, qui prædictam terram ab ipso Hugone habebat in feudum, iniustè cœpisse & redimisse. In qua vocatione postulatum est à Comite Rotroco, vt vsque ad exitum causæ nihil in cœpta munitione ædificaret, nihil de redemptione Iuonis * acciperet. Die statuta ventum est ad causam: obtulit se ad iudicium Rotrocus: secundum ordinem gestarum rerum dixerunt petitores qui pro Hugone loquebantur, se nolle ad hanc causam ingredi, nisi priùs eis * satisfaceret de eo quòd non erat intermissa ædificatio munitionis, & recredita redemptio Iuonis. Responsum est ex parte Rotroci neutrum debere fieri, quia munitio illa ei adiudicata erat in Curia Comitissæ, de cuius feudo erat, cùm iudicio Ecclesiæ * ad prædictam Curiam hæc causa translata esset: & prædictus Iuo pro peregrinatione Hugonis minimè erat reddendus, cùm prædictus Iuo Rotrocum dominum suum diffiduciasset, & prædam eius prior cepisset, homines suos ea die qua captus est in vinculis haberet, & ad foris faciendum eidem armata manu militum ea die procederet. Dictum est ex altera parte, quòd possent omnes istas depulsiones veridicis assertionibus locis suis & temporibus falsificare: sed non esse accedendum ad ista, donec satisfactum esset de iis quæ priùs obiecta fuerant, nisi iudicio cogerentur. Præceptum est ergo confidentibus clericis, vt hanc litem iusta sententia dirimerent. Qui cum diu inde disceptassent, non potuerunt in vnam conuenire sententiam, dicentes nouam esse institutionem de tuitione Ecclesiastica impendenda rebus militum * Hierosolymã proficiscentium: neque scire vtrùm hæc tuitio ad solas pertineat proprietates eorum, án etiam pertineat ad casamenta eorum quæ tenent potentes homines se & sua, fortitudine sua defendentes. Postulauerunt ergo sibi dari inducias, donec super hoc vestra requireretur sententia. Quas inducias ea conditione dare voluit Comes Rotrocus, vt ædificatio munitionis non intermitteretur, nec redemptio Iuonis suspenderetur. Quod concedere pars altera omnino refutauit, & de hoc iterum iudicium postulauit. Quo iudicio cùm se prægrauari timeret Comes Rotrocus, audientiam Apostolicam appellauit, cuius eum auctoritate premebamus. Mittimus ergo eos paternitati vestræ cum litteris nostris ordinem causæ continentibus, vt prudentia & potestate vobis diuinitus concessa litem hanc dirimatis: quia inter nos homines isti magni sunt, nec à nostra paruitate, prout oportet, ad pacem cogi possunt. Valete.

*epist. 168.

*al. satisfieret.

*quia erat causa sanguinis, vt ait epist. 168.

*tuitio Ecclesiastica. epist. 169.

EPISTOLA CLXXIV.

Matildi excellenti Anglorum Reginæ, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, deuotarum munus orationum.

VEstræ piæ deuotionis opinio multorum maximè religiosorum mentes afflauit, & quadam sanctæ dilectionis suauitate indulcauit. Vnde pro gratia nobis diuinitus collata grates summo referimus bonorum omnium largitori, qui fœmineo pectori virile robur immisit, non solùm ad euitanda flagitia vel facinora, sed etiam ad impendenda indigentibus necessaria suffragia. Nos igitur tam communium quàm priuatorum beneficiorum non immemores, excellentiæ vestræ preces deuotè suscepimus; & pro anima fratris vestri religiosi Regis, quod peccatis nostris exigentibus parum est, deuotas Deo preces effundimus, quamuis animam eius in sinu Abrahæ collocatam, si vita eius ita se habuit vt dicitur indubitanter confidamus. Sed quia incertus est status animarum post animal*, non videtur ociosum si pro his intercedimus, qui iam requie perfruuntur, vt eorum requies augeatur, & pro his qui locis purgatoriis deputati sunt, vt fidelium orationibus indulgentiam consequantur. Hæc & alia quæ vires nostras non excedant humeris nostris imponere potest excellentia vestra. Valete.

*sic integris litteris scriptum in plerisque vett. codd. in aliis compendiosè post animal. in duobus, post corpora; locus de mendo suspectus.

EPISTOLA CLXXV.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, debitum cum omni deuotione seruitium.

PArabam me pro viribus meis ad iter Concilij à vestra paternitate indicti: sed quia frequentia Curiæ vestræ ea tempestate qua solitus eram, purgatorium accipere me non permisit, tota confluentia humorum repentè in caput ascendit, & ita media pars capitis congelascente flegmate in quendam rigorem tumoris induruit. Cùm verò propter propositum iter adhuc purgare me differrem, vt & caput resoluto per se flegmate detumesceret, expectarem; non solùm non detumuit, sed adhuc grauiùs & periculosiùs intumuit*. Hac itaque necessitate compulsus catharticum accepi, nec de laxatione cathartici nec de duritia tumoris bene conualui: ita vt nec breue iter aggredi valeam sine periculo corporis mei: quia etsi tumor exteriùs est digestus, dolor tamen interiùs non adhuc est sedatus. Misi itaque tres ex Archidiaconibus Ecclesiæ nobis commissæ cum litteris nostris, qui testimonium ipsis litteris perhibeant, & apud paternitatem vestram excusatum me habeant: quamuis sit propositum meæ voluntatis ante solutionem Concilij videre faciem vestram, si Deus mihi plenam restituerit sanitatem, & veniendi ad vos dederit opportunitatem. Sed quia *secretiora dicenda sunt, isti fratres dicent vobis. Valete.

*induruit.

*Si quã.

EPISTOLA CLXXVI.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, debitam cum omni subiectione obedientiam.

REuersus à Concilio Trecensi, filius noster *Wlgrinus Ecclesiæ nostræ Cancellarius anxiè conquestus est, quòd Dolensis Ecclesia destinatis excellentiæ vestræ quibusdam legatis suis eum sibi in Episcopum sub præsentia vestra elegerit *, & huic electioni ad eorum petitionem vestra paternitas assensum præbuerit, nec eius excusationibus quamuis idoneis adhuc aurem accommodare voluerit. Quamuis enim sit benè litteratus, & bonis moribus ornatus, multis tamen allegationibus humiliter insufficientiam suam prætendens, dicit se potiùs multa grauia perpessurum quàm onus Episcopi hoc tempore subiturum. Nouit autem vestra paternitas quia leges* seculi dissentiente filiofamiliàs sub eius nomine sponsalia fieri non permittunt. quanto magis in sponsalibus Ecclesiæ id obseruari conuenit, in quibus nisi sincera subueniat caritas, quid boni est quod per angariam facere possit, siue facultates suas distribuendo, siue seipsum ad martyrium exponendo, humana imbecillitas? Nemo enim inuitus bonum facit*, etiamsi bonum est quod facit. Vnde nos admonet Spiritus sanctus in Cantico Canticorum: *adiuro vos filiæ Hierusalem, nolite suscitare dilectam, neque euigilare, donec ipsa velit.* Ne igitur nostro Iacob amanti Rachel, nocte supponatis Liam, nisi fortè Rachel mandragoras primogeniti Liæ concupiscat, & hac mercede conductum Iacob cum Lia dormire permittat. Tali enim ordine posset de tali copula merces boni operis prouenire, & fortitudo quæ plurimùm necessaria est omni regimini ad tolerandos eiusdem regiminis labores, exuberare. Et ne diu verbis oneremus sanctitatem vestram, flexis genibus cordis opportunè & importunè imploramus clementiam vestram; vt nullis vinculis obedientiæ prædictum fratrem * constringatis, cuius saluti quantum possumus prouidere debemus, quia eum de sacro fonte suscepimus, qui etiam elegit magis in loco humili saluari, quàm in alto periclitari. Valete.

vester ms. c. — *coniunge epist. 178.* — *l. 12. C. de nupt.* — *ca. præsens. cau. 20. q. 3.* — *Cantic. 2.* — *Genes. 29.* — *Genes. 30.* — *inuitum enim Papa potest cogere ad Episcopatum. epist. 178.*

EPISTOLA CLXXVII.

Gaufrido Dei gratia Beluacensium Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, in prosperis timorem in aduersis fortitudinem.

ANtequam legissem litteras dilectionis vestræ, cognoui cumulum tribulationis vestræ audiui & condolui: quia degener filius essem, si matris* meæ Beluacensis Ecclesiæ miserias immisericordi animo sustinerem. In quo discrimine summa & sola medicina est clamare ad Dominum, vt nubilum tantæ tempestatis conuertat in auram serenitatis, & fluctus tanti mali silere faciat, qui pro arbitrio suo imperat ventis & mari. De cætero de clerico illo qui Drogoni excommunicato in missa & in mensa communicauit, dilectioni vestræ consulo vt competentem ei pœnitentiam iniungatis, quæ à simili facto cæteros absterreat: si tamen defendere non vult per tumorem, quod deliquit forsitan per timorem. Alioquin detur sententia in contumacem, quæ eum & officio priuet & beneficio. Pœnitentiæ autem modus in arbitrio est constitutus Episcopi, cui à Domino concessa est potestas ligandi atque soluendi. Vnde Augustinus in libro de pœnitentia*: *Iudicet se homo voluntate dum potest, necum iam voluntate non poterit, præter voluntatem iudicetur à Domino. Veniat ad antistites, per quos illi claues in Ecclesia ministrantur, & tanquam iam incipiens bonus esse filius, maternorum membrorum ordine* constituto à præpositis sacramentorum satisfactionis suæ modum accipiat, & in offerendo sacrificio contribulati cordis deuotus & supplex permaneat. Id tamen agat quod non solùm ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: *vt si peccatum eius non solùm in graui eius malo sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat: ne lethali plagæ per pudorem addat tumorem.* Si autem prædictus frater posteaquàm notatus est de excommunicationis culpa ante audientiam communioni se ingessit, secundum decretum Martini Papæ, *& Concilium Carthaginense*, ipse in se damnationis iudicatur sententiam protulisse. De alio autem clerico qui negat se Drogoni communicasse, nec se sciente in Ecclesia eo præsente orasse, qui tamen in Ecclesia profanorum orasse non *negat, mihi videtur sufficere, si sub duobus testibus idoneis suæ possit conscientiæ innocentiam approbare. Possemus hæc multis testimoniis confirmare, nisi vitaremus prolixitatem epistolæ. Ego de* propositito ita sentio, maiorum sententias non præueniens aliquo meo præiudicio. Valete.

sic etiam vocat ep. 92. & ep. 141. se filium genuinum illius. Sed & se Beluacensem appellat epist. 181. — *in ca. 85. distinct. 1.* — *al. custodito.* — *fit si.* — *in ca si quis Episcopus. can. 11. q. 3.* — *in ca. placuit. cau. 11. q. 3.* — *al. negatur.* — *propositis.*

EPISTOLA CLXXVIII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ humilis Minister, Clero Dolensis Ecclesiæ & Stephano Comiti salutem.

BOnæ intentionis vestræ laudamus affectum quòd Wlgrinum filium nostrum, vita honestum, scientia clarum, elegistis vobis in Archiepiscopum. Sed quantum nobis videtur, frustrà laborat studium vestrum: quia nec prætaxati filij nostri voluntas est electioni vestræ adquiescere, nec nostræ potestatis ad hoc eum inuitum cogere. Habent enim leges imperiales *, quia filiofamiliàs dissentiente, nequaquam possunt sponsalia sub nomine eius contrahi. Multo itaque minùs spiritualis sponsi animus ad spiritualis sponsæ copulam in angaria est pertrahendus. Prædictus enim frater iam super hoc per litteras nostras & suas allegationes domno Papæ transmisit, & onus Episcopi prout potuit, refutauit. Si ergo studia vestra mutare non vultis, si in aliam personam deliberatione vestra* declinare non vultis, non à nobis, sed à summo pontifice est quærendus, cui concessum est inuitos ad hæc officia cogere, & de volentibus & de nolentibus Ecclesiæ Dei pontifices ordinare. Quantùm ergo domnus Papa super hoc me coëgerit, tantùm ego prædictum fratrem cogam. Valete.

Confer cum epist. 176. — *l. 12. cod. de nuptiis. & l. 11. D. de ritu nupti.* — *deliberationem vestram. ms. c.*

EPISTOLA CLXXIX.

Iuo humilis Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Adelæ excellenti Comitissæ, benè sapere & benè facere.

* coniunge epist. 121. & 136.

INterdictus est, vt audiuimus *, præcepto vestro filiis nostris canonicis beatæ Mariæ exitus viarum, panis & aqua, & omnia huic vitæ necessaria quæ sunt sub potestate vestra. Quod quid aliud est facere, quàm homines innocentes & arma non tenentes sine audientia & sine iudicio morti destinare? Ita enim necat fames & sitis, sicut gladius. Quod truces Turci, Christiani nominis persecutores possent truculentius edictum in Dei seruos promulgare, quàm necessaria eis vitæ subtrahere? Vnde monendo consulo & consulendo moneo nobilitatem vestram, quatinus inconsideratum sententiæ vestrę rigorem vsque ad audientiam in melius commutetis, & non conuictos, non iudicatos tam seuera sententia morti addicatis. Nos enim pro amore vestro sententiam nostram quamuis iustam & iudicio diffinitam temperauimus, nec baptismi sacramentum, nec confessionem, nec pœnitentiam, quæ saluti animarum in necessitate sufficiunt, etiam ipsis persecutoribus denegauimus. Ita ergo vos habetote, vt laus fortis mulieris quam sapientia commendat, de vobis prædicetur, non crudelitas peruersæ mulieris (quam in Herodiade Chrysostomus detestatur) per omnes nostras prouincias publicetur. Quòd si sanis & piis admonitionibus meis adquiescere non vultis, commoneo vos per pacem quam præsenti anno in manu domni Papæ *, ante autem tertium annum in manu mea promisistis, quatinus diem competentem exequendæ iustitiæ per præsentium portitorem nobis denominetis, & interim filios Ecclesiæ secundùm institutum pacis, suis rebus liberè potiri permittatis. Quod si hæc omnia contempseritis, proculdubio sciatis quia Ecclesia corde contrito & humiliato, adscitis sibi omnibus Ecclesiis subiectis cotidie ante corpus & sanguinem Domini & sanctorum patrocinia clamorem faciet aduersus omnes huius mali patratores & consentaneos, & ad hoc ipsum ex debito omnes vicinos Episcopos cum Ecclesiis sibi subiectis inuitabit. Dolens hęc dico, consulens tamen in hoc honestati & famæ vestræ, nihil aliud quærens, nisi vt secundùm morem & legem iustitiam faciatis, & si qua aduersus Ecclesiam calumnia est, iustitiam habeatis. Valete.

Prou. 31.

*Paschalis secundi, quem tunc fuisse in Galliis hinc colligi potest.

EPISTOLA CLXXX.

Leodegario Dei gratia Bituricensi Archiepiscopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister salutem & seruitium.

* inreflexo, ms. c.

Exod. 28.

PLacet admodum paruitati nostræ quòd audiuimus vos rigorem iustitię inflexo* tramite velle custodire. Sed cum in pectore sacerdotis rationale affixum esse debeat, & connexum superhumerali: condecens est vt rector sic moderationem iustitiæ teneat, quatinus nec immoderatus rigor corrigendos desperatione misericordiæ in profundum malorum dejiciat, vel indiscreta misericordia arrogantiam augeat. Quod ideò suggero sanctitati vestræ, quia audiui quosdam parochianos vestros submurmurantes, vos ita esse obligatum cum quibusdam parochianis vestris, vt nisi eorum consensu iustitiam intendere vel remittere nòn valeatis: Vnde nuper contigit, vt audiuimus, dura eorum obstinatione causam Arnulfi Virsionensis in curia vestra ita esse exasperatam, vt in eadem causa facto iudicio sedes Apostolica sit appellata, & finitiua eiusdem causæ sententia vsque ad Apostolicam audientiam sit dilata. Quod quanta sit vexatio, quanta rerum expensa, quam incertus negociorum exitus, tam experimento in vestris negociis didicistis, quàm ex aliorum causis audistis. Consilium ergo quod per quosdam pacis amatores didici, necessarium vobis scribere existimaui: videlicet vt per Radulfum Belgeiacensem* aliquanto prolixas inducias detis prętaxato Arnulfo, non de minoranda iustitia Ecclesiastica, sed tantummodo de non ducenda super eum * communia. Interim autem * sicut dicit prætaxatus Radulfus, eo mediante inter Arnulfum & eius aduersarios pax reformabitur, & iustitia in nullo periclitabitur: & appellatio quæ in curia vestra facta est, sine vestra vel vestrorum vexatione ad nihilum redigetur. Vos itaque quod dico, prudenti deliberatione pensate, & si vera sunt quæ dicuntur, si meliora vobis non occurrunt, vos ipsi *probate: quia suadente caritate, salua iustitia placeret mihi pax vestra. Valete.

* al. Balgiacensem vel Belgiacensem ita ms c.
* communia, ita ms. c.
* enim, ms. c.
* ipsos. ms c.

EPISTOLA CLXXXI.

Richardo Dei gratia Albanensium Episcopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, salutem & debitum Romanæ Ecclesiæ seruitium.

INtelligens in vobis pro gratia diuinitus collata feruere zelum iustitiæ, veritatem quam noui de causa Vigeliacensis * & Beluacensis monasterij sancti Luciani sollicitudini vestræ intimare curaui. Buglensis Ecclesia, de qua nunc controuersia est, inter prædicta monasteria, olim fuit iuris monasterij sancti Luciani. Sed cum Normannorum persecutio monasteria Beluacensis territorij * deuastasset & in solitudinem redegisset; bona monasteriorum propter defensionem terræ ex magna parte in vsus laïcorum distracta sunt. Antequam autem illa vastitas plenè reformari potuisset, in Buglensi Ecclesia quidam canonici ordinati fuerunt. Et ita per successiones vsque ad tempora * Guidonis Beluacensis Episcopi, & Hugonis Buglensis Comitis, canonici canonicis successerunt. Hugo autem Comes habito consilio cum * Guidone Episcopo, prædictam Ecclesiam sancto Luciano reddidit, sibi & prædecessoribus suis indulgentiam postulans, qui eam iniustè detinuerant. Sed Abbas prædicti monasterij sancti Luciani contradicentibus clericis prædictæ Ecclesiæ pro sua simplicitate distulit aliquanto tempore monachos suos ibi ordinare expectans vt cum pace clericorum posset omnia transigere. Et quia prædictus Comes posthabito discretionis moderamine, monachos quomodocunque festinabat intrudere, Vigeliacenses * monachos, qui ibi propè habebant cellam vnam, vocari fecit, & eis, reclamantibus clericis & monachis sancti Luciani, absque consensu Episcopi Ecclesiam,

* vnus. v. c. Vizeliacensis.
* monasterij, ms. c.
* al. Vuidonis, ita ms c.
* Vuidone.
* al. Vizeliacenses.

quæ iam ſua non erat, conceſſit. Poſteà verò ductus pœnitentia cum à multis argueretur, eandem Eccleſiam beatò Luciano reddidit. Sed quia monachi ſancti Luciani rem quamuis ſuam abſque Iudicibus ab inuaſoribus acceperunt, in * Concilio Exolidunenſi adiudicata eſt Vigeliacenſibus * ſola veſtitura, vſque ad tempus legitimæ diſcuſſionis. Neque vlla finitiua ſententia ibi data eſt quæ monachi ſancti Luciani ſuam iuſtitiam auferret, & monachis Vigeliacenſibus prædictam Eccleſiam perpetuò habendam adiudicaret. Huius negocij ordinem, vtpote Beluacenſis*, ita proceſſiſſe cognoui: & qui in Exolidunenſi Concilio huic diſcuſſioni interfui, hæc ſi præſens eſſem, vera eſſe probare poſſem. Et ideò ea vobis ſcripſi, vt cognitâ veritate meliùs ſciatis cui parti aurem ſecuriùs inclinare* audeatis. Val.

** cuius etiam meminit epiſt. 168*
** al Vizeliacenſibus vt etiam paulo poſt.*
** Iuo Beluacenſis.*
** al. valeatis.*

EPISTOLA CLXXXII.

Daimberto Dei gratia Senonenſium Archiepiſcopo, Iuo humilis Carnotenſis Eccleſiæ Miniſter, ſalutem & ſeruitium.

NVper cùm in capitulo noſtro quædam officia ſecundùm Eccleſiæ conſuetudinem diſpenſarem, & porrecto libro inueſtituram ſubdecaniæ Fulconi clerico ſtrenuo & in agendis cauſis Eccleſiaſticis valdè neceſſario facere vellem; veteri* odio inflammati inſurrexerunt in me, Hugo nepos decani & ipſe decanus, cum duobus ſenibus cantore & fratre eius, adſcitis ſibi quibuſdam iuuenculis qui de domibus eorum prodierant, & tumultuosè contradicere cœperunt ne facerem, nihil aliud certum obijcientes: niſi quia id eorum conſilio non facerem. Ego autem ſciens quòd * hanc conſuetudinem in Eccleſia non inueni, nec in ipſis contradictoribus quando ſuos honores acceperunt obſeruaui, ne poteſtatem meam minuerem, ab incœpto non deſtiti. Ipſi igitur quamuis mei homines eſſent & * per manum & per ſacramentum, furiosè & clamosè ſedem meam circundederunt librum * de manibus meis rapientes, verba turpia, falſa, probroſa, & ſacro ordini valdè contraria in me protulerunt. In tanta itaque turba mortem timens obmutui, & non aperui os meum, & * præſidio cæterorum qui ſaniùs ſapientes cum iſtis non conſpirauerant, vix eorum manus euaſi. Ipſi itaque furori ſuo aliquod fore remedium exiſtimantes, priores me monuerunt, vt de me ipſo iuſtitiam eis facerem. Ego autem eis reſpondi me eſſe paratum, & iuſtitiam ab eis accipere, & iuſtitiam facere, aut ſub Iudicibus electis, vel ſecundùm iudicium metropolitanæ ſedis, eo ordine quo canonica auctoritas dictaret. Cùm ergo elegerint iudicium Senonenſis Eccleſiæ, concorditer miſimus ad vos, vt diem & locum agendæ cauſæ nobis deſignetis circa mediam quadrageſimam, prout vobis opportunum fuerit. Locum autem talem conſtitui nobis à veſtra paternitate miſericorditer poſtulamus, ad quem poſſimus ire ſecurè, & redire ſecurè. Rogamus etiam vt aliquos de ſuffraganeis ad hoc iudicium conuocetis. Non enim leuis iniuria, ſed inaudita pontificali ordini illata eſt. Quòd ſi petitioni meæ addere præſumerem, flexis genibus cordis poſtularem, vt Carnotenſem Eccleſiam viſitaretis, & in propria perſona iniurias mihi, immò omni pontificali ordini in me illatas, à clericis & laïcis pleniùs audiretis. Decens enim eſt vt etiam in tranquillitate mater filiam conſoletur: quanto magis in perturbatione? Sed ne longiùs verba protraham, per præſentium portitorem remandabit nobis veſtra paternitas diem, locum, ſecuritatem itineris, vel ſi paruitatem noſtram viſitare dignabitur veſtra ſublimitas. Valete.

** conf loc. epiſt. 227.*
** quia.*
** vide not. ad epiſt 190.*
** quo fiebat inueſtitura, vt ait initio epiſt.*
** al. præſidio horum qui.*

EPISTOLA CLXXXIII.

*Iuo Dei gratia Carnotenſis Eccleſiæ Miniſter *Wilelmo Pariſienſi Archidiacono ſalutem.*

DE milite qui de filia ſua * pactum cum alio milite fecit, hoc dilectioni veſtræ pro intellectu meo reſpondeo. Si petitor aduerſus eum teſtes produxerit, qui ipſis ſponſalibus interfuerint, vel alios qui ipſum patrem puellæ in ſua præſentia confitentem hæc ſponſalia ſe feciſſe teſtificati fuerint, & hæc iureiurando firmare voluerint *, ita ſponſalia rata eſſe oportebit cùm ſecundùm leges *, probatio ei incumbat qui dicit, non ei qui negat. Credo autem vos mecum ſentire, quia ſicut in Chriſtò neque ſeruus eſt, neque liber, neque maſculus, neque fœmina: ita in contractibus Chriſtiani populi quos communes habent liberi cum ſeruis, & omnes homines cuiuſcunque conditionis, ſi de his controuerſia orta fuerit, quaſcunque * (tamen vitæ honeſtæ, perſonas & boni teſtimonij) ad teſtimonium rationabiliter poſſe admitti, & in ciuilibus cauſis vel criminalibus hanc diſcretionem perſonarum ſolummodo debere ſeruari. In huiuſmodi autem cauſis * monomachia nullomodo admittenda eſt, quia ſecundum beatum Auguſtinum *, *quamdiu habet homo * quid faciat, non debet tentare Deum ſuum.* Sponſio verò pecuniæ ſeruata, vel violata, non debet impedire coniugium, ſi ſponſalia facta ſunt conſenſu contrahentium. Hæc breuiter prudentiæ veſtræ ſcripſi, rogans, vt id faciatis, quod per * domnum Walterium monachum à fraternitate veſtra volumus impetrari. Vale.

** Guildmo, ms. c.*
** al. ſponſalia, ita ms. c.*
** al. quia ſp. ita ms. c.*
** l. 23. C. de probatio ex. deficientibus ca. 2 q. 4. Gregor. epiſt. 25. ſeu cap. 125. lib 5.*
** perſonas honeſtæ tamen vitæ & boni teſtimonij, ms. c.*
** de qua epiſt. 205.*
** citat ex lib. quæſt. in Gen. epiſt. 74.*
** al. quod.*
** al. domnum Gauterium, vel Gualterium, ita ms. c.*

EPISTOLA CLXXXIV.

*Iuo Dei gratia Carnotenſis Eccleſiæ Miniſter, *Walterio Beluacenſis Eccleſiæ Bibliothecario ſalutem.*

MAndauit mihi fraternitas veſtra quorundam laïcorum aduerſus Beluacenſem Eccleſiam ortam eſſe calumniam, qui ob id iudicium clericorum eiuſdem Eccleſiæ reprobant, quòd earum rerum ſunt poſſeſſores, pro quibus apud ipſos idem laïci exiſtunt petitores. Sed non ſunt ſatis periti legum Eccleſiaſticarum, vel ſecularium, qui hoc modo ſtatum Eccleſiarum moliuntur euertere; cùm & paginæ decretales, & leges imperiales & Eccleſiaſticæ conſuetudines manifeſtè eis reſiſtant, ſine quibus res diuinæ & humanæ tutæ eſſe non poſſunt, ſi inſtrumenta ſua deſerunt, quibus maiores noſtri eas tutas & incolumes eſſe ſanxerunt. Primò enim in multis decretalibus ſententiis legitur: omnes lites & contentiones in Eccleſiis in quibus ortæ * ſunt primò

** al. Gauterio, Galterio, ms. c.*
** epiſt 75. & 168.*

esse discutiendas & terminandas, nisi aut vtraque pars ex consensu Iudices elegerit, vel altera pars maiorem audientiam appellauerit. A filiis autem ipsius Ecclesiæ, in qua orta contentio est, & non ab aliis terminandum esse iudicium clamant plurimorum decreta pontificum, quæ ita continent* : *Peregrina iudicia generali sanctione prohibemus.* In quo benè consentiunt instituta imperialia, quæ dicunt res Ecclesiasticas non esse iuris humani, sed diuini. Vnde Iustinianus in libro Institutionum secundo cap. 1. *Nullius autem sunt res sacræ, & religiosæ & sanctæ. quod enim diuini iuris est, id nullius est in bonis. Ea autem sacra sunt*, *quæ ritè & per pontifices Deo consecrata sunt, veluti ædes sacræ, & dona quæ ritè * in ministerium Dei consecrata sunt, quæ etiam per nostram constitutionem alienari & obligari prohibemus.* Cùm ergo ratio & veritas instituto religiosi principis sine vlla retractatione conueniat, nihil obesse videtur, quare clerici qui de sorte sunt Domini, non possint de rebus sacris iustum determinare iudicium, super quas nullum constat eos habere dominium. Prætereà generalis consuetudo Ecclesiæ sic habet, quę si non immobiliter seruaretur, Ecclesia omnibus aut penè omnibus bonis suis priuaretur. De tenenda autē consuetudine quæ legi nō obsistit, plurima sanctorū patrum extat auctoritas. Dicit enim Augustinus in epistola ad Casulanum *Presbyterum: *In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei & instituta maiorum pro lege tenenda sunt.* Et sicut præuaricatores legum diuinarum, ita contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coërcendi sunt. Gregorius etiam vniuersis Episcopis * Numidiæ: *Nos consuetudinem, quæ contra fidem Catholicam nihil vsurpare* dignoscitur, immotam permanere concedimus.* Isidorus ethymologiarum libro quinto cap. 3. *Mos est vetustate probata consuetudo, siue lex non scripta.* Item. *Consuetudo autem est ius quoddam à maioribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex. Nec differt vtrùm scriptura an ratione consistat.* Et Codicis libro octauo, tit. 53. * *Consuetudinis, vsusque longæui non vilis auctoritas est: verum non vsque adeò sui valitura momento, vt aut rationem vincat aut legem.* Potest in hunc modum vestra prudentia multa de autenticis scripturis eligere, quibus poterit aduersus Ecclesiam laïcorum latratus obstruere. Vale.

* can. peregrina, cum seqq. cau. 3. q. 7.
* Sacra enim sunt. ms. c.
* al. ad.
N. B.
* ita in vett. codd. antea, Episcopum, citatur in ca. 7. dist. 11.
* al. Numidas. Gregor. epist. 75. lib. 1.
* cognoscitur.
* Codicum lib. viij. tit. 11 ms. c. l. 2. quæ sit longa consuet. C.

EPISTOLA CLXXXV.

Wilelmo Dei gratia Rothomagensium Archiepiscopo, Iuo Carnotensis Ecclesiæ Minister humilis salutem & seruitium.

* al. Guillelmo d. g. Rotom.

DE clerico præsentium portitore, qui inordinato & præpropero saltu cùm non esset benedictus in clericum, in subdiaconum se fecit ordinari, sublimitati vestræ respondeo; quia si rigorem iustitiæ tenere vultis, nec in acceptis inordinatè ordinibus eum ministrare permittetis, nec ad superiores gradus eum *promouebitis. In decretis enim pontificalibus legitur: quia* *quod contra leges præsumitur, per leges dissolui meretur.* Si autem honesta vita eius, aut vtilitas Ecclesiastica ita exigit, potestis ei dispensatoriè dato clericatu cum debita satisfactione eam misericordiam impendere, vt cùm sacram ordinationem vos celebrare contigerit, humiliato corde & corpore sacris benedictionibus intersit non vt reordinetur, sed vt competentibus verbis in acceptis ordinibus confirmetur. De talibus excessibus, pro impendenda misericordia propriam sententiam ad manum non habeo, sed pro simili negotio dispensatoriam Alexandri Papæ secundi sententiam vestræ discretioni transmitto. Cuius exemplo munitus, si vobis visum fuerit dignum, habita ratiocinatione poteritis & accepta confirmare & non * accepta concedere. Sententia autem hæc est. Alexander secundus Rumaldo * Constantiensi Episcopo. *Sollicitudo dilectionis tuæ nos studuit consulere, vtrùm portitor istarum litterarum diaconatus & presbyteratus officium idoneus sit peragere, necne, cùm ad id præpropero saltu vel* cursu, videlicet sine subdiaconatus ordine, negligentia potiùs quàm superbia cognoscatur ascendisse. Vnde nos consulendo caritati tuæ mandamus, vt ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum ieiunio, subdiaconatus ministerium ei* ritè imponas, & sic deinceps ad maiora officia eum redire concedas.* Valete.

* al. promouebitis.
* can. vides distinct. 1.
* al. & nondum, ita dum. ita ms. c.
* al. Rumando vel Grimaldo in ca. sollicitudo. dist 52.
* saltu vel, desunt, in ms. c.
* al. sibi ritè.

EPISTOLA CLXXXVI.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Laurentio monasterij Caritatis monacho salutem.

INquisitiones tuæ multiplici egent & prolixa responsione, quæ epistolari non possunt breuitate commodè enodari, immò egerent librorum copiosa explicari disputatione, & multarum scripturarum quæ dicerentur fulciri auctoritate. Præterea si in aliquibus vellemus vti canonum moderatione, videremur quibusdam simplicibus legis * æmulatoribus contra canones agere, quorundam verò ambitionibus defensionis argumenta præparasse. Idcircò tales * disputationes non videntur scripto commendandæ: ne si in multorum manus venerint, plus obsint indiscretis quàm prosint discretis. Paterna tamen regula est, quę multis propositionibus tuis diligenter perspecta sufficere poterit: videlicet *quia communio malorum neminem maculat, sed consensio factorum.* & alibi: *nullius* crimen maculat nescientem.* Et alibi: *Qui non habet potestatem reum condemnare, aut non potest comprobare, immunis est.* Vnde dicit Augustinus in secundo libro de vnico baptismo: *Fortè in populo Dei stat iuxta te auarus, raptor, rebus alienis inhians, quem nosti talem, & fidelis est vel fidelis vocatur, non eum potes de Ecclesia pellere: non habes aliquem aditum: castigando & corripiendo corrige. Accessurus est tecum ad altare: noli timere. Vnusquisque enim onus proprium portabit. Quomodo, inquis, ferrem quem noui malum? nonne melius ipsum ferres, quàm te foras efferres? ecce quomodo ferres*, si attenderes apostolum dicentem, vnusquisque onus proprium portabit, liberaret te ista sententia. Non enim communicares cum illo auaritiam, sed communicares cum illo Christi mensam, & quid tibi obesset, si cum illo communicares Christi mensam? Apostolus dicet: qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, sibi non tibi. Sanè si iudex es, si* vindicandi potestatem acce-*

* antea, cum æmulatoribus.
* ita ex lib. Cui. in aliis, dispensationes, ita ms. c.
* ex S. Aug. epist. 48. in ca. nimium. cau. 23. q. 4.
Lib. 1. & refertur in ca. fortè. cau. 23. q. 4.
* si abest à duob. v. c. Galat. 6.
1. ad Cor. 11.
* ita plerique v. c vt etiam epist. 287 in aliis iudicandi, ita ms. c.

pisti, Ecclesiastica regula, si apud te accusatur, si veris documentis testibusque conuincitur, coërce, corripe, excommunica, degrada. Idem in epistola contra Parmenianum: *reuera cùm contagio* peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est. Nam consilia separationis & inania sunt & perniciosa atque sacrilega: quia & impia & superba sunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos.* Idem in epistola ad Vincentium: *Non enim propter malos boni sunt deserendi, sed propter bonos mali sunt tolerandi, sicut tolerarunt prophetæ contra quos tanta dicebant, nec communionẽ sacramentorum illius populi relinquebant: sicut ipse Dominus nocentem Iudam vsque ad condignum eius exitium tolerauit, & eum sacram cœnam cum innocentibus communicare permisit: sicut &* tolerauerunt Apostoli eos qui per inuidiam, quod ipsius est diaboli vitium, Christum annunciabant.* Hæc de non vitanda communione malorum beati viri dicta sufficiant. Si autem quis in impietate sua perdurans ab Ecclesia nominatus fuerit, & iudicio Ecclesiæ communione priuatus, huius tantùm vitanda est communio ab his ad quorum aures excommunicatio illa peruenerit. Vnde Apostolus ait, *si is qui frater est nominatur * fornicator, aut auarus, * aut idolorum seruiens, cum huiusmodi nec cibum sumere.* De dandis autem vel * non accipiendis muneribus erga tales personas hæc ratio mihi seruanda videtur, vt nihil eis detur nisi intuitu & compassione humanæ indigentiæ: neque ab eis aliquid accipiatur, nisi ineuitabilis cogat necessitas: quod minimè fieri videatur causa familiaris rei augendæ, sed tantùm causa necessitatis implendæ. Sic Israëlitæ in terra Ægyptiorum bona, sic in terra Madian ad vsus necessarios acceperunt res Madianitarum. De his consultus Gregorius Papa VII. ita scribit: * *quoniam peccatis nostris exigentibus, multos cotidie causa excõmunicationis perire cernimus, partim ignorantia, partim nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate: deuicti misericordia, anathematis sententiam, * prout possumus, temperamus. Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus: videlicet vxores, filios, seruos, ancillas, seu mancipia, necnon rusticos & seruientes, necnon & omnes* illos qui non adeò curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur, & eos qui ignoranter communicant excommunicatis. siue illos qui communicant cum eis qui excommunicatis communicant. quicunque autem aut arator, seu peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum deuenerit, vbi non possit emere, vel vnde emat non habuerit, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. & si quis excommunicatis non pro sustentatione superbiæ, sed humanitatis causa voluerit dare, non prohibemus.* De emptionibus verò rerum Ecclesiasticarũ quas monachi à laïcis faciunt, hoc tuæ fraternitati respondemus: quia si res Ecclesiasticas de laïcorum seruitute dato pretio liberarent, & iuri Ecclesiastico & Episcopali dispositioni restituerent, non solùm non improbaremus, sed vehementer laudaremus: quia non videretur esse emptio, sed à cunctis piè sentientibus laudanda redemptio. sic captiui fidelium pietate redimuntur, cùm redemptores ipsos redemptos non in suam redigunt seruitutem, sed in pristinam restituunt libertatem. Verùm quia rarus est*, aut nullus qui hæc emat, nisi suis aut suorùm vsibus, non est hæc appellanda pia redemptio, sed inter ementes & vendentes cupida & periculosa coëmptio De oblationibus malorum quos adhuc intra Ecclesiam toleramus, hoc sentimus: quia quamdiu eis Ecclesiastica dispensatione communicamus, vanum & superstitiosum videretur, si oblationes eorum refutaremus. Nam & Dominum Iesum Christum, cuius vita disciplina morum fuit, Zacchæus publicanus in domum suam inuitauit, & de suis ei facultatibus ministrauit. Tunc enim rectè incedit Christiana religio, cùm aut ea facit quæ Christus fecit, aut euitat* quæ Christum euitasse cognoscit. Donationes verò & concessiones excommunicatorum, quibus nec dicendum est, aue, propter infirmos vitandas esse consulimus. quia licet Apostolus dicat, *omnia munda mundis:* consequenter tamen addit, *sed malum est homini qui per offendiculum manducat.* Vnde etiam in epistola ad Corinthios. *si quis, ait, vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. siue ergo manducatis, siue bibitis, omnia in gloria Dei facite. Sine offensione estote Iudæis & gentibus & Ecclesiæ Dei, sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Hæc est Apostolica & sana doctrina. Quare talium donationes vel cõcessiones vitandæ sunt, non quòd Dei creatura ex eis * munda immũda fiat, quia domini est terra & plenitudo eius: * sed ne simplicium ex hoc infirmetur conscientia, cùm talibus coniecturis existimant bonis eorum malefacta facere *, vel quæ priùs abhorrebant mala non esse. Simili de causa diuinæ leges pariter & humanæ* refutant & vitant eorum testimonia & iudicia, non quòd non aliquando vera testificentur, & iusta decernant, sed vt tali repulsa confutati ab errore suo desistant. De his qui criminalia peccata occultè confitentur, nihil melius respondere possum, quàm quod beatus * Augustinus in quadam epistola scribit: *nos à communione* nullum suspendimus, nisi accusatum publicè atque conuictum, vel sponte confessum similiter publicè.* De manifestis autem manifesta sententia est: quia qui manifestè peccarunt, manifestè sunt arguendi, & publica pœnitentia sunt corrigendi. Dicendum est tamen eis non præcipiendo sed consulendo, vt seipsos ab officiis Ecclesiasticis suspendant, vel à sacramentorum communione abstineant: quia tali humilitate & pœnitentia veriùs agitur, & salus reparata tutiùs munitur. Sacramenta tamen diuina à talibus tractata propter indignitatem eorum non sunt deteriora, sicut propter dignitatem meliorum non sunt meliora *; sed apud quoscunque sunt, secundum beatum Augustinum, eadem ipsa sunt. De excommunicatis communi sententia non tamen nominatis, siue in capitulo siue in Concilio facta sit illa excommunicatio, siue sint symoniaci, siue Presbyteri vxorati, idem consilium est quod est de aliis criminosis: quia non sunt à communione suspendendi, nisi publicè conuicti, vel publicè confessi. quia & Dominus Iudam furem sciebat, & ita excommunicatum vt etiam diabolum nominaret: tamen quia non fuit accusatus, donec seipsum Dominum prodendo manifestauit, minimè eum abiecit. De subiectis quoque idem sentimus:

** al. peccati. hoc etiam citat epist. 288.*

Ad Vincent. epist. 48.

** etiam ms. c.*

** est. ms. c.*
** al. aut idolis seruiens.*
1. ad Cor. c. 5.
** ita ms. c.*

Num. 12.
Exodi 12.

** refertur in ca. 101. quoniam cau. 11. q. 3.*

** in vno v. c. additur, ad tempus, prout.*

** in vno v. c. alios qui.*

** est, ms. c.*

Luc. cap. 19.

** ea vitat, ms. c.*

1. Ioan. 2.
1. ad Tit. 1.
Rom. 14.

1. ad Cor. cap. 10.

** munda deest.*
Psal. 23.
** al. sed quod ita ms. c.*
** placere, ms. c.*
** quidam v. c. refutari iubẽt eorum, ita ms. c.*

** citat etiam epist. 206.*
** al. quenquam suspendere non possumus. al. nullum suspendere possumus nisi publicè accusatum ms. c.*

** epist. 72. & in fine epist. 256.*

Vxorati Presbyteri Iuonis tempore.

quia non debent deserere prælatos suos, nisi priùs eos viderint publicè damnatos, aut nominatim excommunicatos. De mutua confessione, de qua dicit Apostolus Iacobus, *Confitemini alterutrū peccata vestra*, hoc respondeo: quia sufficit pro cotidianis & leuibus peccatis si congrua sequatur satisfactio. Si verò graues sint culpæ, ab eo cui data est potestas ligandi atque soluendi, quærenda est absolutio. De excommunicato hospitio recepto sufficere videtur,* si hospes qui eum suscepit, contineat se à mensa excommunicati & osculo. Puto me breuiter penè ad omnia proposita tua, & si non ad omnia tamen ad grauiora respondisse: tuæ discretioni relinquens, vt singulis capitulis sparsim digestis generales sententias adcommodes: quæ diligenter perspectæ non dicam singulis propositis, sed ferè vnaquæque sententia pluribus poterit capitulis obuiare. Cùm autem simul *colloqui Deo disponente poterimus, si qua restant, aut ex his quæ modò scripsimus, aut ex aliis quæ Dominus inspirare voluerit, gratanter respondebimus. Vale.

Iac. 5.

* *hoc ex Calixto Papa refert Iuo lib 5. Panno. de senten. excom. & Gratian. in can. excommunicatos. caus. 11. q. 3.*

* *simul deest in ms. c.*

EPISTOLA CLXXXVII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Adelæ excellenti Comitissæ salutem & seruitium.

ABbas Boneuallensis monasterij, & congregatio sibi commissa lacrymosis & miserabilibus clamoribus aures Dei & hominum pulsant, conquerentes quòd propter interfectionem Hugonis Nigri, iniustè eos & homines sui iuris vexatis, & angarias contra priuilegia & instituta prædecessorum vestrorum super eos*faciatis, intantùm vt nec misericordiæ nec iudicio apud vos eis locum * relinquatis. Quod ego audiens non possum non ingemiscere gemitibus eorum, qui & in prosperis debeo eis congaudere, & in tribulationibus condolere. Vnde monendo rogo, & rogando moneo, vt seueritatem intentatam prudenti & discreto consilio temperetis, ne grex dominicus insolitæ tribulationis tempestate dispergatur, & religio quæ istis temporibus refloruerat, aut minuatur aut omnino ad nihilum redigatur. Præthereà debetis consulere saluti vestræ & famæ vestræ, ne vanum videatur quòd monasteria quæ non sunt iuris vestri, muneribus vestris sustentatis, & quibus modis potestis, ampliatis: ea autem quæ vestri iuris sunt, minuitis & quasi seruili oppressione subiugatis. Vnde ne ista ad aures multorū perueniant, & famæ vestræ, sicut saluti, plurimùm detrahant, sicut monui iterum moneo, vt mitiùs agatis, ne insolita & intolerabilis seueritas posteris vestris sit in exemplum, & vobis in peccatum * æternum. Timendum est enim vobis ne gemitus seruorum Dei ad aures eius perueniant, & qui apud vos misericordiam non inueniunt, misericordiæ vobis ianuam claudant. Sicut enim ipsi dicunt qui à vobis opprimuntur, continuò gemitu Dei aures implebunt, & cotidiana conquestione aures populi Dei tam in vicinis quàm in remotis locis, donec Dominus imperet ventis & mari, & quiescant fluctus eius. Quod quia periculosum est vobis & ignominiosum, det vobis Dominus spiritum consilij, vt meliora eligatis, & quæ sunt periculosa fugiatis. Valete.

* *al. facitis.*
* *relinquitis.*
* *al sempiternum, ita ms. c.*

EPISTOLA CLXXXVIII.

Radulfo venerabili Remensium Archiepiscopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, perseuerantem in tribulatione patientiam.*

QVæsiuit à me, quod melius me nouit vestra prudentia, vtrùm mulier quæ post completa sacramenta & officia nuptiarum infrà duos aut tres menses peperisse cognoscitur, debeat propter fœdera nuptiarum in coniugio manere, an propter patratū ante nuptias flagitiū matrimonij dignitatem amittere, cùm lex Moysi * huiusmodi iubeat lapidari. Super qua re non memini me canonicam inuenisse sententiam: dico tamen sine præiudicio melioris sententiæ, quia si ante celebrationem sacramenti coniugalis, cognita fuisset mulieris turpitudo, secundum legum seueritatem non esset honestanda matrimonio, sed asperis obiurgationibus tanquam lapidum* iactibus seuera ei esset adhibenda correptio. Verùm postquam simpliciter præcedente consensu contracta sunt fœdera nuptiarum, postquam matrimoniales tabulæ datæ sunt, & cætera coniugij sacramenta completa sunt, vir & mulier vnum corpus per commixtionem carnis facti sunt, non intelligo posse dissolui coniugium, nisi diuortij causa intercurrat adulterium. quamuis enim * ex adulterio, docente euangelio, possit mulier marito reconciliari; quanto magis ex simplici fornicatione quæ patrata est quando nondum erat alligata lege maritali? Continetur libro*constitutionum, quia meretrices possunt honestiorem vitam eligere, & matrimonij iura contrahere: quanto magis mulieres quæ occultè peccauerunt, & quęstum*corpore non fecerunt? Vnde Augustinus in libro de conflictu virtutum atque vitiorum: *quibusdam nubendi licentia tribuitur, hoc est* quæ virginitatem vel castimoniam vidualem nequaquam*professa sunt. Fornicatio verò nulli impunè conceditur.* Hæc sententia non fornicariam excepit nec fornicarium à lege coniugij, sicut & Paulus lapsibus humanæ fragilitatis occurrens scribit ad Corinthios. *propter fornicationem vnusquisque habeat vxorem suam, & vnaquæque habeat* virum suum.* Quibus verbis medicinaliter prouisum est, vt carnalis commixtio quæ damnabilis foret turpitudine flagitij, venialis fieret honestate matrimonij: nec iam reputentur fornicariæ quæ priùs erant inhonestæ, neque liceat viris eas propter priorem lapsum dimittere, dicente Apostolo: *alligatus es vxori, noli quærere solutionem.* Cùm enim fornicatio & in veteri testamento, & nouo æquè inhonesta & damnabilis habeatur, vt de inhonesta faceret honestam, præceptum est Oseæ à Domino, vt vxorem sibi duceret mulierem fornicariam. Vnde beatus Hieronymus in explanatione super Oseam ita scribit*. *Non est culpandus Osea propheta, si meretricem quam duxit, conuertit ad pudicitiam, sed potiùs laudandus, quòd ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet, ipse polluitur si societur malo, sed qui malus est in bonum vertitur si boni exempla sectetur. ex quo intelligimus prophetam non pudicitiam perdidisse * si copulatum fornicariæ, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam quàm prius non habuerat.* Ex his beati

* *huius tituli causa & ratio petenda est ex his quæ scribit epist. 190.*
* *sic habent omnes v. c. anteà, Moysis.*
* *al. ictibus.*
* *enim deest in ms. c.*
* *l. 23 Cod. de nuptiis.*
* *al. corpore.*
* *al qui. ita ms. c.*
* *professi ita ms. c.*
1. Cor. 7.
* *deest in ms. c.*
* *lib. 1. ca 1. & citatur epist. 148.*
* *al. per copi.*

Hieronymi verbis colligi poteſt, quia ſi propter conſortium pudici redditur mulier pudica, è contrario propter diuortium eius redditur impudica. Vnde cùm leges honeſtati conſulere debeant & ſaluti, tutius mihi eſſe videtur, vt vir mulierem quam duxit, licèt neſciens impudicam, retineat * vxorem, quàm ſuo diuortio & illam fornicariam, & ſe faciat fornicatorem. Beati quoque Doctores noſtri Ambroſius & Auguſtinus huiuſmodi mulierum lapſus ſuadent potius à viris debere dimitti, quàm diſtrictè & ſine miſericordia iudicari, cùm & ipſi viri vix poſſint à ſimilibus impudicitiis immunes * videri. Vnde Auguſtinus de verbis Domini, tractatu xlvij. *Si ducturi eſtis vxores, ſeruate vos vxoribus veſtris. Quales vultis eas ad vos venire, tales debent & ipſæ vos inuenire. Intactam quæris? intactus eſto. Puram quæris? noli eſſe impurus.* Inde & Ambroſius in ſermone de accuſato Domino. *Pudicitiæ cauſam niſi vir pudicus accuſare non debet. Talem enim arbitrum meretur caſtimonia, apud quem non periclitetur verecundia. Quid enim tam diuinum, quid tam iuſtum ſentias, quàm vt is * peccatum feriat qui peccati ſit expers? Quomodo enim feras alieni vltorem, & proprij criminis defenſorem?* Vnde & Auguſtinus in libro de verbis Domini, tractatu xlvij. *Dicit Dominus quod dicere debet manſuetus & iuſtus: Qui ſine peccato eſt, prior in adulteram mittat lapidem. Hæc vox iuſtitiæ eſt, puniatur peccatrix, ſed non à peccatore. Impleatur lex, ſed non à præuaricatoribus legis.* Item Auguſtinus, de x. cordis: *Quoniam virtus caſtitas eſt, tu ſub vno impetu libidinis cadis, & vix vxorem * victricem eſſe, tu victus iacens? Si caput eſt vir, meliùs debet viuere, & omnibus bonis factis præcedere vxorem ſuam.* Ex his & huiuſmodi ſanctorum Patrum ſententiis ratiocinando colligi poteſt, quia illicitus coïtus ante nuptias vel ſponſalia patratus, non poteſt poſteà initum ſeparare coniugium: quantominus partus, qui non eſt fructus vitij ſed naturæ? Ad hoc ſi quis altiùs intuens obiiciat ex verbis Leonis Papæ, non eſſe nuptias, in quibus non continetur ſacramentum Chriſti & Eccleſiæ: cui per Paulum dicitur, *deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, audiat Hieronymum dicentem in tractatu octogeſimi ſexti pſalmi. *Rem miram vobis loquor, ſed tamen veram. Syon noſtra in qua aliquotiens alienigenæ ſunt, & Tyrus, & Æthiopes, illa ſpecula. illa Raab meretrix, illa Babylon, illa quæ * denaricauit pedes ſuos cum omni tranſeunte ſecundùm * Ezechiel, illa meritrix ſi voluerit repentè virgo efficitur.* Si ergo Raab non repellitur à ſpirituali coniugio Chriſti, cur mulier lapſa non admittitur ad coniugium viri honeſti? Neque enim ab huiuſmodi nuptiarum fœdere diſcrepat ſacramentum Chriſti & Eccleſiæ. Non ergo conueniens eſt Chriſtianæ pietati, neque Sacramentis Eccleſiaſticis ea eſt inferenda iniuria, vt quamuis celeriùs vel tardiùs celebrata ſint quàm traditus ordo poſtulat, eos tamen quos de turpitudine tranſtulerunt ad honeſtatem, de ciuitate diaboli ad ciuitatem Dei, nos indiſcreta ſeueritate cogamus reuerti de honeſtate ad turpitudinem, de ciuitate Dei ad ciuitatem diaboli. Si verò aliter in aliquibus capitulis repertum fuerit, ſeueritati diſciplinæ eſt adſcribendum. Sed vbi ſalus periclitatur, moderatione legum ſaluti intelligimus conſulendum. De cætero ſciat dilectio veſtra, quia pro pace Eccleſiæ Remenſis & veſtra, * Regem humiliter & fideliter interpellauimus, & ſuo tempore interpellare non deſiſtemus. Vale.

* in ms. c.
* al. inueniri. confer epiſt. 125. ita ms. c.
* quidam v. c. peccata cenſeat, qui. ita ms. c.
* tuam. ms. c.
2. Cor. 11.
* al. diuar.
* al. Ezechiel.
* confer cum epiſt. 190.

EPISTOLA CLXXXIX.

Iuo Carnotenſis Eccleſiæ humilis miniſter. † * *

† in vno v. c. titulus eſt de ordinatione Regis Francorum. In alio de conſecratione Ludouici Regis. Vide locum Sugerij Abbatis in vita Ludouici craſſi.

NOuerit ſancta Romana Eccleſia nouerint omnes Eccleſiæ, ad quas murmur Remenſium Clericorum peruenerit, nos in conſecratione Ludouici Regis Francorum nihil noſtrum quæſiiſſe, ſed pro communi vtilitate regni & ſacerdotij conſultè vigilaſſe. Erant enim quidam regni perturbatores, * qui ad hæc omni ſtudio vigilabant, vt aut regnum in aliam perſonam transferretur, aut non mediocriter minueretur. Quod ne fieret, cooperante Deo, & pro integritate regni, & pro tranquillitate Eccleſiarum, quantum potuimus, præcauere ſtuduimus. Vnde liuori adſcribendum videtur aut tumori, ſi quis vtili & honeſtæ actioni deroget, quam nec ratione poteſt redarguere, nec conſuetudine infirmare, nec lege damnare. Si enim rationem conſulimus, iure in Regem eſt conſecratus, cui * iure hæreditario regnum competebat, & quem communis conſenſus Epiſcoporum & procerum iampridem elegerat. Præterea quæ ratio eſt Belgicorum, Regem ſuum creare & conſecrare, quamuis in aliis prouinciis regnaturus ſit, ſi ita ipſorum Regum voluntas & temporum atque locorum opportunitas ſe obtulerit, eadem eſt Celticorum & Aquitanorum, qui * Belgico rum prouinciæ nihil debent, Regem ſuum, quamuis & in Belgica regnaturus ſit, eligere, & omne Regi debitum obſequium exhibere. Si verò ad conſuetudinem recurrimus, quæ in exemplis maximè declaratur, reſpondemus ex verbis Auguſtini, * quia ratio exemplis anteponenda eſt, cui tamen & exempla concordãt. Ecce rationem dedimus, * quam apud eos æquè validam ſuper hoc negocio inueniri non credimus. Addamus & exempla rationi concordantia. Sicut enim legitur in geſtis Francorum, * *diuiſo regno inter filios Lotharij nepotes Clodouei, Charibertus & Guntrannus prouincias Celticorum & Aquitanorum acceperunt in regnum ſuum: & alter eorum Charibertus ſcilicet Pariſium * ſibi ſedem regiam poſuit, & vſque * ad flumen Garunnam regnum ſuum extendit: Guntrannus verò * Aurelianis ſedem regiam ſibi conſtituit, & Burgundiam, quæ Celticæ pars eſt, in regnum accepit.* Iſti quippe Reges nullam à Remenſi Archiepiſcopo * benedictionem vel coronam acceperunt, ſed à Sacerdotibus prouinciarum quas regebant, ſublimati ſunt & * ſacrati. Poſtquam verò regnum Gallorum in ſuam Monarchiam reuocatum eſt, deleta * progenie Clodouei, Pipinus & filij eius Carolus & Carlomanus *, nec Remis nec à Remenſi Archiepiſcopo in Reges ſublimati ſunt, nec iniuncti. Ludouicus quoque nepos Ludouici ſenioris apud Ferrarias, qui locus eſt in pago Senonenſi, & vxor eius nullo præſente metropolitano à quibuſdam Epiſcopis in Reges ſunt conſecrati & coronati. Vnde in geſtis Francorum ita legitur. *Audientes Hugo Abbas & cæteri Primates qui*

* al. qui ad hoc ita ms. c.
* regnum. ms. c.
* al. Belgiarum.
* al. Caſulanum & in can. ſane diſtinct. 10.
* al. cui
* al. diuiſum eſt regnum inter.
* al. Pariſius ita ms. c. vt epiſt. 5.
* al. ad fluuium.
* al. Aurelianum.
* al. Epiſcopo.
* al. conſecrati.
* vel propagine.
* al. Carlomagnus. vel Karlomannus.

*cum filiis quondam senioris * sui Ludouici agebant, Ludouicum nepotem cum uxore sua ad has partes venturum quosdam Episcopos miserunt ad Ferrarias Monasterium, & ibi consecrari eos & coronari in Reges fecerunt.* Item in gestis Francorum. *Supererant duo filij Roberti Comitis Andegauorum, qui fuit Saxonici generis vir. ex his senior Odo dicebatur; Robertus alter, ex his maiorem natu Odonem Franci & Burgundiones, Aquitaniensesque proceres congregati in vnum, licet reluctantem tutorem Caroli pueri, regnique elegerunt gubernatorem, quem vnxit * Vualterus Archiepiscopus Senonum.* Item. *Carolus simplex in carcere positus, Rodulfum nobilem filium Ricardi Burgundionum Ducem, quem de fonte sacro susceperat, vnà * cum consilio Hugonis magni filij supradicti Roberti, & procerum Francorum in Regnum sublimauit. Vnctus verò est in Regem ipse Rodulfus tertio Idus Iulij Suessionis ciuitate. Post mortem Rodulfi Regis, per * Vuilelmum Archiepiscopum reductus est ab Anglia Ludouicus filius Caroli simplicis in Franciam, * & quarto Cal. Iulij vnctus est in Regem apud Laudunum. Post translationem verò regni Francorum in progeniem Hugonis magni Ducis, Robertus piissimus Rex filius Hugonis Regis Aurelianis in Regem consecratus est & coronatus: cuius filius Hugo iuuenis Compendij est vnctus, & in regem sublimatus.* Ex his & huiuscemodi exemplis manifestum est, quòd Francorum Reges non omnes in Remensi Ecclesia, vel à Remensibus Archiepiscopis sunt consecrati, sed multi in multis aliis locis, & à multis aliis personis consecrati sunt. Quæ omnia si retexerentur, & prolixam facerent orationem, & superfluam disputationem: cum nullis scriptis vel exemplis probari possit, Remensem * Archiepiscopum Francorum Regem extra Belgicam vnxisse aut coronasse. Cùm ergo hæc eadem potestas sit cuiusque metropolitani in metropoli sua, * mirum videtur quare vnus in proprium ius ambiat vendicare quod multorum constat esse commune: nisi fortè quis dicere audeat maiorem vim Sacramentorum esse apud alios quàm apud alios, quod scismaticum * esset, & vnitatem Ecclesiæ diuideret. Hæc dicentes non reprehendimus institutionem Ecclesiasticam, per quam pax Ecclesiæ firmiùs colligata est, cùm inferiores à superioribus Sacramentorum dispensationem suscipiunt, nec vltra quàm sibi concessum est vsurpare præsumunt. Verùm vbi personarum æqualis est potestas, quarum altera alteri nihil præter caritatem debet, si altera alteri ius suum vult detrahere & sibi soli arrogare sua quærens, deceptus est seculi ambitione. Nos quippe Remensi Ecclesiæ non inuidemus, & si Reges Francorum erga eam habuerint tantam deuotionem, vt malint à metropolitano eius consecrari quàm ab alio, non repugnamus, non dolemus: immò super benedictionem eorum si nos adesse contigerit, gratanter loco idiotæ amen respondebimus. Supradicta verò verborum serie ostensum est in vnctione Ludouici Regis nihil nos fecisse contra morem. Restat vt ostendamus nihil nos fecisse contra legem. Lex quippe est præceptio vel prohibitio scripta, ad communem vtilitatem referens quisquid iubet aut prohibet. Contra hanc ergo nihil fecimus; qui nulla contradictione prohibiti, communi vtilitati

eadem notione id verbi sumitur epist. 194.

** al. Galterus. Gualterius. vel Gauterius.*

** cum, abest à tribus v.c.*

** al. Guillelmum.*

** aliàs leg. & decimo tertio Cal. Iul. vel etiam in ms. c. xij. Cal. Iul.*

** al. Remorum.*

** al. non video quare.*

** al. schis.*

N. B.

in hoc facto caritate suggerente consuluimus. Si verò priuilegiis nititur Remensis Ecclesia, illa priuilegia apud nos nulla sunt, quia nec in generalibus Conciliis nobis audientibus sunt recitata, nec ad Ecclesias nostras * epistolari maturitate directa, & vt manifestiùs dicamus, nulla nobis familiari vel publica relatione propalata. Illius ergo legis præuaricatores non sumus, cuius auditores nunquam fuimus. Quæ tamen si audita esset, nihil nobis obesse deberet. Lex enim iusta debet esse & possibilis, loco & tempori congruens. Iusta si sit, Deus scit. nos autem interim nec vt iustam approbamus, nec vt iniustam condemnamus, quam adhuc ignoramus. Possibilis verò non erat, quia consecratio Regis Remis ab Archiepiscopo Ecclesiæ nondum * intronizato, sine summa perturbatione & sanguinis effusione celebrari non poterat. Loco non conueniebat, quia ciuitas sub anathemate posita erat. Tempori opportuna non erat, quia si consecratio Regis differretur, regni status & Ecclesiæ pax grauiter periclitaretur. Quod ergo fecimus, salubri deliberatione & prouida dispensatione fecimus, nulli inuidentes, nullius auctoritatem nobis arrogare molientes, sed nos intra terminos nostros * simplici oculo cohibentes. Sentiant aliter qui volunt: non timemus tribunal terreni iudicis, quia securos nos facit conscientia nostra ante tribunal interni * cognitoris. Nouimus enim quia necessariæ dispensationis * modus nulli vnquam sapientium displicuit: quam non solùm priuatæ leges, quibus nec fidei veritati, nec morum honestati consulitur, sed etiam leges generales contra hæreticos vel sceleratos promulgatæ admittunt: quando maioribus morbis sanandis, vel maioribus malis amouendis meliùs subuenit moderatio sinceræ caritatis, quàm rigor indiscretæ seueritatis. Hæc * primò ex auctoritate Euangelica, dehinc ex Actibus Apostolorum, tertiò ex Epistolis * Apostoli, postremò ex decretis Romanorum Pontificum, cæterorumque ortodoxorum Patrum sententiis facilè probarentur, nisi prolixitas Epistolæ modum excedere videretur.

** in vno v.c. epistulari,*

** Geruasius & Radulfus contendebant inter se de episcopatu Remensi, vt indicat epist. 190.*

** sic locutus epist. 67.*

** conditoris ms c.*

** vide epist. 214.*

** Hoc. ms c.*

** exemplis, ms. c.*

EPISTOLA CXC.

Paschali Summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, dilectionem filij & obedientiam per cuncta subiecti.

NOtum esse volumus excellentiæ vestræ, quia ego & Domnus Theobaldus beati Martini monasterij Parisiensis Prior audientes miserabilem & mirabilem Remensis Ecclesiæ desolationem, ausu familiaritatis opportunè & importunè Regem Francorum interpellauimus, quatinus prædictæ Ecclesiæ expulso inuasore Geruasio pacem restitueret, & domnum Radulfum * eiusdem Ecclesiæ metropolitanum in gratiam suam receptum, eidem Ecclesiæ præesse concederet. Adquieuit tandem precibus nostris, & concessit vt eum ad curiam suam, quæ Aurelianis in natali Domini congreganda erat, securè adduceremus, & ibi cum eo & cum principibus regni de hoc negocio, quantum fieri posset, salua regni integritate tractaremus. Factum est vt condictum erat; & conuenientes in curiam multiplicatis intercessoribus petitionem nostram semel &

** hinc pendet interpretatio verborum quæ habentur in fine epist. 188.*

sæpius replicauimus. Sed reclamante curia plenariam pacem impetrare nequiuimus, nisi prædictus metropolitanus per manum & sacramentum eam fidelitatem regi faceret, quam prædecessoribus suis Regibus Francorum anteà fecerant omnes Remenses Archiepiscopi, & cæteri regni Francorum quàmlibet religiosi & sancti Episcopi. Quod persuadentibus & impellentibus totius curiæ optimatibus, & si propter mandatorum rigorem minùs licebat, factum est tamen, quia Ecclesiasticæ paci & fraternæ dilectioni sic expediebat. Cùm enim plenitudo legis sit caritas, in hoc legibus obtemperarum esse credimus, in quo caritatis opus impletum esse cognouimus. Petimus ergo flexis genibus cordis, vt hoc eodem intuitu caritatis & pacis veniale habeat paterna moderatio, quod illicitum facit non æterna lex, sed intentione acquirendæ libertatis præsidentium *sola prohibitio. In excessibus ergo filiorum vtili dispensatione & compensatione contractis sufficiat patri verbum pro verbere, & deuota filiorum supplicatio pro summo reputetur supplicio. Si enim vult Apostolica auctoritas omnia quæ medicinali condescensione dispensantur districtè iudicare, oportebit pene omnes ministros administrationibus suis renuntiare, aut de mundo exire: nec habebunt vbi seminent spiritualia, * nisi permittantur aliqua tolerare carnalia. Vnde necessitati temporum cedendum esse Apostolica docet sublimitas, & orthodoxorum consulit auctoritas dicens: * quia vbi populorum strages iacent, detrahendum est aliquid canonum seueritati, vt maioribus morbis sanandis caritas sincera subueniat. Hæc dicendo tamen doctam paternitatem vestram non docemus, sed eandem consulendo & rogando monemus, vt ibi consilij & pietatis studeatis visceribus abundare, vbi fas non est debitam fortitudinem exercere. Valete.

N. B.

Rom. 13.

** similis locus epist. 60. & 236.*

** confer loc. epist. 214.*

** ca. necessaria. & seqq. caus. 1. q. 7 & epist. 236.*

EPISTOLA CXCI.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Hugoni reuerendo Cluniacensis Monasterij Abbati salutem & seruitium.

EST in quodam monasterio ditionis vestræ quidam frater, qui cum esset clericus in sæculo degens quandam mulierem grauidam, cum qua consuetudinem habebat, oppressit. Mulier verò post aliquot dies abortiuum fecit. Sed vtrum hac oppressione vel alia occasione mulier abortierit, & opprimenti & oppressæ fuit incertum. Propter hanc tamen causam ab accipiendis sacris ordinibus suspenditur, & à sacramẽtorum dispensatione remouetur. Videtur multis hæc prædura sententia, vt pro incerta culpa tam seuerum confirmetur iudicium, cùm dicat consona Euangelio canonica sententia: * *nullus pontificum incerta iudicare præsumat.* Quæ tamen culpa si certa esset; secundùm antiquorum exempla, mitiùs animaduerti potuisset, * si tamen infirmis mentibus non obesset. Sanctus enim Dauid post actam de adulterio & homicidio pœnitentiam, prophetiæ spiritum non amisit. Petrus postquam Christum cum periurio negauit, culpam lachrymis diluens non solùm Apostolus, sed etiam Apostolorum Princeps mansit. Paulus post persecutionem & cædem discipulorum Domini ad Apostolicum fastigium peruenit. Homicida ille, quem beatus * Ioannes Ephesino Episcopo nutriendum, erudiendumque commiserat, post cædes & rapinas ductus pœnitentia, non solùm indulgentiam obtinuit, sed etiam beato Ioanne ordinante Ephesinæ Ecclesiæ præpositus fuit. Istæ memorabiles personæ quia veram pœnitentiam egerunt, plenam indulgentiam meruerunt, non tantùm ad culpæ remedium, sed etiam ad obtinendum pastoralis curæ fastigium. Veruntamen hæc exempla legem non faciunt; quia sicut dicit beatus Augustinus, * *posterorum diligentia seuerissimè sanxit, vt post actam de crimine pœnitentiam nullus in clericatu maneat, nullus ad clericatum accedat. quod dictum esse creditur non dispensatione indulgentiæ, sed rigore disciplinæ: quoniam aliqui propter affectatas honorum potentias, fictas agebant pœnitentias.* Vnde mihi videtur, quia sicut ficta pœnitentia fictos pœnitentes à clericatu repellit: ita vera pœnitentia verè pœnitentes ad clericatum admittit. Hęc dicentes sacris Patrum regulis non obuiamus, sed ex ratione & exemplorum commemoratione in præsidentium intelligimus positum esse discretione: vt quos viderint veram egisse pœnitentiam, eos ad Ecclesiasticam possint promouere militiam, si tamen publicam * non egerint pœnitentiam. Talibus enim ideò clericatus denegatur, quia ab insidiatoribus diuinis sacramentis pro huiusmodi derogatur, & simplicium animus aut scandalizatur, aut infirmatur. Hic verò nihil horum est, quia nec culpa est certa, nec pœnitentia publica: persona verò honesta, quantum de alterius vita æstimare potest humana conscientia. Quæ ideò nobis videtur Deo posse offerre sacrificium, quia seipsam Deo fecit holocaustum. Quis sit ille frater, de quo agimus, dicent vobis fratres præsentium portitores: pro quo supplicamus reuerentiæ vestræ, vt mitigato rigore vestræ consuetudinis eum ad sacros ordines promoueri concedatis. Prudenti loquimur, nihil vos docentes, neque aliquid dicentes quod non nouerit vestra prudentia, & sæpe tractauerit vestra solertia. Valete.

** Sixtus Papa in ca. si quis cau. 30. q. 5.*

** al. posset, ita ms. c.*

1. Reg. 12.

Matth. 26.

Ambr. serm. 47 de fide Petri can. hi qui. dist. 50.

** Abdias Bab. lib. Euseb. hist. Eccl. lib. 3. cap. 17. & Necephor. Cal. lib. 2. cap. 42.*

** al. posteriorum ita ms. c. S. August. epist. 50. ad Bonifacium. vide Grat. l. 1. decret. dist. 50. & Iuonem decreti lib. 3. tit. de lapsis post ordinat.*

** ca. 49. 50. 52. 53. dist. 50. & ca. 1. 2. 3. dist. 55. nisi tamen necessitas aut vsus exegerit. ca. 61. dist. 50.*

EPISTOLA CXCII.

*Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Monachis * Columbensibus, idipsum sapere in Domino.*

** quidã cod. Columbinis.*

VT verbis dominicis vtar, *ecce sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum:* quia quorundam suasionibus à sensu vestro turbati estis, qui pharisaico fermento inflati, non dominico frumento impinguati gloriantur in vilitate ciborum, & in non parcendo corpori; cùm secundùm Apostolum, corporalis exercitatio ad modicum sit vtilis, & regnum Dei non sit esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Tales quippe non habentes exercitatos sensus in intelligentia scripturarum, quæ sapiunt non sapiunt ad sobrietatem, neque de quibus affirmant cum debita discretione intelligunt: non putantes piè posse viuere bonos in * collegio malorum, attendentes illud Ezechielis: *Recedite, exite inde;* & non attendentes illud quod sequitur, *Et immundum ne tetigeritis,* quod intelligendum est contactu cordis non corporis. Vnde Augusti-

Luc. 22.

Rom. 14.

Rom. 12.

** al. collectione.*

Ezech. 52. al Esaia.

August. serm. 18. de verb dom. refertur in ca. ecce & ea recedite cau. 23. q. 4.

nus in sermone de verbis Euangelij: *Quid est exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum pro vnusquisque gradu atque persona salua pace fieri potest? Displicuit tibi quod quisque peccauit, non tetigisti immundum. Redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam congruam & quæ vnitatem non violet disciplinam, existi inde. Clamauit ista Moyses, clamauit Isaias, clamauit Hieremias, clamauit Ezechiel. Videamus si dimiserunt populum Dei, & se ad gentes alias transtulerunt. Quàm multa & quàm vehementer increpauit Hieremias in peccatores & sceleratos populi? inter eos tamen erat, vnum cum illis templum intrabat, eadem sacramenta celebrabat, in eadem sceleratorum hominum congregatione viuebat, sed clamando exibat inde. Hoc est immundum non tangere, hoc est exire inde, & voluntate non consentire, & ore non parcere.* Idem in eodem: * *A malis corde semper disiungimini, ad tempus cautè aliquando corpore copulamini. Duobus modis non te maculat malus; si non consentias, & si redarguas. hoc est non communicare, non consentire. Communicatur quippe, quando facto eius consortium voluntatis vel approbationis adiungitur. Neque ergo consentientes sitis malis vt approbetis, neque negligentes vt non arguatis, neque superbientes vt insultanter arguatis.* Idem in epistola Concilij ad Donatistas: *quisquis in hac Ecclesia benè vixerit, non præiudicant ei peccata aliena. quia in ea vnusquisque proprium onus portabit. Ergo communio malorum non maculat aliquem communione sacramentorum, sed consensio * factorum.* Idem in libro * contra epistolam Parmeniani: *Cùm idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat quàm dolor & gemitus: vt per illud signum quod sancto Ezechieli ostensum est, illæsi euadere ab eorum vastatione mereantur. Nam consilia separationis & inania sunt & perniciosa atque sacrilega: quia impia sunt & superba & plus perturbant infirmos bonos quàm corrigant animosos malos.* Hæc & his similia præcones huiusmodi (non intelligentes aut non legentes) suadent monachis vt monasteria sua deserant propter Abbates suos & procuratores monasteriorum suorum, qui aliquas decimas, quæ iure pertinent ad dispensationem Episcoporum, monasteriis suis adquisierunt. Dicant mihi tam subtiles diuinorum iudiciorum scrutatores, quid salubrius sit monachis, vtrùm permanere cœnobitas sub præpositorum suorum obedientia quæ melior est quàm victimæ, & ibi viuere de decimis & fidelium oblationibus, quas Ecclesia * lege caritatis cõmunicare potest non tantùm monasteriis, sed etiam xenodochiis, infirmis & peregrinis: an fieri Sarabaitas, * vt in priuatis locis proprio iure viuant, & victum sibi de substãtia pauperum per manum raptorum, & de fœnore negociatorum accipiant. Licet enim decimæ & oblationes principaliter clericali debeantur militiæ; potest tamen Ecclesia omne quod habet cum omnibus pauperibus habere commune. Quanto magis cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis non in angaria baiulãtes Christi crucem sequuntur pauperem Christum? Est tamen in quo Abbatibus & præpositis monasteriorum parcendum esse non æstimo, si ab illis ad quos non pertinent, id est à laïcis * decimas & oblationes accipiant, si inordinatè eas à quibuscunque personis adquirant, si terminos transgrediantur antiquos, id est, si stipendia presbyterorum antiquitùs instituta minorent ac sibi vsurpent. Nec tamen ideò monachi qui hæc ignorant aut non probant, debent suam * collectionem deserere, aut Abbatibus suis minùs obedientes existere, dicente Domino de præpositis Ecclesiarum & monasteriorum sub nomine scribarum & pharisæorum: *quæ dicunt facite, secundùm verò opera eorum nolite facere.* Nec vsus ipsarum rerum prohibendus est his quorum conscientia immunis est: cùm dicat Apostolus, *omnia munda mundis*, &, *vnusquisque onus suum portabit*, & Dominus in Euangelio, *quod intrat in os non coinquinat hominem, sed concupiscentia mala quæ procedit de corde, & approbatio mali operis, quæ procedit de ore, hæc coinquinant hominem.* Hæc diuini verbi prætaxati prolatores, & non satis discreti intellectores minùs attendunt: qui dum quasi ad ligna cædenda * procedunt, indiscretis sermonibus & non sale conditis, tanquam immoderatis ictibus percutiunt conscientias infirmorum, dum Ecclesiam orbis terrarum parui pendentes dicere videntur, *ecce Christus hic & ecce illic, ecce in cubiculis, & ecce in deserto.* Ita sentientes ante tempus vsurpant sibi ventilabrum quo in fine ventilãda est dominica area, tanquam apud communem Ecclesiam sola remaneat palea, ad eos verò trãseat triticum tanquam in dominico horreo recondendum: in qua præsumptione valde metuendum est, ne dum qui se triticum à palea separatum reputat, pharisaïco fermẽto inflatus palea fiat. Præterea qui de laboribus manuum necessaria sibi præparare non sufficiunt, non benè prospiciunt: quia quæ in aliis reprehendunt, frequenter ipsi committunt: dum victi penuria victus prædicant populis innocentiam suam, quod est oues vendere, prædicant vt manducent, quod est boues vendere: cùm tales venditores cum venditoribus columbarum de templo Dominus eiecerit, & à catholicorum societate eliminandos horũ similes præfigurauerit. Neque enim hoc eos excusare videtur quòd manu sua pecunias non accipiunt, sed * Giezitas suos aut secum habent, aut post se mittunt qui collectionem accipiãt, & in quorum voluerint vsus expendant. Hæc in se si considerarent, clericos, monachos, rectores Ecclesiarum & monasteriorum non tanto studio lacerarent. Hæc scripsi vobis, fratres, vt non terreamini tonitru vanarum comminationum, neque moueamini à vestro sensu, sed secundum statuta præcedentium patrum vitam vestram dirigatis, & obedientiam quam prælatis vestris debetis, & stabilitatem quam monasterio vestro professi estis, firmiter teneatis: ne damnationem eorum qui vota sua irrita faciunt, incurratis. Hæc dicens anachoritarum * vitam non improbo, eorum videlicet qui in cœnobiis regularibus instructi disciplinis ordinabiliter ad eremum secedunt, quibus est solitudo paradisus, & ciuitas carcer: vt actiuam vitam de labore manuum viuentes exerceant, aut dulcedine contemplatiuæ vitæ mentem reficiant, fontem vitæ ore cordis sitiant, & eorum quæ retro sunt obliti ad ea vltrà non respiciant. Verùm cùm quidam ex hac professione in melotis suis vicos, castella, ciuitates girando perlustrent, * humilitate vestium, vilitate ciborum, merita sua populis ostentant. Ambiunt fieri magistri qui nunquam fuerunt discipuli, deprimentes vi-

Margin notes (left): *Num. 16. Esaiæ 52. Thren. 4. Ezech. 14.* — *ca. 8. à malu. cau. 23. q. 4.* — *Ca. si quis. cau. 23. q. 4.* — ** al. consensus.* — ** lib. 3. cap. 3. & in ca. non potest. cau. 23. q. 4.* — *Non legentes aut non intelligentes. ms. c.* — ** in Ecclesiastica lege, ms. c.* — ** quorum etiam paulo post mentio.* — ** confer loc. epist. 289.*

Margin notes (right): ** al. collectam.* — *Matth. 23.* — *1. Tit. 1. Galat. 6. Matth. 15.* — ** Deuter. 19. & epist. 133.* — *Marc. 13.* — *Matth. 21. Ioan. 2.* — ** Reg. lib. 4.* — ** confer locum epist. 256.* — ** al. humilitatem vest. vilitatẽ cib.* — *Ad. Ioan. Salesber Policrat. l. 7. c. 21. vbi agit de hypocritis sui temporis qui ambitionem falsa religionis imagine occultare nitebantur.*

tam omnium hominum quia * non sunt quod ipsi sunt. Hos nec eremitas computandos intelligo, nec cœnobitas, sed * girouagos aut Sarabaitas, qui corpus Christi quod est Ecclesia tanquam ad vnum membrum redigunt: non attendentes quia vnusquisque proprium donum habet à Deo, & quia in domo Dei alius ambulat sic, alius sic, & quia omnia membra non eundem actum habent, & in eodem Christi corpore non dicit vltimum membrum, non sum de corpore, quia vltimum sum; nec gloriatur supremum membrum aduersus inferiora quia supremum est. Vniuersitatem ergo corporis Christi quantum in se est destruunt, qui ad paucos solitarios solummodò Ecclesiam Dei pertinere contendunt. Qui etiam si seipsos veraciter agnoscerent, imperfectioni aliorum prudenter ignoscerent: cùm nec seipsos à permixtione malorum immunes intelligerent; cùm Dominus de singulis gradibus Christianæ professionis loquens per singulos dicat: *quia vnus assumetur ad numerum electorum, vnus verò relinquetur in massa damnatorum.* Non enim beatum faciunt hominem secreta syluarum, cacumina montium, si secum non habet * solitudinem mentis, sabbatum cordis, tranquillitatem conscientiæ, ascensiones in corde, sine quibus omnem solitudinem comitantur mentis accidia, curiositas, vana gloria, periculosæ tentationum procellæ: nec datur periclitanti animæ opportuna tranquillitas, nisi Deo increpante repellatur tentationum importuna tempestas. Hæc autem si penes vos habueritis, in quocunque loco fueritis, in quocunque ordine vel habitu Deo militaueritis, brauio æternæ remunerationis non carebitis. Sed quia sathanas aliquando transfigurat se in Angelum lucis, timeo ne sicut serpens antiquus seduxit Euam astutia sua, sic callidus tentator per occultas administrationes suas quorundam mentes seducat, & conscientias eorum illusionibus suis corruptas septem nequam spirituum habitacula faciat, qui velamine vanæ religionis palliata domicilia sancti Spiritus esse confingat, & per deceptos suæ deceptionis muscipulas latiùs extendat. Quod ne fiat, secundùm Apostolum *nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus si ex Deo sunt*: quia discretio spirituum cum consilio scripturarum poterit istos motus in vobis sedare, & in mentis stabilitate seruare, vt contra tentatores vestros dicatis cum psalmista: *qui tribulant me, exultabunt si motus fuero.* In hunc modum possem multa ad ædificationem vestram scribere, sed iis qui cotidie audiunt sacras scripturas, vel audiunt salutiferas admonitiones, puto ista posse sufficere. Valete.

* al. quòd vel qui.
* qui & nunquam stabiles, voluptatibus & gulæ seruientes, erant deteriores Sarabaitis, vt dicitur in reg. S. Benedicti cap. 1.
Marc. 13. Matth. 24.
* al. habeat.
N. 8.
1. Ioan. 3.
Psal. 12.

EPISTOLA CXCIII.

Gaufrido venerabili Beluacensium Episcopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, salutem & seruitium.

Dilectionem vestram pro Ecclesia beati Quintini * sæpe interpellauimus, bonam spem, bonum promissum à dulciloquio vestro reportauimus. Vnde adhuc humili deuotione piis precibus eandem dilectionem vestram petendo, pulsando imploramus, quatinus prædictæ Ecclesiæ quietem & ipse conseruetis, & ab aliis conseruari postposita omni commodi datione, occasione, & æmulorum delatione studeatis. Nunquam enim aduersum vos in iudicium venire voluimus, nunquam æmulis vestris & detractoribus aurem cordis accommodauimus. * Sed si quid indecens de vobis fama sonuit, piè dissimulare, & fraterna compassione velare studuimus. Hoc autem est quod à dilectione vestra postulauimus, & adhuc postulamus, vt priuilegia quę dicta beati Quintini Ecclesia ab antecessoribus vestris obtinuit, & Apostolica manus roborauit, regia quoque maiestas pragmatica sanctione firmauit, intemerata seruetis, sicut si fierent vestra, illibata seruari velletis. Nolumus aduersum vos sublimium personarum aures pulsare, donec experiamur misericordiæ viscera vobis clausa perdurare: quia tunc demum tumores ferro pungendi sunt, cùm sentire fomenta refugiunt. Sciat vestra prudentia, quòd quæcunque bona fecerunt antecessores vestri prædictæ Ecclesię, vestra sunt, & æquè profutura vobis vt illis, si congaudeatis: temporaliter & æternaliter obfutura, si pusillum Domini gregem inquietare, & à tranquillitate mentis, quæ seruis Dei necessaria est, perturbari aliqua temporalis emolumenti occasione permittatis. Vestrum est rigare & nutrire quod alij plantauerunt, vt eundem fructum reddat secunda gratia nutritori, quam reportatura est prima gratia plantatori. Sciat quippè sollicitudo vestra, quia fundator prædictæ Ecclesiæ bonæ memoriæ domnus Guido Beluacensis Episcopus, nullam multam pecuniæ, nullam exactionem, nullam consuetudinem in prædicta Ecclesia, vel in vico sibi adiacente sibi vel successoribus suis, vel cuicunque potestati retinuit. Omnia hæc per regiam manum, deinde per comprouincialium Episcoporum * conuenientiam, demum per auctoritatem Apostolicam dedit, omnia prædictæ Ecclesiæ prætaxatis sanctionibus confiscauit. Hanc libertatem Ecclesia à tempore sacerdotij mei, & tempore domni Galonis † postea Parisiensis Episcopi incôcussè possedit. Quòd modò vt audiui adnihilare molitur maliuolorum persuasionibus vestra intentio, dicens se rem aliter habuisse quàm diximus: cùm constet non esse pro lege habendum, quod manifestum fuerit contra priuilegia fuisse præsumptum. Quòd si aliquis de clientela Ecclesiæ, vel parochianis contra pacem vel Christianam legem fecerit, per officium vestrum ad satisfactionem cogite: Ecclesiam verò cum suo Abbate quietè Deo seruire permittite. Valete.

* de quo epist. 31.
* de hoc Gaufrido Beluacensi Episcopo conqueritur epist. 131.
* in quibusdam v. c. coniuentiam.
† qui primum electus Episcopus Beluacensis epist. 104. & 105.

EPISTOLA CXCIV.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Hugoni Ecclesiæ Aurelianensis Decano, & Vulgrino eiusdem Ecclesiæ Archidiacono, & communi capitulo prædictæ Ecclesiæ salutem.

In ms. c. hæc epist. habetur post sequentem.

Mandastis mihi per litteras vestras, quòd Reginaldus Canardus meum se negat esse parochianum: quod iniustè eum negare, si colloquium inter nos haberetur, & lege probaremus & consuetudine. Verùm quia hoc ad præsens cômodè fieri non potest, interim eum à nobis excommunicatum monemus, & rogamus * vt pro excommunicato in Ecclesiis vestris teneri faciatis. In quo si mihi adquiescere non

* iunge locos epist. 76 & 111.

[* al. saltem.] non vultis, auctoritati * saltim patrum obtemperetis, quæ parochianos alterius Ecclesiæ ab alia Ecclesia excommunicatos, dum in sua parochia morarentur, à propria Ecclesia recipi non debere testatur. Legitur enim in Concilio Meldensi cap. II. *De illis autem qui infrà parochiam beneficium aut hæreditatem habent, & alterius Episcopi parochiani sunt, & de loco ad locum iter faciunt, rapinas & deprædationes peragunt: placuit vt excommunicentur, nec antè ex parochia exeant, quàm quæ perpetrarunt dignè emendent. Quorum excommunicatio* [* sic accipit epist. 189.] *seniori eorum & proprio Episcopo significanda* * [* iunge ca. 20. curæ cau. 11. q. 3.] *est, ne eos recipiant antequàm illuc redeant vbi rapinam fecerunt, & omnia pleniter emendent.* Aduersus hanc sententiam tam perspicuam, tam firmam, si quis stare tentauerit, & malitiam impœnitentis hominis adhuc velare voluerit, * [* al. metropolitanam sedem ap.] metropolitanæ sedis audientiam appello.

EPISTOLA CXCV.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Gaufrido Vindocinensis monasterij Abbati, non alta sapere, sed humilibus consentire.

ACcepi litteras tuas palpantes & pungentes, in quibusdam mellis dulcedinem redolentes, in quibusdam fellis amaritudinem respergentes: obiicientes mihi quòd te & tibi commissa prædonibus & malefactoribus exposuerim, & multa* [* deest in ms. c.] tibi mala factis & dictis ingesserim. Hoc prorsus dico teste veritate, quæ Deus est, & conscientia mea: quia nec te nec tua cuiquam exposui, neque vt res monasterij tibi commissi malè tractarentur, cum aliquo tractaui. Verùm quia frequenter ex te bibo amara, non est mirandum si non possum tibi propinare dulcia, nec exhibere me patrem, qui te non inuenio filium. Non ergo est iniustum si tibi subtraho lac matris, qui mihi debitum honorem non exhibes patris. Noueris enim [N. B.] vanas esse excusationes quas obtendis, te propter obedientiam Romanæ Ecclesiæ, Carnotensis Ecclesię professionem refutasse: cùm Ecclesia Romana à Deo nullam iniustam acceperit potestatem, fidem violandi videlicet, debita sua cuique non reddendi: sed tantùm quæ sunt liganda ligandi, & quæ sunt soluenda soluendi. Vnde ad omnia obiecta tua vel pręmissa breuiter respondeo postpositis omnibus verbis superuacuis: fac quod tuum est, & ego faciam quod meum est. Quod quandiu facere distuleris, si distulero facere ea quæ tua sunt, non * [* ne. ms. c.] mireris.

EPISTOLA CXCVI.

*Ludouico Dei gratia Francorum Regi dulcissimo * [* & dilectissimo, ms. c.] Domino suo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, salutem & debitum pro posse seruitium.*

DIctum est mihi quòd ad suggestionem inimicorum Abbatem sancti Dionysij grauiter accusatis, & testimonio cuiusdam pseudomonachi de obiecta sibi falsitate infamare contenditis. Quod nec leges habent, nec antecessorum vestrorum Regum instituta permittunt, vt alicui de se confesso * [* epist. 219. & 249. & l. vlt. C. de accusationib.] credi debeat super crimen alienum. Vnde excellentiæ vestræ supplico, vt maiestati regiæ primò consulatis, & nobilis monasterij, quod cum omnibus sibi appendentibus vestrę voluntati obnoxium est, ne in aliquo iura minuatis, sed potiùs beneficia quæ prædecessores vestri eidem venerabili loco contulerunt, tanquam in propriam eleemosynam defendendo * [* in vno v. c. vertatis. in aliis, vereatis. ita ms. c.] vendicetis. Et quia periculosum est loca sanctorum perturbare, militantes in sanctis locis inquietare: salubre consilium mihi * [* al. videtur.] videretur, vt postpositis æmulorum * [* al. insinuationibus.] insimulationibus tales personas ad hanc discussionem inuitaretis, vel expectaretis, qui sine omni fuco malitiæ consilium vobis darent, & vestræ vtilitati, & quieti monasterij salubriter prouiderent. In his autem & in omnibus det vobis dominus spiritum consilij, & fortitudinis, & pietatis. Valete.

EPISTOLA CXCVII.

*Iuo Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, * [* al. Vuillelmo.] Gulielmo eadem gratia maioris monasterij Abbati, summa Pastori in sancto placere proposito.*

COntinetur in litteris vestris Presbyterum tanquam ad terrendos inimicos domum suam succendisse, & eo incendio puerũ quendam sequentem matrem, cùm incendium præualuisset, occubuisse. Quærit itaque vestra fraternitas, vtrùm prædictus Presbyter factus monachus vlteriùs valeat Christi sacramenta tractare, an omni tempore à sacerdotali officio alienus existere. Respondeo itaque vobis ex verbis Papæ Nicolai de simili casu, cuidam Episcopo * [* al. Hosbaldo latiùs extat in ca. studeat. dist. 50.] Hosbardo ita scribentis: *quoniam Presbyter & si voluntatem occidendi non habuit, furor tamen & indignatio, ex quibus mortifera illa commotio prodiit, in omnibus, & præcipuè in Dei ministris inhibetur, atque vbique damnatur.* Quibus verbis colligi potest, quia si Presbyter rem licitam & ordinatam fecisset, & præter eius intentionem alicuius inopinata mors inde prouenisset, * [* al. processisset.] immunis esset. Nunc quia diabolo suadente quod illicitum & contra sacerdotale propositum erat priùs fecit, & de malo initio peior exitus prodiit, nullo modo Presbyterum * [* vel possimus.] debemus immunem æstimare, nec sacerdotali officio dignum iudicare, nisi eum longa monasticæ vitæ probet experientia, & ad intermissum ministerium ex meritorum prærogatiua pastoralis obedientia reuocet.

EPISTOLA CXCVIII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Gisleberto bonæ spei fratri & multiplici honore sublimi.

NOuerit dilectio tua mihi & Coëpiscopis nostris Parisiensi & Suessionensi litteras à Domno Papa directas: quibus præceptum est nobis, vt te & Gaufridum concanonicum tuum vsque ad Idus Iulij in competenti loco ad audientiam nostram conuocemus, & causam quam aduersum te habet prædictus Gaufridus de præpositura * [* al. Sodobrij vt epist. seq.] Suobrij rationabiliter decidamus. locum itaque Stampis statuimus; ad quem locum vnusquisque vestrum poterit personas negocio suo necessarias adducere, & intrepidè suas actiones * [* al. exerere.] exercere. Diem verò

idus Iulij * denotamus: & ad locum illum & diem ea auctoritate qua nobis præceptum est, te inuitamus: * & si ad vocationem nostram venturus sis, certos nos ad præsens fieri * flagitamus. Vale.

[* al. denominamus al. denotauimus, ms. c. * hæc omnia desunt * al. postulamus.]

EPISTOLA CXCIX.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Gisleberto nepoti Domni Turonensis Archiepiscopi, salutem.

AD causam te ex præcepto Domni Papæ aduersus Gaufridum concanonicum tuum de præpositura * Suobrij denominato certo die, certo loco inuitauimus, & vt de tuo aduentu certos nos redderes, quia de obedientia tua incerti eramus, patenter admonuimus, ne nos & alios qui ad hanc causam * venturi erant, frustrà fatigaremur *. Tu verò admonitionem nostram, immò Domni Papæ postponens, legationi nostræ nihil respondisti; iudicium subterfugiens nobis ignorantibus venisti: & quia cum iudicibus de causa non conveneras, iudices non inuenisti. In quo meliùs tibi absenti potuit suffragari innocens & simplex veritas, quàm præsenti prodesse possit ad nocendum multo scrutinio perquisita & palliata duplicitas. Quomodo enim prodesse non potest dolosa absentia; sic iure prodesse non potest dolosa præsentia: quia sicut dicit beatus Augustinus, *simulata æquitas non est æquitas, sed simulatio & iniquitas.* * Ergo iterũ monemus quod monuimus nos & collegæ nostri ex præcepto Apostolico, vt reuertaris ad iudicium, & diem tibi præscribimus loco non mutato Cal. Septembris: ad quem si venturus es, vsque ad Assumptionem beatæ Mariæ præmandare nobis ne pigriteris: quia ad hanc discussionem aliter conuenire non debemus, nisi venturum te esse præsciamus. Alioquin vitabis arcum * ferreum, & incurreres arcum æneum. Vale.

[* in duobus v. c Sodobrij. vt epist. prec. * al. vocati. * fatigaremus, ms. c. * Monemus & iterum, ms c. * epist. 201. ex Iob. c. 20.]

EPISTOLA CC.

*Daimberto Dei gratia reuerendo * Senonensium Archiepiscopo metropolitano suo, Iuo Carnotensis Ecclesiæ humilis Minister, debitam cum omni deuotione obedientiam.*

[* al. Senonum.]

QVoniam sponsæ Christi custodes & paranymphi deputati sumus, eandem sponsam casto amore zelare debemus, vt eam sponso suo immaculatam exhibere possimus. Si ergo macula vel ruga decorem eius infuscauerit, nos omni studio curare debemus, vel rugam duplicitatis ad simplicitatem reducere, vel maculam turpitudinis nitro & sapone debitæ * correptionis abluere. Quæ idcirco eminentiæ vestræ prælibauimus, quoniam in Ecclesia Senonensi Deo auctore vobis commissa per quosdam ex fratribus eiusdem Ecclesiæ graue scandalum emersisse cognouimus, partim propter cantorem ipsius Ecclesiæ, qui contra sacramenta quæ fecit, indebitam sibi sedem in Ecclesia temeraria ambitione occupauit: partim propter quendam de prælatis Ecclesiæ, qui publicè sibi duo scorta * copulauit. & tertiam pellicem cui matrimoniales tabulas * faciat iam sibi præparauit. Quæ quantum inhonesta sint, & Apostolicis præceptis contraria, non est meum prudentiam vestram docere, sed tantùm vt tales excessus non tepidè, * non trepidè comprimatis, filiali dilectione admonere. Decet enim magnitudinem vestram, vt hæc vulnera cancrena ne latiùs serpant, medicinali cauterio circuncidatis, & à simili contagio cæteros horum exemplo compescatis. Quòd si per vos id perficere non sufficitis, adhibete vobiscum duos aut tres ex suffraganeis Episcopis, quorum consilio & auxilio scandalum hoc sedare studeatis: ne fortè tantus fœtor longiùs & latiùs diffusus ad olfactum Romanæ Ecclesiæ perueniat, & cum fatigatione corporum grauia quoque damna rerum infligat. Valete.

[* al. correctionis. * al. sociauit, ita ms. c. * confer epist. 218. * al. nec. ita ms. c.]

EPISTOLA CCI.

Paschali summo Pontifici, Iuo sublimitatis suæ filius cum debita obedientia quicquid potest esse beatius.

EX maiestatis vestræ præcepto Gislebertum nepotem Archiepiscopi Turonensis ad * præcidendam causam quæ erat inter eum & Gaufridum concanonicum suum inuitauimus, diem & locum ei designauimus: & quia incertum nobis erat vtrùm ad hanc discussionem venturus esset, an non, ne frustrà nos fatigaremus vt aduentum suum nobis * prænuntiaret, admonuimus. Ad hanc admonitionem nihil respondit. Nobis nescientibus, tanquam per absentiam nostram sublationem vel dilationem sententiæ lucraturus, ad locum præsignatum venit, sed Iudices quibus dolosè aduentum suum celauerat, non inuenit. Nos itaque ita illusi alium diem ei statuimus: legatum ei cum litteris semel & sæpius direximus. Ipse verò more solito latebras quæsiuit, & litterarum auditum tanquam venenum vitauit. Remittimus itaque prædictum Gaufridum paternitati vestræ, vt secundùm ordinem rerum gestarum, quod vobis Deus inspirauerit, de eo statuatis, & fatigationem eius & miseriam paterna miseratione subleuetis. Decet enim maiestatem Apostolicam tales tergiuersatores in astutia sua comprehendere, & vitantes arcum ferreum * intenso arcu æneo de longè sagittare. Valete.

[* al. decidendam, ita ms. c. * al. præmandaret. * epist 199.]

EPISTOLA CCII.

Ludouico Dei gratia dulcissimo Regi Francorum, Domino suo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, salutem & debitum pro posse seruitium.

NON decet maiestatem regiam vilia vel quælibet vanitatis lenocinia à sacerdote quærere, nec sacerdotalis officij est in talibus regiæ maiestati obtemperare. Hoc quibusdam * litterulis respondeo, quæ ex parte vestra quærebant à me duo paria * pellium catinarum. Quas vbi legi, propter honorem vestrum valdè erubui, nec ex parte vestra eas mihi fuisse missas credere potui: & tamen tanquam à vobis missæ fuissent, supradicta rescripsi, vt nunquam amplius à me vel ab * alio Episcopo talia quæratis, si regiæ maiestati debitum honorem seruare curaris. Valete.

[* al. litteris. * epist. 104. vocat pelliculas peregrinorum murium aut cupia vanitatum. * al. aliquo.]

EPISTOLA CCIII.

*al. Lisiardo D g. Suessionensium. In c. ms. est tamen Lisiardo Suessionum Episcopo.

Lesiardo * *Dei gratia Suessionum Episcopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, salutem.*

DE portionibus Ecclesiarum ad Episcopum pertinentibus, quas Archidiaconi vestri ante & post electionem vestram sibi vsurpauerunt, quæsiuit dilectio vestra, vtrùm haberem canonicam sententiam huiusmodi ausibus obuiantem, & eorum rapacitatem canonico rigore cohibentem. Noua sunt hæc genera morborum, & ideò noua exigunt genera medicamentorum. Tamen si inspiciamus Epistolam Isidori, * Leufredo Cordubensi Episcopo directam, patenter intelligi poterit, quia non pertinet ad Archidiaconum, præter portionem suam aliquid de * reditibus parochiarum sibi retinere, vel vltra terminos à patribus positos aliquid vsurpare. Dicitur enim in epistola præfata: *Archidiaconus inquirit parochias cum iussione Episcopi, & ornamenta & res basilicarum vel parochiarum, gesta libertatum Ecclesiasticarum idem Episcopo refert: collectam pecuniam de communione ipse accipit, & Episcopo defert.* Quibus verbis liquet, quia vltra portionem suam nihil sibi retinere debet, quòd si aliquid vsurpat, decretalem sententiam Papæ Ioannis subeat dicentem: *Qui aliena inuadit, non exeat impunitus, sed quod inuasit non simplum sed* * *quadruplum reddat secundum Euangelicam sententiam: si quem defraudaui, reddo quadruplum.* De angariis verò super Presbyteros minimè faciendis legitur in Concilio Toletano tertio, capitulo, xx. *Neque in angariis Presbyteri aut Diacones, neque in aliquibus fatigentur indictionibus.* Quæ tamen si in absentia vestra facta sunt, vestræ discretionis est aut indulgere, aut canonica seueritate vindicare. Lex enim sic de præterito * indulget, vt in posterum prohibeat. Pauca scribo, quia non ignoranti legem respondeo. Valete.

*al. Leofredo. ita ms. c. Leufrido, Ludifredo. refertur ab Iuone lib. 3. de offic. ordin. & à Gratiano in can. per lectis dist. 15.
*al. redditibus.
* in ms. c.
Luc. 19.
* l. 7. C. de legib. & const. princip.

EPISTOLA CCIV.

*al. domino.

* *Domno & Patri suo Paschali Summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, quicquid obedientiæ, quicquid famulatus ferre potest eius humilitas.*

NOuerit vestra paternitas me * Guidonem Puteacensem refugam, & clericalis militiæ desertorem, propter sacrilegia sua, propter * lamentationem & oppressionem pupillorum & viduarum, propter indebitas angarias, propter intolerabiles exactiones quas exercet in possessionibus Ecclesiæ Carnotensis, tanquam putridum membrum à corpore Ecclesiæ præcidisse, & sathanæ cui penè per omnia famulatur, cum suis sequacibus * tradidisse. Vnde flexis genibus cordis paternitati vestræ supplico, vt sententiam anathematis iustè in eum factam Apostolica auctoritate confirmetis, & Archiepiscopo Senonensi, Episcopo Aurelianensi, Episcopo etiam Parisiensi, vt idem anathema in eum faciant, * vestra auctoritate Apostolica iniungatis. Nihil enim rebellium filiorum prauitatem paterna seueritate feriatis, nisi tribulatos materna * consolatione foueatis, nisi auxiliatricem manum laborantibus & penè labentibus porrigatis, meritò conquerendo clamabit Ecclesia: *caput meum plenum est rore, & cicinni mei pleni guttis noctium:* quia penè totum corpus Ecclesiæ occupant vitiorum vepres, & vix inuenitur aliqua eradicans manus. In tantum enim apud nos in maioribus populi abundauit iniquitas, vt nec paternis admonitionibus * obediant, nec Deum terrentem timeant: cùm & ex sterilitate terræ fame pauperes eorum afficiat, & morbo qui dicitur sacer ignis, multorum membra ad præcisionem, multorum corpora ducat ad mortem. Opportunè igitur & importunè eorum * increpanda est malitia, vt vel sic cognoscatur ab eis seuera Dei misericordia. Præterea dissentio est quędam inter duos Ecclesię nostræ prælatos, Decanum videlicet & subdecanum, qui in rebus Ecclesiasticis quasdam consuetudines habent communes, quasdam proprias, similiter quosdam reditus communes, quosdam proprios. Dicit itaque Decanus, quædam ex ipsis quæ separatim longa retentione habuit subdecanus, Decano esse debere communia. Quo in negocio, quia nolunt iudices in vnam conuenire sententiam, vt dicant cui incumbat probatio dicenti aut neganti, hanc litem sententia vestra * petimus terminari, & fratres dissentientes ad concordiam reuocari. Paratus enim est * subdecanus quicquid actor sui iuris esse probare potuerit, in pace dimittere, secundum legis tramitem, quæ contra petitorem iudicari præcipit, & possessionem suo in loco remanere, vbi * actor rem quam petit, suam esse probare non poterit. Turbant hoc quidam * litis amatores, inuidiæ & odij sui tali importunitate virus effundentes, maiorum institutionibus nolentes adquiescere, nisi irrefragabili constringantur auctoritate. Scribat ergo paternitas vestra quod voluerit Carnotensi Ecclesiæ de hac dissonantia. Scribat & suprataxatis Episcopis de refrenanda sacrilegorum plangenda malicia. Cætera quæ his negociis necessaria sunt, quæ scribere longum fuit, referet sanctitati vestræ præsentium portitor, & ad prætaxatas personas quod placuerit, * prudentiæ vestræ reportabit. Valete.

* confer epist. 76. vbi etiã conqueritur de Hugone Puteacensi.
* al. lamentabilem oppress.
* ita v. c an teà sequentibus.
* faciant.
* al. pietate.
Cantic. 5.
* hac de re conqueritur epist. 128.
* sic. v. c. antea, inculpando.
* al. volo penitus t. & f. dissidentes.
* al. decanus.
* instit. 2. tit. de legat. §. 4.
* al. litis auctores.
* al. prouidentia.

EPISTOLA CCV.

*Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Gulielmo nobili & * strenuo militi salutem.*

MIssus à te clericus anxiè & diligenter ex tua parte consuluit paruitatem meam, quid sentirem super inhonesta suspicione quam coniecisti in vxorem tuam, opponens ei non esse genitum ex te, quod peperit dum morareris in Anglia: propterea quod computatis diebus * qui sunt inter conceptum & partum, inuenti sunt minùs septem dies quàm consuetudo credebatur habere parientium. Auges inde suspicionem tuam, quòd miles quem de concubitu vxoris tuæ suspectum habebas, cùm subiisset examinationem ferri candentis ad se purgandum, cauteriatus est, nec vllus producitur accusator aut testis qui suspicioni tuæ nisi de coniecturis vllum prębeat argumentum. Pro quibus aliquem condemnare nec vsus maiorum, nec vlla legum concedit auctoritas. Primò dę coniectura dierum qui defuisse dicuntur, respondeo, quia nullum tibi certum faciunt argumentum: cùm honestæ

* al. strenuissimo.
Confer cum epist. 252. & 280.
* vide A. Gell. lib. 3. cap 16. & Plin. hist. lib. 7. c. 5.

mulieres & veteranæ causa veritatis inquirendæ à nobis interrogatæ manifestè responderint,* non semper intra eundem * terminum dierum contingere solere puerperium, cùm secundum alacritatem naturæ vel imbecillitatem, nunc paulò celeriùs, nunc paulò tardiùs post conceptum soleant contingere partus. Quod ex ratione seminum facilè colligi potest, cùm secundum aëris temperiem vel intemperiem quibusdam annis celeriùs, quibusdam tardiùs segetes maturescant ad messem. Simili modo cauterium militis nullum tibi certum præbet argumentum, cùm per examinationem ferri candentis occulto Dei iudicio multos videamus nocentes liberatos, multos innocentes sæpè damnatos. Præterea cùm talis examinatio sit in Deum tentatio, non est mirum si diuino auxilio deseritur, cùm incautè & sine iudiciali sententia ab aliquo suscipitur. Vnde beatus Augustinus defendens Abraham, quòd vxorem suam finxit esse sororem, ita dicit: *Quando habet homo quid faciat, non debet tentare Deum suum.* Vnde Stephanus Papa scribit Leuberto * Maguntio Episcopo: **Ferri candentis vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent canones: & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione, publicata delicta habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini indicare: occulta verò & incognita illius sunt iudicio relinquenda, qui solus nouit * corda filiorum hominum.* Hinc etiam cùm ad singulare certamen propter similes suspiciones * Teibergam vxorem suam cogere vellet rex Lotharius, aduersus eum ita scribit Papa Nicolaus: *Monomachiam * verò in legem non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus. quam licèt iniisse quosdam legamus, sicut sanctum Dauid & Goliam * sacra pandit historia, nusquam tamen vt pro lege teneatur, alicubi diuina sanxit auctoritas: cùm hoc & huiuscemodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur.* His & huiusmodi sententiis correptus, tempera zelum tuum, ne te & vxorem tuam, & sobolem tuam immoderata seueritate trudas in infamiam, quam sedare non poteris, cùm aliquando pœnitentia ductus multo sudore sedare studueris. Sufficiat ergo tibi cum iuramento vxoris tuæ probatarum personarum * testimonium, dicente Apostolo: *Omnis controuersiæ eorum finis est iuramentum.* Vale.

* al. respondeant.
* al numerum dierum.
* Maguntino ms. c.
* citat epist. 74. & 280.
* ita v. t. antea, corda fidelium h.
* al Theibergam vt epist. 74. Theuperga passim scribitur apud Nicolaum Papam I.
* repetit epist. 280.
* 1. Reg. 16.
* cum iuramento, ms. c.
Hebr. 6.

EPISTOLA CCVI.

**Hildeberto Dei gratia Cœnomanensi Episcopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister salutem.*

* In vno ex. Lamberto.

De subdiacono respersione infamiæ lacerato nihil respondere dilectioni vestræ * possumus, quod non nouerit vestra prudentia. Sed quia gratum est vnicuique rectè consideranti, cùm multos cognouerit in vnam conuenire sententiam; non est ingratum paruitati nostræ ea scribere, quæ ex auctoritate Patrum collegimus, & quod ipsi in huiusmodi negotiis obseruare consueuimus. Dicit enim beatus Augustinus: *Nos quemquam à communione remouere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo ecclesiastico, vel seculari iudicio nominatum atque conuictum.* Inde & Stephanus Papa quintus de quodam diacono * ex infamia accusato ita scribit Leoni * Tianensi Episcopo: *Si suspicio super diaconum habetur, & accusatores idonei reperiuntur, & testes quales sacri canones sanciunt, cùm fuerit legitimis testibus approbatus, canonica sententia feriatur. quòd si nec sponte confitetur, neque legitimi accusatores vel testes reperti fuerint, & mala fama crebrescit, non publico examine, sed coram te & coram reuerendissimis presbyteris & diaconibus secreto iuramento se purget, & boni testimonij permaneat.* De simili negocio Papa Nicolaus ita scribit * Salomoni Episcopo Constantiensi: *Si examinante Episcopo causam presbyteri vel diaconi, non fuerit presbyter ille vel diaconus per testium approbationem fortè conuictus, non est scelus Episcopo manifestum legitimè, nisi fortè presbyter vel diaconus scelus sponte suo fateatur. Sola enim spontanea confessio * & legitimus numerus, vel qualitas testium (decernentibus Episcopis, & accusatore quod obiecerat comprobante) clericum priuat proprio gradu.* Hinc beatus Gregorius scribit Ioanni Panormitano Episcopo,* *si quid de quocunque clerico ad aures tuas peruenerit, quod iustè possit offendere, non facilè credas, * ne ad vindictam te accendat res incognita.* Vnde idem in quadam epistola,* *Si sacerdos vel quilibet clericus à populo fuerit accusatus, si certi testes non fuerint qui criminis illati approbent veritatem, iusiurandum erit in medio, vt illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu.* Hæc prætaxatorum Patrum auctoritas comprobare videtur, quòd quilibet clericus mala fama pulsatus, sola se manu possit purgare, & in suo gradu permanere. Verùm * posterorum diligentia experta, quòd temeraria hominis cupiditas facilè adderet flagitio periurium, districtiorem ad sedandam presbyteri infamiam sanxit purgationem, addens aliquid seueritati, vt sacerdotum studiosiùs consuleret honestati: in quorum ore non est apud simplices verbum Dei preciosum si non habeant etiam ab his qui foris sunt bonum testimonium. Posuerunt autem hæc in discretione Episcoporum, vt secundùm quod audiùnt malam famam presbyterorum crebrescere & ingrauescere, exigant purgatoria sacramenta à presbyteris infamatis, cum tribus, aut quinque, aut septem collegis. Vnde ita continetur in Concilio Hilerdensi, Capitulo X. *Si quis presbyter à plebe sibi commissa fuerit infamatus, & Episcopus legitimis testibus approbare non potuerit, suspendatur vsque ad dignam satisfactionem, ne populus in eo scandalum patiatur. Sed siue secundùm canones, siue ad arbitrium Episcopi, collegas sibi quinque vel septem adiungat, cum quibus coram posito sacro Euangelio iuret immunem se esse ab obiecto crimine.* Quam satisfactionem nonnulli precedentium Patrum in consuetudinem duxerunt exemplo Leonis * Papæ per sacramenta purgati. His & huiusmodi dictis & exemplis credimus in potestate Episcoporum esse, purgationem sacerdotum vel exaggerare vel temperare secundùm quod intelligunt, & famæ eorum consultum, & saluti plebium sibi commissarum esse necessarium. Scripsissemus vobis plura: sed nec ista intelligimus prudentiæ vestræ esse necessaria. Valete.

* tua. ms. c.
Aug. hom. 50 vide. can. multi cau. 2. q. 1.
* al. per famam. ita ms. cod.
* al. Theanensi in can. de crimine cau. 15 q. 5.
* al. Saloni vt est apud Gratianum can. presbyt. cau. 15. q. 5.
* al. leg. & canonicus numerus.
* can. si quid cau. 15. q. 7.
* al. nec.
* ca. presbyter quilibet. cau. 2. q. 4.
* al posteriorum. ita ms. cod.
Iuo lib. 5. & Grat. in ca. presbyter si cau. 2 q. 4.
* epist. 219.

EPISTOLA CCVII.

*Samsoni Dei gratia * Wigornensi Episcopo, Iuo eadem gratiâ humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, salutem & seruitium.*

* al. Vuigorniensi.

LIcet marina discrimina corporalem præsentiam locali positione discriminent, societatem tamen animorum nulla locorum spacia quamlibet longinqua discriminant. Quod tamen in paruitate mea euidenti dilectionis argumento diligentia vestra probauit, quando mihi * sandalia pedibus Apostolicis digna transmisit. Quòd verò gratiæ vestræ * debitas gratias non rependi, non ideò prætermisi quia * ingratus sim, sed quia homo tardus sum, & * infœcundæ facundiæ, & frontis non satis vrbanæ. Vnde tarditatem meam cum petitione indulgentiæ reprehendo, qui tamen tardus non inuenirer, si opportunitas seruiendi vobis vel vestris desideranti animæ se offerret. Interim autem germano affectu nos inuicem diligamus, & per hoc vndosum & naufragosum mare nauigantes, mutuas orationum manus ad alterutrum porrigamus: vt post hæc marina discrimina in tuto salutis portu quiescere valeamus. Valete.

* confer epist. 165.
* tua ms. c.
* quod. ms. c.
* sic loq. epist. 7.

EPISTOLA CCVIII.

*Iuo Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, *Gaufrido dilecto sibi in Christo fratri, de Syon Hierusalem contemplari.*

* solitudinis cultor dicitur in tit. epist. 164.

NOsti carissime de te ipso, & meliùs me nosti, cum quanta spei fiducia, & cum quanta laude hominum calcato mundi flore solitariam vitam elegeris: quomodo post seruatam aliquandiu laudabiliter solitariam conuersationem ad regendum monasterium vocatus fueris. Nosti quia tumultus populares, sine quibus nec modica rei familiaris dispensatio administrari potest, præ amore internæ quietis ferre non potuisti, & idcirco ad intermissam quietem modis omnibus reuolare studuisti, in loco tuo Abbatem, * quem congregatio tibi commissa voluit, tu ipse elegisti: & tanquam columba à molestiis * euolans elongasti, vt in solitudine maneres, & eum expectare qui saluum te faceret à pusillo animo & inquieto, decreuisti. Nunc verò vt aiunt quidam, contra propositum tuum monachos rumigerulos de loco ad locum discursantes, Abbati suo detrahentes, & bilingues, intra cellulam tuam libenter suscipis, murmurationibus eorum aurem delectabiliter aperis, & non tantùm magnam partem diei, sed etiam noctis, non tantùm * superfluis, sed etiam noxiis collocutionibus * expendis, & secretum locum tuum publicum facis, cùm indebita curiositate silentium monachorum in verba adulatoria & detractoria nescio qua vanitate lenocinante interrumpi permittis. Dicitur etiam quòd milites illos qui * beneficia monasterij habent, tanquam eos tibi reseruans, * hominium facere Abbati non permittis. Dicuntur multa in hunc modum, quæ omnia summo studio præcauere debet tua religio, vt aut omnino non sint, aut probabiliter fingi non possint. Quæ scripsi tibi Deus nouit, ideo scripsi, quia & si non omnia ita sunt vt dicuntur, sed ab æmulis fortasse conficta sunt, tamen scio quòd aliquando plus prosunt inimici detrahentes, quàm amici adulantes: & illud Salomonis, *quia meliora sunt vulnera diligentis quàm fraudulenta oscula blandientis.* Multa possem in hunc modum scribere prudentiæ tuæ, sed sapienti ista sufficiunt. Vale.

* Mauritiũ, vt constat ex collatione epist. 164.
* al. auolans.
* in, in vtroque loco ms. c
* conf. epist. 240.
* eodem significatu. ep. 153. & 168.
* quidam lib. hominagium.
Prou. 27.

EPISTOLA CCIX.

*Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Hugoni magnifico * Trecensium Comiti salutem & seruitium.*

* malè vnus v. c. Treicaßensium. extat epist. 245. inscripta Hugoni Tricasinorum Comiti.

NOtum volo facere celsitudini tuæ, quia discussio illa quæ ventilanda est in octauis Pentecostes Senonis, de coniugio Regis & consobrinæ tuæ, filiæ Bonifacij Marchionis, virgini illi de cuius coniugio tractandum est, nec honesta est nec vtilis. Ideò inutilis, quia fœdus illud quod de ipso coniugio initum est, consilio Episcoporum & * optimatium omnino cassabitur. Honesta verò ideò non erit, quòd infamia virginis, quæ de legitimo coniugio nata nõ est, longè latéque diuulgabitur. Nullus quippe qui fidelitatem fecerit Regi, præsumet illud dare consilium quod sit contra fidelitatem suam, & regni minuat maiestatem. Cum his enim quæ fidelitas continet, præcipuè obseruandum est vtile & honestum, quæ minimè obseruarent qui mulierem de incesto coniugio natam Regiæ personæ sociandum esse decernerent. Iam enim insonuit murmur Ducum, & Marchionum, * qui iam * deliberant se à Rege diuidere, si tam manifestam occasionem valuerint inuenire. Vos itaque qui huius coniugij paranymphus estis, potestis in vtrunque consulere, vt nec Rex incurrat periurium, nec turpe consobrina vestra repudium; maximè cum Rex dicat hanc se maculam ignorasse, & simpliciter in vestra verba iurasse. Propterea scribo vobis absens quod dicerem vobis præsens, consulens in hoc meæ fidelitati, & nobilitatis vestræ honestati: quatinus ita discretè & prouidè rem istam modificetis, vt omnibus quæ de hoc * contractu contingere, possunt salubri consilio occurratis. Vnde mihi consultiùs videtur, vt conuentus conuocatus non fiat, * ne res ista ampliùs ventilata in peius proueniat. Vale.

* al. optimatum.
* ita ms. c. al. Marcionum malè, in vno v. c. nationum.
* al. debeant se à regno.
* anteà, contactu.
* al. quàm res.

EPISTOLA CCX.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, pro fideli dispensatione, æterna perfrui visione.

QVia dispensationis Apostolicæ considератio non omnibus æquè placet, vel non omnibus æquè nota est, murmurant aliquando aduersus bonum dispensatorem, qui non auderent murmurare aduersus iustum iudicem. Dispensationes ergo vestræ ita librandæ essent, vt si malè meritis impendunt misericordiam, benemeritis non inferant violentiam. Quod ideò prælibaui filiali dilectione paternitati vestræ, quia domnus Odo Cameracensis Episcopus anxiè gemit, multis sibi congemiscentibus, quòd Radulfum * Bribrantensem Archidiaconum sine audientia, sine iudicio suo Archidiaconatu spoliastis, qui cum Romana Ecclesia semper fuit: * Galfridum verò sedis Apo-

* al. Bribantensem, vel Bribatensem.
* al. Gauchetium, vel Gaulcheriũ, & Galchetium.

ſtolicæ impugnatorem eodem Archidiaconatu inueſtiſtis. Vnde tam pro amore iuſtitiæ quàm pro honore ſedis Apoſtolicæ, conſulendo ſupplicamus ſanctitati veſtræ, vt ſi alicuius importunitate extorta eſt de ore veſtro in benè meritum ſeuera ſententia, ita diſcretione veſtra modificetur, vt religioſi Epiſcopi anxietas releuetur, & benè meritus frater non grauetur: quatinus in hoc facto malè meriti de ſua præſumptione non valeant gloriari, nec benè meriti à ſua ſpe cadentes cogantur contriſtari. Virorum enim fortium antiqua laus eſt, *parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos*. Valete.

Virgil. 6. Æn.

EPISTOLA CCXI.

*Radulpho Dei gratia * Remorum Archiepiſcopo, Iuo humilis Eccleſiæ Carnotenſis Miniſter, ſalutem & ſeruitium.*

** Reuerendo. ms. c.*

Conſanguinitatem quæ dicitur eſſe inter filium Flandrenſis Comitis & filiam Comitis Redonenſis didici cùm eſſem in Curia Papæ Vrbani, non propter iſtos pueros, qui nondum fortaſſe nati erant, ſed propter auos eorum, aut proauos paternos aut maternos, de quorum conſanguinitate tunc temporis vrgente neceſſitate tractabatur. Computauit enim eam ad ſuggeſtionem domni Papæ me audiente quidam monachus Aruernenſis nomine Caſtus, ætate maturus, de nobilibus terræ illius progenitus, vita & fama honeſtus. Computauerunt eandem conſanguinitatem alio tempore in prædicta curia legati Fulconis Andegauenſis Comitis, & probauerunt, cùm accuſaretur Rex Francorum Philippus quòd prædicto Comiti conſanguineo ſuo * vxorem ſuam ſubtraxerat, quam etiam illicitè retinebat. Propter quam accuſationem, & patrati inceſtus comprobationem excommunicatus eſt Rex * à domno Papa Vrbano in Claromontenſi Concilio. * & cùm poſt factum diuortium prædictus Rex eſſet reuerſus ad prædictæ mulieris * conſortium, excommunicatus eſt in * Pictauenſi Concilio à Cardinalibus Ioanne & Benedicto. Hæc ſcribo abſens, qui nihil aliud quod ad rem pertineret dicturus eſſem præſens. Occurrerem tamen libenter amabili mihi veſtro colloquio, niſi obſiſteret mihi coluber in via, ceraſtes in ſemita, videlicet Puteacenſis * dominus, qui propter intolerabiles iniurias quas infert Eccleſiæ noſtræ, à nobis eſt excommunicatus. Computatores verò genealogiæ quos monebatis mecum venire, quorum mentionem ſuperiùs feci, non ſunt parochiani mei, neque etiam noui vtrùm viuant, vt poſſim eos ad hanc diſcuſſionem inuitare. Generatio autem ſic eſt.

** Bertredam vocat epiſt. 13.*
** Philippus. ms c.*
** cui Vrbanus ſecundus præfuit anno 195.*
** illicitum, ms c.*
** al. Pictauienſi.*
** al. domnus Adæ epiſt. 76. & 111. vbi de Hugone Puteacenſi.*

*Gaufridus Griſagonellus. **
Fulco Andegauenſis Comes
*Comitiſſa Vaſcinenſis **
Fulco Rechins
Comitiſſa Redonenſis
Filia eius N.
Blanca Arelatenſis Comitiſſa
Conſtantia Regina
Adera Flandrenſis Comitiſſa
*Albertus * Friſo*
Robertus filius Friſonis
Sexto gradu filius huius Roberti. N.

** additur in duob. v c. fratres. ita in ms c*
** al. Vaſtinenſis. vel Vaſſinenſis.*
** Robertus, ms. c.*

EPISTOLA CCXII.

Iuo Eccleſiæ Carnotenſis Miniſter, Gaufrido Dei gratia Beluacenſium Epiſcopo ſalutem.

De eo qui ante plurimos annos bona ſua monaſterio ſancti Symphoriani deuouit, & circa obitum ſuum ſe & ſua nullo calumniante contradidit, hoc reſpondeo dilectioni veſtræ quod legibus & moribus, & rationi concordat: videlicet, quia ſi aduerſus monachum prætaxatum quamdiu in monaſterio vixit nulla actio mota fuit, quod monaſterio contulit ab eo iure alienari non poterit, ſi tamen huic calumniatori conuerſio prædicti monachi nota fuit. Sicut enim de * criminationibus ſic de pactionibus * lex & ratio docet, vt qui iam tantùm iudicio diuino ſubiacet, iudicio vlteriùs non pulſetur humano. Prætereà etiam ſi vera ſunt quæ calumniator ille proponit, vt hæres fuerit à prædicto monacho deſignatus, continetur tamen in libro inſtitutionum de hæredibus, quia prius teſtamentum poſteriore diſſoluitur. & in legibus Theodoſianis: * *ſi aliquis vnam rem per legitimas ſcripturas duobus donauerit, vni priùs & alteri poſteà, non quærendum eſt in his donationibus qui primus, qui poſterior ſit: ſed qui rem tradente donatore poſſederit, is eam cui tradita eſt poſſidebit.* Si alia quæ non audiuimus non impediant, ſic poteſt de propoſita controuerſia rationabiliter & legitimè iudicari. Valete.

** l fin C ad leg Iul. maieſt*
** l 4. D. de loc & l 50. D. de re iudi.*
** Anianus in ſcholio ad Pauli ſent. lib. 5. tit. 11.*

EPISTOLA CCXIII.

Ioanni Dei gratia Aurelianenſium Epiſcopo, Iuo eadem gratia Carnotenſis Miniſter, ſalutem & dilectionem in Domino.

Venerunt ad nos quidam fratres qui in Epiſcopatu veſtro communiter viuunt ſollicitè quærentes, vtrùm clerici regulariter viuentes parochias regere poſſint, & animarum habere cuſtodiam. Quibus hoc reſpondi, quia in primitiua Eccleſia nullus conſtitutus eſt rector animarum, niſi de communi vita aſſumptus: quia nemo rectiùs cuſtos præponitur vitæ alienæ, quàm qui priùs cuſtos eſt factus vitæ ſuæ. Quod nullo in loco meliùs probatur, quàm inter eos in quibus regularis vita vigere videtur: quibus tantùm diſplicet aliena malitia quãtum priùs diſplicuit ſua. Vnde Clemens in quarto Epiſtola ſua. *Communis vitæ fratres omnibus eſt neceſſaria, & maximè iis qui irreprehenſibiliter viuere cupiunt, & Apoſtolorum vitam eorumque diſcipulorum imitari volunt.* Et in ſequentibus, *Vnde conſilium dãtes veſtram prudentiã hortamur, vt ab Apoſtolicis regulis non recedatis, ſed cõmunem vitam ducentes & ſcripturas ſacras intelligentes, quæ Deo vouiſtis adimplere ſtudeatis.* Inde etiam Papa Vrbanus * in primo decretali ſuo. *Scimus vos non ignorare, fratres, quia vita communis inter bonos Chriſtianos hactenus viguit & adhuc gratia Dei viget, maximè inter eos qui in ſortẽ Domini electi ſunt, id eſt inter clericos.* Hæ ſententiæ Apoſtolicæ nullum clericum à communi vita excipiũt, nec ciuilis, nec ſuburbanæ Eccleſiæ Preſbyterum. Quòd verò cõmunis vita in omnibus Eccleſiis penè defecit tam ciuilibus quàm diœceſianis,

Confer cum hac epiſt. 69.
Epiſt. 5 & in ca. dilectiſſimis. cau. 12. q. 1.
** primus. in ca. ſcimus. cau. 12. q. 1.*

non auctoritati, sed desuetudini & defectui adscribendum est, refrigescente caritate, quæ omnia vult habere communia, & regnante cupiditate, quæ non quærit ea quæ Dei sunt & proximi, sed tantùm quæ sunt propria. His rationibus & auctoritatibus freti constãter asserimus non esse audiendos, qui clericos regulariter * viuentes à regimine animarum iudicant repellendos, quia seculo renuntiauerunt, sed ideò potiùs ad hoc assumendos, quia voluptates & pompas seculi contempserũt. Non enim mundi contractus est animas à vitiis auocare, & ad virtutum celsitudinem prouocare. Ideò conuenientiùs ista docent qui ea quæ dicunt opere complent quàm ij qui sunt doctores legis & non factores legis. Non tamen ad hoc officium alij assumendi sunt, nisi quos vita & doctrina commendat, & Episcopalis auctoritas ad hoc agendum idoneos probat. Hæc fraternè scripsi dilectioni vestræ, vt eorum qui sua quærunt rapacitatem aduersus pusillum Dei gregem compescatis, & in clericali militia quietè viuere faciatis. Val.

[*confer epist. 69.]

EPISTOLA CCXIV.

Brunoni Dei gratia primæ sedis Belgicorum Episcopo, Iuo eadem gratia humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, per hoc mare spatiosum & vndosum peruenire ad æternæ beatitudinis portum.

QVamuis lateat oculos corporis mei corporalis vestra præsentia, non tamen latet oculos mentis meæ quæ in vobis lucet diuina gratia, per quam adhuc supersunt in mũdo quædam luminaria, quæ radiantia verbo & exemplo valent ad illustrandam caliginem vitiorum, & illuminandum decorem virtutum. Sicut enim interpositis vaporibus huius inferioris aëris aliquando luminaria cœli refundere lumen suum terris non possunt, & tamen tranquilla superioris aëris spatia illustrare non desinunt. Ita luminaria ecclesiæ, licèt canibus sanctum, porcis margaritas aliquando anteponere dissimulent, ne verbum Dei propter oblatrantes & conculcantes apud infirmos auditores minùs currat & fructificet: tamẽ si quem pium & humilem & quietum in hac valle plorationis inuenerint, exemplis informant, & radiis doctrinæ spiritualis illustrare non desistunt. Et quanto plus videmus mundum in maligno positum, quod deplorat Isaias dicẽs: *Omne caput languidum & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas*: tanto magis hi in quibus Deus lumen gratiæ suæ posuit, debent lamentabilibus ecclesiæ ruinis obuiare, & sponsam Christi maculis & rugis infuscatam in virginitatis suæ decorem pro viribus reformare. Videmus enim scissum * regnum & sacerdotiũ, quibus tanquam principalibus & fortioribus paxillis tabernaculi Dei status firmiter figebatur, ne vllo impetu procellarum & turbinum euerteretur. In tanta scissura, in tanta procella florere & fructificare non potest mater ecclesia, de qua dicitur: *Vna est columba mea, sponsa mea.* Ad hanc vnitatem resarciendam laborare debent membra Christi, quæ medicinaliter ferro putredines istas resecarent, aut competenti dispensationis malagmate tantam scissuram procurarent solidare. Non enim in tanto salutis periculo solus medicinæ rigor seruandus est: sed & dispensationis modus, qui nulli sapienti displicuit, ad sedandas tantas perturbationes in aliquibus admittendus est. Monente enim Cyrillo Alexandrino, * sicut nautæ in mari periclitantes, cùm non habent spem seruandorum omnium negociorum suorũ quædam proiiciunt, vt quædam seruent: sic in dispensationibus ecclesiasticis, vbi non periclitatur fidei veritas & morum honestas, quædam instituta temperare debemus, vt tantis ecclesiæ ruinis subuenire valeamus. Sic enim vela cilicina in tabernaculo Dei bysso & purpura, cocco & iacintho supposita, imbrem & puluerem in se admittebant, vt decorem interiorum ornamentorum ab imbrium madidatione & pulueris offuscatione conseruarent. Facit hoc caritas, quæ operit multitudinem peccatorum, quæ cum infirmantibus infirmatur, cum scandalizatis vritur, & omnibus omnia fit vt omnibus prodesse mereatur. Vnde à subditis nõ debet reprehendi prælatorum dispensatio, * si saluo fidei fundamento, & nota communi regula morum, aliqua infirma faciunt aut tolerant, vt vitam subditorum in proposito suæ sanctitatis conseruare præualeat. Vnde beatus Gregorius in libro Pastorali: *Si tu intus vt coccus rutilas, cilicium quo protegeris cur accusas?* Sic enim & misericordiam & iudicium Domino cãtamus. Iudicium, cùm vitiis omni seueritate resistimus, misericordiã verò, cùm rigorem disciplinæ vtili compensatione temperamus. Hæc dicendo prudentiam maiorum meorum & coëpiscoporum meorum non doceo, sed tanquam de longo sopore monente caritate excitare desidero: vt tandem quisque pro persona quam portat tantis ruinis occurrat, ne pro suo silentio tanquam mutus canis intereat. Hæc pauca ausu caritatis de remotis partibus excellentiæ vestræ scripsi, qui bonum odorem vestræ notitiæ ad nos vsque pertingentem suauiter olfeci. Et quia in Belgica prouincia vos estis qui religione & auctoritate præcellitis, supplico sanctitati vestræ, vt aliquando meæ paruitatis memor in hoc peregrinationis itinere pusillanimitatem meam murmurantem, & aliquando penè deficientem, verbo consolatorio * refocillare studeatis. Val.

[Matth. 7.] [Isa. 1.] [*ob controuersiam inuestiturarũ, de qua ad epist. 236.] [Cantic. 6.] [*ea. dispensationes can. 1. q. 7. citatur etiam epist. 171.] [Exod. 35.] [1. Petr. 4.] [*exemplum habes epist. 190 & 150.] [*ita aliquot v. c. alij refouere. Animæ refocillationem dixit epist. 150.]

EPISTOLA CCXV.

* *Thomæ Eboracensi Archiepiscopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, pro dispensatione fideli promereri gaudium boni serui.*

[*aliàs, Turstanno.]

BEnedictus Deus qui conuersationem vestram lucere facit in tenebris barbaræ nationis, quo his quibus præestis, verbo & exemplo prodesse possitis, & bonæ opinionis odorem ad nos vsque transmittatis. Vnde arctiùs inter nos vinculum dilectionis * colligare desiderans, præsentes * litterulas direxi benignitati vestræ, vt hoc commonitorio discamus inuicem mutuis nos consolationibus refouere, & deuotis suffragiis orationum releuare. Cùm enim positis in regimine frequenter immineãt illa pericula, quæ Psalmista commemorat dicens: *Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos, turbati sunt & moti sunt sicut ebrius & omnis sapientia eorum deuorata est.* Hoc solum remedium nobis expetendum est quod sequitur: *Clamauerunt ad Dominum cùm tri-*

[*al. colligari.] [*al. litteras.] [Psal. 106.]

bularentur, & de tribulationibus eorum eduxit eos. Hunc clamorem caritas auditu dignum facit, quam nec temporum inæqualitas impedit, nec locorum longinquitas intercludit, cum exauditor vbique sit præsens *, qui & pia vota subministrat & postulata implere non tardat. Vnde est quòd in typo se inuicem diligentium in tabernaculo Dei, duo Cherubin se inuicem respiciunt, & vultus suos in propitiatorium vertunt, quò & mutuam inter se dilectionem proferant, & quod suggerente caritate postulauerint, Deo propitiante se posse obtinere confidant. In hunc modum intuitu caritatis nos inuicem respiciamus, mutuas orationum manus porrigamus, & quæ saluti nostræ sunt necessaria vel impetrata vel impetranda propitiationi diuinæ humiliter adscribamus, quæ huius procellosi maris discrimina, in quo sunt reptilia quorum non est numerus, sic modificabit, vt non permittat nos tentari supra id quod possumus sustinere, sed faciat cum tentatione prouentum, qui imperat ventis & mari, vt possimus tumores æquoreos superare. De cætero nouerit excellentia vestra paruitatem nostram paratam non tantùm ad impendenda orationum suffragia, sed etiam ad omnia caritatis officia, quæ impendere valet facultas vel scientia nobis diuinitùs collata. Valete.

*al. qui cum pia.

Exod. 25.

Psal. 103.

1. Cor. 10.

Matth. 8.

EPISTOLA CCXVI.

Richardo Dei gratia Albanensium Episcopo sanctæ sedis apostolicæ Vicario, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, obedientiam & salutem.

In aliquot veterib. codicibus hoc argumentū extat, de controuersia Bonaeuallensis Abbatis & Blesensis super Ecclesia Verdēsi quod ideò notare visum, quia tota hac epistola vt etiā sequente, nulla fit mentio Verdensis Ecclesiæ.

FRequenter pulsat aures vestræ sollicitudinis Bonæuallensis Abbas, negociorum suorum rationibus quæ obsunt vitans, quæ prosunt, oratoria declamatione exaggerans, tanquam ego aliquid de concessione sibi à me facta minuam, & Abbati Blesensi concedam. Ego verò illibatum vnicuiq; defendere volo quod concessi: cùm Abbati Bonæuallensi nihil aliud concesserim, nisi quod à possessoribus, imò detentoribus cuiusdam parochiæ nostræ posset adquirere. Ipse verò etiam ea quæ ab eis habere non potest vult nostra concessione extorquere. Blesensis verò Abbas reliquas partes eiusdem Ecclesiæ, quas Bonæuallensi Abbati nemo concesserat, à detentoribus obtinuit: quas si Abbati Bonæuallensi communicare voluisset, iam pax inter eos reformata fuisset. Qua in re quia dictante iustitia Blesensi Abbati violentiam inferre non valui, ita litem istam terminare volui, vt quisque portione sibi concessa contentus esset, & alterius metas alter non occuparet *: sed infinita monachorum cupiditas infinitam facit manere discordiam. Propterea non succenseat mihi vestra discretio, si in hoc negocio quod volo implere non valeo. Præterea satis iniustè conquestus est Bonæuallensis Abbas circa monasterium suum iudicium non esse seruatum, quod in Floriacensi Concilio promulgatum fuit de cœmeterio vnde controuersia erat inter Abbatem monasterij Carnotensis & Abbatem monasterij Bonæuallensis. Nouit enim veritas, quia sacramenta in prætaxato Concilio adiudicata cum omni diligentia facta sunt. Sed Abbas Bonæuallensis ea audire contempsit, quia sibi ea obesse perspexit: cui præcipuè sua voluntas ratio est & auctoritas. Valete.

* alibi vocat monachorum inuidiam dæmoniacam epist. 266.

EPISTOLA CCXVII.

Richardo Dei gratia Albanensium Episcopo sedis apostolicæ Vicario, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, debitam & deuotam obedientiam.

IVxta consilium & admonitionem vestram Abbatem Blesensem & Bonæuallensem conuocaui ad præsentiam nostram, vt ex officij nostri debito aut pacem inter eos reformarem, aut litem quæ inter eos erat iudicario ordine terminarem. Primo itaque auditu * ad hoc intendi, vt quartam partem Ecclesiæ de qua lis orta est, licèt nondum eam, quamuis à me concessam, obtineret; à possessoribus quietam ei facerem: deinde vt aliam quartam, nec à me nec ab aliquo sibi concessam, adquireret: quatinus ex beneuolentia sola, sic in alienos labores introiret, & colligeret vbi non sparsit, meteret vbi non seminauit; ea tamen conditione, vt si de cætero aliquæ lites à laicis inde mouerentur vtrique Abbates pro pace obtinenda simul laborarent, si quid expendendum esset, simul expenderent, & commoda & incommoda æqua lance diuiderent. Cùm ergo huic dispensationi Blesensis Abbas & si non libenter, tamen obedienter assensum præbuisset, Bonæuallensis Abbas nec meo consilio voluit adquiescere nec iudicio. In hoc verò negocio nullam potest idoneam causam prætendere, nisi fortè illam poëticam *, quia omnis potestas regni impatiens consortis erit: & nititur quodam nouo & hactenus inaudito mandato *, quod potiùs impugnat caritatem, quàm sequatur auctoritatem. Quod tamen si inuiolatum manet, plus proderit Blesensi quàm Bonæuallensi Abbati. Habuit namque Blesense monasterium partem decimarum & oblationum à multis præcedentibus annis pertinentium ad Ecclesiam de qua ista contentio orta est, sicut euidentia rei probat, & ipse Abbas prodere poterit, cùm ei necessarium fuerit. Hoc interim scripsi sollicitudini vestræ; ne desidiæ, aut contemptui imputaretis, si nihil me inde tractasse audiretis. Val.

Confer cum epist. superiore.

* editu. ms. c.

* Lucan. lib. 1.

* fortasse Pontif. Rom. quale illud quod refutat epist. 195.

EPISTOLA CCXVIII.

Gualoni Dei gratia Parisiensium Episcopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister salutem.

DE canonico Ecclesiæ vestræ, qui contra prohibitionem vestram matrimoniales * tabulas sibi composuit, nullam sententiam ad manum habeo, quam dilectio vestra ignoret, si scripta apud se reposita diligenter exploret. Verùm tamen consilium quod mihi ipsi darem, si aliquem de commissis mihi fratribus * vxoria compede adstrictum deprehenderem, tutum esse intelligo: videlicet vt sacramentum coniugij maneat, clericus verò qui postposita clericali continentia de superiori ordine ad inferiorem descendit, stipendia militiæ clericalis amittat. Nouit enim vestra dilectio, quando de laïca * conuersione in clericum quis assumitur, non maritali exercitio, sed diuinæ tantùm militiæ dedicari. Vnde ab

* conferenda epist. 100.

* vide can. 16. 17. 18. dist. 81.

* al conuersatione in clerum.

ordinatoribus clericorum, in eorum ordinatione dicitur de eis: *hæc est generatio quærentium Dominum*; non dicitur quærentium coniugium, sed quærentium tantùm Dominum: quia vt testatur doctrina Apostolica: *nemo militans Deo implicat se negociis secularibus, vt ei placeat cui se* probauerit.* Postquam ergo de inferiori laïcorum gradu quis sortitus fuerit superiorem, id est militiam clericalem, & inde se præcipitauerit ad voluptatem coniugalem, nulla ratio sinit vt in illo casu positus, illius ordinis dignitate & vtilitate potiatur, quam misera voluptate commutasse videtur. Ad hoc enim instituta est clericalis militia, vt psalmodiæ & hymnodiæ cotidianum Deo offerat sacrificium quod offerre iure non poterit, cui, vt plus placeat vxori quàm Deo, lenocinante vxore, & fallente carnis voluptate, operam dare necessarium erit. Cùm enim* secundum Apostolum non concedatur laïcis orare, nisi eo tempore quo continent: quanto magis semper debent continere, qui tam pro suis quàm pro aliorum delictis iubentur orare? Ad hoc quippe fidelium oblationes* in stipendia clericorum deputatæ sunt, vt & continenter viuant, & benefactorum suorum peccata sanctitatis intercessione detergere sufficiant, quatinus hi de quorum eleemosynis viuunt, hoc eorum meritis assequantur, quod suis meritis assequi non merentur. Quandiu ergo in hoc agone positi ab omnibus à quibus abstinendum est, se abstinent, meritò stipendiis militiæ suæ habentur digni*; cum autem ea seruare contempserint, eisdem iudicantur indigni. Quibus ad depositionem eorum hoc solùm sufficere videtur, quòd & illicita præsumunt, & salutaribus Episcoporum præceptis obedire contemnunt, secundùm illud Apostoli: *habentes in promptu vlcisci omnem inobedientiam.* Præterea qui honestam & vtilem Ecclesiæ consuetudinem quam pro lege habendam censet auctoritas, pertinaciter & superbè contemnit; manifestè canonicæ institutionis violator existit, cui contemptui qui parcit, multos in discrimen adducit. In hunc modum *Niceni canones & Agatense Concilium prohibent clericum non tantùm mulierum carnale sortiri consortium, sed etiam domesticum habere contubernium*, exceptis illis personis quæ non continent aliquod suspicionis argumentum. In hanc sententiam consentiunt etiam sententiæ sanctorum patrum, Augustini, Hieronymi cæterorumque doctorum, qui de vita scripsere clericorum. Quæ omnia breuiter commemoro, quia nihil horum vos latere cognosco. Vale.

2. Tim. 2.
* al. probauit.
* 1. Cor. 7. relato in ca. 1. dist. 31.
* sic v. c. ma-le antea orationes.
* al. cum ea probare.
2. Cor. 10.
* Nic. can. 3. relato in ca. 16. dist. 32.
* L. 19. C. de episc. & cler. & in ca. 25. & 29. dist. 8.

EPISTOLA CCXIX.

Domno & patri suo Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, vt patri honorem, vt Domino timorem.*

* al. domino.

VT Cypriani verbis vtar, si aliqua falsitas de me ad apostolicam sedem præcessit, oportet vt veritas subsequatur, quæ latrocinia * noctis detegat, & ordinem gestarum rerum lucidè aperiat. Nuper enim litteras accepi à quodam adolescente canonico Ecclesiæ nostræ, charactere apostolico signatas, quas cùm aperuissem & perlegissem, multis de causis suspectas habui, existimans eas aut esse furtiuas, aut aliqua suggestione fallaci subreptas. Primò quia prædictus adolescens infestus est mihi, quòd eum non permitto contra canones & Conciliorum edicta [a] per manum laïcam in quadam Ecclesia Presbyterium vsurpare, & Presbyteri oblationes Presbytero ablatas suis vsibus mancipare. Alter verò clericus qui cum adolescente fuit, & ipse mihi infestus est, qui in hoc negocio nullus est: quia canonicus non est, nec in conuentu bonorum audiendus, qui à me suspensus est ab officio Diaconi propter incestum patratum cum vxore consanguinei sui. Hæc de personis interim dicta sint. Præterea consuetudinem apostolicæ sedis hactenus fuisse nec legimus nec audiuimus, vt ad delationem vnius personæ quàmlibet splendidæ, sententia daretur in absentem, præcipuè qui nec auditus fuerat, nec vocatus. [b] Cum ergo de huiusmodi iure possim conqueri & plurimùm disceptare, malui tamen seruare humilitatem obsequentis quàm mihi arrogare solertiam differentis. Restat ergo vt excusem innocentiam meam, quæ Deum testem habet, & meam conscientiam. Opponunt enim mihi litteræ illæ cuiuscunque sint, me dimidiam partem cuiusdam præpositurae communitati canonicorum contulisse, & eandem contra canones imminentia regiæ potestatis eisdem canonicis abstulisse. Cui calumniæ respondeo ex testimonio conscientiæ meæ, immeritò dici ablatum esse quod canonicè potest, vel à me vel ab aliquo eis fuisse collatum, nec esse restituendum quod probari non potest aliquando fuisse statutum. Dicam itaque paternitati vestræ quid dederim, & quid non dederim, & cur dederim, & qua de causa nihil vltra dare voluerim. Cùm enim in quàmpluribus canonicorum Carnotensium [c] desueuisset disciplinæ regularis obseruantia, vt de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis [d] vigiles, de tardis [e] assiduos, ad frequentandas horas canonicas, deliberaui apud me vt darem eis dimidiam præposituram, vt inde fieret cotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi: vt ad quas [f] eos panis interni dulcedo non mouebat, panis corporei refectio prouocaret, quamuis eorum annua præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet. Certus tamen de præteritis eorum negligentiis, & sollicitus de futuris, præcepi eis vt ad me mitterent duos de clero illo, quibus missis commisi præsentes illius anni fructus, vt inde cotidianum panem præpararent, & tradito ordine, [g] confratribus dispensarent. Nouit veritas quia nihil aliud dedi, de reliquo nihil eis dans aut promittens, nisi vt in hoc modico fideles & assiduos inuenirem, vt mihi benè placeret possessionem rei eis concedere, & legitima stipulatione firmare. Hæc dispensatio intra tres menses ita depranata est, vt nulla mihi voluntas, nulla ratio suaderet, & nullum coëpiscoporum vel religiosorum virorum consilium approbaret, vt propter infructuosam rerum canonicalium amplificationem minuerem dignitatem Episcopalem. Panes enim illos vendebant quidam de senioribus, ad ludum verò alearum dabant quidam de iunioribus: & qui se [h] videndum præsentabat horis nocturnis, subtrahebat se diurnis: & qui audiebat missam cathecumenorum, subterfugiebat missam sacramentorum. Talis exitus rei reuocauit me ab inten-

* sic loquitur epist. 133.

a vide canones sub cau. 16. q. 7.

b Hæc & quædam alia suspectas litteras illas mihi fecerunt. Verũ cuiuscunque sint, innocentiã meã accusant, videlicet dimidiam Prapposituram communitati fratrum me cõtulisse, & eãdem contra canones imminentia Regiæ potestatis eisdem fratribus abstulisse. Cui calũniæ. Si quid de me aduersum me perlatum est ad sedẽ Apostolicã, oportet vt pro me subsequatur cum Legato carta nõ fallax quæ obiectis respõdeat & innocentiam meam defendat. Nuper enim literas accepi à quodam adolescẽte canonico eccles. nostræ, charactere Apostolico signatas, quas cum aperuissem & perlegissem, miratus sum quod ad suggestionem cuiusdam adolescentis cõtra morem sedis Apostolicæ litteræ illæ sententiam dabãt in absentem; eum videlicet qui non fuerat auditus, vel vocatus. Ita ms. codex.

c clericorum ms. c.

d al. vigilantes.

e sic v. c. antea, assuetos.

f al. quod.

g al. cum frat.

h vnus v. c. ad videndum præbebat. ms. c.

tione mea, vt non auferrem eis quod non dederam, sed nec aggrederer quod proposueram. Quibus verbis liquet, quia de his quæ eis contuli, nihil omnino imminentia Regiæ potestatis abstuli, nec Regem ad dispensationes Ecclesiasticas vel causas inuitaui vel admisi: qui eum meo multo labore & sudore & multis expensis à vexatione Ecclesiæ, ab incendiis & direptionibus Ecclesiasticorum bonorum procul feci. In hoc quippè negocio maior pars Ecclesiæ & sanior mecum fuit. Sed quidam talium actionum minùs periti, intellexerunt rem aliter fuisse quàm fuerit. Sed cùm * ante metropolitanum calumnia eorum dilata & ad vltimum delata fuisset, de hoc negocio certa diffinitio processit, & omnis controuersia sopita est, & pacis osculo confirmata, & in plenario capitulo præter eos qui * non interfuerant, ab omnibus collaudata. Quibus suo ordine terminatis, volui ex beniuolentia mea, quæ mihi multa grauamina intulit, prædictam partem prætaxatæ præpositura concedere duodecim Presbyteris, si possent inueniri, qui ad hoc officium eligerentur, & suis temporibus ad sacerdotium promouerentur. Quod cum per Decanum Ecclesiæ & per me, & per litteras domni Richardi Albanensis Episcopi legati vestri studiosè quæsissem, nec vnus inuentus est, qui vellet aut valeret ad hoc officium promoueri aut eligi. Consilio itaque eiusdem legati vestri, & penè totius Ecclesiæ, nullo repugnante, nullo contradicente, prout meliùs potui, ne Ecclesia sæpiùs inde perturbaretur, personaliter ordinaui, & honesto clerico & eidem rei administrandæ & defensandæ vtili * contuli. Ad quam ordinationem alium minimè * quæsissem, nisi illum qui tenebat alteram partem, sed suspectus erat Ecclesiæ tanquam per eum turbatio hæc orta fuisset in Ecclesia. Isto verò ibi posito, & murmur sedatum est, & quieuit Ecclesia. Ne ergo de cætero Ecclesia hac vana occasione perturbetur, flexis genibus cordis, paternæ pietati supplicamus, vt causam quæ semel decisa est, propter cupidorum & maliuolorum delationem non iteretis; & pacem quam nunc habet Ecclesia, non tantùm non concuciatis, sed etiam debito paternitatis affectu collaudetis, & de cętero senectutem meam propter superfluam & impunitam appellatorum licentiam vexari non permittatis. Dum enim premit nos à prælata potestate illata aduersitas, regendi in nobis debilitatur auctoritas, cùm Ecclesiasticam in eos non audemus exercere disciplinam, qui eam aduersum nos appellant, non confidentia iustitiæ, sed pro dilatione sententiæ. Quòd si iuuenili vigore possemus adhuc peditare per * ruinosas alpium vias, equitare per præcipites præterfluentium torrentium vndas, & præcedere aut subsequi ad apostolicam sedem delatores nostros, proculdubiò refrenaret se murmurantium lingua, quæ parum adhuc nouit, quid distet inter serenitatem caritatis, & caliginem cupiditatis. Si ergo aliquod temperamentum aduersus hæc incommoda non procurauerits, & inueteratis dierum malorum & indisplinatis iuuenibus, qui vix sunt digni habere quæ habent, nedum ambire quæ non habent, vexandum me exposueritis: vnum restat mihi tutum & totum consilium, assumptis pennis columbæ à molestiis inutilibus auolare, & in solitudine montis requiescere, vbi expectem eum qui saluum me faciat à pusillanimitate mentis & inquietudine. Cùm & ante Episcopatum & in Episcopatu semper voluntas mea fuerit, magis in loco humili saluari quàm in alto periclitari, & in domo Dei magis abiectum esse quàm illis præesse quibus non possem prodesse. Sed quia tantæ sublimitatis aures ad fastidium verbis nolumus onerare, si qua minùs de necessariis dicta sunt, isti fratres supplebunt, & si opus fuerit, probabunt. Valete.

* eorum calumnia ante metropolitanum dilata, &c. ms. c.

* al. non adfuerunt.

* al. concessi. ita ms c.

* neminem. vis. c.

* ruinosas. vis. c.

Psal. 54.

EPISTOLA CCXX.

Hildeberto Dei gratia Cenomanensium Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ humilis Minister salutem.

DE appellationis ordine quantum arbitror, nihil penes nos inuenitur, quod penes vos similiter non inueniatur. Tamen ne fastidiosum videatur amico respondere, quod super hac re sentio, breuiter dilectioni vestræ rescribo. Primum igitur hoc intelligo, quia propter vocem appellantis, nunquam transibitis de Ecclesia ad Ecclesiam, vel de prouincia ad prouinciam, nisi primùm appellator litteras inuitatorias à iudice ad quem appellatum est, deferat, in quibus iudex diem & locum agendæ causæ constituat. Vnde ait Felix Papa: * *neminem de prouincia ad prouinciam exhiberi oportet, nisi ad relationem iudicis ad quem appellatum est.* Debet autem ipse appellator infra quinque dies litteras accipere à iudice à quo appellatum est, dirigendas ad iudicem ad quem appellatum est: quas qui accipere aut postulare neglexerit, secundùm statuta legum ab agendo remouendus est. Quòd si fortè iniustè appellauerit, sumptus quos expendit aduersarius, dum appellationem sequeretur, soluere cogendus est. De cætero quod Abbas à vobis exigit, vt communem rem fratrum vestra stipulatione quietam possideat, absurdum valdè videtur vt à vobis exigatur quod iuris vestri non esse manifestè probatur, canonum auctoritate prohibente: * videlicet vt nullus Episcopus rem Ecclesiæ sine * conniuentia cleri alienet, commutet, aut donet. vnde in decretis pontificalibus legitur * : *causæ quæ legibus non continentur, à iudicibus Ecclesiasticis minimè audiantur.* Ad interrogata pauca rescribo, quia hæc & meliora vos nosse non dubito. Vale.

* can. 15. cau. 3. q. 6. & epist. 171.

* ca. sine cau. 12. q. 2.

* duo v. c. conuenientia.

* idem epist. 119. & 241.

EPISTOLA CCXXI.

Ioanni Dei gratia Aurelianensi Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister salutem.

DE libero viro qui nesciens ancillam duxit vxorem, postea verò veritate cognita eam dimisit, & nunc aliam ducere accepta à vobis licentia dispo nit, quod sentio dilectioni vestræ respondeo. Si decreta patrum & leges sæculi super hoc cõsulere volumus, reperiemus quia inter ingenuos & æquales tantùm legitima constat esse coniugia: & vbi aliter per ignorantiam euenerit, licita fore diuortia. Si verò diuinum institutum & legem naturæ consulimus, vbi neque seruus est neque liber, non mihi potest facilè persuaderi, vt propter conditionem quam natura non habuit, nec diuina

Hac de re etiam agitur epist. 242.

lex à lege coniugali excepit, lex humana posteriùs lata cassare possit coniugij sacramentum, quod veteri & euangelica lege constat esse confirmatum. Quòd si vir propter coniugij caritatem noluerit subire seruitutem, nec mulieri valuerit adquirere libertatem, ita rem modificandam puto: vt si per aliquam dispensationem permittimus cessare opera nuptiarum, non tamen ideò * concedamus cassari coniugij sacramentum. Ita nec prorsus euangelij erimus violatores, nec legum humanarum contemptores. De proposita quæstione ita sentio, nec tamen à dicentibus meliora & firmiora, si cum euangelio & Apostolo sentiant, dissentio. Valete.

** ideo deest in ms. c.*

EPISTOLA CCXXII.

*Iuo Dei gratia humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, clericis Eduensibus *, eloquiorum castorum vnam faciem attendere.*

** Eduensibus, ms. c.*

QVoniam vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, non intelligimus scripturas diuinas inter se dissentire, cùm alia scriptura rigorem intendit iustitiæ, altera autem dispensationem sequitur indulgentiæ. Quod interim omisso sensu allegoriæ considerandum puto inter euangelicam sententiam, quæ absolutè consulit adulteram aut viro priori reconciliari, aut manere innuptam; & illam veteris testamenti quæ dicit adulteram dimissam à priore viro, & alteri per coniugium sociatam si ab eo repudiata fuerit, nullatenus priori reconciliandam. Hæc enim sententia quæ reconciliationem adulteræ prohibet, rigorem mihi videtur sequi iustitiæ: ne dum vni parcitur, multi in discrimen adducantur, & paucis indulta licentia, plurimorum faciat pullulare flagitia. quod notabiliter habetur in ipsa legis sententia, vbi prohibitioni subinfertur: *ne peccare facias terram, quam Dominus Deus tuus tibi dedit possidendam.* euangelica verò sententia humanæ infirmitati contemperata misericordiam magis vult quàm iudicium, quæ legis temperat austeritatem, sine vlla exceptione consulens fieri adulteriæ mulieris reconciliationem: quam secuti sunt patres nostri post euangelium, vtiliorem intelligentes esse misericordiam in tali contractu quàm iudicium. Beatus verò Hieronymus honorans sacramentorum sanctitatem legalem more suo in hac sententia sequitur legis austeritatem, intelligens per hoc tutiùs posse muniri salutem. In hac igitur ambiguitate finem ponit auctoritas euangelica, contra quam nec personalis nec epistolaris valere debet sententia *. Vnde Leo quartus Episcopis Britanniæ ita scribit: *de libellis & commentariis quorumlibet non conuenit aliquos iudicare, & canonum atque decretorum regula relinquere.* Beatus quoque Augustinus scripturas suas & sibi similium inter canonicas scripturas in multis * opusculis suis testatur non esse computandas. Quòd si auctoritate veteris testamenti me vrgetis, breuiter respondeo: hæc & alia veteris testamenti præcepta quæ ibi figuratè sunt posita, in Ecclesia spiritualiter fuisse completa. Cùm enim anima quælibet per fidem Christo fuerit sociata, si per hæreticam prauitatem à Christo recedens alteri viro id est diabolo adhæserit, cùm fortè ad peiorem virum id est ad Christum

Matth. 19. 1. Cor. 7.

Deuter. 24.

** latiùs extat apud Iuonem dec. lib. 2 & in ca. de libellis. distinct. 20*

** prologo lib. 3. de Trinit, & lib 4. c. 1. de anima.*

reuerti voluerit, secundùm diffinitionem antiquorum canonum vsque ad exitum vitæ non est societati eius copulanda, id est ad communionem sacramentorum Christi & Ecclesiæ admittenda: non quòd verè pœnitens debeat de indulgentia desperare, sed in hac separatione lapsum suum humiliter deplorare. Possem ea quæ dixi multiplicibus sententiis confirmare, sed puto ad intelligendum id quod sentio ista sufficere. Valete.

EPISTOLA CCXXIII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Audoëno Ebroïcensis Ecclesiæ designato Episcopo, Deo placitum adipisci sacerdotium.

QVoniam vinitoribus & agricultoribus comparat nos sermo diuinus, gaudere debemus in Domino, cùm * agricultioni nostræ gratia diuina tales adhibet operarios: per quos vinea Domini sabaoth palmites suos latiùs extendat, & ager Dei feracior fiat. Quod cùm ab initio nascentis Ecclesiæ Domino dicente necessarium fuerit, maximè his diebus necessarium hoc esse videmus, cùm manifesta nouissimorum dierum signa præ oculis habemus, secundùm quod prædictum est homines seipsos amantes, sua quærentes, quæ Dei sunt post dorsum ponentes, tam viros quàm mulieres per omnia corporis sui membra ordinem naturæ adulterantes, & in hunc modum plurima quæ non tantùm facere, sed turpe est etiam dicere. Quæ quia per domnum * Gulielmum Carnotensis monasterij * S. Petri Abbatem fraternitati vestræ displicere audiuimus, in Domino gauisi sumus, quia vos vtile vas in domo Dei futurum esse * credimus; simul expetentes vt familiarem inter nos dilectionem confirmemus, & vicina ab inuicem solatia atque præsidia pro euentuum & actionum Ecclesiasticarum necessitate expectemus. Præsentibus itaque litteris initia vestri Episcopatus visitare decreuimus, vt amodò fraterna dilectione pro inuicem sentiamus, onera nostra inuicem portemus: quatinus secundum canonicam institutionem oppressores Ecclesiasticorum pauperum gladio spiritus vnanimiter persequamur; & à communione viuentes, & à sepultura mortuos arceri faciamus. Habent enim parochiani nostri à nobis communione priuati apud Musiuum * quosdam Presbyteros & quosdam monachos, à quibus communionem petunt & accipiunt, qui etiam fluuium vnde * Musiuus vicus ille dicitur transeunt, & in quodam falso cœmeterio * corpora excommunicatorum sepulturæ tradunt. Quod de cætero fieri prohibeat dilectio vestra: ne manente praua consuetudine contingat detestanda peruersitas, si excommunicationis vilescat auctoritas, & sceleratorum insolescat impunitas. Aduersùs hæc & huiusmodi det vobis Dominus spiritum consilij & fortitudinis, vt tanquam lucerna super candelabrum posita, in domo Dei luceatis, & necessarium lumen ignorantibus ministretis. Val.

Matth. 20. Luc. 10.

** duo v. c. agricolationi.*

2. Tim. 3.

** al. Vuilel. mum.*

** al. B. Petri.*

** credidimus.*

** sic habent vett. codd. in anteà vulgato, Musuuim.*

** ita etiam vett codd. anteà Musuis.*

** v. c. cimiterio.*

EPISTOLA CCXXIV.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Guidoni Molismensis monasterij Abbati salutem in Domino.

FRater iste præsentium portitor litterarum, cum litteris vestris ad nos veniens, quàm inordinatè vera celando, falsa profitendo, cùm ordinandus examinaretur, ad sacerdotij culmen aspirauerit, lacrymabiliter nobis aperuit: consultius sibi æstimans ab inordinatè accepto officio penitus cessare, quàm in eodem periculosè ministrare. De cuius cordis anxietate sollicita perquisitione quod sentio, & quod de canonicis scripturis collegi, fraternitati vestræ rescribo. quia licèt inordinatè accesserit ad sacrum ordinem, sacramenti tamen accepit sanctitatem: sed tamen quamdiu in peruersa intentione lucrorum temporalium perstitit, fictus & solò sacramento sacerdos fuit sibi ad perniciem, licèt aliis ad salutem. Et si in eo rigor canonum seruaretur, omni tempore ab inordinatè accepto officio suspéderetur. Postquam verò mutata intentione quod deerat integritati sacerdotali ei gratia diuina contulit, & sanctitati sacramenti nouitatem vitæ addidit, & impletum est in eo quod dicitur: *sacerdotes tui induantur iustitiam*, [Psal. 131.] non iam fictus nec solò sacramento sacerdos fuit, & non tantùm salutem aliorum, sed etiam suam per sacerdotale ministerium potuit operari. Vnde Augustinus in libro contra epistolam Parmeniani: *Hoc penè in omnibus talibus quæstionibus intelligendum admonemus, quia scilicet omnia sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* [Refertur in ca. per Esaiã. cau. 1. q. 1.] Idem: *Spiritus sanctus in Ecclesiæ proposito vel ministro sic inest, vt si fictus non est, operetur per eum, & eiusdem mercedem in salutem sempiternam & eorum regenerationem vel ædificationem qui per eum siue consecrantur, siue euangelizantur. Si autem fictus est, desit quidem saluti eius, & auferat se à cogitationibus eius quæ sunt sine intellectu: ministerium tamen non deserat, quod per eum salutem operatur aliorum.* His & huiusmodi palam est præsentem fratrem ad sacri ordinis ministerium misericorditer posse admitti, nisi aliud lateat, quod sacris canonibus obuiare videatur. Verùm vt tutiùs muniatur eius conscientia, expectanda est ad hoc paterna obedientia, quatinus sanet hoc vera humilitas, quod vitiauit ambitiosa cupiditas. Val.

EPISTOLA CCXXV.

Daimberto Dei gratia Senonensium Archiepiscopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, cum debita obedientia salutem & dilectionem.

DE milite qui ante legitimas nuptias cum sorore vxoris suæ concubuit, & culpam suam publicè confessus est; hoc paternitati vestræ respondeo quòd vos benè nostis; quia sibi publicam ingessit infamiam, & aduersus honestam personam nec accusare de cætero potest, aut testificari. Verùm quia nemo criminiosus confessionem facere potest, nisi aut de flagitio aut de facinore; negare non possumus quin confessiones quas pro Dei timore & sua salute aduersum se faciunt pœnitentes, recipiamus, & quin eis legitimas pœnitentias iniungamus: quas si eis denegaremus, inuisibilium luporum faucibus eos deuorandos objiceremus. Si verò huiusmodi accusatores sui leuiter & impunè transire permittimus, bonum coniugale quod natura & lege ab initio sancitum est, periculosè violandum exponimus. Quia ergo omnis controuersiæ finis Ecclesiasticæ, secundum Apostolum *, est iuramentum, [* finis, ms. c. Hebr. 16.] districtis sacramentis, & per probatas sex personas siue quæ præsentes hoc flagitium cognouerint, siue quæ fidei suæ argumento rei veritatem adstruere possint, confessio illa * approbanda est: [* al. comprobanda.] quia nos cogunt noua genera morborum noua quærere experimenta medicamentorum. Cùm ergo confessio illa ita fuerit comprobata, iam constabit incestuosum fuisse coniugium. *Incestis autem coniunctionibus* * secundùm canones, *nihil veniæ reseruamus, nisi cùm flagitiosum coniugium separatione sanauerint.* [* can. de incestis cap. 35. q. 2.] Ipse autem coniugij violator & accusator * omni tempore * velut viduus vsque ad tempus peractæ pœnitentiæ sine coniugio maneat: [* can. concubuisti cau 32. q. 7.] [* in aliis v. codd. vel vt minus vsque] mulier autem pretium pudicitiæ suæ, dotem videlicet non amittat. Ita quidem & confessioni satisfaciemus; & coniugij bono in futurum vtiliter prouidebimus. Hæc interim sine vllo ordinis nostri dispendio facere potest vestra dispensatio, donec suo tempore ad generale Concilium, vel generalem conuentum veniamus, in quo de his & huiusmodi, cum* conuentia Episcoporum tractare valeamus. [* quidam conuenientia.] Ego enim ita facio, si quid mihi aliquando tale contingit; & sic feci in hac præsenti quadragesima de quodam milite: semper ad generalem audientiam reseruans quid statuendum sit de talis coniugalis boni violatore. Valete.

EPISTOLA CCXXVI.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister Bernerio Bonæuallensis monasterij Abbati & fratribus sibi commissis, misericordiæ visceribus abundare.

MOnachus præsentium portitor litterarum, fugam qua de monasterio vestro elapsus est, lacrymabiliter nobis confessus est, & vt à fraternitate vestra indulgentiam ei impetrem, multa instantia deprecatus est. Precibus itaque miseri hominis, misericordia motus opportunè & importunè rogo & moneo, vt ouis quæ aberrauerat à grege, & anxiè reuerti desiderat cum digna satisfactione suscipiatis, edocti exemplo & verbo summi pastoris, qui ouem perditam non solùm reuertentem recipit, sed etiam fugientem & errantem quæsiuit, & ad ouile reduxit. [Luc. 15.] Exemplo itaque illius ex misericordia iudicium temperate, & miseri ordiam quam sibi quisque impendi vellet, si ita affectus esset, fraterna caritate impendite. Possem in hanc sententiam plura vobis scribere, sed puto diuinam lectionem cotidie frequentantibus ista sufficere. Valete.

Paschali

EPISTOLA CCXXVII.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, in eo semper gaudere qui delectabiles facere potest exitus matutini & vesperæ.

QVoniam paternitatem vestram à ciuibus Babyloniæ * audiuimus plusquam mille passus angariatam, intimo dolore congemuimus: & quia ad aliud non suffecimus, conditorem bonorum & dispositorem malorum, quantum † intensa prece valuimus, interpellauimus, vt tantæ procellæ fluctus in auram serenitatis conuerteret, qui Petrum in fluctibus ambulantem ne mergeretur erexit, & coapostolum eius Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberauit. Non ergo dedignetur vestra sublimitas humilitatem nostram consolationis suæ facere participem, vt quæ præcordialiter compassa est in aduersis, vberiùs gaudere valeat in prosperis. Non enim immemores sumus Apostolicæ doctrinæ monentis: *cùm patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & cum gaudet vnum membrum, congaudent omnia membra.* Quantò magis dolenti capiti debent omnia membra condolere, aut gaudenti omnia congaudere? De cætero si per quancumque personam peruenerit ad aures vestras aliqua conquestio vel suggestio de quadam præbenda, quam daturum me disposueram cuidam Presbytero nomine Guarino, noscе volo paternitatem vestram, quia sicut disposui, sic quantum in me est, perficere paratus sum & * paratus fui, ea videlicet conditione vt Ecclesia scandalum hac de causa non patiatur: quæ sicut nostis, pacis & fraternæ dilectionis magis compagæ socianda est, quàm alicuius scissuræ dissentione saucianda. In hoc verò negocio tota penè Ecclesia cum decano * in faciem mihi restitit, & Presbyterum petitorem præbendæ, secundùm morem Ecclesiæ canonicari non permittit. Hac itaque de causa distuli facere quod proposueram: quia nec aliter aliquid illi Presbytero, quicquid ipse dicat, me daturum promisi, nisi cùm pace Ecclesiæ posset fieri. Hæc ergo paternitas vestra indubitanter credat: & ne Ecclesia inde perturbetur, sapientia sibi diuinitus collata prouideat. Valete.

*videtur respici ad illud tempus quo Paschalis vi armata captus est Roma ab imperat. Henrico, de quo ad epist. 237.
† quam. ms. cod.
Matth. 14.
2. Cor. 11.
1. Cor. 12.
*in vno v. c. operatus.
*sup. epist. 182.

EPISTOLA CCXXVIII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister Gonherio bonæ spei Presbytero, ad ostium veritatis pulsare, vt ei se ipsam veritas dignetur aperire.

Gonherij etiam mentio epist. 151. & [illegible]

QVærit fraternitas tua quo modo inter se conueniant prophetica sententia, quæ dicit: *In quacunque hora peccator conuersus ingemuerit, saluus erit;* & synodalis, quæ crimina sua confitentes aliquamdiu à corporis & sanguinis Christi communione suspendit. * repugnare enim tibi videtur, dissentire sententiam capitis & corporis, vt quos caput, id est Christus celeriter à peccato liberat, eos corpus Christi, id est Ecclesia sub pœna peccati diu ligatos retineat. Quæ quæstio facilè soluitur, si interni iudicis animaduersio & humanæ fragilitatis consideratio diligentiùs attendatur. Cùm enim criminalis culpa delinquentem separet à capite & à corpore, rationis ordo hoc exigit, vt internus iudex tanto remittat celeriùs, quanto solus magis videt interiùs: Iudex verò qui tantùm videt in facie, vsque adeò delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestum pœnitentiæ fructum, qui sit pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum satisfit interno iudici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna conuersio. Ecclesia verò, quia occulta cordis ignorat, non soluit ligatum, licèt suscitatum nisi de monumento elatum, id est publica satisfactione purgatum. Hinc est quòd Ecclesia sua crimina confitentes à sacramētorum communione suspendit, & in cinere & cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, vt per hoc experiatur, si iam sunt intus viuificati, cùm fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat fraternitas tua, videbis non dissentire propheticam & synodalem sententiam, cùm illa deferat quod suum est capiti, & ista concedat quod suum est corpori. In discretione tamen Episcoporum est secundum affectum pœnitentiæ tempus adbreuiare vel prolongare, dicente beato Augustino: *In actione pœnitentiæ, pro qua reus ab altari separandus est, non adeò consideranda est mensura temporis vt doloris. quatenus enim agnoscit, eatenus Deus agnoscit, iuxta illud Psalmistæ: secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* De proposita quæstione ista * satisfaciant. Vale.

Ezech. 18.
*ita v. c. an teà rep. tibi videntur dissentireque sententia. ita ms. c.
Cur Deus celeriùs liberet peccatorem.
Cur ecclesia tardiùs liberet peccatorem.
Cap. 65. in Enchiridio. & in can 83. de pœn. dist. 1.
Psal. 93.
* al. sufficiant.

EPISTOLA CCXXIX.

*Lisiardo Dei gratia * Suessionum Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, salutem & seruitium.*

* al. Suessionensium.

DE coniugio mulieris de qua me ex vestra parte consuluit domnus Stephanus, quæ ante coniugium rem dicitur habuisse cum consanguineo eius quem nunc habet maritũ, hoc legum fretus auctoritate respondeo, quia corruptor eius etiam si verum sit quod dicit, eam accusare non potest, dicente Apostolico decreto: *nemini * de se confesso credi oportet super crimen alienum.* & alibi. * *neminem reum esse indicandum, nisi iudiciario ordine conuincatur*, id est nisi ipse in quem crimen intenditur, aut sponte se reum esse fateatur, aut per innocentes testes in aliquo seculari iudicio vel Ecclesiastico reus esse comprobetur. Quòd verò accusator propter improbitatem suam testes adhibet qui factum non viderunt, quamuis vera dicant, non sunt tamen audiendi, cùm leges contineant testes aduersus reum non esse admittendos, nisi de his quę sub præsentia eorum facta esse noscuntur. Si verò mulier consulens famæ suæ aduersus hanc infamiam purgare se voluerit, Romanorũ Pontificum Xisti & Leonis * exemplo edocti consulimus prudentiæ vestræ, vt secundùm quod fama crebrescit, quinta manu mulieris vel septima purgationem * eius accipiatis: quatinus sic & legibus vim non faciatis, & conscientiæ vestræ & sedando rumori consulatis. De cætero apud dilectionem vestram excusatum me esse volo, videlicet quòd Carnoti me absente facta est separatio Guidonis cuiusdam parochiani vestri, & Matildis cuiusdam parochianæ nostræ, quæ

* ca. nemini, cau. 15. q. 5. & epist. 196.
* ca. incerta, cau. 30. q. 5.
* sup. epist. 206.
* ita dixit septem sacramentis purgare, epist. 54.

fratri eius priùs fuerat desponsata, ego tamen quomodocunque res se habeat, super parochianum vestrum neo iudicium dedi nec dari feci. Ipsi sponte sua consilio quorundam clericorum inter se diuortium quæsierunt: ipsi causas diuortij me nesciente iureiurando probauerunt. quæ res si perperam facta est, vos meliùs scitis quàm ego. & si inde in * parochianam nostram aliqua calumnia emerserit, quantum in me est quod ratio & lex suaserit iudicabo. Valete.

* al. parochia nostra.

EPISTOLA CCXXX.

Hildeberto Dei gratia Cenomanensium Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, salutem & seruitium.*

* al. additur & dilectionem in Christo.

QVoniam à principio conditionis humanæ naturali institutione coniugium constat esse sancitum, nullum credo posse fieri diuortium, nisi causa interueniat quam lex admittit, aut euangelium. Adhuc enim vigebant Iudæorum & gentilium secundùm legem naturalem sociata coniugia, & nulla vel rarissima erant Christianorum connubia, quando Apostolis interrogantibus si licet homini vxorem dimittere quacunque ex causa, responsum est à Domino, nullum coniugatorum fieri posse diuortium excepta fornicationis causa. sed quia secundùm Apostolicam doctrinã thorum immaculatum & honestum connubium oportet esse in omnibus, crescente religione Christiana ad causas diuortij additus est incestus; qui si in aliqua copula repertus fuerit, non potest probari thorus esse immaculatus & honestus. Hoc ergo mihi considerandũ videtur de muliere quæ relicto Iudaismo conuolauit ad baptismum, vtrùm consanguinea fuerit prioris mariti, an non. quod si repertum fuerit, credo secundùm legem Christianam quam professa est, à priori marito posse dissolui, & nubere cui velit in Domino; alioquin vir cui nupserit adulter erit, & ipsa adultera. *baptismus enim* secundum Innocentium Papam **peccata dimittit non coniugia soluit.* Hoc de proposita quæstione sentio, sine melioris sententiæ præiudicio. Valete.

Matth. 19.

Hebr. 13.

* cap. gaudemus tit. 19. de diuort l. 4. decret. & in ca. 10. si quis dist. 34.

EPISTOLA CCXXXI.

234. ms. c.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Pontio venerabili Cluniacensium Abbati, in regimine sibi commisso placere summo rectori.

QVæsiuit à paruitate mea prudens diligentia & diligens prudentia vestra, quid mihi significare videatur calicis eleuatio & eiusdem repositio, quid significant illæ consignationes quæ fiunt super calicem & intra, & extra, quæ prætermissa videntur in libello* quem composui de conuenientia veteris & noui sacerdotij. Quæ ideò prætermissa mihi quia ad illam conuenientiam de qua in opusculo illo agebatur parum aut nihil pertinere videbantur. Cum verò per se ista considerantur, mysticum aliquid continere videntur *, præter illas consignationes quæ distinctè ante istas in tribus locis frequentantur. In his enim specialiter intenditur vt illa dona quæ iam vocantur sacrificia, in Christi corpus & sanguinem commutentur, vel commutata salutaria nobis efficiantur. Cùm autem panis & calix adhibito diacono eleuatur, exaltatio Christi corporis in cruce commemoratur: quod verò cum hostia iam consecrata, intra vel supra calicem signum crucis imprimitur à latere calicis orientali vsque ad occidentalem, & à septentrionali vsque ad australem, hoc figurari intelligimus, quod ante passionem Dominus discipulis suis prædixit in commendationem suæ passionis: *cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Hostia quoque quæ iuxta calicem consignatur sic debet esse posita, vt sua & calicis positione dextrum Christi latus repræsentet, de quo manauit sanguis redemptionis & aqua baptismatis, quæ vtraque in calice contineri prudentia vestra non ignorat. At cùm cooperante diacono calix deponitur, & hostia in suo loco reponitur, & corporali palla * cooperitur, hoc commemoratur, quòd Ioseph & Nicodemus accepta licentia à Pilato corpus Christi de cruce deposuerunt, & venerabiliter sepulturæ mandauerunt. Hæc de iis sentio, non respuens si quis de eis altiora * & secretiora ex auctoritate vel diuina inspiratione dicere valuerit. De monacho qui in ignem cadendi iuueni causa fuit non voluntate sed casu, non videtur mihi esse criminale quod fecit, testante beato Augustino & dicente: *peccatum adeò est voluntarium, vt si non sit voluntarium, constet non esse peccatum.* Vnde si ad tempus monachus ille ab officio est suspensus, vel ab aliqua promotione dilatus, congruũ mihi videretur vt & leuitas eius impunita non remaneret, & exemplum à simili leuitate cauendi consortibus fieret. Ex sola ergo prudentiã vestra pendet, vt secundùm qualitatem vitæ * & scientiæ aut eum omnino suspendatis, aut in sacris eum ordibus ministrare concedatis. De cætero si monachi illius transgressionẽ qui se propter epilepsiam curandam eunuchizauit, secundum rigorem canonum animaduertere vultis, nec ad altiorem gradum promoueri poterit, nec in eo in quo erat ordine ministrabit, quod, sicut benè nostis ei, non interdiceretur si esset sectus à medicis. Si enim secundùm Nicenos canones illi ab Ecclesiasticis officiis remouentur qui se* abscindunt obtentu seruandæ castitatis, multò magis illi remouendi sunt qui se eunuchizant causa curandæ corporalis ægritudinis. Verùm quia sicut rigor commissus est rectoribus ad seruandum pro necessitate locorum & temporum, aut pro consideratione appetendorum commodorum, aut vitandorum incommodorum: sic dispensationes eisdem permissæ sunt; quæ Ecclesiæ Dei non generent scandalum pro honestate personarum, aut pro vtilitate rerum publicarum. In quibus omnibus adhibenda est rectorum diligentia, vt nec nocitura concedant, nec profutura prohibeant. Sicut enim ægroti aliquando seruatis legibus medicinæ minimè curantur, qui remissis competenter legibus sanarentur: ita in curandis morbis animarum considerandum est quibus prosit rigor disciplinæ, & quibus moderatio indulgentiæ. In quibus omnibus summa consilij est, quam habemus à patre Augustino dicẽte in tractatu de disciplina Ecclesiastica: *habe caritatem, & fac quicquid vis. si parcis, parce cum caritate. si corripis, corripe cum caritate.* Hęc breuiter ad proposita vestra pro intellectu meo respondi, quia veniente ad nos portitore litterarum vestrarum ego aliquantulum ægrotabam, & portitor litterarum ad reditum festinabat. Val.

* extat hodie editus inter sermones Iuonis.

* in vno v. c. propter.

Ioan. 12.

* de ratione huius cooperturæ extat in vet. cod. quæstio Vualeranni Episcopi Nuuenburg. cum responsione Anselmi Cantuariensis Archiep.

* al. sacratiora.

* al. & conscientiæ.

* in vett. cod. abscidunt.

Dispensationum modus etiam approbatur epist. 250. & 260.

EPISTOLA CCXXXII.

235. ms. c.

*Hildeberto Dei gratia Cenomanensi Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, * F. Cenomanensis Ecclesiæ præcentori salutem.*

* *Sic ex duob. v. c. suppleta inscriptio.*

DE viro qui antequam vxoré duceret, circa maritalia loca matrem eiusdem vxoris exteriori pollutione maculauit, nihil sanius respondere valeo, quàm quod Papa Vrbanus * respondit Hugoni Gratiano politano Episcopo cõsulenti eum de simili negocio. respondit enim ex consulto; propter tale flagitium legitimum soluendum non esse matrimonium. Consuluit tamen diligentissimis & districtissimis examinationibus esse perquirendũ, vtrum in tali turpitudine contigerit aliqua carnis commixtio, per quam fierent in commixtione feminum vna caro, propter quam fieri debet malè initi vel violati matrimonij disiunctio. Audiui enim quòd vir ille de quo agitur, de obiecto crimine examinatione * igniti ferri se purgauerit, & à læsione ignis illæsus repertus sit. Quod si ita est, & hoc in sacramento purgationis suæ posuit quòd nunquam cum matre vxoris suæ vna caro fuerit, contra diuinum testimonium nullum vlteriùs inuestigandum intelligo esse iudicium. Vale.

ita ms v. Quæ lineolis sub notãtur; in ms. cod. desunt. & irrepserunt. ms. c. annotatis in textum.

* *refertur in ca. extraordinaria pollutio cau. 35. q. 2. & 3.*

* *cuius mentio epist. 74. 205. 251. & 280.*

EPISTOLA CCXXXIII.

*Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Henrico Abbati Angeliacensis monasterij, salutem & * mutuum orationum munus.*

* *al. mutuarum. ita ms. cod.*

DE inuestituris Ecclesiarum quas laïci faciunt, sententiam præcedentium patrum Gregorij * & Vrbani, quantum in me est laudo atque confirmo. Quocunque autem nomine talis peruasio propriè vocetur, eorum sententiam qui inuestituras laïcorum defendere volunt, scismaticam iudico. Nec ista * contra domnum Papam dico, quia quibusdam litteris mihi scripsit se coactum fecisse quod fecit, & adhuc se prohibere quod prohibui, quamuis quædam nefanda quibusdam nefandis scripta permiserit. Et quia verenda patris debemus potiùs velare quam nudare; familiaribus & caritatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur, vt se iudicet, aut factum suum retractet. Quod si fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ grauiter languet dum caput eius laborat tanta debilitatum molestia. Si autem in hoc langore insanabiliter ægrotauerit, non est nostrum iudicare * de summo pontifice. Habemus enim euangelicam sententiam, quæ securos * hos facit: *super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. quæ dicunt seruate & facite: secundùm verò opera eorum nolite facere.* Vult enim hæc sententia præcepta præsidentium ad cathedram pertinentia obedienter impleri (etiamsi tales sint quales erant pharisæi) non eos factiosa conspiratione à suis sedibus remoueri. Si verò ea præcipiant quæ sint contra doctrinam euangelicam vel Apostolicam, ibi eis non esse * obediendum exemplo docemur Pauli Apostoli, qui Petro sibi prælato non rectè incedenti ad veritatem euangelij in faciem restitit, non tamen eum abiecit. Vbi enim succumbunt humana iudicia, diuina est expetenda misericordia: quatinus insitorum conseruata pace ramorum *, & ipsi qui præcisi sunt vnitati Ecclesiæ studeant reformari, & insitorum ramorum societate lætari. Alioquin nec præcisi inserentur, nec inserti fructificare aut florere in tanta turbinum concussione permittentur. Hæc de proposita quæstione respondeo maiorum sententiis non præiudicans, quæ paci Ecclesiæ consulant & ædificationi. Vale.

* *vide ca. si quis. & ca. quoniã cau. 16 q. 7. adde quæ disputat. epist. 60.*

* *vnus v. c. propter domnum loquitur de Paschali secundo qua de re ad epist. 236.*

Genes. 9.

* *idem repetit epist. 136.*

* *vnus v. c. nos ms. c. reddit.*

Matth. 23.

* *tunc enim lares sua potestate pri[...]andas, dicit [e]pist 236.*

* *alludit ad verba S. Augustini quæ etiam refert epist. 188.*

EPISTOLA CCXXXIV.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Gulielmo Abbati maioris monasterij, & fratribus sibi commissis dilectionem in Domino.

QVod concordia paruæ res crescant, discordia autem maximæ res dilabantur, experimento didicisse credo fraternitatem vestram. Vnde cum arca Noë Ecclesiæ figuram præferens, cùm per singulas dimensiones multis fuisset cubitis dilatata, in vno tamen est * cubitu consummata, quatinus hac præfiguratione tunc intelligeretur Ecclesiæ forma perfecta, cum ab inferioribus membris prælatis suis plena fuerit obedientia exhibita: quam * quia multo tempore non exhibuistis, prout debuistis, non est mirandum dilectioni vestræ si à vobis exigitur * quod debetur, videlicet vt metropolitano vestro obedientiam debitam & ore promittatis, & data dextera confirmetis. Sic à Petro Domino interrogante exacta est trina confessio, quia eo timente præcesserat trina negatio. Sic Petrus à Paulo & Barnaba dextrã accepit societatis, vt Apostolatum sibi commissum non vsurparent, sed Paulus in gentibus, Petrus in circuncisione euangelium prædicaret. In hunc modum si vobis libet, satis licet: vt quod debetis & corde tenetis, ore promittatis, & manu * confirmetis. quia non maior mihi videtur obligatio manus quàm oris, dicente Apostolo: *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sed aliquando cogunt nos inuenire noua genera medicamentorum, noua incrementa morborum. Et si enim, quod absit, exigatur hoc quod dictum est ex aliqua vana occasione, cùm tamen non obsit fidei & bonis moribus, adquiescendum est vobis causa reformandæ pacis ex debita humilitate. Sic Paulus contra propositum suum Lystris permisit circuncidi Timotheum propter scandalum Iudæorum, quamuis sciret & prædicaret sacramentum circuncisionis Christianæ religioni non esse necessarium. Exemplo ergo suo nos docuit, quòd ibi dispensatio admittenda est, vbi rigor periculosus est. Possem plura scribere in hunc modum, sed quia prudentibus loquor, hæc pauca sufficiant. Vale.

Salustius.

Genes 6.

* *al. cubito. ita ms. c.*

* *confer cum epist. seq.*

* *in vno v. c. quod non deb. ita ms. n.*

Ioan. 21.

Matth. 26.

Galat. c. 2. epist. 61.

* *de sacramento per manum adi not. ad epist. 190.*

Rom. 10.

Act. 16. citat etiam epist. 236.

EPISTOLA CCXXXV.

*Radulfo Dei gratia * Turonum Archiepiscopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, salutem & seruitium.*

* *in quinque manuscriptis Turonorum. ita ms. c.*

AVdiui & gauisus sum quòd vicini Episcopi Cenomanensis & Andegauensis pacem reformare studeant inter metropolitanam sedem vestram & fratres maioris mo-

Confer cum epist. præcedente.

nasterij, & ad hoc vnum solum restare, quòd Abbas id quod profitetur ore, non vult data dextera confirmare. Sed hæc dissentio quantum fuerit illi monasterio sumptuosa, vobis autem laboriosa, meliùs me nouit prudentia vestra. Vnde consulendum excellentiæ vestræ, vt paci * & vnanimitati studeatis: quatinus & monasterium debitam vobis subiectionem exhibeat, & ætatis vestræ grauitas reliquos dies vitæ suæ in pace & quiete perficiat. Si enim debitam subiectionem Abbas ore professus fuerit, cùm* ad obtinendam salutem sufficiat professio oris cum fide cordis, credo quia cùm hoc in audientia Ecclesiæ testificatus fuerit, promissionem suam irritam non faciet: quod in infamiam eum truderet, & damnationi obnoxium faceret. Vti enim se habet simplicitas hominum, plus horret hoc Abbas facere, quia est insolitum, quàm quia sit illicitum. Et cùm dicat Apostolus, *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: quod sufficit ad salutem, sufficere mihi posse videtur ad promittendam subiectionem. Plura scripsissem, sed sapienti satis dictum est. Vale.

*al. & vnitati.

*etiam, ms.c.

Rom. 10.

EPISTOLA CCXXXVI.

Ioanni Dei gratia Lugdunensis primæ sedis Archiepiscopo, Daimbertus eadem gratia Senonensium Archiepiscopus, Iuo Carnotensis Episcopus, Walo Parisiensis Episcopus, Ioannes Aurelianensis Episcopus cum cæteris coëpiscopis Senonensis prouinciæ institutam à patribus reuerentiam.

Ita restituta & suppleta huius epistolæ subscriptio ope duorum antiquorum codicum.

IVre primatus vestri inuitastis nos ad Concilium apud Ansam celebrandum, in quo tractare disposuistis de fide * & inuestituris laïcorum; ad quod venire minimè contemnimus, sed terminos quos posuerunt patres nostri, terminos antiquos transgredi formidamus. Nusquam enim reuerenda patrum sanxit auctoritas, nusquam hoc seruare consueuit antiquitas, vt primæ sedis Episcopus Episcopos extra prouinciam propriam positos inuitaret ad Concilium; nisi hoc aut Apostolica sedes imperaret, aut vna de prouincialibus Ecclesiis pro causis quas intra prouinciã terminare non poterat, primæ sedis audientiã appellaret. Quod non de corde nostro prophetamus, sed Apostolica auctoritate muniti, irrefragabilibus sententiis approbamus. Vnde scribit Papa Nicolaus in hæc verba * Radulfo Aquitaniarum primati, vltra ius primatis aliqua sibi vsurpanti: *conquestus est Apostolatui nostro frater noster Sigebodus Archiepiscopus Narbonnensis, quòd clericos suos eo inuito ad iudicium venire compellas, & de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus eo inconsulto quasi iure Patriarchatus tui disponas: cùm hoc nec antiquitas cui patres sanxêre reuerentiam habeat, & auctoritas sanctorum & canonum penitus interdicat: nisi fortè pro causis quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad Patriarcham suum prouocauerint, vel si Episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ iudicio tuo dispensare voluerint. Primates enim vel Patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt; & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus, ita vt secundùm Nicenas regulas sua priuilegia seruentur Ecclesiis.* Huic sententiæ concordant Clemens & Anacletus, qui post Apostolos ordinauerunt in quibus * ciuitatibus essent primæ sedes, in quibus metropolitanæ: statuentes ita demum iudicium Episcoporum ad primates esse referendum, si ad eorum audientiam fuerit appellatum. His auctoritatibus muniti, nolumus Ecclesiis vestris * inauditam nouitatem inducere, vel iura earum antiquitus instituta permutare. Præterea quia in hoc Concilio de inuestituris laïcorum, quas quidam inter hæreses * computant, tractare disponitis; potiùs pudenda patris vestri * nudabitis, quæ publicanda non essent in Geth, nec in compitis Ascalonis, deridenda exponetis, quàm post dorsum ea velando benedictionem paternam vobis acquiratis. Quod enim propter vitandam populi stragem paternè in se admisit summus * Pontifex, coëgit necessitas, non approbauit voluntas. Quod inde constat, quia postquam euasit periculum, sicut ipse quibusdam nostrûm scripsit, quod iusserat iussit, quod prohibuerat prohibuit: quamuis quibusdam nefandis vrgente periculo quædam nefanda scripta permiserit. Sic Petrus trinam negationem trina confessione purgauit, & Apostolus mansit. Sic Marcellinus Papa deceptus à profanis * coram fano thurificauit, & tamen à fratribus minimè iudicatus post paucos dies martyrio coronari promeruit. Sic Aaron in eremo moram faciente Moyse, in monte propter importabilem populi seditionem vitulum fusilem fieri permisit, quem populus insipiens adorauit; cùm tamen non esset seductus à populo, vt Deum esse crederet, vel diuinæ culturæ reuerentiam ei exhiberet. Meruit tamen veniam tantus excessus, & Domino iubente per manum Moysi ad summum sacerdotium est sublimatus. Sic Moyses ipse qui cum Domino loquebatur sicut ad amicum amicus, Deum tamen offendit, cùm propter murmur populi dicentis: *nunquid poterit nobis* ejicere aquam de petra hac?* dubitare coactus est, & aquam cùm disceptatione à Domino postulare. Sic doctor gentium qui in synagogis publicè clamabat: *circuncisio nihil est, & Christus nihil vobis proderit, si circuncidamini*, propter scandalum Iudæorum circuncidi permisit Timotheum, vt hac condescensione Iudæos lucrifaceret. Hæc infirma probabili necessitate vel prouida dispensatione passi sunt summi & sancti viri, Deo bene vtente malis nostris: vt per hoc doceret eos seipsos agnoscere, quatinus discerent infirma sua sibi ascribere, & bona sibi collata ad Dei gratiam referre. Nec ad hoc ista scripta sunt vt in exemplum viuendi ducantur, sed vt ex lapsu maiorum discant timere minores, ne similes lapsus incurrant; & si forte ceciderint, summa celeritate resurgant. Quòd si Papa adhuc in Teutonicum Regem* debitam seueritatem non exercet, credimus quia consultè differt secundùm quorundam* doctorum iudicia, qui consulunt quędam admittenda pericula vt possint vitari maiora. Vnde dicit Augustinus in tertio libro contra Parmenianum Donatistam: *hoc sanitas obseruat Ecclesiæ, vt cùm quisque fratrum, id est Christianorum, intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc vbi periculum * scismatis nullum est: atque id cum eo dilectione fiat, de qua ipse Apostolus alibi præcipit dicens: vt inimicum eum non existimetis, sed corripite vt fratrem.*

* confer epist. 233.

*al. Rodulfo Bituricensi Archiepiscopo, in ca. conquestus est. cau. 9. q. 3.

* vide ca. Vrbes & ca. in illis. dist. 80.

* nostris, ms.c.

* impropriè epist. 233.

* al. nostri. Genes. 9.

2. Reg. 1.

* Paschalis secundus, de quo epist. 233.

Ioan. 21.

Can. nunc autem. distinct. 21.

* in vno cod. coram profano.

Exod. 32.

Leuit. 8.

Num. 12.

* al. eicere.

Num. 20.

Gal. 5.

Act. 16. citat iam. epist. 234.

* Henricum 4.

* al. doctorum consilium.

Lib. 3. c. 2.

* al. schis.

2. Thess. 3.

Vbi satis ostendit quod cùm metus iste non subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate certa securitas n. net, id est quando ita cuiusque crimen notum est & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores per quos possit* scisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ. In qua tanto est efficacior emendatio prauitatis, quanto diligentior conseruatio caritatis. Tunc autem hoc sine labe pacis & vnitatis, & sine læsione frumentorum fieri potest, cùm congregationis Ecclesiæ multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena est. Nec* enim potest esse salubris à multis correptio, nisi cùm ille corripitur qui non habet sociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat quàm dolor & gemitus: vt per illud signum quod Ezechieli sancto reuelatum* est, illæsi euadere ab illorum vastatione mereantur. Si quis enim frater in aliquo cæteris dissimili crimine nominatur, & reuera si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est. Nam consilia separationis & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega: quia & impia & superba fiunt; & plus turbant* infirmos bonos, quàm* corrigant animosos malos*.* Ad hoc* non videtur nobis vtile consilium, ab illa Concilia* conuenire, in quibus non possumus eas personas contra quas agitur, condemnare vel iudicare. quia nec nostro, nec* vllius hominum probantur subiacere iudicio. Vnde nos constat esse immunes, si facta eorum oris gladio ferire formidamus, cùm ipse mediator obedire eis præcipiat etiamsi tales sint quales erant pharisæi*, si ea quæ ad cathedram pertinent, recta præcipiant, ea vero minimè faciant. Ex quibus omnibus hoc constare videtur, quatinus fœminalia sacerdotalia pudendis superponamus; ne* verecunda nostra deridenda insidiatoribus nostris exponamus, & vnde quærimus reformare Ecclesiæ fortitudinem, in maiorem incurramus debilitatem. Hæc dicentes non instruimus prudentiam vestram, sed excusamus innocentiam nostram; quia & principales Ecclesiæ claues nolumus potestate sua priuare, quæcunque persona vices Petri habeat, nisi manifestè ab euangelica veritate* discedat. Hæc discentes non tollimus quin possint quique Metropolitani Episcopos, secundum ius antiquum, conuocare* prouincialem synodum salua reuerentia Romanæ Ecclesiæ celebrare. Quæ si ad presens non potest sathanam sternere sub pedibus suis; non obuiabit tamen salubribus dispositionibus vestris, in quibus secundum quod in prætaxato libro legitur, quisquis vel quod potest arguendo corrigit, vel quod corrigere non potest, saluo pacis vinculo excludit, vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus, & ab isto maledicto quod scriptura dicit: *væ his qui dicunt quod nequam bonum est, & quod bonum est, nequam qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem: qui ponunt quod amarum est dulce, & quod dulce est amarum*: omnino liber, prorsus securus, penitus alienus. His catholicorum patrum terminis contenti, quæ possumus secundum decreta patrum saluo vinculo pacis corrigere volumus: quæ autem corrigere non possumus, vsque ad messem si necesse sit, Domino docent tolerare decreuimus. His verbis excusatos nos credimus, quod à laceratione domni Papæ linguas nostras reprimimus, & si quid contra sententiam suam suorumque* prædecessorum de remissis Germanico* regi inuestituris fecisse videtur, filiali caritate excusamus. Non enim præuaricator est legis, qui delinquit in lege aliqua fallente subreptione vel impellente necessitate, sed qui legem impugnat studiosè, & delictum suum non curat agnoscere. Vnde hunc excessum* eius non tantùm non accusamus, sed dictante ratione approbamus, si imminente strage populi, paterna caritate cum nonnullo vulnere suo se tantis periculis voluit objicere, vt maioribus* morbis posset sincera caritate subuenire. Nec ipse primus nec solus factus est dispensator dominicorum præceptorum: quia mediator Dei & hominum, cuius vita in terris disciplina fuit morum, primò præcepit discipulis vt non ferrent sacculum neque peram, quia tunc nulla necessitas vrgebat. Imminente verò tempore passionis suæ, sciens eos penuriam panis passuros cùm transirent de loco ad locum, temperauit præceptum, dans eis licentiam vt ferrent peram & sacculum*, non iam imperans cupiditati, sed indulgens necessitati. Ita cùm hæreses diuersi generis pullularēt per diuersas partes mundi; vt catholici territi seueritate sententiæ hereticorum seductiones cauerent, seuerissimè preceptum est, vt reuertentes ab hæresi vel clerici non fierent, vel clerici non manerent. Pro cuius rigore decreti cùm Ecclesia maxima damna pateretur, prudens discretio religiosorum voluit & docuit mutandam esse sententiam, & ab hæresi reuertentes, & catholicam vnitatem profitentes, fraternè suscepit, & in honoribus suis manere concessit: iudicans melius esse vt fieret aliquod vulnus in cortice matris arboris quod caritas sanaret, quàm Ecclesia de omnibus quos posset sua membra non colligeret. Postremò quod quidam inuestituram* hæresim vocant, cùm hæresis non sit nisi error in fide, sicut enim fides cordis est ad iustitiam, oris autem confessio ad salutem: ita hæresis error est ad impietatem, professio verò eiusdem erroris est ad perniciem. Et fides & error ex corde procedunt: inuestitura* verò illa de qua tantus est motus, in solis est manibus dantis & accipientis: quæ bona & mala agere possunt, credere vel errare in fide non possunt. Ad hæc si inuestitura hęc hæresis esset, ei renuntians sine vulnere ad eam redire non posset. Videmus autem in partibus Germaniarum & Galliarum, multas honestas personas purgato isto næuo per quamlibet satisfactionem, pastorales virgas reddidisse, & per manum apostolicam refutatas inuestituras recepisse. Quod summi pontifices minimè fecissent, si in tali inuestitura hæresim & peccatum in Spiritum sanctum latere cognouissent. Cùm ergo ea quæ æterna lege sancita* non sunt, sed honestate & vtilitate Ecclesiæ instituta vel prohibita, pro eadem occasione ad tempus remittuntur pro qua inuenta sunt, non est institutorum damnosa præuaricatio, sed laudabilis & saluberrima dispensatio. Quod cùm multi minùs studiosi minimè attendant, ante tempus iudicant, spiritus mobilis & spiritus* immobilis non intelligentes differentiam. Si quis verò laïcus* ad hanc prorumpit insaniam, vt in datione & acceptione virgæ putet

*al. vniuscuiusque.
* al schis.
Neque, ms. c.
*reuelatur, ms. c.
Ezech. 9.
*perturbant, ms c.
* al. corrigunt.
* al. adhac.
* hæc. ms c.
* loquitur de prouincialib.
* vel alicuius confer epist. 233.
* vide epist. 61. & 233.
* al. veneranda.
* idem statuit Bonifacius martyr in ca. si Papa. dist. 40. & tuo non obediendum ei præcipienti contra doctrinam euangelicam dicit epist. 233.
* ca. nec licuit & ca. multis, dist. 17.
Ex D. Aug. lib 3. contra epist Parmeniani cap. 1. & relatū in can. quisquis cau. 3. q. 4.
Esai. c. 50.

* Gregorij septimi, & Vrbani secundi.
* Germanicorum. ms. c.
* excusat factum Papa, vt epist. 233.
* epist. 190.
Matth. 10.
Luc. 22.
* sic omnes codd. Bar. tamen in ora libri addit. non iam obtemperans cupiditati.
* epist. 237.
* vide quæ scribit epist. 60.
* in eandem sententiam epist. 60.
* quidā cod. stabilis. ita ms. c. vide epist. 288.
* ep 60. dicit Reges intendere se nihil spirituale dare in inuestitura Pontificum, &c.

se tribuere posse sacramentum, vel rem sacramenti Ecclesiastici, illum prorsus iudicamus hæreticum, non propter manualem inuestituram, sed propter præsumptionem diabolicam. Si verò congrua volumus rebus nomina dare, possumus dicere quòd manualis illa inuestitura per laïcos facta, alieni iuris est peruasio & sacrilega præsumptio; quæ pro libertate Ecclesiæ & honestate, saluo pacis vinculo, si fieri potest, funditus * abscindenda est. Vbi ergo sine scismate auferri potest, auferatur: vbi sine scismate auferri non potest, cum discreta reclamatione differatur. Nihil enim tali peruasione demitur sacramentis Ecclesiasticis, quominus sancta sint: quia * apud quoscunque sint*, siue apud eos qui intus, siue apud eos qui foris sunt, eadem ipsa sunt. Hæc scripsimus dilectioni vestræ, parati refelli sine contumacia, si melius his quæ scripsimus nos docuerit prudentia vestra, quod munitum sit scriptura canonica. Valete.

* vett. codd. abscidenda.
* epist. 73.
* ipsa sunt. ms. c.

EPISTOLA CCXXXVII.

*Ioannes primæ Lugdunensis sedis Archiepiscopus**, *Daimberto Senonensi Archiepiscopo, salutem.*

* sic v. c. al. Iosceranus primæ sedis Lugdun. Archiepisc. &c. ms. c. & nullo numero notatur. Hæc respondet superiori epist. 236.

*QVoniam sapienti pauca sufficiunt; fraternitatem tuam paucis conuenire decreuimus: & quia in multiloquio peccatum non deerit, multitudinem verborum euitantes ad prolixitatem tuam qua potuimus breuitate respondere curauimus. Quædam itaque proposuisti, in quibus partim personam nostram de * præsumptuosa elatione notare, partim Lugdunensis Ecclesiæ dignitati derogare, partim verò in totius Ecclesiæ corpus inexpiabilem næuum inducere velle videris. Primum ergo est, vt nosmetipsos expurgantes ad cætera liberiores & expeditiores accedamus. Placuit enim discretioni tuæ, vt nobis imponeres quòd te extra prouinciam ad Concilium apud * Ansam celebrandum inuitaremus, ad agendum de fide & inuestituris laïcorum, & ad iudicandum eas personas * de quibus non est nobis fas iudicare. Testem itaque Deum, & conscientiam nostram adhibemus, nos neque extra prouinciam, neque ad iudicandum de illis personis fraternitatem tuam trahere voluisse; sed simpliciter dilectionis tuæ præsentiam ad colloquendum & consulendum de diuersis perturbationibus quæ in Ecclesia Dei ortæ sunt, adsciscere studuisse: vt laborem & meritum ac præmium laboris ac meriti tecum & cum aliis religiosis viris participaremus. Siquidem cùm prima Lugdunensis prouincia sit, nihilominus secunda & tertia Lugdunensis prouincia est. Cùm ergo primæ sedis Lugdunensis Præsul pro suis aut illorum necessitatibus secundæ vel tertiæ prouinciæ præsules vocat, non ad alienam prouinciam trahit; sed rationabili & iusto ordine seruato inferiora membra ad caput reuocat, vt ei vel de aduersitate condoleant, vel de prosperitate congaudeant. Nec prudentiam tuam * latere credimus, quoslibet metropolitas prouincialia concilia intra suos fines conuocandi ius habere. Quâ autem habitudine suffraganei ad suos metropolitas se habent, eadem metropolitæ ad suos primates se habere noscuntur: vt videlicet causæ quæ apud inferiores terminari nequeunt, apud superiores diffiniantur*; nisi ad Romanam audientiam appellatum fuerit, saluis tamen singularum Ecclesiarum priuilegiis. Vtinam igitur carissime frater, seriò dixisses, te nolle aut non audere antiquos terminos à patribus positos trãsgredi. Terminos verò Lugdunensis Ecclesiæ ac Senonensis ab antiquis patribus positos vniuersa penè nouit Latinitas. Mirari autem non sufficimus, quare plures personas ab Ecclesiastico iudicio exclusas esse notaueris; nisi fortè & omnes Episcopos in eadem emunitate comprehendi volueris. Quòd si Reges aut Imperatores à pontificali iudicio eximere tentaueris, recurre ad magnum Imperatorem Constantinum, qui in Nicæno Concilio præsente Papa Syluestro huiusmodi verba legitur habuisse.* Vos, inquit*, Episcopi à solo Domino iudicandi estis. *Non ait, ego & vos à solo Domino iudicandi sumus. Cùm enim solos excludit Episcopos, se proculdubio, & omnes Reges Ecclesiastico subdit iudicio. Nunquid culpas factum clarissimi doctoris Ambrosij, qui Theodosium Imperatorem ob suam culpam excommunicauit? Nunquid incusas Gregorium septimum, qui Regem Henricum ob sua scelera damnauit? Addidisti te vereri ne fortè patris nostri pudenda in colloquio nostro reuelarentur. Timuisti certè vbi non erat timor: Malumus enim absque dubio cum pietate verecundorum filiorum benedici, quàm cum inuerecundia irreuerentis filij maledici. Atque vtinam ipse pater pudenda (vt dicis) ista pro voluntate nostra contegi pateretur. Causatus es præterea periculosa tempora, causatus es aduersariæ partis robur ac multitudinem, causatus es nostræ partis debilitatem ac paucitatem. Et profectò quanto periculosiora sunt tempora, tanto fortiùs seruis Dei est adnitendum* ne cùm abundante iniquitate refrigescit caritas multorum, refrigescat etiam caritas paucorum. Nonne recordaris quid paucis discipulis Christus dixerit,* confidite, *inquit,* quia ego vici mundum. *Si ergo doces diffidendum, victoriam mundi prædicas, & Christi victoriam prosternis. Nouum & inauditum philosophandi genus, hortari contra fortes timidos, contra importunos desides, fieri in bello fugaces, in pace verò audaces, in periculo securos, in securitate prouidos. Intestabilis magister nauis, qui in tranquilla serenitate artis suæ fastigium exercet; in tempestate verò clauum & cætera armamenta remittit. ne verearis, frater, bonum semen seminauit Christus in agro suo. noli superseminare zizania, quæ vltrò crescunt, & bonum semen suffocare nituntur. Multiplicatur numerus malorum, abundant filij diffidentiæ sed potens est Christus suos confortare & aduersarios prosternere. Quid enim ait Apostolus?* omnia *inquit* possum in eo qui me confortat Christo. *Nunquid in solo Paulo erat Christus? Nunquid in eo solo omnia poterat? Credimus & confitemur quia in omnibus & singulis fidelibus omnia potest.* ecce ego, *inquit,* vobiscum sum omnibus diebus. *Quòd autem eos arguis, qui inuestituras Ecclesiasticarum dignitatum per laïcos factas inter hæreses computant, non satis efficaciter facere videris. Quamuis enim sicut catholica fides in corde, ita & hæreticus error in corde manet: tamen sicut ex catholicis operibus catholicum sentimus, ita ex hæreticis operibus hæreticum cognoscimus.* A fructibus eorum, *inquit Dominus,* cognoscetis eos: & vnaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur. *Et licèt exteriores inuestituras * per laïcos factas non satis propriè hæresis nomine censeamus; sentire tamen & defendere fieri debere, indubitata hæresis est. Quòd autem nonnullis indultum esse dicis, quòd*

* ita v. c. aliàs, præsumpta.
* cuius mentio epist. 236.
* Papam intelligit. vt epist. 233. & 236.
* al. vestram.
* definiantur. ms. c.
* in appendice can. 4. cau. 11. q. 1.
* est. ms c.
Hanc in sententiam ep. 18.
Ioan. 16.
Matt. 13.
Philip. 4.
Matth. 28.
Matth 7.
* scismatica dicitur epist. 233. & inter hæreses computata si sacramentum præbere putatur ep. 236.

*de laïcorum manibus inuestituras acceperint, quasi ad palpandum & extenuandum hoc crimen noueris scriptum esse: quia quod lex in præsenti indulget, * in posterum vetat. Vnde constat, quia omnis indulgentia præteritorum criminum, futurorum cautela est & prohibitio. Sed & forsan formidas quod iura tui præsulatus annullare velimus. Nihil ad tuum siue Ecclesiæ tuæ ius pertinens vsurpare volumus: solam obedientiam quam metropolitanus primati suo debet, à te caritatiuè requirimus. Obsecundare tibi sicut carissimo fratri, & inuicem obsequium tuum recipere parati sumus. Meminisse potes, quia ex quo amicitiam & familiaritatem Lugdunensis Ecclesiæ recuperasti, gratulanter te vidit, & exultanter recepit, quanta potuit affectione honorauit. Noli frater omni spiritui credere. Sensimus olim procellam istam, sed Deo fauente * aliquandiu resedit, & ipso faciente quieuit. Extra prouinciam te trahere noluimus, sed nec volumus. Credebamus enim & credimus conuenientius esse vt secundarum prouinciarum præsules ad primam prouinciam pro causarum necessitate inuitentur, quàm primarum sedium Pontifices ad secundas pro quibuslibet causis trahantur prouincias. Alioquin quomodo stabit quod in sacris canonibus cautum est, vt maiores causæ ad suos referantur primates? Id enim non esset causas ad primates referri, sed primates ad singularum prouinciarum causam reduci. Postremò si primæ sedis Pontifex ad secundam vel tertiam, vel fortè quartam prouinciam progrediens, prouinciam non excedit: profectò secundæ, vel tertiæ, vel quartæ metropolitanus ad primam vocatus, ad alienam prouinciam non trahitur. Nullum enim causarum forum secundarum prouinciarum præsulibus conuenientius est quàm sua prima prouincia. Hac tuæ dilectioni sub breuitate rescripsimus: aduersus quæ siquid parare volueris siue comminus siue eminus, audire & respondere parati sumus. Vale.*

* epist. 203.

* al. aliquantulum.

EPISTOLA CCXXVIII.

Domno & Patri suo Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, filialis obedientiæ famulatum.

NOuit paternitas vestra, quia regnum Francorum præ cæteris regni sedi Apostolicæ semper fuit obnoxium: & idcirco quantum ad ipsas regias personas pertinuit, nulla fuit diuisio inter regnum & * sacerdotium. Quod ergo hactenus cum pace & vtilitate Ecclesiæ obseruatum est, humiliter petimus vt de cætero obseruetur, & regni Francorum pax & summi sacerdotij nulla subreptione dissoluatur. Quod idcircò prælibamus, quia audiuimus clericos Tornacenses ad Apostolicam sedem venisse, petituros vt Apostolica præceptione proprium possint habere Episcopum, & Nouiomensis Ecclesiæ frustrare priuilegium. Quod ne fiat, sicut filij & fideles rogamus & consulimus: vt statum Ecclesiarum, qui quadringentis fermè annis durauit, inconcussum manere concedatis, ne hac occasione * scisma quod est in Germanico regno aduersus sedem Apostolicam, in Galliarum regno suscitetis. Nec in hoc resistimus, quin possit sedes Apostolica parochiarum * amplitudinem minorare, aut breuitatem dilatare, si vtilitas populi Dei ita exigat, & nullum inde scisma contingat. Quia ergo Rex Francorum, * vt pote homo simplicis naturæ, erga Ecclesiam Dei est deuotus, & sedi Apostolicæ beneuolus, petimus & consulimus, vt à beneuolentia eius nulla vos subreptio subtrahat, nulla persuasio disiungat. Nouit enim paternitas vestra, quia cùm regnum & sacerdotium inter se conueniunt, benè regitur mūdus, floret & fructificat Ecclesia. Cùm vero inter se discordant, non tantùm paruæ res non crescunt, sed etiam magnæ res miserabiliter dilabuntur. * Ad hoc quod petimus cum coëpiscopis nostris non est contra maiestatem sedis Apostolicæ, non est contra vtilitatem vt non dicam dignitatem Tornacensis Ecclesiæ, seruare terminos antiquos quos patres eorum posuerunt, & longa antiquitate seruauerunt. Prætereà cùm dignitas Episcopalis paupertatē his diebus honestè ferre non valeat, prouidēdum est ne ista diuisione vterque Episcopus fiat pauper: quod testantur Nouiomenses, qui vtriusque Ecclesiæ experti sunt facultates. De cætero si causa Milonis & filiæ Comitis Stephani ad aures vestras peruenerit, sciat vestra paternitas, quia Milo priorem vxorem canonicè non dimisit, & filiam Comitis Stephani, sicut iudicio Episcoporum probatum est, canonicè non accepit. Valete.

* in vno v.c. & summum sacerdotum, ita ms. c.

* ortum propter inuestituras, de quo epist. 236.

* duo v.c. multitudinem.

* Ludouicus crassus.

* al. Ad hæc vt epist. 241. ita ms. c.

EPISTOLA CCXXIX.

Ludouico Dei gratia Francorum Regi, Iuo eadem gratia humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, in eo viuere & regnare, cui seruire regnare est.

QVod fama vulgante audiuimus, hoc ex litteris vestræ excellentiæ certiùs didicimus: videlicet quòd neptem Flandrensis Comitissæ, puellam ætate nubilem, genere nobilem, honestis moribus vt dicitur laudabilem, in vxorem ducere disponatis. Quod nos & Deo placitum esse credimus, & hominibus vestræ famæ honestatem, & regni vestri soliditatem sincerè diligentibus gratum esse cognoscimus. Cùm enim benè viuentium tres professiones Domino docente didicerimus, coniugatorum videlicet, continentium, & rectorum Ecclesiasticorum, quicunque in aliquâ harum professionum repertus non fuerit, ante tribunal æterni Iudicis proscriptus æterna hæreditate carebit. Cùm enim Dominus de distinctione electorum & reproborum loqueretur ait: *si fuerint in medio eorum Noë, Daniel, & Iob, ipsi quidem salui erunt, filij autem eorum non liberabunt animas suas:* in Iob fidelium coniugatorum gradum intelligens, in Daniel vitam continentium, in Noë professionem prælatorum. His ergo documentis instructi, cotidianis precibus pro honestate vestra & salute, Dei clementiam imploramus, vt in manu vestra Francorum regnum dirigat, & in electorum numero vos adscribat. Prætereà quod monuimus instanter monemus, vt propositum vestrum, * quatinus in vobis est, ad exitum perducere studeatis: ne antiquus hostis aliqua fraudulenta surreptione etiam per amicos vos impediat, & à bono proposito, & ita ab electorū numero vos excludat. Adhęc si Spiritus Dei in vobis est, sicut vtilitati vestræ, ita stabilitati regni, * & paci Ecclesiarum prouidere debetis. Quæ omnia si sine successore de hac vita migraueritis, in multas scissuras diuidentur, & fiet quod Dominus dicit: *Omne regnum in seipsum di-*

Ezech. 15.

* al. quantum. ita ms. cod.

* in hanc sententiam continuator Aimoini hist. Franc. lib. 5. cap. 52.

Matth. 12.

uisum desolabitur, & domus super domum cadet. Quæ ruina quanta sit futura quámque miserabilis nec lingua potest dicere, nec humanus animus sufficit cogitare. Vt ergo hæc omnia vitentur incommoda, ad ineundum vitæ coniugalis ordinem nolite moras innectere, ne de eo quod sæpè proposuistis & sæpè distulistis, cadat in vos hostilis illa * irrisio: *hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Festinate ergo vt de lumbis vestris exeat qui vanam spem tot ambitiosorum hominum destruat, & ad vnius spem mobilitatem reducat. Quæ res & illicitos motus carnis compescet, & detractores vestros atque irrisores in conspectu vestro silere faciet. Valeat celsitudo vestra, & non desistat à bono proposito.

** al. derisio.*
Luc. 14.

EPISTOLA CCXL.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Gaufrido Anachoritæ frui mentis tranquillitate.

CVm omnis castæ religionis professor visceribus caritatis abundare debeat, vt tam saluti proximorum quàm suæ prouidere studeat, necesse est vt hæc duo principaliter appetat, puram conscientiam & bonam famam, conscientiam propter se, famam propter proximum. * Qui enim negligit famam suam crudelis est: occidit enim proximum quantum in se est. Qui * ergo vult famam suam conseruare, non tantùm debet quæ bona sunt facere, sed etiam quæ probabiliter fingi possunt mala euitare. Hæc Paulus in se considerans confidenter dicebat: *Pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum iudico. nihil enim mihi conscius sum.* Nos itaque quamuis sanctitati Pauli longè impares simus, tamen quantum Dei gratia donante possumus, cum bona conscientia famam nostram conseruare studeamus: ne cæco & infirmo fratri offendiculum aut scandalum ponamus, & pereat, secundùm Apostolum, infirmus in conscientia nostra frater. Quod euenire aliquando solet, cùm vicini curiosi corrosores vitæ nostræ, desidiosi autem * correctores vitæ suæ, simplicia facta nostra inspiciunt, quæ in vtramque partem verti possunt adhibitis coniecturis, quibus aliquando credi oportet, aliquando non oportet. Vnde infirmitati fraternæ consulentes ea facere non debemus in oculis infirmorum, quibus tanquam argumento vtantur ad velandam suam peruersitatem, vel ad infuscandam mentis nostræ serenam simplicitatem. Quod quia periculosum est, vitanda est à nobis omnis occasio maledicti: vt is qui ex aduerso stat, occasionem quærens non inueniat, sed bono exemplo informatus correctus ad se redeat. Hæc tibi, dilectissime, ex amore fraterno direxi non docens, sed commonefaciens prudentiam tuam, vt sicut es custos vitæ tuæ, ita sis famæ tuæ. Habes enim fratres infirmos quos scandalizas frequenti & familiari collocutione cuiusdam deuotæ mulieris, * quæ incompetentibus horis & locis, aspectibus eorum frequenter occurrit, cum quibus vult curiosè & ociosè verba miscet. Quæ res tibi & illis apud æmulos occasio est detrahendi, & tibi interruptio sabbati tui. Præterea si tu tibi in teipso construxisti castra pudicitiæ, non debet ista tua securitas his qui extra ista castra sunt causa esse ruinæ. Quod enim sancta animalia antè & retro oculos habere describuntur, sicut nosti, hoc intelligitur, quia sanctorum vita debet esse circunspecta; quatinus sic quisque se diligat, vt amorem eius qui suprà se est, non postponat: sic eum qui suprà * est diligat, vt eum qui iuxta se est non contemnat. Hæc est vera & ordinata caritas, sine qua quantalibet corporalis exercitatio non est vera religio, * sed sub velamine religionis vana superstitio, quam à nobis auertat omnipotens misericordia & misericors omnipotentia. Vale.

** ex August. serm. 52. & in can. nolo. c. 12 q. 2.*
** enim negligit famam suam conseruare. ms. c.*
1. Cor. 4.
** al. correptores.*
** epist. 108. ad hūc Gaufridum.*
Ezech. 1. Apoc. 4.
** se. ms. c.*
** in hanc ro n latè disputat epist. 192.*

EPISTOLA CCXLI.

** Humbaldo Dei gratia Autißiodorensi Episcopo, Iuo eadem gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, salutem & dilectionem.*

** al. Gumbaldo. ita ms. c.*

SEntentiarum multitudine, quas mitti vobis postulastis, possemus auditorum aures officiosè onerare, si ad manum tales haberemus, quæ negocio vestro forent necessariæ. Quas ad manum idcircò non habemus, quia calumniatorum vestrorum propositiones, & quibus eas confirment rationes prorsus ignoramus. Intendere * autem arcum & mittere sagittas quæ * hostem non feriant, risus est intuentium, non defensio dimicantium. Preterea nō est vobis pugna necessaria, quia causa vestra iam est Apostolica falce præcisa. Quam si coram clericis & laïcis inconsulto summo Pontifice retractaueritis, maiestatem Apostolicam offendetis, & à causa vestra quæ nunc in tuto est, iure cadetis. Si autem Comes * per hominium suum vos cogit ad retractandam causam ecclesiasticam, contra fidelitatem quam vobis debet facit, qui in periculum ordinis vestri vos impingit. Quòd autem ante Iudicem secularem, * causam ecclesiasticam tractare non debeatis, ex canonibus & decretis pleniter inuenietis. Habetur enim in * decretis: *Pulsatus ante suum iudicem causam dicat: ante non suum iudicem, si voluerit, taceat.* Hoc & Iulius Papa in hæc verba confirmat: *Nullus * Episcopus nisi in legitima synodo, & suo tempore, Apostolica auctoritate conuocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, vel iudicetur, vel damnetur. Si aliter præsumptum à quibusdam fuerit, in vanum * deducetur quod egerint, nec in tra ecclesiastica vllo modo * reputabitur.* * Ad hoc canonibus manifestè prohibetur, * vt causæ quæ legibus non continentur, à iudicibus ecclesiasticis non audiantur. Legibus autem non continetur, immò prohibetur, vt Episcopus à iudice seculari ad causam ecclesiasticam vocetur, * vel cincti iudicis sententiæ subjiciatur. vt in duarum ciuitatum ecclesiis clericus conscribatur, in Calcedonensi Concilio * prohibetur: quanto magis si Episcopus alterius ciuitatis in ecclesia alterius prouinciæ præficiatur? Quamuis ergo ad extinguendam præsentem controuersiam hæc pauca sufficere videantur, tamen si calumniatores vestri pertinaciter instare voluerint, appellate iudicium metropolitani vestri & Coëpiscoporum vestrorum: vt secundum ordinem rerum gestarum, quantum salua reuerentia Apostolica fieri poterit, causa vestra ibi accipiat finale iudicium. Val.

** al verò.*
** al. hostes.*
** ita ex v. c.*
** vide can. sub tit. vtrū clericus ante ciuil. iudic. sit producēd. cau. 11. q. 1.*
** Fabiani Papa in c 3. cau. 3. q. 6.*
** in c. 1. cau. 5. q. 4.*
** al deducatur ita ms. c.*
** al. reputetur.*
** citat etiam epist 200.*
** al. adhoc. vt ep. 238.*
** al. vel laïci. de quo in Not.*
** ca. 10. & Grat. sub cau. 21. q 1.*

EPISTOLA CCXLII.

Audoëno Dei gratia Ebroïcensi Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, salutem & seruitium.

** hac de re epist 221. & Gratia. cau. 29. q. 2. & in decret. Greg. lib. 4. tit. 9. Marc. 10. Matth. 19.*

SCripsit mihi dilectio vestra vos audiisse à quibusdam, quòd dirimerem * coniugia liberorum & ancillarum, & è conuersò; & hoc vobis videri quod sit contra sententiam Euangelicam, qua dicitur: *non licet viro dimittere vxorem, nisi causa fornicationis.* Ad quod dilectioni vestræ respondemus, quia contra hanc sententiam scienter nihil agimus, vel agere volumus. Si enim diuortium facimus inter liberum & ancillã, non coniugium soluimus, sed contubernium malè coniunctorum dissoluimus & dissociamus. Vnde scribit * Leo Papa Rustico Narbonensi Episcopo: *non omnis mulier viro iuncta, vxor est. nuptiarum quippè fœdera inter ingenuos sunt legitima & inter æquales.* Cùm ergo separamus eos qui non sunt hac lege coniuncti, non dicimus esse coniugium, quod non continet Christi & Ecclesiæ sacramentum. Quod minimè continere videtur illa copula viri & mulieris, in qua non seruatur præceptũ dilectionis. Non enim verum est inter eas personas veram esse dilectionem, quarum altera alteram suo contubernio redigit in seruitutem. Cùm ergo principale præceptum sit Euangelicum, vt diligamus inuicem: & ne facias alteri quod tibi nõ vis fieri, constat à Deo non esse coniunctos, quos potius contra præceptum Euangelicum videmus esse corporaliter sociatos, nec esse verum coniugium quod contra Dei legem constat esse præsumptum. Quod etiam legibus sæculi cautum habemus, quas catholici reges composuerunt, & ex auctoritate Romanæ Ecclesię catholicis populis seruandas tradiderunt. Vnde Iustinianus in Codice Nouellarum: * *si quis per errorem ancillam mulierem duxerit vxorem, liberam esse eam putans, vel è contrario, si libera mulier seruo per errorem iuncta sit, postea quàm veritas reperta fuerit, dicendum est omnino nuptias non constitisse. Inter liberum enim & ancillam, seruum & liberam mulierem nuptiæ contrahi non possunt.* In tali ergo contractu quod lex damnat, non homo, sed iustitia separat. Quia quod * contra leges præsumitur, per leges dissolui meretur. Si quis autem liber ancillam in matrimonium duxerit, non habebit licentiam dimittere eam si priùs scientes conditionem suam & consentientes matrimonium contraxerunt: quia coniugium consensus facit, non coïtus. Vbi ergo bona fide coniugia contracta sunt, ibi valet, *quod Deus coniunxit, homo non separet*, Et, *non licet viro dimittere vxorem, nisi causa fornicationis.* Vbi verò humana deceptio fœdus nuptiarum vitiauerit, tales nuptias non facit Deus, sed homo: earum autem separationem facit Deus, non homo. De his possemus multipliciter rationibus agere, & authenticas sententias inde proferre; sed credo ista sufficere prudentię vestræ. De cętero scripsistis quosdam clericos cum litteris nostris ad vos venisse, qui auctoritate earundem litterarum peterent se ab acolyto vsque ad diaconatum promoueri: sed ego hoc omnino ignoraui, quia cum hoc saltu nullum clericum ordinaui, nec ordinandum alicui transmisi. Vale.

** Leo epist. 9. & in ca. 12. cau. 32. q. 2. male antea, Rotrico Narb.*

Matth. 17.

Nouella 22. de nuptiis c. 2. §. Si verò ab initio. & ca. 2. extra. de coniug. seru.

** ca vides, dist. 10. & epist seq.*

Genes. 2. Matth. 19.

EPISTOLA CCXLIII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Gualoni eadem gratia Parisiensi Episcopo, salutem & dilectionem.

NVper cùm essemus apud castrum Militonense, narrauit mihi Domnus Stephanus * Cancellarius quasdam nuptias fuisse celebratas in Episcopatu vestro contra placitum vestrum, inter quędam puerulum & quandam puellulam, * cùm adhuc penè in cunis essent. Quæ nuptiæ cùm sint sine fide, sine prole, sine consensu, sine omni bono coniugali, sollicitè quæsiuit vtrùm possint legitimè dissolui. Cui secundùm tramitem legum breuiter respondi, quia * quod contra leges prę sumitur, per leges dissolui meretur. Vnde & scribit Papa Nicolaus: * *coniugium facit consensus, non coïtus. Qui consensus si fortè solus in nuptiis defuerit, cætera omnia cum ipso coïtu celebrata frustrantur.* Quibus auditis rogauit me vt scriberem vobis, quatinus tales nuptias aut fieri non permitteretis, aut factas dissolui præciperetis. Nõ enim ignota vobis sunt quæ scribimus, & ideò de hac re tam pro legum obseruatione, quàm pro eius amore, quod ad officium vestrum pertinet, facere vos monemus: quatinus hoc exemplo cæteri doceantur ne imaginariis, immò falsis nuptiis de cætero copulentur. Quæ sint personæ de quibus agitur, à prætaxato Cancellario vobis notificabitur. Valete.

** ad quem scribit epist. 260.*

** de sponsalibus puerorum agit ep. 96. & Grat. in can. sponsalia & ca. vbi. cau. 30. q. 2.*

** ca. vides. dist. 10.*

** extat in libro responsorum Nicolai Papæ primi ad consulta Bulgarorum ca. 3. & citatur ep. 148.*

EPISTOLA CCXLIV.

Paschali summo Pontifici, Domno & Patri suo, Iuo humilis Ecclesiæ Minister, sic summo Regi militare, vt brauium æternæ beatitudinis mereatur accipere.

DOmnus Hubertus Syluanectensis Episcopus, creatio vestra, lacrymabiliter conqueritur, se à quibusdam clericis suis personis vt dicit infamibus, de venditione * sacrorum ordinum, apud metropolitanum suum iniustè fuisse accusatum, & quibusdam coëpiscopis suis factum sibi fuisse præiudicium. vnde sentiens se grauatum appellauit Apostolicam sedem, apud quam & per quam solent huiusmodi grauamina materna pietate releuari, & in * statum rectitudinis iustitiæ lance reformaui. Vnde supplicamus beatitudini vestræ, quatinus audita & cognita accusantium & testificãtium causa sic compensetis ex misericordia iudicium, vt & iustitia non periclitetur, & iudicialis ordo causarum minimè perturbetur. nullus enim locus remanebit innocentiæ, si liceat quibuscunque personis sua quærentibus, cõtra legum sanctiones cuiuscunque innocentis vitam maculare. Cuius enim sit vitæ, & cuius famę, & quibus de causis accusent eum prędicti aduersarij, idem Episcopus præsens vestrę paternitati referet, & publicam eorum infamiam veridica assertione retexet. Valete.

** vide canones sub cau. 2. q. 1.*

** in vno v. c. stateram.*

EPISTOLA CCXLV.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Hugoni magnifico & spectabili Trecassinorum Comiti, sic militare in via vt regnare possit in patria.

AVdiuimus & cognouimus, quòd Hierosolymam profecturus militiæ Christi te

Luc. 14.

ipsum deuouisti, illam euangelicam arrepturus militiam, qua cum decem millibus securè pugnatur aduersus eum qui cum viginti millibus aduersum nos pugnaturus occurrit. Denarius enim qui est secunda vnitas, propter Decalogum integritatem & soliditatem figurat virtutum. Vigenarius verò qui est duplus ad denarium, duplicitatem & molliciem significat vitiorum. Plura enim sunt vitia quàm virtutes. quia non tantùm vitia virtutibus patenter sunt opposita, sed etiam sunt quædam vitia virtutum specie palliata. Vnde secundùm Apostolum angelus sathanæ transfigurat se in angelum lucis, cùm circumiens & quærens quem deuoret, molitur quosdam fallere per vitia virtutibus similia, quos impellere non valuit ad manifesta flagitia vel facinora. Videtur enim aliquando suadere iustitiam, vt* sub specie iustitiæ introducat* sæuitiam. suadet quibusdam largiri propria, vt nudatos propriis impellat ad diripienda aliena: cùm melius sit non habere quod tribuas, quàm malè acquirere quod des. suadet quibusdam ieiunia, non vt ament continentiam, sed vt venentur vanam gloriam. suadet quibusdam non reddere debitum coniugale vxoribus suis, vt sub velamine castitatis mittat eos ad stupra illicita, vel vxores eorum ad perpetranda adulteria. In hunc modum occurrunt multa vitia pro virtutibus, quibus tanquam laqueis occultis simplex anima decipitur: cuius vita licet videatur honesta, non tamen satis est circunspecta. Hæc tibi, carissime, ausu caritatis scripsi, vt propositum tuum ita circunspicias, quatinus sicut videtur laudabile in oculis hominum, ita in oculis Dei videatur acceptum, & sic impleas vota voluntaria, vt non omittas legitima. Duxisti vxorem,* quod lex naturæ initiauit, & lex euangelica atque Apostolica subsecuta firmauit. Dicit enim vetus lex: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Et Euangelium: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et Apostolus: *Vnusquisque habeat vxorem suam propter fornicationem. & vir reddat debitum vxori, & vxor similiter viro: nisi fortè ex consensu, ad tempus, vt vacetis orationi, ne tentet vos sathanas propter incontinentiam vestram.* Hic autem consensus ita debet esse voluntarius, vt nulla vi sit extortus, vel aliqua simulatione palliatus. Alioquin si absque consensu vxoris seruas castimoniam, etiam si pro Deo fiat. non seruas coniugalem copulam, nec sacrificium offers de tuo, sed de alieno. Non enim secundùm Apostolum, vir habet potestatem sui corporis, sed mulier: nec mulier habet potestatem sui corporis, sed vir. Quæ enim vouentur * de alieno, non placent altissimo. Oportet ergo, vt in hoc proposito tuo sic tibi prouideas, quatinus ista nouissima vota impleas, vt statuta naturalia & legitima non frangas. Val.

2. Cor. 11. 1. Petr. 5.

** & ms c. * introducere ms. c.*

N. B.

** Hæc ostendunt Hugonem soluto matrimonio quod contraxerat priùs cum Constantia Philippi Regis filia, alteram duxisse cùm Hierosolymā proficiscere tur. Nam priores nuptiās Iuo improbauerat, vt constat ex collatione ep. 158.*

Gen 2. Matth. 19. 1. Cor. 7. 2. Cor. 7.

** tit. de conuers. coniug. & can. agathosa: cum seq cau. 27. q. 2.*

EPISTOLA CCXLVI.

Iuo lib. 6. tit. de coniugio illor. quor. vnus in v. alt. contin. vou.

Lisiardo Dei gratia Suessionensium Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, salutem & dilectionem.

NOuerit dilectio vestra, quia coniugium Petri filij Geruasij & filiæ * Walerauni Britulienfis nunquam laudaui, neque vt fieret consilium dedi vel assensum, imò per Drogonem clericum * Walerauno consulenti me, dissuasi ne fieret, quia tale coniugium stare non posset, si esset qui concuteret. Addidi & sententiam legis, quia vnus maritus duas sorores non posset habere in coniugium, sicut nec vna mulier * cum duobus fratribus legitimum posset inire matrimonium. Sincgundis quippe soror huius iuuenculæ quam nunc habet prætaxatus Petrus in coniugium, vxor fuit eiusdem Petri non solùm legitimè desponsata, sed etiam sacerdotali benedictione coniuncta. Quòd si obiicitis non fuisse coniugium, vbi constat non subsequutum fuisse carnale commercium: ex auctoritate Patrum respondeo, quia coniugium ex eo insolubile est, ex quo pactum coniugale firmatum est. Vnde beato Ioseph ab Angelo dicitur: *Noli timere, accipere Mariam coniugem tuam.* Coniugem Ioseph vocabat, quam carnis commixtione non nouerat, nec aliquando cogniturus erat. Vnde Ambrosius ad virginitatis exhortationem libro secundo: *Desponsata viro, coniugis nomen accepit. cùm enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen assumitur. non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cùm iungitur puella coniugium est: non cùm viri admixtione cognoscitur.* Item Isidorus etymologiarum libro nonò: *Coniuges veriùs appellantur à prima desponsationis fide, quamuis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus.* Quòd verò vir sororem sibi priùs desponsatæ in coniugium habere non possit, sicut nec frater desponsatam fratris vxorem, cum de paribus idem sit iudicium, in Concilio Triburiensi continetur capitulo v. * *Quidam desponsauit vxorem & dotauit. Cum ea coire non potuit, quam frater eius clanculò corrupit, & grauidam reddidit. Decretum est igitur, vt quamuis nupta esse non potuerit legitimo viro, desponsatam tamen fratri, frater habere non possit.* Vt enim esset honestum connubium & thorus immaculatus, diligentissimè præcauerunt patres nostri, vt desponsata fratri, alteri fratri non nuberet, vel confœderatus vni sorori, alteram in vxorem non duceret: quia per hanc licentiam fallente diabolo possent multa inhonesta & incestuosa prouenire coniugia, quæ cessant seruata prohibitione legitima. Pauca scripsi dilectioni vestræ, quæ mecum nouit prudentia vestra, & seruare consueuit vestra diligentia. De cætero commendo * paternitati vestræ fratres nostros clericos beati Quintini, * qui apud vos morantur, vt patrocinium vestrum eis impendatis, & à Deo retributionem expectetis. Val.

** al. Galerāni Britollensis, vel Britalensis.*

** al. Galeranno.*

** in hanc sententiam Hildebertus Cenom. Episcop. epist. 7. & 17. de nuptiis filij Gualteri de Clincampo: vbi citat sequentes auctorum locos. confer etiam Iuonis epist. 99.*

Matth. 1.

** in can. quidam. cau. 27. q. 8 eodem spectat l. 5. c. de incest. nupt.*

** al fraternitati.*

** Beluacensis scilicet vt epist. 31. & 151.*

EPISTOLA CCXLVII.

Ioanni Dei gratia Aurelianensi Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, spiritum consilij & fortitudinis.

Confer epist. 248.

CLerici nostri nuper ad nos reuertētes, qui causæ Comitis Theobaldi Aurelianis interfuerunt, retulerūt nobis quòd quidam miles * domni Radulphi quendam militem Comitis ad monomachiam prouocauerit, & hanc prouocationem Ecclesia vestra iudicio confirmauerit, & diem peragendæ monomachiæ constituerit. Quod audientes valdè mirati su-

** al domni Radulfi,*

mus, cùm monomachia vix aut nunquam sine sanguinis effusione transigi valeat: iudicium verò sanguinis seruanda patrum auctoritas clericos agitare prohibeat, & Romana Ecclesia in legem eam non assumat, dicente Papa Nicolao in causa Lotharij contra Theobergam reginam: *Monomachiam in legem non assumimus, quam antecessores nostros minimè accepisse cognoscimus.* Quomodò enim Ecclesia iudicare debet fundendum sanguinem alienum,* quę à primo ortu suo iussa est fundere sanguinem proprium? Faciant* hæc cincti Iudices, qui ad malorum vindictam gladium materialem portant, non qui contra nequitias spirituales gladio spiritus pugnant: vt cùm vnumquodque membrum Ecclesiæ officium non vsurpauerit alienum, laudes mereatur quæ sponsæ Christi cantantur in canticis canticorum: *pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Alioquin si alieni ordinis vsurpatores fuerimus, nec nostri officij quod postposuimus, nec alieni quod vsurpauimus, meritum obtinebimus: sed tanquam capite deorsum posito, & pedibus erectis* thymelicorum incessum imitabimur. Præterea si ex vestro iudicio fortè periculum mortis incurrerit, perpetes inimicitias & periculum vestri ordinis incurrere poteritis. Dico hæc ex dilectione fraternitati vestræ, quatinus salubri consilio iudicium hoc retractetis, & prouida dispensatione, si aliter fieri non potest, maiora vitando pericula, minora potiùs subeatis. Val.

** ca. his à quibus. cau. 23. q. 8. & titulo, ne clerici vel mon. secul negot. lib. 3. Decretal.*

** sic ex v. c. de quo in Not al. cantici. ms. c. Cantic. 1.*

** in vno. v. c. temulentorum.*

EPISTOLA CCXLVIII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Radulfo de Balgenciaco salutem, & dilectionem.

MAndauit mihi serenitas tua, quòd nostrum velles habere colloquium, vel per litteras in præsenti necessitate salubre consilium de præsenti quippe negocio tuo scripsi Aurelianensi Episcopo,* quod illi & tibi vtile mihi visum est; à quo poteris audire quid de hoc conflictu inter te & Comitem* sentiam, & pro tempore consulam. Tamen interim petitioni tuæ respondeo, vt quæcunque pactio inter te fuerit & Comitem, semper honorem ei deferas, & notam ei infamiæ non opponas. Sic enim dicit Apostolus: *Cui honorem, honorem: cui timorem, timorem.* Et alibi: *omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita.* Sic Dauid quamuis Rex futurus, Saül perfido regi honorem detulit. & cùm *aliquando nactus esset opportunitatem occidendi, oram tantummodo clamidis eius incidit, & de hoc tantillo pœnitentia ductus cor suum percussit. & quamuis eũ persequeretur, semper honorauit viuum, & planxit defunctum. A talibus ergo exemplum accipe, & ea quæ sunt pacis & fidelitatis erga dominum imitare. Si quam verò ab eo iniuriam expostulas, rationibus vtere, verba probrosa & contumeliosa dimitte, ne verba superba interminabile odium generent; cùm superbia humiliet, humilitas exaltet. Vale.

** epist. 247.*

** Theobaldum. dicta epist. 247.*

Rom. 13.

** sic tres vett. codd. in aliis. aliquando esset ei opportunitas eum occid. Locus est Reg. lib. 1. cap. 24. de quo ca. dominus. 86. cau. 1. q. 1. & Gregor in lib. de pastorali cura.*

EPISTOLA CCXLIX.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Girberto Parisiensi Archidiacono salutem.

CVM actum & consensum * pari pœna condemnet Apostolus, & per innocentes testes crimina comprobanda sint; non mihi videntur testes sufficere ad conuincendam mœcham, quam viuente adultero, timore vel amore publicare vel accusare noluerunt. Quorum etiam quidam lenocinia turpitudinis adulteræ ministrauerunt, & ita sicut ipsi nunc testantur, consentientes proculdubio fuerunt: & ideò sicut scitis, de se confessis non * est credendum super crimen alienum. Si tamen in aliis honesti sunt, & ex eorum accusatione fama crebrescit & fœdus rumor infirmorum conscientias percutit, cogenda est mulier vt ad arbitrium præsidentium de obiecto crimine probatarum personarum testimonio se expurget. Vel si id facere non poterit, candentis ferri examinatione* innocentiam suam comprobet. Si hæc causa apud me ita ventilaretur, ita eam vellem tractari, ita rei veritatem inuestigari: nihil præiudicans sententiæ aliorum, qui forsitan aliter sentiunt, & talia negocia sæpius discutiunt. Val.

** ca. omnes. cau. 17. q. 4. Rom. 1.*

** epist. 229.*

** quã etiam probat in casu necessitatis, ep. 252.*

EPISTOLA CCL.

Paschali Summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, deuotam vt patri obedientiam debitam vt Domino reuerentiam.

QVoniam in oculis Apostolicæ maiestatis aliquam piè præsumo habere me gratiam, ea præsumptione aliquando cum aliqua spe peto ab eadem sede Apostolica etiam ea quæ videntur esse contra rigorem Apostolicum sed non sunt contra honorem Apostolicum: quia non est indecens sedi Apostolicæ cantare Deo misericordiam & iudicium. Cum ergo opportunum est, securus pulso ad * thronum iustitiæ: cùm ratio exigit, cum pia præsumptione pulso ad thronum misericordiæ, Iudicium sine vlla disceptatione debet omnis iudex: de misericordia verò deliberandum est, vtrùm expediat an non expediat. Hæc non ignorantibus scribo, sed * ad hoc ista præmitto, vt in quamcunque harum partium se vertat postulatio mea, aut petenti iustitia non negetur, aut piè pulsanti misericordiæ ianua non claudatur. Quod benè discernere poterit vestra paternitas, cùm summam nostræ petitionis audieritis, & per præsentes legatos, aduentus sui causam cognoueritis.* nouit enim vestra paternitas quanto tempore post mortem bonæ memoriæ * Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, Ecclesia pastore viduata languerit; quomodò Rex Anglorum bona Episcopalia in vsus seculares vsurpauerit, quanto studio Episcopalem electionem ibi fieri non permiserit. nunc verò post increpationes vestras, post multas Episcoporum Diœcesanorum admonitiones prætaxata Ecclesia consensu Episcoporum, Rege tandem conniuente elegit sibi in Archiepiscopum Radulfum Rofensem Episcopum, virum religiosum & honestum, scientia & moribus clarum. Hic in propria persona sedem Apostolicam visitare secundùm * maiorum instituta deliberauit. Sed eum partim corporis debilitas impediuit, partim periculum Romani itineris deterruit. Mittit itaque prædicta Ecclesia vice electi sui religiosas personas, & dictis & scriptis obnixè postulantes, vt prædictum electum Cantuariensi Episcopatui confirmetis, & dignitate * ei pallij

** sic vocat epist. 46.*

** al. ad hæc.*

** al nouit autem.*

** obiit anno Dom 1109. Pontificatus 11. vita 76. de quo Edinerus Anglus in eius vita.*

** electi enim Episcopi solebant Romam proficisci, vt etiam indicat ep. 254.*

** honor pallij dicitur epist. 50.*

concedatis. ego quoque affectu fraternæ caritatis & ausu paternæ dilectionis consulendo rogo, & rogando consulo, vt etiamsi aliter fieri non potest, cum aliqua tamen * dispensatione languenti Ecclesiæ subueniatis, & propter Ecclesiæ necessitatem, deinde propter vtilitatem & honestatem personæ, petentium supplicationibus aurem misericorditer inclinetis. Nisi enim medicinalis manus citò subueniat, prædicta Ecclesia in veteres ruinas relabetur, & vox dilatoria potentium sine modo vltra modum protelabitur. Cùm enim Dominus noster, qui institutor erat sabbati, misericordiæ opera faceret in sabbato, & redargueretur à Pharisæis quòd solueret sabbatum, spicas discipulis vellentibus, eorum murmurationi respondit: *si intellexissetis, misericordiam volo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.* & alibi: *an nescitis quia filius hominis Dominus est etiam sabbati?* per hoc Doctores informans, quia tunc possunt legum rigorem * propter necessitates Ecclesiasticas temperare, quando ipsa legum remissio nihil continet contra fidei veritatem, vel morum honestatem. His exemplis admoniti securè pulsamus ad ianuam * misericordiæ, credentes non esse indignum si Apostolicus præceptum mittentis sequatur aut exemplum. Postremò quantum potest mens humana de alieno corde pensare, sanum nobis esse videtur consilium, vt eum paternè suscipiatis, quatinus vos liberalem filium & fidelem vobis adoptasse gaudeatis. Valete.

** cuius vsum sæpè adprobat vt ep. 194. 214.*

Matth. 12.

Marc. 2.

** vide epist. 214.*

** thronum dicit epist. 248.*

EPISTOLA CCLI.

Manassæ Dei gratia Meldensium Episcopo, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, salutem & seruitium.

QVæsitum est nuper à paruitate mea ex parte Abbatissæ Iotrensis monasterij, vtrùm deliquerint Presbyteri, qui cuidam ægroto ex consuetudine post prandium vomenti * viaticum dare non fuerunt ausi, eodem ægroto consulente vt differrent in crastinum, quatinus hoc sacramentum * ieiunus acciperet, & ei sacramento debitam reuerentiam pro viribus * exhiberet. quo audito languentis pietatem laudaui, & Presbyterorum diligentem negligentiam in quo reprehenderem non inueni. Pius fuit in hoc languentis timor, pia fuit medicinæ * dilatio. In vtroque ergo non fuit culpabilis negligentia, sed salubris & cauta diligentia: vbi nec medicus suo defuisse videtur officio, nec moriens diuino caruisse beneficio. Vnde Augustinus de acceptione Eucharistiæ ita scribit: *Faciat vnusquisque quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum. Neque enim litigauerunt inter se, aut quisquam se alteri præposuit Zacheus & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domo sua suscepit Dominum, alter dixerit, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. ambo saluatorem honorificantes, quamuis non vno modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.* Moneo itaque dilectionem vestram, vt rei veritatem inuestigetis: & si ita se veritas habet, nullum inde scandalum in Ecclesia faciatis, ne aut nimiæ imputetur simplicitati, aut alicui occultæ cupiditati. Valete.

** ca. si quis de consec.*
** ca. legimus de consecr. dist. 2.*
** al. exerceret.*

** sic v. c. antea, laudatio.*

Lib. de Eccles. dogmat. cap 13. & in ca. quotidie. de consec. dist 2.
Luc. 19.
Matth. 8.

EPISTOLA CCLII.

Radulfo Dei gratia Remorum Archiepiscopo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, salutem & seruitium.

AVsu caritatis mitto paternitati vestræ præsentium latorem canonicum beati Quintini, bonæ spei fratrem, vt pro Dei amore & nostro negocium propter quod paternitatem vestram visitauit, diligenter attendatis, paternè dirigatis, quantum salua iustitia fieri potest, auxilio & consilio sustentetis. habet enim præsens frater sororem quandam coniugatam, quam per coniecturas suspectam habet maritus suus de adulterio, non in adulterio deprehensam, non testibus conuictam, nec ab aliquo accusatam. Cùm ergo ita res se habeat, maritus tamen huius mulieris thorum coniugij deseruit, & debitum coniugale subtraxit. Quod audiens pater generum suum conuenit, & causam cur hoc faceret, diligenter inquisiuit. qua audita voluit filiam suam de obiecto crimine iureiurando purgare: & insuper præcipiti voluntate & sine consilio addidit, quòd mulier examinatione * candentis ferri parata esset comprobare quod nunquam fuerit cum prædicto viro vna caro, de quo orta erat tam flagitiosa suspitio. Paulo post ventilata est hæc causa ante iudices Ecclesiasticos, quorum quidam dicebant quòd in huiusmodi causa non esset admittenda talis examinatio, in qua nulla iudiciario ordine facta præcessisset accusatio. Alij verò aliis ita dissentientibus iudicauerunt, quòd iusta esset ista examinatio quam mulier obtulerat ex suo iudicio, non attendentes quia nemo * debet tentare Deum suum, quandiu habet quid faciat. Tunc enim tentat homo Deum suum, quando postposito ordine iudiciario per examinationem candentis ferri vel aquæ feruentis diuinum requirit testimonium. Vnde Stephanus Papa Litberto Magontino Episcopo: *Ferri candentis vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet sacri non censent canones; & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. spontanea enim confessione vel testium approbatione publicata delicta habito præ oculis Dei timore commissa sunt regimini indicare. occulta verò & incognita illius sunt iudicio relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.* Non negamus tamen quin ad diuina aliquando recurrendum sit testimonia: * quando præcedente ordinaria accusatione omnino desunt humana testimonia non quòd lex hoc instituerit diuina, sed quòd exigat incredulitas humana, sicut de iuramentis habemus in Euangelio: *non iurabis omnino. sit autem sermo vester, est, est, non, non. quod ampliùs est, à malo est, non iurantis, sed iurare cogentis.* Cùm ergo ita omne iuramentum prohibeat præceptum Euangelicum, Paulus tamen negotia Ecclesiastica ita terminari permittit in Ecclesia, vt propter infirmitatem litigantium, iuramentum finis sit in omni controuersia. Non scribo talia ignoranti, sed commonefacio, vt quod nouit prudentia vestra perficiat in hoc litigio, & in omni proposito sibi negocio. Valete.

** confer epist. 280.*

** ex S. Aug. epist. 74. suprà.*

Hæc iam relata epist. 74.

** iunge locum epist. 249.*

Matth. 5.

Hebr. 6.

EPISTOLA CCLIII.

Ludouico Dei gratia serenissimo Francorum Regi Domino suo, Iuo humilis Carnotensis Minister, eius præceptis obedire, cui seruire est regnare.

*al. domnus. DOmnus * Godefridus Ambianensis Episcopus, vir religiosus & honestus, nuper Beluaci hospitatus, ad colloquium nostrum pro humilitate sua venit, importabiles miserias suas & angustias quibus à violatoribus pacis vexatur, lacrymabiliter nobis aperuit, & consilium quomodo tanta mala mitigare posset, à me anxiè quæsiuit. Quòd cùm excederet vires meas, quia consilium sine fortitudine inutile esse solet, hoc vnum mihi præ cæteris occurrit: quatinus eum monerem, vt regiam maiestatem adiret, apud quam & consilium inueniri, & auxilij fortitudo valeat sociari. Ex iure ergo fidelitatis & dilectionis monemus & rogamus regiam maiestatem vestram, quatinus lacrymabiles eius conquestiones intenta aure perpendatis, & cor vestrum aculeis doloris eius suggerente pietate compungatis. Decet enim regiam maiestatem vestram, vt pactum pacis quod Deo inspirante in regno vestro confirmari fecistis, nulla lenocinante amicitia vel fallente desidia violare permittatis: ne si vni in hoc maximè principio parcere volueritis, multos in discrimen adducatis, cùm è contrario dicat scriptura: *pestilente flagellato sapiens sapientior erit, & intelligens * gubernacula possidebit.* Si ergo pœna malorum vtilis est sapienti, multo magis impunitas malorum nocitura est insipienti. Faciat itaque gladius regalis officium suum ad vindictam malorum; vt sicut pios colligit mansuetudine, sic impios coërceat iusta seueritate. Sic deuotio pauperum pro vestra salute Dominum * orabit, & quod à saluatore postulauerit impetrabit. Valete.

Pacis publicæ violatores à rege puniendi.

Prou. 19.

** Prou. 1. in vno v. c. hic leg. tabernacula poss.*

** Deum, ms. cod.*

EPISTOLA CCLIV.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, cum debita obedientia deuota seruitia.

PLuribus de causis cogit me caritas frequenter pulsare aures vestræ paternitatis, vt mea admonitio vel petitio vtilis fiat his qui sedi Apostolicæ minùs sunt noti, nobis autem benè cogniti. Non ergo grauet serenitatem paternam per litteras tantùm frequens visitatio, quam præsentia corporalis libentiùs exhiberet, nisi difficultas montium imbecillitatem meæ senectutis impediret. Quæ verba prælibauimus, vt importunitatem nostram excusemus, & opportunitatem paterni auditus impetremus. Rogamus enim paternam discretionem vestram pro domno Gaufrido Rotomagensi Archiepiscopo, qui tunc tandem impetrauit à principe suo Rege Anglorum, vt posset in propria persona sedem Apostolicam visitare, * quam tamen non distulit visitare suis temporibus in persona aliena. Non ergo existimamus imputandum contemptui sedis Apostolicæ quod necessitas imperauit, non torpor dissuasit, non neglectus retinuit: pro eo enim securè intercedimus, quia personam vtilem & honestam ab adolescentia sua & ab aliis didicimus, * & per nos experti sumus. Quia ergo ad altiorem locum in mensa * Domini sui vocatus est, & gratias Deo referimus, & eum vt columnam immobilem in domo Dei confirmare præoptamus, & Apostolicam discretionem nostris desideriis non sine ratione occurrere flagitamus. Valete.

** electi enim Episcopi tunc solebant adire Papam, vt indicat epist. 259.*

** al. & nos.*

** alludit ad locum Lucæ cap. 4. epist. 31.*

EPISTOLA CCLV.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Radulfo Abbati monasterij sancti Fusciani, patientiam beati Iob.

IAm à longo tempore audiuimus langorem tuum: & tam humanitatis intuitu, quàm pietatis affectu condoluimus, & si possemus competenter medicinæ remedia adhibere, pro competentia locorum & temporum opportunitate, * si curabilem sciremus morbum, libenter studeremus aliqua remedia procurare. Verùm quia interualla locorum & innumerabilium * onera negociorum nos ad hoc vacare non sinunt; cùm ipsa præsentia corporalis ad chronicas passiones curandas vix sufficiat, tutiùs nobis videtur medicinam non dare, quàm eam inutiliter vel perniciosè ministrare. Consilium ergo damus vt corporales molestias patienter supportes, quas pro igne purgatorio seuera Dei misericordia tibi contulit ad purgationem vitiorum, custodiamque virtutum. Neque enim credimus tibi timendum esse alium ignem purgatorium, si hunc patienter sustinueris, & in gratiarum actione permanseris. De cætero si videris in regimine monasterij te non posse sufficere, non consulo, vt tanquam arbor infructuosa occupes terram, sed des locum alicui de fratribus, quem congregatio regulariter elegerit, qui & monasterium regat, & tibi in quieto loco quandiu vixeris filiali caritate seruiat. Vnctionem verò quam semel accepisti, non æstimo * repetendam: quia secundùm institutum Apostolicæ sedis, genus est sacramenti. Qui autem sacramenta Christi, & Ecclesiæ repetit, iniuriam ipsis sacramentis ingerit. Vnctio enim infirmorum publicæ pœnitentiæ est sacramentum; quam non esse repetandam sicut nec baptismum testatur Augustinus, * testatur Ambrosius. Augustinus in epistola ad Macedonium: *Cautè salubriterque prouisum est, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minùs vtilis esse ægrotis videatur; quæ tanto magis salubris est, quanto minùs contemptibilis fuerit.* Ambrosius in secundo libro de pœnitentia: *sicut est vnum baptisma, ita & vna pœnitentia; quæ tamen publicè agitur. Nam cotidie nos debet pœnitere peccati. sed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum.*

** opportunitate deest in ms. c.*

** de quibus sæpè conqueritur vt epist. 19.*

** ca. nihil de pœnit. dist. 3. sed repeti posse hodie definitum Concilio Tridentini sess. 14. cap. 3.*

** videntur hæc detorta nec pertinere ad vnctionem de qua Iacob. 5.*

Ca. quamuis dist. 50. & eod de pœnit. dist. 3.

EPISTOLA CCLVI.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, fratri Rainaldo salutem & dilectionem.

NOuit dilectio tua quia primitiuæ Ecclesiæ formam sequi desiderans, vt prudens Nazaræus in Ecclesia beati Ioannis Baptistæ professus es sanctitatem, professus communiter viuendi societatem, & tanquam * aliqua

Iudic. 16.

** al. alia.*

lucerna in domo Dei ad incrementum propositi tui lumen verbi minùs doctis ministrare cœpisti. Nunc verò vt audio nescio quo spiritu fascinante, derelicta sociali vita non sine scandalo infirmorum ad eremum conuolare deliberas, vbi tantùm offeras sacrificium turturum, postposita oblatione columbarum. Qua in re pensare debet prudentia tua, quòd Christus caput tuum, quem sequi debent membra cohærentia (quia sicut ipse ambulauit, nos ambulare præcepit) de secreto suo processit ad publicum nostrum, vt caritatem suam nobis commendaret, & suo nos informans exemplo per vitæ vias ad amissam beatitudinem reduceret. Tu verò postposito hoc exemplo communem vitam, cui te deuouisti fugere desideras, in qua nullo vento vanitatis impediente solidam gloriam poteris conseruare, & in solitudine* cordis ascensiones in corde disponere, multisque prodesse verbo & exemplo, & in secretis locis vitam tuam spectabilem magis quàm vtilem præbere, quod est gloriam tuam in puluerem deducere. Quod si feceris, à voto tuo, à professione tua ex parte cecidisti; & qui tanquam duobus pedibus, id est sanctitate & communiter viuendi societate, per geminam caritatis viam cœperas repedare ad patriam; præciso vno pede, & præclusa vna caritatis via, dum quasi claudus * requiris religionis augmentum, timeo ne incurras lamentabile detrimentum. Hæc dicens non condemno vitam anachoritarum, * sed præfero vitam communiter viuentium, qui non tantùm sua reliquerunt, sed etiam propriis voluntatibus renunciauerunt, & ita semetipsos secundùm Euangelicam admonitionem abnegauerunt. Qui si etiam ex obiectu visibilium aliquibus tentationibus afficiuntur; vel non inuenta solitudinis opportunitate, vel Ecclesiasticorum studiorum occupatione, facilè ab huiusmodi suggestionibus liberantur. Vita verò solitaria ideò inferior est, quia voluntaria & importunis cogitationibus plena, quæ tanquam muscæ minutissimæ de limo surgentes volant in oculos cordis & interrumpunt sabbatum mentis. Quarè punctionibus misera mens cruentata perdit decorem illum de quo dicit psalmista, *omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*, cum currens per fantasias & vanas imaginationes* suas aliquando ita superatur, vt si opportunitas se offerret, facilè in tentationis suæ laqueum laberetur. Nec hoc ex coniecturis dicimus, sed ab his qui experti sunt vera esse didicimus, quos aliquando in communi conuersatione hominum vidimus vixisse laudabiliter: sed quando ad solitariam vitam se transtulerunt, ipsos* eisdem confitentibus nouimus* fuisse lamentabiliter lapsos. Quòd si esum carnium culpas, qui aliquando *adhibetur mensis communiter viuentium, considerare debes quia laudabilior abstinentia est sine * fœda concupiscentiæ flamma lautioribus cibis vti & non repleri, quàm cum fœda gulæ flamma vilibus cibis ingurgitari. Sic Ioannes Baptista delectabilibus cibis vtens carnibus locustarum & melle siluestri, laudatus est [à* Domino] de abstinentia: Esaü verò vili cibo lenticula videlicet ingurgitatus, culpatus est de gulæ concupiscentia. Hæc dicens non te doceo, sed commonefacio vti bonum tuum ita discrenses, vt cùm perfectioni intendis, ne fias scandalum infirmis: quia satiùs est aliquando infirma tolerare, * quàm summa cum scismate facere. Possem tibi multa in hunc modum scribere. Sed hæc, & alia caritati conuenientia satis nouit prudentia tua. Vale.

1. Ioan. 2.

* sic dixit solitudinem mentis epist. 219.

Psal 7.

* al quæris.

* hac de re latius agit epist. 192.

Matth 16. Luc. 9.

Psal. 44.

* al. imaginies vt ep. 10.

* al. ipsis.

* lapsos ms. c

* al. admiscetur.

* S. August. in ca. 1. & 4. distinct. 41.

Matth. 3. Marc. 1.

* inclusa desunt in aliis v. c.

Genes. 25.

* al. quàm firma cum schis.

EPISTOLA CCLVII.

Philippo Dei gratia Trecensi Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, salutem & seruitium.

GRatias referimus liberalitati vestræ, quòd memor beneficentiæ vestræ dissensionem quæ inter domnum Odonem Ecclesię S. Georgij priorem, & quosdam fratres sibi commissos orta fuerat per beati Quintini Ecclesiam regulariter sedare voluistis, & eosdem dissentientes ad prædictam Ecclesiam transmisistis. Sic enim * à paternitate vestra & Ecclesia vobis commissa institutum est, vt Ecclesia sancti Georgij à vobis Ecclesiastica & temporalia beneficia cum debita humilitate recognoscat, ab Ecclesia autem beati Quintini regularia instituta suscipiat. Factum est itaque vt imperastis. Venerunt quidam ex dissentientibus fratribus aduersus prælatum suum disceptaturi, & sententiam debitam pro meritis accepturi. Nos autem scientes, * quia *concordia paruæ res crescunt, discordia autem maximæ dilabuntur*, paci & vnanimitati studuimus. Et quia sine eorum culpa tanta discordia fieri nō potuit, persuasimus illis vt à prælato suo pro commissis veniam peterent, & indulgentiam postularent. Quo facto, facta est pax inter domnum Odonem & præsentes fratres, * & condicta inter præsentes & absentes, ita vt qui cum eo remanere vellet, remaneret cum subiectione debita. Qui autem remanere nollet, fraterna caritate seruata transiret ad Ecclesiam beati Quintini, vel ad aliquam Ecclesiam eidem adiacentem cum assensu domni Odonis, & dispensatione * domni Radulfi Abbatis. Reformata itaque pace noluimus pati vt alius in labores domni Odonis intraret, * qui ibi diu cum multo labore & sudore congregauit quæ potuit, & pro scientia sua fideliter dispensauit. Si autem zelus domus Dei in nimiam zelotypiam eum excitauit monuimus * etiam vt temperet zelum suum, &, secundùm Apostolum, fiat infirmis in firmus, & omnibus omnia vt multos lucrifaciat. Remisimus itaque eum sub tuitionem vestram & Ecclesiæ vestræ, vt vobis humiliter & obedienter seruiat, & à vobis in necessitatibus Ecclesiasticis paternum auxilium fiducialiter petat. Quod postulo à paternitate vestra, postulo à filiis vestris, * Reinaldo præposito & Archidiaconis vestris, Petro, Drogone, Ioscelino, Simone, Odone camerario, vt pauperem Ecclesiam verbo consolentur, auxilio tueantur. Val.

* sic v. c an-tea à paruitate mea.

* ex Sallustio.

* sic duo v. c. aliàs, & condita ep. 114. ita est inter nos condictū, & epist. 289. iuxta conditum quod prace erat.

* al. domni.

* al. qui ibi dudum cum, ita ms. c. sed cum deest.

* al. eum vt 1. Cor. 9.

* al. Reinaldo.

EPISTOLA CCLVIII.

Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, dilectionem filij, & obedientiam subiecti.

QVoniam apud sedem Apostolicam viget misericordia & iustitia, à quibuslibet oppressis humiliter ad eam recurrendum est: vt ibi vnusquisque accipiat aut iustum pro rerum veritate iudicium, aut pium pro Apesto-

lica moderatione solatium. Vnde flexis genibus cordis supplicamus excellentiæ vestræ, quatinus causam domni Huberti Siluanectensis Episcopi, * soli audientiæ vestræ reseruetis, vbi eum temeraria multitudo non terreat, nulla principum violentia cogat, sed sola veritas secundùm testimonium conscientiæ suæ prolata & probata defendat. Nouimus enim quia præteritis annis cùm * domnus Richardus Albanensis Episcopus Apostolica legatione fungeretur, quia Trecis ab eodem legato concilium celebratum est, in quo à maliuolis & æmulis personis crimen venditionis sacrorum ordinum eidem Episcopo obiectum est, sed propter insufficientiam accusantium personarum consentientibus in hoc Episcopis, minimè probatum est. Sed prædictus Episcopus tanti criminis infamiam cupiens euitare, ad arbitrium legati vestri, sicut testantur qui affuerunt, * spontaneus de obiecto crimine se purgauit, & innocentiam suam iureiurando comprobauit. Quo facto intelligimus causam istam iudiciario ordine fuisse decisam, & secundùm tenorem legum non esse vlteriùs iterandam. Sed quia finitiua Episcoporum iudicia ad Apostolicam sedem sunt referenda, finem causæ suæ impositurus, & quæ dixerit per honestas personas confirmaturus, ad * thronum misericordiæ per nos & per alios sibi beniuolos humiliter pulsat, quatinus sic erga eum obseruetur iustitia, vt non periclitetur innocentia: quod sine nostra intercessione sedem Apostolicam facturam speramus. Sed voluntaria oris nostri approbari ab ea desideramus. Valete.

* confer epist. 244. & 103.
* al. domnus Ricardus.
* vnus v. c. spontaneis.
* sic vocat epist. 250.
Psal. 119.

EPISTOLA CCLIX.

deest in ms. cod.

Radulfo Dei gratia Remorum reuerendo Archiepiscopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, salutem & seruitium.

PRæcepit sublimitas vestra Radulfo Abbati sancti Quintini Beluacensis in virtute obedientiæ, vt visis litteris vestris infrà quindecim dies exequeretur iudicium ab Episcopo * Ambianensi de molendino beati Quintini factum. Abbas ad hoc respondet se nullum iudicium de hoc negocio audiisse vel subterfugisse: quod tamen si factum fuisset non esset legi consentaneum, cùm lex * debeat esse iusta, possibilis, loco temporique conueniens, quæ omnia defuisse huic negocio manifestè probat ratio. Non enim iustum est, vt incommoditatem quam sibi infert negligentia Abbatis, aut peruicacia, alter reformet: cùm Abbas studio subterfugiat munire ripas fluuij iuxta prata, de quibus controuersia est, præterfluentis. Quæ si munitæ fuissent sicut eas vidimus & sæpè pertransiuimus, de aqua quæ redundat in pratis nulla esset controuersia. Item iustum non est, vt quod ab omnibus molendinis Beluacensis Leuæ * committitur, totum in molendum beati Quintini reflectatur. Quæ si ad statum suum pristinum redigerentur, tota hac controuersia sopiretur. Abbas enim & quidam monachi sancti Luciani aduersus Ecclesiam beati Quintini veteres exercent inimicitias, qui quandiu habuit tutorem & defensorem, ab istis inquietationibus quieuit, & per quadragintaquinque annos in quiete possedit. Præterea omnis obedientia possibilis debet esse, & sicut dictum est, tempori & loco congrua. Hæc autem vestra obedientia prædicto Abbati cum tanto rigore iniuncta, etiamsi per eum iustè esset adimplenda, propter rigorem hyemis & loca palustria nullo modo valet ad præsens impleri: quia nullus operarius in locis palustribus & aquosis hoc tempore præualet operari. Si ergo per aliquam importunitatem vel surreptionem aliquid à vobis extortum est, rogamus paternitatem vestram, vt considerata rerum & temporum opportunitate cum discretione temperetis sententiam, vt & Ecclesia beati Quintini non cogatur molendinum suum ita debilitare vt molendi officium perdat, & monasterium sancti Luciani, sub illis iudicibus qui negocium ordine iudiciario tractant, ius suum non amittat. Val.

* sic v. c. antea Albianensi.
* idem scribit epist 189.
* in alio v. c. legitur leuga.

EPISTOLA CCLX.

*Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, * Stephano Regis Cancellario, abundare spiritu consilij & fortitudinis.*

* huius meminit. 243.

NVper Aurelianis rediens domnus Galterius Carnotensis Archidiaconus intimauit mihi fluctuationes cordis tui, & quomodo anima tua tabescat in malis, quærens quid potissimùm de sibi propositis eligat, aut fugiat: simulque addidit, vt secundùm audita dilectioni tuæ responderem, & consilium quod Deo inspirante sentirem sanius esse, prudentiæ tuæ rescriberem. Quibus auditis nihil vtilius tibi consulere possum, quàm vt iactes cogitatum tuum in Domino: quia ipse te ab omni fluctuatione liberabit, & tranquillitatem cordis in te reformabit. Hoc tamen vnum consilium præcipuè tibi do, vt voluntatem tuam voluntati Dei nunquam præponas, sed vocanti te ad agriculturam suam humiliter acquiescas, & dicenti tibi in loco humili posito. *Ascende superiùs*, minimè contradicas. Quid enim scis si ille omnipotens medicus hac via honesta te velit eruere de luto fecis, & confirmare in petra suæ dilectionis? Non enim terrere te debet, & à bono proposito remouere, quòd domnus Papa non absolutè respondit petitionibus tuis, siue de retinendis honoribus tuis cum Episcopatu Parisiensi, siue de Beluacensi Ecclesia, vt aliter non transferatur ad eam Domnus * Gualo, nisi eum repetat eadem Ecclesia. Noui enim consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quia non solet neque vult decretis suis patenter obuiare. Solet autem * dispensatoriè multa infirma tolerare postquam patrata sunt, tam pro locorum necessitate, quàm pro personarum vtilitate & honestate. Neque aliter cogendus est summus Pontifex contraria sibi scribere vel facere, ne cogatur dicere illud Apostolicum: *si quid * destruxi, iterum ædifico, præuaricatorem me constituo*. Hæc attendens fiducialiter ascende superiùs: quia cùm ascenderis, tolerantiam quam nunc absolutè non impetras, tum pro tua strenuitate, tum pro multorum te diligentium * mediatione, quantum res temperari poterit, salua honestate Romanæ Ecclesiæ quod quæris, vt credimus, impetrabis. Val.

Psal. 54.
Luc. 14.
Cancellarius Regis potest simul esse episcopus.
* al. Vualo. ita ms. c. Adi ep. 144. N. B.
* al. dispensatione. iunge can. sententiam exm. 35 q. 9. idem repetit epist. 231.
Gal. 2.
* quod ms.
* sic duo v. c. in al. meditatione. supra epist. 180 eo mediante.

EPISTOLA CCLXI.

Henrico Dei gratia excellenti Anglorum Regi, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, sic florere in regno terreno vt perfruatur æterno.

QVoniam fama vulgante gloria vestra longè latéque diffusa est, oportet vt quod de liberalitate vestra fama prędicat, rerum veritas in se contineat. Sic enim verum possidebitis regnum, si & vos ipsum benè regatis, & subditos vestros virga iustitiæ ab iniquitate reuocetis. Hæc est enim vera gloria Regum, sequi formam summi Regis, cui per psalmistam dicitur: *Virga directionis, virga regni tui: dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* (Psal. 44.) Hæc idcirco prælibaui excellentiæ vestræ, quoniam audiui vos quandam filiam vestram cuidam* nostro parochiano, Hugoni videlicet filio Geruasij, desponsasse. Quos quidem parētes eorum gradu consanguinitatis esse testantur genitos, vt inter se nuptias contrahere non possint, nisi incestuosas, & ideò illicitas. Quod minimè decet regiam maiestatem, culpam videlicet in se admittere quam in aliis debet legum seueritate punire. Vnde pro reuerentia & dilectione vera magnitudinem* vestram præmonitam & præmunitam esse cupimus, vt honestè dum fieri potest, tales nuptias fieri non permittatis, nè tale coniugium si contra leges pręsumatur, per leges dissolui mereatur. Quod enim dicimus, non ex coniecturis facimus, quia præ manibus habemus scriptam genealogiam, quam scribi fecerunt nobiles viri de eadem tribu progeniti, & parati sunt ante iudices Ecclesiasticos eandem genealogiam in tuto loco computare, & secundum legum instituta probare. Misi itaque vobis eandem genealogiam à trunco suo inchoatam, & vsque ad prætaxatas personas computando descriptam: quatinus ea perspecta rei veritatem discutiatis, & prudenti consilio ab illicita copulatione prædictas personas desistere faciatis. Non enim poterimus à legum tramite deuiare, si viderimus parochianum nostrum maximè in pacto coniugali aliquod nefarium perpetrare, dicente Apostolica sententia: *Incestis coniunctionibus nihil veniæ reseruamus, nisi cùm incestum separatione sanauerint.* (Citat epist. 225.) Cùm enim reuereamur temporalium regum potentiam, magis nos reuereri oportet æterni regis omnipotentiam: vt sic reddamus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt Deo. Genealogia autem vt dicitur sic se habet. Gonnors & Seufria sorores fuerunt. Ex Gonnors exiuit Richardus. Ex Richardo Robertus. Ex Roberto* Gulielmus Rex. Ex Gulielmo Henricus Rex. Ex hoc Regę ista quæ datur filio Geruasij. Item ex Seufria exiuit Ioscelina. Ex Ioscelina Rogerius de monte* Gummeri. Ex Rogerio Mabilia soror Roberti Bellimensis. ex Mabilia, Mabilia vxor Geruasij. Et ex ista Mabilia, Hugo filius Geruasij cui ista datur.

*ita ex v. c. malè anteà vestro, hunc propter pacem violatam excommunicatum posteà refert epist. 266.

*v. vestra.

*al. Vuilelmus.

*vide Vuilelmum Gemiticensem, lib. 8. de ducibus Normannis, cap. 35. & 36.

EPISTOLA CCLXII.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, Pontio venerabili Cluniacensis monasterij Abbati, salutem & dilectionem in Domino.

QVæsiuit à me tanquam diuinorum secretorum diligenti scrutatore diligens dilectio vestra, cur inter verba sacramentorum in consecratione dominici calicis positum sit mysterium fidei: cùm Dominus inter mystica cœnæ verba dans discipulis corpus & sanguinem suum hæc verba non posuerit, nec aliquis Euangelistarum Euangelicis verbis à se dictatis hæc interseruerit. Nunc ergo cur in canone hæc verba posita sint videamus: deinde vtrùm ab Euangelistis prætermissa sint, vel alicubi æquipollenter admissa, manifestè considerare poterimus. Scandalizati sunt enim, &* adhuc scandalizantur multi infirmi, quomodò sub specie elementorum sumatur corpus & sanguis Christi, cùm sensus humani nihil aliud renuntient nisi colorem & saporem panis & vini, propter quorum dubietatem positum esse credo in canone mysterium fidei, tanquam dicatur: sacramenta quæ vides in altari, æstimanda sunt non specie, sed fide. Aliud enim renuntiant oculi exterioris hominis, aliud tibi affirmant mentis oculi. Sic cùm Dominus dixisset discipulis suis aliquanto tempore antequam celebrasset nouissimam cœnam cum Apostolis: *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, (Ioan. 6.) multi ex discipulis abierunt retrò dicentes, *Durus est hic sermo*, putantes quòd præciperentur carnes eius sumere aut elixas in lebetibus, aut assas in verubus & sanguinem cruentum sorbere in calicibus. Dominus itaque ne hic error offenderet omnes, alios qui remanserant his verbis instruxit, qualiter intelligendum esset quod dixit: *verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt*: tanquam si diceret: verba quæ locutus sum vobis, spiritualiter intelligere* debetis. Cibus de quo loquor vobis, non est esca ventris, sed cibus mentis. Si hæc verba Domini diligenter attendamus, mysterium fidei quod in consecratione calicis Domini positum est, eandem sententiam continere videbimus, nec aliunde canoni inserta, nisi ex verbis dominicis assumpta cognoscemus. De prima quæstione vestra respondi quod sentio, sine melioris sententiæ præiudicio. De cætera Melchisedech commemoratum inter sacra mysteria non alium intelligo, quàm ipsum Regem Salem, (Hebr. 7.) cuius sacerdotium commendat Apostolus: quia antequam institutum fuisset Leuiticum sacerdotium in oblatione panis & vini, præmonstrauit nobis noui sacerdotij formam, sicut in Abel sacrificio præfiguratam videmus* innocentiam, & in oblatione Abrahæ commendatam videmus obedientiam, quorum omnium commemoratio ad hoc valere probatur, vt sicut prætaxati patres Deo placuerunt per fidem futurorum, ita nos placere studeamus per fidem exhibitorum, & ita probetur vna esse fides legis & Euangelij, vmbræ & veritatis: licèt aliis & aliis præsignata sint figuris cùm essent futura, manifestis comprobata documentis cùm essent præterita. Possent hæc latioribus verbi explicari: sed hæc pauca sufficere videntur sapienti. Collectiones* canonum quos à me postulatis, & opuscula mea quæ his addi voluistis, in monumentum dilectionis per domnum Ernaldum modò monachum vestrum, olim clericum nostrum, transmisi vobis. Val.

*Iuonis enim tempore vigebat adhuc secta Berengarij.

* intelligenda sunt ms. cod.

* ita ex v. c.

* intelligit decretum, cuius prologus habetur inter has epistolas sub numero 288.

EPISTOLA CCLXIII.

Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, Beluacensis Ecclesiæ fratribus stare in aduersis & resistere peruersis.

* Nunc primùm editur. habetur etiã in fine antiqui cod. S. Vict est autem eiusdem planè argumenti cum sequente epist. 264. conferatur cum epist. 137. quæ ad Beluacenses scripta est.

* Ecclesia enim Beluacensis suspensa erat à diuino seruitio epist. 264.

Matth. 5.

RECitata in medium * vestræ calamitatis Epistola, nobis ex materia litterarum materies orta est lacrymarum. Siccis enim oculis legere non potuimus exilium vestrum, infestationes Burgensium, domorum spoliationem, terrarum inuasionem: in quibus omnibus fuit impetus non ratio, & preualuit æmula clericorum laïcalis præsumptio. Cessare quidem à diuinis * iustè vel iniustè, quid ad regẽ pertineat non videmus. Excessus enim clericorum si cõtigerit, non est vindicandus potestate sæculari, sed canonico iudicio puniendus est, & censura Episcopali, cum tamen in huiusmodi interdicto nullus sit excessus, nihil preproperè factũ, nihil videatur esse præsumptum. Vos ergo fratres Karissimi, quia scriptum est, *beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam*, nolite turbari, nolite terreri. Deus enim in cuius conspectu intrat gemitus cõpeditorum, Ecclesiam suam & si tribulari permittit, tamen non dimittit. Videte igitur dilectissimi, videte ne pro amissione rerum vestrarum, quod valdè timemus, deficiatis. Amor enim pecuniæ parit defectum, defectus opprobrium: quod nullatenus euadere potestis, si laïcorum pedibus colla supponatis. Et si honor Ecclesiæ per vos periclitatur, si rigor iustitiæ per vos adnihilatur, exemplum erit omnibus vobis quidem dedecorosum, aliquibus verò periculosum. absit autem vt Ecclesia Beluacensis quæ floruit inter alias, tanti dedecoris nota decoloretur, absit vt libertas Ecclesiæ per vos in seruitutem redigatur. nos quidem indubitãter fratres Karissimi, nos quidem pro facultate nostra & pro voluntate vestra in omnibus & per omnia vobiscum sumus, & nos & nostra vobis offerimus, & rebus * consequimini si vultis quod voce promittimus. Valete. Angelus pacis vobiscum.

* consequemini.

EPISTOLA CCLXIV.

Ludouico Dei gratia serenissimo & dulcissimo Regi Francorum Domino suo, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, in eo regnare, cuius regnum est sine fine.

* al. potestatem.

QVoniam regiam * sublimitatem libram conuenit tenere pietatis & iustitiæ, sic oportet condiri iustitiam ex pietate, vt nec indiscreta pietas in subditis nutriat insolentiam, nec * nimius iustitiæ rigor opprimat innocentiam. Sic enim constat antiquorum regum floruisse & viguisse potentiam, vt aliquando peccata humilium subditorum dissimularent, aliquando tanquam filiorum ferula corrigerent: contumaces verò erectos districta animaduersione * punirent, quatinus pœna redderet subiectos, quos impunitas & patientia faciebat erectos. Quibus prælibatis supplico excellentiæ vestræ flexis genibus cordis, vt in hoc appareat me obtinere gratiam in oculis regiæ maiestatis, quatinus pro Dei amore & nostro ita & clerum & populum * Beluacensem pro temeritate interfecti hominis tractare studeatis, vt & innocentia non grauetur, & temeritas incauta per surreptionem diabolicam concitata non superbientium vltione feriatur, sed pœnitentium virga corrigatur. Non enim decet; sicut dictum est, regiam moderationem æquo modo tractare subiectos: * ne sub specie correptionis subrepat furor crudelitatis, & immoderatus terror dispergat in omnem ventum populum hactenus dilectum, à quo potest * regia maiestas præ cæteris vrbibus Galliarum honestum habere seruitium. Quòd si in hoc non adquiescit consilio meo & precibus meis vestra sublimitas, hoc saltem à maiestate vestra impetrare satagit humilitas mea, vt consilium vestrum communicetis Ecclesiasticis & honestis personis, quæ absque maliuolentia & amore vltionis velint & valeant sanum dare vobis consilium, non ad dispergendum & conterendum populum, quod crudelitati adscribatur, & post tempus factum vestrum pœnitentia comitetur. Si qua verò aduersus decanum vel clerum vobis est controuersia, moneo & cõsulo, vt vnamquamque personam iuxta ordinem suum examinari faciatis, & sub iudicibus Ecclesiasticis causam cuiusque terminetis. Ita enim Regia maiestas in nullo minuetur, & cuique personæ suum ius conseruabitur. De diuino * autem seruitio, à qua mater * Beluacensis Ecclesia suspensa est, consilium sanum mihi minimè videtur: quia iste rigor alibi minimè seruandus est, nisi vbi culpa sacrilegij, vel violatæ pacis * aliter vindicari non potest. Valete.

* in vno v. c. nec nimis erectus iustitiæ rigor.

* al. ferirent.

* confer cum epist præcedente, 263.

* & erectos, ms. c.

* al. regia potestas.

* vt ep. 266.

* sic vocat epist.

* vt in fine epist. 50.

EPISTOLA CCLXV.

Ludouico Dei gratia dulcissimo & serenissimo Francorum Regi, temporali Domino suo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, in eo viuere & regnare per quem Reges regnant.

SVggestum est excellentiæ vestræ quòd Clerici Carnotensis Ecclesiæ ius præpositorum suorum minuant, & quod longo vsu possederunt eis auferant. Vnde suadeo serenitati vestrę, ne credatis omni spiritui, maximè sua quęrenti, & non quæ sunt Iesu Christi. Non enim minuitur aliquid de iure prępositorum vel aufertur, * sed Apostolica auctoritate interdicuntur eis illicitæ angariæ, & pauperum vexationes, quas non tantùm clericis, sed nec laïcis licet exercere vel exigere. Quod cùm ex relatione clericorum more Ecclesiastico peruentum sit ad aures Apostolicas, ne illicitæ angariæ ampliùs in pauperes Ecclesiasticos fiant, Papa * sub anathematis vinculo prohibuit, & quod prohibuit scripto firmauit. Non potest igitur decretum Apostolicum inconsulto Apostolico vel à me, vel ab aliqua persona, sine periculo ordinis sui destrui mutari vel minui. Vnde flexis genibus cordis supplico excellentiæ vestrę, vt super admonitione vestra congruas mihi & Ecclesiæ detis inducias, donec transacto feruore canicularium dierum possint legati Carnotensis Ecclesiæ ad sedem Apostolicam mitti, & permittente sede Apostolica conseruata iustitia & remota pauperum oppressione, sine periculo Ecclesiæ vestra voluntas adimpleri. Interim autem rogo & moneo regiam maiestatem vestram, vt cum Ecclesia pacem habeatis, nec de peccato alieno peccatum vestrum cumuletis. Decet enim regiam maiestatem regiam viam tenere, nec cupidorum ambitionibus aures * aut linguam inclinare. Sciatis enim quia

* coniunge epist. 271.

* Paschalis, vt indicat epist. 271.

* quia dicebant hoc priuilegium Ecclesiæ factum contra iura regia, & ideò regem seduxerant, vt ait ep. 271.

de iure præpositorum nihil volo minui, vbi eis iustitia & quieta possessio legitimè poterit suffragari. Valeat & viuat per longa tempora virtus & gloria vestra.

EPISTOLA CCLXVI.

Cononi Dei gratia Pranestino Episcopo & sanctæ sedis Apostolicæ Legato, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, obedientiam & salutem.

SIcut visito præsentiam vestram per legatum & litteras, sic visitarem propria persona, nisi adhuc detineret me ex longa infirmitate contracta debilitas. In primis itaque suggero simpliciter incedenti vestræ sollicitudini, vt non credatis omni spiritui. Suasit enim Hugo* (*cuius mentio epist. 261.*) filius Geruasij propter violatam pacem se esse iniustè excommunicatum, & terræ patris sui iniustè diuinum* (*vt epist. 264*) officium esse interdictum: quia dicit ea die qua vocatus erat ad iustitiam, se à domino Rege suo fuisse detentum. Quæ excusatio aduersus pacem violatam apud nos nullius momenti est, quia Rex & Princeps hàc licentiam dederunt militibus suis, vt absolutam fidelitatem iurarent paci & iustitiis pacis infra septem dies, quibus moniti essent se venturos ad iustitiam, nisi eos detineret aut proprij corporis inualetudo, aut propriæ personæ violenta detentio, nec Rege excepto nec Domino. Vnde si prætaxatum Hugonem sine satisfactione absoluerem, haberent me parochiani mei sicut ethnicum & publicanum, & ille cuius bona diripuit, vsque ad nouissimum quadrantem totum quod amisit à me repeteret, & de me & de meis quàm grauiùs posset talionem exigeret. De cætero supplico sanctæ sollicitudini vestræ, vt ad terminandam causam (*Confer epist. 267. & 268.*) quam tertio calendas Septembris inter me & Abbatem maioris monasterij statuistis, latus vestrum muniatis prudétibus & religiosis personis, quæ nec falli quærãt nec fallere, nec precio vinci nec precibus. In hoc enim monachi confidunt, quòd multis multa & magna promittunt. Vt autem huius rei noueritis veritatem, breuiter vobis aperiam, latiùs vobis dicturus vel scripturus, si Deus dederit opportunitatem. Hæc enim Ecclesia in municipio quod Curuauilla dicitur sita, à fundatore suo in honore sancti Nicolai canonico ordini fuit deputata: & hæc prædicti fundatoris deuotio, Episcopali auctoritate, & anathematis seueritate roborata. Defuncto autem fundatore successor eius nomine Ierogius asciuit quosdam monachos cæmentarios (*Monachi Cæmentarij.*), quorum monasterio promisit se daturum prædictam Ecclesiam, si muro munirent prætaxatum municipium. Quod audientes monachi maioris monasterij, qui in vicina quadam cella morabantur, nolentes habere alterius monasterij monachos sibi vicinos (*N. B.*), inconsulta Carnotensi Ecclesia, cuius iuris est prætaxata Ecclesia, non tantùm canonicali* (*amonicali, ms. c.*) iure, sed etiam parochiali acceptis à Ierogio duabus præbendis, Ecclesiam illam contradicétibus clericis loci illius inuaserunt: nec tamen communionem canonicorum: nisi quorumdam assentatorum habere potuerunt. Vnde quidam ex illis religiosus & litteratus nomine Robertus, cum quibusdam aliis domnum Hugonem Diensem Episcopum adiit, qui tunc erat* (*Papæ Gregorij septimi epist. 274.*) sedis Apostolicæ legatus, & in auribus eius priuatim & publicè clamorem de hac inuasione ventilauit: qui acceptis litteris à legato domum rediens, prædictis monachis prædictæ Ecclesiæ inuasionem per has litteras interdixit. Illi vero infra præscriptum terminum Ecclesiam dimiserunt, & de cætero per triginta & duos annos aut eo ampliùs absque synodali reclamatione quietam reliquerunt. Nunc verò cùm ordinem canonicum non dissipare, sed in melius in ipsa Ecclesia consensu clericorum studerem promouere, monachi * dæmoniaca inuidia (*de quorum violentia cõqueritur ep. 258 & de calumniosis obiectionibus epist 174.*) moti voluerunt in alienam messem falcem mittere, & me Episcopali iure priuare. Quòd verò dicunt hanc Ecclesiam ab antecessore* (*de quo ep. 1. & 2.*) meo eis fuisse concessam, quicquid dicant, Carnotensis Ecclesia cuius ipsa membrum est, ignorauit, & quòd ibi inuaserunt illo minimè reclamante vel adiuuante amiserunt. Hæc breuiter scripsi, vt ad defendendam veritatem arctiùs vos accingatis, & clericalis ordinis, in* (*similis locus epist. 36.*) quo estis, quantum potestis, ruinas releuetis. Valete.

EPISTOLA CCLXVII.

Cononi Dei gratia Pranestino Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, deuotam & debitam legatis Apostolicis obedientiam.

INuitauit me sollicitudo vestra ad agendam causam vel per me vel per vicarios meos de Ecclesia sancti Nicolai aduersus monachos maioris monasterij, quæ sita est in municipio quod Curuauilla dicitur, quam aliquando contra iura Ecclesiastica occupare præsumpserunt. Sed secundùm legum* (*can. vides dist. 11.*) tramitem, quod ab eis contra leges præsumptum est, præcipiente legato Apostolico* (*al domno. is fuerat legatus in Galliis sub papa Gregorio septimo ex ep. 274.*) domno Hugone Diensi Episcopo, per leges dissolutum est. Hanc igitur causam idcirco tractãdam suscepi, quia in propria persona me eam posse tractare putaui. Nunc verò quia adhuc equitare vel vehiculum aliquod sustinere nõ valeo, supplico sanctitati vestræ, quatinus ita sincerè tractari faciatis causam istam, vt propter insufficientiam vicariorum nullum præiudicium patiatur absentia mea, sed potiùs si necessarium fuerit, secũdùm tenorem canonum, congruo loco vel tempore exspectetur præsentia mea. Quicquid enim (*Confer cum epist. 268. & 274.*) monachi dicant, si præsens essem, probarem irrefragabiliter nihil monachos illos in prædicta Ecclesia habuisse nisi per inuasionem, partim clericis de loco suo expulsis, partim comminationibus territis, partim grauiter percussis; nec firmamenta* (*al cartarum itams. cod.*) chartarum habere siue de Apostolica manu, siue de Episcopali, nisi extorta per subreptionem.* (*sequentia addita sunt ex v c.*) Sic ergo in hac causa sollicitudini vestræ prouidete, vt cum fama huius rei longè latéque sonuerit, honor sit Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Valete.

EPISTOLA CCLXVIII.

Episcopis Waloni Beluacensi, Gulielmo Catalaunensi, Gaudefrido Ambianensi, Clarebaldo Siluanectensi, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, spiritu scientiæ & pietatis, & zelo iustitiæ abundare.* (*al. Vuilelmo Cataldunensi.*)

CVm secundùm decretales paginas & scita canonum omnes controuersiæ Ecclesiasticæ in locis in quibus ortæ sunt primò sint

discutiendæ; & nisi appellatum fuerit terminandæ; Abbas maioris monasterij postposito ordine iudiciario, contempta fraterna caritate, & iniustum & in ordinatum clamorem de me detulit ad sedem apostolicam, qui nullam feceram ei iniuriam, immò iudicio Ecclesiæ mihi commisissæ, præsente * Gualterio Archidiacono & Hugone* subdecano cum pluribus aliis omnē obtuleram iustitiam. Vnde in auribus domni Cardinalis & vestris & totius huius conuentus hanc primitùs expostulo iniuriam. Qua de re si dilata vel denegata mihi fuerit iustitia, vt res non ad ordinem redigatur, longè latéque clamabo dictis & scriptis, quia ægrotanti & impetum monachorum ferre non valenti, infertur violentia. Hæc enim causa præcepto domni Hugonis Diensis Episcopi, quondam sedis apostolicæ legati, in* Concilio Exolidunensi me præsente & audiente cum quibusdam aliis Carnotensibus clericis præcisa est. Et ideò si in causa non essemus, cum cæteris Episcopis canonicè iudicaremus quia vlteriùs repetenda non est. Quod autem dico, honestarum personarum testimonio comprobari potest, quæ clamorem canonicorum Ecclesiæ de qua agitur, in pluribus Conciliis audierunt, & iudicium de remouendis ab Ecclesia monachis certissimè cognouerunt. Huius remotionis testis est etiam tricennalis quieta possessio, in qua toto hoc tempore canonici canonicis in prędicta Ecclesia successerunt, nec recedētes nec accedentes aliquam canonicam calumniam à monachis audierunt. Ego quoque toto hoc tricenario nullum clamorem canonicum apud antecessorem* meum, de cuius concessione confidunt, super hoc factum cognoui, & in viginti quinque annis*, quibus in Episcopatu moratus sum, calumniam canonicam vel apud me, vel apud Concilia prouinciarum, vel generalia aliquando factam audiui. Quicquid ergo monachi dicant, hęc sicut à me dicuntur*, si necesse sit, probabuntur. Quibus possem multa addere, sed ista credo ad defendendam iustitiam meam prudentię vestræ posse sufficere. Ordo autem rerum gestarum diffusiùs in litteris Cardinali missis continetur, quarum exemplar vestræ sollicitudini transmisi, vt ex eis veritas certiùs possit agnosci. Valete.

Confer epist. 267. & 274.

* al. Gauterio.

* sic v. c. anteà, subdiacono, subdecani meminit epist. 54. & 204. vt etiā subdecaniæ epist. 182.

* cuius etiam mentio epist. 181.

* Gaufridum epist. 266.

* Iuo iā 25. annis Episcopus Carnotensis.

* al. si necesse fuerit, ita p. ita ms. c.

EPISTOLA CCLXIX.

*Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, * Bernerio Benauallensis monasterij Abbati & fratribus sibi commissis, abundare visceribus fraternæ dilectionis.*

* al. Bernero.

QVoniam diuina gratia fratrē præsentium portitorem præuenit in benedictionibus dulcedinis, vt eundo de virtute in virtutem arduas vias patrum studeat sequi, & post longam cœnobiticę conuersationis experientiam, solitariæ quietis dulcedine desideret perfrui, & in solitudine* mentis dominum dominorum in Sion contemplari: non nobis fraudandus* à desiderio suo videtur, sed confouendus & promouendus, vt non frigescat aut tepescat in eo diuini amoris tam pia deuotio. Monemus ergo vt in hoc boni fratris proposito nulla mentes nostras titillet inuidia, neque eius tanta promotio fraternæ famæ videatur esse diminutio, tanquam placere & se præferre studeat in oculis hominum, qui in hoc proposito soli contendit placere patri luminum. Vnde & si non est datum omnibus imitari, nolite tamen aduersari, neque extinguere in eo spiritum ardentem & lucentem, & talia desideria suggerentem. Vale.

* vt epist. 219 & cordis, ep. 256.

* esse videtur, ms. c.

EPISTOLA CCLXX.

Turgedo Dei gratia Abricensium Episcopo, Iuo eadem gratia humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, paracleti consolatione refoueri.*

* al. Ambricensium. al. Abrincensium.

QVoniam cùm patitur vnum membrum debent compati omnia membra, auditis tribulationum vestrarum angustiis, compassus sum & condolui. Certum tamen vobis consilium dare non audeo, quod sine offensione alicuius potestatis vos sequi posse non video. Cogit enim vos ex vna parte legatio apostolicæ sedis, vt præceptis eius obediatis: vrget vos ex altera regia potestas, vt resistatis. Cùm igitur sibi inuicem aduersentur præcepta apostolica & regalia, sanum consilium nemo vobis dare potest aliud quàm quod Susanna dictante Spiritu sancto sibi dedit: *melius est mihi incidere in manu hominum, quàm derelinquere legem Dei mei*: videlicet, vt aut apostolicæ sedi in legatis suis plenariè obediatis, aut principaliter ad sedem apostolicam vicarios vestros mittatis, qui ibi pro vobis satisfacient, & gratiam sedis apostolicæ vobis restituant. Alioquin anathematis vinculum rumpere potestis, soluere *non potestis. In his omnibus ambiguitatibus det vobis Dominus spiritum consilij & fortitudinis, vt & sana sapiatis, & eadem fortiter impleatis. Valete.

Dan. 13.

* al. soluere autem. ita ms. c.

EPISTOLA CCLXXI.

Paschali Dei gratia summo Pontifici [patri & domino suo] Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, integràm & deuotam pro viribus obedientiam.

Inclusa desunt in nonnullis v. c. sunt, ms. c.

GRatias referimus* summæ paternitati vestræ, quòd per præsentium latorem perspectis litteris nostris*, confirmastis optatum priuilegium communi clero Carnotensis Ecclesiæ contra rapacitatem præpositorum, ad compescendā oppressionem* Ecclesiasticorum pauperum. Aduersus quod duo ex præpositis, quos præsentium lator celsitudini vestræ nominabit, pertinaciter se erexerunt, & regiæ potestati ad diminutionem sui regni hoc priuilegium * factum esse suggesserunt, & ita in apostolicam sedem si animaduertere velit, ad perpetuam infamiam suam grauitér deliquerunt. Vnde pro ipso clero & cum ipso clero flexis genibus cordis supplico excellentiæ vestræ, quatinus repetitis scriptis decretum vestrum corroboretis, & qua pœna feriendi sint pręsentialiter isti apostolici decreti cōtemptores, manifestè & sine ambiguitate verborum, Ecclesiæ Carnotensi cum terribili gladio ex vtraq; parte inobedientiam feriente dirigatis. Isti enim ad hoc Regem * seduxerunt quomodo voluerunt & valuerunt, vt minaces litteras aduersus clerum mihi mitteret, continentes cum minis quòd bona clericorum sibi accepturus sit vbicunque poterit, nisi priuilegiū vestrum destruatur, & rapacitas præpositorum in pace concedatur. Has itaque litteras excellentiæ vestræ misi, quibus visis in suggestores eorū seueram

* summa deest in ms c.

* confer epist. 265.

* l. 2. c. de episc. & cler.

* præpositorum rapina velata nomine iuris regij: quibus ne aures inclinet, monet regem epist. 265.

* Ludouicum vt constat ex epist. 265.

sententiam dictetis: quatinus infamiæ semper subiaceant, nisi ij qui hac occasione res suas amiserint, eas ex integro recipiant. Ita enim & oppressionem pauperũ releuabitis, & cæteros à simili præuaricatione compescetis. De precariis verò, quas iam bis in Carnotensi Ecclesia vetuistis, similiter obnixè precamur, vt nunquam mutetur vestra sententia, sed magis confirmetur. quia quando personaliter accipiebantur, oriebantur inde illicita emptio & venditio inter accipientes & non accipientes, & fœda contentio, iræ, rixæ, æmulationes, inimicitiæ, & multa illicita, quæ radicitus euellenda esse ab Ecclesia sancire debet vestra excellentia. De cætero & ego & clerus celsitudini vestræ supplicamus de hoc præsentium latore, vt si quid aduersitatis ipsi causa huius negocij contigerit, apostolicam manum & vindicem & adiutricem sentiat. Nam cùm ante hoc negocium in pace esset, nunc & à Rege & à Comite Carnotensi sub obtentu aliarum occasionum minis atque odiis circunuenitur, nec tamen & se & sua pro Ecclesia & pro pauperibus deuotè, & misericorditer impendere desistit. Deprecamur etiam, si quid de hoc negocio postulauerit quod præsenti paginula non contineatur, vt ipsum tanquam nos in hac re audiatis. Valete.

De precariis. can. 4. 5. & 6. cau. 10. q. 2.

EPISTOLA CCLXXII.

Reginaldo Dei gratia Andegauensi* Episcopo, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, sic gregem sibi regere creditum, vt non tristis neque gemens cogatur æterno iudici pro eo rationem reddere.*

** Raginaldo. ms. c.*
** Andegauensium, ms. cod.*

CVm nobis sacerdotibus ad hoc dominici ouilis cura cõmissa sit, vt oues nobis commissas per pascua vitæ ducere studeamus; non oportet* vt ouem errantem ita ab vnitate gregis irreuocabiliter separemus, quatinus eam deuorandam luporum faucibus exponamus. Exigit enim cura nobis commissa, vt potiùs ouem errantem per deuia sequamur, &* cum scarificatione & cruentatione laterũ, si necesse sit, per dumeta & spineta nos coartemus, vt eam ouili suo restituere valeamus. Quæ verba dilectioni vestræ prælibauimus, quia pro quadam parochiana vestra, nomine Matilde, rogare sollicitudinẽ vestram ab domno Gaufrido dilecto nobis, cuius consanguinea est, rogati sumus: quatinus errores & lapsus eius ita misericorditer & discretè attendatis, vt postpósita omni simultate, deleto omni rancore, consilium vitæ quærentem non abjiciatis: sed exemplo summi pastoris, qui peccatricem lacrymantem suscepit, vulnera eius sanare, & ad viam salutis & honestatis eã reducere studeatis. Cùm enim vita Domini Iesu* disciplina morum fuerit super terram; tunc rectè per vias vitæ incedimus, cùm ea vitamus quę eum vitasse cognoscimus, vel ea* facimus quæ eum fecisse didicimus. Plura diceremus, sed prudentiam vestram multiloquij fastidio onerare formidamus.

** confer cum epist. 279.*
** sic ex duobus v. c. malè anteà, cum sacrificatione & clarificatione, seu etiam confricatione.*
Luc. 7.
** vt ep. 279.*
** al. imitamur.*

EPISTOLA CCLXXIII.

Cononi Dei gratia Prænestino Episcopo, sanctæ sedis apostolicæ legato, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister salutem & obedientiam.

NOuit vestra sollicitudo, quia vaccæ quæ arcam portabant, relictis fœtibus domi Bethsamis ibant, & * cùm pro fœtibus mugientes retrò aspiciebant, non* tamen à via exorbitabant. Quod attendere debet sollicitudo vestra: quia licet ab obedientia sedis apostolicæ nulla ratione dissentire velimus, tamen aliquandò fraternæ compassionis affectu, pro fratribus in tribulatione positis, sedem apostolicam, vel vicarios eius compellare compellimur; vt moderato rigore iustitiæ, amicis & familiaribus nostris aliquod consolationis remedium impetremus. Vnde pro Baiocensi Episcopo iustis de causis nobis amicissimo sollicitudini vestræ supplicamus; quatinus excommunicationem in Episcopos Normanniæ intentatam ita in eo temperetis, pro amore Dei & nostro, & cæterorũ pro eo supplicantiũ, vt si Episcopale officium ei concedere non potestis, saltem introïtum Ecclesiæ ad tempus non negetis. Sub alieno enim iure* tanquam sub torculari positus, dolet & gemit se nihil plus posse quàm permittitur. Vnde iterum & iterum supplicamus, vt apud vos pro eo nostra valeat intercessio, quàm à nobis non extorquet nisi sola fraternæ caritatis affectio. Valete.

Lib. 1. Reg. 6.
** tamen, ms. cod.*
** nec, ms. c.*
Confer epist. 270.
** Regis scilicet. nam in tribus v. tt. codd. hac ep. habet argumentum sequẽs de episcopo qui dolebat & gemebat se nihil plus posse quàm à Rege permittebatur.*

EPISTOLA CCLXXIV.

Paschali Summo Pontifici, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, cùm plena obedientia plena salutis gaudia.

CAusæ, quam inter me & Abbatem maioris monasterij coram Prænestino Episcopo sedis apostolicæ legato fieri præcepistis, prępediente corporis infirmitate interesse non potui: responsales tamen meos & litteras meas calumniosis monachorum* obiectionibus obuiantes eidem legato vestro & Episcopis, quos ad hanc causam tractandã conuocauerat, transmisi. Quarum litterarum veritatem cùm monachi nullo iudiciario ordine infirmare valuissent, nondum aliquo iudicio prægrauati, vel aliqua in eos data sententia, non confidentia iustitiæ, sed causa afferendæ moræ, absentem & ægrotantem me ad apostolicam sedem* inuitauerunt: cùm ego per responsales meos ob stringere me vellem ad ea infirmanda quæ mihi obiecerant, & ea iudiciario ordine comprobanda, quæ litteris meis iniustis eorum obiectionibus responderam, si infirmitati meæ indulgeretur locus opportunus & tempus opportunum. Vt autem summam veritatis breuiter concludam; nouerit vestra sanctitas*, quia nullam inuestituram illius Ecclesiæ de qua controuersia, est nec in toto, nec in parte habuerint, nisi per inuasionem aut subreptionem. Quæ inuasio cùm ad aures domni Hugonis Diensis Episcopi delata fuisset, qui tunc temporis legatus erat Papæ* Gregorij, missis litteris prædictam Ecclesiam à monachorum inuasione liberauit, & canonicis ibidem seruientibus apostolica auctoritate quietam reliquit. Ab eo ergo tempore eadem Ecclesia nullam inquietudinem, nullum clamorem legitimum, vel in capitulo Carnotensi, vel in synodo prouinciali, vel in Concilio generali sustinuit, sed sub suo Episcopo clericis* vicissim sibi succedentibus per triginta aut eo amplius annos in clericali ordine militauit. Nunc verò cùm vellem eorundem clericorum vitam* vel ordinem ad meliorem statum erigere, monachi aduersus me surrexerunt, & propositum

Confer epist. 267. & 268.
** quorum inuidiam demoniacam vocat epist. 266.*
** simili de re conqueritur epist. 219.*
** sancta paternitas, ms. cod.*
** septimi scilicet, vt constat ex eius regesto lib. 9. epist. 15. & seq.*
** al. viritim.*
** &.*

* ita v. c. antea, meum multis cal. * meum iniustis calumniis impedierunt. Et cùm eis nullam iustitiam denegassem, præpostero saltu & postposito ordine iudiciario ad aures apostolicas iniuriosam calumniam detulerunt. Flexis igitur genibus cordis supplico sanctitati vestræ, vt hanc iniuriam meam vestram reputetis, & intra prouinciam nostram sub iudicibus à paternitate vestra ordinatis causam hanc in loco vicino, in quo possim meam exhibere præsentiã,& tractari terminari iubeatis, aut monachos cognito ordine rerum ab iniusta calumnia cessare faciatis. Misi itaque paternitati vestræ litteras quas scripsi legato vestro*,& Episcopis quos ad hãc causam idem legatus conuocauerat, vt in eis veritatẽ quam probare paratus eram in loco opportuno liquidè cognoscatis, & ita propulsandæ iniustitiæ, & defendendæ iustitiæ meliùs prouidere valeatis. Quæcunque enim de hac causa ibidem continentur, paratus sum canonicè probare, si imbecillitati meæ indulgeatur locus opportunus & tempus opportunum. Consulat igitur beatitudo vestra famæ suæ, vt nullum præiudicium apud vos fieri permittat senectuti & imbecillitati meæ, vel demembrationem Ecclesiæ mihi commissæ. De cætero obsecro per viscera paternæ misericordiæ, vt si aliquis clericorum Carnotensium aliqua subreptione à vobis impetrare voluerit vt ei geminetur honor Ecclesiasticus, non acquiescatis ne præuaricationi imputetur,& pernitiosa consuetudo quæ abolita fuerat, redintegretur. Sub eisdem precibus commendo paternitati vestræ Ecclesiam beati Ioannis Baptistæ, & eiusdem Ecclesiæ Abbatem præsentium portitorem; vt quod pro necessitate pusilli gregis sibi commissi postulauerit obtineat, vnde religio loci sibi commissi crescat & vigeat. Valete.

* canoni, ex epist. 267.

EPISTOLA CCLXXV.

Cononi Dei gratia Prænestino Episcopo, sedis apostolicæ legato, Iuo eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister, salutem & obedientiam.

NVper accepi litteras vestras, continentes excommunicationem eorum qui Niuernensem Comitem ceperunt, vel captioni eius interfuerunt, vel de spoliis eius aliquam partem acceperunt, vel auxilium in hoc dederunt excepta sola persona* Theobaldi Comitis, cui inducias vsque ad octauas omnium sanctorum donastis. Et tamen nisi interim Comitem Niuernensem reddat, ex tunc eum eidem excommunicationi subiecistis. Has itaque litteras *Theobaldo Comiti legi & exponi feci, vt audito rigore Ecclesiastico fortè apud se cogitaret, vel Deus ei inspiraret, vt prædictũ Comitẽ reddat, & terræ turbatæ, & grauiùs turbandæ, pacem restituat. Quibus auditis & intellectis miratus est valdè, quòd Rex apud iudices Ecclesiasticos clamorem de * eo fecerit, qui nullam ei, cùm dominus eius sit, iustitiam denegauerit. Offert itaque se ad omnem iustitiam ante iudices pacis, eo ordine quo rerum gestarum ordo postulauerit, in omni loco ad quem securus suas possit, & in quo securus suas possit * exercere actiones, & probare: exacturus tamen priùs iniuriam sibi factam, quòd præproperè & inordinatè milites sui excommunicati sint, qui vel nihil in pactum pacis deliquerunt, vel nullam inde iustitiam denegauerunt. Auditis itaque eius responsionibus consilium mihi fuit, vt reuerendas personas religioni vestræ transmitterem, qui verba Comitis & hæc & alia vobis referrent: vt de his cum Domino Rege tractetis, & inter eum & Comitem pacem compónere studeatis. Ita enim Comes verbis defendit suam innocentiam, & Regis & Comitis Niuernensis exaggerat iniuriam, vt iustam causam habere videatur, nisi iudiciario ordine & inuincibili ratione conuincatur. Sciat autem vestra prudentia, quia in propria persona me his actionibus præsentassem, si imbecillitas corporis me permitteret equitare, & laborem itineris sustinere. Communicato itaque consilio cum Episcopis & iudicibus pacis ita hanc controuersiam sedare studete, vt qui ex aduerso stat, non habeat quod reprehendat; & pax Ecclesiarum & quies pauperum in sua stabilitate permaneant. Dicit enim Comes, quòd libenter reddet aut recredet Comitem Niuernensem, si auditis eius rationibus iudices pacis in hoc consenserint, & dictante iustitia iudicauerint. Valete.

* al. Tebaldi.

* al Tebaldo.

* pacis violatores excõmunicari solebant, vt epist. 61.

* al. exerere.

EPISTOLA CCLXXVI.

Paschali summo Pontifici, patri & domino suo Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, debitum & deuotum obedientiæ famulatum.

QVoniam sedes Apostolica omnium piè pulsantium necessitatibus occurrit, ab omnibus filiis suis tribulationem patientibus tanquam ad materna viscera consolationis concurritur, vt ab ea lac paruulis, solidus cibus adultis, pro cuiusque necessitate ministretur. Vnde Eboracensis Ecclesia in partibus occidentis posita, diu pastore desolata, tam per filios quàm per familiares suos ad aures matris suæ piè pulsat, vt in tribulatione posita maternæ misericordiæ viscera inueniat. Elegit enim prætaxata Ecclesia venerabilem virum nomine Tustinum * in Archiepiscopum: qui quantum ad personam pertinet, continentis est vitæ & honestæ famæ, & vtilis, quantum humana conscientia de alterius vita potest iudicare sanctæ Dei Ecclesiæ. Huius consecratio studiosè dilata est, propter indebitam consuetudinem, & contra eiusdem Ecclesiæ priuilegia, quæ exigit ab eo Cantuariensis Ecclesia. Sed quia paternæ discretionis est Ecclesiarum contentiones sedare, & pacem inter eas reformare; quamuis ex abundanti facere videamur, paternitati vestræ tamen supplicamus, vt prædictæ Ecclesiæ ius suum defendatis, & manentibus in sua stabilitate apostolicis priuilegiis electum eiusdem Ecclesiæ, in ea dignitate ad quam vocatus est, prout dignus est paternè confirmetis. Valete.

* fortasse Turstinum, vel Turstanum. vide not.

EPISTOLA CCLXXVII.

*Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister * Adelberto Cenomanensis Ecclesiæ electo, sinceræ dilectionis munus.*

QVoniam secundùm verba Sapientiæ, *meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis*; moneo fraternitatem tuam, vt verba mea non grauiter accipias,

* ita habent duo antiqui codices, non Hildeberto. ita ms. c.

Prou. 27.

licèt aliquantulùm caustica & mordacia: quoniam intendunt correptioni non criminationi; purgationi * non inuectioni. Placet equidem mihi temporalis tua prouectio, si non sit ab æternitate deiectio, si non illud psalmistæ in te impleatur: *deiecisti eos, dum alleuarentur.* Audiui enim de te, quæ mihi sunt dolori & horrori. Quæ si vera sunt, non poteris populo præbere regimen, sed augere discrimen. Dicunt enim quidam de maioribus Cenomanensis Ecclesiæ, qui anteactam vitam tuam se nosse testantur, quòd vltra modum laxaueris frena pudicitiæ: in tantum vt post acceptum Archidiaconatum accubante lateribus tuis plebe mulierculanum, multam genueris plebem puerorum & puellarum. Tu autem nosti, quòd probatæ debeat esse castitatis, qui sublimatur ad fastigium curæ pastoralis. Alioquin post sacrum ordinem lapsus, non solùm non debet ad maiorem gradum conscendere, sed nec in eo in quo lapsus est ordine ministrare. Vnde beatus Gregorius scribit Ianuario Episcopo Caralitano: *Qui post acceptum sacrum ordinem in peccato carnis lapsus fuerit, sacro ordine ita careat vt ad ministerium altaris vlteriùs non accedat.* Nosti etiam quòd qui in officium * pastoris assumitur, pro peccatis populorum Dei supplicaturus, Dei & hominum mediator efficitur. Dicit autem beatus Gregorius in moralibus: *In grauibus peccatis quis positus, dum suis premitur, aliena non diluit.* Idem in pastorali: *cunctis liquet, quia cùm is qui displicet, ad intercedendum mittitur, proculdubio irati animus ad deteriora prouocatur.* Addunt quoque huic calumniæ prætaxatæ personæ, quòd nec earum consilio fueris electus, nec consensu. Quæ omnia si ita sunt, periculosa tibi sunt dilectissime frater, & infinitum laborem quantum æstimo paritura. Vnde consule tibi secundùm testimonium conscientiæ tuæ: vt vel honestè & cautè cœpta perficias, vel saluti tuæ consulens sponte ipse * deficias. Iocundus enim debet esse defectus, in quo salutis speratur effectus. Vale, & de me quantum de amico per omnia iusta & honesta confide.

*al. non impugnationi.

Psal. 72.

Can. peruenit dist. 50.

* in similem sententiam præclarè Pet. Bles. epist. 15. ad comitem electum in Episc. Carnot.

* idem consulit Rogerio epist. 29.

EPISTOLA CCLXXVIII.

Roberto Dei gratia Lincholiensis Ecclesiæ Episcopo, Iuo eadem gratia Ecclesiæ Carnotensis Minister, assumptis pennis columbæ in extremis maris habitare.

QVanto de remotiori prouincia vicinior fuit vestræ munificentiæ paruitatis nostræ memoria, tanto amplior à nobis eidem dilectioni referenda est gratia, quæ memoriam humilitatis nostræ nullo merito nostro præcedente pura mente concepit, & operis exhibitione probauit. Vnde si quia nobis diuinitus collata est gratia, quæ vtilis esse possit aut vobis aut vestris, quod voce promit affectus Deo donante in rei exhibitione probabit effectus. Si ergo aliquod seruitium nostrum placet beniuolentiæ vestræ, per alumnos vestros apud nos morantes, quos tam pro sua honestate quàm pro vestra caritate diligimus, nobis scribite, vt illis mediantibus voluntati vestræ pro viribus satisfaciamus, & caritatis vestræ affectum circa nos * artiùs astringamus. Interim autem mutuas orationum manus nobis inuicem porrigamus: quatinus emenso procelloso huius vitæ salo, in tuto æternitatis portu sedem collocare mereamur. Valete.

* sic v. c. pro arctius.

EPISTOLA CCLXXIX.

Lisiardo Dei gratia Suessionensi Episcopo, Iuo eadem gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister, discretionis & misericordiæ visceribus abundare.

PRæsentium portitor litterarum ad nos veniens vulnus suum tanquam medico detexit, sed medicinæ remedium tanquam per nos minimè curandus non accepit. Dedimus tamen ei consilium, qualis ei vtilis esset medicina, & à quo salubriter expetenda. Obiecit itaque verbis meis se hoc totum fecisse, & à paternitate vestra secundùm regularem disciplinam se modum pœnitentiæ expetisse: sed impediente quorundam simultate se inuenisse non remedium curationis, sed seueritatem sectionis. Vnde supplico dilectioni vestræ, quatinus aut eum in Ecclesia cum regularis disciplinæ satisfactione recepi iubeatis, aut ei in alia regulari Ecclesia Deo militandi licentiam impetretis. Non enim conueniens est, vt ouis * ab ouili suo expulsa luporum faucibus exponatur, & nimia seueritate afflicta, abundantiori tristitia absorbeatur. Recogitandus est nobis ille bonus pastor, qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm percuteretur, non comminabatur; sed patientiam suam proponebat nobis in exemplum, cuius vita * nobis proposita est ad eruditionem morum. Ad cuius ouile minimè pertinebit, qui formæ vitæ eius imprimi contempserit. Quòd si tanquam ouem morbidam eum abiiciendum iudicatis, quæ totum gregem contaminet, diligenter examinanda est vobis vita eius & conuersatio ne viuentem * mortificetis, aut mortuum viuere æstimetis. Sed quia non est meum aut Mineruæ sapientiam instruere, aut Mercurij facundiam exornare, summa est petitionis meæ: quatinus sic ex misericordia iudicium temperetis, vt nec iudicium conterat, nec misericordia insolentiam pariat.

* idem locus epist. 272.

* vt epist. 272.

* alludit ad loc. Ezech. cap. 13.

EPISTOLA CCLXXX.

Lesiardo Dei gratia Suessionensium Episcopo, Iuo eadem gratia humilis Carnotensis Ecclesiæ Minister, super oues sibi commissas pastorali vigilare custodia.

ARchidiaconus vester filius domni Niuelonis Petrofungensis ad nos veniens cum quibusdam honestis fratribus diligenter consuluit paruitatem nostram, qualiter consultis legibus liberare posset sororem suam de infamia quam ei odiosè objicit Suessionensis Comes maritus suus. Quibus auditis visum est mihi quòd non eam iudiciario ordine pulsat, nec ad legitimam purgationem prouocat. Dicunt enim instituta legum Nouellarum, quas commendat & seruat Romana Ecclesia, non priùs ad pœnam tradendum vel esse conuictum, quem maritus suspectum habet, quòd velit illudere pudori vxoris suæ, nisi per tres idoneos testes eum ter contestatus fuerit, vt nullum familiare colloquium habeat cum vxore sua in domo sua vel aliena. Quod postquam factum fuerit, si eos de cætero cum tri-

Iustinianus Nouel. 117. vt liceat marito & auiæ, cap. 15.

bus idoneis testibus colloquentes in priuato loco inuenerit, tunc primùm potest eos vel ad iudicium prouocare, vel pœnam debitam inferre. Alioquin de côiecturis aliquem reum fieri, nec leges mundanæ concedunt nec diuinæ: & benè nouit prudentia vestra quia inoffensus debet esse affectus accusatorum & testium, vt nihil per simultatem fiat, nec ipse accusator inde reprehensibilis sit vnde alium accusat. Quòd vero Comes eam ad examinationem ferri candentis prouocat, * quia hoc eam sponte obtulisse testatur, vel ad monomachiam, leges ecclesiasticæ potiùs hoc prohibent quàm iubent. Vnde Stephanus Luitberto Episcopo Mogontino: *Ferri candentis vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent canones: & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. Spontanea enim confessione vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini iudicare: occulta verò & incognita, illius sunt iudicio reseruanda, qui solus nouit corda filiorum hominum.* Inde etiam dicit Nicolaus Papa: *Monomachiam verò in lege non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus. quam licet quosdam inisse legamus, sicut sanctum Dauid & Goliam sacra prodit historia; nusquam tamen vt pro lege teneatur alicubi diuina sanxit auctoritas, cùm hoc & huiusmodi sectantes Deum solummodo tentare videantur.* His & huiusmodi sententiis liquet, quia prædictus Comes non potest vxorem suam nisi legitimo testium numero de adulterio conuincere, præsertim cui nec caritatem coniugij exhibuit, vel vix debitum coniugij reddidit. Possem multa in hunc modum rescribere; sed quia scienti legem scribo, puto ista sufficere. Vale.

** confer ep. 252.*

Citat iam epist. 205.

Nicolaus I. epist. 50. ad Carolum regem, tom. 3. epist. summorum Pontif.

EPISTOLA CCLXXXI.

Ex vet. scheda.

Anselo Dei gratia Beluacensi Episcopo Iuo humilis Carnotensium Episcopus salutem.

AVdiuimus quia canonici S. Petri Beluacensis inferunt calumniam canonicis B. Quintini, qui illam terram absque omni contradictione possederunt tempore domni Widonis Episcopi prædecessoris vestri, & subsequentium Episcoporum vsque ad tempora vestra. Sciatis quòd si certum & conueniens tempus præscriptum fuerit, in quo vobis in Capitulo vestro possim me præsentare, paratus sum alicui vice mea facto, probare quòd ego interfui Capitulo canonicorum vestrorum, & vidi & audiui quia ipsi concesserunt canonicis supradictæ ecclesiæ terram de qua locutus sum, perpetuo iure quietè possidendam, nullo contradicente. Videte ergo ne temporibus vestris ecclesia paupercula possessionibus suis minuatur, non faciente iustitiam ad quem ecclesiasticarum rerum gubernatio peruenit Dei prouidentia: ne nos & alij eiusdem ecclesiæ amatores cogamur illas sibi iniurias ad maiorem audientiam deferre. Valete.

EPISTOLA CCLXXXII.

** Iuo Ecclesiæ Carnotensis Minister.*

* * * *

Hæc epistola est absque inscriptione in MS. C. in quo est 213.

** sic conceptus titulus in vett. codd. sed non est propriè epistolæ, vt nec quatuor quæ sequuntur. ideò in calcem libri rejectæ.*

CVm ea quæ Xenodochiis, Procotrophiis vel aliis religiosis domibus deuotio fidelium pro redemptione animarum suarum dare consueuit, ad sustentationem eorum qui ibi * commorantur, non iam in humanis rebus computanda sunt, quia Dei sunt, oportet rectores ecclesiarum vt ea tanquam diuina patrimonia in defensionem Ecclesiæ suscipiant, & exerto gladio spiritus peruasores eorum & distractores tanquam Dei contemptores canonica seueritate ferire non differant. Quod ego Iuo Ecclesiæ Carnotẽsis Minister pio affectu considerans, omnia quæ * Ptocotrophio quod situm est in Castroduno * propè Ecclesiam beatæ Mariæ Magdalenæ à fidelibus collata sunt, vel in futurum Deo donante conferenda sunt, in tuitionem sanctæ Carnotensis ecclesiæ & nostram paternè suscipimus, & peruasores eorum atque distractores ante tribunal æterni Iudicis terribiliter condemnandos esse denuntiamus, & in hac temporali ecclesia, sine cuius communione ad illam æternam perueniri non potest, eos à corpore & sanguine Domini & eiusdem ecclesiæ communione sequestramus, donec resipuerint, & Christi patrimonium reformare humili satisfactione studuerint. Conseruantibus autem & idem Christi patrimonium amplificantibus benedictio & pax à Domino Iesu Christo, qui cum diues esset pro nobis pauper & infirmus factus est, vt nos ditaret sua paupertate, & sanaret sua infirmitate.

Horum mentio in l. 19. & 20. de sacros. eccles. c. anteà, procot.

** confer cum epist. 183.*

Adde l. 18. c. de sacros. eccles.

** al. procot.*

** duo v. c. Castrodumo.*

EPISTOLA CCLXXXIII.

Iuo Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis Minister.

* * * *

In ms. c nullus est titulus: sed in margine habetur; Priuilegium Turonensis Abbatis & est inter epist. 250.

Coniunge epist. 282.

CVm de ea quæ religiosis locis deuotio fidelium pro redemptione animarum suarum dare consueuit, ad sustentationem eorum qui ibi commorantur, non iam in humanis rebus computanda sunt, quia Dei sunt, oportet rectores ecclesiarum, vt ea tanquam diuina patrimonia in defensionem Ecclesiæ suscipiant, & exerto gladio spiritus peruasores eorum & distractores tanquam Dei contemptores, canonica seueritate ferire non differant. Quod ego Iuo Carnotẽsis Ecclesiæ humilis Minister pio affectu considerans, præsentis scripturæ monumẽto notum facio omnibus orthodoxis Ecclesiæ filiis tam præsentibus quàm futuris, quòd Rotrocus nobilis & strenuus Mauritaniæ Comes humilitatis nostræ præsentiam adierit, postulans vt consecraremus cuiusdam Cœnobij cœmeterium, quod situm est super fluuium qui Tiron vocatur, ad vsum quorundam religiosorum monachorum, qui in eodẽ loco Eremiticiam vitam ducere elegerant, & monasterium ibi pro loci & temporis opportunitate construxerant. Nos itaque tanti viri piæ petitioni assensum præbentes, prætaxatum locum in vsum cœmeterij, ea duntaxat conditione consecrauimus, vt nulla ibi de cætero secularis potestas aliquas seculares consuetudines accipiat, nullas exactiones extorqueat. Cui conditioni prætaxatus Comes benignè assentiens, rem cumulatiùs quàm peteretur, exhibuit: prædictæ libertati addens, vt quicquid de feudo eius eidem loco concederetur, eadem immunitate potiretur. Nos igitur ad conseruandam tranquillitatem seruorum Dei, prædictum locum cum appendiciis eius ad petitionem prædicti Comitis in tuitionẽ sanctæ

Carnotensis Ecclesiæ & nostram paternè suscipimus, & peruasores eorum atque distractores ante tribunal æterni Iudicis terribiliter condemnandos esse denuntiamus, & in hac temporali Ecclesia, sine cuius communione ad illam æternam perueniri non potest, eos à corpore & sanguine Christi & eiusdem Ecclesiæ communione sequestramus, donec resipuerint, & Christi patrimonium reformare humili satisfactione studuerint. Conseruantibus autem & idem Christi patrimonium amplificantibus benedictio & pax à Domino Iesu Christo, qui cum diues esset, pro nobis pauper & infirmus factus est, vt nos ditaret sua paupertate, & sanaret sua infirmitate.

2. Cor. 8.

EPISTOLA CCLXXXIV.

Ex tribus veteribus codicibus nunc primum editur.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister.

* * * *

QVoniam dispositiones rerum Ecclesiasticarum Episcopali curæ faciendas decretorum & canonum paginæ concedunt: oportet ipsos Episcopos vigilanter attendere, vt qualiscunque disceptatio sit inter homines vt fidelis quis inueniatur, ipsi sibi benè conscij pio affectu & sincero intuitu disponant quæ disponenda sunt; illis præcipuè manum extendentes, qui renunciauerunt mundi actibus, & nudam Christi crucem nudi secuti sunt. Si enim vt dicit regula patrum, ***exigente caritate Episcopus seruus est plebis non dominus:*** multo magis oportet vt eorum quibus mundus crucifixus est, minister sit & seruus. Quod ego Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister attendens notum facio cunctis Ecclesiæ fidelibus tam futuris quàm præsentibus, quòd vir religiosus * Bernerius Boneuallensis monasterij Abbas humilitatem nostram adierit supplicans, mediante Gauslino eiusdem loci Archidiacono, vt Ecclesiam beati Petri in Castroduhensi sitam, quam per pecunias à manu laïci occupauerant quidam clerici incircuncisi *, Boneuallensi monasterio concederemus. Cuius petitioni, quia saluti animarum conuenire mihi visa est, assensum præbens; præsente & concedente ipso laïco Odone nomine, qui eam hactenus occupauerat, prætaxatam Ecclesiam Boneuallensi monasterio concessimus eo tenore, vt clerici præbendas suas in vita habeant si castè vixerint, & in ipsa Ecclesia sicut decet Deo seruierint. Post obitum verò eorum vsibus suis monachi eas retineant, illis profuturas qui in eadem Ecclesia sub monastica religione Deo seruierint. Si autem præditi clerici criminaliter deliquerint, aut Ecclesiæ seruire noluerint, Episcopali iudicio ab Ecclesia eliminentur, & præbendæ vsibus monachorum mancipentur. Adiecimus etiam vt quicquid hactenus de casamento Carnotensis Ecclesiæ concessione possidentium & præsidentium per annum & diem quietè possederint, de cætero nostra concessione quietè possideant, saluo legum tramite & saluo in omnibus iure Carnotensis Ecclesiæ. Confirmamus etiam eis capellam sancti * Innocentij quæ Carnoti sita est iuxta portam cinerosam, quam dedit eis Hugo Vicecomes.

* *ad quem scribit epist. 226. & 269.*

* *sic loq. epist. & c. 7. Act.*

* *in vno v. c. Vincentij.*

EPISTOLA CCLXXXV.

Iuo Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Minister.

* * * *

Ex veteribus schedis nunc primum editur.

QVoniam dignum est commendari scripturæ quæ posterorum sunt transmittenda cognitioni & memoriæ: ego Iuo gratia Dei Carnotensis Ecclesiæ licet indignus Episcopus, cum consensu & astipulatione fratris nostri Odonis Archidiaconi præcepi in hac describi paginula quod de Ecclesia sancti Nigasij apud Mellentinum sita, in perpetua haberi volo notitia. Erat autem hæc Ecclesia sancti Nigasij à sæcularibus clericis per manū laïci, Comitis videlicet Melletensis intrantibus inhabitata & possessa, donec placuit domino Roberto Comiti Melletensi cum beneplacito clericorum in prædicta Ecclesia intitulatorum, ipsam Ecclesiam in meliores vsus commutare, & vt ibi Deo regulariter seruiretur elaborare. Tradidit itaq; ipse Comes Robertus cum consensu & beneplacito prædictorum clericorum illam Ecclesiam Sanctæ Mariæ Beccēsis monasterij, vt ab ipso monasterio secundùm quod opportunum sit, monachi in prædicta Ecclesia sancti Nigasij ordinentur, Deoque regulariter famulentur, hanc autem traditionem à præfato Roberto Comite factam, frater Guillelmus Beccensis Abbas cum quibusdam sui monasterij fratribus ad præsentiam nostram detulerunt, humiliter deprecantes vt noster assensus prædictam donationem corroboraret. Et quia digna videbatur eorum postulatio, saluo iure & reuerentia Carnotensis Ecclesiæ, illis sæpedictam sancti Nigasij Ecclesiam concessimus, vt ibi monachos ordinent qui Deo regulariter seruiant, & per librum * ipsam Ecclesiam fratri Guillelmo Beccensi Abbati dedimus, præsente & assensum dante fratre nostro Odone Archidiacono, præsentibus quoque Hilduino Cantore, Ansello Cancellario, Ernoldo Archidiacono, Guaslino Præposito, Geraldo Capellano.

* *libro porrecto fiebat inuestitura, vt epist. 182.*

EPISTOLA CCLXXXVI.

Non est epist. sed instrumentū fundationis monast. S. Ioan. in valle Carnot.

Ex vett. charta eccles. S. Ioan. Valiacensis nunc primùm editur.

* * * *

QVia summi patris ineffabili misericordia disponente pastoralem curam licet indigni & peccatores suscepimus, vt assidua cordis vigilantia communi vtilitati & saluti animarum diligenter prouidere studeamus, & vt in vespera nummum recepturi, dominicæ vineæ circumquaque propagines extendamus, superna gratia* nostram illustrante, & verò dilecto nostro quasi per compunctionis foramen * manum promotionis & auxilij ad nos extendente, sæpè & multum cogitauimus, & cogitantes inuestigauimus, qualiter in hac vrbe vel in suburbio aliquam haberemus Ecclesiam, in qua deuota fidelium concio deuotam & Deo dignam canonicam ageret vitam. Nunc igitur tandem saluatoris nostri Iesu Christi magna & inexplicabilis benignitas, quæ benè clamantibus respondere, dignè pulsantibus nouit aperire, desideriorum nostrorum diutius non differens efficaciam, B. Ioannis Varliacensis Ecclesiam, locum scilicet opportunum, & tam sacris institutionibus aptissimum, vt pote à populari strepitu ciuitatis aliquantisper sepo-

* *mentem.*
* *alludit ad verba Cantic. cap. 5.*

* vide epist. 91. sepositum, nobis obtulit, * & corda quorundam fratrum loci eiusdem beneficia non satis ecclesiasticè tenentium sic illustrando præparauit, vt secundum Apostolum, mente excedentes non iam sibi, sed Deo velint viuere, & fieri aliquod initium Dei creaturæ. Ego * autem Iuo S. Dei matris Ecclesiæ Carnotensis Dei gratia Episcopus, communi consilio & assensu totius Capituli primatumque nostrorum, in prætexata S. Ioannis Ecclesia canonicos tales esse decreui, qui proprietate posthabita canonicam habeant vitam iuxta B. Augustini institutionem. Et quoniam sine temporalis boni sustentaculo intenti * nequeunt esse diuino seruitio: illis quæ anteà possidebant ad victus stipendia superaddidimus præbendæ vnius cuiusque fratris de congregatione nostra defuncti, siue * monachilem vel canonicalem habitum suscipientis, seu Ierusolymam; vel in heremum proficiscentis, si præbendam dimiserit, vel sæculo renunciantis, vel metu mortis seu infirmitate, vel pro malo introitu præbendam suam dimittentis, totos reditus per integrum annum, vt in singulis diebus vnius integri anni Missas celebrent pro anima fratris cum defunctus fuerit. Concedimus etiam vt Ecclesia B. Ioannis in Ecclesia B. Mariæ perpetualiter habeat præbendam, quam habebat Abbas Albertus cum canonicam susciperet normam. Dedimus & Ecclesiam B. Stephani, & omnia ad eam pertinentia, altare scilicet de Morentiaco cum parte synodi ad altare pertinentis, nec non & Ecclesiam de Mundonis villa liberam à synodo & circada, & omni exactione: pariterque seruos & ancillas, & terras siue cultas, siue incultas. Concedimus etiam sanctæ fidis ecclesiam, & ecclesiam de Luciaco, & campipartem illius terræ quam antè possidebamus, & omnes consuetudines terræ B. Ioannis, illius scilicet villæ, & terram cum oblatis de Osaniuilla tam Episcopalem quàm Canonicalem. Terram etiam de Aucheriuilla concedimus. Super hæc dedimus iunioratum Ecclesiæ de Pontegodonis cum omnibus domibus nostris, & totam auenæ farraginem, & totam nostram terram vltra aquam eo tempore incultam, & furnum eiusdem villæ: decimam quoque molendinorum & vinearum. Confirmamus etiam donum altaris Ecclesiæ Serni factum à Goslino Canonico & Præposito sanctæ Mariæ, & donum Vigeriæ de Valeia, & totius terræ de Moncellis cum omnibus consuetudinibus, actum ab Hugone Vicedomino huius ciuitatis. Confirmamus quoque donum totius terræ Eddeuillæ cum omnibus consuetudinibus & feodis: nec non donum Ecclesiæ Ardueluth cum omnibus hospitibus, & cum terra ad duas carrucas. Vt autem hoc nostrum caritatis opus per succedētia tempora firmum ac stabile maneat, litterarum memoriæ tradi fecimus, & impressione sigilli nostri atque auctoritate & præsentia * Ioannis & Benedicti Dei gratia Cardinalium Apostolicæ sedis confirmatum, manibus quoque Canonicorum nostrorum cæterorumque fidelium dedimus confirmandum. Si quis ergo aliquam huic canonicæ institutioni calumniam inferre, vel aliud quid adnullare tentauerit, anathemate nostro percussus Deum sibi sentiet iratum: & nisi digna satisfactione culpam correxerit, pœnis infernalibus * deputetur. Præterea etiam constituimus, vt si fortè Abbas supradictæ Ecclesiæ defunctus fuerit, vel aliqua canonicali occasione * fratres sibi Abbatem de eadem congregatione vel alia aliqua regulari, si ibi idoneus inueniri non potuerit, eligant, & ad hanc electionem aliquos sani consilij sibi coniungant. Abbas autem electus in communi Capitulo B. Mariæ præsentetur, & ab Episcopo recipiat Abbatiam, & sicuti alij canonici in Ecclesia B. Mariæ suam faciat septimanam.

Ego Ioannes Cardinal. sanctæ Romanæ Ecclesiæ subscripsi.

Ego Benedictus gratia Dei sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. subscripsi.

Ego Iuo Dei gratia Carnotensis Episcopus subscripsi. A † ω. Signum Ernauldi Decani. Hilduni Cantoris, Guliel. Archidiac. Seranni Subdecani, Garini Succentoris. Ragibaldi Canonici, &c.

[Marginalia: * itaque. — * diuino. — * sic vet. scheda. — circada. — iunioratus Ecclesiæ. — * ad hunc scribit Iuo epist. 87. — * f. deputabitur. — * discesserit.]

EPISTOLA CCLXXXVII.

Iuo minimus Beluacensis beati Quintini presbyter, Haimerico bonæ spei fratri, quod piè pulsat sibi patenter aperiri.

Litteras fraternitatis tuæ nuper accepi: neque enim domi eram, quando ad Ecclesiam nostram perlatæ sunt, Lugdunum profectus occasione cuiusdam ecclesiastici negocij. Quærit autem in litteris illis fraternitas tua, vtrum Dominus noster Iesus Christus in cœna quam fecit cum discipulis ante passionem suam dederit eis corpus suum passibile, cùm nos illud de mensa altaris accipiamus impassibile. ad quam quæstionem si tibi respondeatur, discipulos Christi corpus tale accepisse quale tunc erat, nos verò tale accipere quale nunc est, non video quæ auctoritas contradicat, non video quæ rationis violentia me vrgeat: imò si aliter dicerem, repugnantem mihi viderem rationem & auctoritatem. Nam corpus illud quod tunc discipulis suis Dominus commendabat, adhuc fuisse passurum, nemo est qui abnuat; sicut tu ex auctoritate dominica in litteris tuis posuisti, *hoc corpus quod pro vobis tradetur.* Passibile autem fuisse quod passurum erat, quis deneget? Impassibile verò nunc esse quod sumimus, tu ipse bene ex auctoritate * Apostoli confirmasti, quòd Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quomodo enim si figulus daret mihi vas fictile ante fornacem crudum & infirmum, post fornacem verò redderet idem coctum & firmum & humanæ vtilitati commodum, quam vtilitatem habere non posset nisi coctum priùs esset: sic Christi corpus ante passionem quale erat datum est discipulis passibile, quod per passionem transiturum erat ad impassibilitatem. nec cuiquam profuisset ad salutem infirmitas illa passibilis corporis, nisi subsecuta fuisset glorificatio impassibilis & immortalis. Quomodo enim posset mihi dicere figulus, vas quod tibi do ante ignem inutile & infirmum, hoc statim reddam post ignem vtile * & firmum: ita Dominus noster Iesus Christus signanter dixit; hoc corpus quod pro vobis tradetur, accipite; & subsequenter adiunxit, *hoc facite.*

[Marginalia: * al. Apostolica. c. quia Rom. c. 6. — * al. & robustum. — Luc. 22.]

Hoc dixit, non aliud: alterum tamen futurum esse non negauit: quatinus relinqueret intellectui nostro, corpus quod de dominica mensa sumimus, eiusdem esse * substantiæ, quod exemplo suæ transfigurationis & documento suæ auctoritatis præsignauerat suis discipulis futurum esse alterius gloriæ. Nec prætereundum est ad huius rei discutionem, quòd cùm dixisset, *hoc facite*, addidit, *in meam commemorationem*. Quæ autem sit illa commemoratio, beatus Apostolus exponit dicens: Quotiescunque enim panem Domini accipimus, & calicem eius bibimus, mortem Domini annunciamus donec veniat. Sicut ergo impassibilis corporis assumptio, dominicæ mortis præteritæ est commemoratio: sic passibilis illius corporis acceptio, eiusdē dominicæ mortis adhuc futuræ fuit prænuntiatio. Nec refert quale tunc acceptum fuerit vel modò accipiatur, sed qua vtilitate acceptum sit vel accipiatur. Et cum vtriusque acceptionis vnus finis reperiatur, de qualitate rei quæ sumitur, omnis dubitatio sopiatur. Sicut enim cùm esurio panis meus qualis sit non exquiro, mollis an durus, frigidus an calidus: vinum quoque meum cùm sitio, non curo * sapa sit an carenum: sed hoc attendo, vt ruinas ventris reficiat, & indigentiæ meæ satisfaciat: sic Christi corpus qualecunque sumptum sit à discipulis, vel nunc sumatur à Christicolis, nil mea interest; tantùm vtilitati satisfaciat propter quam statutum est à Domino, vt illud populus fidelis accipiat. Item dixisti te hærere in quibusdam verbis beati Augustini * conantis determinare verba Domini duodecim Apostolos instruentis qui remanserant, septuaginta fermè retrò abeuntibus. sunt autem hæc verba: *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, neque bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt illi qui me crucifigent. Quod sic conuenienter intelligi potest, quia ipsum est, & non ipsum. Ipsum quidem materiali essentia, sed non visibili forma. Vnde & subditur: & si necesse est illud visibiliter celebrari, necesse est tamen inuisibiliter intelligi.* Ipsi enim qui recesserunt, putabant quòd carnes Domini viuentis bestiali more essent in frusta scissuri, & aut elixas * vel assas in verubus comesturi. Quod si nollent, non possent eius esse discipuli. Nos autem sic immolatum Christum manducamus & bibimus, vt integrum eum ad dexteram patris manere credamus. Et cùm semel in distinctione membrorum suorum, in manifestatione corporis sui se obtulerit hostiam viuentem, passibilem & mortalem; cotidie tamen sub velamento panis & vini à sancta Ecclesia immolatur, & non in partes scissum neque cruentum corpus eius fidelium ore percipitur. & hoc est quod dicitur, *non hoc corpus quod videtis manducaturi estis*. Neque enim quod de altari sumimus, beatus Augustinus verum corpus esse negaret, qui hoc in plerisque tractatuum suorum locis euidenter affirmat. Vnde dicit in quodam sermone de verbis Euangelij: *Quod videtis in altari panis est & calix, quod etiam oculi renuntiant: quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus, calix est sanguis.* Et interpositis quibusdam: *Quomodo panis est corpus, vel quod habet calix quomodo est sanguis? Ista fratres ideò dicuntur sacramenta, quia aliud videtur, aliud intelligitur.* Idem in sermone ad Neophytos: *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce. hoc accipite in calice, quod manauit de Christi latere.* De hac item inuisibili corporis Christi assumptione dicit Eusebius Emissenus: *Cùm reuerendum altare cibis spiritualibus * satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, manu cordis suscipe, & maximè totum haustu interioris hominis assume.* Possem quidem de scripturis in hanc sententiam * plura colligere, sed nunc ista sufficiant fraternitati tuæ. Vale.

Margin notes: * quidam, essentiæ. — * in vno v. c. sapidum sit an acidum. quod glosam blet. — * epist. ad Hireneum & in ca. non hoc, dist. 2. de consecrat. — * quidam sed. aut assas in ver. comessuri. — * homel. 5. & in ca. quia corpus de consec. dist. 2. — al. plurima.

* * * * *

EGo Iuo Carnotensis Episcopus & Walterius Archidiaconus notum fieri volumus tam posteris quàm præsentibus quòd Vvillelmus Abbas sancti Martini maioris monasterij cum quibusdam monachis suis nostram adiit præsentiam, humiliter implorans quatenus Ecclesiæ beati Martini concederemus Ecclesiam de Hanchis quam Paganus beatæ Mariæ Carnotensis canonicus tenebat. prædictus verò Paganus ibi veniens in manu nostra præfatam Ecclesiam absolutè dimisit. nos autem donni Vuillelmi Abbatis & monachorum eius precibus diligenter aurem accommodantes, saluo iure Ecclesiæ nostræ, petitioni eorum gratanter annuimus, & supradictam Ecclesiam sicut Paganus eam tenebat, eis habendam & possidendam concessimus, ipso Pagano intercedente & concedente & fratribus eius Raherio, Goscelino, Guarino, Amarico concedentibus. idem verò Raherius frater Pagani qui Ecclesiæ decimam laïcali vsurpatione tenebat, minutas in præsentiarum monachis dimittendo concessit decimas, & decimam de culturis monachorum eis concessit habendam post sui discessum. In hoc quoque dono capellam de Hiduiphi ponte cum ea parte terræ & aquæ quam eis præsens dimisit, eis perpetuo concessit habendam. nos etiam sicut præsentialiter nominatim monachis tribuebatur annuimus: ita etiam totum quod in futuro à prædictis fratribus & ab aliis ibi aliquid habentibus promittebatur nominatim habendum caritatiuè concessimus. hæc autem sunt quæ promissa sunt, scilicet terra duorū boum & hospitia cum arpennis terræ. huius verò doni concessio facta est anno ab Incarnatione millesimo c. xiiij. his præsentibus quorum nomina subterscripsimus. ex parte Episcopi & Archidiaconi fuit Raimbaldus Vindocinensis Archidiaconus. Ausgerus Blesensis Archidiaconus, Gualerannus Canonicus, Rainaldus eius Clericus, Bernerius regularis Canonicus, Radulphus reg. Canonicus Episcopi Camerarius. ex parte verò Abbatis Vuillelmus Prior, Petrus Laidet, Gilo & eius filius, Gilduinus Hugo hospitalarius de famulis Analdus Camerarius, Paganus Camerarius, Landricus famulus Prioris, Gaucelimus, Petrus Burdo, Hubertus Mainbodus.

Margin note: Ex vet. schedà Petauij.

REVERENDISSIMO PATRI ET DOMNO O. DEI GRATIA ABBATI MAIORIS MONASTERII

ſanctoque & in Chriſti caritate iuncto Conuentui * H. Pontiniacenſis, & * B. Claræuallenſis, ſpiritu ambulare, & quærere ſemper non pigrè faciem Dei Iacob.

is eſt Hugo de Pontiniaco ad quem extat S. Bernardi ep. 33.

** Bernardus, qui cũ dicto Hugone ſcribit ad Honorium Papam epiſt. 46. & 49.*



CAritas, fratres, nos admonet ſcribere ad vos & pro vobis & quòd longè à vobis abſumus, ſed locis, non animis. Porro animos facilè in eandem * veſtræ fraternitatis vnanimitatem conflauit. * fragrans vbique odor ſuauiſſimus famoſiſſimæ ſanctitatis. Cæterum ab heri & nudiuſtertius modicè intra nos turbatum dolemus tantæ ſerenitatis participium. Subitò nempe oborto nubilo famæ ſubtriſtioris, haud dubium quin à facie aquilonis operuit confuſio facies noſtras, quod de vobis tam inſolitum, tam veſtro nomini diſſonum audiremus. Formidantes igitur iam iamque grauiter periclitari & famam veſtram, & noſtram pro vobis gloriam, ſi non ſermo qui exiit velociùs euanuerit flatu ſecundiori: fraterna curamus ſollicitudine his litteris veſtram commonere reuerentiam de celeri correptione ſuper malo quod in dies diuulgare non parcit fama volans. Miramur ſanè aliquos veſtrum (abſit enim vt omnes ſuſpicemur) tanta vel ſimplicitate deceptos, vel cupiditate cæcos, vt celeberrimo nomini non parcentes, vnius altaris pauculos * reditus orbis gloriæ præferant. Non oportet fratres, non oportet vllis æſtimare temporalibus lucris teſtimonium, quod vobis ab antiquo, imò ab initio ab his quoque qui foris ſunt, conuerſationis merito conquiſiſtis. Sed forſan dicitis: nos nemini iniuriam facimus, tenemus noſtra, parati ſi quis ex aduerſo eſt, ſubire iudicium. Rectè. Sed quid ſi alius reſponderit & dixerit, hoc ipſum delictum eſt in vobis quòd cauſas habetis, quare non magis fraudem patimini? Quid ſi legerit & alius? *ſi quis abſtulerit tua, ne repetas. Quinimo percutienti in dextram maxillam, prabe & alteram: auferenti tunicam, prabe & pallium.* Et hæc vobis hiſque ſimilia obiiceremus, niſi quod corrigere vos quàm confundere malumus. Hoc autem dicimus, tutius eſſe omni Chriſtiano & maximè monacho poſſidere quippiam minus in pace quàm cum lite amplius. Sic quippe canitis: *melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas.* Quid quod de altari contenditur, & hoc aduerſus filios Leui, id eſt, aduerſus clericos? Clericorum eſt altari deſeruire, & de altario viuere. Nobis noſtra profeſſio & antiquorum monachorum exempla victum ex propriis præſcribunt laboribus, & non ex ſanctuario Dei. Huc accedit, quòd eidem Eccleſiæ de qua præſens diſceptatio eſt, clerici ſoli deſeruiunt, voſque cum illis partimini beneficium, cum quibus non exhibetis obſequium. Paulus clamat pro clericis, imò ante ipſum Moyſes: *non alligabis os boui trituranti.* Item: *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Aut quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* vos autem per contrarium conuenimus. Qua audacia, ô monachi, præſumitis ſeu vinum de vinea quam non plantaſtis, ſeu lac de grege quem non paſcitis? Quo pacto ibi exigitis vbi nihil exhibetis? Certè ſi ita vultis *, baptizate naſcentes ſepelite morientes, viſitate iacentes, copulate nubentes, inſtruite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contemnentes, abſoluite reſipiſcentes, reconciliate pœnitentes: & in medio denique Eccleſiæ aperiat os ſuum monachus, cuius officium eſt ſedere & tacere. Sic fortaſſe dignum ſe probabit mercenarius mercede ſua. Alioquin inuidioſum admodum eſt, velle metere vbi non ſeminaueris. Sed & colligere quod alius ſparſerit, etiam iniurioſum. Eſto tamen: Liceat & hoc ex dono * Epiſcopi, nec vlla iam reputetur iniuria, quum canonica excuſat inueſtitura. Cæterum de pacto veſtro quid facitis? Siquidem canonicis reclamantibus & cauſantibus de iniuria, placuiſſe tandem vobis, niſi fallimur, non negabitis cauſam veſtram poni in manu Carnotenſis Epiſcopi ſimul * Comitis T. vt quicquid pari vtriuſque conſenſu pro lite dirimenda definiretur, vtraque pars irrefragabiliter teneretis, optimè planè & conſultiſſimè. Tales quippe electi ſunt mediatores, de quorum ſatis non ſolùm probata æquitate, ſed & priuata, vt benè nouimus, familiaritate confiditis. Quod igitur viri boni & ipſi amici veſtri ſuper reformanda pace concorditer, nec dubium quin & fideliter definierint, quare vos iuxta conditum quod præceſſerat non tenetis? An idcirco non fideliter egiſſe putantur, quia videtur nec æqua commutatio quæſtus vtique maioris ad minorem? Sic prorſus videtur, ſed quærenti quæ ſua ſunt, ſed ei qui pluris æſtimat nummos quàm amicos, pecuniam quàm iuſtitiam, ac terrenam poſſeſſionem ſuper fraternam dilectionem. Si de mundo fuiſſetis, & mundus quod ſuum erat diligeret, tam non mirum quàm ne inſolitum videretur. Nunc verò filij lucis & pacis, luci tenebras, paci res præferunt temporales. Tales profecto deplorat prophetica lamentatio, *& qui*, inquiens, *nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* meritò, aiunt, nolumus tenere concor-

** anteà noſtræ.*
** auteà, flans.*
** al. redditus.*
Matth. 5.
Pſal. 36.
Deut. 25. 1. Cor. 9. & 1. Timot. 5.
** monachis hæc olim prohibita. ca. placuit. cum ſeq. cau. 16. q. 1.*
** vt in can. peruenit. cau. 16. q. 1. cõiunge quæ dicit Iuo epiſt. 192. de decimis monachorũ.*
** fortaſſe Theobaldi vel Thebaldi ad quem ſcribit S. Bernard epiſt. 37. 38. & ſeqq.*
Thren. 4.

diam, in qua pars nostra grauari cognoscitur. Quid si pars altera grauari videretur? tunc prorsus tunc æqua & iusta concordia iudicaretur. Veruntamen hoc ante pactum cautum esse debuit. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Nunc autem lex pacti iam commodum non considerat, sed condictum. Quid ad hæc dicitis, qui contradicitis? qui dum nos fingitis consultores, proditis turbatores, tergiuersatores, præuaricatores. Aut negate pactum, aut implete. Quid enim, an non negatis quidem conuentionem, sed causamini circumuentionem, culpamque refertis in Episcopum quasi non egerit simpliciter vobiscum, sed cum astu & dolo vos ceperit, & induxerit in eandem cuius vos modò pœnitet pactionem. Dicere potestis, sed mirum cui persuadere, mirum si vos vel ita suspicari. Nequaquam, inquiunt: sed non debet stare quod absque nostro consilio factum est, hoc est sine assensu totius capituli. Quid? quod Abbas statuerit cum consilio seniorum, stare non debet, si non omnes consenseritis? Itáne in * regula vestra manifestam super hoc sententiam aut non attenditis, aut contemnitis? Mandat siquidem vt fratres ad consilium vocati, singuli sic respondeant quod senserint, quatinus defendere non præsumant quod responderint: sed Abbas auditis singulorum sententiis quam potissimum ipse elegerit, ei omnes sine contradictione acquiescant. Si ergo in quibuscunque disponendis præeminet auctoritas Abbatis, regula item præscribente, quia in Abbatis arbitrio pendet omnis ordinatio monasterij, patet quòd inobedientes vos ac rebelles esse probatis, qui pactum quod Abbas formauit, contra eius voluntatem labefactare conamini. Nisi fortè & ipse in corde locutus est, vt quod palàm per se ædificauit, clam per suos destruat, & sic præuaricatorem se quoque constituat. Quod quidem absit vt credamus. Nam de optimo viro id tantùm suspicari, pessimum est. Non nos sanè latet scrupulus nonnullorum, qui plus quàm oportet iusti, nodum in scirpo quærebant, dum absque simonia istiusmodi commutationes inter Ecclesias posse fieri non putarent. Sed de hoc, vt arbitramur, vobis vtique curiosiùs sciscitantibus catholicorum & eruditorum virorum responsionibus satisfactum est: aut si quominus, in promptu est etiam nunc ex auctoritate canonum affirmare, quòd fas sit de rebus Ecclesiasticis fieri permutationes, prout Ecclesiis videbitur expedire. Hæc aduersus illos qui se de his quorum sua nihil interest, præsumptuosiùs intromittentes semper parati sunt iniuriam concitare.

* Reg. S. Bened. cap.

* * * *





FR. IVRETVS BENEVOLO LECTORI S A L.



ANTE annos viginti quatuor Iuonis Carnotensis Epistolæ è tenebris erutæ in lucem prodierant auspiciis Petri Pithoei Iurisconsulti, maximi viri, & propensissimi animi in Rempublicam litterariam, cuius singulari beneficio plerasque integriores habueram. Cum autem exemplaria primæ editionis pridem desiderarentur, & de recudendis typographus vrgeret, effectum est vt perquisitis atque inuicem accuratè collatis compluribus vetustioribus membranis, liber redderetur melior & auctior. superior quidem editio laborabat lacunis, pluriumque epistolarum ordo confusus atque præposterus erat, quando posteriores aliquot litteræ Paschali inscriptæ ante vertebant nonnullas quæ ad Vrbanum emissæ sunt: cum tamen series temporum palàm euincat Vrbano successisse Paschalem. Alia eiusdem generis sigillatim commemorare nihil attinet, quæ mutua collatione facilè clarescent, quamuis ea parte nondum planè mihi satisfecerim. illa verò perturbata series, non sine priscorum codicum ductu mutata & restituta fuit: quemadmodum etiam eorum fide lineæ & dictiones toto opere interiectæ sunt. Ægrè autem ferendum ex tot antiquis membranis nullas hactenus repertas quæ suis numeris vndique absolutæ viderentur. aliæ enim plures epistolas complectebantur, aliæ pauciores, easque mendis sæpè scatentes. præterea diffidebant in ordine, vt inde argumentum elici possit, non fuisse primitùs digestas ab ipsomet auctore, sed post eius obitum à studiosis hinc inde collectas. solum exemplar Bibliothecæ Regiæ distinctum erat in decem libros, quam partitionem cæteri codices minimè agnoscunt: neque valdè necessaria. Adiuuerunt operam manuscriptis communicatis multiplici ac recondita eruditione celeberrimi togati Iac. Augustus Thuanus Præses, Ludouicus Seruinus Aduocatus Regis in suprema Curia, & Nic. Faber: quorum claritudini nihil addit mea nimis ieiuna oratio. nec defuerunt membranæ cœnobiorum S. Victoris & S. Germani, item doctissimorum ornatissimorumque Puteanorum & Car. Labbæi. quicquid autem præstitum est (quod perexiguum esse sentio) si probabitur probis & candidis viris, minùs displicebit manum admouisse redintegrando operi Gallici antistitis, ex cuius lectione multa singularia discuntur, quæ à coætaneis scriptoribus non sunt prodita. quare Illustrissimus Cardinalis Baronius de Iuone meritò honorificè loquitur, quem modò *lucernam occidentalis orbis*, modò *decus & ornamentum ac fulgorem Ecclesiæ Gallicanæ* nuncupat: cuius varias epistolas postremis suis annalibus Ecclesiasticis inseruit, è quorum fontibus hausit complura obseruatione scituque digna. quid enim moramur iniquos rerum æstimatores, qui ob pauculas voces minùs latinas aut elegantes, temerè existimant priscos scriptores explodi debere, & ab eorum lectione abstinendum prorsus? quasi verò non sit peruolutandum omne genus auctorum homini qui rerum cognitione delectatur, & mauult mentem quàm linguam instruere. Cæterum non licuit hoc obseruationum libro ea omnia complecti quæ animo conceperam, quoniam intercurrentia negotia litterali studio contraria coëgerunt aures aliò diuidere. satius igitur fuerit alienæ diligentiæ potiora relinqui. Absit enim vt inuidere aut calumniari velim, si quis hæc & similia quæ olim attigimus, reddiderit meliora. Argumenta verò in priore editione adfixa fronti epistolarum, hîc prætermissa volui, quia desunt in quibusdam codicibus calamo exaratis; in aliis variant, cùm olim vniuscuiusque arbitratu componerentur. deinde superflua videntur, quia faciliùs repeti possunt ex indice rerum ac verborum. Benè vale & his fruere.

OBSERVATIONES
AD IVONIS CARNOTENSIS EPISTOLAS.

AD EPIST. I.

A Gaufrido quondam Episcopo) idem Vrbanus epist. 2. ad Richerium, dicit Carnotensem Ecclesiam multas pro isto Gaufrido molestias sustinuisse, & plures querelas inde fuisse delatas ad apostolicam sedem. quod etiam probatur verbis Gregorij septimi, vbi appellatur Gotfredus, qui in aliis codicibus, Galfridus. Verba subjicere operæprecium est historiæ illustrandæ causa, ex Regesti lib. 5. epist. 17. *Gotfredus Carnotensis Episcopus, quia non innitatus, & absens iudicatus fuerat, Episcopali officio à nobis restitutus est, hoc quidem tenore, quod causa sua ante legatum nostrum debeat retractari atque diffiniri.* Eiusdem meminit lib. 9. epist. 15. ad H. Diensem Episcopum: quæ littera singularis Hugonem ibi significat, vt alij eiusdem Gregorij loci subindicant, itemque Iuo epist. 274. & Lisiardus in vita sancti Arnulphi Suessionensis Episcopi, cap. 26 qui meminere Hugonis Diensis Episcopi & legati Gregorij septimi. Illa igitur epistola 15. dicit Parisiensem Episcopum cum Carnotensi Episcopo Romam venisse, & clamorem fecisse quòd in Carnotensem Episcopum Hugo præiudicium fecisset, & non canonicè accusatum excommunicationis ac depositionis sententiæ subdidisset. Demum iubet vt iis interim Romæ expectare iussis, ipse aut veniat, aut nuncium mittat. Idem epist. 16. ad clerum & populum Carnotensem ait ipsum Gotfredum Episcopum se purgasse Romæ suspicione symoniacæ prauitatis, dato sacramento super corpus beati Petri. Tum monet proprio pastori obediant.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, clero & populo Carnotensis Ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem.

Quòd Episcopum vestrum tamdiu apud nos detinuimus, sciatis nos idcirco egisse, vt causam ipsius pleniter discutientes irretractabili fine concluderemus. Inde etiam litteris nostris ad legatum nostrum Episcopum Diensem directis mandauimus, vt aut ipse ad nos veniret, aut nuncium suum cum litteris huius negocij seriem continentibus nobis transmitteret. Verùm apicibus illius susceptis, reperimus eum aliquantulum à verbis auunculi huius, scilicet Parisiensis Episcopi dissentire. Sed diuersitatem ipsam diligentissimè perspicientes, cognouimus prælibatum negocium inuiolata iustitia, non incongruè cum misericordia posse tractari. Quapropter diuino freti auxilio, censuimus ne vlteriùs hunc falsi criminis tanta dilaniaret infamia, vt præsentialiter per sei & auunculum suum, dato supra sacratissimum corpus beati Petri Apostolorum principis iuramẽto se purgaret. non enim aut cuiuslibet personæ gratiam, aut lucri temporalis ardorem tantum valere credidimus, vt aliquis sanæ mentis vir, præsertim Episcopus, spreto diuini horrore iudicij vltrò periurium tam graue velit patrare. Quocirca dilectionem vestrã monentes, ex parte beati Petri vobis præcipimus, vt præfatum Episcopum vestrum paterna cum veneratione suscipiatis, eique debitum honorem deferentes, sicut pastori obediatis. Præterea Apostolica interdictione inhibemus, ne eum super illo simoniacæ infamationis, quo se purgauit, aliisue falsis criminibus deinceps agitari, neve ipsum, (sicut mos est quorundam, prælatos criminosis suspicionibus commaculare) vlteriùs iniustè sollicitari permittatis, sed eum vt præsignauimus, sicut patrem spiritualem venerantes, ostendatis vos & Apostolicis iussis obedientiam gerere, & vt Christianos oportet, animarum vestrarum curam habere. Sed cum Hugo legatus tunc temporis in Galliis degens obloqueretur facto Gregorij, Papa illum redarguit, & rescripsit absoluisse reum non sine ratione. Sic enim epist. 31. dicti lib. 9. ad Hugonem. *De Carnotensi Episcopo, vnde fraternitas tua submurmurare videtur, nosti quod dilectionis tuæ intuitu, longo eum tempore vnà cum Parisiensi Romæ tenuimus, vt aut ipse venires, aut ad comprobanda obiecta in eum capitula legatos & testes idoneos delegares. Quod cũ minimè feceris, iustitiæ necessitate coacti, de eius restitutione sancta Romana Ecclesia iudicio acquieuimus. Cui si superna pietas aliquando respirare concesserit, liquidò tua beatitudo intelligere poterit, eam multò irreprehensibiliùs hoc egisse, quàm te in matris tuæ iudicialem censuram manum reprehensionis extendisse. Decuerat quidem vos, & dignius videretur hac potiùs tempestate, vt has, inter quas patitur angustias, Dei vtique æmulatione, & conscientia bona tanquam filios suos consolationum sibi dulcia ministrare, quàm talia mandando, & talibus eam neniis implicando, dolorem super dolorem apponere, multiplicare pondera, non communicare ponderibus. Vale.*

Verùm mortuo Gregorio, cum postea Gaufridi crimina planè innotuissent apostolicæ sedi, & purgare se non valens virgam pastoralem & annullũ reddidisset: Vrbanus Gregorij successor, quia nullus dissimulandi locus supererat, eundem deposuit vt Iuonis scripta probant, qui appellat hunc caprum emissarium, & affirmat damnatum fuisse propter adulteria, periuria, & proditiones per omnem fermè latinam Ecclesiam publicatas, in epist. 8. ad Richerium. De eodem intelligit quod ait in fine epist. 6. pædagogum ab officio pastoris & nomine procul pulsum, iam non habere vnde lac & lanas ouium perditarum diripiat, nisi quòd in Normannia præposituram quandã Ecclesiæ Carnotensis sibi vsurpabat auxilio Comitis:

Animi vestri voluntatem praeuenientes &c. canonicè secundùm nostra monita elegistis.) Idem Vrbanus infrà epist. 21. ad Richerium, dicit se Carnotensibus dedisse licentiam eligendi hunc Iuonem: quemadmodum etiam ipsemet Iuo scribens ad Paschalem Papam epist. 104. testatur Galonem in Episcopum electum fuisse à clero Beluacensi, præcedente consilio eiusdem Papæ. Vnde colligitur tunc temporis cum eligendi essent antistites Galliæ, Romanos Pontifices solitos interuenire, & clero commendare quos existimarent sibi beneuolos atque profuturos.

Ad Epist. III.

Variat inscriptio in manuscriptis, sunt enim qui præferunt: *Commonitio Vrbani Papæ ad Iuonem Presbyterum Carnutensi Ecclesiæ consecratum Episcopum.* In aliis est, *edictum*, vel *dictum, quod dat Pontifex Episcopo cui benedicit.* apud Baronium tomo xi. Annal. *dictio siue oratio Vrbani Papæ ad Iuonem.*

Populus Carnotensis Ecclesiæ) ita meliùs ex nonnullis veteribus schedis, quàm vt antea, *populus ciuitatis illius.*

Absque morbo vel macula) expressa est lectio omnium nostrorum codicum. idem Bar. edidit, *absque morbo & mancha*, simulque in ora addita varietas *macula*: dubium an illud *mancha* sit ex aliquo prisco exemplari.

Ad Epist. IV.

Ex caritatis affectu) sic constanti scriptura in vett. codd. nisi quòd in paucis, *Karitatis*. malè in vulgatis aliorum autorum editionibus inueterata sed erronea consuetudine passim cuditur cum aspirationibus nota, quod hic semel monuisse sufficiet, ne quis sine causa factum putet.

Domnum Gauterium) quidam codex, *donnum*. vox est mediæ ætatis, frequens scriptoribus Ecclesiasticis, vnde etiam domnionis nomen S. Hieronymo deformatum fuisse volunt, & domnulæ Saluiano Massil. in epist. vide notata infrà ad epist. 28.

Ad Epist. V.

Ex vtraque linea descendens, nobilitatem generis) veteres appellabant hanc nobilitatem, æquam prosapiam, vt Cyprianus in vita S. Cæsarij. *Sanctus ac beatissimus Cæsarius Arelatensis Episcopus, territorij Cabilonensis fertur fuisse indigena. Cuius parentes æqua prosapia, quod est illustre & præcipuum nobilitatis exemplum, præ cunctis ciuibus suis fide & moribus floruerunt.* vbi fallitur editor putans locum mendosum esse, & adnotans pro *æqua*, legendum *egregia*.

Ad Epist. VI.

Sicut Lugduni) Est vetus exemplar, in quo scriptum *Lucduni*, quod nonnulli probant à Lucij Planci nomine, qui eam Vrbem incendio consumptam in melius restaurauit. Sed alij prisci authores à luce deductum nomen voluerunt; qua in sententia Hericus Benedictinus Monachus lib. 4. de vita S. Germani Autissiodorensis. *in Lugdunenses aquis processibus arces vexit Arar, Rodano sese sub mœnibus abdens. Lucduno celebrant Gallorum famine nomen impositum quondam, quòd sit mons lucidus idem.* contra nebulæ Lugdunenses, & dies matutina caligine obstructi vix meridiano feruore reserari exprobrantur Sidonio Apollinari, cui amicus gratulatur quòd aliquando videat Solem, quem bibitor ararıcus raro aspexerat, lib. 1. epist. 8.

Ad Epist. VII.

Roscellino) ita in nostris vett. codd. scriptum, à neotericis quibusdam dicitur *Rozelinus*, vel *Rucelinus*. Vetustus & anonymus historicus in fragmento historico Francorum à Roberto ad mortem Philippi primi. *In dialectica quoque hi potentes extiterunt sophistæ, Ioannes qui eandem artem sophisticam vocalem esse disseruit, Robertus Parisiacensis, Roscelinus Compendiensis, Arnulfus Laudunensis.* Auentinus lib. 6. annal. Boiorum. *his quoque temporibus fuisse reperio Rucelinus Britannum, magistrum Petri Abelardi noui lycæi conditorem, qui primus scientiam vocum siue dictionum instituit, nouam philosophandi viam inuenit. Eo namque auctore duo Aristotelicorum, Peripateticorum genera esse cœperunt: vnum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod scientiam rerum sibi vendicat, quamobrem reales vocantur. alterum nouum quod eam distrahit, nominales ideò nuncupati, quòd auari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videntur esse assertores. In hisce duobus generibus discidium & bellum ciuile est. Illius Thomas, Aquinas Italus & Ioannes Duns Scotus, huius* Willelmus *Occomensis Anglus antesignani*, &c. Iuo quidem subindicat hunc Roscelinum insanas suas sententias super quibusdam Christianæ fidei articulis defendisse, sed non exprimit quales illæ fuerint. Verùm id illustrari potest verbis Anselmi Abbatis Becci qui tunc florebat, ham scribens ad Fulconem Beluacensem Episcopum, (cuius verba profero ex manuscripto exemplari quia nondum edita fuerāt.) *Audio, quod tamen absque dubietate credere non possum, quia Roscelinus clericus dicit in Deo tres personas, esse tres res ab inuicem separatas, sicut sunt tres Angeli, ita tamen vt vna sit voluntas & potestas, aut Patrem & Spiritum sanctum esse incarnatum, & tres Deos verè posse dici, si vsus admitteret, in qua sententia asserit venerabilis memoriæ Archiepiscopum Lanfrancū fuisse, & me esse. Quapropter dictū est, Concilium à venerabili Remensi Archiepiscopo Rainaldo colligendum esse in proximo. quoniam ergo puto reuerentiam vestram ibi præsentem futuram, volo vt instructa sit quid pro me respondere debeat, si ratio exegerit.* Et paulo post addit, *quicunque blasphemiam quam suprà posui me audisse à Roscelino dici pro veritate asseruerit, siue homo, siue angelus, anathema est, & confirmando dicam, quandiu in hac perstiterit pertinacia, anathema sit, omnino enim Christianus non est*, &c. Quæ verba faciunt ad interpretationem alterius loci eiusdem Anselmi posteà facti Cantuariensis Archiepiscopi, qui scribens ad Vrbanum Papam, refert se cum in Becci monasterio esset Abbas, præsumptam fuisse à quondam clerico in Francia talem assertionem. si in Deo tres sunt personæ, vna tantum res, & non sunt tres res: ergo Patrem cum Spiritu sancto cum Filio esse Incarnatum. Et paulo post addit, illum in concilio à venerabili Remensi Archiepiscopo Rainaldo errorem suū abiurasse. audisse tamen posteà præfatæ nouitatis authorem in sua perseuerantem sententia dicere, se non aliud abiu- V. Bar. ad an. 1094. N. 28.

rasse quod dicebat, nisi quia à populo interfici timebat. hac igitur causa Anselmum scripsisse librum de Incarnatione Verbi. Vbi non exprimit Concilij locum. Sed ex hac Iuonis epistola palam est intelligi debere de Suessionensi.

Ethici tractatoris) superior editio, *ethnici*, vt habent pauci codices, & ad oram adnotata varietas, *ethici*, quæ postrema lectio sequenda, quam plures & meliores libri manu exarati referunt. pro *tractatoris* autem, malè quidam vetus, *tractatoris*. tractatorem enim accipit pro auctore, vt aliquoties solent prisci scriptores. S. Hieronymus aduersus Heluidium. *quæ non solùm omnes penè Græciæ tractatores in suis voluminibus reliquerunt.* S. Augustinus libro de speculo. *diuinorum librorum veterum & nouorum catholici tractatores hoc intenderunt.* Cassiodorus in præfatione lib. 1. de diu. lectio. *tractatores vobis doctissimos indicasse sufficiat.* Sidonius Apollinaris lib. 2. epist. 9. de Origene loquens. *sermocinabamur cur à quibusdam prothomystarum tanquam scaeuus cauendusque tractator improbaretur.* Alcimus Auitus lib. de virginitate ad sororem. *quin & veridici quæ plurima tractatores exposuere suis mysteria digna libellis, hæc tu cuncta tenens animo sitiente bibisti.* Nicolaus Papa primus epist. 42. *si enim ipsorum decreto, cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur.*

Palinodiam scribas) malè vetus codex S. Germ. *palidoniam*, & alter, *Psalmodiam*.

Diligi & colligi) irrepserat in prima editione, *& coli*, sed omnes manuscripti habent rectiùs, *& colligi*. Simili notione id verbi positum epist. 65. *vt eum materna pietate colligatis.* & epist. 159. *eadem frequenter colligit materna pietate.* & epist. 160. *intra ouile à quo aberrauerat colligatis.* item epist. 253. *pius colligit mansuetudine.* Anselmus Abbas Becci epist ad Henricum. *intra gregem in quo lactatus & nutritus est omninò recolligi cupit.* Cæterum Bar. tomo 12. Annal. postquam hanc transcripsit epistolam, addit huc vsque Iuonis epistolam absque salutatione præmissam, vel consuetam bonam beneualendi in fine ipsius imprecationem appositam, quòd ad hæreticum scriberet. sed sanè in aliquot membranis plures sunt Iuonis epistolæ ad alios scriptæ etiam non hæreticos, in quarum calce similis precatio abest, vt negligentia potiùs librarij fuisse videri possit, quàm authoris voluntas.

Ad Epist. VIII.

Richerio Dei gratia Senonensi Archiepiscopo) Baronius tomo xi. Annal. ait constanti animo redargutum fuisse Richerium ab Iuone, qui literas istas sapientia plenas rescripserit: ex quarum tantùm titulo & salutatione instrui ac resipiscere, si saperet, valuisset.

Prostratus quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis) in tribus vetustis exemplaribus scriptum compendiosè, *quisque*, quod valet *quisque* vt in codd. Remensi S. Vict. & S. Germ. codex Regius habet, *quisquis*, in lib. Seru. *quicumque*. Vetustiores dixerunt quisque pro quisquis, quod plerique non obseruantes, sæpè mutarunt & corruperunt in authoribus contra fidem priscarum membranarum. antiqua inscriptio. *quisque hoc monumentum siue vendiderit, siue donationis causa dederit, inferet.* Æsopus manuscriptus inuita Alexandri. *quisque te consulerit, veridicentia tua nonrefragatur.* S. Hylarius in fragmento de synodis. *Sed, quisque hæc delata non damnat, necesse est eorum sese studiis socium profiteatur.* Tertulianus in carmine de Iona. *Tu quoque, quisque tibi Deus est, dic vota precesque.* Vetus & incertus poëta in epitaphio. *quisque legis doleas deuites talia fata.* Rutilius libro 1. itinerarij, *vt bonus esse velit quisque disertus erit.* Paulinus quoque de vita S. Martini lib. 1. *Tu quisque legens tam vilia temnis carmina, dum verba irrides, mirabere facta.*

Cumque clericis petentibus & pulsantibus nullum diem consecrationis meæ velletis præfigere.) Vrbanus supra epist. 2. huic Richerio pariter obiicit quòd licet ipsomet Papa flagitante, tamen Iuoni manum imponere recusasset. In generali autem synodo sub Innocentio secundo Romæ celebrata, cap. 28. relato in ca. obeuntibus. dist. 63. prohibitum fuerat vltra tres menses vacare Ecclesiam. Leo quoque Papa in epist. 82. ad Anastasium Episcopum, iusserat nihil moræ aut difficultatis adferre in ordinatione Episcopi ritè celebranda, ne gregibus Domini diutius deesset cura pastorum, quod etiam relatum in ca. de persona. dist. 65. Sed & Stephanus Papa olim rescripserat Gualberto Patriarchæ, vt desineret cuiuspiam zelo protelare Lintuardum Cumensis Ecclesiæ Antistitem, qui fuerat electus à clero, & expetitus à populo, minatus si protelaret, & interim electus Romam veniret, ab ipso Papa fore consecrandum: quod se facturum adiicit, quia prærogatiua apostolica possit de qualibet Ecclesia clericum ordinare, quamuis nolit alicuius Ecclesiæ priuilegium infringere. qui locus integer refertur ab Iuone decreti parte 5. cap. 13, & decurtatus ab eodem epist. 61. & à Gratiano in ca. nunc verò, cau. 9. q. 3. Sed & Gregorius septimus in simili causa Episcopi Carnotensis, hunc Richerium pridem admonuerat, vt caueret moras adhibere in ordinando illo qui canonicè fuerat electus in Episcopum, interminatus priuationem honoris. Extant enim in Registro litteræ, lib. 4. epist. 15.

Gregorius Episcopus S. S. D. Richerio Senonensi Archiepiscopo & Coëpiscopis suffraganeis eius excepto eo qui interdictus est, salutem & Apost. bened. Non ignorare credimus fraternitatem vestram, quibus de causis Robertum monachum aliquando dictum Carnotensem Episcopum, ab Episcopali sede & officio, canonica & apostolica censura priuauit: quamquam adhuc eandem sedem ad confusionem suam contra sacramentum, quod supra corpus beati Petri Apostolorum principis fecit, occupare non desinit. Verùm quoniam Ecclesiam illam, canonicam electionem in aliquam idoneam personam facere admonuimus, admonemus & vos, vt eidem electioni, eam quam oportet, aut per vos, aut per idoneos nuncios vestros diligentiam adhibentes, quem electum canonicè cognoueritis, & manus imponere, & in Episcopum consecrare nulla occasione recusetis: scientes quoniam si illud timore, aut gratia cuiusquam prætermiseritis, nos tamen inordinatum eum nullatenus relinquemus, & vos eo honore & dignitate, quam ignobiliter deserere non erubescitis, deinceps indignos fore iudicabimus. Facilis igitur excusatio, si Richerio malè affecto & tergiuersante, ac nolente suo munere fungi, Iuo Romam profectus à Papa consecratus fuerit. Fauebat

enim Richerius Gaufrido exauctorato & discincto ab eodem Vrbano propter sua crimina, infatuatus nimirum consilio Parisiensis Episcopi, & duorum parilis vecordiæ Episcoporum, si verum est quod scribit Iuo ad Vrbanum epist. 12. quem sanè mentitum non arbitror. negari autem non potest quin auctor, si quis alius eo sæculo, canonicæ litteraturæ fuerit peritissimus, qui nihil tale aggressus vel passus fuisset, si vetusti canones repugnassent. Hæc obiter adnotata sunt, quia nonnulli proximè reprehenderunt factum Iuonis, & scripserunt peccasse in iura Gallicanæ Ecclesiæ quæ molitus fuerit transferre in manum Pontificis Romani: quemadmodum (inquiunt) eodem tempore Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, Papæ omnimodis addictissimus, totis viribus conabatur spoliare Regem Angliæ iure regalium. Sed longè diuersa ratio vtriusque: Anselmus enim Anglia excedens vel exulans, & Romæ vt plurimùm degens, tandem pertinaci studio effecit vt Rex Angliæ (à quo Archiepiscopatum habuerat) discederet ab inueterata consuetudine inuestiendi Episcopos sui regni. quod Iuonem tentasse nusquam legitur, qui suo Regi plurimùm detulit, & inuestituras Ecclesiarum à principibus factas maluit sustinere concordiæ publicæ gratia, quàm scismati causam præbere, & aduersus regem insurgere, vt ostenditur epist. 60. Sed & leuis suspicio, voluisse priuare suum metropolitanum Senonensem debito iure consecrandi: quia passim inculcat, sua iura singulis Ecclesiis illibata seruari oportere, nec transcendi debere patrum terminos; quemadmodum liquet ex disputatione aduersus Archiepiscopum Lugdunensem, Papæ legatum, epist. 60. & epist. 61. qua dicit exempla Episcoporum aliqua necessitate cogente à comprouincialibus non consecratorum, minimè tamen debere præiudicium facere legi & consuetudini communi. quin etiam epist. 13. profitetur se nolle interesse nuptiis Philippi Regis cum Bertreda, nisi Remensis Archiepiscopus earum sit consecrator & auctor, quoniam id competat iuri Ecclesiæ Remensis ex antiqua regni consuetudine, & apostolica auctoritate. Denique epist. 83. ad Episcopos Remensis diœcesis, scribit canonicæ auctoritatis ariete repellendos esse impetus metropolitani, qui in Ecclesiis comprouincialibus absque consensu Episcoporum qui eis præsunt, clericos iudicabat, vel ab officio suspendebat, & quicquid voluerat imperabat. Hæc si accuratè obseruassent Iuonis reprehensores, poterant minùs conqueri. Nulla autem causa est cur quis suspicetur ambitione motum fuisse, vt consecratus ab Vrbano liberiùs Episcopatu frueretur. Sæpius enim conqueritur sibi inuito & reluctanti nec tale quid cogitanti delatam fuisse dignitatem à Carnotensibus & Papa, epist. 25. & 289. qua quidem dicit parum abesse quin propterea maledictis Vrbanum persequatur. Cuius quidem dignitatis oneribus se obrui passim deplorat, & ad pristinam mentis tranquillitatem postliminio redire desiderat epist. 17.

Et inde cum virga pastorali à Rege mihi intrusa ad Ecclesiam Carnotensem adductus.) Huius virgæ meminit epist. 60. vbi dicit variis modis Ecclesias concedi solitas, manu, nutu, lingua, virga. Et epist. 236. ait multos reddidisse pastorales virgas. & paulopost, laïcum non tribuere rem sacramenti in datione atque acceptione virgæ. Alio loco pastoralem baculum appellat, nempe epist. 157. Osbernus in epistola manuscripta ad Anselmum Cantuar. Archiep. *Quid aut ad affectum dulcius, aut ad innocentiam præstantius, quàm te ante lectum ægrotantis violenter pertractum, dextram aliorum dextris impudenter de sinu extractam, sinistram ne sororem iuuaret fortiter retentam, virgam cæteris digitulis pertinaciter occlusis pollici atque indici crudeliter impactam, posthæc toto corpore è terra te eleuatum Episcopalibus brachis, ad Ecclesiam deportatum, ibique adhuc te reclamante & importunis minis obsistente, te Deum laudamus esse cantatum?* Otto Frisig. de gestis Friderici 1. lib. 2. cap. 6. scribit Episcopatum conferri ab Imperatore per sceptrum, & cap. 5. regna per gladium, & prouincias per vexillum. Hac autem virga significabatur potestas data Pontifici. Quibus affinitate rei adiici potest quod Sugerius Abbas in vita Ludouici Crassi & post eum continuator Aimoini hist. lib. 5. cap. 50. ait Ludouico Crasso Regi consecrato datum fuisse sceptrum & virgam, & per hæc Ecclesiarum defensionem. Honoris etiam signum illa fuit. Inde est quod in palatio regis Gotthorum, Cura palatij (is erat architectus) solebat incedere cum aurea virga, quemadmodum indicant verba Cassiodori variar. lib. 7. formula v. Paulus quoque diaconus de gest. Longobard. lib. 6, cap. 3. refert Felicem grammaticum adeò fuisse carum Regi Heriberto, vt ab illo donaretur baculo auro argentoque decorato. His coniungenda sunt quæ notantur ad epist. 1. 7. de baculo pastorali.

Ad Epist. XII.

Filio vteri vestri consulite) ita restitui secutus plures & castigatiores membranas. anteà cusum, *filio vestro consulite*. infrà hac eadem epist. vt iterum in inscriptione epist. 19. appellat se filium specialem Papæ Vrbani, vt pariter initio epist. 44. vterinum filium Romanæ Ecclesiæ. Eo significatu vocat Cardinales filios vterinos Papæ, epist. 53. Fridericus Imperator primus epist. ad Adrianum Pontificem apud Radeuicum lib. 2. cap. 16. *decentissimum est sanctam Romanam Ecclesiam, tanquam matrem omnium Ecclesiarum, filios, qui sunt fructus ventris, aggregare, & aggregatos ad decorem domus Dei per domos & familias distribuere; quibus etiam nostrum imperium, tanquam ab vtero & gremio matris nostræ progredientibus, debeat & velit congruum honorem impendere.*

Altaria à me redimere volunt sub nomine personæ) in nullo exemplari variat ista lectio. ætate Iuonis, hac de re sæpius actum in synodis Gallicanis. Nam in canone septimo synodi Claromontensis, anno Dom. 1094. mense Decembri, apud Baronium tomo x. *Vt altaria congregationibus canonicorum vel monachorum per personas data, mortuis personis libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta vel priuilegia confirmata.* Sed & in can. quæsitum. cau. 1. q. 3. referuntur verba concilij Aruernensis sub Vrbano Papa, in Galliis inoleuisse Ecclesias vel decimas (quas vulgò altaria nuncupabant) monasteriis datas vendi ab Episcopis, & redimi à monachis post mortem vel

mutationem clericorum, quos personas vocabant; quod ibi prohibitum saluo Episcoporum censu annuo. Vrbanus Papa in epistola ad Ingeliannum Episcopum Laudunensem. *Quanto familiarius ab Ecclesia Romana diligeris, tanto carius quos ipsa diligit, fouere debueras & amplecti. Idcirco ab infestatione fratrum beati Remigij fraternitas tua cesset, & altare quod in villa quæ Corbiniacus dicitur, ijdem fratres habuisse noscuntur eis restituat. Et si enim personas remouimus, non tamen antiquæ possessionis ius monasteriis abstulimus. In illa siquidem personarum mutatione auaritiæ renouatio, & Ecclesiasticarum rerum distractio contingebat. Porro altaria quæ per xl. seu xxx. annos monasteria possederunt, sicut in synodo constitutum est, immota eis permanere volumus. Nulla igitur de cætero eisdem fratribus de supradicto altari molestiam inferas, salua tua Episcopali iustitia.* Quę epistola extat in codice manuscripto Ant. Loiselli, & nondum, quod sciam, ab aliis edita fuerat. Ioannes Salesberiensis policratici lib. 7. cap. 17. *Vtique & insignis prudentiæ, si quis tot quocumque modo conquirit altaria, vt quasi ritu memphitico quotidianas hostias nouis possit altaribus immolare. nolunt tamen sacerdotio dominari, aut seruire altario qui de altario viuunt, ne vt populus arguit, dicam luxuriantur, sed personatus, quosdam introduxerunt, quorum iure ad alium onera, ad alium referantur emolumenta.* Huc etiam spectat quod scribit Goffridus Vindocinensis Abbas in epistola ad VI. Andegauensem Episcopum, qui se testatur interfuisse dicto Claromontensi Concilio, & interpretatur quid significet altarium redemptio. Sic igitur habent veteres membranæ. *Annunciastis, vt dicitur, Presbyteris vestris & personis Ecclesiæ vestræ, quòd Dominus Papa Vrbanus in Aruernensi Concilio præceperat, vt Episcopi annuum censum habeant à monachis pro redemptione altarium. Benè nouit prudentia vestra non esse bonum quod apostolica sinceritate disponitur, per contrarium prædicare. Bone domne, vos illi non adfuistis Concilio, & ego interfui, qui huius rei cognosco veritatem. Redemptionem Ecclesiarum quæ vulgari vocabulo altaria nuncupantur, beatus vir ille simoniacam prauitatem vocauit, & apostolica auctoritate damnauit. Illa tamen magica & simoniaca pecunia aliquando in triginta aliquando verò in quadraginta, aliquando etiam in sexaginta annis soluebatur Episcopis. Qui autem redemptionem altarium (quæ in pluribus annis non nisi semel per vicarios fieri solebat) hæresim vocauit, & condemnauit: sub nomine annui census pro redemptione vicariorum siue altarium annuam pecuniam extorquere dedocuit, non præcepit: immo omnia quæcunque Abbates & monachi in Ecclesiis sub redemptione vicariorum tenuerant, vt quietè deinceps, & sine cuiuslibet exactione pecuniæ possiderent, beatorum Petri & Pauli auctoritate firmauit. Nam si in pluribus annis non nisi semel vt dictum est, per vicarios pecunia pro altaribus dabatur Episcopis, & pecuniam ipsa apostolica auctoritate probatum sit simoniam esse, singulis annis Episcopis pro vicariis altarium pecuniam dare: quid est aliud quàm pro plurimorum annorum simonia, per annos singulos sub nomine annui census annuam simoniam exercere? non est hæc doctrina Christianæ fidei. sed exactio pessima quæ simoniam multiplicat, & sanctæ Ecclesiæ violat castitatem. Pecunia itaque pro Ecclesiis sub palliata cupiditate extorta, quæ redemptio altarium dicitur, ab apostolica sede damnata, siue per vicarios rariùs, siue pro vicariis frequentiùs, sub qualicumque nomine vel occasione extorqueatur, simoniaca prauitas esse, nulla ratione dubitatur. Illa tamen grauior quæ sæpiùs agitur. Quapropter illam specialiter Christianus Catholicus vitare, & Episcopus maximè detestari debet, ne fiat nouissimus error peior priore.* Idē in epist. ad G. apostolicæ sedis legatum, qua de Episcopo Andegauensi conqueritur. *Decretum illud,* inquit, *quod idem Dominus Papa Vrbanus in Aruernensi Concilio statuit contra symoniam, quæ sub nomine Vicariorum Dei fieri solebat ab Episcopis, annullare machinatur. Redemptionem etiam Ecclesiarum quæ in illo magno Concilio hæretica prauitas vocata est, ab apostolica sede damnata, licet in pluribus annis non nisi semel per vicarios fieret, nunc sub nomine annui census à simplicitate nostra extorquere conatur. Et quia ego & fratres nostri hoc esse scelus putamus, & ideò refutamus, diuinum Ecclesiis nostris interdixit officium.* Ex quibus pendet interpretatio verborum Gregorij septimi, lib. 4. epist. 7. ad Hugonē Diensem Episcopum. *Illud verò commune malum penè totius terræ, videlicet quòd altaria venduntur, & quod iste etiam in officio sui Archidiaconatus se fecisse non denegat, ne deinceps fiat, tam huic, quàm cæteris omnibus interdicito.* Loquitur autem de Gerardo Cameracensi, & de congreganda synodo Episcoporum Franciæ.

Ad Epist. XIII.

Nuptiis quas facere disponebat de Bertreda dicta coniuge Comitis Andegauensis.) veteres codices Iuonis Bertredam scriptum exhibent. sed in aliis auctoribus Bertrada appellari solet. Hanc Philippo nupsisse auctor indicat epist. 15. qui etiam variis locis suppresso nomine reginam dictam nuncupat, nempe epist. 66. & 68. de hac etiam agitur ad epist. 28. & 144.

Quoniam id competit iuri Ecclesiæ vestræ.) post tempora auctoris, quia res pendebat à Regum arbitrio, hac parte sæpè variatum est. Non enim semper Remis vel à Remensi Episcopo vxores Regum benedici & consecrati solebant. Chronologus Autissiodorensis ad annum Dom. 1154. *hoc anno Ludouicus Francorum Rex filiam Imperatoris Hispaniæ fœminam morum honestate præcipuam accepit in coniugem apud Aurelianis vrbem, ibique nuptiis quàm solemniter celebratis ab Hugone Senonensi Archiepiscopo vncta est in Reginam. Quod Sanson Remensis Archiepiscopus ægrè tulit, dicens sui esse iuris vbicumque fuerint Reges Francorum & Reginæ, eos à se consecrari debere: cùm hoc nec approbet ratio, nec suffragetur exemplum. Quodquidem Iuo Carnotensis, decretorum ac legum peritissimus in epistolis suis tàm rationibus astruit quàm exemplis, dicens, nullo vnquam scripto vel exemplo probari posse, Remensem Archiepiscopum, Regem Francorum extra Belgicam prouinciam vnxisse aut coronasse. Ac proinde cum eadem potestas sit cuiusque Metropolitani in metropoli sua, iniuriosum videtur si vnus in proprium ius ambiat vendicare, quod multorum constat esse commune.* Idem ad annum 1160. *Ipsoque anno mortua est Regina Franciæ, filia Imperatoris Hispaniæ, fœmina vitæ*

laudabilis, actibus clara, moribus perornata. Rex vero Ludouicus consilio procerum suorum accepit in coniugem filiam bonæ memoriæ venerabilis Comitis Theobaldi, quam postmodum prædictus Hugo Senonensis Archiepiscopus Parisius in Reginam vnxit, ipsamque cum domino suo Ludouico ipsa die præsentibus tribus Cardinalibus, Othone videlicet & Vilelmo Papiensi atque Henrico Pisano in Ecclesia B. Mariæ coronauit, & in eadem Ecclesia ipsis Cardinalibus & multis aliis præsentibus missæ officium solemniter celebrauit, quod factum valdè displicuit & Remensi Archiepiscopo, & eius Episcopis. Priscus scriptor in vita Ludouici Regis VIII. loquens de Margareta filia Comitis Prouinciæ, ad annum M. CCXXIV. *Hanc Rex apud Senonensem vrbem in vxorem ducens legitimam, vt Francorum dominam & Reginam à Gualtero ciuitatis Senonensis Archiepiscopo inungi & regali diademate fecit solemniter coronari.* Guillermus de Nangis in gestis Philippi tertij, quem audacem quidam cognominant, agens de Maria filia Henrici Ducis Brabantiæ ex filia Hugonis Ducis Burgundiæ, *Anno Domini* M. CCLXXV. *congregatis apud Parisios ferè totius regni Franciæ baronibus ac prælatis Maria Regina Franciæ fuit ibidem per manum Petri tunc Remensis Archiepiscopi solemniter coronata & vncta, sicut mos est Reginas Franciæ coronari.* Et paulo post. *Ibidem tunc Gillo Senonensis Archiepiscopus coram legato Romanæ curiæ domino Symone sanctæ Ceciliæ presbytero Cardinali qui præsens aderat, querimoniam detulit, dicens quòd in præiudicium Ecclesiæ suæ fuerat Regina in eodem loco à Remensi Archiepiscopo coronata. Quia sicut legitur in quadam epistola Iuonis quondam Episcopi Carnotensis, ad Episcopum sedis Belgicæ quæ est Remis, non pertinet extra prouinciam suam inunctio Regum, vel etiam Reginarum. Sed ex parte Regis sic allegatum fuit, quod non erat vnde posset conqueri Senonensis Archiepiscopus, quoniam capella Regis Parisiis exempta erat, & ideò ratione loci ad ipsum inunctio non spectabat.* Epistola autem Iuonis cuius illi scriptores meminerunt, illa est quæ in hac editione extat numero 189.

Ad Epist. XV.

Et vxorem vestram legitimam interuenisse diuortium.) Bertam appellat continuator Aimoini hist. Franc. lib. 5. cap. 50. *Rex Philippus suggestione diabolica Bertam Reginam repudiauit, & ei suam præsentiam subtrahens, ad castrum quod dicitur, Monsteriolum supra mare situm, quo illam dotauerat, eam destinauit.* Vetus & anonymus autor in fragmento historiæ à Roberto ad mortem Philippi. *Rex Philippus repudiata Berta matre Ludouici, accepit aliam coniugem Bertradam, &c.* Itaque videndum ne sit error in editione vulgata Lisiardi Episcopi Suessionensis, qui coætaneus Iuonis fuit, vbi Bertrada nuncupatur, non verò Berta; cuius verba proferenda sunt quia digna obseruatione. Ille igitur in vita sancti Arnulphi Episcopi Suessionensis, capite 18. commemorat prædictum illi fuisse ab Arnulpho vt tandem à Philippo marito extruderetur. *eo Abbate ocius instituto derepente aduolat supradictus ille Pontius, vesanus monastici ordinis temerator, ducens secum Reginam Bertradam, quæ authoritate regia Geraldum expelleret, & Pontium contra fas in sancti loci administrationem intruderet. id vbi resciuit Christi seruus Arnulfus, è cella egreditur, reginam furibundam blanditer appellat, submissè rogat, vt licet regina sit, memor tamen muliebris conditionis, memor diuinorum iudiciorum, contra leges Ecclesiasticas venire formidet, ab iniuria tanti viri verecundè sibi temperet. cum autem ea præ regio fastu & tumore viri sancti monita non admitteret, prophetico spiritu dixit ei: crede si lubet, ô regina fratri Arnulpho immò potiùs crede Spiritui sancto. Nam si tu fratrem Geraldum hinc eieceris, Deo vindice, tu quoque ante obitum tuum à regno extruderis, contemptaque & ærumnosa morieris. Eam viri Dei prophetiam, luce clarius est completam esse, quando omnes norunt, reginam illam post annos aliquot regis animum adeò offendisse, vt conciliari prorsus nollet, amotamque à regni consortio, & in pagum Pontium translatam, post diuturnam calamitatem illic plebeio more defunctam & sepultam.* Idem scriptor cap. 27. iterum Bertradam vocat, & illi prædictum fuisse ab eodem Arnulpho narrat nasciturum ex ipsa Ludouicum qui Philippo Francorum Regi succederet.

Vt Parisium cum vxore vestra veniam) ita superior editio, quæ lectio etiam extat in quibusdam manuscriptis libris vt Thuani, Loyselli & aliorum eamque alibi retinui. at complures libri vetusti vno consensu hoc loco habent, *Parisius*, quod licet videatur minus conuenire regulæ grammaticorum: tamen auctoris sæculo frequens erat eo nomine vti absolutè, quod infinitis propè exemplis probari potest, vt Vincentij Bellouacensis, Petri Blesensis, chronicorum &c. vetus scriptor in vita S. Philiberti Abbatis Gemmeticensis cap. 9. *inciderat quandoque discordia quadam cuius causa properè Parisius se contulit.* Sic habet v. c. Nic. Fabri. vbi editor mutauit, *Lutetiam se contulit.*

Ad Epist. XVI.

Opus est huic patrono) rex enim infestus erat Iuoni, quia nolebat approbare coniugium illius cum Bertreda pellice, vt indicat epist. 17.

Vt coniugium eius quod ante factum ratione resistente non laudastis) hinc elici volunt, regem, licet non dissoluto legitimo matrimonio vxoris Bertę, attamen duxisse Bertredam suam concubinam: postquam scilicet audentior factus est responso Rogerij Cardinalis & legati Papæ, qui Syluanectis consultus responderat posse pellicem licitè nubere suo adultero. quod probabile est, nam Iuo epist. 13. cæteros Episcopos admonet vt conuocati regalibus nuptiis se subtrahant. Nec futilis coniectura hunc legatum corruptum fuisse muneribus, quales illo tempore passim notantur in historiis. Nam & auctor eundem liberè reprehendit, quia soluerat anathematis vinculo Simonem Nielphensem, qui viuente coniuge adulteram superducebat, vt probat epist. 18.

Et iudicium comprouincialium Episcoporum) Bertholdus in rebus gestis Vrbani Papæ secundi, *anno M. XCIV. in Galliarum ciuitate quam vulgariter Ostionem dicunt, congregatum generale Concilium à venerando Hugone Lugdunensi Archiepiscopo, & sedis apostolicæ legato, cum Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus diuersarum prouinciarum xvij. Cal. Nouemb. in quo Concilio Rex Galliarum Philippus excom-*

municatus, eo quod viuente vxore sua alteram superinduxerit.

Ad Epist. XVII.

Caritas cleri) anteà cusum cum aspirationis nota, *charitas*, sed in antiquis exemplaribus, illa planè abest: quam etiam scripturam toto hoc opere retinui, quamuis aliter vulgò inualuerit.

Quia nuptiis eius dicto & scripto calumniam quam debui feci) in solo cod. Put. *quia initiis eius*, sed perperam. quod hîc debitam calumniam nuptiis facere dixit, alio loco dicit illicito coniugio contradicere, epist. 19. quaquidem agit de eisdem nuptiis Philippi Regis cum Bertrada. Calumniam igitur accipit in bonam partem: quomodo canonicam calumniam appellat epist. 268. Contra, peiore significatu, calumniosum coniugium nuncupat epist. 45. sæpè autem id verbi accipit pro iurgio, siue forensi lite vt epist. 76. *veniat ad Ecclesiam cui calumniam facit.* & epist. 179. *si quæ aduersus Ecclesiam calumnia est iustitiam habeatis.* item epist. 184. *laicorum aduersus Beluacensem Ecclesiam ortam esse calumniam.* & epist. 219. *ante metropolitanum calumnia eorum dilata.* rursus epist. 229. *si inde in parochiam nostram aliqua calumnia emerserit.* Arnulfus Episcopus Lexouiensis epist. 32. *nunciatur verò nobis te in Anglia nihil nisi lites & calumnias exercere.* In veteribus instrumentis seu chartis Ecclesiasticis innumera sunt huiusce sermonis exempla. sic calumniatorem pro actore siue petitore accipit Iuo epist. 212. & 241.

Ad Epist. XVIII.

Absens verò excepto) quidam cod. *tanquam præsens verò.* alius. *præsens verò spiritu exopto.*

Ad Epist. XIX.

Raro etiam canonicum pensum determinatis horis soluere praualemus.) quod hic pensum vocat, prisci quidam scriptores cursum appellabant. Cuius nominis ignorantia fecit vt nonnulli loci deprauati & interpollati fuerint, quod obiter notare non ingratum erit. (Bandomina de vita Radegundis Reginæ lib. 2. cap. 18. *stabat quandoque nocte ante cellulam suam, corde & ore cursum decantans.* Sic habet vetus codex Nic. Fabri. Sed qui edidit illum auctorem, de suo sensu substituit, *corde & ore preces canonicas decantans.* Idem effecit in Wandelberto diacono auctore vitæ S. Goaris. Nam quo loco idem vetus codex præfert. *videntes quòd quotidie ab ortu lucis, cum cursum suum haberet completum, & missas inde celebrans, posteà cum perigrinis & pauperibus qui ad se venissent caritatem faceret:* illemet editor obtrusit, *ab ortu lucis psalmodia laudes Christo persoluens & missas inde celebrans.* & mox, pro *caritatem faceret*, substituit, *pranderet.* Deinde vbi sequitur: *in Dei laudibus pernoctans, orta prima luce quod diebus agebat, cursu suo completo, Missarum solemnia exorsus implenit.* idem longiore verborum circuitu cudit, *quod diebus agebat, psalmodiæ & orationum vota Deo persoluere cœpit: tum demum vbi id peregit, missarum &c.* Sanè cum vitas sanctorum ex antiquis membranis in lucem ederet vir ille de Ecclesiastica historia optimè meritus, consultiùs fecisset si nihil mutasset. Sed vt ipsemet fatetur, sæpe verba & locutiones limauit & expoliuit, nulla tamen mentione facta veteris scripturæ. Quo factum est vt multæ prisci sæculi dictiones ignorentur, quæ antiquariis non ingrati forent, si nonnulli religiosiores fuissent in suis editionibus vetus etiam auctor in vita S. Eligij Episcopi Nouiomensis lib. 1. cap. 10. *diu noctuque in eius camera cum omni studio solemniter canonicum adimplere studebant cursum.* In cuius loci editione ad oram rectè scholiastes notat, canonici cursus nomine significari preces horarias siue canonicas. Quare proculdubio glossema est quod inculcauit cótextui lib. 2. cap. 21. vbi legitur. *quadam ex causa interdixit, ne cursus, id est, preces canonicæ & sacrificium celebrarentur in basilica quadam.* non enim ita scripsit autor. Cæterum quod Iuo conqueritur, ob infinitas publicorum negotiorum occupationes sibi vix licere statutis horis canonicum pensum absoluere, idem facit Hildebertus Cenomanensis Episcopus in quadam epist. *Occursant inimica spiritui meo negocia quæ me sibi totum vendicant, quæ secretum furantur orationum, quæ suis temporibus Ecclesiastica defraudant officia, &c* Quo referri potest quod alij recitant ex Petro Cluniacensi in epist. ad Desiderium Casinensem Abbatem de beato Seuerino Coloniensi Episcopo celebris famæ, scilicet post mortem apparuisse clerico ardentem & dixisse, nihil in se vltione plectendum præter hoc, quia dum in aula imperialibus consiliis implicaretur, canonicæ sinaxis officia per distincta horarum spatia non persoluerit. manè enim omnia coaceruans simul tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabat. Ob hanc itaque negligentiam horarum ardoris ferre supplicium. ea narratione quæ multis fabula videtur, potuit idem metuere Rogerius Episcopus Saresberiensis qui fuit à secretis Henrico primo Regi Anglorum Cancellarius, & mox Episcopus vir prudens & integerrimæ famæ. nam occupatus multis sæcularibus negotiis, inter hæc tamen Ecclesiastica officia non negligens quotidiè omnia manè honestè persoluere solebat, vt expeditiùs & tutiùs cæteris posset accedere, vti scribit Willelmus Malmesburiensis monachus de gestis Reg. Angl. lib. 5. Priscus autor in vita Sancti Huberti Episcopi Leodiensis. *Ipse consuetudo orationum operi constanter insistebat, sacrumque officium, septeno numero dicatum, antequàm lux diurna fieret, Domino persoluebat.* Innocentius Papa tertius in diplomate de sancto Homobono Cremonensi: *missa quoque officium & alias horas cum summa deuotione frequentans, ita assiduis orationibus insistebat, vt in certis horis aut incessanter oraret, aut horas ipsas aliquando praueniret: nisi fortè ipsum iusta causa in aliis operibus misericordia detineret.*

Totiens hoc facere conatus est quotiens.) ea scriptura v. c. anteà *toties*, & *quoties*: quod tamen etiam rectum est. in antiquis autem monumentis eadem scriptura frequens. veteres enim sæpè, N. inter E. & S. posuisse vt molliùs id proferrent, alij obseruarunt.

Ad Epist. XX.

Guerram se facturos.) Variant hîc codices. Puteani liber habet, *incendium se facturos.* Vnus manuscriptus Nic. Fabri, *Werram se facturos*, quæ scriptura aliis authorum locis occurrit. Abbas Vrspergensis in lege Frederici Imp.

Imp. *si liber homo ingenuus ministerialis velcuiuscunque conditionis fuerit, incendium commiserit pro vverra propria, pro amico, pro parente.* Vbi aliud exemplar habet, *pro guerra*, & in historia Anglica Matthæi Paridis in vita Willelmi secundi. *Vicinos vverris & exactionibus assiduis prouocabat.* Idem in vita Henrici primi. *vverra leges contra eum ferro simul & incendio constanter exercuit.* Vox minus latina sed vsitatissima authoris sæculo. infrà epist. 168. *aduersum se guerram facere.*

Ad Epist. XXIV.

Qua laudabiliter functus es tempore prædecessoris tui beatæ memoriæ Papæ Gregorij.) huius nominis septimi scilicet. vt constat ex eiusdem Gregorij epist. 30. & 32. lib. 9. Sigebertus quoque ad annum Dom. 1080. meminit Hugonis Lugdun. Archiep. & legati sub eodem Papa & ad annum 1098. notat eadem legatione functum sub Vrbano secundo, quem etiam intelligit Iuo epist. 30. & 109. licet illis locis nomen non exprimat. Willielmus Malmesburiensis lib. 1. de gestis Pontificum Anglorum. *Lugdunensis* (inquit) *Archiepiscopus Hugo legatus Apostolicus in Gallia, magni nominis & potentia, nec religionis egenus.* Petrus venerabilis Abbas Cluniac. lib. 1. mirac. c. 22. scribit hunc Hugonem multa morum probitate & religiosa conuersatione à Papa Vrbano cunctarum ferè Galliarum constitutum legatum. Cum tamen synodo indicta Placentiæ anno 1095. vocatus non venisset, & legatum cum canonica excusatione illuc pro se non direxisset, ab officio Archiepiscopi suspensus fuit à dicto Vrbano, vt refert Bertoldus in Chronico. Idem ad annum 1083. notat hunc Hugonem Episcopum Lugdunensem, Gregorio septimo necessarium fuisse. non mirum igitur si dictus Gregorius morti proximus hortatus fuerat Episcopos, vt eligerent illum in Pontificem Romanum, vt scribit Leo Marsicanus chron. Casinensis lib. 3. cap. 64. sed id frustra. Victor autem qui dicto Gregorio successit, hunc valdè reprehendit, quia pro fastu, & ambitione sedis apostolicæ ad quam inhiabat, dolis atque iniuriis aduersus ipsum ageret, à quo tamen postulauerat & acceperat legationem in partibus Galliarum. itaque Victor iussit ab illius communione abstineri, vt habetur dicti chron. lib. 4. cap. 71. Sanè in hoc Hugone fastum apostolicæ legationis reprehendit Iuo epist. 60. cui tamen legationem in Galliis deferendam scribit Paschali epist. 109.

Propter languidum caput.) subintelligit Vrbanum, qui tunc temporis conflictabatur cum Guiberto seu Wigberto Antipapa. vtriusque enim factio potens erat, & vi armata non sine horrenda & publica strage ciuium Romanorum suas partes tuebatur, modò in hanc partem, modò in alteram fortuna inclinante. quod clarè apparet ex chronico Bertoldi fautoris Vrbani, qui eius historiam per singulos annos digessit.

In regno Italico alter Achab) epist. 43. dicit regnum Italiæ iamdiu rebelle, tandem in conspectu Vrbani conticuisse.

In Gallico autem altera Iezabel.) subintelligit Bertredam pellicem infestissimam Iuoni, quia nolebat applaudere eius incesto adulterio seu matrimonio cum Rege. Ideo dicit in curia Philippi sibi non esse plenam securitatem ob sexum infidum epist. 28. & dictæ reginæ inimicitias aduersum se nulla ratione sedatas esse, epist. 50.

Ad Epist. XXV.

Specialis eius filius) ita restitutum est fide vett. codd. pro quo anteà irrepserat, *spiritualis*, nempe errore nato ex compendio scripturæ, qui næuus etiam apud Bar. Sed iam suprà epist. 12. correctum pariter, *speciali filio vestro mandate.* hoc sensu appellat se filium vteri Vrbani Papæ epist. 12. Ioannes Salesberiensis Policratici lib. 7. cap. 21. agens de hypocritis religiosis sui sæculi. *quo sibi plura impunè liceant, à iurisdictione omnium Ecclesiarum seipsos eximunt, & efficiuntur Romanæ Ecclesiæ filij speciales, ita tamen vt pro foro rei vbique conueniant, sed tamen conueniri non possint, nisi Romæ vel Hierosolymis.* Sic enim ibi rectissimè legunt primitiuæ editiones in aliis perperam cuditur, *filij spirituales.* Arnulfus Lexouiensis Episcopus epist. 12. *audita sanctæ Romanæ Ecclesiæ turbatione condolui: quia dolorem matris audire sine compassione non poteram filius specialis. mihi enim dolor ille specialiùs incumbebat quem ipsa semper hactenus tanta caritate dilexit, tanta familiaritate dignata est, tot beneficiis & honoribus illustrauit.* attamen constat complures extare epistolas Ioannis Papæ octaui ad reges emissas, quibus eos nuncupat spiritales filios, vt in tit. epist. 172. 186. 187. 192. 197. 199. sed alio sensu.

Iniuriarum aduersus eum agerem) sic castigatum fide v. c. malè anteà irrepserat, *iniuriam*, qui error etiam incubat editioni Baronij, qui hanc epistolam refert ad annum septimum pontificatus Vrbani.

De sola suspectione proscriptum) plærique libri habent, *suspicione.* malui tamen sequi quod exhibent optimæ membranæ Seruini, suspectione, quia minus tritum & obuium. Eadem vox interpolata multis auctorum locis, vt apud Aquilinum Gaium Vettium Iuuencum euangeliorum lib. 1. *nunquid ait Iudam talis suspectio tangit?* Ita enim nonnullæ editiones, pro quo in aliis, *suspicio.* Sed & in Paulini Nolani versu ad Ausonium. *ne qua vel à tacito contractam pectore nubem duceret infanctum suspectio falsa parentem.* alij mutarunt, *suspicio.* Terentius in Andria Act. 3. sc. 1. *qui isthæc tibi incidit suspectio?* Ennius apud Nonium. *seneriter suspectionem ferre falsam futilium est.*

Ad Epist. XXVIII.

Cum manu militum vobis die quam statueratis, occurrerem) etiam tempore belli, Episcopi regni Galliæ idem factitabant. quam in rem insignis locus in historia Rigordi in gestis anni XXII. Philippi Augusti. *Cum omnes Barones & Episcopi vocati ad hunc exercitum conuenissent apud Medontam, & misissent ad mandatum Regis homines suos prout debebant in expeditionem illam, Aurelianensis & Altisiodorensis Episcopi cum militibus suis ad propria sunt reuersi, dicentes, se non teneri ire vel mittere in exercitum nisi quando Rex ipse personaliter proficiscitur. Et cum nullo ad hoc priuilegio se tueri possent, generali consuetudine contra eos faciente, petiit Rex vt hoc emendarent. Ipsis autem emendare nolentibus, Rex eorum Regalia confiscauit, scilicet ea tantùm temporalia quæ ab eo feodaliter tenebant, decimas & alia spiritualia eis in pace dimittens. Ipse enim Rex Chistianissimus semper*

timebat offendere Ecclesiam Dei, & eius ministros. Ipsis ergo terram & homines Regis interdicentibus, & ad Romanam curiam mittentibus, & in proprijs personis accedentibus, domino Papa Innocentio tertio consuetudines & iura regni nolente infringere, aut in aliquo reuocare, emenda tandem facta, & Regi soluta, post duos annos recuperauerunt omnia quæ à Rege fuerant confiscata.

Domnus Papa Vrbanus) vnus v. c. *dominus.* obseruari potest in istis manuscriptis ferè semper domnum scribi cum agit de ecclesiasticis, cum de sæcularibus dominum. quod etsi leue, sileri tamen non debuit. Posterioribus enim sæculis vox domini visa est solius Dei propria, quam Tertullianus nolebat tribui Imperatoribus: & ex numero Cæsarum Paganorum fuerunt qui talem appellationem auersarentur, vt ab aliis pridem notatum. Itaque non rectè fecerunt nonnulli neoterici, qui domni vocem tanquam barbaram reiecerunt, vt illius nullum vestigium restaret. Exemplum est in editione Wandelberti diaconi in vita S. Goaris. *vt legati domni Episcopi nobiscum caritatem faciant: sunt enim in itinere.* Sic habent veteres membranæ. Sed dicto tomo 4. alius de suo capite substituit. *vt nobiscum legati nostri pontificis epulentur.* Et in lib. 2. Bandominæ de vita S. Radegundis Reginæ, cap. 5. *obtemperat Regi domnus Germanus, venit Pictauium, intrat in monasterium, in oratorio domnæ Mariæ.* Ille substituit. *obtemperat Regi vir Apostolicus Germanus.* & mox, *in oratorio beatæ Mariæ.* Et cap. 14. *ad oratorium domnæ Mariæ se contulit.* Idem edidit: *ad oratorium beatissimæ Mariæ Virginis se contulit.*

Thorum mulieris quam pro vxore habetis) addendus locus epist. 15. hac autem de re vetustus & anonymus auctor in fragmento historiæ Francorum à Roberto ad mortem Philippi Regis: *Rex Philippus repudiata Berta matre Ludouici accepit aliam coniugem Bertradam, filiam Simonis de Monteforti, quæ Fulconi Andegauensi Comiti nupserat, cui idem Rex eam abstulit, vnde multotiens à beatæ memoriæ Papa Vrbano admonitus, nequaquam consensit.* Vincentius Bellouacus speculi lib. 26. cap. 88. *hic Fulco habuit vxorem; quæ relicto eo, Philippo nupsit Regi Francorum: qui amore eius ita captus est vt illa sibi in omnibus imperaret; cum ipse omnibus alijs imperare cuperet: denique omnium digitis se notari, & ab omni orbe Christiano se excommunicari propter huius libidinem aliquantis annis passus est.* Sugerius Abbas in vita Ludouici Regis. *Deinceps* (ait) *in diem proficiente filio, pater eius Rex Philippus in diem deficiebat. Neque enim post superductam Andegauensem Comitissam quicquam Regia majestate dignum agebat; sed raptæ coniugis raptus concupiscentia, voluptati suæ satisfacere operam dabat. Vnde nec Reipublicæ prouidebat; nec proceri & elegantis corporis sanitati plus æquo remissus parcebat. Hoc vnum supererat, quod timore & amore successoris filij regni status vigebat.* Sic enim obiter ille locus suæ integritati restituendus est fide vet. cod. quia fœdè deprauata est scriptura in libro typis nuper excuso, cum Glabro, Helgaudo & nonnullis aliis. Hanc Bertradam posteà reiecit. Adde notas ad epist. 144.

A participatione dominici corporis & sanguinis.) hinc colligi volunt, tempore Iuonis laicos adhuc communicasse sub vtraque specie quò etiam spectant verba epist. 63. cum ait corpus & sanguinem Domini fidelibus populis salubriter administrari. Sugerius de Ludouico Crasso. *Cum autem cunctis admirantibus facta primum peccatorum confessione deuotissimè corpori & sanguini Iesu Christi communicasset.* Sanè apud Baronium tomo x. Annal. refertur diploma Vrbani Papæ secundi ad canonicos beati Martini Turonensis. *Si Ecclesiastica qualibet secularisue persona contra temerè venire tentauerit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri alienus fiat.* Idem ad annum Christi 1095. refert canonem 28. Concilij Claromontani sub eod. Vrbano. *Ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim, & sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem & cautelam.* Post quæ verba addit Baronius, id statutum ob recentem damnatam hæresim Berengarianam, quæ per vnam tantùm speciem satis esse impleri figuram dicebat.

Præterea casati Ecclesiæ.) constans scriptura in melioribus archetypis, solus enim codex Put. deprauata prisca dictione obtrudit *præterea & causa Ecclesiæ.* quod in alio est, *quasfati,* propiùs ad verum accedit. Casatos Ecclesiæ hîc accipit pro specie vassallorum. Mentio fit in vetusto lapide Aurelianensi qui adhuc visitur discisus & insertus parieti templi sanctæ Crucis EX BENEFICIO S. † PER IOANNEM EPISCOPVM, ET PER ALBERTVM S. † CASATVM FACTVS EST LIBER LEMTBERTVS TESTE HAC SANCTA ECCLESIA. In legibus Francicis collectis olim ab Ansegiso Abbate, & editis Basileæ anno 1557. (quæ capitularia in secundis editionibus vocantur) lib. 1. cap. 68. *describere faciant quot mansos vnusquisque de beneficio habeat, vel quot homines casatos in ipso beneficio,* & lib. 4. cap. 75. *de vassis dominicis qui adhuc intra casam seruiunt, & tamdiu habere beneficia noscuntur, statutum est vt quicumque ex eis cum domino Imperatore domi remanserit, vassallos suos casatos secum non retineat, sed cum Comite, cuius pagensis est, ire permittat.* Nomen habuisse videntur à casis. Paulinus Nol. epist. 2. ad Amandum. *vt in casa Ecclesiæ terrulam quæ victum suum procuret, accipiat.* Apud ipsum Iuonem casamenta potentum hominum dici legitur, epist. 173. casales etiam alibi memorantur.

Pro pace violata excommunicati sunt.) Huius rei exempla habes infrà epist. 61. de sceleratis viarum obseruatoribus: qualis erat Puteacensis dominus, epist. 211. & de Theobaldi Comitis militibus epist. 235. & Geruasio epist. 266.

In hostem mittere.) id est in exercitum militarem; cuius significationis varia exempla in Gallicis scriptoribus Sugerius in vita Ludouici. *collecto mirabili triginta millia militum hoste.* Et eodem lib. *Rogatus verò, non cum hoste, sed domesticorum militari manu fines illorum ingressus.* addantur loci ex historia Aimoini monachi lib. 5. cap. 22. & 27. Vernacula Gallorum lingua vetus Prouerbium est. *Si lhost sçauoit que fait lhost, lhost souuent desfairoit lhost.* Idem, Sugerius alibi appellat hostium. *his & talibus Rex nusquam securus, natiua magnanimitatis strenuitate conspicuus, in arcto prouidus, etiam in hostio gladio cingebatur.*

Ad Epist. XXX.

Fulconi Dei gratia Beluacensium Episcopo, in aduersis fortitudinem.) ad eundem scribens epistola proximè consequente, in titulo monet vel optat, vt grauitatis anchora se retineat in sancto proposito quia verò auctores eius sæculi (quod ipsemet Iuo sæpè facit) solebant suis litteris eiusmodi titulos præfigere rebus aptos & conuenientes: hinc duci potest argumentum, Fulconem variis motibus exagitatum fuisse in Episcopatu Beluacensi. Cui rei illustrandi subjiciendi sunt loci ex epistolis Anselmi Beccensis Abbatis nondum in lucem editis. Consilium petierat an oblatam dignitatem subiret. respondit Anselmus, tutiùs esse homini suam infirmitatem semper timenti magnum onus refugere, quàm de viribus confidendo humeros facilè summittere. Onus igitur recusandum quod si nisi per peccatum declinare non possit, obedienter subeat & sollicitè portet. Ea quidem epistola non exprimit quod sit onus. Sed ex consequentibus litteris, de Episcopali dignitate vtrosque loqui eruitur. nam Vrbanus secundus epistola ad Anselmum Abbatem, dicit se Beluacensi Episcopo indulsisse quæ in eius ordinatione iniusta videbantur, & curam Episcopatus ei inuito renitentique iniunxisse: demum monet vt Episcopo tanquam suo filio adiutor, corrector & consultor adsistat. Vrbano respondet Anselmus sequidem anteà suasisse amico vt curã subiret, & satisfaceret desideriis petentium: sed iam ipsum cogi Papam adire, vt eius authoritate aduersariis possit resistere. Verba hæc sunt. *De dilectissimo nostro Episcopo Beluacensi, quem ea diligentia qua sciui & potui exquisito eius introitu, vt onus Episcopale susciperet coëgi, sic multimodè coactus Regis Francorum & cleri Beluacensis & multorum aliorum religiosa, in quantum cognoscere poteram, instantia, cum assensu Remensis Archiepiscopi, nullo resistente, vt nisi hoc facerem Deum timerem offendere, nouit sanctitas vestra qua voluntate post susceptum Episcopatum olim eam petiit, quid fecit, quomodo rediit. Cur autem nunc quoque vestræ se maiestati repræsentet, pleniùs per eius vocem quàm per litteras nostras innotescet.* Et paulo post. *non minimam idem Episcopus persecutionem patitur propter iustitiam, quam per iussionis vestræ seruare nititur obedientiam. Nam in tantum eius odium canonici & presbyteri eius Episcopatus, paucissimis exceptis, & quidam Laïci exardescunt, & extraneos quoscunque possunt & quibuscunque modis valent accendunt, vt non solùm ipsum, sed & illos immoderatè detestentur, & detestabiles monstrare conentur qui ei aliquod solatium impendunt.* Et mox. *Canonici quidem & presbyteri hoc illi faciunt, quia eos à prauis consuetudinibus, & maximè à mulierum reproba conuersatione vult prohibere, & filios eorum sine quos sibi secundum placitum hæredes eligunt, à præbendarum hereditaria successione, atque à sacrorum ordinum promotione conatur arcere. Laïci verò idcirco, quia inuasionibus rerum Ecclesiæ inordinatè factis non vult fauere. Quapropter vt eum vestris litteris vehementer roboratum remittatis, valdè necessarium existimo, & vt dominum supplex seruus postulo. Sicque illum auctoritas vestra Remensi Archiepiscopo & aliis vicinis Episcopis, & clero ciuibusque Belnaci & eiusdem Episcopatus nobilibus commendans, contra maliuola machinamenta muniat, vt in executione mandatorum vestrorum, non tam eos aduersarios quàm adiutores inueniat.* hæc ille. Sed postea transactis aliquot mensium curriculis cum idem Episcopus multis insidiis appetitus videret se nihil proficere, & in vitæ periculo versari, valde conatus est Episcopatu abdicari, Romamque ea causa profectus fuit, vt testatur epistola dicti Anselmi ad Vrbanum quæ sic concepta in vet. cod. *Sancto reuerendo domino Christianorum vniuersali pontifici Vrbano frater Anselmus quod suus. De Beluacensi Episcopo quod sentio breuiter, sed magno affectu dico, & vt multum sit vestræ pietati desidero. Nihil proficit in Episcopatu: sed & ipse à sui custodia impeditur. nec rebus Ecclesiæ prodest, nec in futuro ego aut aliquis eorum qui rem nouerunt, & secundum Deum eam considerare volunt, aliquid melius, sed deterius expectant. Non quia in eius innocenti vita aliqua culpa malæ voluntatis sit, sed quia non est talis qui tantum onus possit sustinere, tantam malitiam irruentem repellere, tantas insidias circunstantes cauere. Vnde valdè timeo ne abundantiori tristitia absorbeatur, in qua cum nimio dolore cor eius versatur, & in qua nullo alio vinculo quàm sola vestra iussione ligatur. quapropter ego & alij secundum Deum amici eius, corde cum ipso prosternamur ad vestigia vestræ misericordiæ, vt ei viscera sua aperiat, & de tanto malo & periculo in quibus sine vtilitate esse se sentit, clementer eripiat; ne prohibeat agnum mitem de medio circumuenientium luporum & leonum fugere, nec puerum innocentem de Chaldeorum fornace exire. quod qualiter meæ paruitati fieri posse congruentius videatur, per eundem ipsum excellentia vestra poterit audire si dignatur. Eo enim modo, nisi aliter prudentiæ vestræ videbitur, nequaquam gloriabitur se malitia per falsitatem praualuisse, sed innocentia gratulabitur per libertatem mentis euasisse. Mirari potest forsitan vestra sapientia cur sic mihimet contrarius videar existere, vt quem Episcopum fieri coëgi, Episcopatum velim deserere. Sed fateor illi cui conscientiam meam celare non debeo, quia mala quæ patitur priùs sensi & prædixi cum ad Episcopatum peteretur; sed illi in me sententiam meam obruerunt qui illum petendo cum magna importunitate concorditer in me irruerunt. Timebam enim in corde meo asserere, Deum magis esse in meo solo sensu & voluntate, quàm in multorum se simpliciter eum propter Deum petere clamantium vnanimitate. Ingerebat se etiã hoc menti meæ, quia sæpe Deus magis operatur per vitam illiteratorum quærentium quæ Dei sunt, quàm per astutiam litteratorum quærentium quæ sua sunt. ecce in conspectu vestro est cur eum Episcopum fieri concessi, & cur nunc mutare desiderem quod coactus concessi: & iudicio vestro subiacet si puniendum aut corrigendum, aut suscipiendum sit quod facio & quod feci. Paternam vestram sanctitatem omnipotens Deus diu nobis in integra prosperitate conseruet. Amen. Soli vestro conspectui hanc epistolam notam esse, si vobis placet, quicquid de illa vobis videatur, desidero & flagito.* Hactenus ille, cuius epistolas longè ampliores quàm vulgò circunferantur, breui euulgabit Io. Picardus studiosus cœnobita S. Victoris Parisiensis. Sed Romanus pontifex non adquieuit petitioni Fulconis, quem vt sibi vtilem noluit abire Episcopatu. cuius rei indicium est quia in corpore manuscriptarum epistolarum Anselmi, reperiũtur aliquot litteræ ipsius Anselmi ad Fulconem

Beluacensem Episcopum, quibus refert se à Beccensi monasterio inuitum & nolentem tractum fuisse ad Episcopatum Cantuariensem. Ex superiorum autem locorum collatione colligi potest de eodem Fulcone accipi debere quod scribitur in vetusto chronico Beccensi, & notatu dignum videtur. *quidam monachus Becci petebatur ad Episcopatum Ecclesia Beluacensis. Cumque sanctus Anselmus Abbas huic electioni assensum præbere nollet, & monachum suum petentibus non concederet, dixerunt petitores: domne nos eligimus eum: non se ingerit: quare non vultis concedere quem petimus? at ille. si, inquit, ipse Deus me eligeret, adhuc timerem: quia ipse per prophetam elegit Saülem, & per semetipsum Iudam traditorem, qui ambo reprobati sunt.* Cæterum superiora valere possunt ad interpretationem epistolæ nouæ Iuonis (quam inuenies in fine harum epistolarum num. 289.) ad Vrbanum Papam: qua quidem dicit Episcopum Beluacensem simplicitatis rectæ & laudabilis virum, accusatum fuisse ab inuidis, absolutum tamen ab Vrbano.

Officij vestri memor mundanam superbiam non armis mundana malitia.) Aliis locis pariter reprehendit Episcopos qui sui ordinis immemores, solebant vsurpare vsum materialis gladij, cum Ecclesia vetetur alienum sanguinem fundere; vt ostendit epist. 247. Ipsemet etiam cum esset captiuus, noluit armis bellicis liberari, & reddi Episcopatui, vt constat epist. 20. notum est quod ait S. Bernardus de consid. ad Eugenium Papam lib. 4. cap. 3, duplicem esse gladium, sed materialem manu militis exerendum, ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris. Huc referenda verba prisci historici in lib. de vita & moribus & actis omnium Principum, qui extat manuscriptus in Bibliotheca Regia. Loquens enim de exercitu Leonis noni Papæ aduersus Normannos qui erant in Apulia, hæc notat ad annum 1053. *Iste primus Romanorum Pontificum à beato Petro ad se vsque, cum manu armata in bellum processit. Qui quamuis sanctus fuerit, & piò hoc animo egerit, tamen quia id eius non erat officij, neque hoc illi permissum fuerat à domino qui pati venerat, suosque vt ab aliis magis paterentur quàm vt alios persequerentur præmonuerat, ideò exercitus sui multitudo cæsa est ipso prospiciente. non enim dominus discipulis suis, neque iidem apostoli suis successoribus præceperunt, vt curis sæcularibus velut principes sæculi, materiali gladio Dei populum tuerentur, sed verbo doctrinæ monerent, & pia conuersationis exemplo instruerent.*

Ad Epist. XXXIII.

Nobis conuicinitas locorum) in aliis libris, *nobis vicinitas.* Sed cum in v. c. Put. offendissem scriptum licèt mendosè, *nobiscum vicinitas,* non difficilè fuit insculpere veram lectionem.

Ad Epist. XXXV.

Videte si fidelitatem quam debetis, pleniter exhibetis, si officij vestri munus expletis.) Infrà epist. 190. pariter meminit fidelitatis quam omnes Episcopi Galliarum Regi promittebant per manum & sacramentum. Idem epist. 15. profitetur se ex summa fidelitate scribere, non posse nec debere interesse illicitis Regis nuptiis. Et epist. 253. ait se ex iure fidelitatis Ludouicum Regem rogare, vt Ambianensis Episcopis angustiis opituletur aduersus pacis violatores. Item in epist. 209. dicit in fidelitate Regi facta, præcipuè obseruandum esse vtile & honestum, neque præsumendum esse Regi dare consilium, quod sit contra fidelitatem, & regni maiestatem minuat, Iam autem monuerat Episcopos Franciæ, vt in hac causa Philippi Regis super incesto coniungio, haberent spiritum fortitudinis cum spiritu consilij epist. 14. Sed cum tepidi & trepidi essent, obiecit illis silentium, & reprehendit quia tanquam canes muti non valebant latrare; in calce epist. 25. Parilem culpam paulo ante eisdem imputarat Gregorius VII. Papa regesti lib. 2. epist. 5. ad Manassem Rhemensem, Richerium Senonensem, Richardum Bituricensem Archiepiscopos, & Adraldum Episcopum Carnotensem, cæterosq; Episcopos Franciæ, quaquidē narrat eiusdem Philippi Regis varia & nefanda scelera. Cuius verba exscribere operæpretium videtur licet versentur in diuersa facti specie; quia de hac Episcoporum erga regem fidelitate egregiè disputat. *Vos fratres etiam in culpa estis, qui dum perditissimis factis eius sacerdotali vigore non resistitis, procul dubio nequitiam illius consentiendo fouetis. Proinde (quod inuiti ac gementes dicimus) multum timemus, vt non pastorum, sed mercenariorum sententiam accipiatis, qui videntes lupum sub oculis vestris gregem dominicum lacerantem fugitis, dum quasi canes non valentes latrare, sub silentio vos absconditis. atque equidem eo magis de vestro periculo metuimus, quanto nullas vobis in futuro examine excusandi rationes suppetere cognoscimus: dum modò non alias vestras taciturnitatis causas, nisi aut conscientiam, si vestrò (quod non credimus) instinctu tot mala perpetrât, aut negligentiam, si de eius perditione parùm curatis, deprehendere possumus. Quæ vtraque quàm sint fugienda maximè in officio vobis commissæ dispensationis, vos ipsi perpenditis, qui debitam pastoralis curæ sollicitudinem non ignoratis. Nam si prohibere eum à delictis, contra ius & reuerentiam promissæ sibi fidelitatis esse putatis, longè vos fallit opinio: quoniam hoc omni ratione confirmare possumus, multò fideliorem esse, qui alium de naufragio animæ suæ vel inuitum retrahit, quàm qui in peccatorum gurgite, nociuo consensu eum deperire permittit. De timore verò vanum est dicere: quoniam vobis ad defendendam iustitiam coniunctis & constanter accinctis tanta virtus foret, vt & illum fideli correctione, sine omni vestro periculo, à consueta malefaciendi libidine possetis auertere, & vestras pariter animas liberare. quanquam & si timor, ac periculum mortis immineret, vos tamen à libertate vestri sacerdotalis officij desistere non oporteret. Vnde rogamus vos, & apostolica auctoritate monemus, vt in vnum congregati, patriæ, famæ vestræ, atq; saluti consulatis, & communi consilio, ac coniunctissimis animis regem alloquentes, de sua eum & regni confusione atque periculo commoneatis: & quàm criminosa sint eius facta atque consilia, in faciem ei ostendentes, omni exhortatione eum flectere studeatis, quatenus rapinam suprascriptis negociatoribus factam emendet: quæ nisi reddita fuerit, (sicut vos ipsi scitis) infinitam discordiam, & inimicitias inter multos pariet. de cætero delicta sua corrigat, & relictis iuuentutis suæ moribus, attritam regni sui dignitatem & gloriam, tenendo iustitiam reparare incipiat, & vt cæteros ad ea quæ recta sunt, coërcere valeat, ipse primùm quæ*

sunt iniqua relinquat. Et paulo post addit. *Sanè si in hoc tantò, tamque necessario negocio tepidos vos cognouerimus, non iam amplius dubitantes, quin vestra fiducia fultus incorrigibilis perduret, vos ipsos sicut socios & complices scelerum eius, Episcopali priuatos officio pari vindictæ iaculo feriemus. Testis enim nobis Deus est & propria conscientia, quod hæc neque precibus, neque precio alicuius ducti dicimus, nec in animum induximus: sed solo dolore tacti intrinsecus, quòd tam nobile regnum & tam infinitus populorum numerus vnius perditissimi hominis culpa depereat, tacendo dissimulare nec possumus, nec debemus. memores igitur illius diuinæ dicti sapientiæ: qui timet hominem, citò corruet, & qui sperat in domino, sublevabitur: ita agite, ita vos habetote, vt quàm sit vobis libera mens & lingua ostendatis, &c.*

Ad Epist. XXXVI.

Litteræ domni Papæ quibus dictandis à latere interfuimus) hic locus deprauatus fuerat in plerisque libris. Superior enim editio habui, *alacri interfuimus.* In membranis Puteani, *alacres interfuimus*; & desuper addita varietas, *vel alacri mente interf.* In v.c. S. Ger. & altero Thuani, *alatri interf.* In libro Regio, *alati.* Sed ex codicibus Fabri & Seruini restitui, *à latere*, qua scriptura nil melius ac verius. Iuo enim Romæ non semel moratus fuerat, vt etiam subindicat epist.27. & 65. fueratque familiaris Vrbano Papæ, quem hîc voluit subintelligi, & in eius curia versatus, vt ait epist. 211. Simili autem locutione dixit, à latere Papæ mitti Cardinales, epist. 109. in qua etiam laterales sedis apostolicæ appellat.

Hilarios) ita plerique v. c. antea, *Hilariones*: sed illud prius magis respondet & quadrat cæteris nominibus.

Ad Epist. XXXVIII.

Guaceline) variant manuscripti. *Guatcelino. Gualcelcino. Lauceline. Gualcherino.* Prior editio. *Guacelmo.* Willelmus Malmesb. lib. 2. de gest. Pontif. Anglor. cap. de Episcopis Wintoniensib. *Stigando deposito successit Walkelmus à Willielmo Rege datus, cuius bona opera famam vincentia senium à se vetustatis repellent, quandiu inibi sedes Episcopalis durabit, &c.* quæ verba etiam habentur dicti historici lib. 3. de gest. Reg. Angl. vbi tamen legitur Walkelinus. In annalibus Rogeri Houedini parte prima dicitur *Walcelmus. Anno* (ait) 1098. *Walcelmus Wintoniensis 3. Non Ianuarij de Dominica obiit.* Sed ibi cudi debuit, *Vvalcellinus.* Nam Mattheus Paris sub anno 1093. *Cum antè ordinandi Pontificis examinationem Vvalkelinus Vvintoniensis Episcopus Ecclesiastico more electionem scriptam legeret, Thomas Archiepiscopus Eboracensis quæstus est scriptum ritè non esse factum.* Idem sub anno Dominicæ Natiuitatis 1098. *eodem tempore obiit Vvalkelinus Episcopus Vvintoniensis.*

Vvintonensium Episcopo.) quidam, *Vvintoriensium*, aliàs, *Guittoriensium.*

Vt orationum manus desideranti mihi porrigas.) Sic planè vett. codd. anteà cusum, *munus*, quod etiam defendi potest: quomodo dixit epist. 168. manus auxilij, vel munus consilij porrigere. Sed placuit alteram lectionem retinere tot codicibus confirmatam. Ita enim epist. 19. dicit orationis manus extendere, & epist. 207. & 215. mutuas orationum manus porrigere. Item epist. 70. mutuas exhortationum manus inuicem porrigere. Paschalis Papa secundus in epist. ad Anselmum Cantuariensem Archiep. *vt quanto propiùs ad Deum passibus virtutum accedis, nobis orationum tuarum manus extendas.* Paulinus Nolan. epist. ad Sebastianum, *orate pro nobis, conserite validas orationum manus, vt superetis multitudinem peccatorum nostrorum.* ea figura dixit S. Augustinus initio lib. 5. Confession. *Accipe sacrificium confessionum mearum de manu linguæ meæ quam formasti & excitasti*; quod à vetusto interprete sumptum Prouerb. cap. 18. *mors & vita in manibus linguæ.* Vbi S. Salonius Episcopus ait metaphoricè dictum linguæ manum, vt pennas venti: manus enim linguæ, ipsa verba esse.

Ad Epist. XXXIX.

Pro multa in te beneuolentia monachis Beccensibus.) de Abbatia Becci, & primo Abbate Herluino, & successore eius Anselmo videndus Wilhelmus Gemiticensis lib. 5. de ducibus Normannis, cap. 9. Anselmus enim monastichũ amplexus fuerat institutum in Beccensi cœnobio Normanniæ anno ætatis suæ 27. in quo Lanfrancus prioris munere fungebatur, cui in præfectura eadem Anselmus successerat, vt refert Edinerus Anglus in eius vita.

Ad Epist. XL.

Manegaldo) in priscis schedis Ant. Loiselli hæc epistola inscribitur *Manegaldo magistro.* Iuo indicat philosophandi studio inhæsisse antequam clericali ordini nomen dedisset. Puto eundem esse qui Manigaudus Teutonicus alibi appellatur: vetus & anonymus auctor in fragmento historiæ Francorum à Roberto ad mortem vsque Philippi: *hoc tempore tam in diuina quàm in humana philosophia floruerunt Lanfrandus Cantuariorum Episcopus, Guido Langobardus, Manigaudus Teutonicus, Bruno Rhemensis qui postea vitam duxit heremiticam.* nonnullis videtur idem esse cuius mentio fit à Bertoldo coæuo Iuonis scriptore in chronico ad annum Dom. M. XCV. vbi dicitur in Alsatia magistrum Manegoldum de Lutembach mirabiliter reaccendisse religionem Ecclesiasticam, iamdudum in illis partibus extinctam. & ad annum M. XCVIII. *Manegoldus venerabilis præpositus canonicorum apud Marbach degentium ab Henrico Rege diu in captione detentus est, quòd Vrbano faueret, nec scismaticis obediret.* Denique ad annum M. C. in Alemania venerabilis Abbas Manegoldus de monasterio S. Georgij à monacho suo occisus refertur.

Et iterum & iterum vacare.) In duobus vett. codd. hæc verba non geminantur, contra consensum aliorum codicum. Et sanè alij loci id firmant, vt epist. 132. *iterum & iterum rogamus.* & epist. 273. *Vnde iterum & iterum supplicamus.* Pedo elegia de morte Drusi Neronis, *Te clamore vocant iterumque iterumque supremo.* Paulinus Nolanus in carmine ad Licentium, *hoc tamen & repetens iterumque iterumque monebo, vt fugias duræ lubrica militiæ.* Virgil. Æneid. 3. *& repetens iterumque iterumque monebo.* Idem in 8. *iterum atque iterum fragor intonat ingens.*

Ad Epist. XLII.

Dicerem plurima in aure tuta) in v. c. Ser.

in aure tua quam lectionem pariter exhibet codex Put. in quo restat vestigium litteræ extritæ, vt indicio sit primitùs ibi scriptum, *tutáque* lectio melior est & confirmatur consensu cæterorum. Horatius lib. 1. Od. 28. *quicquid habes age, depone tutis auribus.*

Ad Epist. XLIII.

Vt nouus Rex) de Conrado filio Henrici tertij Imperat. qui ad Papam Vrbanum venit, à quo solutus excommunicatione fuit, hæc verba accipit Baronius tomo xi Annal. & refert ad annum sextum Pontificatus Vrbani, Gull. Malmesburiensis. *sed æquiori (vt videbatur) causæ affuit malitia Mathildis, quæ oblita sexus, nec dispar antiquis Amazonibus, ferrata virorum agmina in bellum agebat fœmina. eius suffragio Vrbanus thronum indeptus apostolicum, securum per vndecim annos actitauit ocium.*

Conterat dominus sathanam, oro, sub pedibus vestris.) solus codex S. Ger. legit. *Conuertat dominus*: sed prior lectio aptior, firmaturque loco S. Pauli in epist. ad Rom. cap. vlt. Itemque verbis Iuonis epist. 236. *Salua (ait) reuerentia Romanæ Ecclesiæ celebrare: quæ si ad præsens non potest sathanam sternere sub pedibus suis.* Arnulphus Lexouiensis in epist. 19. ad Alexandrum Papam. *Porro scismata hæc in Ecclesia Romana frequentius accidisse etiam Lateranensis Palatij picturæ demonstrant: vbi Catholicorum patrum pedibus, pro scabello scismatici præsumptores adscripti sunt; vbi superborum & sublimium colla sapientia propria virtute conterit & conculcat. quod sanè ea ratione factum, vt sanctis patribus cedat ad gloriam victoriæ testis ascriptio, in qua præsumptores illi vel compressionis pœnam sustinet, vel præsumptionis veniam deprecantur. Vnde & sancti Apostolatus vestri cathedra sine scabello esse non debuit: sed nobiliore scabello debuit illustrari.* Sugerius Abbas lib de vita Ludouici Crassi Regis, agens de Burdino antipapa scismatico, qui Romæ iussu Calixti Papæ transuersus impositus fuit camelo, & caprinis pellibus amictus per forum traductus; *ad tantæ vltionis (ait) memoriæ conseruationem, in camera palatij sub pedibus domini Papæ conculcatum depinxerunt.*

Ad Epist. XLIV.

Cum læsus foris, lædens intus pereat) præclara castigatio ope vett. Codd. cuius loco irrepserat anteà, *cum Iesus foris, Iesus intus pereat.*

Sit anathema maranatha) posterior hæc vox deerat in quibusdam libris, quod fortasse factum errore librarij, cui noua & insolens videbatur. Adiecta est fide aliorum codicum. Extat in epist. Pauli 1. ad Corinth cap. 16. & in ca. Gulisarius. cau. 23. q. 4. In prisco carmine Theodorici Abbatis S. Trudonis. *dic sint maranatha Deus, hi dic sint anathema.* In Concilio Toletano relato in prisca synodo Remensi habita Durocortori. *qui contra hanc vestram definitionem præsumpserint, anathema maranatha, hoc est perditio in aduentu domini sint, & cum Iuda Iscarioth partem habeant.* hac de voce S. Hieronymus epist. 137. ad Marcellam Baronius etiam Annal. Tom. 1. sub anno Christi 57. rationem reddit cur anathemati adjiceretur.

Ad Epist. XLVI.

Baronius tomo 11. Annal. hanc refert ad synodum indictam Claromonti apud Aruernos sub anno septimo Pontificatus Vrbani secundi.

Confidentes) addita vox ex codice manuscripto. *calliditate ingenioli sui)* solus cod. S. Ger. *ingenij.*

Et venustate linguæ suæ) cod. Put. *& volubilitate.* sed præferenda est altera lectio quæ extat in cæteris exemplaribus Nempe auctoris sæculo quamuis minus polito, adhuc supererant plerique in Galliis disertæ linguæ viri, qua laude Gallia nunquam caruit etiam testimonio exterarum gentium. Cato apud Sosipatrum Charisium dicit Galliam duas res semper studiosissimè persequutam, rem militarem & argutè loqui. Et S. Hieronymus lib. adu. Vigil. ait Galliam semper abundasse fortissimis & eloquentissimis viris. Fortunatianus quoque in libris artis scholicæ adnotauit gentili Gallorum vocabulo facetos dici solitos pro facundis. quo etiam sensu apud Sugerium Abbatem in vita Ludouici Regis Crassi. *Singulariter, inquit, & solus Treuerensis Archiepiscopus, vir elegans & iucundus, eloquentia & sapientia copiosus, Gallicano coturno exercitatus facetè perorauit.*

Regem cum regno ab obedientia vestra discessurum) hinc in aperto est Francos fauisse Papæ Vrbano, non autem Guiberto Antipapæ. quo spectant verba Bertholdi in chronico ad annum Dom. 1089. Papam litteras Philippi Regis Francorum debitam ei subiectionem promittentis suscepisse. Et rursus ad annum 1091. Papam in partibus Campaniæ demorantem ab omnibus Catholicis debita reuerentia cultum fuisse, & à Philippo Francorum Rege. Denique ad annum 1094. refert in Galliarum ciuitate Ostione, generali Concilio ab Hugone Lugdunensi Archiepiscopo & sedis Apostolicæ legato, renouatam esse excommunicationem in Regem Henricum quartum, & in Guibertum sedis Apostolicæ inuasorem, inque omnes eorum complices.

Nisi coronam restituatis, nisi Regem ab anathemate absoluatis) hic locus eorum adiuuat sententiam, qui asserunt Philippo excommunicato à Papa Vrbano secundo, interdictum simul regnum Franciæ: quod alij loci firmare possunt, vt epist. 66. ad Hugonem Romanæ Ecclesiæ legatum, qua dicit Archiepiscopum Turonensem contra interdictum illius imposuisse coronam Regi, & hac arte obtinuisse à Rege, vt quidam malæ famæ fieret Episcopus Aurelianensis. Quod iterum repetit in calce epist. 67. ad Vrbanum. Sed & epist. 84. laudat Ioannem Cardinalem legatum, qui à communione Regis abstinuerat, licet quidam Belgicæ prouinciæ Episcopi contra interdictum Papæ Vrbani coronam Regi imposuissent, tanquam mortuo præcone iustitiam mortuam esse credidissent. Item epist 144. ad Paschalem Papam scribens, vbi agit de reconciliando Ecclesiæ Philippo, dicit terram quæ periclitabatur eius anathemate, à periculo eruendam. Certè iam anteà scribens ad ipsum Philippum epist. 15. aperte profitetur, summum periculum fore coronæ regni illius; si duxerit pellicem priusquam generali Concilio causa ventiletur. Et paulo post, addit, caueat ne cũ diminutione regni terreni æternũ amittat. Præterea ad dapiferum Regis emissa ep. 23. dicit se litteras Vrbani retinuisse, quia nolebat regnum aduersus

ipſum aliqua ratione cõmoueri. Adſtipulantur verba continuatoris Aimoini monachi hiſt. lib. 5. c. 1. ſcribentis Regem & totam ipſius terram anathematis vinculo obligatã fuiſſe à Domno Papa cum rex nefandiſſimo more vitam ſuam duceret,& nullius admonitione ab eo deſiſtere vellet. Willelmus Malmeſburienſis lib 4. de geſt. Reg Anglor cap 2. agẽs de Concilio Claromontenſi ſub Vrbano ſecundo. *In eo Concilio,* ait, *excommunicauit dominus Papa Philippum Regẽ Francorum,& omnes qui eum vel Regem, vel dominũ ſuum vocauerint,& ei obedierint,& ei locuti fuerint, niſi quod pertinet ad eum corrigendum. Similiter & illam maledictã coniugem eius,& omnes qui eam Reginam vel dominam vocauerint, quouſque ad emendationem venerint, ita vt alter ab altero diſcedat.* Idem lib. 5 in vita Henrici primi, dicit eundem Philippum *accedente ſenio libidine grauem Comitiſſæq; Andegauenſis ſpecie luſum, illicitis ardoribus defœneratum. quocirca fuiſſe ab Apoſtolico excommunicatum; cum in villa qua manſitabat, nihil diuini ſeruitij fieret; ſed diſcedente eo tinnitus ſignorum vndique concreparent, inſulſam fatuitatem cachinnis exprimebat: Audis, inquiens, bella quomodo nos effugant, adeò erat omnibus Epiſcopis prouinciæ ſuæ deriſui, vt nullus eos deſponſaret præter Vuillelmum Archiepiſcopum Rothomagenſem: cuius facti temeritatem luit multis annis interdictus, & vix tandem per Anſelmum Archiepiſcopum Apoſtolicæ communioni redditus.* Vetus quoque auctor fragmenti hiſtoriæ Francorũ à Roberto ad mortem Philippi, poſtquam dixit Philippum multoties à Papa Vrbano admonitum nequaquam conſenſiſſe: addit à ſucceſſore Paſchali in Gallias miſſos duos Cardinales, qui Regem conuenientes & obſtinatum reperientes, Pictauis adunato Concilio totam Franciam pro hac re anathemati ſubdiderunt. Citatur etiam auctor priſci chronici cœnobij ſancti Dionyſij, adnotantis toto tempore illius excommunicationis in Eccleſiaſticis actis publicis ſolitum ſubſcribi, *Regnante Chriſto,* non autem, *regnante Philippo.* Quod tamen hodie nonnullis commentum monachale videtur: ſuamque opinionem inde ſtabiliunt, quia ſubditi libenter ſuo parebant Regi, & ipſemet Iuo litteris ad eundẽ emiſſis, licet excommunicatum, nuncupat magnificum Francorum Regem ſuumque dominum. Ad hoc in tit. ep. 22 optat ſic gubernet temporale regnũ, vt non amittat æternũ. A quibus titulis (vt inquiunt) prorſus abſtinuiſſet, ſi Pontifex Romanus vetuiſſet obediri Philippo, & deſiiſſet gubernare regnum.

Sed minimè nouum aut inauditum videri debet ſi Vrbanus & deinde Paſchalis excommunicato à ſe Philippo, regnum interdixiſſe ferantur. Nam paullo anteà Gregorius Papa ſeptimus (cui Vrbanus ſucceſſit) iam palam ſæpè minatus fuerat ſe abdicaturum regno eundem Regem propter alia varia flagitia. Verba ſubiicere viſum eſt è lib 1. regeſti epiſt. 35. ad Roderium Cabilonenſem Epiſcopum, qua inuehitur in ipſum Philippum Eccleſiarum venditorem & deſtructorem. *Nouerit* (ait) *nos duram inobedientiæ contumaciam canonica auſteritate coërcituros. Nam aut rex ipſe repudiato turpi ſymoniacæ hæreſis mercimonio idoneas ad ſacrum regimen perſonas promoueri permittet: aut Franci pro certo, niſi fidem Chriſtianam abiicere maluerint, generalis anathematis mucrone percuſſi, illi vlteriùs obtemperare recuſabunt.* Idem lib. 2. epiſt. 5. ad Manaſſem Remenſem Archiepiſcopum, Richerium Senonenſem, Richardum Bituricenſem, cæteroſque Epiſcopos Franciæ ſcribẽs, de ſceleribus dicti Philippi: *Apoſtolica auctoritate commoniti atque conſtricti, matrem veſtram ſanctam Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam debita fide & obedientia imitamini, & ab eius vos obſequio atque communione penitùs ſeparantes, per vniuerſam Franciam omne diuinum officium publicè celebrari interdicite. Quod ſi nec huiuſmodi diſtrictione voluerit reſipiſcere, nulli clam aut dubium eſſe volumus, quin modis omnibus regnum Franciæ de eius occupatione adiuuante Deo tentemus eripere.* Idem epiſt. 18. ad Guillelmum Comitem Pictauenſem. *Si in peruerſitate ſtudiorum ſuorum perdurauerit, & ſecundum duriciam impœnitentis cor iram Dei & ſancti Petri ſibi theſaurizauerit, nos Deo auxiliante & nequitia ſua promerente, in Romana ſynodo à corpore communione ſanctæ Eccleſiæ ipſum & quicumque ſibi regalem honorem vel obedientiam exhibuerit, ſine dubio ſequeſtrabimus, & eius quotidie ſupra altare ſancti Petri excommunicatio confirmabitur.* Hæc Gregorius. Ex quibus conſtare videtur, Philippo excommunicato ab Vrbano & Paſchali, interdictum ſimul fuiſſe regnum. Quid enim aliud ſonant ſuperiora verba Iuonis epiſt. 66. & 67. de impoſita corona Regi contra interdictum, & hac epiſt. 46. de reſtituenda corona, itemque epiſt. 144. terram periclitari anathemate? Probabile eſt etiam excommunicato Principe, nõnullos è ſubditis recuſaſſe honorem ac obediẽtiam, alios coluiſſe & obtemperaſſe: quemadmodum recente bello ciuili diſciſſis Gallorum ſtudiis factum vidimus in Henricis tertio & quarto. Sic componi poteſt opinionum diuerſitas. Certè iam ante excommunicatũ Philippum, alij reges Francorum cum toto regno cenſura Papali affecti fuerãt, vt Robertus filius Hugonis, de quo ſupradictus auctor in fragmento hiſtoriæ Francorum Roberto ad mortẽ Philippi. *Idem verò Rex* (ait) *in vxorẽ ſibi aſſumpſit matrem Odonis Comitis, Bertam nomine, qui eodẽ tempore puerulus fuerat: Illa autem commater eiuſdem fuerat Regis. Idem namque Rex ipſius filium de ſacro ſuſceperat lauacro. Quod agnoſcens Papa Gregorius, totam Franciam anathemate percuſſit. Porrò Rex amore eiuſdem mulieris plus iuſto detentus, nequaquam eam dimittere voluit, donec omnipotens per ſe corrigere eũdem regem ſtuduit. Dum enim de eodem Rege eadem mulier concepiſſet, credens ſe parituram filium, peperit monſtrum. Quæ res Regem perterruit, & librũ repudij eidem mulieri dare compulit. Quo facto abſolui cũ toto ſuo meruit regno.* Sed & Aimoinus lib. de vita S. Abbonis Abbatis Floriacenſis cap. xj. refert Abbonem rogatu Regis Roberti Romam profectum, quia Gregorius cõminatus fuerat ſe toti regno Francorum anathema inuecturum, quòd Arnulfus Remorum Archiepiſcopus, abſque iuſta audiẽtia, ſede ſua priuatus, cuſtodiæque mãcipatus fuiſſet. An verò Romanus Pontifex debuerit aut potuerit excommunicare reges Francorũ; & ſimul Regnum interdicere, à doctioribus diſputatum eſt. Illud tantùm addatur quod Rigordus narrat in geſtis Philippi Auguſti. cum anno Dom. M. C. XCIX. Petrus Cardinalis conuocato Concilio apud Diuionem, regnũm Regis Franciæ ſub interdicto poſuiſſet, neque detuliſſet appellationi nunciorũ Regis ad ſedem Romanam: Regem vehementer iratum fuiſſe, quia Epiſcopi ſui regni qui huic Concilio interfuerant, interdicto conſenſerant. Itaque ipſos Epiſcopos à propriis ſedibus expulit rebuſque ſuis expoliauit.

Relinquatur, non est meum) quidam codex distinguit hoc modo, *relinquetur? Non est meum.*

Ab vnitate matris suæ) additur in nonnullis, Ecclesiæ, sed ex glosa vt apparet. Similis locus epist. 98. & 124.

Ad Epist. XLVII.

Widonis Regis dapifero) vox, *Regis* nunc primùm addita est fide vett. codd. quorum etiam nonnulli habent, Regio. male in prima editione deerat. Videtur autem intelligi de dapifero Regis Franciæ, quia hac epistola agitur de causa Philippi & pellicis. Alius autem fuit dapifer Normanniæ vt indicat titulus epist. 27. In eo dignitatis nomine allusit Hildebertus Episcopus cum dicit in quadã epist. ex dapifero Regis factum esse dapem diaboli. Elegans autem est reprehensio S. Bernardi Clar. in epist. 78. ad Sugerium Abbatem S. Dionysij, de quodam clerico diacono, sic sublimato honoribus Ecclesiasticis vt Episcopis vt nec Episcopis inferior videretur: sic implicato militaribus officiis, vt præferretur ducibus. Ex cuius verbis quia notio illius dignitatis aulicæ colligi potest, nonnulla deflorare iuuat. *Par satis vtrobique abusio, siue quòd diaconus mensæ regiæ deputetur ministerio, siue quòd regis dapifer mysteriis altaris inseruiat. Quis sanè non miretur, immò & detestetur, vnius esse personæ & armatam ducere militiam, & alba stolaque indutum in medio Ecclesiæ pronunciare euangelium? tuba indicere bellum militibus, & iussa Episcopi populis intimare?* Et paulo post. *Cum sit Archidiaconus, Decanus, præpositusq; in diuersis Ecclesiis, nihil horum tamen tam eum, quàm regis delectat vocitari dapiferum.* Et deinde subjicit. *Ipsum certè quod gestat in capite signum, plus regius decet fastus quàm famulatus; itemque regale fastigium magis armis quàm Psalmis innititur,* &c.

Ad Epist. XLVII.

Quiesce) ab abest vno v. c.

Legatur ex quo) variat lectio apud Gratianum in ca. legatur. cau. 23. q. 2. In nonnullis membranis habetur, *nec legitur ex quo est religio Christiana, vel certum datur exemplum.* in aliis, *nusquam legitur ex quo est rel. chr. &c.*

Ad Epist. XLVIII.

Perturbatione cassare) ita quatuor antiqui codices, cui lectioni accedit mendosa scriptura cod. S. Germ. *cessare*, vulgata editio, *quassare*, vt etiam quidam calamo exarati libri. Sed *cassare* rectiùs est, & id verbi frequens authori, vt epist. 59. 62. 87. 155. & 209. differentiam notat Nonius Marc.

Ad Epist. XLIX.

Gaufridi ex Episcopi) anteà cusum, *Episcopi*, quomodo legitur in nonnullis membranis. In aliis compendiosè *Episcopi*. Codex Regius perperam obtrudit, *exempli*. sed in manuscripto Nicolai Fabri, & altero S. Victoris *exepiscopi*. hunc enim dicit exepiscopum, quia depositus fuerat ab Vrbano Papa, vt indicant epist. 1. & 2. supra ea forma olim dictos exconsules, expræfectos, & exquæstores, & alia complura notius est quàm vt exemplis probari debeat.

Mellis facerem) ita tres manuscripti. in duobus aliis, *Meldis*, malè solus codex Put. *melius facerem.*

Ad Epist. L.

A plicueris) variant lectiones. antea cusum *à Picueris*, vt habent nonnulli scripti codices. In aliis *à Pitueris*. in ora alterius *à Iemeris*. in quibusdam *à Plicueris*: & simul adiecta glosa sequens: *villa in Beotia quæ Gallicè dicitur Puuiers, vel Pluuiers.*

De veteri querela quam habet aduersus Senonensem Ecclesiam Lugdunensis Ecclesia) infrà epist. 54. dicit primatum Ecclesiæ Lugdunensis irrationabiliter refutari à sede Senonensi. Sunt testimonia quibus constet Senonensem Archiepiscopum fuisse olim primatem Galliæ. Chronologia Autissiodorensis ad annum 1002. *his diebus domnus Seuinus Senonensis Archiepiscopus obit. hic Romæ per manum Ioannis Papæ Archiepiscopale pallium quo antecessores eius infulati sunt, & primatum Galliæ suscepit.* Gregorius autem Papa septimus confirmauit primatum Ecclesiæ Lugdunensis epist. 34. lib. 6. cuius hæc verba sunt. *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Gebuino Lugdunensi Archiepiscopo. Antiqua sanctorum Patrum, quibus licet indigni & longè meritis impares in administratione huius sedis succedimus, vestigia in quantum diuina dignatio permittit, imitari desiderantes, ius quod vnicuique Ecclesiarum pro merito & dignitate sui ipsi contulerunt, nos ex eorum successionis consideratione decet illæsum & immutabile conseruare, & munimine decretorum nostrorum ad perpetuam stabilitatem corroborare. Quapropter, quia dilectissime in Christo frater Gebuine postulasti à nobis, quatenus dignitatem ab antecessoribus nostris concessam Ecclesiæ, cui Deo auctore, præesse dignosceris confirmaremus, & quæque sua ab infestatione hostili apostolicæ sedis defensione tueremur: inclinati precibus tuis confirmamus primatum super quatuor prouincias Lugdunensi Ecclesiæ tuæ, & per eam tibi tuisque successoribus: His tantùm, qui nullo interueniente munere electi, vel promoti fuerint, videlicet à manu, ab obsequio, & à lingua. A manu, vt nullum precium prorsus à se, vel ab aliquo tribuatur. ab obsequio, vt nihil inde seruitij faciat, sicut quidam intentione Ecclesiæ prælationis petentibus personis solent deferre. à lingua, vt neque per se, neque per submissam personam preces effundat. Sed neque his, qui per secularem potestatem ad hanc dignitatem peruenerint, videlicet dono vel confirmatione alicuius personæ quæ sanctæ religioni videatur obuiare, & contra puram & authenticam sanctorum patrum auctoritatem venire. Sed his nimirum hanc dignitatem concedendam esse sancimus, qui pura & sincera electione tibi successerint, & ita per ostium intrauerint, videlicet qui iuxta dominicam sententiam, non per ostium, sed aliunde vt fures & latrones ascenderint, non solùm primatum huius dignitatis non concedimus: verùm etiam omni honore Ecclesiastici regiminis indignos & alienos fore adiudicamus. Prouincias autem illas, quas vobis confirmamus, dicimus Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem & Senonensem, vt hæ videlicet prouinciæ condignam obedientiam Lugdunensi Ecclesiæ exhibeant: & honorem quem Romani Pontifices reddendum esse scriptis propriis præfixerunt, humiliter & deuotè persoluant, salua in omnibus apostolicæ sedis reuerentia & auctoritate. Præterea iuxta tenorem postulationis tuæ Ecclesiæ tuæ huiusmodi priuilegia præsenti auctoritatis nostræ*

decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus: statuentes nullum Regum, & reliqua vsque in finem, sicut in priuilegio constat, quod est in capite huius libelli. Data Romæ xij. Kal. Maias indictione secunda.

Huic epistolæ subiicitur alia eiusdem Gregorij directa coëpiscopis Rothomagensi, Turonensi, & Senonensi, in eandem sententiam vt Archiepiscopo Lugdunensi ex antiqua patrum auctoritate primati à se confirmato obedientiam præstent: vbi etiam rationem & originem diuersorum in Ecclesia graduum declarat. Sed hanc exscribere nil attinet. Repetatur è tomo tertio epistolarum summorum Pontificum, libro sexto registri Gregorij Papæ septimi, epist. 35. Guillermus Brito Armoricus Philippidos lib. XII. de hoc primatu agit his versibus. *Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat, vt fama est, Primate regi, causasque referre difficiles, vt ibi lis vltima litibus esset. Nec mittebatur Romam lis vlla, nisi quam Lugdunense forum per se finire nequisset. Cuius honoris adhuc memor est epigramma sigilli, quique monetatus datur ad commercia census, Sacratique patres quos suffraganeus illi ordo lege dedit subici metropolitana.* Itaque non immerito dicit S. Bernardus Claræuall. epist. 174. ad canonicos Lugdunenses, inter Ecclesias Galliæ constare Lugdunensem hactenus præeminuisse sicut dignitate sedis, sic honestis studiis & laudabilibus institutis.

Locis quibus morantur diuinum officium interdicat) hîc obseruandus est mos illius seculi, quo diuinum officium solebat interdici locis illorum qui pacem publicam violabant; cuius etiam rei testimonium habetur epist. 263. vbi Beluaci suborto clericorum tumultu aduersus regis Ludouici ministros, cessatum à diuinis. Et epist. 264. dicit hunc rigorem minimè seruari debere, nisi vbi culpa sacrilegij & violatæ pacis, aliter vindicari nequit. idem epist. 94. postulat à Paschali Papa. vt iubeat Ecclesias tam ciuiles quàm suburbanas claudi, si quis priuilegium & libertatem concessam Carnotensi Ecclesiæ infregerit. item epist. 121. dicit à clericis Carnotensibus instanter peti, vt in ciuitate Carnotensi, & per totum Episcopatũ interdicat diuinum officium donec illis res ablatæ restituantur. Sed plerisq; visa est stupenda magis facti atrocitas, cum toto passim regno vnius ob noxam publicæ religionis munera prohibebantur à summis pontificibus. Gregorius septimus lib. 3. epist. 5. ad Episcopos Franciæ, vbi agit de sceleribus Philippi primi Regis. *& ab eius vos communione penitùs separantes, per vniuersam Franciam omne diuinum officium publicè celebrari interdicite.* Willelmus quidem Malmesburiensis de gestis Regum Anglorum lib. 4. testatur excommunicato eodem Philippo, cessasse diuinum seruitium in villa qua mansitabat cum sua pellice Bertreda, cuius verba latiùs relata sunt ad epist. 46. Aymoinus lib. de vita sancti Abbonis Floriacensis Abbatis cap. 12. *in eo sanè priuilegio & inter alia continetur, vt Episcopus Aurelianensis nisi inuitatus, Floriacum nequaquam adeat cœnobium, neue vnquam quilibet Pontificum eidem monasterio diuinum interdicat officium, etiamsi tota Gallia ob populi peccata anathematis feriatur vindicta.* Auctor chronologiæ Altissiodorensis. *Anno Domini* 1200. *erat in toto regno lugubris Ecclesiæ facies, quia nulla celebrabantur in Ecclesiis sacramenta vel diuina officia præter viaticum & baptisma. Nec modò in Ecclesiis, sed & monasteriis cessatum est à diuinis. Negabatur mortuis sepultura. Erat igitur vbique per regnum mœstitia circunfusa, cum hîc Ecclesiæ silerent organa & ora canentium Dominum clauderentur. Octauianus Ostiensis Episcopus à Domino Papa legatus in Franciam, regnum absoluit, Regem ad hoc inducit, vt Reginam quam expulerat, in regnum reducat; non tamen cum debito honore susceptam, nec thoro redditam maritali.* Intelligit autem de Philippo Augusto qui reginam Ingeburgen vxorem abdicauerat, & Mariam pellicem superduxerat. Idem paulo post. *Tota Anglia grauissimo subjicitur interdicto, & tam in monasteriis quàm in Ecclesiis cessantibus quibuslibet priuilegiis, organa lætitiæ diuino sunt suspensa silentio.*

Ad Epist. LIII.

Quòd clericum illum, quem in die vestri introitus secundùm morem vestræ ciuitatis nostra exhortatione de carcere liberastis) pro *vestræ*, quod habent vett. codd. malè anteà irrepserat, *nostræ*. Hic autem locus obseruatione dignus. Nam etiam hodie Episcopi Aurelianensis ciuitatis illum morem retinent, quem ferunt fuisse confirmatum placito Burdigalensis curiæ anno 1522. Sed vnde manarit origo subobscurum est. Videtur fluxisse ab antiquissima illa consuetudine qua Episcopi frequenter apud seculares iudices intercedebant pro reis & carcere detentis, vt vel mitiùs punirentur, vel liberarentur. qua de re alibi fusè dictum est. Priscus auctor in vita S. Aniani Episcopi Aurelianensis ita scribit apud Surium tomo sexto sub die 17. Nouemb. *Cum iam communibus omnium suffragiis Episcopus electus esset, ab Agripino viro illustri & militum magistro petiit, vt eos omnes quos carceres vinctos detinerent, liberos abire pateretur. Recusabat ille, nescio quid causæ prætexens, sed cum vellet in templum precandi causa ingredi, ab alto decidit lapis in caput eius, diramque ei plagam imponens, multum ex eo sanguinem expressit. Sensit illicò ea causa id accidisse, quòd sancti Episcopi preces reiecisset. mittit ergo, iam à famulis reportatus in domum suam, qui Episcopum vocent, mors enim propter nimiam sanguinis fluxionem impendere videbatur. venit Episcopus manu sua vulneri crucis signum imprimit, sanguis sistitur, redeunt vires propè iam deplorato; aperiuntur carceres, & exeunt miseri, beati Episcopi Aniani intercessione in libertatem vindicandi.* Legitur etiam Regem Angliæ voluisse vinculis nexos liberari in fauorem Anselmi, postquam electus fuit in Archiepiscopum Cantuariensem. qua de re Osbernus in quadam epist. ad eundem Anselmum, cuius particulam profero ex antiquo exemplari, quia non hactenus euulgata. *Quid namque insignius ad te eligendum ostenderet Deus, quàm vt tu promouereris, Regem triumphis nobilem, seueritate cunctis formidabilem lecto decubuisse, ad mortem vsque agrotauisse: te autem promoto statim eundem respirauisse, conualuisse, atque ex fero & mitissimum pariter ac mansuetissimum redditum fuisse? Quid inquam, aut ad diuinas laudes magnificentiùs, vel ad humana spectacula gaudentiùs, quàm quòd in tua electione exclusis omnibus transactæ tempestatis afflictionibus, omnia ad proprij iuris possessionem, veluti iubileo termino cucurrerunt, dum vincti ad expeditionem, carcerati ad lucem, captiui ad libertatem, oppressi dirissimis exactorum furoribus redierunt ad erectionem? omnia hæc te loquuntur, tibi famulatur, tuis meritis adscribuntur.* Priscus auctor in vita sancti

Eligij Nouiomensis Episcopi lib. 2. cap. 15. narrat Eligium venisse in ciuitatem Biturigum, vbi complures ob fiscalem iudicem interfectum vincti tenebantur. appropinquante autem sancto viro ianuas carceris diuino nutu confractas fuisse, seras dissipatas, omniaque compeditorum soluta vincula. Tum illum dedisse consilium reis vt ad basilicam sancti Sulpitij confugerent. vbi cum omnia ostia sibi obserata viderent, repentè ostium patefactum fuisse. cumque milites persequerentur fugitiuos, & manu iniecta ferro iterum alligarent coram altari, orationibus Eligij confractas catenas in terram cecidisse, militibus magno metu perculsis, & veniam facti deprecantibus. Similia exempla repeti possunt ex historiis sanctorum. Ac probabile est religiosos & faciles Principes honori atque sanctitati veterum antistitum aliquoties indulsisse priuilegia soluendorum reorum, leuioris tamen culpæ. Verùm vt longissima ætate omnia deprauari solent, verendum est ne nonnulli posteà plausibiles indoctæ & nimium credulæ plebeculæ narrationes commenti fuerint, quibus innixi personale beneficium latiùs extenderent, & gratia licentiùs abuterentur, impunitate trifurciferis præstita. Cuius generis multi hodiè censeri volunt priuilegium seu prauilegium quod vulgò appellant S. Romani Rot. super quo grauissima suborta contentio, & agitata in Concilio Regis. Nullum enim popularis fabulæ de dragone & reo indicium subest in vita sancti illius Episcopi ab antiquo & fideli auctore scripta, & nouissimè diuulgata à doctissimo politissimoque iurisconsulto Rigaltio, quem veri & iusti amor ad id impulit.

Curia traditum) infrà epist. 66. objicit Archiepiscopo Turonensi, quòd clericos sibi aduersantes tradi curiæ faceret clandestinis de lationibus. Quibus locis videtur accipere curiam pro foro sæculari; vt clerici ibi pœnam subirent iudicio laïcorũ. Sic enim curiam distinguit ab Ecclesia epist. 23. vbi dicit se responsurum in Ecclesia pro negociis Ecclesiasticis, & in curia pro curialibus. Item in epist. 137. curiam vitandam esse in causis clericorum. quemadmodum etiam Hildebertus Episcopus Cenom. ait in epistola quadam, reos tormentis afficere, censuram esse curiæ non Ecclesiæ. Et in eundem sensum posteriore sæculo canonistæ id verbi detorserunt in cap. nouimus. extra de verbor. signif. quod brachio sæculari tradi vulgò dicitur. Cum autem ætate Iuonis mutata reipublicæ forma iampridem in Galliis desiissent esse antiqui Decurionum ordines: non potuit dicere clericos tradi curiæ illo significatu & sensu quo vetustiores Pontifices Romani, quorum tempore curialium ordines adhuc in vsu erant. Etenim Fabianus Papa in ca. 28. cau. XI. q. 1. *submotus à clero Curiæ tradatur, cui vita sua omnibus diebus seruiat.* Et Stephanus Papa in ca. 8. cau. 3. q. 4. *clericus quia infamis effectus est, à gradu debet recedere, ac Curiæ tradi seruiturus.* Nempe olim clerici indigni suo officio, & ab Ecclesiæ ministerio segregati, solebant adscribi Curiis, vt indicant verba Impp. Arcadij, Honorij, & Theodosij in l. 39. de Episcop. Eccl. & cler. Cod. Theod. Narrat etiam Epiphanius hist. trip. lib. 1. cap. 9. à persecutoribus Christianos complures datos Curiis, cum tamen curiales origine non fuissent: quod tandem ab Imperatore Constantino magno vetitum fuit. Posteà Iulianus odio religionis orthodoxæ subtraxit priuilegia clericorum, & iterum eos Curiæ tradidit, vt refert idem Epiphanius hist. trip. lib. 6. cap. 7. à quo pariter proditum est multos Episcopos sub Valente traditos curiæ. Nam loco supplicij, deputabantur Curiis, quandoquidem prohibitum sanctione Gratiani, Valentiniani, & Theodosij in l. 108. de Decurionib. C. Theodos. vbi dicunt dignitatem non debere comitari criminosos, sed pœnam. Eiusmodi autem Curiales multis grauibus reipublicæ muneribus erant obnoxij, quorum pondere obruebantur: vnde plerique talia onera detrectabant. Quo factum est vt quibusdam priuilegiis oportuerit munire decuriones ne Curiæ vacuæ relinquerentur magno ciuitatum damno, quemadmodum liquet ex variis constitutionibus sub tit. de Decurionib. in Codice Theodosiano & Iustinianæo.

Ad Epist. LIV.

Cognomine peior lupo) ita omnes nostri manuscripti. In ora libri sui Cuiacius addiderat, *lupus peior lupo*, fortasse fide alicuius veteris codicis. Simile cognomen in notis ad tit. epist. 151.

Districta sacramenta vsque ad septem) anteà cusum, *distincta*, sed minus rectè vt meliores codices euincunt, & similes loci auctoris epist. 170. *nisi priùs districta examinatione probarentur.* & epist. 225. *districtis sacramentis, & per probatas sex personas.* & epist. 232. *consuluit tamen diligentissimis & districtissimis examinationibus esse perquirendum.* Constantius de vita S. Germani Episcopi Autissiod. lib. 1. cap. 13. *quem cum districta examinatione discuteret.* S. Gregorius Papa in ca. habet. cau. 2. q. 5. *ad beati Petri sacratissimum corpus districta eorum ex abundanti fecimus sacramenta præbere.* Purgatoria autem sacramenta exigi à presbyteris infamatis, cum tribus, aut quinque, aut septem collegis dicit Iuo epist. 206. Erant illi qui *sacramentales* vocabantur, vt in prisca lege Alemannorum tit. 6. 7. 37. 90. 91. & in lege Baioriorum tit. 1. & 5. qui etiam *coniuratores* in dicta lege Alemannorum tit. 6. & *compurgatores* in ca. quotiens. & can. accepimus. tit. de purgatione canonica. malè igitur in vno vetere exemplari hac epist. 54. verba illa, *vsque ad septem*, prorsus aberant, quæquidem in reliquis extant. Tale enim istud est eiusdem Iuonis epist. 229. *quinta manu mulieris vel septima purgationem eius accipiatis.* Hildebertus Cenomanensis Episcopus epist. 69. ad Honorium. *Iudicatum est decanum si non pro Nicolao, quibusdam moratoriis causis quærente iudicium differri: pro Ecclesia tamen quæ eum habebat suspectum debere purgari, atque in septima manu ordinis sui suam iureiurando declarare innocentiam.* Arnulfus Lexouiensis Episcopus epist. 9. ad Papam Hadrianum IV. *Abbati est à nobis adiudicata purgatio, septima quidem manu, trium scilicet Abbatum, & trium monachorum sacerdotum notæ opinionis & nominis, quorum iuramentis vulneratæ famæ necessarium posset remedium comparare.* In Alemannorum lege tit. 6. legitur sexta manu iurare. Et in lege Ripuaria tit. 35. septima manu fidem facere. In Frisionum lege tit. 14. sua duodecima manu obiectu criminis se purificare sacramento. & paulo post, duodecima manu perfectorio sacramento se excusare. Etiam in iure canonico huiusce sermonis plura exempla, vt in tit. de purgatione canonica, cap. 5. dicitur purgari quarta & quinta manu. Item in ca. quoties, cau. 2. q. 5. tertia manu sui ordinis, & quarta

manu Abbatum & religiosorum sacerdotum se expurgare. Ita enim ibi legunt aliquot exemplaria, pro quo in aliis est, *& quatuor Abbatum.* Et in can. requisisti. caus. 23. q. 1. septima manu propinquorum, tactis sacrosanctis reliquiis iureiurando dicere, vt etiam in cap. laudabilem. & cap. litteræ. de frigid. & malefic. alibi legitur clericũ mala fama pulsatũ, sola se manu purgare posse, apud Iuonem epist. 206. Hoc de more iurandi locus est singularis in prisca lege Alemannorum tit. 6. de iuratoribus vbi forma rei præscribitur. *Ita vero sacramenta* (inquit) *sic fieri debent, vt illi iuratores manus suas supra capsam ponant, & ille solus cui causa requiritur, verba tantùm dicat, & super omnium manus manum suam ponat, vt sic eum Deus adiuuet vel illa reliquæ, & illas manus quas comprehensas habet, vt de illa caussa vnde interpellatus est, culpabilis non sit.* Manum autem symbolum fidei fuisse veteribus constat. Ideò in Concilio Triburiensi, cuius verba relata ca. si quis. cau. 2. q. 5. vbi agitur de presbyterorum iuramẽto, dicitur: *Manus enim per quam corpus & sanguis Christi conficitur, iuramento polluetur? absit.* Itaque in Capitularibus Caroli Magni lib. 3. cap. 4. & 10. itemque lib. 5. cap. 125. periurus iubetur manum perdere.

Hermoldus in hist. Slauorum lib. 1. cap. 29. *Rudolphus vulneratus in manu dextra, fugit Marcipolim, mortique iam proximus dixit ad familiares suos. Videtis manum dexteram meam de vulnere sauciam. Hac ego iuraui domino Henrico, vt non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ eius. Sed iussio Apostolica, Pontificumque petitio me ad id deduxit: vt iuramenti transgressor, hononorem mihi indebitum vsurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu vnde iuramenta violaui, mortale hoc vulnus accepi.* Quibus verbis coniungi debet quod scribit vetus, &c.

Vetus & anonymus auctor in vita Henrici quarti Imperatoris loquens de Rudolfo regni inuasore. *Magnum mundo documentum datum est, vt nemo contra dominum suum consurgat. Nam abscissa Rudolfi dextera dignissimam periurij vindictam demonstrauit, qui fidem domino suo regi iuratam violare non timuit: & tanquam alia vulnera non sufficerent ad mortem, accessit etiam huius membri pœna vt per pœnam agnosceretur & culpa.*

Ad Epist. LV.

Hugoni) Baron. tom. xj. Annal. reprehendit hunc Hugonem, quia imperium nimis importunè exerceret aduersus Belloùacensem electum. & in hanc rem trahit epist. 30. ad Fulconem.

Districtiùs indicasse) quidam cod. *vindicasse.* & epist. 60. *in quibusdam districtè iudicarone.*

Ad Epist. LVI.

Philippo) Baronius tom. xj. Annal. refert hanc epistolam ad annum octauum Pontificatus Vrbani secundi. demum transcripta epistola subjicit multùm obesse Ecclesiæ indiscretos ministros, cum præcipiunt interdum absque consilio dura quæ præstari vix possunt.

Ad Epist. LX.

Hugoni Lugdunensi Archiepiscopo) Baronius tomo xj. Annal. sub anno Christi 1099. Pontificatus autem Vrbani duodecimo, adnotat hunc legatum Apostolicum in culpa fuisse, qui rem exigeret nimis audacter & importunè magno cum imperio, & addit, ministrum improuidũ conjecisse statum Gallicanæ Ecclesiæ in magna discrimina. Demum liberè fatetur Vrbanum Papam huius sui legati verbis stimulatum, vehementer in ipsum Iuonem fuisse commotũ, quia scilicet prudẽtia carnis & non spiritus quæ perperam facta sunt à ministris, defendi solent.

Sed si his exactionibus cederet) ita correctum ex v. c. anteà mendosè cusum, *actionibus.* Cæterum idem Bar. offensus quod hîc dicitur, inuestituram Episcopatus à Rege Galliæ factã nihil officere religioni: scribit reliqua huius epistolæ verba scabrosiora planè esse, cum de inuestituris vetitis Iuo nimium abiectè loquatur, immò despectè multa ingerat, quæ nisi corrigerentur ab aliis eiusdem auctoris epistolis, in maximum discrimen adduxisset famam suam & gloriosum nomen, quod ex defensione Apostolicæ veritatis sibi dignissimè comparanerat.

Inuestituram de manu Regis accepisse.) Reperitur capitulum Siluestri Romanæ Ecclesiæ Pontificis ex illius epistola ad Nicolaum Ecclesiæ sanctæ Rufinæ Episcopum. *Nulli clericorum præbendas vel ecclesiastica officia nisi manu Episcopali, vel manu Abbatis, vel Regia manu in sancta accipiant Ecclesia: quod si aliter fecerint, sciant stare non posse acceptionem huiusmodi.* Sed posteriores pontifices ne quidem ipsis Regibus id licere voluerunt, vt notatum ad epist. 233. Quo etiam spectant verba Paschalis Papæ in epist. ad Anselmum, de legatis Regis Anglorum loquentis. *Audiuimus eos dixisse, quia si Rex tu alius benè ageret, nos inuestituras Ecclesiarum non prohibere, nec factas excommunicare: & quòd ideo nolebamus cartæ committere, ne sub hac occasione & cæteri Principes in nos inclamarent. Vnde Iesum qui renes & corda scrutatur, in animam nostram testem inducimus, si ex quo huius sanctæ sedis curam cœpimus gerere, hoc immane scelus vel descendit in mentem.* Et paullopost. *si verò nostro silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis & impietatis radice pollui, qua ratione possemus apud internum iudicem excusari? non est laicorum Ecclesiam tradere, nec filiorum matrem adulterio maculare. Iure igitur priuandus est patrimonio qui matrem polluit adulterio, nec meretur ecclesiasticæ benedictionis consortium qui eam impia infestatione insequitur. Laicorum est Ecclesiam tueri non tradere.* Et paullopost: *A sacris canonibus inhibitum, ne principes & seculares viri inuestituras non solùm non dare, sed nec electioni Episcoporum se audeant violenter inserere.* His coniunge quæ notantur ad epist. 190.

Quæ de munificentia Regum obtinent Ecclesiæ.) Hinc multorum querelæ subortæ, qui ingrati animi notam clero inusserunt. Walthramus Episcopus Nuverburgensis in tractatu de inuestituris Episcop. *Romani Pontifices, aliique præsules de rebus & fundis per deuotos laicos & laicas acquisitis, & à sæculari potestate confirmatis, struxerunt & ornauerunt ecclesias: & à quibus acceperunt gratiam, non debent eis inferre contumeliam: & si de inuestituris peccauerunt, exempli primi Gregorij exhibeantur: quod Paulus dicit, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Otto Frinsigensis Episcopus in præfatione lib. 7. chronici. *Non desunt tamen qui dicant Deum ab hoc regnum imminui voluisse, vt Ecclesiam exaltaret. Regni quippe viribus ac beneficentia Regum exaltatam & ditatam nemo ambigit Ecclesiam: constatque eam non priùs in tantum regnum humiliare potuisse, quàm ipso ob amorem sacerdotij euiscerato ac viribus exhausto, non eius tantùm, id est spirituali, sed suo proprio materiali scilicet gladio percussum destruetur, quod iudicare vel discutere, supra nostras vires est. Videntur tamen culpandi sacerdotes per omnia, qui regnum suo gladio, quem*

ipsi ex Regum habent gratia, ferire conantur.

Leodienses in epistola aduersus Paschalem Papam secundum. *Igitur ex verbis istorum & sanctorum Patrum, consulant sibi Episcopi Regibus & Imperatoribus obnoxij ex eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio, id est eorum beneficiis eos interficiant.* Eodem spectant verba Goffridi Vindocinensis Abbatis, qui postquam multa disputauit, de inuestituris Ecclesiarum à Regibus fieri solitis, concludit ecclesiam debere cauere in sua libertate asserenda, nedum nimis emunxerit, eliciat sanguinem, & vas ipsum frangat, dum rubiginem de vase conatur eradere. locus prolatus est infrà ad epist. 190.

In manu præsidentium, vt ea in quibusdam districtè iudicarent) solus cod. Put. *in manu possidentium*; sed deprauato sensu. Nam statim appellat præsidentes, quemadmodum epist. 190. & 191. & 233. quo nomine subintelligit pontifices Romanos. eodem spectat quod dicitur epist. 236. in partibus Germaniarum & Galliarum multos pastorales virgas reddidisse, & per manum Apostolicam refutatas inuestituras recepisse: quod summi Pontifices minimè fecissent, si in tali inuestitura hæresim & peccatum in Spiritum sanctum latere cognouissent. Ad hunc autem locũ illustrandum, iuuabit aliquot exempla colligere ex scriptoribus illius sæculi. Vetus auctor in vita sancti Ottonis, narrat anno millesimo centesimo secundo, post obitum Ruperti, allatis Episcopatus insignibus ad aulam Imperatoris Henrici quarti, collatum fuisse Episcopatum Baberburgensem Ottoni: qui licet inuestitus fuisset ab Imperatore, tamẽ actus scrupulo, vouit Romam proficisci, vt à Papa denuò inuestiretur, & consecraretur. Verba auctoris digna sunt quæ transcribantur. *Hac ratione atque hoc ordine pontificatus cathedram scandere coactus, ægrè quidem & cum multa hæsitatione consensit, propter contentionem illam quæ erat inter regnum & sacerdotium causa inuestituræ & electionum Ecclesiarum, quas euacuare sibique vendicare plus æquo nitebatur Imperialis auctoritas. Rursus autem verebatur, nõ sine diuinitatis nutu iam tertiò sibi offerri episcopatum, eumque si tertiò repudiaret, posse in ipsum competere illam sententiam: noluit benedictionẽ, & elongabitur ab eo. Inter has ergo angustias positus, quod vnum salutare existimabat, ad sancta & apostolicæ sedis & catholicæ matris auxilium confugere decreuit. In ipso igitur articulo, cùm adhuc in aula Imperatoris esset, votum nuncupauit domino, nunquam se in episcopatu permansurum, nisi consentiente & postulante ecclesia sua, ipsius Pontificis maximi manu & consecrari & inuestituram consequi mereretur.* Et paullo post sequitur: *Memor autem voti sui, post paucos dies ab ingressu suo in oppidum, priusquam de rebus cæteris quicquam constituerent, nuncios Romam mittit cum litteris ad dominum Paschalem Pontificem eius nominis secundum: à quo per litteras euocatus, Romam profectus est: quò cum in ipsis Ascensionis Christi feriis peruenisset, nec ibi Pontificem inuenisset, in Campaniam abiit, & Anagniæ eum reperit. qui autem cum illo venerant viri honorati data & accepta salute, Pontificem etiam Ecclesiæ Bambergensis nomine salutant, suasque preces & vota pro electo antistite suo subiungunt. Otto verò nihil cunctatus ordinem & modum suæ ad Episcopatum euectionis exponit, nihil tegit silentio, pedum & annulum ad Pontificis pedes deponit, temeritatis & errati veniam petit, addens tamen non sua voluntate, sed aliena potestate ita factum: postulat aduersùs seipsum canonicæ censuræ vltionem. Tum Pontifex Paschalis admiratus viri summam prudentiam & constantiam, leuare eum iubet insignia. ille verò negat, indignumque se protestatur.* Et deinde: *Moxque vale dicens Pontifici & eius curiæ, domum abire cœpit. Ecquid verò faceret? obedientiæ præcepto retrahitur, à Comitibus impellitur, atque ita eum tremore & reuerentia reuersus ad Pontificem, in ipsa sacratissima Pentecoste petentibus Babenbergensis Ecclesiæ legatis, ab ipso Pontifice Romano accipit inuestituram, & cum multo decore & exultatione totius curiæ, inuocato Spiritu sancto, inter missarum solemnia Episcopus consecratur.* Hæc ille vt sunt verba concepta in editione Surij. Matthæus Paris: *Anselmus Cantuariẽsis,* ait, *Regi quæ Romæ decreta in Concilio generali acceperat de inuestituris Ecclesiarum plano sermone descripsit: quod videlicet nullus Ecclesiarum Prælatus, Episcopus, vel Abbas, vel Clericus inuestituris alicuius ecclesiasticæ dignitatis de manu susciperet laicorum. vnde idem Archiepiscopus degradauit Abbates quosdam, qui de manu laicorum & data pecunia abbatias obtinuerant. Et quoniam ad iussionem Regis quosdam Episcopos qui institutiones à Rege susceperant consecrare noluit, vel eis communicare: Rex vehementer iratus præcepit Girardo Eboracensi Archiepiscopo, vt eos consecraret. Sed Vuillelmus Giffardus Vintoniensis electus qui consecrari debuit, Girardi spreuit consecrationem. quare Regis iudicio eliminatur à regno. Reinelmus verò Herefordensis antistes, eo quod à Rege institutionem acceperat, ei suum reddidit præsulatum.* Sed in consequente narratione non dissimulat veniam degradatis antistibus factam, media pecuniarum oblatione.

Anno Domini M. C. III. *Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus post multas tribulationes & iniurias quas à Rege perpessus fuerat, Romam perrexit sicut inter ipsum & Regem conuenerat, ducens secum degradatos Abbates, & Vuillelmum Vuintoniẽsem electum, qui Romam veniens à Papa Paschali susceptus est reuerentur. dehinc die pro Regiis constituto negotiis, Vuillelmus de Vuarenast clericus & procurator Regis Anglorum, causam ipsius in medium tulit; ac inter alia constanter allegauit, quòd nec ipse pro Regni amissione inuestituras Ecclesiæ amittere velit, & hoc verbis minacibus affirmauit. ad hæc Papa, si quemadmodum dicis Rex tuus, nec pro Regni amissione donationes ecclesiarum amittere pateretur; scias præcisè, coram Deo dico, quia nec pro mei capitis redemptione eas illi impunè permitterem obtinere. In his ergo Regis negotio terminato, Anselmus Archiepiscopus pro Episcopis & Abbatibus degradatis multa precum instantia dominum Papam rogare cœpit vt cum illis misericorditer dispensaret, vt possent amissas recipere dignitates. tunc sedes clemẽtissima quæ nulli deesse consueuit (dummodo aliquid albi vel rubei intercedat) præscriptos Pontifices & Abbates ad pristinas dignitates reuocauit, & cum gaudio ad proprias sedes remisit.* Hæc ille monachus Albanensis. Willielmus quoque Malmesburiensis in vita Vuillelmi secundi loquens de Herberto, qui magnus symoniæ in Anglia fomes Abbatiam Episcopatumque nummis fuerat aucupatus à Rege: *Veruntamen* (ait) *erroneum impetum iuuentutis aboleuit pœnitentia, Romam profectus seuerioribus annis: vbi loci symoniacum & baculum & annulum deponens, indulgentia clemẽtissimæ sedis iterum recipere meruit: quòd Romani sanctiùs & ordinatiùs censeant vt Ecclesiarum omnium sumptus suis potiùs marsupiis seruiant, quàm quorumlibet Regum vsibus militent.* Sed & ex epistolis Anselmi & Paschalis Papæ secundi liquet multos Episcopos ob inuestituras & hominia facta Regi Anglorum fuisse solutos vinculis censuræ Papalis. Anselmus enim in epist. ad Paschalem. *Audiui in Romano Concilio à venerabilis memoriæ domno Papa Vrbano excommunicari Reges, & omnes*

laïcos inuestituras & res Ecclesiarum dantes, & ab illis accipientes, & qui propter hoc eorum homines fiunt, & eos qui accipientes consecrant. aut ergò, si sanctitati vestræ placet, hanc excommunicationem in Anglia absoluite, vt in ea manere possim sine animæ meæ periculo, aut eam vos seruare velle (quicquid mihi inde contingat) vestris litteris significate; aut si quid discretioni vestræ placet excipere, eadem certitudine nominatim quid illud sit, intimate. De illis quoque qui intra prædictas inducias inuestituras prohibitas accipiunt, & qui eos consecrant, quid mihi faciendum sit vestra instrui iussione desidero.

Cuius petitioni respondit Papa his verbis. *Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Anselmo Cantuariensi Archiepiescopo salutem & benedictionem. Quia Anglici regis cor ad apostolicæ sedis obedientiam omnipotentis Dei dignatio inclinauit, eidem miserationum domino gratias agimus, in cuius manu regum corda versantur. hoc nimirum tuæ caritatis gratia, tuarumque orationum instantia factum credimus, vt in hac parte populum illum cui tua sollicitudo præsidet, miseratio superna respiceret. Quia autem & regi & his qui obnoxij videntur adeò condescendimus, eo affectu & compassione factum noueris, vt eos qui iacebant erigere valeamus. Qui enim stans iacenti ad subleuandum manum non porrigit, nunquam iacentem eriget, nisi & ipse curuetur. cæterum quamuis casui propinquare inclinatio videatur: statum tamen rectitudinis non amittit. Te autem frater in Christo venerabilis & Karissime, ab illa prohibitione, siue, vt tu credis, excommunicatione absoluimus, quam ab antecessore nostro sanctæ memoriæ Vrbano Papa aduersus inuestituras aut homines factam intelligis. Tu verò eos qui inuestituras acceperunt, aut inuestitos benedixerunt, aut hominia fecerunt, cum ea satisfactione quam tibi per communes legatos Willelmum & Baldeuuinum viros fideles & veridicos significamus domino cooperante suscipito, & eos vi nostræ auctoritatis absoluito; quos vel ipse benedicas, vel à quibus volueris benedici præcipias: nisi aliud in eis forte reppereris propter quod à sacris sint honoribus repellendi. Cæterum Eliensi Abbati tuæ communionis consortium subtrahes, quamdiu Abbatiam retinere præsumpserit, quam contempto nostri oris quod præsens audierat interdicto, per repetitam inuestituram præsumpsit inuadere. Si qui verò deinceps præter inuestituras Ecclesiarum prælationes assumpserint, etiamsi Regi hominia fecerint, nequaquam ad hoc à benedictionis munere arceantur, donec per omnipotentis Dei gratiam ad hoc omittendum, cor regium tuæ prædicationis imbribus molliatur, &c.* Hæc Paschalis: cuius verba transcripsi è vetusto codice manu exarato. nam Willelmus Malmesburiensis qui eandem epistolam inseruit suæ historiæ lib. 5. in Henrico primo, aliquot lineas vel sciens omisit vel in suo exemplari non habuit. Idem historicus de gestis Pontif. Angl. lib. 2. *Venit igitur rex sublimi trophæo splendidus, & triumphali gloria Angliam inuectus, inuestiturasque Ecclesiarum Anselmo in perpetuum in manum remisit: eodem concedente, vt propter hominium Regi factum nullus arceretur à benedictione, consecrati sunt ergo Cantuariæ quinque Episcopi ab Anselmo.* Sed & ipsimet Anselmo cum fuisset anteà consecratus Archiepiscopus Cantuariæ, & hominium fecisset Angliæ regi, Papa Vrbanus aut culpam remiserat, aut dissimulauerat; quemadmodum constat ex eiusdem Anselmi epistola ad walterum Episcopum Albanensem & Cardinalem, cuius super eo facto calumnias diluit. sic autem locus conceptus est in priscis membranis. *Dicitis quosdam illorum* (de Episcopis Angliæ loquitur) *vobis dixisse, ideò non offendisse in me, quia permisi me à Catholica Ecclesia transferri ad scismaticos, & ab illis consecrari, si fieri, sicut additis, potest, & à scismatico rege inuestituram accepisse, & illi fidelitatem & hominium fecisse: quos omnes sciebam esse scismaticos & diuisos ab Ecclesia Christi, & à capite meo Vrbano Pontifice, quem ipsi me audiente abnegabant. Certè nec sciebam nec scio eos scismaticos, aut sic diuisos ab Ecclesia fuisse vt dicunt, & si aliquis eorum qui hoc vobis dicunt, me præsente hoc diceret, ostenderem rationabiliter non ita esse. Illi enim non abnegabant canonicum Romanum Pontificem quicumque esset: nec Vrbanum negabant esse pontificem, sed dubitabant propter illam quæ modo nata est, dissentionem, & propter dubitationem illum suscipere quasi certum differebant, nec vllum iudicium eos ab Ecclesia segregauerat; & omnino obedientiam Romanæ sedis tenere se fatebantur, & sub professione obedientiæ Romani Pontificis me consecrauerunt. Denique dominus Papa sciebat me esse consecratum & à quibus, & cui regi feceram quod feci: & tamen pallium quod Archiepiscopus Cantuariæ solet habere, mihi per vestram caritatem non vt scismatico sed vt accepto, non vt reprobans sed vt approbans misit, & sic quod de me facturus erat confirmauit. Ipse huius confirmationis auctor, & domnus Walterus Episcopus Albanensis & Cardinalis hac eadem sciens minister eius & executor. Si vobis hæc calumnia attendenda videtur, cur eam ante pallij concessionem mihi tacuistis; Si negligenda putatur, vos iudicate quàm diligenter sit à vobis inculcanda.* Hactenus Anselmi verba non anteà typis vulgata.

Nec ista dico tanquam velim aduersus apostolicam sedem caput erigere) Bar. hic adnotat, antidotum sequens ab auctore appositum fuisse, quia in deteriorem partem superiora de inuestituris accepta videri poterant virus habere. Sed æquis rerum æstimatoribus auctoris sententia reprehendi vix potest. Nam & aliis locis ita se adhærere Romani Pontificis decreto profitetur, si modò salua Reipublicæ Christianæ concordia, inuestituræ à laïcis fieri solitæ tolli possunt. nimirum illud vetus oraculum semper fixum esse oportet, SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO.

Me nesciente communioni reddidistis) hac de re pariter reprehendit Fulconem diaconum Paris. epist. 112. Ex Concilij enim Antiocheni canone sexto, à proprio Episcopo excommunicatus, non priùs suscipi ab aliis debuit, nisi à suo receptus Episcopo. quod refertur ca. 2. si quis. cau. XI. q. 3. Immò ab vno excommunicatus, à vicinis quoque excommunicandus erat, vt scribit auctor epist. 76. & 194.

Similis autem conquestio Goffridi Vindoc. Abbatis in epist. ad Radulfum Turon. Archiep. *Super Herduino de Malliaco apud vos sæpissimè conquesti sumus, & propter multa grauamina quæ monasterio nostro iniustè & violenter fecerat, cum à vobis iustè & rationabiliter cognouimus esse excommunicatum: sed absque præcedente satisfactione illum impœnitentem audiuimus absolutum. Quod si ita absolui potuisse creditur, quid peccatum noceat, & quid pœnitentia prosit, non videtur. Nam si vera miseria impœnitentibus negatur, profectò eis qui de peccatis suis pœnitent, falsa beatitudo promittitur.*

Idem epist. ad Hildebertum Cenom. Episc. *excommunicatus vel interdictus eo reclamante qui eius iniuriam sustinuit, consequi non debet remedium absolutionis. Quæ cum ita sint, miramur vehementer*

qua ratione H. absolutus dicatur, contra quem iniuria nostra adhuc clamant, & adhuc queruntur. Denique huius rei suspicione purgat suos monachos epist. ad Goffridum Carnotens. Episcop. *Quod à fratribus nostris excommunicati vestri suscipiebantur, ei opposuistis. Hoc non à vobis sed ab alio inuentum credimus, qui quasi Susannam criminatus testimonium protulit falsitatis. absit enim à sinceritate fratrum nostrorum tanta Christi iniuria, & ecclesiasticæ iniuriæ tam detestabilis sepultura. Ipsi enim Dei iustitiam sepelire non nouerunt. Sed vbi mortuam agnoscunt, suis orationibus conantur suscitare.*

Ad hæc saltim duo) ita v. c. Put. alij *saltem*. In v. c. S. Germ. tantùm legitur, *ad hæc duo*. Semel monitum velim, vbi offendi *saltim* in priscis membranis, me retinuisse, alibi non mutasse. Ea de vocula quæ olim notata nil opus est repeti.

Ad Epist. LXI.

Hugoni) Baronius tomo 12. Annal. dicit hanc epistolam esse planè egregiam, de comprimendo fastu Apostolicæ legationis.

Augustiduni) quidam libri, *Augustuduni*. sed in quinque manuscriptis clarè, *Augustiduni*, quæ scriptura etiam habetur in plerisque aliorum auctorum membranis. Hericus Benedictinus lib. 1. vitæ S. Germani Autissiod. in descriptione Heduæ vrbis. *Vrbs quoque prouectum meritisque & nomine sumpsit. Augustidunum demum cum cœpta vocari, Augusti nomen transfert quod Celtica lingua*, Guillermus Brito Philippidos lib. 1. notat hanc ab Arturo Romanis subductam, & posteà à Rollone Norvuego euersam, redactam in nihilum prorsus vix vt vestigia restent.

Rei fieri sponsionis quam metropolitano) vide notata ad epist. 237.

Ad Epist. LXII.

Secundùm rigorem canonicum) sic plerique veteres codd. antea *canonum*. Ita dixit canonicas sententias epist. 15. canonicam seueritatem epist. 51. & canonicam iudicium epist. 101. vt canonicum censuram epist. 162. & canonicam calumniam, atque clamorem canonicum epist. 268.

Legis in qua legitur. Si quos culpatorum Regia potestas.) iisdem verbis hanc eandem refert infra epist. 171. ad Daimbertum. Sed & in suo decreto, parte sexta decima, cap. 344. profert ex libro septimo Capitularium cap. 383. cum tamen in excusis exemplaribus non putem hodie reperiri, vt indicio sit Iuonem vsum fuisse codicibus amplioribus. habetur autem in Concilio Toletano duodecimo, cap. 3. quodquidem celebratum fuit sub Ervigio Rege verba subiicere operæpretium est. *Vidimus quosdam, & fleuimus ex numero culpatorum receptos in gratiam Principum, extorres extitisse à collegio sacerdotum. Quod denotabile malum illa res agit, quia licentia principalis in quo se solui* * *licentius curat, ibi alios alligat, & quos in suam communionem videtur suscipere, à communione & pace ecclesiæ eligit separare; vt qui cum illo conuescunt sola sacerdotum communione priuentur. Et ideò quia remissio talium qui contra Regem, gentem vel patriam agunt, per definitiones canonum antiquorum in potestate solùm Regia ponitur, cui & peccasse noscuntur; adeò nulla se deinceps à talibus abstinebit sacerdotum communio: sed quos Regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hos etiam sacerdotum & populorum conuentus suscipere in Ecclesiasticam communionem debebit, vt quod iam principalis pietas habet acceptum, neque à sacerdotibus Dei habeatur extraneum.* Hic autem culpatorum nomine verum est intelligi excommunicatos, vbi obseruandum, maioribus visum fuisse nihil officere securitati conscientiæ, si quis communicaret excommunicato cui Rex communicaret. quam in sententiam pariter notanda verba Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi: qui cum pertinaciter repugnaret Henrico Anglorum Regi ob iura inuestituræ, & vetaretur à Paschali Papa ne communicaret cum illis qui de manu Regis acceperant ecclesiarum inuestituras: attamen fatebatur cæteros posse impunè communicare illis quibus Rex communicabat. locus est in epist. ad Ernulphum Priorem. *Audistis quibus ex præcepto Apostolici communicare non possum sine animæ meæ periculo, quorum communionem Regi communicans, dum ipse eis communicat, vitare non valeo. hic consideret aliquis quid facere possim cum veniam ad Regem coronandum, & missam celebrabo, & ipsi circa me erunt. Certè illos expellere nequeo: cum illis orare non audeo. Regi subtrahere solitum officium non debeo, quoniam domnus Papa & illi concedit, & mihi, vt faciam si præsens sum, præcipit. Si mihi dicitur vt domi maneam, ad curiam non eam, & sic me aliâ bona officij mei faciens à communione malorum abstineam, conqueretur Rex cum omnibus Episcopis & Principibus suis, quia cum illum coronare nolo, aufero ei corona suæ honorem; quem ei primas regni sui debet per consuetudinem: vnde iustum illis videbitur, & opere complebunt vt dignitas Ecclesiæ nostræ ad aliam Ecclesiam transferatur.* Et in fine epistolæ: *Consilium nostrum petitis quid agere debeatis inter eos & cum eis quorum communionem mihi domnus Papa interdixit. Quæ res ita dubia est, vt nimis difficile sit non communicare eis quibus Rex communicat, præsertim cum mihi soli Romæ à Papa ista interdicta sit communio: nec audeo præcipere vt illis communicetis quibus ego non communico. Sed si ita permanseritis sicut vos dimisi, nequaquam vos reprehendo. Non enim potestis à toto regno discordare, nec participes estis eorum malitiæ.* Locum exscripsi è vetusto codice, quia nondum illa epistola typis edita fuerat.

* al. volui.

Ad Epist. LXIV.

Lugdunensis Archiepiscopi institutum.) huius etiam tacito nomine meminit epist. 30. fortasse Hugo est, cuius crebra mentio his epistolis, de cuius legatione sæpius repetita in Galliis sub Gregorio septimo, Vrbano secundo & Paschali secundo dictum est ad epist. 24.

Ad Epist. LXV.

Et alia inuenilia desideria) solus cod. S. Victoris, *iuuenialia*, fortasse pro *iuuenalia*, quæ postrema scriptura frequens in membranis veterum auctorum.

Subiectionem Parisiensi Ecclesiæ debitam.) Illo sæculo monachi omnem lapidem mouerunt vt liberi planè essent à iurisdictione & censura Episcoporum: quam in rem propesi & faciles fuere Pontifices Romani. Id Iuoni minimè gratum, aut legitimum visum, vt hic locus ostendit, & alter epist. 195. vbi refellit exceptiones Abbatis Vindocinensis, qui sub prætextu obedientiæ Romanæ, nolebat edere professionem debitam Episcopo Carnotési. S. Bernard. Clar. Abbas ad

Innocentium Papam scribens de Treuerensi Archiepiscopo, qui monasterium sancti Maximini recuperare volebat sedi episcopali, repugnantibus licet monachis, dicit illos non tam (vt simulabant) appetiisse libertatem quàm fugitasse disciplinam, epist. 179. & 180. Idem in epist 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscop. miratur quosdam Abbates sub humili habitu & tonsura tam superbè sapuisse, vt cum ne vnum quidem verbulum de suis imperiis subditos prætergredi paterentur, ipsi propriis Episcopis obedire contemnerent, & spoliarent ecclesias vt emanciparentur, & redimerent se ne obedirent. Et paullopost adjicit, libertatem ecclesiæ quam se quærere dictitabant, libertatem esse omni seruitute seruiliorem, quæ addicebat illos pessimæ superbiæ seruituti. Extat insignis & memoratu digna historia super contentione monachorum beati Walerici, qui commentitia finxerunt priuilegia cuiusdam Romani Pontificis, quæ non puduit illos palam exhibere, & iactare in celebri conuentu Remensi, vt scilicet comprobarent nulli se subiectos nisi Romano Pontifici. Quorum fraudem detexit Godefridus Episcopus Ambianensis, cum veste abtersisset atramentum scripturæ recentis. Monachi tamen Romam profecti, largitione munerum quod volebant impetrarunt à Paschali secundo, vt narrat Nicolaus monachus Suession. in vita dicti Godefridi lib. 2. c. 11. & 14. & 15. qui tamen testatur Paschalem suũ posteà retractasse iudicium, cap. 21. à quo tempore Abbatia sancti Walerici paruit Episcopo Ambianensi, vt inquit cap. 24. Iunge notata ad epist. 108.

De pace sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vestra prosperitate.) hæc dicit propter factionem Antipapæ quæ tunc Romæ adhuc vigebat, vt notatum suprà ad epist. 24.

Ad Epist. LXVI.

Vanizando dicunt) S. Bernardus Claræu. in epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum. *Nostris necessitatibus detrahitur quicquid accedit vanitatibus vestris, duo denique mala de vna procedunt radice cupiditatis, dum & vos vanizando peritis, & nos spoliando perimitis.* Sic enim puto castigari debere quod vulgò cuditur *vanitando.*

Abbas Burgulïensis) quidam, *Burgoilensis*, vel *Burgoliensis ad curiam in Natale venisset)* quidam lib. *in Natali.* curiam hoc loco accipit de Regia, quemadmodum epist. 28. & epist. 158. *ad curiam quæ habenda est in natale Domini, Suessionis*: & epist. 190. *ad curiam suam, quæ Aurelianis in natale Domini congreganda erat.* alibi meminit curiæ habitæ Paschali festo epist. 62. nempe solemnes erant conuentus à Francorum Regibus indici consueti. Turpinus Archiepiscopus Rem. lib. de vita Caroli Magni cap. 20. *in quatuor solemnitatibus per circulum anni, præcipuè in Hispania, curiam suam tenens coronam Regiam & sceptrum gestabat; die scilicet natalis Domini, & die Paschæ, & die Pentecostes, & die sancti Iacobi.* De eiusmodi Gallorum veterum Regiis conuentibus seu curiis multi historicorum loci collecti sunt ab Hotomano lib. 1. de antiquo iure Regni Gallici cap. 13. & 14. id etiam in vsu fuit aliis Regibus. vetus auctor lib. de vita Henrici quarti Cæs. Rex *curiam Moguntinam ad natalem Domini indixit, inuitauit proceres, accersiuit multos.* Et paulopost. *vt causa patris tui Paschalem curiam alibi disponas.* Et mox. *vbi nobis curia Paschalis habenda fuerat.* Matthæus Paris in vita Willielmi Regis Anglor.

Plures & pleniores sacculi nummorum) Glaber Rodulphus histor. Francor. lib. 2. cap. 6. de prælationibus turpi lucro arreptis, grauiter illius sæculi symoniacam labem deplorat. *iamdudum* (inquit) *muneribus excæcatis ineptis penè vniuersis Principibus, deseuit hæc pestis, longè lateque, in ecclesiarum quibuscunque prælatis toto terrarum orbe diffusis, denique omnipotentis Christi domini gratuitum ac venerabile donum, ad propriæ damnationis cumulum conuerterunt in auaritiæ lucrum. ideoque huiusmodi videlicet prælati tanto minus ad diuinum peragendum opus idonei, quantò constat quia non ad illud accesserunt per aditum principalis hostij. Et licet aduersus talium personarum procacitatem multipliciter clamet sacrarum Scripturarum canon, nunc tamen solito multipliciùs comperitur fieri in diuersis Ecclesiarum ordinibus. Nam ipsi reges qui sacræ religionis idonearum decretores personarum esse debuerunt, munerum largitione corrupti, potiorem quempiam ad regimen ecclesiarum vel animarum dijudicant illum à quo ampliora munera suscipere sperant. atque idcirco per maximè quique procaces ac turgore superbia inflati, sese vltrò cuique prælationi ingerunt, minus formidantes incurrere lapsum neglectæ pastoralis curæ, quoniam tota solummodo pendet fiducia ex loculis collectæ pecuniæ, non ex percepta donis sapientiæ: tantoque ampliùs adepto regimine student auaritiæ, quantò constat propriam ex illa ambitionem impleſſe: ac velut idolo sibi pro Deo constituto illi seruiunt, per quam scilicet informati ad tale nomen absque merito vel opere proruperunt: fitque minus cautis deceptoria imitandi forma; ac perinde viciſſim contumax inuidentia.* Et paulo post. *hinc etiam procedunt litigiorum tumultus assidui, oriunturque frequentia scandala ac diuersorum transgrediendo conuellitur* (sic legendum est) *tenor ordinum.* Idem historicus lib. v. cap. vlt. laudat Henricum Regem, qui proposito edicto vetuerat ministerium ecclesiasticum aliquo precio conquiri, datori atque acceptori cum iactura honoris minatus anathema. Tum refert illum dixisse Gallicanis Episcopis symoniacæ philargiriæ nequitia corruptis: *Sicut mihi dominus coronam imperij sola miseratione sua gratis dedit: ita & ego quod ad religionem ipsius pertinet, gratis impendam. Volo, si placet, vt & vos similiter faciatis.*

Sustinete interim donec de isto faciam proficuum meum) sic habent omnia exemplaria, ne quis de mendo suspicetur. Eadem voce illius æui scriptores vsi, vt Gregorius septimus lib. 6. epist. 2. Manassæ. *ne debeat grauiter ferre si studeamus ad tempus pro communi honestate atque proficuo, petita contra vtilitatem denegare.* Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus epist. ad monachos Beccenses. *Regis gratiam quæ vobis necessaria est, sine omni proficuo, immo cum damno maximo non perdatis.* Hinc autem deprehendi potest Philippi Regis inexplebilis auri fames, qui solebat venundare ecclesias, nec sinebat liberas esse electiones, aut electos suffragiis cleri & populi adipisci Episcopatum & Abbatiam, nisi pecunias conferrent. Lisiardus Episcopus Suessionensis in vita sancti Arnulphi cap. 9. *Instigante ambitionis spiritu, Pontius quidam pseudomonachus gradu comparatiuo non secundum grammaticam sed iuxta si-*

moniam, à Rege Francorum Philippo nomen & sedem Abbatis adipiscitur. vt non immeritò Matthæus Paris in Willielmo secundo, dixerit hunc Philippum pecuniæ tenebris excæcatum fuisse. Hanc sordidam auaritiam variis locis grauiter reprehendit itidem Gregorius. verba sunt lib. 1. epist. 35. ad Rodertum Cabilonensem Episcopum.

GREGORIVS EPISCOPVS seruus seruorum Dei Roderio Cabillonensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

INter cæteros nostri huius temporis principes, qui Ecclesiam Dei peruersa cupiditate venundando dissipauerunt, & matrem suam, cui ex Dominico præcepto honorem & reuerentiam debuerant, ancillari subiectione penitus conculcarunt, Philippum Regem Francorũ Gallicanas ecclesias in tantum oppressisse certa relatione didicimus, vt ad summum tam detestandi huius facinoris cumulum peruenisse videatur. Quam rem de regno illo tanto profectò tulimus molestius, quanto & prudentia & religione, & viribus noscitur fuisse potentius, & erga Romanam Ecclesiam multo deuotius. Et nos quidem tam generalis nostræ curæ sollicitudinis, quàm ipsarum destructio ecclesiarum vehementer accenderat, vt in tam audaces sanctæ religionis excessus seueriùs animaduertere deberemus. Sed quoniam anteactis diebus, per familiarem suum cubicularium videlicet Albericum, ad nostri censuram iudicij, & vitam corrigere, & ecclesias ordinare firmiter nobis respondit, rigorem canonicum interim exercere distulimus. Huius ergo promissionis fidem in Matisconensi ecclesia pastoris regimine diu desolata, & ad nihilum penè redacta in primis volumus experiri, vt scilicet Augustodunensem Archidiaconum vnanimi cleri & populi consensu, ipsius etiam, vt audiuimus, Regis assensu electum, episcopatus dono gratis, vt decet, concesso, ecclesiæ præfici patiatur. Quod si facere noluerit, indubitanter nouerit, nos hanc ecclesiæ ruinam, nequaquam diutiùs toleraturos, & ex auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli duram inobedientiæ contumaciam canonica austeritate correcturos. Nam aut Rex ipse repudiato turpi simoniacæ hæresis mercimonio, idoneas ad sacrum regimẽ personas promoueri permittet, aut Franci pro certo, nisi fidem Christianam abiicere maluerint, generalis anathematis mucrone percussi, illi vlterius obtemperare recusabunt. Hæc ideò frater carissime, vigilantiæ tuæ intimare curauimus, quatenus ea prædicto Regi insinuare, & exhortando & rogando, modisque omnibus inculcare studeat, vt & præfatam Matisconensem, aliasque ecclesias canonicè concedat ordinari. Tibi ergò maximè hæc idcircò iniungimus, quia prudentiam tuam magnam esse, & regia familiaritate vti cognouimus. Si qua autẽ quæ dicenda erant, à nobis prætermissa sunt, hæc ingenij tui acumen iniungat. Itaque in hac persecutione labora, vt & Dei gratiam, & nostram beneuolentiam promerearis. Dat. Piperni, 2. nonas Decembris. Indictione 12.

Idem lib. 2. epist. 5. ad Manassem Rhemensem, Richerium Senonensem, Richardum Bituricensem Archiepiscopum, Adraldum Episcopum Carnotensem, ceterosque Episcopos Franciæ scribit in hunc modum.

Longa iam temporum curricula transacta sunt ex quo regnum Franciæ olim famosum, ac potentissimum, à statu gloriæ suæ cœpit inflecti, & succrescentibus malis moribus, plerisque virtutum insignibus denudari. Verùm his temporibus & culmen honoris, & tota facies decoris eius collapsa videtur, cum neglectis legibus, omniq; conculcata iustitia, quicquid fœdum, crudele, miserandum, intolerãdumque est, ibi & impunè agitur, & adepta licentia iam in consuetudine habetur. Et paulo post subiicit: *Quarum rerum Rex vester, qui non Rex, sed tyrannus dicendus est, suadente diabolo, caput & causa est, qui omnem ætatem suam flagitiis & facinoribus polluit, & suscepta regni gubernacula miser & infœlix inutiliter gerens, subiectum sibi populum non solùm nimis soluto ad scelera imperio relaxauit, sed ad omnia, quæ disi & agi nefas est, operum & studiorum suorũ exemplis incitauit. Nec satis visum est ei in dispersione ecclesiarũ, in adulteriis, in rapinis nefandissimis, inperiuriis, & in multimoda fraude, vnde sæpè eũ redarguimus, iram Dei meruisse: quinetiam mercatoribus, qui de multis terrarum partibus ad forum quoddam in Francia nuper conuenerãt (quod ante hac à Rege factum fuisse nec in fabulis refertur,) more prædonis infinitam pecuniam abstulit: & qui legum & iustitiæ defensor esse debuit, is potissimum deprædator extitit: nimirum id agens, vt mala sua non iam infra terminos regni quod occupat, concludantur, sed per orbem terrarum ad discordiam multarum gentium & suam, credo, confusionem, extendantur, &c.* quæ postrema verba suppleui ex v. c. Nic. Fabri, quia desunt in vulgata editione.

Idem dicto lib. epist. 32. ad Manassem Remensem Archiepisc. *Nunc igitur cautè & diligenter, vt debes, accipias malum inauditum, scelus detestabile, quod Philippus Rex Franciæ, imò lupus rapax, tyrannus iniquus, Dei & religionis sanctæ Ecclesiæ inimicus, Italis & aliarum prouinciarum mercatoribus contra Deũ & regni sui honorẽ fecit, & alia quorum ad aures nostras clamores frequentissimè venerunt, &c.* Denique lib. 8. epist. 20. ad eundem Philippum scribens, illum adhortatur vt iustitiæ sit amator, & ecclesias defendat, prauorũ consilia spernat, & electionem quam Ecclesiæ Remensis clerus & populus tunc facturi erant deposito Manasse Archiepiscopo, non impediat, quominus canonicè fiat; & & concludit his verbis. *Age igitur, & iam ætate vir factus, in hac re procura, vt non frustrà tuæ iuuentutis culpis pepercisse, nec in vanum te ad emendationem expectasse videamur.*

Ad Epist. LXVII.

Quædam ibi verba aduersa secus quàm vellet, sonuerunt, veteres libri habent etiam, *quædam sibi verba duriùs quàm*: omissa voce *aduersa*. Vbi dictio, *secus*, videtur degenerasse, & altera, *duriùs*, è scholio irrepsisse, vt fortasse scripserit author, *sequiùs quàm vellet*. Sic enim id verbi non semel deprauatum fuisse in aliis auctoribus suo loco notatum est exemplis. Huc autem referenda quæ Goffridus scribit Iuoni super causa eiusdem Senonensis electi Daimberti ad Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem, ex quibus colligi potest Daimbertum non retulisse parem gratiam Iuoni, simulque offensum fuisse Vrbanum Papam, quòd Iuo liberè locutus fuisset. Sic autem habet vetus codex. *Honorabili Domino & præcordiali amico. Domino Iuoni Carnotensi Episcopo, frater Goffridus Vindocinensis monasterij seruus quicquid potest haberi salubrius. De statu domini Papæ & Romanæ* Epistola 18. lib. 2.

Ecclesiæ vobis veraciter annuncio, quod dominus Papa & Romam Ecclesiam cum magna pace possidet & tranquillitate. Roma dominum Papam inueni, cum quo inter alia de vobis locutus, bona quæ potui & debui de persona vestra dicere quicquid alij mussitassent, illi non tacui. Inde cum rediissem, & Lugduni à domino primate Lugdunensi, & à tota Ecclesia eius multum honorificè susceptus, & per quinque dies cum omni comitatu nostro diligenter procuratus fuissem, audiui ab ipso Archiepiscopo quæ vestræ dilectioni occultare nec possum, nec debeo. Audiui itaque domnum Senonensem cum illo fecisse pacem, & omnem obedientiam illi tanquam suo primati promisisse, nec vos illius pacis aliqua ex parte fuisse participem. Litteras etiam quas in persona sua fecistis, sua voluntate dixit non fuisse factas, nec domino Papæ transmissas. Vnde sub celeritate domino Papæ nunciaret quòd litteras illas suas fuisse nullatenus crederet. Hæc autem cum audissem de vobis, sicut de Karissimo domino & amico sollicitus, cum domno primate & clericis suis, qui vobis modis omnibus quibus poterant aduersabantur, locutus fui, & vita & persona vestra honestatem & magnitudinem ostendens, inter vos & ipsos pacem studiosissimè quæsiui. Vnde vobiscum quo & quando placuerit volo habere colloquium: quia ista & quædam alia ad honorem vestrum & vtilitatem vt æstimo, soli personæ vestræ manifestare desidero. Conductum tamen si vultis vt ego veniam, mihi quæratis securum, quia sacrilegos qui me in aduentu domini à curia vestra reuertentem ceperunt, adhuc & meritò habeo suspectos. Valete, & voluntatem vestram super his mihi rescribite.*

* & Romanam.

intelligit ep. 60. ad Hugonem.

Non autem ei præbeatis) fortasse Iuo metuebat ne Vrbanus cum suis palatinis oblatione munerum corruptus, à recto deflecteret. Plerique enim qui in Galliis ambitu vel pecunia intrudebantur Ecclesiis, solebant Romam proficisci vt iisdem artibus fauorem sibi conciliarent. Quemadmodum indicant verba ipsius Iuonis epist. 87. scripta ad Cardinales. Vrbanum autem auaritiæ nota minimè caruisse, immo venalem fuisse potest confirmari verbis Willelmi Malmesburiensis de gestis Pontif. Anglor. lib. 1. quo loco agit de legato Regis Anglorum Romam misso aduersus Anselmum Cantuariensem Archiep. *Ardebat* (inquit) *aliquid efficere, vt ampliorem locaret apud Regem amicitiam, itaque arte, qua peritus erat, negotium conficiens, singulos ambiendo muneribus & pollicitationibus, Regi terminum ad festum sancti Michaëlis obtinuit. Cunctatus est multum ad id concedendum Vrbanus, quòd luctaretur in eius animo Anselmi religio, & munerum oblatio, sed præualuit tandem pecunia. Ita ne omnia superat, omnia deprimit nummus? indignum factum vt pectori tanti viri, Vrbani dico, vilesceret famæ cura, Dei respectus cederet, & pecunia iustitiam præuerteret: visum ergo est Anselmo, circa tam venalem hominem expectationem non perdere. sed Lugdunum remeare, sed enim licentiam impetrare non potuit, retinente papa, vt inuidiam facti aliquo leuaret solatio. Fecit igitur eum manere secum, vsque ad Concilium in Patriarchio, deditque ei domum iure hospitij perpetuo.*

Et de inhonesta familiaritate Turonensis Archiepiscopi) hunc solet reprehendere & infamare, vt epist. 66. Sed nomen non exprimit. Suspicari licet fuisse Radulfum, cuius etiam meminit Goffridus Vindocinensis Abbas, à quo multa inhonesta & peruersa patrari conqueritur in epistola scripta ad Richardum*. *Richardo beatæ vitæ Episcopo apostolicæ sedis venerabili legato Goffridus eiusdem sedis seruorum minimus dilectionem, & dilectionis seruitutem. Fratre quem ad vos cum litteris domini Papæ misimus, referente didicimus, Radulfum Turonensem dictum Archiepiscopum in præsentia vestri de nobis verbis inhonestis fuisse conquestum. Quod si ita est, vehementer miramur quia vnde de nobis iustè conqueri debeat, ignoramus. Mirari autem nec possumus nec debemus si inhonestè loquitur, qui penè vniuerso mundo clamante, sed nullo adhuc vindicante, multa inhonesta & peruersa operatur. Veniat tamen, si placet vestræ sanctitati, vobiscum Vindocinũ, in alodium beati Petri, & Burgenses quos* mercede conducitur, secũ adducat, & quantum iustitia dictauerit, exequatur & accipiat.* Vbi verba illa, *Turonensem dictum Archiepiscopum*, aptè conueniunt verbis Iuonis, qui epist. 66. dicit illum irrepsisse in Ecclesiam contra canonicas & apostolicas sanctiones, & in eadem tolerari.

Lib. 1. epist. 17.

* quorum.

Vt sciatis puerilem fuisse electionem) hunc paulo antè vocat puerum, & epist. 66. iuuenem. Eiusdem generis est quod epist. 157. reprehendit Dunelmensem Episcopum qui duos filios suos vix duodennes Episcopatui Luxouiensi intrudi fecerat. S. Bernardus Clar. epist. 42. ad Henricum Senonensem. *Scholares pueri & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouentur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum pueris, &c.* Idem Bernardus in epist. 290. ad dominum Hostiensem, de Iordane Cardinale loquens, qui fœda & horrenda Gallis vestigia reliquerat. *Turpia fertur vbique commisisse, spolia Ecclesiarum asportasse, formosulos pueros in Ecclesiasticis honoribus, vbi potuit, promouisse: vbi non potuit, voluisse.* Similes abusus deplorat Glaber hist. lib. 4. cap. 5. *Tunc in sæculari potestate, tum etiam in Ecclesiastica religione totius regiminis personæ constiterant in puerili ætate. Propter peccata enim populi contigit tunc illud Salomonicum, quod ait, væ tibi terra cuius Rex est puer. Nam & ipse vniuersalis Papa Romanus nepos scilicet duorum Benedicti atque Ioannis qui ei præcesserunt, puer fermè decennis, intercedente thesaurorum pecunia, electus extitit à Romanis, à quibus exinde frequenter eiectus ac inhonestè receptus nulla potestate viguit. Et vt iam superiùs taxauimus cæteros tunc temporis Ecclesiarum prælatos, aurum potiùs vel argentum exaltabat quàm meritum, Proh pudor.* Eadem repetit in fine cap. 5. lib. 5.

Ad Epist. LXIX.

Interdixit omnibus secularibus clericis) Bertholdus in Chro. ad annum Domini M. XCV. ait Concilium generale congregatum in Galliarum ciuitate Ostione, ab Hugone Archiepiscopo Lugdunensi, & sedis apostolicæ legato, in quo monachis interdictum ne parochialium sacerdotum officia in parochiis vsurpent. sed & in antiquo exemplari Aug. Thuani Præsidis, quod sequitur, scriptum repperi. Ex synodo Septimana habita apud Aruernam. ita. *In Ecclesiis vbi monachi habitant, populus per monachum non regatur, sed capellanus qui populum regat, ab Episcopo constituatur, ita vt ex solius Episcopi arbitrio tam eius ordinatio quàm & dispositio, & totius vitæ suæ conuersatio pendeat.*

Ad Epist. LXX.

Mulierum dæmonialium) hæc duo verba addita sunt fide veterum codicum, quæ deerant in prima editione.

Religiosis monachis locum illum cum suis possessionibus committere studeatis.) ætate Iuonis plura eiusdem generis exempla in Gallis. ob similem enim morum turpitudinem anno Domini 1107. Philippus primus Francorum Rex eiecit sanctimoniales monasterij sancti Eligij Parisiorum, monachosque Fossatenses introduxit. litteræ his verbis conceptæ feruntur. *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Philippus Dei gratia Francorum Rex. Notum fieri volumus vniuersis sanctæ Dei Ecclesiæ cultoribus tam futuris quàm præsentibus, quia diuina prouidentiæ clementia & assensu domni Papæ Paschalis, monitione quoque & consilio canonicorum sanctæ Parisiensis Ecclesiæ, necnon & consensu nostro, & Ludouici filij nostri, Gualo Parisiensis Episcopus ab Ecclesia beati Eligij membro videlicet Episcopatus sui, propter intemperantem quàm imprudenter agebant fornicationem, moniales (quamuis canonicè sæpissimè correptius) templum Domini apertè prauo vsu violantes; ac correptionis pastoris penitus negligentes, spe meliùs agendi à præfata domo deiecit. Acceptis itaque domni Papæ litteris tunc temporis Parisius venientis, dataque licentia ordinem religionis inibi ponendi, nostra licentia & ordinatione cum filij nostri Ludouici obsecratione beato Petro Fossatensi, eiusdemque loci Theobaldo Abbati præfatam Ecclesiam beati Eligij in cellam duodecim monachorum cum Priore suo perpetualiter possidendam concessi & habendam, saluo quidem iure suæ potestatis, & Ecclesiæ Parisiensis quemadmodum & in ipsius charta determinatum est. Et vt hæc charta firma & inconuulsa permaneat, memoriale istud inde fieri, nostri nominis charactere, & signo Philippi signari & corroborari præcipimus, adstantibus de palatio nostro quorum nomina intitulata sunt & signa.*

Signum Hugonis de Creceio tunc temporis dapiferi nostri.

S. Wastonis de Pissiaco, tunc temporis Constabularij nostri.

S. Pagani Aurel. tunc temporis buticularij nostri.

S. Widonis tunc temporis camerarij nostri.

Actum Parisius, in capitulo sanctæ Mariæ, anno ab Incarnatione Domini millesimo, centesimo septimo. Anno Regni nostri quadragesimo septimo. Stephanus Cancellarius relegendo subscripsit.

De monialibus Argentolij pariter scribit Gulielmus de Nangiaco in chronologia, circa annum Domini millesimum centesimum vigesimum nonum. *Moniales* (inquit) *quædam infames, quæ Ecclesiam Beatæ Mariæ de Argentolio diu potentia cuiusdam sororis Caroli Magni Regis Francorum occupauerant, industria Sugerij Abbatis sancti Dionysij in Francia inde expelluntur, & monachis eiusdem loci quorum priùs fuerat, restituitur.* qua de re latius idem Sugerius in vita Ludouici Regis: qui iudicio Papæ Honorij restitutum fuisse refert.

Idem factum eodem anno de monialibus sancti Ioannis Laudunensis prodit continuator Sigeberti Robertus de monte. *Landuni* (ait) *in Ecclesia sancti Ioannis consilio Regis & Principum, monialibus quæ malè infames erant eiectis, & monachis in eorum locum substitutis, Drogo religione & facundia venerabilis à Bartholomeo Episcopo primus Abbas ordinatur.* Eius rei historia latior extat in prisco exemplari, cuius copiam benignè fecit Marc. Scarbotus Aduocatus, ex cuius narratione constat fuisse tunc temporis nonnullos insulsi iudicij qui Bartholomeum arguerent quòd moniales impudicissimas expelleret. Locum adscribere non inutile fuerit.

Posthac monasteria, etiam sancti Ioannis Baptistæ corrigere studuit præfatus Episcopus Bartholomeus. Abbatiam, quæ cunctis aliis supra memoratis Laudunensis diocesis cenobiis fertur antiquior & editior, atque nobilior fuisse. hanc siquidem beata Sallaberga sicut legitur in eius vita construxit, & sanctimoniales ibi ponens, earum ipsa prima fuit Abbatissa. Et paulo post. *Tanta verò dignitatis erat eadem Abbatia, vt quandocumque Rex Francorum in diebus solemnibus Landuni coronandus esset, in ipsa præcipuè coronam auream portaret, nullum etiam quadrupes animal intra murum seu portam Abbatiæ intrare poterat, quod non statim in rabiem & insaniam verteretur. Vnde etiam si quando Rex vel Episcopus aut alij Principes ad ipsam Abbatiam veniebant, omnes equos eorum extra portam oportebat dimitti, & ipsi pedites ad Ecclesiam procedebant. Beatæ Sallabergæ morienti successit Abbatissa filia eius, sancta videlicet Anstrudis, & ità per trecentos ferè & eo ampliùs annos sanctimoniales ibi fuerunt, plurimasque possessiones de donariis regum & principum longo tempore possederunt.*

In diebus verò præfati domni Bartholomei Episcopi antiqua religio non parùm in eodem monasterio refrigerat: exteriores quoque possessiones paulatim diminutæ erant: sed & nonnulla sinistra fama de eisdem virginibus dicebantur. Vnde multum contristatus idem pontifex (videbat enim eas frequenter à se commonitas emendationem quidem verbo promittere, sed facto non implere) consilio & auctoritate domni Papæ Innocentij, domnique Rainaldi Remorum Archiepiscopi, Ludouici quoque Regis Francorum ad quem eadem Ecclesia propriè pertinere dicebatur, omnes pariter illas sanctimoniales ex illa eiecit.

Assumens quoque virum religiosum domnum Drogonem cenobij sancti Nichasij Remensis Priorem, eum ibidem primum Abbatem ordinauit, & monachos illic sufficienter ex diuersis monasteriis posuit. Et aliquanto post adjicit. *Sed quia quosdam minus peritos, & super hæc detrahentes audiui, & dicentes non debuisse tantam mutationem fieri, nec propter peccata quorundam sanctimonialium etiam inculpabiles expelli, totamque Ecclesiam monachis tradi: maximè cum prædicta nobilis matrona sancta Sallaberga cum filia sua sancta Anstrude de patrimonij sui possessionibus eam construxerint, & sanctimoniales in ea posuerint, plurimorumque signorum ostensionibus eam splendificauerint: ad compescendam & reprimendam insipientiam vel simplicitatem eorum, libet pauca diuinæ paginæ super simili vel etiam maiori mutatione exempla recollere. Nonne plantatio Dei maior est plantatione hominis? Et certè de Iudeis per Dauid Regem & prophetam dicitur: Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes & plantasti eam, dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleuit terram, & cætera quæ de eius confirmatione subiunguntur. Cùm ergo lex per Moysem eis data sit, terram promissionis acceperint, reges & prophetas genuerint qui multa miracula fecerunt, perpe-*

tuamque eis mansionem eiusdem terræ dominus promiserit: tamen quia venientem patrisfamilias filium extra vineam eiecerunt & occiderunt dicentes, hic est heres, venite occidamus eum, & nostra erit hereditas: illico domino proponenti contra se iudicium pertulerunt, quòd veniens malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, statimque ipsum subiungentem audierunt, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Alio etiam loco dominus parabolam proponit de arbore fici, ad quam tribus annis continuis veniens & fructum non inueniens iussit eam succidi. Sed intercedente cultore vineæ quarti etiam anni dilationem concessit. Simili modo domnus Bartholomeus Episcopus sanctimoniales illas & per semetipsum & per religiosos viros primo & secundo, tertio quoque & quarto, necnon quinto & sexto anno de correctione admonens, & nil se proficere videns, secundum præceptum dominicum vtique debuit infructuosam arborem succidere, & vineam dominicam aliis agricolis committere, qui reddant ei fructum temporibus suis. Quod ipsum dum non solo sensu suo, sed consilio Papæ & religiosorum virorum fecit, vtique non reprehensione sed laude dignum fuit.

Nec timendum est eum propter hoc sanctarum feminarum Sallabergæ & Anstrudis quæ eandem Ecclesiam construentes sanctimonialium ordini deputauerunt, iram incurrisse: immò potius credendum est earum precibus talem voluntatem ei diuinitus aduenisse: talesque Abbates à Deo fore destinatos, qui & eius seruitio, & ipsius Ecclesiæ releuationi iugiter insistere studeant. In nullo siquidem regni Francorum cenobio quod eius duntaxat sit institutionis, maiorem religionem vel caritatiuam hospitalitatem quàm in ipso videmus hodiè feruere: nisi quòd ipse Abbas Balduinus in requirendis & retrahendis Ecclesiæ possessionibus, quas sanctimoniales negligenter distrahi permiserant, valdè occupatus & cotidiano labore fatigatus nihil magis conqueritur quàm se non posse iugiter conuentui fratrum interesse, vel ipsis hospitibus humanitatis officium prout vellet impendere.

Dum ergo ipsæ sanctæ quarum corpora seruantur in eadem Ecclesia, iugiter die ac nocte vident ibi tam deuotè diuinum officium fieri, silentium & religionem feruenter seruari, sacrificium corporis & sanguinis Domini non sicut priùs, sed centuplo deuotiùs & frequentiùs celebrari, religiosos hospites cotidie superuenientes cum caritatis dulcedine suscipi: nonne credendum est eas tam dulci Dei seruitio delectari: & dum monachos coram altari transeuntes, & feretris suis summisso capite suppliciter cernunt inclinantes, frequenter eis dicere, benedictio Domini super vos; & benedicti vos à Domino qui fecit cœlum & terram? Quid alij sentiant ignoro. ego credo & credens ore fidenter pronuntio, sanctas easdem magis talium monachorum quàm sanctimonialium quæ ibi tempore domni Bartholomei manebant, diuinis officiis delectari: & tam pro illorum quàm pro eiusdem Episcopi salute domini misericordiam deprecari, & sicut Dauid Rex psalmos componens dicebat, Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum: vbi patenter ostendit se nō pro Iudeis sed pro Christianis eos composuisse: Sic & ipsas sanctas credo gaudere, quòd ad huiusmodi monachos Ecclesia quam construxerunt peruenerit, & ad sustentationem eorum possessiones earum dominus peruenire concesserit.

Cum verò superius dictum sit nouem Abbatias à domno Bartholomeo Episcopo constructas esse, quarum nullam inuenit: si quis diligenter consideret, hanc verè decimam fore pronuntiabit, quæ ante tempus suum plusquam trecentis annis constructa, sed tempore suo à religionis calore tepefacta, rursum per se diuina præstante gratia intromissis monachis noscitur esse restructa & renouata. Quæ renouatio facta est anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo septimo. Hactenus illud vetus exemplar. Cæterum Nic. Cusanus de concord. cath. lib. 3. cap. 8. *de monialibus & earum custodia cura adhiberi deberet. Nam ille sanctus Bonifacius scribit Ethebaldo Anglorum Regi, quòd apud Græcos & Romanos quasi blasphemiam Deo irrogasset, qui de hoc reus foret, vt cum moniali concubuisset.* Qui locus, vt id obiter addatur, sumptus est ex Iuone decreti parte 7. cap. 129. qui profert verba Bonifacij martyris Hyleribaldo, siue Hiltribaldo Regi Anglorum. *Apud Græcos* (ait) *& Romanos quasi blasphemiam Deo irrogasset, qui in hoc reus sit, vt propriè de hoc peccato ante ordinationem interrogatus, si reus inuentus fuerit, vt cum velata & consecrata nonna concubuisset, ab omni gradu sacerdotum Dei prohiberetur.*

Ad Epist. LXXI.

Naturalibus & legitimis dominis suis de quorum manibus susceperat hereditaria sua beneficia.) locus obseruatione dignus, & ad quæstionem feudalem pertinet, vt & alter epist. 148. qua consulit militi, semper superiori suo domino deferre honorem iure fidelitatis promissæ, quamuis inter illos suborta sit grauis controuersia. Nec enim vinculum fidei & honoris dissolui posse. Quam in sententiam pulchrè Anselmus in epistola ad Episcopum Wentoniæ: quæ cum nunquam anteà edita dicatur, non ociosum erit si in gratiam iurisconsultorum iam proferatur è vetusto exemplari bibliothecæ S. Victoris Parisiensis. *Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ Willelmo dilecto dilectori suo electo Episcopo Wentoniæ salutem & benedictionē Dei, & suam quantum valet, atque diuino semper regi consilio & protegi auxilio. Nuntius vester causam vestram pro qua ad nos missus est, reuerendo domino & patri nostro Hugoni Lugdunensi Archiepiscopo & mihi simul, sicut præcepistis retulit, & ego eidem patri nostro litteras quas mihi misistis ostendi. Ipso itaque iubente pro illo & pro me in istis litteris respondeo. Vtique gaudemus, & gratias agimus Deo pro vestra in veritate constantia, & quia non quæritis consilium nisi quod Deo placeat, & honestatem vestram & ordinem ad quem electi estis, deceat. Rem totam sicut idem nuntius nobis narrauit, quanto diligentiùs potuimus, adhibitis aliis prudentibus & religiosis viris pertractauimus, & consilium quod petitis, Deum inuocantes vt nos dirigeret, concordi sensu considerauimus. Cuius consilij in quantum intelleximus hæc est summa, videlicet vtrum de castello quod de Comite Roberto tenetis, possitis fratri eius Regi Henrico, contra eundem Comitem deseruire propter iniusticias quas idem Comes vobis facit sicut mandastis. Quod nequaquam coram Deo & coram iustis hominibus licitè fieri posse intelligimus. Nam etiamsi vos de hoc absoluit quod illi debeatis hominium, aut per fidem promissam, siue per aliquam communem conuentionem: non vos potuit absoluere de hoc quod Deo & proximo propter*

Deum debetis, per Christianam religionem. Quapropter intelligimus quia non debetis præfatum Comitem de hoc quod de illo habetis exharedare, & hereditatem eius inimico suo tradere. In hoc quoque vos multùm oportet intendere, quòd nondum vestra dilectio suscepit Episcopi consecrationem, & si hoc faceretis quod à vobis Rex exigit, nullus posset extinguere execrabilem famam. quia hoc factum esset propter Episcopatus quem perdere timetis, redemptionem. Quamobrem quoniam prouidemus bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, auertat Deus hoc à vobis, neque vnquam permittat tam prauum exemplum vlla opinione exire de vobis. Quod autem à rege prædictum castellum sicut eius homo eratis, accepistis, nullomodo cognoscimus vos ad hoc adstringere, vt cum eodem castello contra Comitem vti permittatis, si ei hominium non nisi saluo ordine fecistis. Denique sicut nullus homo aliquid contra Deum debet promittere, ita promissum nullatenus debet perficere: nec aliquis hoc rectè potest exigere. Hæc ille.

Ex his vnum temperare compulerit) ita quidem omnes hîc vett. codd. sed in Decreto Iuonis parte 12. cap. 15. vbi idem locus citatur, notatur ab aliis variare exemplaria, habentia etiam, *vnum temerare*, vel *vnum tentare*. fortasse legendum, *vnum temnere*. Nam ibi sequitur de contemptu. *Cum verò*, inquit, *noxia promissa complemus, & Dei iussa superbè comtemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipsos crudeliori mortis gladio trucidamus.* Cæterum in omnibus Iuonis codicibus citatur hic locus ex Concilio Toletano nono, capitulo quarto. Sed in ora editi Decreti notatur aliter, nempe ex Concilio octauo, cap. 2.

Tharasius Patriarcha) citat ibidem Iuo ex actione quarta septimæ synodi.

Ariobaldo) apud Iuonem dicta parte 12. cap. 25. cuditur aliter, nempe *Ariopalto*. Sed præstat integrum locum exscribere, quia minimè obuius, & rem magis illustrat. *Honorius Papa Hysiaco patricio Exarcho Italiæ. Quorundam scriptis didicimus, quosdam Episcopos in transpadanis partibus quædam verba Episcopali actui inimica, Petro Pauli filio edixisse, atque monitu impiæ suasionis innuere, asserentes in se periurij reatum suscipere, non vt Adulubaldo Regi, sed potius Ariopalto tyranne consentiret: & quoniam præfatus gloriosus Petrus prauis eorum (si fas est dicere) sacerdotum respuit suasionibus inclinari, sed magis sacramenta quæ Acono Regi, patri prædicti Adulubaldi præstiterat, firmiter custodire. Et quia tantum facinus Deo & piis mentibus est inimicum, vt hi qui hoc ab aliis prohibere debuerant ne fuisset commissum, ipsi potiùs vt fieret hortati sunt: cùm nutu supernæ virtutis vobis laborantibus præfatus Adulubaldus in suum regnum fuerit restitutus, præfatos Episcopos in has Romanas partes adiuuante vos Deo destinare dignamini: quia huiusmodi scelus nulla patiemur ratione inultum.* Quæ verba apud vnum Iuonem seruata Carolus Sigonius inseruit etiam lib. 2. historiæ suæ de regno Italiæ, sed non exprimit quo loco vel libro Iuo retulerit. Vbi quoque variat in nomenclatura. Verùm nolui recedere ab illa scriptura quam offendi in exemplaribus antiquis. Præstat autem apponere verba ipsius Sigonij, vt historia clarior fiat. Sic ergo ad annum Dom. 623. *Eusebius ad Regem Adaualdum magnis de rebus ab Heraclio venit legatus, is cum apud Regem familiariter ageret, siue iussum imperatoris, siue consilium suum sequutus, Adaualdo è balneo exeunti poculum speciæ salutiferum dedit, quo epoto Rex desipere ac planè mentis inops esse instituit. alij vnguentis delibutum scripserunt. Quod vbi sensit Eusebius, ipsum & iuuenem & amentem impulit, vt propriæ securitatis causa Principes Longobardorum è medio tolleret. Cœpta inde cæde, ac iam duodecim è primoribus interemptis, ne malum longiùs serperet, & quasi lenta tabis contagione sensim ad singulos perueniret veriti Longobardi, ipsum tyrannum non Regem agere criminati sunt, ac postero anno tumultu excito regno cum Regina matre Theodelinda exegerunt, atq; in eius locū Arioaldum ducem Taurinatium suffecerunt, cui Gundeberga Adaualdi Regis soror erat matrimonio copulata. Quo facto ingens subitò in regno est coorta seditio, vniuersis siue sacris siue profanis proceribus in duas partes distractis, atque aut huic aut illi adiunctis. Quippe Arioaldum Episcopi transpadani complexi, alios etiam in suas partes traducere conte̅derunt. Honorius autem Pontifex atque eius hortatu Isaacius Exarchus siue Theodelindæ studio incitati, siue Arioaldum, vt Arriana labe infectum auersati Adaualdum sibi susceperunt defendendum, Isaacius autem ipsum exercitu in regnum reducere est conatus. Honorius autem cum Episcopos transpadanos audisset nobilibus magnopere suadere, vt deserto contra iusiurandum Adaualdo se ad Arioaldum conferrent, postero anno ad Isaacium scripsit, vt Adaualdo restituto aduersæ factionis Episcopos Romam ad dicendam caussam mitteret. Eæ litteræ seruantur adhuc apud Iuonem.* Hactenus Sigonius.

Ad Epist. LXXIII.

Bernardo maioris monasterij Abbati) vetus scriptor in libello de tribulationibus maioris monasterij iniustè illatis ab Archiepiscopo & clericis sancti Mauritij Turonensis, meminit huius Bernardi. *Briuatis* (ait) *quodam assidente Concilio fratribus nostris illuc delegatis, domno Bernardo Priore, Hilgodo Suessorum Episcopo, & Andrea fratre eius, & Iacobo medico, causa nostra secundum superiores excursus ventilata est.* qui locus latior extat in not. ad epist. 108. vbi paulo post vocatur Abbas. Idem apertè confirmat alius vetus scriptor in libello manuscripto, quoquidem agit de restaurato maiore monasterio post tempora depopulationum Astigni & Rollonis. *lapsis postmodum annis* X C. *ab Incarnatione videlicet Domini* M. XCV. *anno Philippi Regis Francorum* XXXVII. *& Bernardi huius monasterij Abbatis anno ordinationis tertio* X. *Vrbanus secundus Papa gloriosus ab vrbe Roma veniens, & sola caritatis gratia Gallias inuisens, cum in Clarmontano Concilio in præsentia quingentorum fermè patrum Archiepiscoporum, scilicet Pontificum & Abbatum, ipsis vniuersis vnà cum Radulfo * Turonensi Archiepiscopo acclamantibus & auctorizantibus priuilegia libertatis & immunitatis, quæ ipse Papa nobis & cenobio nostro per manus reuerendorum fratrum nostrorum, domni Bernardi Remensis, cognomento Poncij, tunc Prioris nostri, domnique Rangerij qui posteà presbyter Card. S. Rom. Ecclesiæ, ac deinde Regiensis Archiepiscopus fuit, & in præfato Concilio vt Archiepiscopus Cardinalis sedit, ab vrbe Roma miserat, anno apostolatus sui octauo, idque in octauis festi hyemalis beati Martini, tandem pacis & concordiæ gratia inter nos & Turonenses beati Mauricij canonicos iam tunc decennio nos persequi non cessantes, faciendæ.* Et multis interpositis sequitur in eodem libro, in

* *al. Rodulfo. vt in notis ad epist. 108.*

catalogo Abbatum. *Sextus Abbas Bernardus. hic requiescit in dextro porticu Ecclesiæ à parte inferiori. Hic pro libertate huius Ecclesiæ multum laborauit, & ab omni Archiepiscopali subiectione apostolica auctoritate Deo & beato Martino auxiliante liberauit.* Et paulo post. *hic rexit Ecclesiam istam vsque ad annum* M. CXXXVI. XIII. *videlicet annis, & obiit* VIII. *Idus Maij.*

Ab eo qui dicebatur excommunicatus, benedictionem acceperitis) videtur intelligere Rodulfum Archiepiscopum Turonensem, qui fuerat excommunicatus ab Amato, legato Papæ, qua de re infra in notis ad epist. 108.

Et subiectionem debitam metropolitanæ sedi ante benedictionem promiseritis.) de Turonensi Archiepiscopo intelligit. quò etiam pertinent verba epist. 134. & 135. Gregorius autem Papa vetuerat Episcopos vllam exigere professionem à maioris monasterij Abbatibus: tantùm permiserat ordinationes & sacrationes accipi à Turonensi Archiepiscopo, si tamen catholico, quemadmodum indicant verba prisci auctoris relata infrà in notis ad epist. 108. Hîc verò obseruandum, Iuonem existimasse futiles & vanas esse illorum opiniones, qui censebant Abbates consecrandos nullam debere iurare obedientiam Episcopis: qua de re altercatus fuit cum Vindocinensi Abbate, vt latè tractatur in obseruationibus ad epist. 195.

Scrutiniis suis & vanis susurriis) detracta littera typographus in prima editione exhibuerat, *susurris.* Sed omnes veteres membranæ habent *susurriis*, qua dictione coæui scriptores vsi sunt. Petrus Blesensis epist. 5. ad Richardum Cantuariensem Archiepiscopum. *studiumque omnium ferè commune est linguas procaces laxare contra vos in detestandum susurrium.* Idem epist. 40. ad prælatum detractorem Regis, *labia incircuncisa in susurrium & detractionem illicitè relaxatis.* S. Bernardus Abbas Clar. in cantica sermone 24. *videas ambulare seorsum, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrium.* Idem epist. 78. ad Sugerium. *Solamque in personam tuam, non etiam in Abbatiam, fraternum susurrium immurmurabunt.* Sic enim veteres editiones; in recentioribus mutarunt, *susurrum.* Nempè falsò putarunt vocem esse mendosam. Denique apud ipsum Iuonem Decret. 10. parte 11. cap. 26. nonnulli libri habent. *Venefici capite damnentur, qui artibus odiosis venenis, vel susurriis magicis homines occiderint.*

Ad Epist. LXXIV.

Ad suggestionem æmulorum tuorum de proditione Cenomannicæ vrbis nuper facta) Ipsemet Hildebertus in quadam epistola qua conqueritur de tyrannide consulum Cenomannensium, deque incendio & expilatione vrbis, refert se citatum fuisse ad subeundum in Anglia iudicium, quia turres Ecclesiæ iubente Rege dejicere noluisset. *Longum est (ait) enarrare, quàm constanti tyrannide Rex Anglicus in nos sæuierit: qui (temperantia Regis abiecta) decreuerit non priùs pontifici parendum, quàm pontificem compelleret in sacrilegium. Quia etenim turres Ecclesiæ nostræ dejicere nolumus, transmarinis subjiciendi iudiciis, coacti sumus iniurias pelagi sustinere: singularem scilicet molestiam itineris, atque vnicam totius humanæ compaginis dissolutionem. Tantis igitur hîc agitati turbinibus, ad apostolorum limina decreuimus proficisci, magnum nouæ tribulationis arbitrati remedium, si Romanus pontifex nobis & consilio subuenerit & auxilio.* Verùm vt tota res apertiùs explicetur, opus est subscribere narrationem facti è vetere scheda quam studiosus vir communicauit, pertinet enim ad illustrationem huiusce epistolæ. Agens igitur de Episcopo Hildeberto: *Bellum grauissimum exortum est inter Henricum primum Anglorũ Regem, & Heliam Comitem Cenomanensem, eo quòd idem Rex Episcopatum calumniabatur: ideoque ordinationi Episcopi moliebatur obsistere. Cum autem audisset ordinatum esse, manifestis bellorum incursibus patefecit: cuius inceptus Comes Helias cœpit resistere. Quo comperto Fulco Comes Andegauensis in ciuitatem aduenit, & consensu ciuium in munitionibus ciuitatis custodiam posuit: ibique relicto filio suo ad alia properauit. Interea Rex Anglorum videns ciuitatem sui principis præsidio destitutam, huc accessit: ad colonias accedit, consedit vrbem exercitu magno: postea cremauit coloniam. Rex autem videns se esse illusum, cum exercitu suo discessit. Cum autem ad pugnam se præparassent, comperta Regis fuga ad vrbem sunt reuersi. Quo audito Comes Helias timens ne Fulco Comes Andegauensis proscriptioni eius intéderet, mandauit ad se Episcopum Hildebertum & quosdam ex primoribus ciuitatis, & cum eis cœpit excogitare quibus modis ciuitatem Regis traderent, ipsumque à vinculis liberarent. Erat enim ipse Comes Helias in vinculis Regis Anglorum. Timebat enim ne Comes Fulco regiis muneribus deceptus cum eo pacem faceret, & tradita ciuitate ipse perpetuo damnaretur exilio. Episcopus autem eius angustiis miseratus, cum eo de eius liberatione est collocutus. ipse vero Rex paulo post liberum & quietum abire permisit. Rex autem capta ciuitate & munitionibus impositis in Angliam transfretauit. Quidam autem ex clericis inuidentes promotioni Episcopi, & dolos insidiantes accusauerunt eum apud Regem Angliæ, dicentes eum fuisse conscium proditionis, quando Comes Helias occupauit ciuitatem consentientibus omnibus. Vnde Rex suspectum habens Hildebertum instanter ab eo exigebat vt turres Ecclesiæ dirui præciperet (quibus dicebat sibi damnum illatum fuisse) antequam in Angliam transfretaret. Et vt turres dirueret obtulit Pontifici maximum pondus auri & argenti ad ædificationem sepulcri beati Iuliani, vt dicebat. Quod ad ignominiam fieri videns Episcopus, consilio accepto ad suam reuersus est Ecclesiam. primùm detulit planè duo cimbala pretiosa & optimam cappam de pallio, & duas pelues argenteas cum aliis multis ornamentis. Interea Præsul de præcepto Regis valdè anxius, de vrbis incendio, de domorum suarum destructione, de ciuium expulsione, de clericorum dispersione mœstissimus, Dei omnipotentis clementiam iugiter precabatur, vt ab Ecclesia & populo iram indignationis dignaretur auertere. Misertus autem Dominus afflictionis illius, indignationẽ suam vltra quàm sperari poterat, mitigauit, & facies inimicorum eius confusione & ignominia repleuit, vt canticum eorum verteretur in luctum, & organum eorum in vocem flentium. Nam cum quadam die in syluam Rex venandi gratia perrexisset, ab vno ex suis militibus (qui secum erant) sagitta percussus interiit.* (Loquitur de Guillelmo Angl. Rege, qui mortuus 4 nonas Aug. 1100.) *Pacata ciuitate & hostibus fugatis Hildebertus Romam proficiscitur, quem Paschalis secundus Papa recipit attentius, deinde illi in Apuliam Siciliamque progresso vniuersi quasi Angelo Dei honorem exhibebant & reuerentiam. Rogerius autem Dux Siciliæ audita fama & scientia præsulis illum in maximo honore & reuerentia suscepit, & dedit ei idem Rogerius centum vncias auri ad faciendum opus beati Iuliani & ad victum canonicorum decem libras monetæ dedit. Postea verò idem Episcopus ad Cenomanicam rediit prouinciam.*

Et cum paratus sis ad perficiendam purgationem legitimam, non aliter vult.) de qua ad epist. 54. & 229.

Vt non recedas ab ordine) hoc sæpè consulit

viris Ecclesiasticis, vt Daimberto Senonensi Archiepiscopo, epist. 241. & Ioanni Episcopo Aurelianensi epist. 247. Ipsemet etiam dicit se nolle cæteris exemplum esse recedendi ab ordine epist. 35.

Consulens vt non transgrediaris.) hanc etiam ferri igniti examinationem spontaneam reprehendit in causa vxoris suspectæ pudicitiæ epist. 205. & 252. & 280. Attamen videtur adprobasse si fieret non incautè, sed præcedente legitima accusatione, & iudiciali sententia, dicta epist. 205. & 252. Scilicet propter incredulitatem humanam, si omnino desint alia testimonia, eadem epist. 252. Ideo appellat diuinum testimonium epist. 232. Quomodo Arnulfus accusatus in synodo Remensi, cap. 30. *meumque vernaculum Episcopis tradam, qui per ignitos vomeres incedens, Deum de te iudicare manifestis declaret indiciis.* Sæpe autem definiebatur numerus examinationis. Nam mentio fit nouem vomerum ignitorum in prisca lege Angliorum & Werinorum seu Thuringorum tit. 15. de veneficiis, & in Capitularibus Caroli Imp. apud Ansegisum legis Francicæ lib. 4. tit. 3. Cæterum Franc. Hotomanus in disput. de feudis, cap. 41. multa collegit exempla auctorum qui meminerunt huiusce examinationis seu probationis ferri candentis, quæ studiosus inde repetat. Cuius consecrandi formula longè cæteris auctior nouissimè edita est à Fr. Pithoeo veteris doctrinæ callentissimo in suo glossario ad capitularia Caroli magni, secundæ editionis, ex ordine manuscripto Dunstani Archiepiscopo Dorobernensi.

Feruentis scilicet seu frigidæ aquæ) huius examinis mentio fit in legibus Wisigothorum lib. 6. tit. 1. capitulo 3. quomodo index per examen caldariæ feruentis causam perquirat. & in legibus frisionum tit. 3. de Thiubda. §. 6. & 8. & rursus tit. 14. de homine in turba occiso. §. 3. quibus locis appellatur iudicium Dei, vt etiam in legibus francicis lib. 4. cap. de honore Ecclesiæ, quem locum citat Iuo decreti parte sextadecima cap. 238. ex capitularium lib. 4. cap. 13. Eodem francicarum legum lib. 4. inter capitula mundana eiusdem Caroli refertur aliud capitulum 33. quo seruus ad aquam feruentem se idoniare dicitur. Adalgerus in synodo Remensi cap. xi. *hac si quisquam vestrûm aliter esse putat, meque indignum cui credatur. credat igni, feruenti aquæ, candenti ferro: faciant fidem tormenta quibus non sufficiunt mea verba.* Hincmarus Remerum Archiepiscopus in libro quam scripsit contra Hincmarum Laudunensem Episcopum nepotem suum, cap. xliij. quo loco agit de Niuino qui in sua parrochia sanctimonialem corruperat, & de monasterio noctu eduxerat. *De eo verò* (inquit) *quod dicis me ab illo quæsiisse, qualiter famam suam purgaret, non ideò ab eo quæsiui, vt non scirem quia hoc agere non poterat, sed vt vel ita eum ad confessionem & pœnitentiam atque post ad indulgentiam possem compellere, quem voluntarium ad ea non poteram prouocare: & cousque illum perduxi, vt si præfati sui homines, quia non liberæ conditionis sunt, aut cum aqua calida, aut cum aqua frigida inde ad iudicium Dei exirent; quod inde Deus ostenderet mihi sufficeret. & cum se à ratione conuictum atque constrictum vidit, in contumaciam & contumelias prosiluit.* Sic illi, qui vixit sub Rege Francorum Carolo Caluo, cuius verba prolata sunt ex prisco exemplari calamo exarato. ex quibus illud etiam exculpi potest, non alios ferè quàm seruilis conditionis homines eiusmodi examini offerri solitos: & firmatur verbis cuiusdam Concilij Triburiensis relatis à Gratiano in ca. nobilis. cau. 2. q. 5. Sed & extat liber manuscriptus eiusdem Hincmari Remensis in causa Lotharij Regis, (nempe Lotharij primi Imperatoris filij, circa annum Christi 855.) & Thetbertæ Reginæ vxoris, quæ cum vicarium suum ad iudicium aquæ feruentis exhibuisset, & incoctus exiisset, restituta fuit thoro Regio eodem decreto quo suspensa fuerat. vbi latissimè de hoc purgationis genere tractat. Sed quia longo verborum circuitu tota ea disputatio innotuitur, nil potuit facilè & commodè excerpi. Si quis autem curiosior fuerit, legat lib. de Antiq. Britan. Eccl. non ita pridem editum, in Roberto 31. Dorobernensi seu Cantuariensi Archiep. vbi author scribit probationem illam per aquam feruentem vel gelidam, aut per candens & ignitum ferrum à veteribus Anglis & Saxonibus appellatam fuisse ORDALEVM; cuius varias species commemorat, & multa in hanc rem colligit quæ transcribere non est propositi. Eiusdem commeminit prisca lex Salica tit. 56. de manu ab æneo redimenda. & tit. 76. de antrustione §. 1. vbi mentio fit ænei calefacti, & manus in æneum missæ; in pacto pacis Childeberti & Clotarij Regum: *si homo ingenuus in furto inculpatus ad æneum prouocatus manum incenderit, quantum inculpatur furtum componat.* Quamuis autem in vsu forent eiusmodi examina, tamen canones Ecclesiastici reclamarunt, vt arguit Stephanus. Papa quintus in ca. consuluisti cau. 2. q. 5. & Concilio Lateranensi cap. 18. sub Innocentio tertio, disertè prohibitum ne quis clericus ritum cuiuslibet benedictionis aut consecrationis impenderet purgationi aquæ feruentis vel frigidæ, seu ferri candentis. cuius etiam verba relata sunt in cap. sententiam. tit. ne cler. vel mon. sec. neg. seimmisc. In quarta etiam additione priscarum legum Caroli cap. 81. interdicitur ne vlteriùs examen aquæ frigidæ fiat.

In antiquo exemplari Laudunensi refertur exemplum cuiusdam Anselmi religiosi, qui thesaurum Ecclesiæ Laudunensis furatus, attamen iudicium aquæ subire voluit, vt se innoxium esse probaret: quæ historia quia nondum (quod sciam) in lucem prodiit, atque conscripta est à canonico Laudunensi coætaneo huiusce Iuonis, videtur non ociosum esse si subjiciantur verba quæ ad rem faciunt. *Generalis* (ait) *conuentus canonicorum & ciuium conuocatur, quid opus sit facto discutitur, & præ omnibus magister Anselmus tunc temporis totius vrbis lucerna consulitur. ille vt diuinæ legis peritissimus, continuò Iosuæ replicat historiam, quomodo scilicet furtum in Iericó nullo sciente factum dominus iussit sorte perquiri, primò per tribus; deinde per familias ac domos, ad vltimum sigillatim per viros.*

Instar huius tam subtilis perquisitionis consulit magister Anselmus, vt tanti facinoris auctor iudicio aquæ perquireretur, ac de singulis vrbis parrochiis vnus infans innocens in vase aqua benedicta repleto poneretur, & quæcumque parrochia fortè culpabilis inueniretur; de singulis domibus eiusdem parrochiæ vnus infans in aqua poneretur, & quæcumque domus deprehensa fuisset; omnes viri vel fœminæ ad eam pertinentes, iudicio aquæ se purgare cogerentur. Hoc consilio magistri Anselmi, germanique eius magistri Radulfi comperto, perterriti ciues licet innocentiæ suæ conscij, ad Episcopum confluunt, & non longè remotos, sed potius Ecclesiæ custodes, & propè tem-

plum manentes ad iudicium primò debere vocari conclamant. annuit Episcopus, & sex viros de quibus maior erat suspicio ad faciendum examen vocat, inter quos etiam ipse solus præfatum Anselmum nominatim compellat, dicens se contra eum exinde moueri suspicione. Et post pauca subiicit: *Vbi dum seruaretur, quadam nocte vas maximum aqua impleri, seque in eo ligatum fecit deponi; tentare scilicet volens vtrum in aqua totus mergeretur, an supernataret. Cum verò se sine vlla dilatione vidisset ab aqua receptum fuisse, & ad vasis fundum peruenisse, exhilaratus dixit se nihil vltrà timere, sed sponte in aquam ingressurum fore. Quid longiùs morer? venit dies constituta, confluit ad ecclesiam innumera multitudo clericorum, militum & rusticorum diuersi sexus & ætatis, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus inuocant nomen Domini, eiusque gloriosissimæ genitricis. qui ergo primus in aqua positus est, saluus & gaudens exiit; secundus autem corruit, tertius saluus, quartus inuentus est reus, quintus liberatur, sextus idem Anselmus culpabilis inuenitur, sicque probauit nihil profuisse quod priùs Deum tentauerat; sed plurimùm hanc aquam distare ab ea in quæ priùs dum in custodia esset, se deponi fecerat. mox ergo vinculis religatus, vtque thesaurum furatum redderet ab Episcopo commonitus, statim publicè imprecatus est, vt sic suspendi mereretur sicut Iudas qui Deũ tradidit, si aliquid ex eo haberet vel furatus fuisset. Videns Pontifex quod nihil exhortando posset proficere, Nicolao Castellano eum tradidit, præcipiens ei vt torquendo thesaurum reddi cogeret. Ille nudatum terraque prostratum atque ligatum lardo calido fecit perfundi, sed nihil extorquere potuit, &c.* Videtur autem aquæ frigidæ examen fuisse cuius mentio hac historia. ex fragmento verò epistolæ prisci cuiusdam præsulis (nam nomen ibi desideratur) colligi potest examen istud leuioris ponderis extitisse, quia loquens de causis simoniacorum: *Iudicium* (inquit) *aquæ frigidæ non recipimus, nec eorum testimonium qui eidem morbo consentiunt, sed religiosorum fratrum, qui eidem sceleri studio & voluntate resistunt. Qui tamen testes non per aquam frigidam, id est, sed per ignitum ferrum, vel feruentè aquam sunt* acquirendi.* (* fortè anquirendi.) *Simoniaci non admittuntur ad iudicium, si probabiles personæ etiam laicorum, vel fœminarum, precium se ab eis recepisse testantur. nec aliud est pro manifestis venire ad iudicium, nisi tentare dominum. Vnde & fallimur multotiens in talibus: quia Deus longè est ab his qui tentant illum.*

Sap. 1.

Cæterum formulam consecrandæ aquæ calidæ seu frigidæ à me dudum repertam in vetere codice S. Ben. Diuion. & typis euulgatam, hîc iterum subiicere placuit, vt eorum desiderio satisfiat qui eiusmodi rerum curiositate delectantur. Nam ea facta pro diuersitate temporum nunc pietati, nunc errori adscripta sunt.

BENEDICTIO VEL EXORCISMVS AQVÆ CALIDÆ IN QVA MANVS ad iudicium mittitur.

Exorciso te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Iesu Christi filij eius Domini nostri, vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & omne fantasma diaboli, vt si hic homo manum suam in te missurus est innocens vnde reputatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum: & si, quod absit, culpabilis est, & præsumptuosè in te manum mittere ausus fuerit, eiusdem omnipotentis virtus super eum hoc declarare dignetur: vt omnis homo timeat & contremiscat nomen sanctum gloriæ Domini nostri, qui viuit & regnat Deus per, &c.

Domine Iesu Christe qui es iudex iustus, fortis & patiens, & multum misericors, per quem facta sunt omnia, Deus Deorum & Dominus dominantium, qui propter nos homines, & propter nostram salutem de sinu patris descendisti, & ex Virgine Maria carnem assumere dignatus es, & per passionem tuam mundum in cruce redemisti, & ad inferos descendisti, & diabolum in tenebris exterioribus conligasti, & omnes iustos, qui originali peccato ibidem detinebantur, magna potentia exinde liberasti. Tu Domine quæsumus mittere digneris spiritum tuum sanctum ex summa cæli arce super hanc creaturam aquæ, quæ ab igne feruescere atque calescere videtur, quæ rectum per eam iudicium super hunc hominem nomine illo comprobet ac manifestet. Te Domine Deus supplices deprecamur qui in Cana Galilææ signo admirabili tua virtute ex aqua vinum fecisti, & tres pueros Sydrac, Misac, & Abdenago de camino ignis ardentis illæsos eduxisti, & Susannam de falso crimine liberasti, cæco nato oculos aperuisti, Lazarum quatriduanum à monumento suscitasti, & Petro mergenti manum porrexisti. Ne respicias peccata nostra in hac oratione, sed tuum verum & sanctum iudicium coram hominibus in hoc manifestare digneris, vt si hic homo pro hac reputationis causa, furto videlicet, vel homicidio, aut adulterio, vel luxuria, aut pro qualibet causa culpæ modò ad præsens manum suam in hanc aquam igne feruentem miserit, & culpabilis ex hac causa non est, hoc ei præstare digneris, vt nullà læsio vel macula in eadem manu appareat, per quam sine culpa calumniam incurrat.

Iterum te Deus omnipotens nos indigni & peccatores famuli tui suppliciter exoramus, vt sanctum, verum & rectum iudicium nobis in hoc etiam manifestare digneris, quatinus hic homo ex hac reputatus causa, si per aliquod maleficium diabolo instigante aut cupiditate, vel superbia culpabilis est, in factu vel consensu, & hoc comprobationis iudicium subuertere aut violare volens malo confisus ingenio, manum suam in hanc aquam præsumptuosè mittere ausus fuerit, tua pietas taliter hoc declarare dignetur, vt in eius manu dignosci queat quod iniustè egit, vt & ipse deinceps per veram confessionem pœnitentiam agens ad emendationem perueniat, & iudicium tuum sanctum & verum in omnibus declaretur gentibus, per te redemptor mundi qui venturus es.

IVDICIVM AQVÆ FRIGIDÆ.

CVm homines vis mittere ad iudicium aquæ frigidæ ob comprobationem, ita facere debes. Accipe illos homines quos vis mittere in aquam, & deduc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis cantet presbyter missam, & fac eos ad ipsam missam offerre. Cùm autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos sacerdos cum adiuratione & dicat: adiuro vos homines per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per vnigenitum Dei Filium & per sanctam Trinitatem, & per sanctum euangelium, & per istas sanctas reliquias, quæ in ista Ecclesia sunt, vt non præsumatis vllo modo communicare, neque accedere ad altare, si hoc fecistis, aut consensistis aut * scitis qui hoc egerit. (* al. scistis.) Si autem omnes tacuerint *, (* al. & nullus hoc dixerit.) & nullus confessus fuerit, accedat sacerdos ad altare, & communicet, separatis illis qui examinandi sunt. Postea verò communicet illos quos vult in aquam mittere. Cum autem communicant dicat sacerdos per singulos ante altare. Corpus hoc & sanguis Domini nostri Iesu Christi sit

tibi ad probationem hodie, ad laudem & gloriam nominis sui, & ad Ecclesiæ suæ vtilitatem. Expleta missa faciat sacerdos aquam benedictam *, & deferat eam ad locum examinis: cum autem venerit ad ipsum locum, letaniam faciens, omnibus pro eadem causa Dominum deprecantibus de examinandis bibere de aqua illa benedicta. Cùm autem dederit vnicuique, dicat, hæc aqua Domini fiat tibi ad probationem hodie per Dominum nostrum Iesum Christum qui est verus iudex & iustus. Deinde coniuret aquam vbi mittendi sunt. Post coniurationem autem aquæ exuat illos vestimētis suis, & faciat illos per singulos osculari sanctum euangelium, & crucē Christi. Et post hæc de ipsa aqua benedicta aspergat super vnumquemque hominem, & projiciat eos statim per singulos in aqua. hæc autem omnia facere debet ieiunus: neque illi antea comedant qui ipsos mittant in aqua.

** al. & vadat ad illum locum vbi omnes probantur al. & pergat ad locum. hæc autem ex aliis, ubi dis vestitum sūt.*

CONIVRATIO AQVÆ.

Adiuro te aqua in nomine Dei Patris omnipotentis qui te in principio creauit, quique te segregauit ab aquis superioribus, & iussit deseruire humanis necessitatibus. Adiuro te etiam per inuisibile & ineffabile nomen Christi Iesu Filij Dei viui omnipotentis sub cuius pedibus te calcabilem præbuisti, qui etiam in te baptizari dignatus est, & suo baptismate consecrauit. Adiuro etiam te per Spiritum sanctum, qui super Dominum in te baptizatum descendit, qui te inuisibili sanctificatione sacratam ad animarum purgationem inenarrabile constituit sacramentum: per quam olim & populus Israëliticus siccis pedibus transiuit, & ex aqua ferrum quod casu ceciderat, Heliseus diuina virtute contra naturam natans, in suo manubrio redire fecit, vt nullomodo suscipias hunc hominem si in aliquo culpabilis est ex hoc quod illi objicitur, scilicet aut opere, aut consensu, seu conscientia, vel quolibet ingenio, sed per virtutem Domini nostri Iesu Christi rejice ex te, & fac illum natare super te, quatinus cognoscant fideles Christi nullum maleficium, nullum præstigium diuinæ virtuti posse resistere quod non detectum fiat, & omnibus manifestum. Adiuro etiam te per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, vt ad laudem illius cui omnis creatura seruit, & cui cœlestis exercitus famulatur clamans, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, vt nobis adiurantibus & eius misericordiam obsecrantibus obedias qui regnat & dominatur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

HOMINIS CONIVRATIO.

Adiuro te homo & contestor per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per sanctam & indiuiduam Trinitatem, & per omnes Angelos & Archangelos, & per omnes Principatus & Potestates, Dominationes quoque & Virtutes, & per Dei sedilia, Cherubin & Seraphin, & per diem tremendum iudicij Dei, necnon & XXIV. seniores qui cotidie laudant Deum, & per quatuor Euangelistas & per sanctos quoque Apostolos, Martyres & Confessores, necnon & per sanctam genitricem Dei Mariam, omnesque Virgines, & per cunctum populum sanctum Dei, vel per sanctum baptismum in quo renatus es, si tu hoc malum fecisti, ex quo culparis, vel assensum præbuisti, aut baiulasti, aut in domum tuam recepisti, aut inde conscius, aut consentaneus extitisti, coram omnibus dicito. Quòd si diabolo suadente celare disposueris & culpabilis exinde es, euanescat cor tuum incrassatum & induratum, & non suscipiat te aqua incredulum & seductum, vt dicat populus, quia Deus noster iudex est, cuius potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Post coniurationem aquæ, exuat illos vestimentis illorum, & osculari sanctum euangelium & sanctam crucem faciat, & sanctificatis omnibus aqua benedicta cum timore & reuerentia Dei Filius de eius clementia projiciat in aquam.

Hoc iudicium autem petente Domino Ludouico Imperatore constituit beatus Eugenius, præcipiens vt omnes Episcopi, Comites, Abbates, omnisque populus Christianus, qui infra eius imperium est, hoc iudicium defendat innocentes, & examinentur nocentes, neque periuri super reliquias sanctorum perdant suas animas malum consentientes.

Hactenus vetus exemplar.

Verùm quia v. c. Pet. variat in nonnullis à superiore textu, visum est illius scripturam subiungere, vt conferri possit.

CONIVRATIO AQVÆ.

Adiuro te aqua in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creauit, & te iussit ministrare humanis necessitatibus, qui etiam te iussit segregari ab aquis superioribus. Adiuro te etiam per ineffabile nomen Christi Iesu Filij Dei viui omnipotentis, sub cuius pedibus mare elementum aquarum se calcabile præbuit: qui etiam baptizari in aquarum elemento voluit. adiuro etiam te per Spiritum sanctum qui super Domino baptizato descendit, adiuro te etiam per nomen & sanctum indiuiduæ Trinitatis, per cuius voluntatem aquarum elementum diuisum est, & populus Israel super illum siccis pedibus transiuit. ad cuius etiam vestigij inuocationem Elias ferrum quod de manubrio exierat super aquam natare fecit, vt nullo modo suscipias hunc hominem. N. ille, si in aliquo culpabilis est ex hoc quod illi objicitur scilicet, aut opera, aut consensu, seu scientia, vel quolibet ingenio: sed fac illum natare super te, & nulla possit esse contra te causa aliqua facta, aut nulla præstigiatio quæ illud non possit manifestare. Adiurata autem per nomen Christi præcipimus tibi, vt nobis per nomen eius obedias, cui omnis creatura seruit, quem Cherubin & Seraphin conlaudant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, qui etiam regnat & dominatur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

HOMINIS CONIVRATIO.

Addiuro te homo ille per euocationem Domini nostri Iesu Christi, & per iudicium aquæ frigidæ, adiuro te per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per Iesum Christum & per omnes Angelos & Archangelos, & per omnes Sanctos Dei, & per diem tremendum iudicij, necnon, & viginti quatuor seniores qui cotidie laudant Deum, & per quatuor Euangelistas Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem, & per duodecim Apostolos, & per duodecim Prophetas, & per omnes Sanctos Dei & per Martyres & Confessores atque Virgines, per Principatus & Potestates, per Thronos & Dominationes & Virtutes Cherubin & Seraphin, & per omnia secreta cœlestia te adiuro, & per tres pueros qui Deum cotidie laudant, Sydrac, Mysac, & Abdenago, & per cxliiij. millia qui pro Christi nomine passi sunt, & per Mariam Matrem Domini nostri Iesu Christi, & per cunctum

ctum populum sanctum Dei, & per illud baptismum quod sacerdos super te regenerauit te adiuro, vt si tu de hac re scisti aut vidisti aut baiulasti, aut in domum tuam recepisti, aut consentiens aut consentaneus exinde fuisti aut si habes cor incrassatum & cor induratum, aut si culpabilis inde es, euanescat cor tuum, & non suscipiat te aqua, neque vllum maleficium contra hoc praeualeat, propterea obnixè te deprecamur Domine fac signum tale vt si culpabilis est hic homo nullatenus recipiatur ab aqua. hoc autem Domine Iesu Christe fac ad laudem & gloriam, & inuocationem nominis tui, vt omnes cognoscant: quia tu es Deus noster benedictus qui viuis, &c.

Hoc iudicium creauit omnipotens Deus quia verum est. & beatus Papa Eugenius & dominus H. Ludouicus Imperator constituerunt, vt istud faciant omnes homines, Episcopi, Abbates, Comites in omnem regionem & probatum est apud nos, & certum & verum est vtique. in hoc autem inuentum est vt non liceat homines periurare in sancta sanctorum. Amen.

Huc vsque priscus ille codex aliam consecrationis aquae calidae formulam pridem protulit Auentinus lib. 4. Annal. Boioariorum. Fr. quoque Pithoeus vir clariss. in suo glossario ad capitularia Caroli Magni secundae editionis anni 1603. edidit aliam diuersam eiusdem generis; caeterisque longè ampliorem ex ordine Dunstani Dorobernensis Ecclesiae Archiepiscopi. ex quorum omnium collatione facilè colligi potest nullam certam illius rei formulam olim praescriptam fuisse, sed praesules singularum Ecclesiarum pro libitu composuisse.

Ignitique ferri contactum) solae membranae Loiselli, contractum, sed perperam. Hildebertus Cenom. Episc. in epist. 17. *ex abundanti itaque fuit ad contactum calidi ferri praefatam deducere puellam, tanquam tali probaturam examine cum proprio viro nulla se coeundi miscuisse consortia. Etenim frustrà lex adducitur, quae ad vrgentis causae decisionem minimè suffragatur.* Iuo autem epist. 205. dicit cauterio igniti ferri nullum certum praeberi argumentum, quia occulto Dei iudicio multi nocentes videbantur liberari, & innocentes damnari. Meritò igitur eiusmodi probatio tandem prohibita fuit, vt à Stephano Papa quinto, in ca. consuluisti, cau. 2. q. 2. & ab Innocentio tertio cap. ex litteris. de excessib. praelator. & Honorio tertio in cap. dilecti. de purgat. vulg. Quidni autem praestigiis locus hîc esse potuit, cum Strabo referat Geogr. lib. v. in monte Soracte fuisse olim paganis cultam Deam Feroniam mirifico sacri genere, cum scilicet afflati eius numine, nudis pedibus prunas inambulabant nulla tamen laesione?

Aut cuiuslibet popularis inuentionis) paulo post appellat superstitiosas inuentiones. Quarum appellatione possunt comprehendi probationes eo tempore vsitatae in rebus occultis & incertis. nempe iudicium per crucem, de quo in legibus Frisionum, capitularibus Caroli Magni, & formulis Marculfi. Item iudicium per corpus ac sanguinem Christi, cuius rei exemplis ab aliis pridem collectis addi potest locus Glabri hist. v. cap. 1. & Helgaudi, referentis Leotericum Archiepiscopum Senonensem hac causa seuerè fuisse reprehensum à Rege Roberto, cum iam tale peruersum dogma cresceret. Sanè Theod. Balsamo ad can. 61. synodi sextae in Trullo, testatur sacerdotem quendam suo tempore accusatum & depositum, quòd magna quinta feria panem dedisset multis vt hoc examine rei furti conuincerentur. Quemadmodũ Acron in istud Horatij lib. 1. epist. x. *vtque sacerdotis fugitiuus liba recuso*, scribit in furti suspitione reos ductos ad sacerdotes paganorum, qui crustum panis carmine infectum darent singulis. Eiusdem delirij sunt formulae in codicibus monasteriorum, quibus ad detegenda furta iubebatur oratio dominica scribi in pane & caseo, postea fieri cruces de tremulo, quarum vna sub dextro pede, alia super caput suspecti viri poneretur: deinde post varias numinis inuocationes imprecari, vt lingua & guttur rei alligaretur, ne transglutire posset, sed eorum omnibus tremeret, nec haberet quo requiesceret. Cui rei affinis formula Dunstani Archiepiscopi Cantuar. edita recenter à Pithoeo in glossario capitulariorum.

Quia fabricante haec sunt omninò ficta inuidia) sic habent omnes membranae, vt etiam Grat. in ca. super cau. 2. q. 4. malè in prima editione cusum, *facta.*

Stephanus V. Papa) superior editio habuit, *Siluester* II. Papa, quomodo nonnulli veteres libri. sed Iuo adscribit Stephano epist. 205. & 252. vixit autem hic Stephanus quintus ante Syluestrum secundum. adhoc in castigato Gratiani decreto eadem verba tribuuntur Stephano quinto. Error natus è singularibus litteris. s. v.

Lamberto) variant codices, *Luitberto, Liberto, Lintberto, Vimparto.*

Ad Epist. LXXVI.

Propter tyrannidem quam in nos exercent) in nos, additum est fide vet. cod. deerant enim in prima editione, imperfecto sensu. Iam autem epist. 75. dicit se licentiam à Papa postulasse excommunicandi Puteacensem dominam, & eius milites pro interminatis iniuriis Carnotensi Ecclesiae illatis. Quod verò hac epist. meminit Hugonis filij, cuius tyrannidem perstringit, coniungi debet cum loco epist. 111. vbi dicit, illum more suorum semper rependere mala pro bonis, nec pudore nec fide detineri à rapinis. Sed & appellatur, *cerastes in semita, & coluber in via,* epist. 211. Aymoinus lib. 4. de mirac. S. Benedicti, cap. 24. meminit huius Hugonis loquens de Ludouico Rege filio Philippi. *Rebellauerunt autem contra eum, quidam Francorum proceres opibus & viribus Guillelmi Regis Anglorum fidentes. Ex quibus Hugo de Puteolo, aduersus eum arma corripuit: plures sibi adsciscens auxiliatores. Rex verò eius audaciam compescere cupiens, vndequaque militum contrahit manum.* Sugerius Abbas S. Dionysij in lib. de vita Ludouici Crassi Regis, eiusdem facta scelerata describit, grauiterque afflixisse Carnotenses testatur. Verba proponã, sed correcta variis locis ope duorum manuscriptorum codicum, quos benignè communicarant viri clari Paulus Petauius & Antonius Loisellus: quia valdè illustrant hanc epistolam, & simul meminerunt Iuonis quem Hugo carcere detinuerat.

Sicut benè fructificantis arboris gratissimus fructus, aut stipitis transplentatione, aut ramorum insertione odoriferum saporem restaurat: sic & iniquitatis & nequitiae exstirpanda propagatio de traduce multorum nequam in vno conglutinata tanquam anguis angui inter anguillas stimulans, natiua amaritudine tanquam absintio potat. Cuius instar Hugo Puteolensis vir nequam, & propria & antecessorum tyrannide sola opulentus, cum successisset in honore Puteoli auunculo Guidoni (pater enim eius mirà superbia in

primordio Ierosolimitanæ viæ arma assumpserat) omni malitia patrissare semen nequam non desistebat: sed quos pater flagellis, patre nequior scorpionibus cædebat. Intumescens quippe quòd impune pauperes Ecclesias, monasteria crudelissimè oppresserat, eo vsque pedem mouit vnde ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare. Cum igitur nec Regem omnium, nec Regem Francorum magni duceret nobilissimam, Carnotensem Comitissam cum filio Theobaldo pulcherrimo iuuene & armis strenuo aggressus, terram eorum vsque Carnotum depopulans, rapinis & incendiis exponebat. Nobilis verò Comitissa cum filio aliquando, licet tardè & insufficienter, prout poterat, vlcisci nitebatur. Nunquam tamen aut vix Puteolo à milliaribus octo seu decem appropinquabant: tanta erat Hugonis audacia, tanta potestatiuæ superbiæ suppetebat facultas, vt eum pauci diligerent, multi seruirent, cum multi ad defensionem, quàm plures ipsi etiam ad destructionem, anhelarent. Magis enim timebatur quàm amabatur. Cùm autem Comes præfatus Theobaldus per se parùm, per Regem multum proficere in Hugonem perpenderet: cum nobilissima matre quæ semper nobiliter Regi seruire consueuerat, ad eum accelerat, vt opituletur multis precibus pulsat, multo seruitio eius opem meruisse repræsentat: Hugonis quædam, patris, aui & atauorum opprobria reportat. Memorare, inquiens, domine Rex sicut decet Regiam maiestatem, opprobrij & dedecoris quod auus Hugonis patri tuo Philippo fœdus periurio intulit, cùm eum multas illatas iniurias vlcisci innitentem à Puteolo turpiter reppulit, fastu nequissimæ consanguinitatis factiosæ conspirationis exercitum eius vsque Aurelianum fugauit, captum Comitem Niuernensem, Lancelinum Baugenciacensem, milites pene centum, & quod hactenus inauditum erat, Episcopos quosdam carcere suo dehonestauit. Addebat etiam improperando, qua causa, qua origine in medio terræ sanctorum constructum ad tuitionem eius à venerabili Regina Constantia castrum non ab antiquo fuerat: quo modo etiam post totum sibi, nihil Regi reliquum præter iniurias fecerat. Modo si placeret, quia Carnotensis, Blesensis & Dunensis exercitus copia, qua fretus resistere consueuerat, non solum deficeret sed & ei officeret, castri subuersione, & Hugonis exheredatione, & paternas & suas vlcisci facile posset iniurias. Quod si nec suas nec benemeritorum punire vellet iniurias: Ecclesiarum oppressiones, pauperum deprædationes, viduarum & pupillorum impijssimas vexationes quibus & terram sanctorum & terræ accolas dilapidabat, aut suas faceret, aut remoueret. Cum igitur talibus & pluribus pulsatus Rex, his consulendis diem dedisset. Milidunum conuenimus: vbi multi Archiepiscopi, Episcopi, clerici & monachi confluentes, quia eorum terras lupo rapacior deuorabat, clamabant: pedibus eius etiam nolentis accubabant, vt rapacissimum prædonem Hugonem compesceret: præbendas suas munificentia Regum in Belsa quæ ferax est frumenti, seruitoribus Dei constitutas, de fauce draconis eripiat: terras sacerdotum, non minus sub sæuitia Pharaonis solas emancipatas, emancipare satagat: partem Dei cuius ad viuificandum portat Rex imaginem, vicarius eius liberam restituat, suppliciter implorant. Quorum prece bono animo suscepta, nihil inconuenienter suscipiens, recedentibus prælatis Ecclesiæ, Archiepiscopo Senonensi, Episcopo Aurelianensi, Carnotensi venerabili Iuone qui tentus fuerat carcere, quem coactus fecerat* pingi in eodem castello, multis diebus, consensu bonæ memoriæ Abbatis Adæ antecessoris nostri remisit, me Tauriacum cui præeram in Belsa, villam beati Dionysij vtilem & annonæ fertilem sed nullo modo munitam, præcipiens vt dum ipse eum adhuc ad causam super his vocaret, villa prouiderem,

*huius meminit Iuo epist. 172.

hominum suorum & nostrorum manu militari pro posse fulcitam, ne eam incendio dissolueret, operam darem. Eam enim muniret, & sicut pater fecerat, castrum inde impugnaret. Sequitur ibi longa narratio obsessi castri, in cuius fine addit. *Rex verò non tantùm Hugonem Puteolensem exheredauit, quàm etiam castrum Puteoli dirutis mœniis, & effossis puteis tanquam locum diuinæ maledictioni patulum subuertens deplanauit. Sed & alia vice longo post tempore cum in gratiam Regis, multis obsidibus, multis sacramentis reductus esset: iterata fraude recalcitrans, & docilis sillam scelerum vicisse magistrum, iteratò à Rege obsessus, iteratò exheredatus: cum dapiferum eius Ansellum Garlandensem, baronem strenuum propria lancea perforasset, natiuam & assuetam dediscere proditionem non valuit: donec via Iherosolimitana, sicut & multorum nequam aliorum, eius omni veneno inflammatam nequitiam vitæ ereptione extinxit.* Hæc Sugerius. Cæterum continuator Aymoini lib. 5. cap. 52. etiam refert à Ludouico Hugonem de Puteolo qui contra eum insurrexerat, debellatum fuisse, & Puteolum subuersum ne successione temporum sibi vel hæredibus suis dominus de Puteolo posset resistere.

Ad Epist. LXXVII.

Ioanni Messaliæ) sic etiam cuditur in editione Gratiani recognita in inscriptione can. decessorum, can. 25. q. 2. Sed variat nomen in aliis codicibus habentibus, *Massaliæ, Massiliæ, Massalæ.*

Siue à diuæ recordationis Imperatoribus) in vno v.c. truncatis verbis tantùm legitur, *siue ab Imperatoribus.* Sed in aliis exemplaribus altera lectio sibi constat, quæ etiam confirmatur castigata editione Gratiani in can. placuit. cau. 24. q. 4. Quare iam hoc loco mutatum est quod exhibuit superior editio, *siue à diuinæ record.* non quòd vitium alat ea scriptura; sed quia illud, *diuæ*, plures habeat libros adstipulatores, & magis redoleat sermonem antiquorum temporum; quemadmodum in titulo epist. 87. Ioannis Papæ octaui, *Ludouico glorioso Regi filio diuæ memoriæ Caroli II. Imperatoris Augusti.* idem tit. epist. 91. *dilectæ filiæ Angelbergæ Imperatrici, diuæ memoriæ quondam Domni Ludouici piissimi Imperatoris coniugi.* Cuius generis multa exempla in libris constitutionum Impp. vt, *sub diuæ memoriæ Constantio.* in l. 1. de conlat. donat. vel releuat. possess. Cod. Theod. &, *ab exordio imperij diuæ memoriæ patris mei.* in l. vlt. eodem tit. item, *secundùm legê diuæ memoriæ Gratiani*, in l. 35. de Episc. Eccl. & cler. eod. C. Theod. Alexander Papa tertius in rescripto ad Arnulphum Lexou. Episcopum, *diuæ ac reuerendæ memoriæ Innocentij Papæ.* Neque verò solùm de Principibus Christianis loquentes, eorum memoriam diuam appellabant, sed etiam de desertoribus, & hostibus orthodoxæ fidei. hinc enim est quòd à Valentiniano & Valente Iulianus Imperator dicitur diuæ memoriæ, in l. 11. de numerar. actuar. C. Theod. pariter ab Arcadio & Honorio in l. 7. de prox. Comit. dispos. eod. Cod. vt etiam à Leone in l. 61. de decurionib. Cod. Iustin. quod postremum non esse ferendum dicit Brissonius in formulis. Sed si verum est quod scripsit Minutius Felix in Octauio, Reges consecratos fuisse à paganis, non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ potestatis: huiusmodi sermo non adeò videri debet insolens. Ioannes Salesberiensis in policr. lib. 3. cap. 10. reprehendit Principes fidei luce præsignes, quòd audeant

& gaudeant se diuos appellari; *veteri consuetudine*, inquit, *in vitio & aduersus catholicam obtinente.* Adhoc Georg. Cassander in præfatione hymnorum Ecclesiasticorum, improbat recentem vsum appellandi diuos, quos antiqui sanctos vel beatos nuncupabant, quia nihil interfit inter Diuos & Deos.

Sancimus, priùs consulto Principe ad resecandam tam præsumptiuam factionem, cognoscendum) anteà cusum; *sancimus vt priùs, &c.* Apud Gratianum in ca. de reb. cau. 12. q. 2. *sancimus vt priùs consulatis Principem ad resecandam tam præsumptiuam factionem, & cognoscendum vtrum.*

Ad Epist. LXXVIII.

Ad Cluniacense monasterium) Glaber Rodulphus hist. lib. 3. cap. 5. de regula S. Benedicti agens, dicit illam institutionem iam penè defessam elegisse sibi sapientiæ sedem, & fructificaturam germine multiplici in monasterio Cluniaco, sic nominato ex situ loci adcliuo atque humili, vel potiùs à cluendo, quoniam cluere crescere dicimus. insigne quippe incrementum diuersorum donorum à sui principio obtinuit. Goffridus Abbas Vindoc. in epist. ad Hugonem appellat secundum paradisum.

Sine omni repulsione ascenderunt) anteà irrepserat, *sine vlla.* Sed iam collatione facta complurium veterum codicum sibi benè consentientium restituitur. *sine omni.* Nam & multis aliis locis ipsius Iuonis eadem locutio occurrit, nempe epist. 74. & 196. & 281. exempla etiam in aliis auctoribus; vt in Vrbani Papæ secundi epist. 1. ad clerum & populum Carnotensem supra initio harum epistolarum. idem in priuilegio cœnobij Cauensis. *bona ipsa ad ipsum taliter deuoluta sine omni sua hæredumque & successorum suorum contradictione liceat percipere.* Et alio loco, *vt ipsa omnes concessiones & exceptiones per eorum vobis priuilegia debeant confirmare sine omni pretio & tædio tarditatis.* Tale istud est Gregorij septimi lib. 2. epist. 5. *sine omni vestro periculo.* & lib. 7. epist. 12. *sine omni formidine.* Petrus Bles. epist. 6. *sine omni inuidia & deprauatione.* Henricus Imp. ad Regem Celtar. *sine omni Christiana communione.* Alia exempla in Arnulphi Lexou. Episc. epist. 21. 23. 62. 63. *Guimundus.*) al. *Guitmundus.*

Ad Episcopatum Auersensem) ita plures manuscripti. in aliis est *Auernensem*, quomodo etiam exhibuit prior editio. Sed altera lectio sanior est. hic enim Guidmundus intelligitur Episcopus Auersanus qui scripsit tres libros aduersus Berengarium & floruit sub Vrbano 2. Willielmus Malmesburiensis lib. 3. de gestis reg. Angl. in vita Willielmi primi de Berengario loquens *responderunt ei libris Lanfrancus Archiepiscopus; sed præcipuè & fortiter Guimundus priùs monachus de sancto Leofredo Normanniæ, postea Episcopus Auersanus Apuliæ, nostri temporis eloquentissimus.*

Sancti Laurentij Auersensis) sic habent multi codices. quibus accedit liber Put. *Aduersensis.* in aliis *Auernensis.* quomodo exhibuit prior editio.

Ad Epist. LXXIX.

Humbaldus Antissiodorensis) eo modo scriptum nomen vrbis in plerisque melioribus membranis, sunt etiam quæ habent *Altissiodorensis.* aliæ *Antisiodorensis.* quòd vulgò præualuit. Iam olim variis modis nomen efferebatur. cuius rei fidem faciunt versus Herici de vita S. Germani lib. 1. *Celtica quà mediòs exporgit Gallia tractus, Quáque est vel terris vel mitior illa colonis Vrbem haud incelebrem Galli posuere priores, Vberibus glebis, & optimi munere Bacchi Ac prælabentis iucundu vsibus amnis Magnarum quæ se multis componere possit. Autricus à priscis olim vocitata refertur. Ætas posterior pinnas & culmina auitis Mœnibus imposuit duri munimina belli. Ex augmentatis verso cognomine muris. Siue sequax vsus dicas Antissiodorum, Seu multilare velis & dixeris Altiodorum, Nomine diuerso res est cumulatior vna.* Hæc ille poëta ante annos septingentos. in itinerario etiam Antonini Aug. scribitur *Autesiodorum.* in editione verò Glabri Rodulphi lib. 2. cap. 8. *Antisiodorum.* vbi de Roberto Rege loquens rem singularem notat. *eam obsidione circundedit, qui diu ibi crebris assultibus fatigatus residens, non aduersus eam præualuit, quæ fertur nunquam fraude vel hoste fuisse decepta.*

Ad Epist. LXXXI.

Papæ Vrbani successisse) Bertoldus in chronico ad annum 1099. *Romæ venerabilis Papa Vrbanus huius nominis secundus postquam sedem Romanam* XI. *annos &* V. *menses gubernauit, post multas tribulationes, tandem* IV. *Kal. Augusti de hac luce migrauit; post cuius obitum dominus Paschalis, qui & Regengerus, in ordine* CLXII. *Papa ordinatur, & hoc ex diuina reuelatione factum vbique diuulgatur. ordinatus autem est à clero & populo, post discessum sui prædecessoris, die decimasexta.* Vbi quod addit de diuina reuelatione, debet illustrari verbis Dodechini Abbatis referentis fabulam de schedula partim pilosa, partim pura, qua significabatur papatus illius tempus placidum & turbulentum.

Quod in eundo facilè incurreremus) Bar. tom. 12. Annal. sic interpretatur hunc locum. *Nimirum si diceret, vt erat, se Romam pergere ad Paschalem, ab illis retineretur qui fauerent eius inimicò Imperatori & Antipapæ. Si verò negaret se, vt erat, inhærere Paschali, peccatum incurreret haud leue.* Et paulo post addit. *Certè quidem quæ ad pericula spectant, ita ab hostibus vias obsessas hoc tempore Domnizo scribit de Henrico Imperatore perduellæ Romanæ Ecclesiæ; atque viam domini Petri faciebat hic hostis custodire, viros spoliare iubens peregrinos.* Hæc Bar. Scribit autem Abbas Vrspergensis in chro. anno 1102. Henricum Imperatorem publicasse Romam se profecturum, quatenus tam sua quàm apostolici causa canonicè ventilata, catholica inter regnum & sacerdotium confirmaretur vnitas, quæ tot annis scissa permanserat. Non tamen venisse, nec nuntia dignitati apostolicæ subiectionem profitentia misisse. nec hoc latère alterum Papam Paschali superponere, si fieri posset, conatum fuisse, nec profecisse. paulo post scribit. *Inter hæc Wernherus quidam ex ordine ministerialium Regis, qui Marchæ, quæ in partibus Aquinæ præerat, quasi eandem hæresim resuscitaturus, collectis vndicumque per Italiam copiis, corruptis quoque multa pecunia Romanis nonnullis, dum dominus apostolicus Beneuentanis immoratur finibus, quendam pseudoabbatem de Fafara, proh nefas, cathedræ S. Petri imposuit, & ipsum Papam Cæsaris sub vocabulo Syluestri appellari voluit. qui tamen post paululum turpiter, vt merebatur, à catholicis eliminatus, vesaniæ suæ præmium malè conquisiti peiùsque dispersi æris retulit damnum, præter fidei quod amiserat, cæco non doluit corde dispendium.* eodem spectant verba Dodechini. *interea Wigbertus Romanæ & apostolica*

sedis inuasor moritur, & quia non habuit successorem suæ sectæ, ruit omnis populus ad Paschalem Papam, & sic annihilata est hæresis eius quia hactenus vigebat. Hæc ille ad annum Dom. 1098.

Anselmus Cantuariorum Archiepiscopus in epist. ad Henricum Regem Anglorum in schedis manuscriptis. *Hoc tantùm dico, quia apostolicus Paschalis secundum Deum Ecclesiasticè est electus, & per totam Ecclesiam Catholicam iam susceptus & confirmatus. ille verò inuasor de qua fama est, nullam habet electionem, aut susceptionem nisi à filiis diaboli inimicis Ecclesiæ Dei. quapropter expectamus vt super illum cadat, si non cecidit, quod dixit dominus, omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis eradicabitur.*

Ad Epist. LXXXIII.

Habetis enim in heptatico) plerique veteres codices non præfigunt aspirationis notam huic dictioni, sed & in aliorum auctorum libris scriptum offenditur *heptateuchus*, & *heptaticus*. Hic autem intelligit locum Deuteronomij cap. 25. cuius verba in hunc modum concepta circumferuntur. *si habuerint inter se iurgium viri duo, & vnus contra alterum rixari cœperit, volensque vxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum & apprehenderit verenda eius, abscides manum illius, nec flectêris super eum vlla misericordia.* Peccatum igitur est memoriæ quòd hîc Iuo dixit, lapidibus obrui qui manum miserit ad genitale membrum (quod Lactantius Firm. appellat diuinum & admirabile Dei opus, lib. de opificio Dei cap. 13. & decorum atque pretiosum Cassiodorus lib. de anima cap. 16.) nam de sola vxore verba debent accipi; nec lapide cædi, sed truncari manu iubetur. huius verò appellationis ratio est, quia solebant veteres Ecclesiastici in vnum coniungere & colligare quinque libros Mosis & insimul duos alios sequentes, Iosue & Iudicum. itaque; heptaticus complectebatur Pentateuchum. quod si quem locum proferebant ex illis libris, citabant sub nomine heptatici vel heptateuchi. Cuius rei inscientia fecit vt nonnulli auctorum loci deprauati & mutati fuerint: quod ex scriptura vet. cod. pridem obseruauit Marianus Episcopus Reatinus in epist. 7. S. Hieronymi ad Lætam, vbi pro *heptateuchum*, alij substituerant *pentatheucum*: & epist. 28. ad Lucinium, *octateucho*, pro *heptateucho*. quemadmodum etiam apud Gratianum in can. sancta. distinct. 15. pro pentateuchum, correctum est, in editione Romana, *heptateuchum*, ex decreto Iuonis. obseruaui etiam eodem vitio laborare versum Aratoris apost. hist. l. 1. c. 17. qui sic vulgò cuditur. *comprobat omnipotens tædarum fœdere Mosen, Æthiopam sociasse sibi*: qui error incubat multis manuscriptis codicibus, ne quis putet nostro sæculo natum. Sed in antiquo optimæ fidei exemplari perspicuè legitur, *Comprobat heptaticus.* quam vocem solus Aldus retinuit. heptateuchi mentio fit ab Eusebio Emisseno hom. in dominicam septimam post Pentec. & homelia in Lucam, cap. 15. vt etiam à Sidonio Apollinari lib. 5. epist. 15. & Gregorio Papæ primo lib. 7. epist. 49. & lib. 12. epist. 30. & in ca. qualiter: cau. 7. q. 1. Hincmarus Remensis. *quæ vtraque per se perpetrata in heptatico morte Domino præcipiente mulctantur.* Idem alio loco. *quod autem in heptatico de zelotipia scribitur.* Henricus de Gandauo lib. de illustrib. eccles. script. cap. 8. dicit Petrum de Rigam Remensis Ecclesiæ clericum scripsisse metricè heptateuchum.

Ad Epist. LXXXIV.

Contra interdictum bonæ memoriæ Papæ Vrbani coronam ipsi regi imposuerint) Philippus iam antea excommunicatus fuerat à Papa Vrbano in Claromontensi Concilio, vt ait Iuo epist. 211. Pœnitens postea absolutus. at vbi audiuit Vrbanum objisse, rediit ad consortium pellicis Bertredæ. qua causa Paschalis successor Vrbani misit in Galliam duos Cardinales, qui coacto Concilio Pictauis regem denuò excommunicarunt, quemadmodum indicat auctor dicta epist. 211.

Ad Epist. LXXXV.

Et cum hoc correctum fuerit) ita castigatum ex v. c. malè anteà. *& hoc quod rectum fuerit.*

Quicquid dixerint vobis legati vestri) ita restitui ex plærisque v. c. antea. *quam quod dixerint vobis legati nostri*, vt habet vnus manuscriptus.

Ad Epist. LXXXVII.

Et veterno ipsius Ecclesiæ morbo) hæc lectio prioris editionis firmatur consensu variorum manuscriptorum. Sed in aliis exemplaria, mutata dictione, pro *veterno*, habetur, *& veteri*, vt in v. c. Seruini. Est etiam liber Put. qui refert, *& ne tertio.*

Omni canonica obedientia) in vno cod. *omni canonica electione.*

Illiteratum, aleatorem & cæteris huiusmodi lenociniis vacantem) ita ex melioribus v. c. Prior editio habebat. *alearum ludo tantùm & cæteris huius mundi lenoc. vac.*

Pro voluntate Regis) Philippi, à quo iam anteà varias illatas iniurias fuisse Beluacensi Ecclesiæ, testatur Papa Gregorius septimus lib. 1. epist. 75. ad eundem scribens. quæ plane digna est vt subjiciatur, cum spectet ad propositum.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei Philippo Regi Francorum, salutem & Apostolicam benedictionem.

Significasti nobis per litteras & legatos tuos, B. Petro apostolorum principi deuotè ac decenter velle obedire, nostra in his quæ ad Ecclesiasticam religionem pertinent, monita desideranter audire atq; perficere. Quod si ita cordi tuo diuino instinctu affixum est, multùm gaudere nos conuenit quòd eminentia tua ad diuinam prona reuerentiam, quæ regiæ administrationis sunt, cogitat atque cognoscit. Vnde nobilitatem tuam ex parte B. Petri admonemus, & omni caritatis affectu rogamus, quatenus Deum tibi placere studeatis, & inter cætera, quæ tuum est corrigere, per te illata Beluacensi Ecclesiæ detrimenta pro magnitudine tui nominis & honoris aliquatenus emendare non prætermittas. attendere enim te nobiscum & diligenter considerare volumus, in quanta dilectione sedis apostolicæ, quantaque gloria & laudibus fere per orbem terrarum antecessores tui Reges clarissimi & famosissimi habiti sunt, dum illorum regia maiestas in amplificandis & defendendis Ecclesiis pia ac deuota constitit, in tenendo iustitiam libera ac districta permansit. Postquam verò diuina & humana iura subuertendo tanta virtus in posterioribus cœpit [illegible], totius regni gloria, decus, honor & potestas [illegible], peruersis moribus immutata sunt, & nobilissima fama, & status regni à culmine suæ claritatis inclinata sunt. Hæc quidem & alia frequenter, & si oportet, aspero etiam sermone tibi inculcare, suscepti nos offi-

tij cura compellit: quoniam licet verbum prædicationis abscondere, & vspiam tacere non sit nobis tutum aut liberum: tamen quantò dignitas est amplior, & persona sublimior, tanto propensiorem curam & clamorem pro eius rectitudine nos habere conuenit, admonente nos domino per Prophetam dicentem: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam: præcipuè cum virtus Christianorum principum in eiusdem Regis castris ad custodiam Christianæ militiæ nobiscum conuenire debeat. Vt igitur eorum quorum es successor in regno, nobilitatis & gloriæ apud Deum & homines singularis & indiuiduus hæres existas, virtutem illorum summoperè te imitari, & iustitiam Dei totis viribus exequendo, Ecclesias quantum potes, restaurare & defendere exhortamur: quatenus omnipotens Deus dextera virtutis suæ, hic regni tui gubernacula protegat & exaltet, & coronam sempiternæ gloriæ in futura remuneratione donet. Dat. Romæ Idibus Aprilis, indictione duodecima.

Stephanus vocatur de Guarlanda) lectionem plurium & meliorum codicum prætuli, tum quod eius ætatis scriptores meminere parilis cognominis. Nam apud Sugerium lib. de vita Ludouici grossi, memoratur alius Ansellus de Guarlanda dapifer & miles strenuus, & paulo post Ansellus Guarladensis Baro strenuus, & alio loco Gulielmus Guarladensis, apud Wilelmum Tyrium de bello sacro lib. I. cap. 17. Guido de Garlanda Francorum regis dapifer.

Ad Epist. LXXXVIII.

Hilgodum quondam Suessionensem Episcopum) ita cudi debuit, quomodo habent meliores vetusti codices, non autem *Hilgotum*. Nam & in prisco catalogo Abbatum à tempore restaurati scilicet non autem conditi maioris monasterij, Hilgodus appellatur. Cuius verba faciunt ad interpretationem huius epistolæ, quaquidem Iuo dicit patrem fuisse electum in monasterio, sed non exprimit nomen loci. *Septimus Abbas Hilgodus. hic priuilegia de libertate huius Ecclesiæ pro qua dominus Bernardus diu laborauerat, data à beato Papa Vrbano attulit. In Angliam etiam pergens* XXX. *marcas argenti quas annuatim habemus à Rege & Regina Anglorum & pluralia adquisiuit. hic fuit primùm Episcopus Suessionensis Ecclesiæ, & postea Abbas supradicti cenobij. hic requiescit in introitu in dextera parte ad altare sancti Antonij. hic rexit Ecclesiam istam ab anno* M. CXXXVI. *vsque ad annum* M. CXLVIII. *& obiit Idus Octob.* Alius priscus scriptor in libello de tribulationibus maioris monasterij. *Eo itaque tempore Briuatis quodam assidente Concilio, fratribus nostris illuc delegatis, domno Bernardo Priore, Hilgodo Suessorum Episcopo, & Andrea fratre eius, & Iacobo medico, causa nostra secundùm superiores excursus ventilata est.* Et eodem libello paulo post eiusdem commeminit.

Ad Epist. XC.

Quia treuia Dei non est communi lege sancita) geminata littera in quibusdam libris, *treuuia*. Alibi *tregua* vel *treua*. Wilelmus Tyrius de bel. sac. lib. I. cap. 15. *vt pax quæ verbo vulgari treuga dicitur, ab omnibus obseruaretur illibata.* Glaber Rodulphus hist. lib 5. cap. I. *hoc insuper placuit vniuersis, veluti vulgò dicitur, vt treuga domini vocaretur: quæ videlicet non solùm humanis fulta præconiis, verumetiam multorum diuinis suffragata terroribus.*

Ad Epist. XCI.

Et præcipuè reculas) sic castigaui fide meliorum codicum. malè enim primitùs cusum, *regulas*, quæ labecula etiam incubat multis antiquis membranis. in manuscripto Seruini offendi scriptum. *regulares*. Auctor autem dixit reculas vt epist. 101. *cuius reculas saisiuit.* quo loco vnus vetus codex obtrudit, *regulas*. Donatus in vita Virgilij. *coemundus syluis & apibus curandis reculam auxit.* Saluianus de vero Dei iud. lib. 5. *quia transferre illuc reculas atque habitatiunculas suas familiasque non possunt.* Et paulo post, *spoliati reculis suis.* Ita enim refert editio Paris. anni 1575. Sed Pithœana habet *resculas*, & *resculis*. quod non sine prisco exemplari factum. Idem Saluianus lib. I. ad Eccles. Cathol. *cur non bona fide datis à Deo resculis vtimur?* alij auctores reiculas dixerunt. Agobardus in epist. ad Imperatorem. *Eum quem occidere aut superare cupit, iussus est vt diligat sicut seipsum: reiculas illas pro quibus contendit, arbitrari vt stercora.* Sic enim obseruaui scriptum esse in codice antiquo Pap. Massoni. nam vulgata editio corruptè obtrudit, *recusias illas*. In Capitularibus Caroli & Ludouici lib. 7. cap. 192. *qui reiculam Ecclesiæ petunt à regibus.*

Ad Epist. XCIII.

Daimberto Dei gratia Hierosf.) In vno exemplari, *Lamberto*, quod nomen variè scribitur in aliis auctoribus. Nam apud Willelmum Tyrium de bel. sac. passim appellatur Dabertus, vt lib. 9. cap. 14. & 15. & lib. x. cap. 7. 25. & 26. item lib. XI. cap. 14. Item Dagobertus apud priscum & anonymum auctorem fragmenti historiæ Francorum à Roberto ad mortem Philippi Regis, vbi dicitur Papam Vrbanum direxisse Hierosolymitanis Dagobertũ Episcopum Pisanum, virum omni probitate decoratum. Matthæus Paris in historia Anglica ad annum Dom. M. C. refert fauore Ducis Normannorum Roberti, & Episcopi cuiusdam Maturanensis de Calabria in sedem Patriarchalem fuisse intrusum Arnulphum quendam sacerdotis filium, & inter peregrinos incontinentia & nimia leuitate notatum. Sed addit eundem Arnulphum cita morte interueniente coactum fuisse deponere dignitatem temerè susceptam. Post illum autem vacante sede per menses quinque, à Principibus præsentibus venerabilem Daibertum in throno Patriarchali collocatum. fuit autem inquit, anteà Episcopus Pisanæ Ecclesiæ, vir ad plenum eruditus, & in agendis Ecclesiasticis à puero enutritus. Wilielmus Malmesb. de gest. Reg. Angl. lib. 4. cap. 2. ait se non ambigere Papæ Vrbani consensum fuisse obligatum in illo constituendo, quia reuerendus esset senio, potens eloquio, & pollens marsupio. Folcerus Carnotensis vocat illum pium pastorẽ, & doctorem egregium, qui maleuolorum odiis vexatus fuit, & ab Ecclesia sua eiectus inuidia Roberti Cardinalis, & Arnulfi sepulchri sancti Archidiaconi: in cuius locum Euermarus quidam idiota suffectus. Sed cum ille Romam profectus fuisset, deque Roberto, Arnulfo & clero suo conquestus; Paschalis Papa eundẽ loco & honori pristino restituit. A. Gul. Tyrio appellatur vir litteratus & prudens, religiosus valdè, & honestatis amicus, lib. 9. cap. 14. Eius tamen ambitio notata fuit. Nam multo labore Principum capta Hierosolyma, eam sibi resignari fecit cum vniuersis pertinentiis, specioso scilicet religionis colore, Gothefrido Duce spoliato: cui nunquam ea conditione regnum autoribus Principibus traditum fuerat, vt alicui personæ vllius præstationis vinculo se obligaret, quemadmodũ loquitur idem

Tyrius lib. 9. cap. 16. Quare non immeritò à Fr. Belleforetio reprehenditur in sua Cosmographia.

Matris nostræ orientalis Ecclesiæ) Vrbanus Papa sec. in sermone habito in Concilio Claromontensi. *ad defendendam Orientalem Ecclesiam velociùs concurrite, hæc est enim de qua totius vestræ salutis emanauerunt gaudia, quæ distillauit in os vestrum diuini lactis vbera, quæ nobis propinauit euangeliorum sacrosancta dogmata.* à Daimberto Patriarcha, Ierosolyma dicitur, omnium Ecclesiarum singularis mater, & gentium domina, apud Willelmum Tyrium de bel. sac. lib. 10. cap. 4.

Ad Epist. XCIV.

Et Episcopatus exutor adiudicetur.) locus restitutus est ope veteris codicis Put. qui solus retinuit veram & sinceram scripturam. anteà enim cusum fuerat, *& Episcopatus emptor*; quæ deprauata lectio etiam habetur in aliis manuscriptis. in libro S. Ger. vtraque planè desunt. Hîc autem illud obseruandum, ætate auctoris deposito Episcopo, seu mortuo, aut in supremis agente, tam laïcos quàm clericos solitos fuisse bona illius diripere; cuius prauæ consuetudinis vestigia restant in can. illud. cau. 12. q. 2. quod postea vetitum fuit Concilio Ilerdensi relato in can. hæc huius, & Concilio Aruernensi in can. de laïcis. dicta cau. 12. q. 2. Willelmus Malmesburiensis de gest. Reg. Angl. lib. 4. refert in Anglia tempore Regis Willelmi primi, post decessum Episcopi vel Abbatis omnes reditus integrè custodiri solitos, qui posteà resignandi essent pastori substituendo. at mortuo illo rege statim omnia mutata fuisse, & reditus fisco regio illatos rapacitate Rannulfi procuratoris, de quo infrà in notis ad epist. 153.

Ad Epist. XCV.

In me propter eum) sic v.c. anteà *perpetim*.

Ex prædecessorum, in duobus v.c. *de præcessorum*. Est quædam differentia vtrorumque verborum. Nam prædecessorum nomen latiùs extenditur. Cassiodorus var. lib. 4. epist. 44. *conquestus est casam sui iuris ante decessorem prædecessoremque nostrum longua ætate possessam.* idem lib. 8. epist. 16. *Nam quod vobis per decessores prædecessoresque nostros temporibus domni aui nostri consuetudo longæua dedit.* Hincmarus Rem. Archiep. in epist. ad Nicolaum Papam. *nil petij nisi sicut decessores ac prædecessores mei eo vti in Episcopi ordinatione solebant.* Viderit igitur Ant. Contius qui in præfatione sua ad codicem Iustiniani, inter dictiones quas barbarum sæculum prauè inflexisse dicit, numerat prædecessoris vocem, & addit se nulla addita suæ emendationis ratione vbique rescripsisse decessorem, pro, prædecessorem.

Ad Epist. C.

Nec caret nauo consensionis) ita in omnibus manuscriptis. Sed pro, *nauo*, substitutum est, *scrupulo*, in can. 3. distinct. 86. (Vbi hæc verba tribuuntur Ioanni Papæ octauo) vt etiam in can. 8. cau. 23. q. 3. vbi adscribuntur non Ioanni, sed Anastasio & Damaso.

Ad Epist. CI.

Cuius reculas saisiuit) solus cod. Put. regulas; simili errore qui suprà notatur ad epist. 91. Plures autem membranæ habent, *saisiuit*, pro quo quidam codices, *sasiuit*, vel *saiuit*. eodem verbo vsus epist. 121. *in vico coriarorum saisierunt.* Wilelmus Malmesbur. de gest. Pontif. Angl. lib. 1. *Rex ergo Archiepiscopatum saisiuit.* Anselmus Cantuar. Archiepiscopus in epist. ad Henricum Anglor. Reg. *me in Normannia in pacem vestram suscepistis, & de Archiepiscopatu meo me resaisistis.* Idem in epist. ad Ernulfum. *Rex me resaisiuit de toto Archiepiscopatu.* Willelmus Malmesburiensis de gest. pontif. Angl. lib. 1. *vt Anselmum iuberes resaisiri.*

Ad Epist. CII.

In suis capitularibus) Basiliensis editio anni 1557. libro titulum dederat legum Francicarum. Vbi ea statuta extant lib. 1. cap. 78. Sed nouissima editio Pitoeana anni 1603. rectiùs inscripsit capitularia, vt nuncupari solent à priscis auctoribus. Eadem appellantur capitula regalia ab Iuone epist. 171. & capitula augustorum ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo. Locus autem quem hîc intelligit Iuo, extat in iisdem capitularibus dictæ editionis sub. cap. 84. in quam sententiam consule Gratianum in ca. sacrorum. distinct. 63.

De obnoxietate parentum) qui enim seruili conditioni obnoxij erant, vetabantur fieri Episcopi, ca. 1. dist. 34. vt nec originarij, ca. 9. & ca. 15. eadem dist. atque quilibet obnoxij, ca. 7. dist. 34. & ca. 15. dist. 54.

Ad Epist. CIV.

Domnum Gualonem virum vita honestum) extat epistola Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, qua mētio fit huiusce electionis, quæ integrà subjicienda est è priscis membranis. *Reuerendo domino & patri Paschali summo Pontifici, Anselmus seruus Ecclesiæ Cantuariensis debitam subiectionem & fideles orationes Ecclesia Beluacensis vestro consilio directa & auctoritate roborata, domnum Gualonem Abbatem Ecclesiæ sancti Quintini elegit, & electum desiderat sibi constitui Episcopum. Est enim, in quantum humana potest iudicare cognitio, sic aptus & vtilis ad hoc in omnibus quæ in eligendo Episcopo consideranda sunt, vt melior, vel aptior in eadem Ecclesia inueniri nequeat. Sed quoniam desideranti nihil sufficit, donec quod desiderat assequatur, non est contenta eadem Ecclesia suis precibus; sed & aliorum, quos suum desiderium apud vestram celsitudinem adiuuare posse existimat, auxilium studiosè postulat. Est enim experta in præteritis temporibus, & in simili negotio, multos esse quorum consuetudo est malum dicere bonum, & bonum malum, & quærere plus quā sua sunt quàm quæ Iesu Christi, & qui acuunt linguas suas sicut serpente: quos timet ne simulata columbina simplicitate suo veneno bonum incœptum inficere & annihilare contendant. Quamuis igitur longè nunc sim ab illa, tamen propter familiarem dilectionem quam inuicem habemus, & propter notitiam instant mihi, quatinus quid de eiusdem viri testimonio sentiam sanctitati vestræ fideliter suggeram, & quantum in me est, apud eam, vt quod desiderant, nulla occasione annihiletur, precibus quibus possum efficiam. De persona itaque quam eligunt, secundum conscientiam meam loquor, quia in prædicta Ecclesia ad Episcopatum nec meliorem, nec æqualem inueniri posse intelligo: nec aliquid de illo aut fama, aut experimento quod eius obstet electioni, aliquando sensi: sed multa quæ eius electionem*

approbant, experimento & famæ cognoui. Quapropter licet de vestra auctoritate quod ex vobis est non dubitemus: tamen quibus possumus, mente ad vestigia vestra prostrati, precibus flagitare præsumimus, quatinus eidem Ecclesiæ, post multas, quas nostis, tribulationes quas passa est, misericordia vestra subueniat, & quod benè inceptum est sine dilatione perficiat. Omnipotens Deus diu nobis vestram paternitatem in prosperitate conseruet. Amen. Hoc de Galone etiam alia notantur ad epist. 110.

Litteralibusque studiis) ita plures v. c. anteà, *liberalibusque*. Hincmarus Remorum Episcopus lib. aduersus Hincmarum Laudunēsem Episcopum. *Permisi te interim tantùm vt studio litterali incumberes, de scientia iactitare, donec in maturiori ætate ab illo etiam vitio possem compescere.* Hildebertus Cenom. Episc. ep. 36. *ex canonicari postulas, tuumque tibi nepotem substitui, moribus insignem, & ad litteralem scientiam coanis excultum disciplinis.*

Gregorius septimus lib. 9. epist. 2. ad Regem Hispaniæ. *De illa autem persona, quæ in Archiepiscopum fuerat eligenda, dicimus, licet satis prudens & liberalis videatur, tamen disciplinæ fundamento, videlicet litteralis scientiæ peritia indiget. Quæ virtus, quàm sit non modò Episcopis, verumetiam sacerdotibus necessaria, ipse satis intelligis, cùm nullus sine ea aut alios docere, aut sese possit defendere.*

In cor eius eliquauerunt) malè solus cod. Put. *eloquerentur*, fortè pro *eliquarentur*.

Quòd prædictus electus discipulus meus fuerit.) Ideò æmulis Iuonis suspectus, quia cum hæc scriberet, nondum reconciliatus erat suo Regi Philippo, quemadmodum apertè indicant verba quæ habentur in fine huiusce epistolæ.

Si in regno eius aliquando fieret Episcopus) eiusdem generis est quòd Nicolaus Papa reprehendit Lotharium Regem, quia non permittebat in suo regno Lothariensi vllum eligi vel prouehi ad Episcopatum nisi sibi fauentem, ca. porro. distinct. 63.

Non vult electioni assensum præbere) vetusto iure requirebatur consensus Regis Gallorum, in electionibus Episcoporum & Abbatum sui regni, veluti colligitur ex variis locis ipsius Iuonis epist. 54. & 89. Quinetiam licet aliquando libera esset cleri & populi electio, tamen consulendus erat Rex, quod paucis exemplis satis erit indicari. Nicolaus monachus coætaneus Iuonis in vita S. Godefridi Episcopi Ambianensis lib. 1. cap. 18. scribit Henricum Abbatem Nouigenti liberam permisisse facultatem eligendi pastoris in sui locum. Tum Episcoporum consilio, & Ingelramni Comitis Castelli Cociaci, decretum fuisse monacho Godefrido hoc onus imponendum, idque relatum ad Philippum Regem Francorum, qui tanti viri electione gratulatus, rem iussit accelerari. Et cap. 29. refert eundem Godefridum posteà electum fuisse in Episcopum Ambianensium, & missam fuisse legationem ad eundem Philippum cui erat charissimus & familiaris. Et addit: *Iussit igitur more regio eius promotionē accelerari.* Sugerius Abbas sancti Dionysij lib. de vita Ludouici Crassi, testatur monachos illius cœnobij affectos fuisse conuiciis, & carcere inclusos, quia ausi fuerant sibi eligere Abbatem eundem Sugerium, non priùs petita licentia dicti Regis, cuius tamen gratiam posteà meruit. *Abbatis Adæ decessum denunciat* (inquit) *communem de persona nostra pleno conuentu factam electionem: sed quia inconsulto Rege factum fuerat, meliores & religiosiores fratrum, milites etiam nobiliores cum obtulissent domino Regi electionem, vt assensum præberet, multis affectos conuitiis, Aurelianis castello inclusos reportat.* Et paullo post: *Triplici angebar dispendio: vtrum contra domini Regis voluntatem electionem suscipiens Ecclesiæ Romanæ rigore, & domini Papæ Calixti qui me diligebat, auctoritate, matrem Ecclesiam, quæ à mamilla gratissimo liberalitatis suæ gremio dulcissimè fouere non destiterat, dilapidare & emungere vtroque dissipatore occasione mei cum nunquam tale quid affectassent, sustinerem, vtrum fratres & amicos pro amore nostro deturpari & dehonestari regio carcere permitterem, vtrum etiam pro his & huiusmodi eam postponens tantæ improperium repulsæ incurrerem.* Robertus de monte in appendice ad chronicum Sigeberti anni 1141. adnotat orta dissensione inter Papam Romanum & Francorum Regem Ludouicum: Gallicanam ecclesiam fuisse conturbatam. Defuncto enim Alberico Bituricensi Archiepiscopo, missum à Papa Innocentio eiusdem ecclesiæ pastorem consecratum, sed à Rege Ludouico repudiatum, eo quòd sine eius assensu ordinatus fuerat, atque ideò in ciuitate minimè receptum. de quo etiam infrà ad epist. 105. Cæterum extat epist. 282 S. Bernardi Clar. ad Ludouicum Regem Frācorum, qua dicit nec rationis nec consuetudinis fuisse toties requirere fauorem Regis, quoties clerici dissentiebant in eligendo pontifice. Satis enim fuisse semel illos promeritos assensum Principis.

Nec electo bona episcopalia dimittere.) In hanc rem locus egregius in testamento Philippi Augusti Regis, quo profecturus Ierosolymam, Adelæ matri & Gulielmo Archiepiscopo Remensi auunculo suo tutelam regni commendauit. *Si fortè contigerit sedem Episcopalem vel aliquam Abbatiam regalem vacare, volumus vt canonici Ecclesiæ vel monasterij vacantis monachi veniant ad Reginam & Archiepiscopum sicut ante nos venirent, & liberam electionem ab eis petant. Et nos volumus quod sine contradictione eis concedant. Nos vero tàm canonicos quàm monachos monemus, vt talem pastorem eligant qui Deo placeat, vtilis sit regno. Regina autem & Archiepiscopus tamdiu regalia in manu sua teneant, donec electus cōsecratus sit, vel benedictus: & tunc regalia sine contradictione eis reddantur.* Qui locus extat apud Rigordum lib. 1. de gestis eiusdem Philippi Augusti.

Francorum Rex Romam in proximum se venturum dicit.) Tunc enim flagrante adhuc scismate inter Paschalem secundum & Guibertum antipapam, Philippus cum toto regno adhærebat parti Paschalis, quemadmodum etiam fauit Vrbano, vt notatum ad epist. 46.

Et ad vomitum, sicut iam contigit, reuersus fuerit) vide epist. 84.

Ad Epist. CV.

Præter quod sacramentum) sic rectiùs ex v. c. quàm vt anteà, *propter quòd*. Auctor autem epist. 144. dicit eundem Galonem licet electum, tamen non posse habere pacificè Beluacensem Episcopatum, propter sacramentum Ludouici. fuerat igitur duplex iusiurandum in hanc rem, nempe Philippi Regis patris, & filij Ludouici Crassi. Vterque Princeps mordicus adhærebat suo sacramento. Huc referri potest non dissimile factum Ludouici regis, qui cùm Papa inscio prin-

cipe Petrum ordinaſſet in Archiepiſcopum Bituricenſem mortuo Alberico: id Rex (vt ait Matthæus Paris) in iniuriam ſuæ dignitatis factum vehementer indignans, propoſitis publicè ſacroſanctis reliquiis in præſentia multorum iurauit quòd Archiepiſcopus præfatus, quandiu ipſe viueret, ciuitatem Biturigam non intraret. S. Bernardus epiſt. 221. ad eundem Ludouicum appellat illicitum maledictumque iuramentum, inconſultiſſimè vſurpatum contra Eccleſiam Bituricenſem: & epiſt. 223. ad Stephanum Præneſtinum Epiſcopum, vocat Herodianum iuramentum. Qui pariter in epiſt. 219. ad quatuor Epiſcopos curiæ, dicit ſe non excuſare regem, quia iurauerat illicitè, & perſeuerabat iniuſtè, verùm id non voluntate ſed verecundia: *Nam probro ducebatur apud Francigenas iuramentum ſoluere, quamlibet malè publicè iuratum: quamuis nemo ſapiens dubitet illicita iuramenta non eſſe tenenda, &c.*

Per quendam ſeruientem ſuum) ita v. c. vt epiſt. 65. 116. 121. & 135.

Ad Epiſt. CVII.

In finibus terræ) vt epiſt. 278. *in extremis maris*. quia penitus toto orbe diuiſi Britanni Virgilio Eclog. 1. Hericus lib. 3. de vita S. Germani Autiſſ. Britanniam deſcribens. *Extima telluris limbo cinxiſſe perenni Oceanum perhibent patrum inſtrumenta priorum. Is certè finem quadrato fecerat orbi Gallica quà rapidi perſtringunt littora fluctus. Inſula ni vaſto terrarum plurima ductu Alterius fermè nomen conduceret orbi, Edicto veterum vocitata Britannia.*

Reginæ Angelorum Maria) hæc verba adiecta ſunt ex v. c. quæ anteà deerant.

Ad Epiſt. CVIII.

Non aliunde exarſiſſe iſtam maleuolentiam.) Nomen Archiepiſcopi Turonenſis quod hîc ſuppreſſit, poteſt ſuppleri inſcriptione epiſt. 235. vbi appellatur Rodulfus: ex cuius etiam epiſtolæ lectione, itemque epiſt. 234. liquet graues & acerbas contentiones tunc temporis incaluiſſe inter illum Archiepiſcopum, & Abbatem monachoſque maioris monaſterij, cuius rei obiter commeminit Goffridus Vindocinenſis Abbas in epiſtola ad Goffridum Epiſcopum Carnotenſem, quæ relata eſt in notis ad epiſt. Hugonis & Bernardi, infrà. Vbi ſuperbiam illorum monachorum exaggerat, & reprehendit quòd proprio ſuo Pontifici derogarent. Huius autem controuerſiæ ampliorem narrationem repperi in libello manuſcripto vetuſti & anonymi monachi ſupradicti monaſterij, qui extat in bibliotheca Laur. Bouchelli aduocati Pariſienſis. Verba hæc ſunt: *Hoſtes iſti qui nos hactenus afflixerat, non alij fuere quàm qui nos cuſtodire debuerant & defenſare vt filios & fratres, videlicet * Rodulfus Turonenſis Archiepiſcopus cum clero ſuo.* Et mox ſubiicit. [* ſic appellat in ſequentibus alibi Radulfus, vel Raaulphus.]

*Difficillimumque & ſolo auditu intolerabile nobis erat quod ipſi intendebant, nec anteceſſores eorum præſumpſerant, ad menſuram cæterorum diœceſis ſuæ cenobiorum, vbi indecenti petulantia laſciuire ſolent & * ſeculari quod dictu nefas eſt, ad hoc dedecus maius redigere monaſterium vnde per multas terras religio exordiũ ſumpſerat & augmentum. Illud tamen quod ex qua neſcimus conſuetudine vel ex quo tempore inoleuerit, niſi forſitã pro antiqua loci veneratione & dilectione, vt in monaſterio noſtro Paſchalem Archiepiſcopus ſolemniter celebraret ſtationem. nec patres noſtri, nec nos eis hactenus negauimus, cum exinde multa mala etiam vſque ad homicidia eueniſſe doleremus. donec ſub conceſſa licentia exigere cœperunt illicita, & quod ad deuotionem antiqua conſueuerat religio, in deriſionem & ſcurrilitatem moderna eorum ſubuertit abuſio.* [* v. c. ſeccu-lari.]

Cum igitur ſuper omnibus querelis quas erga nos habebant, iuſtitiam paciſque concordiam in quacunque curia vellent offerremus, ſtomachantibus illis & indignè ferentibus quoniam ad nutum eorum ſingula non procederent, impatienter egit aduerſum nos Archiepiſcopus. & abſque vllo Dei & hominum reſpectu excommunicationem ſuper nos & ſuper locum noſtrum præcipitauit, vbique nos diffamauit apud Reges & principes, vt ethnicos & publicanos euitandos denotauit, diuerſarum prouinciarum Epiſcopos eandem ferre ſuper nos ſententiam, vt ſuper rebelliones & profanos incitauit. In tantum itaque excreuit eorum indignatio & noſtra deiectio, vt ſenes noſtros ipſis ante veneratos Regibus, vernaculi eorum arroganter contemnerent, cum eos equis ſuis detruſos, rebus ablatis, iniuriis & contumeliis illatis per paludes eiulando proſequi ſe cernerent. Deinde ſequitur.

*Prouidentia Dei ſuper hoc periculo conſilium & opem requiſiuimus domini * Amati legati ſedis Apoſtolicæ, & Archiepiſcopi Burdegalenſis eccleſiæ. Qui afflictioni noſtræ valde compatiens, indicauit nobis caſſam eſſe illam excommunicationem, quam ſuper nos Archiepiſcopus Turonenſis & complices eius intentauerant. Quippe ipſe anteà eundem Archiepiſcopum * Rodulfum certis ex culpis excommunicauerat: & in hoc magis nos eſſe reos conſtãter affirmabat, quòd inobedienti ſuo quoquomodo obedieramus, & excommunicato ſuo communicaueramus, quàm quòd eius temeritati & pertinaciæ rationabiliter occurreramus. Dataque venia noxæ illius & iniuncta pœnitentia interminauit nobis, ne vlteriùs illi communicaremus, neque eius obligationem vllatenus ſeruaremus, eumque defenſorem & prologuutorem noſtrum ſuper hoc ratiocinio vbique prætenderemus.* Et inferiùs. [* Amatus legatus Papæ.] [* Rodulfus Archiepiſc. Turonenſis excommunicatus à legato Papæ. confer. not. ad epiſt. 73.]

*Eo itaque tempore Briuatis * quodam aſſidente concilio fratribus noſtris illuc delegatis, cauſa noſtra ſecundùm ſuperiores excurſus ventilata eſt, & diligenter enucleata ſanaque & irreprehenſibilis, reperta eſt, & ab omnibus approbata, præſente illo de quo ſæpe conqueſti ſumus Rodulfo Turonenſi Archiepiſcopo & factoribus eius, qui pudore ipſo in facie notabantur quòd vnde nos obligaſſe putauerant, obligatiores ipſi & reprehenſibiliores iudicabantur.* Et paullo poſt addit: *Huic ſynodali diffinitioni præfuit domnus Hugo Romanæ ſedis Vicarius, idem ipſe primas Galliarum Lugdunenſis metropolitanus, aſſidentibus ei Auxienſi & Narbonenſi Archiepiſcopis cum multis diuerſarum prouinciarũ Epiſcopis & Abbatibus. Sed crudelium & inſidiantium nobis obſtinata & inueterata obturatio, tot ſapientium incantatorum molliri non potuit conſilio, nec diuelli ab odio cui ſemel conglutinata & confœderata fuerit peruerſæ mentis affectio.* [* Concilium Briuatenſe.]

*Aliud ergo non multo poſt Concilium * Auguſtiduno celebratum eſt à ſupradicto venerabili Primate & Archiepiſcopo domno Hugone: vbi præſente illo infatigabili colluctaneo noſtro Rodulfo Turonenſi archipræſule, & domno Hoello Cenomannenſi Epiſcopo ſuffraganeo eius & fautore, multis quoque eccleſiaſticorum officiorũ adminiſtratoribus vndecunque adunatis, adſtantibus eiſdem fratribus noſtris, quos in priori Concilio* [* Concilium Auguſtidunenſe.]

annotauimus, cum quibusdam aliis vtrarumque partium causæ replicatæ sunt. Quantoque nostra diligentiùs est perscrutata, tanto certior laudabiliorque est reperta: illorum autem quo magis mota, tanto reprehensibilior est effecta. Et paullo post de reconciliatis ibidem agens. Sed vt postea rei probauit euentus, non tam ex vera caritate huic paci consenserunt, quàm pro synodali increpatione, & iustæ inuectionis inexcusabili confusione, quod in corde non habebant, in facie simulauerunt. nam mox vt hinc discessum est, quicquid sancitum fuerat, disruperunt, & inconsuetas aduersum nos obtrectationes, & insidias, quasi accepto ictu lacessiti, acerbiùs insurrexerunt. Et paucis interiectis addit.

* Dolense colloquium.

Denique * Dolensi colloquio quod eo tempore habitum est coram primatibus & legatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, domno videlicet Hugone & domno Amato, de quibus prædiximus, præsentibus quoque Cenomannensi & Pictauensi præsulibus, multisque aliis Episcopis & Abbatibus, assistente etiam domno Abbate nostro Bernardo, & de congregatione nostra quamplurimis fratribus, causis vtrimque replicatis reperitū est & publico conuentu diuulgatum, Rodulfum Archiepiscopum Turonensem qui in facie cum clero suo aderat, ante illam malè ab eo super nos illatam sententiam, à domno Amato esse excommunicatum, clarescentibus & propositis culpis, de quibus se excusare si voluit, non potuit. Multis præterea sacerdotum conuentibus, & principum curiis in quibus nos diffamauerant, impudentiæ eorum & obstinationis ratione congrua restitimus plerisque qui inductu illorum in nos errauerant, correctionis satisfactionem ad nos deferentibus: illis tamē in errore suo manentibus, & in errorem & odium quos poterant aduersum nos secum trahentibus. Posteà subjicit.

Rodulfus Archiepiscopus in sententia crudelitatis suæ permanens, cum nos à fundamento exinanire machinaretur, iudicio Dei magis ipse exinanitus, & sede sua pulsus, dies suos dimidiare non potuit. Rodulfum * Aurelianensem successorem habuit, cuius iste imaginem & potestatem accipiens si quid iudicio illius deerat, opprobriis & iniuriis quas ex eius auctoritate nobis inferebat, plenissimè exaggerauit. Veruntamē in primordio introitus sui, benignitatis simulachro affectare nos cœpit, infestationem antecessoris sui quā exercuerat in nos, vehementer reprehendit, & cum quibusdam senioribus nostris sub fidei suæ testimonio firmauit, quod pacem dilectionemque erga nos & locum nostrum indissolubiliter teneret, de supradictis quæstionibus nihil à nobis exigeret: & si nos priuilegium tuitionis à sede Romana impetrare possemus, ipse nobis * factor & suffragator per omnia existeret. Cur hoc nobis promiserit cum nihil tenuerit, nescimus, nisi forsan quòd ordinationi suæ nos nocituros quod non intendebamus, existimauerit. Postquam verò intronizatus & securior redditus est, quod in corde gestabat, in publico aperuit.

* Rodulfus Aurelianensis, successor Rodulphi Archiepisc. Turonensis, æquè infestus monachis.

* fautor.

Aggressus est itaque nouus hic Archiepiscopus opera patris sui renouare; antiquum infestationis spiritum aduersum nos resuscitare, ex illius auctoritate & sua publicè nos excommunicatos acclamare, & rebelles Pontificum vbique denotare.

Nos igitur qui à facie vrsi euasisse sperabamus, postquam in leonem & catulos eius periculosiùs offendisse nos conspeximus, & nec primatum patrocinia, nec Episcoporum concilia nobis prodesse sensimus: coacti tandem tam longa & intolerabili persecutione, ad sinum & alas sanctæ Romanæ Ecclesiæ confugimus: vbi & suscepti & recreati sumus. Vnde & priuilegium libertatis aduersus inferiorum dignitatum incursiones accepimus, primùm auctore apostolico, qui prius * abbas venerandæ religionis præfuit montis Cassini monasterio: deinde à successore eius piissimo ac semper amplectendo Papa Vrbano.

* Victor Papa successor Gregorij septimi, de quo in chronico Casinensi.

Sed neque hoc silere volumus quòd ille idem Rodulfus Turonensis Archiepiscopus, qui faciem suam erga nos immutauerat, & initum fœdus dissoluerat: cum pallium suum à beato Papa Vrbano postularet, non ante habere potuit quàm ab infestatione nostra cessare, & in assensu tuitionis & libertatis nostræ eidem Papa obedire se præsentibus quibusdam ex fratribus nostris, quos illuc miseramus, spopondit, &c.

Cum fide sua tenere nos hominem qui teneri non poterat, existimaremus, & quasi labore consummato peruenisse ad requiem gauderemus: rursum incipere, ad sinum apostolicum inundante diluuio recurrere coacti sumus. Vtrimque igitur ad Concilium Claromontanum conuocamur, vbi Rodulfus Turonensis Archiepiscopus de nota excommunicationis quam prædecessor eius super nos iniustè iniecerat, & ipso communicante & patrocinante nobis Apostolico publicè confirmauerat, proclamantibus nobis à domno Papa appellatus, coram omni concilio se excommunicatos nos appellasse, in quantum reminisci posset, denegauit. Quod tamen si vnquam ex ore eius euaserat, plus ex commotione aut indignatione animi, quàm ex deliberatione processerat. Cum autem hoc aduersus eum protestari legitimarum personarum assertione possemus quod in conciliis suis prædicauerat, & per totam penè intonuerat Galliam: tamen satisfactum nobis esse, assensu omnium qui aderant reputauimus, præstantiusque id nobis fore & omni emendatione honestius, illi verò vituperabilius omnes asserebant, publico Concilio proprio ore dedicere quod probare poteramus publicè eum dixisse. Deinde subjicit.

Post hæc domnus Papa priuilegium quod nobis dederat, coram omnibus legi præcepit, concedens Archiepiscopo Turonensi Rodulfo & clero eius, cæterisque omnibus qui fautores eius esse volebant, immo & aliis qui in neutra parte flectentes soli iustitiæ intendebant, vt si quid canonicè possent, priuilegio & auctoritati Romanæ contradicerent. Cumque illi quos causa grauabat, obstinanter oblatrarant, qui verò sanum sapiebant, iustitiæ assentiendo ratione pacifica acclamarent: domnus Papa imperato silentio, &c. Auctorizauit priuilegium nostrum, scilicet, vt nullus Episcoporum, iuxta quod beatus Gregorius prohibet, in domo maioris monasterij publicam stationem celebrare audeat, propter seruorum Dei inquietudinem: nullus Episcoporum ab Abbate maioris monasterij exigat professionem: nullus Episcoporum super domum maioris monasterij aut super aliquem monachorum eius vicumque sit, intentare audeat excommunicationem, præter Romanum Pontificem, qui eos in gremium paternitatis suæ propter supradictas necessitates tuendos & refouendos suscepit. Cætera verò Ecclesiastica disciplinæ sacramenta accipiant fratres monasterij à Turonensi Archiepiscopo, ita duntaxat si catholicus fuerit, & in gratia apostolica fundatus. Sin aliter, sententiam habeant accipiendi absque vlla calumnia ordinationes suas & sacrationes à Ro-

Gregorij decretum.

mano summo pontifice, aut vndecunque eis libuerit, Et paucis interiectis sequitur.

Concilium Claromontanum anni 1093.

Hæc distinctio siue constitutio libertatis maioris monasterij facta est in Concilio Claromontensi, à domno Papa Vrbano in octauis beati Martini Turonicæ ciuitatis Archiepiscopi, anno ab Incarnatione Domini M. XCIII. *regnante in Galliis Rege Philippo, præsente illo cum quo causam habebamus sæpe dicto Rodulpho Archiepiscopo, cum clericis eius contradicere quidem gestientibus, sed cum rationem dare non possent, ad rationem apostolici inuiolabilem obmutescentibus, assistente pariter domno Abbate nostro Bernardo, & de monachis nostris domno Rangerio Cardinali qui fuit Regiensis Archiepiscopus, &c.*

Sequitur in eodem exemplari antiquo testimonium Arnulfi Archiepiscopi Turonicæ sedis, ex quo elici potest, necdum post superiora Conciliorum edicta, prauas consuetudines desiisse in illo maiori monasterio, quas hic pontifex paulo apertiùs exprimit, & prohibere iterum coactus fuit. *Cum*, inquit, *iuxta morem præfatum semel in anno, quarto scilicet Paschalis solemnitatis die quod mihi officij erat acturus, ad eum locum pergerem, qui ideò maius monasterium dicitur, quòd inibi sanctus Martinus primus Deo deseruisse ac monasticam conuersationem instituisse creditur, comperi quædam illic causa aduentus mei fieri, quæ loci ipsius habitatoribus exosam magis nostram visitationem redderent quàm amabilem. Plærique enim eorum qui mecum tanquam sanctæ celebritatis gratia se venire simulabant, tam ex laïco quàm etiam ex clericali ordine, adeò totius honestatis obliti erant, vt contemtis quæ Dei sunt, missarumq; celebrationibus relictis claustra ipsius cœnobij violenter irrumperent, secretumque monachorum absque Dei reuerentia violarent, epulasque sibi in locis diuino cultui ordinatis exhiberi consueta redibitione, fronte pudoris nescia exigerent. Quæ mala in tantum excreuisse cognoui, vt & ex huius tam inhonestæ exactionis occasione quædam sacrilegia & penè homicidia fierent.*

Ego finem his miseriis imponere cupiens statuo, vt hæc quæ prædiximus, à nullo penitus vlteriùs expetantur vel perpetrentur, sed omnia, vt ait Apostolus, cum caritate fiant: quatenus aduentus noster ad sancta loca potiùs dici possit paterna visitatio quàm tyrannica deprædatio, vel hostilis incursio. Quicumque ergo illuc mecum venire voluerit, pia ac Deo deuota intentione veniat, videlicet vt quæ ad laudem Dei pertinent audiat, quæ salutis sunt animæ inquirat, eligens mentem cibo spiritali reficere, quàm inhonestis comessationibus corpus aggrauare; nullum debitum in loco eodem requirens, nulla temeritate interiores monachorum recessus violare præsumens, nullisque molestiis eorum tranquillitatem concutiens: & ita ad propria reuerti studeat, vt suæ visitationis à solo Deo compensationem expectet, quatinus serui Dei non aliqua nobiscum venientium importunitate molestentur, & visitatio nostra magis sit eis amabilis quàm exosa. nullo igitur modo quietem eorum perturbari volentes, præsentis auctoritate præcepti interdicimus, ne quisquam successorum nostrorum stationem in memorato cœnobio faciens, inquietudinem aliquam seruis Dei faciat, vel facere cupientibus consentiat. Quod præceptum vt irrefragabile perseueret, & à nobis factum certiùs credatur, nos & plerique fidelium nostrorum qui tunc nobis assistebant, signis propriis inferiùs annotauimus, &c.

Cæterum eodem pertinet quod à quodam Ioanne, maioris monasteri monacho scribitur in historia Gaufridi Ducis Normannorum & Comitis Andegauorum, cuius verba profero ex codice antiquo. *Controuersia frequens & plurima inter ipsum Comitem & Turonensem Archiepiscopum versabatur. Contigit ergo aliquand ipsos palam contendere. Archipræsul itaque felle commoto dixit ad Comitem. Quia rebus Ecclesiæ cui Deo actore præsum, has & has irrogastis iniurias, pro certo sciatis quia vos excõmunicabo. At Comes nil motus, tam voce serena quã facie: quod me, ait, domine præsul iniuriarũ arguitis, aut purgare crimen, aut emendare conuictus non renuo. Porro quas sub iungitis minas vestræ excõmunicationis penitus non formido. Quo audito Episcopus grauiter de contemptu quàm de iniuriis dolens, meam, inquit, sententiam non timetis? Illatas iniurias augetis insolentia, & in nostro contemptu diuinam maiestatem offenditis, nunquid noster parochianus non estis? Nunquid animæ vestræ curam vt pastor vester habere non debeo? Ad hæc Comes subridens, bone pastor, ait, præsto quibus debes, & de illis habeto curam qui tibi commissi sunt. Canonicis porro beati Martini, & monachis maioris monasterij nunquid dominaris? Ego autem & canonicus sum sancti Martini, & monachus maioris monasterij. ergo refrena iura, cohibe potestatem, & quam mihi sententiam minabaris, super tuos exerce. Sic vir sapiens & iniustam pontificis euasit sententiam, & quanti haberet Ecclesiarum priuilegia comprobauit.*

Et omne noxium) hæc verba cum septem cohærentibus, addita sunt fide veterum membranarum, quæ anteà desiderabantur.

In maiori monasterio publicas missas celebrare, erga monachos imperiosè agere, bona monasterij prout libuerit vsurpare) in similem sententiam Anselmus Abbas Becci scribens ad Vrbanum, vt monasterium Beccense aliquo priuilegio honoraret: *non enim* (ait) *ignotum esse puto vestræ excellentiæ, quia plures Episcopi non tam gaudent monasteria paterna pietate nutrire, & Episcopali cura erudire, quàm austera quadam dominatione, & propria voluntate grauare.* Iuo quoque epist. 193. reprehendit Gaufridum Belouacensem Episcopum, quòd priuilegia monachorum sancti Quintini temeraret, & exactione fatigaret. Gregorius septimus lib. 2. epist. 69. ad Cunibertum Taurinensem Episcopum (qua quidem illum arguit quòd monachos sancti Michaëlis molestiis afficiat) *Nunquidne existimas Episcopos hanc in pastorali regimine potestatem atque licentiam suscepisse, vt monasteria, quæ in suis parrochiis consistunt, quantum velint opprimant, & studium religionis suæ prælationis occasione hæc & illa potenter exigendo, & potestatem suam exercendo, comminuant? an ignoras quòd sancti Patres plerumque & religiosa monasteria de subiectione Episcoporum & Episcopatus de parochia metropolitanæ sedis propter infestationem præsidentium diuiserunt, & perpetua libertate donantes apostolicæ sedi veluti principalia capiti suo membra adhærere sanxerunt? Percurre sanctorum Patrum priuilegia, & inuenies ipsis etiam Archiepiscopis officium nisi forte ab Abbate vocatis, in plerisque cœnobiis facere prohibitum esse, ne forte monastica quies tumultuosa sæcularium personarum frequentia & conuersatione turbaretur. hoc itaque ne & nos illorum auctoritate & exemplo de præfato sancti Michaëlis monasterio facere cogamur, nene tu, dum immoderata quæris, ea quæ ex æquo tibi*

attinere videbantur, iustè amittas, apostolica te auctoritate monemus, &c. Attamen ob varios abusus aduersus istas exemptiones Abbatum ab Episcopali iurisdictione indultas, siue Apostolica auctoritate, siue bullis adulterinis, latè disputat Petrus Blesensis Archidiaconus epist. 68. ad Alexandrum tertium Papam, & S. Bernardus Clar. Abbas de consideratione ad Eugenium Papam lib. 3. cap. 4. conqueritur nullas vel paucas fuisse Ecclesias quæ plagam istam non dolerent aut timerent. & addit summum Pontificem, subtrahendo Abbates Episcopis, Archiepiscopos Episcopis, &c. probare se habere plenitudinem potestatis, sed iustitiæ fortè non item: facere hoc quia potest, sed vtrum debeat, quæstionis esse. his addendi loci Ioannis Salesberiensis policratici lib. 7. cap. 21.

Ad Epist. CX.

Galonem confratrem & coëpiscopum nostrum.) Edinerus lib. 2. de vita Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, testis est se vidisse Romæ hunc Galonem quem Wallonem appellat. *Inter hæc,* ait, *venit ad nos Wallo Episcopus Parisiensis, vir benè religiosus, & ecclesiasticarum consuetudinum institutionibus ab ineunte ætate imbutus hic Romæ notus & Apostolicæ legationis ministerio functus familiaritate patris Anselmi potiebatur.* Quamuis autem Iuo hac epistola sedem Episcopatus non designet, tamen ex collatione aliorum locorum perspicuum est, intelligi debere Bellouacensem, de quo vide notas ad epist. 104. Rectè igitur monet Bar. tomo XII. Annal. ad annum Christi 1104. quod hunc Galonem modò Beluacensem modò Parisiensem Episcopum appellari vides, nequaquam tamen esse diuersum ob diuersos Episcopatus. hunc enim primò Bellouacensem consecratum Episcopũ: inde persecutione Regis translatum in Parisiensem. Electum enim à Beluacensibus testatur Iuo epist. 104. & 105. Sed tamen consensu Regis fuisse translatum ab Episcopatu Beluacensi ad Parisiensem indicat in fine epist. 144. Ideò inscribit varias epistolas Galoni Parisiẽsi Episcopo, nempe epist. 169. 218. & 243. quo etiam spectat locus epistolæ 193. De hoc Galone intelligitur locus epist. 144. vbi dicit Paschalem Pontificem verba quædam iniunxisse Galoni Episcopo super absolutione Regis Philippi. Idem posteà interfuit coronationi Regis Ludouici Crassi Regis Francorum, vt refert continuator Aimoini monachi hist. lib. 5. cap. 50. Sugerius Abbas in vita dicti Ludouici scribit se coram Papa Vrbano secundo cum esset in Galliis, contra hunc Galonem multis querimoniis ecclesiam beati Dionisij agitantem, viriliter stando aperta ratione & canonico iudicio satisfecisse.

Ad Epist. CXIII.

Pia tripudatione gaudemus) ea sanior lectio quàm vt in vno prisco cod. *trepidatione.* Similis error latet initio lib. V. Roberti monachi hist. Ierosl. *Babylonienses nunc cum appropinquarent, tantosque tanto gaudio trepidantes conspicarentur, mirati sunt.* Castigari debet, *tanto gaudio tripudiantes.* Sic enim idem dixit lib. 4. *quantum gaudium & tripudij exultatio fuit in illa die in castris.* Abbas Vrspergensis in chron. *incredibili totius ciuitatis ac multorum populorum tripudio susceptus, nimis honorificè inthronizatur.* Sigebertus in chron. *cum magno tripudio tam cleri quàm populi itum est Regi Frãcorum obuiam.* Bertoldus in chron. *Papa ... ad Apostolicam sedem cum magna gloria & tripudio reuersus.* Infinita sunt exempla huiusce sermonis.

Ad Epist. CXVII.

Ita gratanter susceperunt) sic meliores codices, vt epist. 110. 141. 144. in vno v. c. *gnauiter.* In anteà vulgato, *grauiter.*

Ad Epist. CXX.

Etiamsi pensem vtrum iustè an iniustè) prior editio habuit, *etiamsi præessem*, quomodo nonnulli manuscripti in aliis est, *etiam si possem.* Sed verior visa est lectio codicis S. Germani, *etiamsi pensem.* Pensare pro cogitare frequens, vt epist. 25. 33. 180. 250. & S. Gregorio Papæ primo.

Ad Epist. CXXI.

Et per totum Episcopatum, diuinum officium interdicam.) Hìc obseruandus mos illius sæculi, quo diuini officij celebratio solebat publicè prohiberi, si quis res alieni iuris occuparet & inuaderet. Quo verò tempore ille mos cœperit non facilis coniectura. Huius exempla proferri possunt ex Gregorio Papa septimo registri lib. 7. ep. 16. ad Hubertum Episcopum Taruannensium; quo loco interdicit omne diuinum omnibus canonicis de castro sancti Pauli (solo Huberto interim vsque ad audientiam excepto) & ipsis, & locis eorum, quousque villam cum ecclesia & aliis suis pertinentiis canonicè restituerint ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Audomari, & coram Hugone Diensi Episcopo de inobedientia & excommunicatione satisfecerint. Idem eodem lib. 7. epist. 18. mandat Wilielmo Auxiensi Archiepiscopo, vt Pezanensem Abbatem cogat Aureliacensi cœnobio ecclesiam vnde lis erat, restituere. Quodsi fortè spiritu superbiæ induratus acquiescere noluerit, iubet monasterio illi quod inuasum est, officium diuinum, & inuasori omnem ecclesiæ introitum interdici.

Ad Epist. CXXV.

Daimberto) mendosè quidam codices, *Umberto.* Ad hunc extant multæ auctoris epistolæ. Chronologia Altissiodorensis ad annum 1096. *Senonensi ecclesiæ post Richerium præfuit Daimbertus ipsius ecclesiæ vicedominus.* Idem ad annũ 1120. *Senonensi ecclesiæ post Daimbertum præfuit Henricus cognomento Aper.*

Ad Epist. CXXVII.

Respectus est inter me & Comitissam vsque ad aduentum Albanensis Episcopi) sic habet omnia exemplaria quemadmodum paullo post. *Infrà ergo hunc respectum non est legitimum vel honestum vt ei quaram aliquod malum.* Idem epist. 134. *Cum etiam respectus esset inter me & Comitissam mediante Apostolico.* Vox illius seculi qua etiam vsus est Rigordus lib. de gest. Philippi Augusti Regis Francorum, cap. de institutione decimarum. *Respectum habebunt à proximo festo omnium sanctorum post diem motionis domini Regis, in duos annos.* Et paullo post: *Respectum de debito suo habebit iuxta factam ordinationem.* Et mox: *Respectum habebit de debito illo vsque ad proximum festum omnium sanctorum, præstitâ quidem bona securitate de pace indè tunc facienda.* Item: *De omnibus debitis vnde datur respectus, oportebit vt debitor det æquè bonam fideiussionem, vel meliorem quàm anteà dedisset.*

Fulbertus Carnot. Episc. epist. 75. ad Gauslinum Abbatem. *at ego correctionis vestræ non expers* III. *Cal. Octob. ei respectum dedi.* Goffridus Vind. Abbas epist. Goffrido Episcopo Carnotensi. *Mihi vestra bonitate mandastis quòd inter me & illam aut placitandi, aut concordiam faciendi respectum vsque ad festiuitatem sancti beati accepistis.*

Ad Epist. CXXIX.

Et Ecclesia nostra cataneus) ita quidem prima editio, quæ lectio extat in multis manuscriptis, vno excepto, in quo *capitaneus.* & nonnullis videtur decurtata dictio, vt ex *capitaneus*, veteres librarij effecerint, *captaneus* vnde posteà, *cataneus.* Sanè priscus autor Romoaldus secundus Salernitanus Archiepiscopus continuatuor libri nondum editi de vita & moribus omnium Principum, qui hodie seruatur in bibliotheca Regis Gall. circa finem libri hac voce vsus est. *Et Comitissa de Berthenora cum Guillelmo de Markysella, nobili Ferrariensi catanio, cum magna multitudine militum & peditum ad succursum eiusdem ciuitatis veniebat.* Capitaneorum autem nomine qui censerentur, habetur in libris feudorum. Iuonis verò tempore iam Ecclesiæ dotatæ regum munificentia, habebant complures vassalos militares, vt indicant verba auctoris epist. 28. ad Philippum Regem, qui iusserat Iuonem occurrere stipatum manu militari. Sed & epist. 153. obijcit Comiti Mellentino quia paruipenderet beneficium Carnotensis Ecclesiæ, quod aliis magnis viris magnum esse videbatur. Vbi beneficium pro feudo militari accipi debet, hæc coniectura est. Alij acutiores rem melius interpretari poterunt.

Ad Epist. CXXXI.

Qui ei legitimè incardinatus est, adulterare) Palmaria emendatio ducta è tribus manuscriptis, vno bibliothecæ Regiæ, altero S. Victoris, tertio S. Germani. In aliis est, *incarnatus*, quomodo etiam habet prima editio. Cardinales Presbyteri erant non tantùm in vrbe Roma, sed etiam in cæteris, quibus tituli, hoc est parochiæ solebant commendari. In Concilio Neocæsariensi cap. 15. *vt in eodem loco, nec futuris temporibus baptisteria construantur; nec Presbyter constituatur Cardinalis.* huiusce nominis frequens mentio in epistolis S. Gregorij primi Papæ; apud quem Cardinalis sacerdos vel Pontifex fit, lib. 1. epist. 78. & 79. Item Cardinalis Presbyter constitutus ab Episcopo, lib. 2. cap. 9. & lib. 7. epist. 71. & lib. 8. epist. 3. & lib. 10. epist. 34. Presbyter quoque dicitur incardinatus, quum est ordinatus lib. 2. epist. 25. apud eundem incardinationis mentio fit, lib. 1. epist. 81. *si à decessore tuo non est factus Presbyter Cardinalis, abstinendum ab eius incardinatione.* vulgatæ editiones Gratiani corruperant id verbi in ca. fraternitatem dist. 71. vbi referuntur verba dicti Gregorij ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, lib. 5. epist. 111. *à nobis petiisse recolimus, vt Gratianum Ecclesia Venefranæ diaconum tuæ concederemus Ecclesiæ cardinandum.* alij substituerant, *Ecclesiæ ordinandum.* Idem in can. pastoralis. cau. 7. q. 1. *vt si prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac, in qua à nobis incardinatus es, debeas Ecclesia permanere.* Agit ibi de Ioanne Episcopo quem è captiuata Lissitana ciuitate, Cardinalem constituerat sacerdotem Cardinales autem Presbyteri & diacones appellati olim, quia primi & præcipuæ authoritatis erant. Quod enim principale erat, Cardinalis nomine censebatur. Inde est quod Seruius Honoratus duobus locis in lib. 1. Æn. quatuor ventos nuncupat Cardinales: vt sanctus Augustinus præcipuos partis Donati Cardinales, lib. 1. de bapt. contra Donat. vt Aurelius Cassiodorus variar. lib. 7. cap. 31. in formula Principatus vrbis Romæ, memorat principem Cardinalem in obsequio Regis Gotthorum; itemque Mar. Scotus in chron. Præfectum Prætorio Orientis vocat virum superillustrem & Cardinalem. Sed & in antiqua notitia vtriusque imperij dicitur officium magisteriæ in præsenti potestatis Cardinale haberi; & alio loco, officium magisteriæ per Orientem potestatis Cardinale haberi. Cæterum horum Cardinalium distincta erant munera, nec ob honorem loci licebat illis in alienam messem falcem mittere: quod indicant hæc verba Paschalis Papæ secundi in epist. ad Didacum Compostellanum Episcopum apud Bar. tomo 12. Annal. *Ecclesia quam regendam disponente Domino suscepisti, iam diu etiam cum pastorem habere videretur pastoris solatiis caret.* Et paulò post: *Cardinales in Ecclesia tua Presbyteros, seu diaconos tales constitue, qui dignè valeant commissa sibi Ecclesiastici regiminis onera sustinere, porro quæ Presbyterorum intersunt, Presbyteris, quæ diaconorum diaconibus committantur, vt in aliena dispendia nullus obrepat.* De Cardinalibus lege tractatum Onuphrij.

Anathematis gladium exercere) ita meliores libri, pro quo alij, *exercere.* Quod etsi defendi potest, tamen altera lectio antistat. In aliis auctoribus sæpe illa duo commutentur. Vt in l. 4. de collat. fund. patr. *in quo exercenda est vindicta*, pro *exerenda.* In l. 22. de curs. publ. C.Th. *Vltio competens exerenda est.* & in l. 12. de pistor. eodem: *pœna competens exeratur.* Victor Cartennensis lib. de pœnit. cap. 7. *iure in illum exertum septiforme supplicium.*

Ad Epist. CXXXIII.

Caustica verba vestra) hæc est lectio primæ editionis, quàm posteà confirmatam reperi authoritate & consensu multorum veterum codicum. Sed variat in aliis exemplaribus priscis: habent enim, *austera verba*, vt videre est in manuscripto S. Germ. & Nic. Fabri. Ad hoc in ora libri Cuiacij adnotata est diuersa lectio: *castigantia verba.* quæ postremæ scripturæ videntur fluxisse à glossis. Quia enim rariùs aut obscuriùs erat dici caustica verba, scioli librarij iam olim locum interpollarunt. Similis autem locutio autoris epist. 277. ad Aldebertum. *vt verba mea non grauiter accipias, licet aliquantulùm caustica & mordacia.*

Grauiter animaduerti) duo v. c. *granati.* fortè pro *grauatè.*

Cum luce veritatis reuerberabitur) sic meliores libri. in aliis est, *cum luce veritatis citò reuerberata.*

In omni penè Ecclesia Gallicana dominetur.) vetus auctor in vita S. Eligij Nouiomensis Episcopi lib. 2. cap. 1. *immaniter* (ait) *symoniaca hæresis pullulabat in vrbibus & cunctis finibus regni Francorum, maximèque à temporibus Brunechildis Reginæ.* Ideò S. Gregorius Papa epistola ad Reges Francorum scripta, admonuerat vt detestabile malum symoniacæ hæresis ac Neophitorum de regni finibus studerent prohiberi. auctor fragmenti historiæ à Roberto ad mortem Philippi circa annum Domini 1037. *Leo Papa in Franciam venit qui Remis multorum adunauit Concilium Episco-*

porum

porum & Abbatum, in quo symoniacam hæresim quæ fere totam resperserat Galliam, anathematis sugillauit gladio, multos humilians quos ea pestis extulerat, & sanctorum patrum statuta quæ propemodum apud Gallos abolita fuerant reformans. Glaber hist. lib. 5. cap 5. de extirpatione simoniaca. *dignoscens igitur idem Henricus per vniuersam Galliam atque Germaniam simoniacæ Phylargiria grassari cupiditatem, coadunari fecit ex omni imperio suo tam archipræsules quàm cæteros pontifices, & tale eis intulit colloquium,* &c. vbi dicitur, grauiter reprehensis pontificibus à Rege ob hoc spiritale latrocinium, quid respōderent non habuisse, quia pertimescebant ob hanc culpam carere propriis sedibus. mox addit. *Cernentes quoque Episcopi graui sese innectione irretitos, misericordiæ operam implorabant. At ipse Princeps misericordia motus, tale consolationis pertulit verbum. Ite, inquiens, & quod illicitè accepistis, benè disponere satagite, ac pro anima patris mei qui hac noxa reus vobiscum tenetur, attentiùs intercedere mementote, quatenus ei indulgentiam huius facinoris à Deo possitis acquirere, &c.*

Romana Ecclesia laborauit, nec à gremio) non solus Iuo, sed plures alij coæui scriptores idem testati sunt. Glaber Rodulfus hist. lib. 5. cap. vlt. in colloquio Regis Henrici de symonia agentis. *Patet ergo manifestissimè quoniam propter hanc offensam venerunt super filios hominum diuersæ clades, fames videlicet atque mortalitas, nec non & gladius. Omnes quippe gradus Ecclesiastici à maximo Pontifice vsque ad hostiarium opprimuntur per suæ damnationis precium, ac iuxta vocem Dominicam, in cunctis grassatur spiritale latrocinium.* Et paulo post. *Et quoniam non solum in Gallicanis Episcopis hæc pessima pullulauerat nequitia, verum etiam multo ampliùs totam occupauerat Italiam: omnia quippe ministeria Ecclesiastica eo tempore habebantur venalia, quasi in foro secularia mercimonia.* Et in fine capitis addit. *Ipso quoque in tempore Romana sedes, quæ vniuersalis iure habetur in orbe terrarum, præfato morbo pestifero per viginti quinque annorum spatia miserrimè laborauerat. fuerat enim eidem sedi ordinatus quidam puer circiter annorum duodecim contra ius fasque, quem scilicet sola pecunia auri & argenti plus commendauit quàm ætas aut sanctitas. & quoniam infœlicem habuit introitum, infœliciorem persensit exitum.*

Patitur membris Iudam proditorem, Ecclesia Nicolaum fornicatoris laudatorem) sic habent omnia vetera exemplaria quibus vsus sum. attamen Annal. Eccles. scriptor hunc locum proferens addit asteriscum cum lacuna, hac forma. *Patitur in membris suis Iudam proditorem,* * . . . . . *Ecclesia Nicolaum for. laud.* & ad oram additur, *Antiochena.* Sed generaliter dictum illud est ab auctore, nec ad solam Antiochenam pertinere Iuonis contemporanei scriptores subindicant, qui plures alias Ecclesias Nicolaïtana labe pollutas testantur. In synodo Romana sub Gregorio septimo anno M. LXXVIII. *Sententia anathematis data est in omnes symoniacos & Nicolaïtas hæreticos, qui in erroris sui secta indurati.* Petrus Damiani in epist. ad Rodulfum, vitalem, &c. *Nicolaïtarum hæresis quæ vobis nobiscum laborantibus videbatur euulsa, repullulat. Deus vult probare constantiam suorum. Ecce qui priùs Nicolaïtarum & symoniacæ hæresis laqueis tenebantur, nunc ad perditionis suæ cumulum sunt etiam violato sacramento periuri. quod tamen in Mediolanensi Ecclesia non est nouum, quæ semper diuersi dogmatis homines habuit, initio ab Auxentio atque Ambrosio inchoato.* Bertoldus ad annum Dom. M. XCV. loquens de Placentina synodo sub Vrbano secundo. *In hac quoque hæresis Nicolaïtarum, id est, incontinentium subdiaconorum, diaconorum, & præcipuè sacerdotum irretractabiliter damnata est, vt deinceps de officio se non intromittant qui in illa hæresi manere non formidant, nec populus eorum officia vllo modo recipiat, si ipsi Nicolaïtæ contra hæc interdicta ministrare præsumant.* Abbas Vrspergensis in chro. sub An. Dom. M. CV. agens de Concilio generali celebrato in villa Regia quæ Northusum dicitur. *Nicolaïtarum quoque fornicaria commixtio ibidem est ab omnibus abdicata.*

Ad Epist. CXXXV.

Coacto rigore Ecclesiastico) ita in omnibus v. c. quomodo etiam habet prima editio, nec opus est vt quis mutet legatque *coacti*.

Arma ei abstulimus) Iure enim Pontificio miles pœnitens armis cingi vetabatur, ca. admonere. cau. 33. q. 2. nec vlteriùs illa ferre licebat, nisi Concilio Episcoporum pro defendenda iustitia, ca. falsas pœnitentias. de pœnit. dist. 5. In Synodo apud Wormaciam tempore Ludouici Imper. vt refert Hincmarus Remorum Episcopus. *Quicumque propria vxore derelicta, vel sine culpa interfecta aliam duxerit vxorem, armis depositis publicam agat pœnitentiam, & si contumax fuerit comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur.* Sigebertus in chro. *Ludouicus Imperator à suis desertus ac proditus, & in potestatem filiorum redactus, Episcoporum iudicio arma deposuit, & ad agendam pœnitentiam inclusus est.*

Ad Epist. CXXXVI.

In omnibus adiutores) in vno v. c. post hæc verba relictum est interstitium aliquot linearum.

Ad Epist. CXXXVIII.

Cum conniuentia suffraganeorum) ita plures codices, in lib. S.Ger. *conuenientia*, quæ varietas frequens aliis locis. Vide notas ad epist. 220.

Ad Epist. CXLI.

Cuius odium iam per decennium tolero.) Hinc notat Bar. tomo xij. Annal. hanc epistolam scriptam ab Iuone anno Christi 1104. Paschalis autem Papæ Pontificatu quinto.

Vel circuitu Trecas venire.) huius Concilij celebrati à Richardo Albanensi commeminit auctor epist. 258.

Ad Epist. CXLIV.

Absolutionem Regis) de qua supra epist. 141. continuator Aymoini hist. Franc. lib. 5. cap. 50. refert Philippum postquàm à Papa anathematis vinculo obligatus fuit, tandem post plures annos sententiam timuisse, & ad terminum vitæ suæ propinquantem resipuisse; veniaque postulata dimisisse pellicem Bertradam ex qua genuerat Philippum & Florum, & Comitissam Tripolitanam. Hæc autem absolutio solemniter facta fuit Parisiis, vt habetur in fragmento prisci auctoris historiæ Francorum à Roberto ad mortem Philippi Regis. Nam postquam dixit fuisse illum excommunicatum à Cardinalibus Ioanne & Benedicto, quos Paschalis Papa in Gallias miserat, subjicit: *non post multum temporis idem Rex corde compunctus direxit quosdam suorum Romam, spondens Papæ pariturum sibi in quibuscunque iuberet, tantùm vt absolui*

mereretur : qui direxit illi duos honestæ vitæ viros à latere suo, qui eum à vinculo anathematis soluerent. Illi Parisiis Regem adeuntes, multa optimatum præsente frequentia fecerunt vt sibi iniunctum fuerat, in communione videlicet fidelium recipientes, eo tamen tenore, ne Bertradæ vlterius commisceretur, seu cum ea absque duobus boni testimonij viri colloqueretur. Susceperat autem iam ex ea Philippum, & quam Tancredus postmodum in coniugium sumpsit.

Ceterum postquam anathemate solutus fuit Philippus, sub finem curriculi vitæ monachalem habitum sumpsisse à nonnullis dicitur, tanquam præteritæ ætatis noxas ea specie aboliturus: quod etiam pellex Bertreda præstitit. Id enim apertè sonant verba Willielmi Malmesburiensis de gest. Reg. Angl. lib. 5. *Philippo intereà nulla mora insanæ temulentiæ satietatem fecit, nisi quòd extremo vitæ tactus morbo, monachicum apud Floriacum accepit habitum. Pulchriùs & fortunaciùs illa* (Comitissam Andegauensem paulo ante vocat) *quòd ætate & sanitate integra, nec specie rugata apud fontem Euraldi sanctimonialium appetiit velum. Nec multo post præsenti vitæ vale fecit: Deo forsitan prouidente, non posse delicatæ mulieris corpus religionis laboribus inseruire.*

Rex clamitans inculcabat) ità suppletum est fide vett. codd. huc autem referri potest factum Regis Philippi Augusti in parili causa. Cum anno M. CCI. ille Ingeburgen vxorem suam in qualemcunque gratiam recepisset, & superductam Mariam ad tempus à se separasset: *conuocatum est Concilium Suessionis ob Octauiano & Ioanne de sancto Paulo Presbytero Cardinali apostolicæ sedis legatis, cui interfuit Rex cum Archiepiscopis, Episcopis & totius regni principibus: tractatumque fuit per XV. dies de matrimonio Ingeburgensis Reginæ confirmando vel separando. Post varias autem & multas disputationes iurisperitorum Rex longa mora tædio affectus, relictis ibi Cardinalibus & Episcopis, cum Ingeburge vxore summo mane ipsis insalutatis recessit: mandans illis per nuncios suos, quod vxorem suam secum ducebat sicut suã, nec separari tunc ab ea volebat. Quo audito solutum est Concilium, stupefactis Cardinalibus & Episcopis qui ad diuortium faciendum conuenerant. Et tunc Ioannes de S. Paulo cum nimia erubescentia penitus recessit. Octauianus autem in Francia remansit. & sic Philippus Rex hac vice manus Romanorum euasit.* Hæc Rigordus in gestis XIX. anni Philippi.

Ad Epist. CXLVI.

Sed quia translationes episcoporum necessitate vrgente) Suprà fine epist. 144. rogat Paschalem Papam, vt Galonem Episcopum de Beluacensi Episcopatu transferri iubeat in Parisiensem. Canonum autem iure translationes Episcoporum improbantur, nisi ex necessitate & manifesta communi vtilitate, vt sedes non mens mutetur; qua de re agitur in cau. mutationes. ca. temporis qualitas. cau. 7. q. 1. & in decretalis Gregorij lib. 1. tit. 7. de translatione episc. Innocentius tertius grauiter reprehendit Cardinalem Apostolicæ sedis legatum, quia motu proprio præsumpserat transferre Troianum Episcopũ de Troiana Ecclesia ad Panormitanam, vt est in cap. 3. nisi, de officio legati. Zonaras tomo tertio refert Agapetum Romanum Pontificem improbasse translationem Episcopi factam sine causa à Iustiniano. Sic Eugenius tertius noluit confirmare translationem Episcopi Guicmari Sicensis, qui electus fuerat à Friderico vt præesset Ecclesiæ Magdeburgensi, vti retulit Otto Frinsig. lib. 2. cap. 8. vbi dicitur eas translationes debere præueniri multo ampliore concordia cleri & populi quàm alias electiones: & reprehenduntur nonnulli Episcopi Germaniæ qui attendebant quod terreno Principi placuerat. Sed mortuo Eugenio Imperator ab Anastasio successore obtinuit facti sui ratihabitionem cum pallio, non sine quorundam scandalo, qui ne vnquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere à proprio ipsorum ore audierant. Vnde non solùm in secularibus sed & in Ecclesiasticis negotiis disponendis auctoritas principis plurimùm creuit, vt scribit idem Otto dicti lib. 2. cap. 10. Paschalis quoque secundus Iordanem Mediolanensibus concessit, & Grossolanum vnde fuerat translatus, restituit, quia translatio videbatur in animarum & corporum damna conuersa. author Abbas Vrspergensis in chron. ad ann. Dom. M. CXVI. exempla tamen Episcoporum iam olim translatorum habentur apud Socratem hist. Eccles. lib. 7. cap. 36. Theodorum Balsamonem in interpretatione cap. 15. synodi Nicenæ, & Burchardum decretorum lib. 1. cap. vlt. ipsumque Iuonem in præfatione sui decreti, siue epist. 188. infrà. Huc referenda verba Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi. *Henrico suo Karissimo domino, gratia Dei Regi Anglorum & Duci Normannorum, Anselmus Archiepiscopus fidele seruitium cum orationibus. Mandauit mihi dignatio vestra per electum Episcopum Wintoniensem, vt sibi scriberem, vtrum dominus Herneus Episcopus Bancornensis posset constitui Episcopus in Ecclesia Luxouiensi. Hoc vtique facile fieri non intelligo. Sicut enim nullus Episcopus sacrari debet alicui Ecclesiæ sine assensu & consilio Archiepiscopi & aliorum Episcoporum totius prouinciæ: ita qui sacratus est Episcopus, non potest constitui in alia prouincia Episcopus canonicè sine consilio & assensu Archiepiscopi & Episcoporum eiusdem prouinciæ cum auctoritate apostolica: nec sine absolutione Archiepiscopi & Episcoporum prouinciæ in qua sacratus est. Quæ absolutio fieri nequit sine magna & communi consideratione, & consilio eorum, sine quibus consecrari sicut dixi, non possit. Omnipotens Deus dirigat vos in hac & in aliis actionibus vestris. Amen.* Integram ex scripsi è priscis membranis, quia nondum typis euulgata fuerat.

Ad Epist. CXLIX.

In Ecclesia Luxouiensi) ea scriptura sibi constat in priscis membranis Iuonis, vt etiam epist. 153. 154. 157. ne quis fortasse putet fuisse culpam typographi, quòd iam in prima editione vbique legatur, *Luxouiensi*, pro quo hodie passim scribitur, *Lexouiensi*, ad differentiam monasterij *Luxouij*: quod quidem nonnulli putant olim appellatum fuisse *Lussedium*, ex duobus locis vetusti auctoris lib. 1. de vita S. Eligij Nouiom. Episcopi, cap. 21. apud Surium, qui (vt hoc obiter) tribuit illã Audoeno Rothomagensi præsuli, cognomine Dadoni: cum tamen ex cap. 8. & 12. colligi possit diuersum auctorem extitisse. In aliis scriptoribus etiam illa vetus scriptura manet, vt apud Anselmum Cantuar. in epistola ad Henricum. *vtrum posset constitui Episcopus in Ecclesia Luxouiensi* Petrus venerabilis Luxouiensem quoque Episcopum vocat.

Ad Epist. CLI.

Odonem olim fratrem, nunc verò hostem) hæc conquæstio super Odone confirmato à Gaufrido Beluacensi Episcopo, locum dat coniecturæ vt ille sit quem Anselmus Cantuariensis in epist. nondum euulgata ad Gonheruim scribit canoni-

eos dicti beati Quintini Belu. voluisse remouere à sua prælatione, non quidem temerè, sed ob multas rationes, & illi substituere hunc Gonherium quamuis inuitum; quem propterea adhortatur ne contemplationi deditus velit refugere honorem. Gonherij alibi meminit Iuo, vt pariter Gaufridi Beluac. de quo conqueritur epist. 193. quia infringebat priuilegia dicti monasterij sancti Quintini.

Ad Epist. CLIII.

Ranulfus Dunelmensis Episcopus) quidam libri *Rannulfus*. huiusce perditissimi latronis mores improbos Anglici historici vno consensu damnant, vt iustissima causa Iuo qui illum nouerat, scribat epist. 154. qui de Rannulfo bona prædixerant, mutare debere laudem in vituperium. Willielmus Malmesburiensis paullo post. initium lib. 4. de gestis Regum Anglorum, loquens de Willielmo secundo. *Quum defecisset* (ait) *quod daret, inops & exhaustus ad rapinas conuertit animum. Accessit auidæ menti fomes cupiditatum Ranulfus clericus, ex infimo genere hominum lingua & calliditate prouectus ad summum. Is si quando edictum regium processisset, vt nominatum tributum Anglia penderet, duplum adjiciebat, expilator diuitum, exterminator pauperum, confiscator alienarum hæreditatum. Inuictus causidicus, & cum verbis tum rebus immodicus, iuxta in simplices vt in rebelles furens**, *subinde cachinnantibus quibusdam ac dicentibus, solum esse hominem, qui sciret sic agitare ingenium, nec aliorum curaret odium, dummodo complacaret dominum, hoc autore sacri Ecclesiarum honores mortuis pastoribus venum locati. Audita namque morte cuiuslibet Episcopi vel Abbatis, confestim clericus regis admittebatur, qui omnia inuenta scripto exciperet, omnesque in posterum reditus fisco regio inferret. Interea quærebatur quis idoneus in loco defuncti substitueretur, non pro morum sed pro nummorum experimento: dabaturque tandem honor, vt ita dicam, nudus, magno tamen emptus. hæc eò indigniora videbantur, quia tempore patris, post decessum Episcopi vel Abbatis omnes reditus integrè custodiebantur, substituendo pastori resignandi: eligebanturque personæ religionis merito laudabiles. at verò pauculis annis intercedentibus omnia immutatata. nullus diues nisi nummularius, nullus clericus, nisi causidicus, nullus Presbyter nisi (vt verbo parùm latino vtar) firmarius. Cuiuscumque conditionis homunculus, cuiuscumque criminis reus statim vt de lucro regis appellasset, audiebatur, ab ipsius latronis faucibus resoluebatur laqueus, si regale commodum promisisset*, &c. Idem initio lib. 5. scribit *occiso Willielmo, Henricum electum regem statim per Angliam edictum misisse, iniustitias à fratre & Ranulpho institutas prohibuisse, & ne quid gaudio abesset, Ranulphum nequitiarum fæcem tenebris ergastularibus inclusum fuisse*. Idem lib. 3. de gestis Pontif. Angl. inter cætera sic scribit. *Is est Ranulphus quondam regis Willielmi capellanus, ex quo ambiguum genere, lingua & calliditate prouectum ad summus, & totius regni procurator effectus.* Et mox. *Quibus artibus fretus Episcopatum Dunelmensem meruit. venit ergo Dunelmum, & primum quidem timidiùs se agebat, Sanctum verens offendere, qui fertur peccantium seuerus in primis correptor esse. Sed vno & altero delicto commisso nec vindicato, eò processit, vt reum si quando ad Ecclesiam sancti confugeret, abstrahere non dubitaret, ausus scelus omnibus retrò annis inauditum.* Rogerus Houedenus Annal. parte priore in Willelmo iuniore. *Rex Anglorum Willielmus iunior de Normannia rediit Angliam, & in Pentecosten Londoniæ curiam suam tenuit, ac Rannulfo, quem negotiorum totius regni exactorem constituerat, Dunelmensem Episcopatum dedit, quem Thomas Eboracensis Archiepiscopus ibi mox consecrauit.* Et paulo post addit. *multus Normannus diabolus in horribili specie se frequenter in syluis ostendens, plura cum eis de rege & Ranulfo & quibusdam aliis locutus est. nec mirum. nam illorum tempore ferè omnis legum siluit iustitia, causisque iustitiæ subpositis, sola in principibus imperabat pecunia. Denique eadem tempestate nonnullis regiæ voluntatis magis quàm iustitiæ obedientibus, Rannulfus contra ius Ecclesiasticum, & sui gradus ordinem (Presbyter enim erat) ad censum primitùs Abbatias, dehinc Episcopatus, quorum patres à vita discesserant, nouiter accepit à rege, & in singulis annis persoluit ei non modicam summam pecuniæ. Cuius potentia tam vehemens extitit, & paruo tempore adeò creuit, vt placitatorem ac totius regni exactorem rex illum constitueret. Qui tanta potestate adepta, vbique locorum per Angliam ditiores ac locupletiores quosdam rerum terrarumque ablatione mulctauit: pauperiores autem graui iniustoque tributo incessanter oppressit, multisque modis & ante Episcopatum, & in Episcopatu maiores & minores communiter afflixit. Et hoc vsque ad regis eiusdem obitum. nam eo die quo occisus periit, Cantuariensem Archipræsulatum, Wintoriensem & Saresberiensem præsulatum in sua manu tenuit.* Idem historicus paulo post in vita Henrici primi. *Anno milleno centeno primo Dunelmensis Episcopus Ranulfus Kal. Febr. de custodia calliditate maxima euasit, mare transiit, Robertum Comitem Normannorum adiit, eique suasit vt Angliam hostiliter adiret, &c.* Matthæus Paris in historia Henrici primi. *Tenuit autem eo tempore Rex in custodia Ranulphum Dunelmensem Episcopum, hominem peruersum, & ad omne scelus paratum, quem frater eius Rex Willielmus Episcopum fecerat Dunelmensem, & regni Anglorum subuersorem. Qui cum Regi iam dicto nimium esset familiaris, constituerat eum Rex procuratorem suum in regno, vt euelleret & destrueret, raperet & disperderet, & omnia omnium bona ad fisci commodum comportaret. Sed mortuo rege iniquo, & Henrico coronato, de communi consilio gentis Anglorum, posuit eum Rex in vinculis, à quibus cum custodibus suis pecunia corruptis euasisset, transfretauit clàm in Normanniam, & sua exhortatione Ducem Robertum commouit in Regem fratrem suum.* Idem historicus dicit obiisse anno Dom. M. CXXXIII. Cæterum in manuscriptis epistolis Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi mentio fit Ranulfi Episcopi à Rege Angliæ in Episcopatum restituti, & posteà variis facinoribus accusati apud Papam Paschalem II. quod putant referendum esse ad hunc Ranulfum. Verba hæc sunt ex interrogatis Anselmi. *Anselmus. Ranulfus de quo vestrum olim petij consilium, à rege restitutus est in Episcopatum. Si ergo vobis placuerit, inquirite vitam eius ab Episcopis nostris qui nunc ad vos venerunt, ac de eo Archiepiscopo eius & mihi primati eius consulite. Paschalis. Rannulfi Episcopi causam, quandoquidem iuxta præceptum nostrum in cathedram propriam restitutus est, indiscussam præterire non patimur. Eius enim facinora grauissima ad sedem apostolicam multorum sunt relatione perlata. Volumus igitur vt apud præsentiam vestram in Episcoporum conuentu, quæ de eo ad nos scripta sunt, pleniter pertractentur. Discussione habita, nisi se septima sui ordinis manu expurgare potuerit, mox cum litterarum nostrarum testimonio transmittatur ad nos. Si autem de conscientia sua trepidans ad examen nostrum peruenire noluerit, per experientiam vestram ab Ecclesia quam occupat, expellatur, & in ea iuxta canonicas sanctiones Episcopus subrogetur.*

* aliter legitur apud eundem lib. 3. de gestis Pontif. Angl. subinde ridente rege ac dicente solum esse.

Ad Epist. CLIV.

Vt prædictum Regem sanis consiliis informes, & leges Ecclesiasticas) huius Comitis Mellentini, qui multum valebat gratia apud Regem Anglorum, Henricum primum, mentio fit à Willielmo Malmesburiensi lib. 5. de gestis Reg. Angl. cuius verba hæc sunt. *Rex Angliæ, Romanos prudentiam Normannorum mirari & prædicare coëgit. Et vt nihil cumulatæ pompæ deesset, adolescentulos clarissimi generis, filios Comitis de Mellento, vt contra Cardinales de dialectica disputarent, subornauit; quorum tortilibus sophismatibus cùm pro viuacitate rationum obsisti nequirent; non puduit Cardinales confiteri, maiori occiduas plagas florere litterarum peritia, quàm ipsi audissent, vel putassent in patria. Itaque hæc collocutio hunc finem meruit, vt pronunciaret Apostolicus, nihil Anglorum Regis caussa iustius, prudentia eminentius, facundia vberius. horum puerorum pater erat Comes de Mellento Robertus (vt dixi) filius Rogerij de bellomonte, qui Pratellum cœnobium Normanniæ construxit, homo antiquæ simplicitatis & fidei, qui crebrò à Willielmo primo inuitatus, vt Angliam veniret largis ad voluntatem possessionibus munerandus, supersedit, pronuncians patrum suorum hæreditatem se velle fouere, non transmarinas & indebitas possessiones vel appetere, vel inuadere hic duos filios habuit, Robertum istum, & Henricum. Henricus Comes Warwicensis dulcis, & quieti animi vir, congruo suis moribus studio vitam egit & clausit. alter astutior & pro moribus ad versutiam cordis; præter paternitatem hæreditatem in Normannia, & ingentia prædia in Anglia, castellum quod matris suæ frater Hugo filius Gualeranui tenuerat, Mellentum nomine, à Rege Franciæ nundinatus est pecunia. Qui cum superiorum regum tempore spe sensim pullulante in gloriam procederet, huius ætate summo prouectu effloruit, habebatque eius consilium, quasi quis diuinum consuluisset sacrarium. Iamque non immeritò assecutus æstimabatur, quòd esset æui maturus ad consulendum, suasor concordiæ, dissuasor discordiæ, & prorsus ad quod intenderet, pro viribus eloquentiæ citißimus persuasor.* Et paulo post addit. *in placitis propugnator iustitiæ, in guerris prouisor victoriæ; dominum Regem ac seueritatem legum custodiendam exacuens, ipse non eas sequens, sed proponens, expers in Reges perfidiæ, in cæteros eius persecutor.* & longè post eodem lib. refert, Comitem de Mellento in causa fuisse, vt Henricus primus Anglorum Rex diu altercatus fuerit cum Paschali Papa super vsu inuestiturarum, *quia allegabat multùm regiæ maiestati diminui, si omittens morem antecessorum non inuestiret electum per baculum & annulum.* extat in vetusto codice bibliothecæ S. Victoris Paris. Anselmi Cantuariensis Episcopi epistola ad Ernulfum in eandem rem. *domnus Papa* (de Paschali secundo loquitur) *nuper mandauit Comiti de Mellento salutem & benedictionem suam, hac videlicet conditione, si libertati Ecclesiæ voluerit fauere, cui hactenus visus est resistere: sin autem, ab introitu Ecclesiæ tantùm illum arcebat, sicut fecerat priùs de illo, & de aliis complicibus eius consiliariis Regis, in litteris illis quarum exemplar misi vobis. sed quoniam idem Comes promisit mihi se conaturum vt Rex Papæ præceptis obediat, permisit ei introitum Ecclesiæ à quo detinebatur.* Idem Willielmus Malmesb. lib. 2. de gest. Pont. Angl. de eodem Henrico Rege loquens. *Ille qui sua prudentia consilio Mellentini Comitis Roberti iam in omnibus defæcatus maturuerat, consilia salutaria dignanter accepit.* Iuo meminit Roberti Mellentini Comitis epist. 45. & Melletensis epist. 285.

Ad aliam Ecclesiam transeat, & velut quadam mœchatione) sic rectissimè in melioribus codicibus, pro quo in aliis, *quadam machinatione*, minus aptè. mœchationis enim nomine voluit intelligi bigamiam in hoc Episcopo Ranulfo, qui duarum Ecclesiarum Episcopus fieri malis artibus nitebatur. A canonum veterum conditoribus Ecclesia vel parochia appellatur vxor Episcopi vel Presbyteri, vt à Callixto Papa in ca. sicut. cau. 7. q. 1. & sponsa Presbyteri in Remensi Concilio relato ca. sicut vnaquæque. cau. 21. q. 3. vbi scribitur Ecclesiam non posse diuidi inter duos, quia est vxor & sponsa Christi, non scortum. Iuo etiam epist. 131. dicit adulterari sponsam & cubile sponsæ ascendi, de Presbytero loquens qui suam repudiarat Ecclesiam, & illam recuperare volebat viuente altero qui legitimè illi incardinatus erat, vel (vt habent quidam codices) incarnatus erat. Idem Callixtus concubitu Ecclesiæ frui dicit, dicto ca. sicut. cau. 7. q. 1. Iuo de eodem Ranulfo agens epist. 153. *eliminetur* (inquit) *de Luxouiensi Ecclesia; vt digamia non admittatur.* Sed & affirmat neminem fieri Episcopum duarum Ecclesiarum epist. 66. Sicut plures Ecclesiæ vni Episcopo committi non posse scribunt Sozomenus hist. Eccles. lib. 4. cap. 15. Ruffinus hist. lib. 1. cap. 6. & Epiphanius hæresi 68. Apud Luithprandum Ticin. lib. 4. cap. 3. extat insignis locus de Manasse Episcopo Arelatensi, qui abusus auctoritate & exemplo Petri Apostoli & Marci Euangelistæ, ab Hugone tunc temporis rege Italiæ suscepit Episcopatum Ecclesiæ Tridentinæ, Veronensis & Mantuanæ. Ex iusta autem causa vnus idemque Episcopus potest habere duos Episcopatus, vt ex Gregorio relatum in ca. relatio. & ca. illud. cau. 21. q. 1.

Bona seuerunt) placet magis illa lectio aliquot manuscriptorum, quàm altera, *bona senserunt*: etsi defendi potest. Bona enim serere dixit eo modo quo alij sermonem disseminare.

Vt leges frangant, sed distortores legum) prima editio obtruserat, *sed doctores legum*, quam lectionem cum mendosam videret esse Baronius, pro, distortores, substituit, *fractores*, vt videre est, tomo XII. Annal. vbi profert hunc locum. Restitui, *distortores*, secutus fidem & consensum priscarum membranarum. quòd sincerum esse liquet.

Ad Epist. CLVII.

Acceptò pastorali baculo) de Episcopali agi, tota epistolæ series ostendit. Baculus autem inter symbola pontificiæ dignitatis recensetur. S. Bernardus Clar. in sermone de baptismo. *Sicut in exterioribus diuersa sunt signa, variæ sunt inuestituræ secundùm ea de quibus inuestimur. Verbi gratia, inuestitur canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul. Sicut, inquam, in huiusmodi rebus est, sic & diuisiones gratiarum diuersis sunt traditæ sacramentis.* Qui in libro sententiarum cap. v. dicit Episcopum habere virgam in manu vt mites leniùs corripiat, baculum vt duros & improbos acriùs arguat, cumque necesse fuerit, anathematis sententia feriat. Priscus & innominatus autor vitæ S. Romani Episcopi Rotomagensis. *fit itaque inter palatinos proceres de viro sancto communis assensio, qui omnes vnanimiter regi consulunt; ne grex Christi suo fraudetur desiderio, sed diuina protinus ad effectum ducatur electio. quo Rex gratulatus consilio, conuocatis tam Episcopis quàm Abbatibus baculum illi contulit pastoralem. Inthronizatur ergo pontificali apice, &c.* Qui locus palam arguit antiquissimi iuris vsum quo Galliæ reges inuestiebāt antistites sui regni.

Nam ille Romanus claruit sub Ludouio & Clotilde circa annum DCXXIII. Extat memorabilis historia apud Glabrum Rodulphum lib. v. cap. 1. de Roberto Rege Francorum, cui Abbas cuiusdam monasterij equum optimum dederat. vt sibi illius amicitiam conciliaret. Dumque præfatus Abbas accersitus fuisset, ait ei. *depone baculum regiminis pastoralis, quem credis largitione mortalis hominis debere gestari. Quem cum à se proiecisset, suscipiens illum Rex, imposuit dexteræ imaginis Saluatoris, vade inquiens Abbati, & suscipe illum de manu omnipotentis Regis, nec sis vltra pro eo debitor alicuius mortalis, sed liberè vtere eo, vt decet culmen tanti nominis, at ipse gaudenter illum suscipiens, plurimis de tali facto alacritatem contulit, ac dehinc cum omni libertate viguit.* Vetus fragmentum historiæ à Roberto ad mortem Philippi, de Hildebrando & Henrico Imp. *Exigebat quoque idem Papa ab eo dimitti dominationem omnium sui Imperij Ecclesiarum, ne cui baculum pastoralem donaret iuxta quod in antiquorum statutis continetur patrum. Quod ille facere renuit. hac fuit iustior causa excommunicationis.* Waltramus Episcopus in tractatu de inuestituris. *Purè & integrè seruanda est antiqua constitutio, ne pusilli Christi scandalizentur. nihil enim refert siue verbo, siue præcepto, siue baculo, siue alia re quam in manu tenuerit, inuestiat aut inthronizet Rex & Imperator Episcopum: quo die consecrationis veniens annulum & baculum ponit super altare, & in curam pastoralem singula accipit à stola & authoritate S. Petri. Sed congruum magis est, quòd per baculum, qui est temporalis & spiritualis, præcedens inuestitura per regem, in fundis & rebus Ecclesiæ contra tyrannos & raptores quieta & pacifica reddit omnia.* Extat miranda historia apud Matthæum Paridem in vita Willielmi secundi, de Wlstano Episcopo Wigornensi, qui ab aduersariis impetitus, baculum seu virgam Episcopalem noluit reddere, nisi tumulo regis Eoduardi, à quo viuente acceperat: quæquidem ibi affixa, nullius postea manu auelli potuit nisi ipsius Vlstani. tali miraculo Deo comprobante, iustissimè baculum Episcopalem anteà illi concessum à rege fuisse. Innocentius Papa tertius concedit Patriarchæ Constantinopolitano vti baculo ad similitudinem aliorum pontificum in cap. cum venisset, de sac. vnct. quoquidem loco addit Papam Romanum non vti baculo, tum propter historiam, tum propter mysticam rationem. Ea autem ratio petenda est ex Othone Frisigi chron. lib. 3. cap. 15. Durando in rationali, & Iordano lib. de imperio & electione. Quamuis, vt obiter id notetur, dubitari possit an vsquequaque verum sit quod ait ille Innocentius Pontificem Romanum non vti baculo. Etenim Luithprandus Ticinensis in fine lib. 6. de reb. per Europam gestis, refert quendam Benedictum Papam, exauctoratum fuisse, sibique abstulisse pallium & ferulam pontificalem, & eam Leoni reddidisse; quam idem Leo fregit. Quod etiam confirmat Rhegino chron. lib. 2. his omnino verbis. *Leo apostolicus coadunata multorum Episcoporum synodo, eundem Benedictum Romanæ sedis inuasorem, iudicio omnium ab inuaso gradu deposuit: & pontificale pallium quod sibi imposuerat, abscidit, ferulamque pastoralem manu eius arreptam, coram omnibus in frustra confregit, & ad preces Imperatoris, diaconatus ei tantùm gradu vti concessit.* Quibus locis ferulam idem significare quod baculum seu virgam, indubium est. Alibi pedum appellari videas. vt à prisco & anonymo auctore vitæ S. Ottonis Episcopi Babebergensis & Apostoli Pomeranorum, cap. 3. *per id tempus* (ait) *Imperatores Ecclesiarum inuestituras conferebant, & quoties Episcopus aliquis decessisset è vita, Ecclesia cui præfuerat, pedum & annulum ad Imperatorem transmittebat, ab eius aula petens sibi dari Episcopum. Itaque multi nobiles & præstantes viri, cognati & filij Principum, Imperatoris aulam sequebantur, capellanorum ei ministerium exhibentes, spe alicuius Episcopatus obtinendi.* Et paulo post. loquens de Ottone Imperatore: *annulum Episcopi, eius digito apposuit, pedum tradidit, & ita inuestitum legatis attribuit.* His coniungenda sunt quæ de virga pastorali notata ad epist. 8.

A Comite Normannorum) hunc locum interpretantur de Roberto qui deuictus & in vincula coniectus fuit à fratre Henrico Anglorum Rege, totaque Normannia simul subiugata, de quo Edinerus in vita Anselmi Cantuar. & Willelmus Malmesbur. lib. 2. de gest. pontific. Anglor. vbi scribit illum fratris regnum sollicitauisse, & mentitum minùs habilem ad gubernandam rempublicam pro lenitate ingenij.

Ad Epist. CLVIII.

Quòd est inter Constantiam filiam prædicti Regis & Comitem Trecassinum) Soluto hoc matrimonio, Hugo Tricassinus Comes aliam sibi vxorem sumpserat, quemadmodum colligi potest ex verbis Iuonis epist. 245. & hac de re ita scribit Andreas vetus auctor & ineditus in historia Francorum lib. 3. *Philippus defuncto tutore suo Balduino Comite suo, consilio Roberti Frisionis filiam Florentis Ducis Frisionum Bertam in vxorem, ex qua Ludouicum & filiam Constantiam genuit: quæ cum adulta esset, vsque ad nubiles annos nupsit Hugoni Trecassino Comiti, à quo postea disiuncta propter consanguinitatem nupsit Boadmundo principi Barriensi viro magnanimo & strenuo, &c.* Eiusdem meminit Sugerius in vita Ludouici grossi, cuius verba quia deprauata sunt in vulgata editione obiter hîc ex v. c. castigabuntur. *Boadmundi ad partes istas aduentus causa fuit, vt nobilissimam domini Ludouici designati sororem Constantiam moribus facetam, persona elegantem, facie pulcherrimam matrimonio sibi copulari quibuscunque modis quæritaret. Tanta etenim & regni Francorum & domini Ludouici præconabatur strenuitas, vt ipsi etiam Sarraceni huius terrore copulæ terrerentur. Vacabat domina, Comitem Trecensem Hugonem procum aspernata, nec decentem sponsum iterata copula appetebat. Callebat princeps Antiochenus, & tam donis quàm promissis copiosus, dominam illam celeberrimè sibi copulari Carnoti, præsente rege & domino Ludouico, multis adstantibus Archiepiscopis, Episcopis & regni proceribus deuotè promeruit.*

Eorum instinctu moneo) ita melius ex v. c. quàm vt antea. *Dum ergo hac voluntas ita feruens est eorum, moneo.*

Ad Epist. CLIX.

In Concilio Turonensi) Bertoldus in chrō. adnotat ab Vrbano secundo hanc synodum celebratam anno M. XCVI.

Subreptum domno Papæ Vrbano) scitè S. Bernardus Clar. in epist. 247. ad Eugenium Papam: *Interest quis, & in quo fallatur. Quantò vestra potestas & dignitas maior, tanto ea quæ vobis forte subreptio fit, non modò periculosior, sed & turpior est, præsertim in Ecclesiasticis causis.* Idem epist. 178. ad Innocentium Papam. *hoc solet habere præcipuum*

apostolica sedes, vt non pigeat reuocare quod à se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum, res plena æquitate & laude digna, vt de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam & summam sedem.

Vrbano vt monasterium sancti Mauri) Petrus Diaconus in chronico Casin. lib. 4. cap. 18. hac de re agens. *Idem præterea pontifex pro negociis Ecclesiasticis Gallias, vt supradiximus, ingressus in Turonensi Concilio vbi ipse præsidebat, monasterium sancti Mauri in Glannafolio* * *à Fossatensium monachorum abstractum tyrannide, pristina dignitati libertatique restituit, sub magistro tantùm Casinensis cœnobij perpetuo mansurum.* Hæc ille monachus Casinensis. vetus autem scriptor miraculorum beati Mauri leuitæ & Abbatis, cap. 3. commemorat edictum Ludouici Imper. quo statutum fuerat, vt rectores Fossatensis cœnobij semper curam agerent monasterij Glannafolij. Verba hæc sunt. *Rorigo denique venerabilis Comes, ne per succedentia tempora locus ipse habitatorum fortasse negligentia à rectitudine regularis tramitis exorbitaret: præceptum Imperialis edicti à Serenissimo Imperatore Ludouico ex sacro promeruit scripto, quatinus rectores Fossatensis monasterij semper prouidentiam de eodem loco habentes, instantiam sollicitudinis suæ tam loco quàm congregationi vigilanti cura in omnibus adhiberent, tales videlicet suæ congregationis eis magistros & præpositos ordinando fratres, quorum nutu & regimine cuncta illis perficienda & interiùs & exteriùs studiosè disponerentur. Quod qualiter tempore Ingelberti ablatum, ignique crematum fuerit, meliùs reticendum quàm proferendum putamus.*

* *Est in diœcesi Andegauensi.*

Ad Epist. CLX.

Gemmeticensis monasterij) variant alij codices, in quibus est, *Gemetensis.* quod minùs aptè scribi videtur, Vetustus auctor in vita S. Philiberti Abbatis, Gemmeticum appellat, situm in pago Rothomagensi, & constructum ait sub Francorum Rege Clodoueo: sicque nuncupatum, quia instar gemmarum, multivario decore florum & arborum sit conspicuum: vt etiam Thomas Walsingham in ypodigmate Neustriæ, quia velut gemmæ in annulo, sic rutilat situ loci & fructuum vbertate. Wilhelmus Gemeticensis cœnobita de Ducibus Normannis lib. 1. cap. 6. aliam nominis rationem profert, quia pro suis offensis illuc gemunt qui in flammis vltricibus gemituri non erunt. Celeberrimum fuisse monasterium indicat quod scribit idem Thomas, non gentorum monachorum numero excreuisse. Et Wilhelmus plurimos Episcopos, & nobiles laïcos spretis sæcularibus pompis colla iugo ibi subegisse. Sed addit paganorum incursu postea per triginta annos, subuersis domibus cubile ferarum fuisse.

Ad Epist. CLXIII.

Illam administraret obedientiam) Anselmus Cantuar. in epist. ad Ernulphum. *propter tenendam aliquam potestatem quam dicimus obedientiam.* Gregorius septimus lib. 6. epist. 21. ad canonicos Lugdunenses. *Obedientias Ecclesiæ, cæteraque beneficia, quæ sine communi consensu fratrum acquisierat, in manus nostras sponte renunciauit.*

Ad Epist. CLXIV.

In manu Romanæ Ecclesiæ legati nullo cogente) Intelligit Brunonem Signinum Episcopum de quoad epist. 166. huius autem rei mentio fit à Goffrido Vindocinensi Abbate, teste oculato, cuius hæc est epistola ab Iuonem Carnot. Episcopum, & S. Mariæ capitulum. *Hanc esse virtutem cognouimus veræ iustitiæ, amicum non debere iuuare mendacio, nec inimico in veritate deesse. de depositione domni Goffridi Abbatis, & de promotione domni Mauricij qui contra nos dum iniustas exercuit inimicitias, & parùm fructuosas sibi egit querelas, sicut vidimus & audiuimus, veritatis testimonium perhibemus. vidimus itaque domnum Goffridum in præsentia domni Brunonis Romanæ Ecclesiæ tunc legati Abbatiam suam relinquere, & domnum Mauricium in Abbatem propria voce eligere, eumque electum & suis manibus deductum in locum, quem ante ipse tenuerat, collocare. hoc vidimus, coram Deo & hominibus testificamur palam ita factum fuisse. Sed si quid aliter actum est in occulto, confitemur nos prorsus ignorare. fieri enim potuit vt aliud lingua domnus Goffridus pronuntiaret, & aliud occultaret in pectore. Sed quicquid Blesis nobis præsentibus super hac causa factum extitit, in quantum cognoscere potuimus, domno Mauricio vt credimus, non obesset, si nihil aliud impediret.*

Talibus motionibus imponere) ita meliores vett. codd. anteà *monitionibus*, qui error insidet plerisque membranis. Sunt etiam quæ habent, *nostris admonitionibus.* Motiones accipit, vt epist. 197. *mortifera commotio prodiit.* & epist. 236. *de qua tantus est motus.*

Ad Epist. CLXV.

Samsoni Wigornensis Ecclesiæ Episcopo) Willielmus Malmesbur. lib. 4. de gestis Pontif. Anglor. cap. de Episcopis Wigornensibus. *Wlstano successit Samson, canonicus Baiocensis, non paruæ litteraturæ vir, nec contemnendæ facundiæ, antiquorum homo morum. Ipse liberaliter vesci, & aliis dapsiliter largiri. Innoxius ad monachos, nisi quòd eis Westberiam abstulit, vbi Wlstanus monachos posuerat, & priuilegio sanctitatis suæ munierat. Illud Sampson diripuit nec multis post annis in eadem villa qua culpam commiserat, excessit.* Matthæus Paris in historia Anglorum in Willielmo secundo, circa annum Chr. 1097. *eodem anno* (ait) *Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus consecrauit Sampsonem in Episcopum Wigorniensem Londonis, in Ecclesia sancti Pauli die dominica, decimo septimo Kalendas Iulij.*

Ad Epist. CLXVI.

Humbaldo eadem gratia Autissiodorensis) ad eundem scribit epist. 241. quo tamen loco quidam codex variat, & Gumbaldum appellat. vetus chronologia monachi Altissiodorensis ad annum Dom. 1096. *Antissiodorensem Ecclesiam post Robertum rexit Humbaldus, qui eandem Ecclesiam multis beneficiis, & ornamentis intus & exterius decorauit, multiplicauit ædificiis, honoribus insigniuit. Ecclesiam sanè beati Petri, sanctique Eusebij canonicorum regularium esse constituit. vita verò tam honesta fuit ac sobria vt ex quo Episcopus factus est, sese à carnibus abstineret, leguminis ei comestio sufficeret, nec vinum nisi parùm biberet. Qui tandem Ierosolymam profectus, inter redeundum naui periclitante submersus expirauit in fluctibus.* Et ad annum 1114. notat cœnobium Pontiniacense fundatum esse sub Vmbaldo venerabili Episcopo tunc Antissiodoro præsidente.

Bruno Signinus Episcopus Apostolica legatione) hunc pariter Papæ legatum in Galliis fuisse confirmat epistola mox sequente. Eiusdem meminit Sugerius lib. de vita Ludouici Crassi Regis, vbi deprauatū est nomen, cum *Brusoniganus* mendosè

cusum fuit. Sed fide veterum codicum restituendus est locus hoc modo. *Astitit etiam ibidem Romanæ sedis Apostolicæ legatus dominus Bruno Signinus Episcopus à domino Paschali Papa ad inuitandam & confortandã sancti sepulchri viam dominum Boamundum comitatus, vnde plenum & celebre Pictauis tenuit Concilium, cui & nos interfuimus.* Abbas Vrspergensis in Chron. ad annum Dom. M. C. XVI. *Bruno autem Signinus Episcopus altiùs exorsus est.* Goffridus Vindocinensis Abbas in ep. ad Iuonem Carnot. Episc. relata supra ad epist. 164. eiusdem meminit.

Simplicitate vel duplicitate sua subterfugeret) anteà cusum fuerat, *vel calliditate sua*: quæ scriptura etiam extat in plerisque membranis; nec mutassem nisi priscus codex Nic. Fabri monuisset. habet enim scriptum, *duplicitate*; quo verbo pari significatu solet vti variis locis, vt dubium non sit, illud, *calliditate*, è quadam glosa in cæteros libros irrepsisse. Sunt tamen alij vetusti libri à quibus absunt vtraque verba, *calliditate* &, *duplicitate*, sed imperfecto sensu. Exempla autem quibus castigatio confirmari & illustrari debet, hæc sunt. nempe epist. 63. duplicium ineptias vocat: & epist. 133. duplicitatem falsorum fratrum. vt epist. 164. perturbatorum duplicitatem. Item epist. 199. opponit palliatam duplicitatem veritati simplici. Item epist. 200. desiderat rugam duplicitatis ecclesiæ reduci ad simplicitatem. Denique epist. 245. duplicitatem & mollitiem vitiorum dicit. Fulbertus Carnotensis Episcopus epist. 7. ad Leoterium Senonensem Archiepiscop. *Tendendum ad portum cœlestis patriæ. Noli ergo tute ipsi tibi bithalassum dubietatis ac duplicitatis in corde tuo miscere. Simplex est enim via domini: & qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* Vrbanus Papa sec. in ca. 46. excommunicatorum, cau. 23. q. 5. *Pœnitentiam eis indicito congruentem, qua diuinæ simplicitatis oculos aduersus se complacare valeant, si fortè quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio incurrerint.* Sanctus Bernardus serm. 82. in Cantica: *Sed perseuerat nihilominus in omni anima cum originali duplicitate generalis simplicitas, vt de collatione confusio augeatur.* Ioannes Salesberiensis Policratici, seu de nugis Curial. lib. 6. cap. 24. *Asserit enim in Romana Ecclesia quandam duplicitatis esse radicem, & fomentum auaritiæ, quæ caput est omnium malorum.* Vetustus author in libro de vnitate Ecclesiæ conseruanda: *Christus exhibuit sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, nec per duplicitatem rugam: quia & per iustitiam est munda, & per simplicem intentionem tersa.*

Ad Epist. CLXVIII.

Militi in beneficium) eodem sensu id verbi accipit epist. 71. 143. 168. & 208.

Quia alodium erat) vox feudalis, qua inter cæteros sæpè vtitur Goffridus Abbas Vindoc. vt in epist. ad Paschalem Papam. *Antecessores monasterium fundauerunt, & beato Petro in patrimonium & alodium proprium cum rebus ad ipsum pertinentibus obtulerunt.* Itaque se appellat alodiarium Ecclesiæ Romanæ, in epist. ad Girardum. *Domno Girardo laudabilis vitæ Episcopo, sanctæ Romanæ sedis legato, frater Goffridus eiusdem sedis alodiarius & seruus.* Item in epist. ad Cononem. *Cononi vitæ laudabilis Episcopo sanctæ Apostolicæ sedis legato, frater Goffridus eiusdem sedis alodiarius & seruus dilectionem, & totius dilectionis seruitium. Vindocinense monasterium, alodium beati Petri & patrimonium quid libertatis vel immunitatis seu dignitatis nunc vsque habuerit, & vsque in finem sæculi Deo patrocinante habebit.*

Iudicatumque est, quia hæc causa sine monomachia terminari non poterat) obserua iudicio Episcoporum visum fuisse, litem militum debere terminari singulari certamine. Attamen legibus ecclesiasticis iam tunc temporis illud potius prohiberi quàm iuberi dicit epist. 280. Ideò epist. 247. reprehendit ecclesiam Aurelianensem quæ suo iudicio constituerat diem peragendæ monomachiæ inter duos milites altercantes. Hæc olim vocabatur Dei iudicium, vt in Bojariorum lege, tit. 2. de Ducibus: & Longobardorum tit. 2. de scandalo. Luithprandus Rex in suo edicto tit. de monomachia, dicebat se non posse vetare istam impiam legem propter consuetudinem suæ gentis. De qua nihil amplius dici licet, cùm alij plures in hoc argumento laborauerint. Tantùm adjiciantur duo testimonia auctorum sæculi Iuoniani nondum in lucem editorum, ex quibus colligi potest, etiam inter clericos & monachos, eiusmodi singularem pugnam in vsu fuisse. Goffridus Vindoc. Abbas in epist. ad Petrum Sanctonensium Episcopum. *Audiuimus dilectissime pater, Rainaldum Chesnellum clericum vestrum cum domno Guillelmo monacho nostro duellum cœpisse, nullum tamen ex sua parte vel ex parte monachi testem habuisse. Quod quia sæculi leges nulla ratione fieri permittunt, & sacri canones omninò ne fiat interdicunt, humiliter vos rogamus vt quod in episcopatu vestro ab Ecclesiasticis viris contra ecclesiasticas regulas præsumptum dignoscitur, vestra auctoritate irritum fiat & corrigatur, ne forte peruersa consuetudine prçualeat hominum iniquitas canonicæ æquitati, & sic, quod absit, subdatur veritas falsitati. Si verò Rainaldus vester claues sanctæ Ecclesiæ agitare, & Romanorum decreta Pontificum, quæ inter Ecclesiasticos viros monomachiam penitus inibent, adnullare conatur, contra eius inflatos conatus humilitatem Romanæ Ecclesiæ quæ inflata crepare, & superba premere nouit, appellamus.* Vetus historia canonici Laudunensis de quodam Anselmo Beesso religioso cui thesaurus Ecclesiæ Laudunensis seruandus tradebatur. *Non exiguam partem* (inquit) *furtim discerpens, aurifici cuidam vendendi causa tradidit, priùs ab eo accepta fidei sponsione quòd nulli se huius rei fuisse auctorem propalaret. Sed cum idem artifex aurum illud siue lapides Suessionis venderet: nutu Dei canonici Laudunenses super venientes, auri sculpturas recognouerunt: & statim querimonia facta præfatum aurificem à iudice comprehendi fecerunt. Ille comprehensus atque perterritus, ab Anselmo sibi ea traditafuisse confessus est. Vnde Laudunum reductus, & contra Anselmum hæc negantem duelli certamine congressus, protinus superatus & victus est, forsitan, vt multi putarunt, pro fidei violatæ reatu, quia promiserat eidem Anselmo, quòd eum non detegeret. Pro hac ergo victoria Anselmus nimis elatus, quia sibi conscius erat & se furtum fecisse, & tamen aduersarium superasse, multamque laudem ab hominibus qui se innocentem esse clamabant, adquisiisse: ad maiora securus perpetranda prouocatur, plurimisque terris ac vineis ditatur.*

Vide tractatum Agobardi antiqui Lugdunensis Archiepiscopi ad Ludouicum Imp. quo in-

vehitur in monomachiam, dicitque inde contigisse multos iudiciorum peruersos euentus.

Ad Epist. CLXXI.

Et basilei id est, fundamentum populi) sumpsit ex Isidoro Origin. lib. 9. cap. 3. Nicolaus Papa I. Carolo Regi. *Nisi enim vos qui in regali sublimitate positi estis, tanquam ingentis fabricæ bases vestro sudore mundum quodammodo portassetis, nequaquam Græco sermone βασιλέων vocabula sortiremini.* Hanc etiam vulgarem opinionem sequitur Nic. Cusanus de conc. cath. lib. 3. cap. 4.

Non sunt à nobis grauiter exasperandi: sed vbi sacerdotum admonitionibus non adquieuerint) locus obseruatione dignissimus: quam in sententiam pulchrè Leodienses in epistola scripta circa annum Dom. M. CVII. aduersus Paschalem secundum Papam. *Igitur ex verbis istorum & sanctorum Patrum, consulant sibi Episcopi regibus & imperatoribus obnoxij ex eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio, id est eorum beneficiis eos interficiant. Si quis denique respectu sancti Spiritus vetus & nouum Testamentum, gestaque reuoluerit, patenter inueniet, quòd aut minimè aut difficile possunt Reges & Imperatores excommunicari, secundum etymologiam nominum illorum, & iuxta determinationem excommunicationis & adhuc sub iudice lis est. Admoneri quidem possunt. increpari, argui à timoratis & discretis viris: quia quos Christus in terris Rex regum vice sua constituit, damnandos & saluandos suo iudicio reliquit.* Hildebertus Cenom. Episc. in epist. *Verùm apud serenissimum Regem opus est exhortatione potiùs quàm increpatione, consilio quàm præcepto, doctrina quàm virga. his ille conueniendus fuit, his reuerenter instruendus, ne sagittas suas in sene compleret sacerdote: ne sanctiones canonicas euacuaret, ne persequeretur cineres Ecclesiæ iam sepultæ: cineres in quibus ego panem doloris manduco, in quibus bibo calicem luctus. De quibus eripi & euadere, de morte ad vitam transire est. Inter has tamen angustias, nunquam de me sic ira triumphat, vt alicui super Christo Domini clamorem deponere vellem: seu pacem ipsius in manu forti & brachio Ecclesiæ adipisci. suspecta est pax ad quam non amore, sed vi sublimes veniunt potestates. ea facilè rescinditur, & fiunt aliquando nouissima illius peiora prioribus. alia est via qua compendiosiùs ad eam Christo ducente pertinguam: iactabo cogitatum meum in domino, & ipse dabit petitiones cordis mei. Ipse est in eius manu corda Regum cærea sunt. Quocunque sibi placet, eò solus inclinat, alterat in quam vult formam. Si in venero gratiam in oculis eius, gratiam Regis vel facilè consequar, vel vtiliter amittam.*

Ad Epist. CLXXII.

Dicebat se priùs esse reuestiendum) probabile est Vindocinensis Abbatis appellatione subintelligi Goffridum, qui tales querelas, licet in diuersa facti specie, solet ingrauare in manuscripto exemplari. Nam epist. ad hunc ipsum Iuonem, conquestus de clericis Carnotensibus, addit. *Cum de re nostra à nobis diu & iustè possessa & iniustè ablata, secundum sacros canones inuestiti fuerimus, si posteà de nobis conquerantur, quod iustus iudex, quod diuina lex faciendum iudicauerit, non recusamus.* Idem in epist. ad Rannulfum Sanctonensem Episcopum, ait se terminum iudicio præfixum nolle suscipere, nisi priùs ex integro inuestitus fuerit. Quæ amplioribus verbis repetit in epist. ad G. Episcopum. *Si quis dicit non ad iudicium causæ, sed ad iudicium inuestituræ expoliatum posse vel debere vocari, claues sanctæ Ecclesiæ agitare, & leges Catholicæ & Apostolicæ sedis violare conatur, quibus prohibitum est, ne quilibet expoliatus vocetur ad iudicium, siue in aliquo iudicetur quoniam inane esset & vacuum eum ad iudicium vocari qui in nullo iudicari conceditur.* Et paullopost testatur Papam Vrbanum in Aruernensi Concilio super hoc definitam, & ab omnibus qui aderant Episcopis & Abbatibus laudatam dedisse sententiam: vt cuicunque sine vocatione & iudicio expoliarentur, etiam sine vocatione & iudicio inuestirentur. Et alia consequente epistola refutat eundem Episcopum qui sua expositione magis præbebat occasionem expoliandi vestitos, quàm inuestiendi expoliatos. Gregorius septimus lib. 6. epist. 25. ad Arnaldum Abbatem, *Indignum quippe est, & à canonicis institutis nimis alienum ducimus, causam quæ ventilanda est, ad examen debere deduci, nisi de rebus in lite positis, ille qui vim patitur, priùs fuerit reuestitus.* S. Bernardus epist. 45. Ad Ludouicum Regem de Parisiensi Episcopo loquens. *Idem Episcopus per manum omnium religiosorum se ad iustitiam offert: si tamen priùs (quandoquidem eadem ipsa iustitia videtur exigere) res ei suæ ablatæ restituantur.* Apud Iuonem decreti parte quarta; referuntur decreta Zepherini, Felicis, Eusebij in eandem sententiam. Quibus adiungendi canones collecti à Gratiano sub cau. 3. q. 1. & capitula in decretalibus Gregorij sub tit. de restit. spoliator. Qua parte memorabile est quod scribit vetustus auctor in lib. de conser. vnit. Eccles. vbi agit de causa Henrici quarti Imperatoris, quem Episcopi Saxoniæ & deffensores Hildebrandi Papæ, de regno Saxonico expulerant: deque celebrato posteà conuentu, vt ea concertatio libris non gladiis conficeretur. Refert enim postulatum fuisse vt imperatori saltem concederetur vti eo iure, quo concessum erat vti vel infimæ in Ecclesia personæ. tum palam lectum fuisse capitulum ex decretis Romanorum Pontificum, quòd nemo expoliatus possit accusari, & iudicari, & excommunicari, antequàm omnia sibi ablata ex integro restituantur. Addit omnes aduersæ partis Episcopos ita fuisse confusos, vt non haberent quid ad hæc responderent, manente apud Ecclesiam Dei victoria.

Ad Epist. CLXXIII.

Postquam crucem acceperat) Vox, *crucem*, addita est fide veterum codicum, quæ anteà deerat, truncata verborum sententia. Nempe in Hierosolymitana expeditione illius sæculi iniunctum fuerat, vt viuificæ crucis salutare signum vestibus imprimerent, & in humeris illius sibi portarent memoriam, cui ad nostram redemptionem properanti factus est principatus eius super humerum eius. De quo etiam illud Isaiæ. Leuabit dominus signum in nationibus, &c. vt dicit Gulielmus Tyrius de bello sacro lib. 1. cap. 16. Petrus Diaconus Chro. Casin. lib. 4. cap. 11. ait signum sanctæ Crucis super scapulam dextram impressisse vestibus. Carni etiam id est fronti impresserunt. Bertoldus in Chro. ad annum M. XCVI. de Vrbano secundo loquens. *Omnes quoque qui se ad hoc iter deuouerunt, signo crucis seipsos in vestibus notare fecit: quod*

etiam signum in ipsa carne notatum apparuit: vnde & à quàm pluribus Dei ordinatione & inspiratione ipsum iter incœptum fuisse credebatur. Robertus monachus lib. 2. *Cumque requireret quod signum gestarent peregrinationis, didicit quòd aut in fronte, aut in scapulis dextris signum ferebant sanctæ crucis.* Neubrigensis hist. Anglor. lib. 3. cap. 22. Characterem dominicum accipere dicit, & signum Domini, & signum Regis Regum. Ideò crucifer exercitus dicitur Abbati Vrspergensi in chron.

Recredita redemptio) sic omnes codices, vt epist. 275. *quod libenter reddet aut recredet Comitem Auernensem.* Goffridus Vindocin. in epist. *si caperentur, reddi aut recredi faciebat.*

Dominum suum diffiduciasset) ita planè vetusta exemplaria; pro quo anteà typographus ediderat *diffiduasset.* Alij auctores *diffidare* dicunt. Sed etiam altera dictio recta est, qua iam vsus ipsemet Iuo epist. 22. ad Philippum regem, *me diffiduciastis.* Matthæus Paris in Prologo hist. Anglor. *ipsum à regni solio depulit diffiduciatum.* Abbas Vrspergēsis in constitutione Frederici I. *Sancimus etiam vt quicumque alij damnum facere aut lædere ipsum intendat, tribus ad minus antè diebus per certum nuncium suum diffiducient eum. Quòd si læsus diffiduciatum se fuisse negare voluerit.* Alibi Iuo dicit fiducias præbere Regi, & absoluere à fiduciis & sacramento Regi factis epist. 71. Robertus monachus de bello Hierosolym. lib. 2. *Hanc illi fiduciam iurauit, & Imperator adquieuit.* Est autem qui scribit, *diffiduciare*, barbaram esse dictionem præ altera, *diffidare.* Sed si à fide deduci potuit, *diffidare*, eadem ratione licere debuit à fiducia dici *diffiduciare.*

Diffiduciasset, & prædam eius prior cœpisset) huc spectat querela Cusani lib. de concordia cath. cap. 31. *Hodie videmus* (ait) *aut confusionem maximam in ordine iudiciario, aut penitùs nullam iustitiam: honor honore distinguitur à iure. Et occupare etiam maxima dominia nobiles licitè se posse dicunt, vbi possessorem nihil iuris habuisse neque habere concedunt. per vilissimum diffidationum modum honorem saluari putant, & vi post ipsam intimatam diffidationem, ex quacumque confictâ aut nulla causa qualitercumque rapta palàm aut occultè, licitè credunt possideri, etiamsi bona ecclesiæ aut clericorum forent, O præsumpta audacia contra omnes leges & iura! ô iniquissimum iudicium distinguens honestum à iusto, affirmans iniustum honore possideri.* Et cap. 34. consulit statui legem ne vlli liceat ex quacunque causa alterius bona occupare, aut damna inferre per diffidationes: sed omnia fieri iudicum auctoritate, qui etiam repressaglias concedere possint contra contumacem.

Et ad forisfaciendum) ea constans scriptura in manuscriptis. Vrbanus Papa sec. in diplomate priuilegij concessi Petro Abbati cœnobij Cauensis: *Vt & de ipsis hominibus liberam curiam & forisfacturas omnes sine vllo baiulo vel ministro habeatis.* Idem: *Si aliquis foristfactum fecerit per quod ipsa ad munus reipublicæ de iure possent applicari.* Matthæus Paris in Henrico primo. *Si quis Baronum vel hominum meorum forisfecerit, non dabit vadium in miseria pecuniæ suæ, sicut faciebat tempore patris vel fratris mei, sed secundum forisfacturæ modum.* Anselmus Cantuariens. in epist. ad Henricum Reg. *Audio quòd vestra excellentia vindictam exercet super presbyteros Angliæ, & forisfacturam exigit ab eis quia non seruauerunt præceptum concilij.* Aliis locis forifacere scribitur, vt apud Dodechinum Abbatem in appendice ad chron. Maria Sc. *Prædia iudicio proscriptorum à Rege, si iustè forifactoribus abiudicata fuerint.* Alibi etiam forefacere & forefactorem dici videas. Rigordus lib. 3. de gestis Philippi Augusti: *& forefacta quæ propriè nostra sunt, ibi scribentur.* Idem paullopost: *vt audiant forefacta Baillinorum nostrorum.* Guillielmus Naugiacus lib. de gest. Philippi. *Et ab ipsis Burgensibus quicquid antea clericis forefecerant, fecit ipsis celeriter emendari.*

Veridicis assertionibus) ita v. c. malè anteà *assensionibus.*

Falsificare) sic omnes v. c. pro falsas ostendere.

Dicentes nouam esse institutionem de tuitione ecclesiastica impendenda rebus militum Hierosolymam proficiscentium.) Nouam appellat, quià eo sæculo cœperat in vsu esse auctore Papa Vrbano secundo, cuius hæc sunt verba in concione habita in Concilio Claromontensi apud Willelmum Tyrium de bell. sac. lib. 1. cap. 15. *Interim verò eos qui ardore fidei ad expugnandos eos laborem istum assumpserint sub Ecclesia defensione, & beatorum Petri & Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios recipimus, & ab vniuersis inquietationibus tam in rebus alienis quàm in propriis statuimus manere securos. Si verò quispiam molestare eos ausu temerario præsumpserit, per Episcopum loci excommunicatione feriatur, & tamdiu sententia ab omnibus obseruetur, donec & ablata reddantur, & de illatis damnis congruè satisfiat. Episcopi verò & presbyteri qui talibus forsitan non resisterint, officij suspensione mulctentur; donec misericordiam sedis apostolicæ obtineant.* Est etiam hic canon eiusdem Vrbani in eodem Concilio. *Placuit omnia bona eorum qui Hierosolymas pergunt, semper & vbique salua esse in pace & tregua; quosque redierint.* Idem postea factum à Gregorio Papa apud Gul. Neubrigensem hist. Angl. lib. 3. cap. 20. *Bona quoque ex quo crucem acceperint, cum suis famulis sub sancta Romana Ecclesia, necnon Archiepiscoporum & Episcoporum atque aliorum Prælatorum Ecclesiæ protectione consistant; & nullam de his quæ in susceptione crucis quietè possederūt, donec de ipso cum reditu vel obitu certissimè cognoscatur, sustineant quæstionem: sed bona eorum integra interim maneant & quieta.* Idem verò Tyrius testatur dicti libri 1. cap. 16. plerosque Hierosolymam tunc temporis petiisse, vt suos creditores, quibus multorum debitorum pondere tenebantur obligati, declinantes eluderent.

Ad casamenta eorum) hæc vox etiam extat infrà epist. 284. S. Bernardus epist. 39. ad principem Theobaldum. *Nostrum quoque ac vestrū pariter Episcopum, id est Lingonensem abundantiori vt decet honore suscipiatis, & de casamento quod tenetis, homagium quod debetis reuerenter ei & humiliter offeratis.* Pro beneficio seu feudo sumi indicat locus Fulberti Episcopi in epistola de forma fidelitatis apud Iuonem decretorum parte 12. cap. 76. vbi postquam exposuit ea sex quorum semper meminisse debet qui domino suo fidelitatem iurat, addit. *vt fidelis hæc nocumenta caueat iustum est, sed non ideò casamentum meretur. Non enim sufficit abstinere à malo nisi fiat quod bonum est. Restat ergo vt in eisdem sex supradictis consilium & auxilium domino suo fide-*

liter praestet, si beneficio dignus videri vult, & saluus esse de fidelitate quam iurat. Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet. Vbi scripsi, *casamentum*, pro quo vulgata editio habet, *cassamentum*, & in ora, additum est, *causamentum*, sed vtraque vox corrupta. De casatis quædam notantur ad epist. 28.

Ad Epist. CLXXVI.

A Concilio Trecensi) Baron. Annal. tom. 12. ad ann. Christ. 1107. Pontificatus Paschalis secundi octauum, diuersum facit hoc Concilium ab illo cuius mentio fit ab Iuone epist. 258. quãdoquidem anteà fuerat celebratum per Richardum Cardinalem in Gallia legatum. Vult enim Concilium cuius mentio fit hac epist. 176. tertio à superiore anno celebratum per ipsum Paschalem. Sugerius in vita Ludouici Crassi, testatur Paschalem venisse Trecas, & celebrasse Concilium vniuersale. Chronologia monachi Altisiod. anno 1107. *Paschalis Papa Concilium celebrauit apud Trecas.* Abbas Vrspergensis in chron. ad ann. Dom. M. C. VII. huius meminit, dicitque Paschalem circa ascensionem non modicum apud Trecas habuisse Concilium: vbi inter multa quæ pro tempore & necessitate corrigenda correxit, sententiam promulgauit iuxta prædecessorum suorum decreta, de libera pastorum electione, & de coërcenda laïcorum præsumptione in ecclesiasticas dignitates. addit Imperatorem Henricum misisse legatos ad Papam pro causa inuestiturarum.

Quàm onus Episcopi hoc tempore subiturum) scilicet propter grauissimam rerum publicarum perturbationem. Quare ipsemet Iuo expertus quantum tunc temporis esset periculum prælatorum (vt ait epist. 13. & 33.) sæpe optauit ex onerari sarcina pastorali plena amaritudinis fastidiosæ, quemadmodum indicant verba epist. 17. & 25. hac causa Hilgotus Episcopus Suessionensis episcopatui renunciasse dicitur epist. 88. Eodem tempore Fulco Beluacensis Episcopus Romam profectus fuit vt episcopalibus infulis exueretur, de quo ad epist. 30.

Ad Epist. CLXXX.

Vos ita esse obligatum) ita omnes v. c. anteà *obligatos.* Sed illius locutionis multa exempla in hoc scriptore, vt epist. 8. 30. 75. 86. 95. 134. 124. 209.

Ad Epist. CLXXXVI.

Prout possumus temperamus) cudi debuit, *ad tempus prout possumus temperamus,* vt habent v. c. Th. & Lois. itemque editio Iuonis in decreto.

Communicant excommunicatis, siue illos qui communicant cum eis qui) hæ nouem dictiones nunc primum insertæ sunt fide & consensu plurium membranarum, & confirmantur lectione Iuonis superiore loco. Bertoldus autem in chronico ad annum 1089. adnotat Papam Vrbanum hanc sententiam à prædecessore suo Gregorio promulgatam confirmasse aduersus Guibertum Antipapam Henricum Imperatorem & cæteros illius partis. Idem ad annum 1094. adnotat magnam fuisse difficultatem in deuitatione excommunicatorum, si non (inquit) Papa Vrbanus sententiam quodammodo temperasset, & multos more sui prædecessoris Gregorij de excommunicatione seclusisset. Denique ad annum M. C. *Iam multum penè vbique sententia excommunicationis cœpit tepescere, vt etiam quidam religiosi qui vsque ad hoc tempus in illa causa erant feruentissimi, à Catholicis discederent, & inter excommunicatos promoueri non timerent.* Itaque hac ratione motus Sigebertus Genblacensis monachus de abusu mutuarum excommunicationum qui illo sæculo inualuerat inter dictum Gregorium, Vrbanum, & Guibertum, & vtrorumque fautores, sic scripsit ad annum 1088. *Hinc in ecclesia scandala & in regno augescunt dissidia, dum alter ab altero dissidet, dum regnum & sacerdotium dissentit, dum alter alterum excommunicat, alter alterius excommunicationem, aut ex causæ, aut ex personæ præiudicio contemnit: dumque alter in alterum excommunicandi authoritate magis ex suo libitu, quã ex iustitia respectu abutitur, authoritas illius qui dedit potestatem ligandi ac soluendi, omnino despicitur.* Quod igitur hac epistola Laurentius monachus monasterij Caritatis requirit consilium Iuonis de ratione vitandæ excommunicationis, probabile est referri debere ad causam Philippi Francorum Regis, qui adhuc innodatus erat vinculo censuræ pontificis Romani, de qua superius dictum est. Nam multi Galli vtriusque ordinis à communione illius se suspenderant, eorumque qui illi communicabant. Quod facilè colligi potest ex verbis vetusti auctoris librorum de vnitate ecclesiæ conseruanda aduersus dictum Gregorium septimum. Qui licet Regis nomen non exprimat, non alius tamen intelligi potest quàm Philippus. *Notum est enim his qui experti sunt, præcipuè autem his qui diuisionem Ecclesiæ doluerunt, qualiter multi non solùm laicorum, sed episcoporum atque clericorum siue monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam (sicut ait Apostolus) suspenderunt se ac segregauerunt à communione totius orbis Ecclesiarum, quotquot communicant nostri temporis Regi Francorum, & Imperatori Romanorum, ipsique exigentes à nobis, non nos ab ipsis, verentur nobis communicare, vel in colloquio, vel in pacis osculo, vel in orationis studio.* Vt verò existimentur inquisita ab illo monacho pertinere ad excommunicationem Regis, suadent etiam verba Iuonis, qui dicit tales disputationes non esse scripto commendandas, ne si diuulgatæ in multorum manus incidant, plus obsint indiscretis quàm prosint discretis.

Ad Epist. CLXXXIX.

Murmur Remensium clericorum) Sugerius lib. de vita Ludouici Crassi, & ex eo continuator Aimoini monachi lib. 5. cap. 50. postquam dixit Ludouicum Aurelianis coronatum fuisse, addit. *Necdum post celebrationem diuinorum festiuas deposuerat exuuias, cum subitò mali nuncij baiulatores à Remensi Ecclesia adsistunt, litteras contradictorias deferentes, & auctoritate Apostolica, si tempestiuè venissent, ne regia fieret vnctio interminantes, dicebant siquidem prima Regis coronæ primitias ad ius Remensis Ecclesiæ pertinere,* (sic legendum est apud Sugerium) *& à primo Rege Francorum quem baptizauit beatus Remigius, Clodouæo hanc prærogatiuam illibatam & inconuulsam obtinere: siquis eam temerario ausu violare tentauerit, anathemati perpetuo subiacere. Ea siquidem occasione Archiepiscopo suo venerabili & emerito viro Viridi Rodulfo, qui domini Regis, eo quòd absque eius assensu electus & inthronisatus fuerat sede Re-*

mensi, grauissimas & periculosas incurrerat inimicitias, pacem impetrare, aut Regem non coronari sperabant, qui quia intempesti venerunt, ibi muti, ad propria loquaces redierunt: aut si quid dixerunt, nihil tamen vtile retulerunt.

Pro communi vtilitate regni & sacerdotij) obserua ordinem verborum. Quia enim in hac Regis consecratione, potissimum vertebatur causa totius regni, ideò priore loco regnum nominat; & ecclesiam posteriore. Quod ne sine iudicio factum à prudente Episcopo putes, duobus aliis locis huiusce epistolæ eundem ordinem seruauit. *Pro integritate regni & pro tranquillitate ecclesiarum, quantum potuimus, præualere studuimus.* Et longè post. *Quia si consecratio Regis differetur, regni status & ecclesiæ pax grauiter periclitaretur.* Idem epist. 55. *Quem pro pace regni & ecclesiæ consensu in episcopum eligat.* Eiusdem generis est quod ait epist. 214. *Videmus enim scissum regnum & sacerdotium.* Item epist. 238. *Nulla fuit diuisio inter regnum & sacerdotium.* Et paullopost. *Regni Francorum pax & summi sacerdotij nulla subreptione dissoluatur.* & deinde. *Cum regnum & sacerdotium inter se conueniunt, benè regitur mundus.* Sed & in epist. 239. ad Ludouicum Regem scribens super futuro illius matrimonio. *Sicut (inquit) vtilitati vestræ, ita stabilitati regni, & paci ecclesiarum prouidere debetis.* Denique alibi sæculare iudicium priore loco nominat, secundo ecclesiasticum; vt epist. 229. celebre est illud Optati Mileuitani Episcopi lib. 3 *Non enim Respublica, est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica, id est in imperio Romano.*

Erant enim quidam regni perturbatores) ex eorum numero fuit Wido seu Guido de Rupeforti, cuius meminit Sugerius paullo ante illa verba consecrati Regis, causamque reddit. *Præfatus itaque Comes Wido de Rupeforti, quem æmulorum machinatione matrimonium quod contrahebatur inter dominum designatum* (de Ludouico Crasso intelligit) *& filiam suam consanguinitate impetitum, diuortio solutum in præsentia domni Papæ fuerat* (loquitur de Paschali secundo qui tunc temporis erat in Galliis) *rancore huius concepto scintillam tenuem commotos pauit in ignes. Nec minus dominus designatus in eum zelabatur: eum subitò Garlandenses se intermiscentes, amicitiam soluunt, fœdus defœderant, inimicitias exaggerant. Nactus itaque occasionem bellandi designatus dominus, eo quòd Hugo de Pompona miles strenuus, Castellanus de Gornaco castro super fluuium Matronæ sito, mercatorum in regia strata equos ex insperato rapuit, & Gornacum adduxit: Eius contumelia præsumptionis penè extra se positus Ludouicus, exercitum colligit, castrum subita obsidione, vt victuali carerent opulentia, velocissimè cingit. Hæret castello insula grata amœnitate pabulorum, &c.* Qui locus paulo latiùs adscriptus fuit quia castigatur fide manuscriptorum codicum: deprauatus enim est in vulgata editione. Idem historicus paullopost narrata consecratione, meminit Guidonis turbatoris. *Præfatus itaque Guido rubeus, filiusque eius Hugo Cruciatensis*, iuuenis idoneus, armis strenuus, tam rapinis quàm incendiis aptus, totiusque regni turbator celerrimus, rancore animi cumulato pro amici castri Gornaci erubescentia, à regia excellentia derogatione non cessabant, &c.*

* Creciacensis.

Ad Epist. CXC.

Domnum Radulfum) sic in omnibus Iuonis manuscriptis. Apud Sugerium lib. de vita Ludouici Crassi, & continuatorem Aimoini hist. lib. 5. cap. 50. *Rodulfus* scribitur, & additur cum Ludouico Rege grauissimas incurrisse inimicitias, quòd absque huius assensu electus & inthronizatus fuerat sedi Remensi. Robertus de monte in chron. ad annum Dom. 1114. *In Remensi metropoli post Manassem illustrem virum, exturbato Geruasio Radulphus successit, qui viridis cognomen habuit.* Lisiardus in vita S. Arnulphi Suessionensis, cap. 36. meminit huiusce Rudolphi viridis Remorum Archiepiscopi, vt etiam Nicolaus monachus in vita Godefridi Suessionensis Episcopi, lib. 3. cap. 24. Petrus quoque venerabilis ait eum fuisse thesaurarium ecclesiæ Remẽsis antequam Episcopus fieret.

Per manum & sacramentum eam fidelitatem Regi faceret) vtrumque pariter coniunxit epist. 182. *ipsi igitur quamuis mei homines essent & per manum & per sacramentum.* Adalgerus presbyter in cap. XI. synodi Ecclesiæ Gallicanæ habitæ Durocortori Remorum sub Hugone & Roberto Francorum Regibus. *Vt hoc factum sub specie honesti tegeretur, manus & sacramenta simul Carolo præbui.* In duplomate Ludouici Crassi anni 1137. concesso Gaufrido Burdegalensi Archiepiscopo & Suffraganeis. *In Episcoporum & Abbatum suorum electionibus canonicam omnino concedimus libertatem, absque hominij, iuramenti seu fidei per manum datæ obligatione.* Nimirum manus erat simbolum ac testimonium maioris arctiorisque fidei. qua causa metropolitanus Turonensis Archiepiscopus cum exigeret à maioris monasterij Abbate vt data dextera confirmaret plenam obedientiam quam ore promiserat, Abbasque repugnaret; Iuo rescripsit non esse maiorem obligationem manus quàm oris, epist. 234. Sed hac parte studiosi obseruent, auctoris sæculo grauissimam contentionem subortam fuisse inter Imperatores, Reges, aliosque laïcos super fidelitate præstanda à ministris Ecclesiæ per manum, ipsoque hominio, cum tamen id longissimo vsu receptum esset. Nam vt vetera Principum iura in desuetudinem abirent, nonnulli subtiliores cœperunt inclamare, piaculare scelus esse, si sacerdotes in manibus laïcorum fidelitatem promitterent; & rationes commenti fuerunt, quæ si validæ sint ac irrefragabiles, an verò coloratæ & fucatæ alij iudicabunt. In synodo Claromontensi sub Vrbano secundo, can. 17. *Ne Episcopus vel sacerdos Regi vel alicui laïco in manibus ligiam fidelitatem faciat.* Sic enim refert Baron. ex v. c. tomo xj. Annal. sub anno Christi 1095. Rogerius Houedenus Annalium parte 1. anno 1099. *Vrbanus Papa tertia hebdomada Paschæ magnum Concilium tenuit Romæ, in quo excommunicauit omnes laïcos inuestituras ecclesiarum dantes & omnes easdem inuestituras de manibus laïcorum accipientes, nec non omnes in officium sic dati honoris consecrantes. Excommunicauit etiam eos qui pro ecclesiasticis honoribus laïcorum homines fiunt, dicens nimis execrabile videri, vt manus quæ in tantam eminentiam excreuerunt, vt quod nulli Angelorum concessum est, Deum cuncta creantem suo signaculo creent, & eundem pro salute totius mundi Dei patris obtutibus offerant, in hanc ignauiam vel stultitiam detrudantur, vt ancillæ fiant earum manuum quæ diebus ac noctibus obscænis contactibus inquinantur, siue rapinis ac iniustæ sanguinis effusioni addictæ maculantur. Et ab omnibus est acclamatum, fiat, fiat, & in his consummatum est Concilium.* Sugerius lib. de vita Ludouici

Regis agens de controuersia inuestiturarum inter Paschalem Papam & imperatorem, postquam dixit Treuerensem Archiepiscopum nomine Henrici Imper. allegasse Papæ, inueterato iure præsules Ecclesiarum post electionem annulo & virga inuestiri ab Imperatore, & illi fidelitatem & hominium facere, subiicit. *Super his ergo dominus Papa consultè oratoris Episcopi Placentini voce respondit, ecclesiam precioso sanguine Iesu Christi redemptam & liberam constitutam, nullomodo ancillari oportere. Si ecclesia eo inconsulto prælatum eligere non possit, cassata Christi morte ei seruiliter subiacere: Si virga & annulo inuestiatur, cum ad altaria eiusmodi pertineant, contra Deum ipsum vsurpare: Si sacratas dominico corpori & sanguini manus laici manibus gladio sanguinolentis obligando supponat, ordini suo & sacræ vnctioni derogare.* quæ quidem verba obiter castigata sunt fide veterum membranarum, quia in vulgata editione mendosa circunferuntur.

Volebant igitur nullum fieri Principi sæculari seu laïco hominium ac iusiurandum fidelitatis in inuestitura beneficij. Cuius rei primus auctor dicitur Gregorius, & videtur illi tribuendum esse quod reperitur in antiquo manuscripto codice qui penes Aug. Thuanum. *Vt clericus à laïco nunquam iustificetur, nec pro terra nec pro aliis rebus quas ab illo teneat, nec sibi hominatum faciat: sed omninò quæ ab eo tenet, sibi antequam vllam patiatur iniuriam, dimittat. Sin autem, gradum suum perdat.* Cui quidem capitulo nudum nomen Gregorij præfixum est. Sed probabile de septimo accipi debere, cum ille palam extulerit quod alij insitauerant (vt ait Gulielmus Malesburiensis) excommunicans electos qui inuestituras ecclesiarum acciperent de manu laïci. Successor Vrbanus idem statuit, & posteà Paschalis secundus, cuius hæc sunt verba: *Paschalis Episcopus S.S. Dei venerabili fratri & coepiscopo Anselmo Cantuariorum. Nuper in synodo apud Lateranense consistorium celebrata, patrum nostrorum decreta renouauimus, sancientes & interdicentes ne quisquam omninò clericus hominium laico faciat, aut de manu laici ecclesias vel ecclesiastica dona suscipiat. hæc enim symoniacæ prauitatis radix, dum ad percipiendos honores ecclesiæ sæcularibus personis insipientes homines placere desiderant, &c.* Ea ratione grauis contentio inter Paschalem & Regem Angliæ suborta fuit. Wilielmus Malmesburiensis de gestis pontificum Anglor. lib. 1. loquens de Henrico Rege & eodem Anselmo. *Verumtamen cum Rex more antecessorum suorum ab Archiepiscopo hominium interrogaret, & ille pro excommunicatione Romæ facta differet; missi Romam ab vtraque parte nuntiis. Iubetur interim Regi hominium facere, vel absolutis morarum nexibus regno excedere. Quin potiùs respondit ille, inspiciantur apostolicæ litteræ, & quod tenor earum continet, fiat. Redierant enim iam Roma nuncij, & casso labore semitam triuerant, quòd Paschalis Papa sententiam antecessoris sui inuicto robore tuebatur. Quid ad me de litteris apostolicis, ait Rex? Iura regni mei nolo amittere.* Cui similimum est quod refert Radeuicus hist. lib. 2. cap. 30. de Friderico primo Imperatore, cui cum Cardinales legati Papæ Hadriani dictitarent (quod inter durissima capitula numerat idem historicus) Episcopos Italiæ solum sacramentum fidelitatis sine hominio facere debere domino Imperatori, respondisse Fridericum. *Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, si tamen & eos de nostris regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint à Romano præsule, quid tibi & Regi? consequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire, quid tibi & possessioni?* Quæ postrema verba sunt sancti Augustini, & prolata ab Iuone epist. 60. vt probet licitè posse Episcopos inuestiri à Principe bonis temporalibus.

Huius hominij frequens mentio in epistolis dicti Anselmi, manuscriptis scilicet, quarum testimonia proferenda, vt tota hæc disputatio meliùs intelligatur. Cùm igitur Paschalis præcepisset Anselmo vt nullam haberet communionem cum illis qui de manu Regis Henrici inuestituras ecclesiarum acceperant, rescripsit Anselmus Regi. *Vt autem ita vobiscum sim sicut antecessor meus fuit cum patre vestro, facere non possum, quia nec vobis homagium facere, nec accipientibus de manu vestra inuestituras ecclesiarum, propter prædictam prohibitionem me audiente factam, audeo communicare.* Idem in epist. ad Ernulfum Priorem: *Hoc autem scitote, quia voluntas mea est, vt adiuuante Deo nullius mortalis homo fiam, nec per sacramentum fidem alicui promittam.* Et paullo post addit: *Si quis exegerit ab aliquo monacho ecclesiæ nostræ sacramentum aut fidei alligationem, aut pactum aliquod quod contra ordinem sit, propter tenendam aliquam potestatem, quam dicimus obedientiam, considerate & in quantum possibile est, & in quantum scitis auertite malitiam.* In alia eiusdem Anselmi epistola ad Paschalem, sunt quædam interrogata ad hanc rem pertinentia. ANSELMVS. *Si nullus clericus debet fieri homo laici, & aliqua beneficia aut possessiones non ecclesiasticas debet tenere de laico, nec laicus vult dare nisi fiat suus homo, quid fiet?* PASCHALIS. *Liberam esse Ecclesiam Paulus dicit. Indignum est igitur vt clericus qui iam in Dei sortem assumptus est, & etiam laicorum dignitatem excessit, pro terrenis lucris hominium laico faciat: ne fortè dum repetitur seruitij sæcularis obnoxius, vacet, aut grauetur Ecclesia. Scriptum est enim. Nemo militans Deo, implicat se negociis sæcularibus.* Quod Apostoli verbum (vt hoc obiter inseratur) Dauid Scotus Bancornensis Episcopus fautor Henrici quarti, olim dicebat non aduersari cupiditatibus Pontificum per laicos inuestitorum, quia non sit sæculare negocium si clericus hominium laico fecerit. quod friuolum appellat Wilelmus Malmesb. de gest. Reg. Anglor. lib. v. Illemet Anselmus in epist. ad Episcopum Gundulfum. *Consilium quod petitis quid vobis faciendum sit, si dominus meus Rex & ego non concordamus, in litteris Prioris breuiter mandaui. Hoc tantùm ad præsens dico: nulla minæ, nulla promissio, nulla astutia à religione vestra extorqueat aut homagium, aut iusiurandum, aut fidei alligationem. Si quid horum aliquis exegerit, hæc sit responsio. Christianus sum, monachus sum, Episcopus sum, & ideò omnibus volo fidem seruare secundùm quod vnicuique debeo. Quicquid aliud vobis dicatur, his verbis nec addatis quicquam, nec minuatis quod ab hac sententia discedat hoc ipsum de me dico, nec super hoc aliquid addere, vel de his minuere adiuuante Deo, volo.* Denique scribens ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum. *Tota difficultas (ait) causa inter Regem & me iam in hoc maximè videtur consistere: quia Rex quamuis de inuestituris ecclesiarum Apostolicis decretis se vinci,*

se vinci, vt spero, permittet: hominia tamen prælatorum nondum vult, ait, dicam: quatinus in hoc suæ voluntatis impetret ab ea licentiam. Quam si adeptus fuerit, dubito quid me facere oporteat. si aliquis religiosus electus homo regis pro episcopatu vel abbatia fieri respuat. Durum enim mihi videtur vt hoc illi præcipiam per obedientiam: & si non fecero, videbor irreligiosis hoc facere volentibus, laxare accedendi indignè ad dignitates audaciam. De illis quoque qui iam inuestituras prohibitas acceperunt, & de his qui eos sacrauerunt, puto quia Rex postulabit vt in hoc permaneant quod illicitè præsumpserunt. Hactenus ille. Post longas autem contentiones acquieuit Paschalis vt princeps hominia retineret. Sic enim Wilielmus Malmesb. de gestis pontif. Angl. lib. 2. *directi Romam legati controuersiam tot annis agitatam singulari probitate sedarunt. Concessit siquidem Papa vt Rex homagia de electis acciperet, sed nullum per baculum & annulum inuestiret.* Alio loco idem historicus scribit, plurimo Anselmi ad vrbem itu & reditu effectum fuisse, vt Rex indulgeret pontifici inuestituram annuli & baculi, retento tamen electionis & regalium priuilegio.

Sunt autem ex superioris sæculi scriptoribus qui probauerint iure inuestituras fieri à principibus, & ab illis exigi hominia antistitum, inter quos Theodericus à Nyem. Waltramus quoque Episcopus Naumbergensis circa annum Dom. 1109. adstruxit, postquam à Regibus & Imperatoribus Ecclesiæ dotatæ fuerunt feudis, & iura illorum translata in Episcoporum dominium, congruum ac necesse fuisse ab eis exigere homagia, sacramenta, obsides, vt in hostium irruptione Reges scirent cui suas ciuitates credidissent. Tandem concludit, in omnibus regnis seruanda esse iura & consuetudines in episcopis inuestiendis, qualia suntantiqua. Nicolaus quoque Cusanus de concordia catholica lib. 3. cap. 29. audacter adserit, non solùm puras inuestituras fuisse attractas ab imperatore per Romanum Pontificem: sed etiam tantum pecuniæ corrogatum, vt per Alemanniam omnes se grauatos & destructos conquererentur. adiicit, rabidum appetitum ambitiosis episcopis ita inesse vt de temporalibus omnis cura sit, de spiritualibus nulla. *Non fuit* (inquit) *ista Imperatorum intentio, non volebant spiritualia, à temporalibus absorberi.*

Fidelitatem Regi faceret quam prædecessoribus suis.) De forma fidelitatis quam quis suo domino iurabat, scripsit olim epistolam Fulbertus Carnotensis Episcopus, cuius pars relata ab Iuone Decreti parte 12. cap. 76. & à Gratiano in ca. de forma. cau. 22. q. 5. In synodo Ecclesiæ Gallicanæ habita Durocortori Remorum extat libellus Arnulfi Episcopi his verbis conceptus. *Ego Arnulfus gratia Dei præueniente Remorum Archiepiscopus, promitto Regibus Francorum Hugoni & Roberto, me fidem purissimam seruaturum, consilium & auxilium secundùm meum scire & posse in omnibus negotiis præbiturum, inimicos eorum nec consilio nec auxilio ad eorum infidelitatem scienter adiuturum. Hæc in conspectu diuinæ maiestatis, & beatorum spirituum & totius ecclesiæ assistens promitto, pro benè seruatis laturus præmia æterna benedictionis. Si verò, quod nolo, & quod absit, ab his deuiauero, omnis benedictio mea conuertatur in maledictionem, & fiant dies mei pauci, & episcopatum meum accipiat alter. Recedant à me amici mei, sintque perpetuò inimici, &c.* Hæc fuit illius professio libellaris cum Metropoli Remorum donatus est, vt scribit Girbertus Archiepiscopus Remensis in apologia ad Wilderodum Episcop. A continuatore Aymoini monachi hist. lib. 5. cap. 24. refertur aliud iuramentum Episcopi Lauduni clauati, sed minùs absolutum. *Hincmarus Laudunensis Episcopus amodò & deinceps domino seniori meo Carolo Regi sic fidelis & obediens secundùm ministerium meum ero, sicut homo suo seniori, & Episcopus per rectum suo Regi esse debet.* Quod iuramentum etiam habetur in libro Hincmari Remensis Archiepiscopi aduersus eundem Hincmarum Laudunensem. Philippus Augustus in duplomate Atrebat. anno 1203. Canonici prædictæ Ecclesiæ liberè poterunt eligere, non requisita à nobis, vel à successoribus nostris licentia eligendi: sed electum suum confirmatum nobis præsentabunt, vt nobis fidelitatem faciat, sicut alij Episcopi nobis facere consueuerunt. Cæterum dubitari nequit factitatum à Regibus Gallorum quod ab Imperatoribus scribit Cusanus de concordia cath. lib. 3. cap. 28. *erat* (ait) *Imperatorum consuetudo, facilè accusationes fractæ fidei & periurij admittere, vt fidelitas per quàm solùm persistit imperium, nunquam negligentia paruipenderetur. Pœna verò erat priuationis, fidem non seruanti.*

Affinitate huiusce argumenti liceat adiicere, à multis iam olim reprehensum fuisse factum Hildebrandi, qui excommunicato Imperatore Henrico eadem manu populum soluit à vinculo debitæ fidelitatis. Vetustus enim & nobilis scriptor qui vitam illius Henrici elegante stylo composuit eo de re loquens. *Quinetiam & hoc addidit, absoluit omnes à iuramento qui fidem Regi iurauerant, vt contra eum impelleret absolutio, quos fidei tenebat obligatio. Quod factum multis displicuit, si tamen cui displicere licet quod apostolicus fecit.* Sigebertus cœnobita Gemblacensis in chronico apertiùs id arguit. *Nimirum* (inquit) *vt pace omnium bonorum dixerim, hæc sola nouitas, non dicam hæresis, necdum in mundo emerserat, vt sacerdotes illius qui dixit Regi apostata, *& qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum quòd malis regibus nullam debeant subiectionem: & licet eis sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem: nec periuri dicantur qui contra Regem senserint: immò qui Regi paruerit pro excommunicato habeatur: qui contra Regem fecerit, à noxa iniustitiæ & periurij absoluatur.* In eandem sententiam pluribus disputat priscus auctor librorum de vnitate Ecclesiæ, cuius verba sunt. *Manifestum est suprà dictum Papam Hildebrandum iniustè pariter & indignè posuisse hanc notam vel Zachariæ vel Stephano, religiosis vtique pontificibus Romanæ Ecclesiæ, vt alicuius horum exemplo, vel illius sacræ scripturæ testimonio posset absoluere à iuramento, quo fidem iurauerant Regi suo vel principes, vel milites reipublicæ. Qui enim soluit pactum, nunquid effugiet?* Et longè post, hunc in modum scribit falsi arguens pontificem in narratione historiæ. *Quorum neuter, vt certo scimus, Francigenas à iuramento fidelitatis suæ quam alicui promisissent Regi absoluit, sicut Hildebrandus Papa scripsit & prædicauit, vt tali exemplo deciperentur Principes regni: quasi ipse posset absoluere eos à sacramento fidei quam iurauerant Regi suo in nomine Domini, intendens eum perinde priuari à regno atque deponi. Quod cum per hos XIIII. aut eo ampliùs annos frequenter tentatum sit, ad effectum tamen peruenire non potuit, &c.* Locus autem vbi id scripsit

* *alludit ad locum Iob cap. 24.*

Gregorius, extat apud Iuonem decreti parte quinta, ex epistola ad Herimannum Metensem Episcopum. Apud quem etiam refertur capitulum Gregorij sexti absoluentis à sacramento fidelitatis illos qui excommunicatis adhærent. Item Vrbani secundi, qui milites iuratos Wigoni Comiti excommunicato, absoluit sacramentis. Sed & Guibertus Antipapa Henricum Imperatorem absoluisse ab obseruatione iuramenti quod olim Gregorio Papæ præstiterat, legitur in chronico Casinensi lib. 3. cap. 69.

Sed sola intentione adquirendæ libertatis.) Dubium videri potest an intelligat de generali libertate ecclesiarum, an de solius pontificis Romani. Sanè in illa tunc temporis vexatissima controuersia inuestituram inter Papas & Reges, illi persuasum esse volebant se moueri solo amore libertatis Ecclesiæ, non autem inhiare priuatis commodis. Paschalis enim secundus in epist. ad Henricum primum Angliæ Regem. *Graue nobis est, quia id à nobis videris expetere quod omninò præstare non possumus. Si enim consentiamus aut patiamur inuestituras à tua excellentia fieri, & nostrum proculdubio & tuum erit immane periculum. Qua in re contemplari te volumus, quid aut non faciendo perdas, aut faciendo conquiras. Nos enim in prohibitione hac nihil amplius obedientiæ nihil libertatis* (editio habet liberalitatis) *per Ecclesias nanciscimur, nec tibi debitæ potestatis aut iuris subtrahere quicquam nitimur, nisi vt erga te Dei ira minuatur, & sic tibi prospera cuncta contingant.* Quæ epistola extat apud Willielmũ Malmesbur. de gest. Reg. Angl. lib. 5. Sed & illemet Paschalis obiiciebat Imperatori Henrico Ecclesiam sanguine Christi redẽptam liberamque constitutam, iam denuò ancillari, si Princeps inuestituras sibi retineat, vt ex Sugerio paullo ante relatum fuit. Goffridus Vindocinensis in epistola ad Paschalem. *Fide, castitate ac libertate viuit ac viget Ecclesia: quæ si non habet, languet & separatur à vita. Nam fide fundatur, ornatur castitate, libertate tegitur. Sed cum laicam inuestituram quæ secundum traditiones sanctorum Patrum hæresis comprobatur, non cõtradicit sed præcipit, cum corrumpitur ipsa muneribus, cum seculari potestati subjicitur, fides castitas & libertas ei simul aufertur, & quæ vitam non habet, nec immeritò mortua creditur.* Idem epist. ad Leonem Cardinalem de eadem inuestitura loquens. *Nam Rex & Romanus pontifex cum vnus contra alium, alter pro regni consuetudine, alter pro ecclesia libertate erigitur, regnum illam consuetudinem obtinere nec potest nec peterit, & ecclesia sua libertatis amittit plurimum.* Iuo quoque fine epist. 236. dicit illam abscidendam pro libertate Ecclesiæ & honestate: sed adiiciat saluo pacis vinculo & sine periculo scismatis, si fieri potest. Illemet quoque Goffridus illa superiore epistola. *Habeat Ecclesia suam libertatem, sed summoperè caueat, ne dum nimis emunxerit, eliciat sanguinem, & dum rubiginem de vase conatur eradere, vas ipsum frangatur. Hoc est præcipuum discretionis membrum ne quis qualibet actione Ecclesiæ à satana circumueniatur. Tunc enim à satana quis circumuenitur, quando sub specie iustitiæ illũ per nimiam tristitiam perire contingit, qui potuit liberari per indulgentiam.*

Petimus ergo flexis genibus cordis.) Similis planè locus extat apud Arnulfum Lexouiensem Episcopum in epistola quam scripsit ad Papam Alexandrum: vbi agit de causa Cantuariensis Archiepiscopi, cui post varias contentiones Rex Anglorum bona restituerat ad honorem Dei & Ecclesiæ, salua nimirum regni sui dignitate. Addit nuncios Alexandri hac clausula offensos: & tandem prudenter consulit, ne hoc prætextu Papa sinat à suis conturbari statum publicum. *Postmodum* (inquit) *reuocato consensu, verbum conseruandæ in futurum regiæ dignitatis, admittere noluerunt, ea quæ disposita fuerant exequi recusantes: cum Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, religiosæ personæ, optimates regni qui aderant, pro bono tantæ pacis multis precibus institissent: quoniam in obseruatione Regiæ dignitatis nullatenus videbatur nobis libertas aut dignitas Ecclesiastica prægrauari. Siquidem dignitas Ecclesiastica regiam prouehit potiùs quam adimit* (malè vulgò ibi casum, quàm adiuuat) *& regalis dignitas ecclesiasticam conseruare potius cõsueuit, quàm tollere libertatem. Etenim quasi quibusdam sibi inuicem complexibus dignitas ecclesiastica & regalis occurrunt: cum nec Reges salutem sine ecclesia, nec ecclesia pacem sine protectione regia conseruatur. genibus itaque pietatis vestræ quanta deuotione possumus aduoluti suppliciter obnixèque deposcimus, ne sapientia vestra quasi litterarum apices, & conceptiones verborum potius quàm rem ipsam duxerit amplectendam: sed secundum datum à Deo vobis spiritũ discretionis. id agite, ne causa vnius in multorum & ferè innumerabilium perniciem conuertatur, quia ad bonum pacis quandoque magis proficit mansuetudo gratiæ quàm seueritas disciplinæ.* Hæc Arnulfus. Cæterum Baronius Annalium tomo XII. Postquam superiorem Iuonis epistolam exscripsit, addit Paschalem Papam annuisse post factum petitis, quod faciendum penitus contradixisset; & in suam sententiam citat rationem epist. 260.

Sufficiat patri verbum pro verbere.) Priscus & anonymus auctor in vita Henrici quarti Cæsaris. *Quid multa? condonauit filio tam pœnam quàm culpam. Et hoc fuit illi iniuriam filij vindicasse, paterna lenitate filium corripuisse, iuxta illud Comici: pro magno peccato filij, paululum supplicij satis est.*

Ad Epist. CXCII.

An fieri Sarabaitas) ita etiam paullopost appellat, neque veteres codices hîc variant in ea scriptura. Sic quoque nuncupantur à Ioanne Salesberiensi policratici lib. 7. cap. 23. in regulá sancti Benedicti cap. 1. Alibi *Sarabattæ* vel *Sarabatæ*, scribitur vt duobus locis apud priscum auctorem librorum de vnitate Ecclesiæ conseruanda aduersus Hildebrandum.

Ad Epist. CXCV.

Accepi litteras tuas palpantes & pungentes) In vetusto codice manuscripto extant complures epistolæ istius Goffridi Vindocinensis Abbatis; quibus conqueritur de Iuone, quarum nonnullas exscribere non erit inutile vt verbis auctoris clarior lux affulgeat. Quod referam acceptum humanitati & beneficio Iac. Sirmundi viri eruditione præstantis, qui copiam sui exemplaris fecit, & vt ista, & alia quædam exscriberem, non inuitus concessit.

Iuoni laudabilis vitæ pontifici Domino suo adhuc & amico, Goffridus Vindocinensis monasterij seruus dilectionem & dilectionis seruitutem. litteras clericis & laicis Vindocinensibus à vobis directas audiui: quas vestras minimè credidissem nisi ibi sigillum vestrum appositum vidissem. Dicebant enim litteræ vobis à fidelibus vestris relatum fuisse, me contra vos & contra clericos vestros turpia & contumeliosa verba publicè protulisse. Ad hæc

salua veritate prorsus respondeo, quòd de persona vestra nihil vnquam inhonestatis vel contumeliæ dixi, sed quæ potui bona vbique de vobis vsque in hodiernum prædicaui. Clericis verò vestris quoniam ipsi mihi malè cantauerunt, benè saltare nec possum, nec potui. Illud equidem planè confiteor quod nulla iniuriosa verba illis irrogaui, nisi quia illorum iudicio prægrauatum me sentiens, Romanam Ecclesiam appellaui: cuius veneranda priuilegia videbam ab ipsis despicabiliter refutari, licet sancta Romana ecclesia talia recipere ab eorum magnitudine non promeruerit, quia quod illi mali ligauerant, illa suæ pietatis intuitu relaxarit. Et si ei mala pro bonis reddiderunt, hanc certè eos retributionem Deus non docuit. Qui cum me hominem amari sermonis appellassent, credidissem forsitan illis si dulcedinem apostolicæ caritatis plenius agnouissent. Cuius beneficiis quandiu ingratos videbo, etiam in veritate suspectos habebo. Me subditum Ecclesiæ vestræ asseruistis: vnde ego nullatenus scandalizor, quia quamuis inter Romanum Pontificem & me peccatorem nulla, cuiuscumque dignitatis vel ordinis sit persona, media habeatur, si auctoritas Romanorum priuilegiorum inuiolata seruatur: omnibus tamen ecclesiis non solum subditum, verumetiam earum inutilem seruum me esse contestor. Professum iterùm vestrum me vocastis. Satis melius fuisset, vt à vobis sacratum dixissetis. Quod & si pro consecratione professionem, & pro professione ab alodiario beati Petri subiectionem vobis vindicastis: consecrationem vtique illam gratis minimè impendistis. Non enim gratis impenditur per quod homo homini subiectus efficitur. In professione siquidem illa consilio vestro nimia simplicitate acquieui: vbi si quid aliter actum est, vos scienter fecistis, ego autem ignoranter peccaui.* Sed dominus noster honorabilis memoriæ Papa Vrbanus cùm per nos transiret, audiuit à fratribus me vobis professionem fecisse: vnde columbam seductam cor non habentem me dicens, & vehementer increpans, illud veraciter mihi pro crimine imputasset, si ignorantia meæ ac iuuentuti misericorditer non pepercisset. Quid verò super hoc contra vos protulerit, pro reuerentia ordinis vestri melius est inde silere quàm loqui. Igitur quod illicitè commiseram, irritum fecit: & ne deinceps Abbas monasterij nostri cuiquam Episcopo profiteatur, priuilegij sui irretractabili firmitate prohibuit. Cuius auctoritatem secutus dominus Paschalis Papa qui nunc est: illud iterùm sua apostolica auctoritate firmauit.*

* alodiarius S. Petri, vt infrà paullo post.

* Professio Abbatis Vindocinensis irrita facta à Papa Vrbano.

In litteris præterea vestris diuulgatum est laicis, quod si ad vos satisfacturus non venirem, auxilium vestrum ampliùs non haberem. Et quicunque malefactores, res monasterij nostri diriperent, vos adiutorem suum potiùs quàm nostrum defensorem inuenirent. Hoc ex vestra parte litteris non arbitror fuisse insertum, quoniam à Christiana religione omninò discrepat, & satan à noscitur incitamentum. Illud amici & inimici firmissimè credant, quod nulli dabo mercedem istam, vt pro suo auxilio monasterium nostrum alodium beati Petri sibi inordinatè subiiciam. Vnde si necessitatibus meis auxilium vestrum defuerit, confido de bonitate beati Petri, quia mihi ipse non deerit: cui dum fidem seruare desidero, nullus ob hoc Episcopus mihi auxilium denegare, nec quod illius est, qualibet occasione sibi debet vsurpare Vindocinensem Ecclesiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ nec dedi, nec auferam. Quod si qualibet suggestione tentarem, & peccarem in animam meam, nec etiam cum peccato perficere valerem. Romanæ itaque Ecclesiæ cui totum me debeo, omni tempore fidem seruabo, pro cuius amore ac fidelitate multiplicata grauamina virtute constantiæ & animi integritate sustineo, nec multo maiora si emerserint, pro illa sustinere recuso. Illam in meis pressuris reclamaui, & adhuc reclamare non desino. Nam si modò ignorat quanta pro illa patior, scio cum agnouerit petenti auxilium non negabit, quæ semper misericordiæ visceribus affluens, oppressis omnibus & maximè domesticis suis subuenire consueuit.* Hactenus Goffridus, qui suæ professionis irritæ factæ ab eodem Vrbano pariter commeminit in epistola ad Goffridum Carnotensem Episcopum, qui post obitum decessoris Iuonis eandem professionem exigebat ab ipsomet Vindocinensi Abbate. Inter cætera igitur sic scribit.

* Vindocinense monasterium alodium S. Petri. Sic sæpe appellatur ab eodem. de hac voce ad epist. 168.

Professionem quam obiicitis, à sanctæ memoriæ Papa Vrbano prædecessoris vestri tempore irritam penitus factam in hæc verba noueritis. Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili congregationi Vindocinensis monasterij salutem & apostolicam benedictionem. Relatum nobis est quod Carnotensis Episcopus à Karissimo filio nostro Gaufredo vestro Abbate in consecratione quam accepit, ab eo professionem extorserit. Quam quia contra Romanæ Ecclesiæ auctoritatem factam agnouimus, Abbati quidem nos misericorditer huiusmodi noxam indulsisse noueritis. Professionem verò ipsam ita adnullamus, vt nullas penitus vires obtineat. Insuper etiam ne Abbas monasterij vestri deinceps Episcopo professionem faciat, & nostræ auctoritatis priuilegio firmatum est, & præsentibus litteris prohibemus. Si quis autem in posterum contra hæc venire tentauerit, à sanctæ Ecclesiæ liminibus arceatur, & maneat excommunicatus, donec resipiscat, & Romanæ Ecclesiæ satisfaciat. Datum Romæ VIII. *Kal. Decemb. Hoc ipsum domnus Papa Paschalis sua auctoritate firmauit. Quod super quemlibet Vindocinensem monachum nulli Episcopo potestatem aliquam exercere liceat, ab ipso eodem felicis memoriæ Papa Vrbano hoc modo prohibetur. Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei omnibus sanctæ & apostolicæ Ecclesiæ filiis sal. & apost. ben. In Aruernensi Concilio residentibus nobiscum Galliarum Episcopis, præceptum & Romæ posteà præsenti decreto firmatum est, vt nullus episcoporum vel Archiepiscoporum super quemlibet monachum Vindocinensis monasterij potestatem aliquam exercere præsumat. Monasterium enim ipsum & fratres eiusdem loci ita specialiter sub apostolicæ sedis defensione ac Romana libertate positi sunt, vt nulli omnino homini nisi Romano pontifici & eorum Abbati in ipsis potestatem aliquam aut dominationem liceat vendicare. Si quis autem ista temerare scienter præsumpserit, excommunicatus maneat, nisi resipuerit, & Romanæ Ecclesiæ satisfecerit. Dat. Rom.* II. *Kal. April.*

Sed omninò præstat exhibere aliam epistolam qua respondet huic epistolæ Iuonianæ 195. asserenti Goffredum frustrà obtendere velum auctoritatis Papæ ne subiiceretur Episcopo Carnotensi. Sic autem concepta est in eodem vetusto originali. *Iuoni magnæ famæ pontifici, Goffridus Vindocinensis monasterij humilis seruus, prudenter & simpliciter in omnibus agere. Litteræ nostræ quas in quibusdã mellis dulcedinẽ redolere, & in quibusdã fellis amaritudinẽ respergere dixistis, secundùm nostrã intelligentiam omni amaritudine caruerũt, quia veritatis dulcedine plenæ fuerunt.*

*Quod iterum asseruistis Romanam Ecclesiam à Deo nullam iniustam accepisse potestatem, ita est planè, & nos nec possumus nec debemus non annuere: quoniã infructuosum est contra adeò apertam veritatem laborare. Quis enim insanus credere vel cogitare audeat, bonum Deum aliquid vnquam iniustè dedisse, aut eius sanctã ecclesiam quicquam ab eo iniustè accepisse? Sed si quæ sunt soluenda soluendi, & quæ liganda ligandi à Deo collatam ei potestatem creditis, sicut nobis scripsistis, mirandum non est si illa benè soluit quod vos malè ligastis. Professio quam à me adhuc iuuene & nouicio extorsistis, regularis minime fuit, eamque fecisse peccatum extitit, & accepisse irreligiosum. Nam si pro benedictione quam omnino gratis dare debuistis, vsurpastis professionem, & pro professione ab alodiario beati Petri exigitis subiectionem, prophana fuit illa professio, & ideò non tenenda, quoniã subsequens benedictio quam exhibuistis, * nauicularia potiùs videtur quàm gratis data: quandoquidem pro illa temporalem mercedem cum iniuria fidei Christianæ exigere non erubescitis. In professione siquidem illa consilio vestro nimis simpliciter acquieui: vbi tamen quicquid pe perã actum est, vos scienter fecistis, ego autem ignoranter peccaui. Sed quem vestræ impuritatis consilio reatum contraxi, apostolica sinceritas ignorantiæ meæ ac iuuentuti compatiens misericorditer indulsit, & ne quis successorum nostrorum in puteum similis deceptionis deinceps corruat, virtute suæ auctoritatis prohibuit. Si verò contra hæc vobis agere placet, illam maiorem audientiam, à qua omnis Christianitas diiudicatur, non fugio, sed appello: cuius æquitatis indicium qui contemnit audire, beatum Petrum ne sentiat iratum debet timere.* Hæc Goffridus: in cuius manuscripto codice aliæ litteræ reperiuntur, quibus constat posteà vtrosque in gratiam rediisse. Sed & scripsit tractatum de promissionibus quas pro consecratione sub nomine professionis Abbates faciunt Episcopis, quas quidem ille valdè reprobat. Cuius verba quia ad hanc epistolam pertinent, subiicere placuit. *Sunt quidam Episcopi qui pro benedictionibus Abbatum sub nomine professionis ab eis exigunt, quod est christianæ professioni valde contrarium. Nam cum professio alia in diuina laude sit, alia pro peccatorum depositione: ista Dei laudem non facit, sed minuit, nec deponit peccata, sed apponit. Nec sacræ fidei professio rectò nomine dicitur, sed execranda promissio, quæ claues ecclesiæ agitare, & vnicum ac singulare eius ostium violare conatur. Ita neque veritate, neque auctoritate inuenta, sed consuetudine & hominum cupiditate reperta, triplici genere symoniæ contra sanctam ecclesiam iaculatur. quoniam symonia à lingua, symonia à manu, symonia ab obsequio ibi committitur. Est à lingua, cum publicè recitatur illa promissio. fit à manu, quando carta quæ continetur scripta ponitur super altare. fit ab obsequio, cum ipsum malè promissum subiectionis obsequium seruatur. Qui sic agit, forsitan dicit: pro benedictione non quæro pecuniam. immo satis ampliùs exigit, quia hominis personam. Sicut anima plus est quàm corpus, ita corpus simul & anima tota videlicet hominis persona multo plus est quam eius pecunia. Diuina lege & manifesta ratione probatur, quia benedictio minimè datur gratis quam præcedit Abbatis illa proscriptio, vt quod desiderat assequatur. Non enim faceret illam, si repulsam non pateretur. Illud etiam quòd bonum est, fit perniciosum, cum promittitur non benè, vel malè suscipitur. Nam pecunia quàm Simon Magus obtulit Petro, bona quidem erat: sed quia malè obtulit illam, damnatus à Petro prædicatur. Et ideò nec euangelica nec canonica, sed * nauicularia est illa quæ dicitur benedictio, quam quæ falso nomine vocatur, professio præcedit siue subsequitur. Ibi venditur simul & emitur primum ecclesiæ sacramentum. Christus etenim primus hoc sacramentum per semetipsum fecit, consecrationem scilicet Apostolorum.* Et paullopost sequitur: *Caueant igitur Episcopi & Abbates qui ideò dicuntur Christi Vicarij, quoniam Christi creduntur agere vices, ne contra Christi auctoritatem quî gratis tribuit, & eius vocem qui gratis dari monet & præcipit, cupiditatem siue consuetudinem sequantur, quæ fides ecclesiæ, libertas & castitas simul corrumpitur. Non mediocriter vtique delinquit Episcopus nisi gratis dederit: & Abbas nisi gratis acceperit, similiter peccat: quia facientem & obsequentem par pœna constringit, & facinus quo inquinat æquat.*

* sic in v. c. vt etiam paullopost.

* sic iam paullo antè appellat.

Ad Epist. CC.

Daimberto) sic plurimi v.c. malè anteà *Lamberto.* ad hunc enim Daimbertum Archiepiscopũ Senonensem extant multæ auctoris epistolæ.

Sponso suo immaculatam exhibere possimus) in vno v.c. auctioribus verbis habetur. *sponso suo nõ habentem maculã turpitudinis vel rugam duplicitatis exhibere possimus.* sed superflua esse quæ sequuntur satis arguunt, itaque inculcare nolui.

Nitro & sapone) eo modo meliores libri. malè alij *intro sapore.* Non dissimilis locus apud S. Cyprianum epist. 76. ad Magnum. *Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia, vt in lauacro carnali & sæculari sordes cutis & corporis abluuntur, vt sapone & nitris, & cæteris quoque adiumentis, & folio & piscina opus sit.* ita enim legere libros omnes admonet Pamelius; qui tamen in hac lectione sibi non satisfacit; & ex coniectura pro *nitris & sapone*, emendat, *aphronitris.*

Ad Epist. CCIII.

Et res basilicarum) ita plures manuscripti. in aliis est *& res ecclesiarum,* quòd è glossa manasse videtur. Basilicas enim pro ecclesiis sumi tot veterum auctorum exempla comprobant, vt audiri non debeant qui scripserunt differre hæc verba, & nomine basilicarum significari templa nondum consecrata.

Si quem defraudaui) vnus v.c. *defrudaui.*

Ad Epist. CCIV.

Et morbo qui dicitur sacer ignis) ita meliores veteres libri: malè in aliis quibusdam, *& morbo qui dicitur sacrilegium.* Sigebertus in chronico adnotat, anno Domini 1095. multos sacro igne accensos fuisse, membris instar carbonum nigrescentibus. Abbas Vrspergensis id latiùs exequitur, & inuisibilem ignem vocat, additque ea causa complures Gallos Hierosolymitanæ militiæ nomen dedisse. *Francigenis occidentalibus* (ait) *facilè persuaderi poterat sua rura relinquere. Nam Gallias per annos aliquot nunc seditio ciuilis, nunc fames, nunc mortalitas nimis adflixerat. Postremò plaga illa quæ circa Niualensem sanctæ Getrudis ecclesiã orta est, vsque ad vitæ desperationem terruerat. Erat autem huiusmodi. Tactus quisquam igne inuisibili, quacumque corporis parte, tamdiu sensibili, immò incomparabili tormento, etiam irreme-*

diabiliter ardebat, quousque vel spiritum cum cruciatu, vel cruciatum cum ipso tacto membro amitteret. Testantur hoc hactenus nonnulli manibus vel pedibus hac pœna trũcati. Hunc ignem mortiferi ardorisnomine intellexit Glaber hist. lib. 5. cap. 1. sub anno millesimo quadragesimo primo. *Deinde quoque occulto Dei indicio cœpit deseuire in ipsorum plebibus diuina vltio: consumpsit enim quidam mortifer ardor multos tam de magnatibus quàm de mediocribus atque infimis populi. Quosdam verò truncatis membrorum partibus reseruauit ad futurorum exemplum.* Sacri verò ignis mentio fit Plinio lib. 26. cap. 11. Columellæ lib. 7. cap. 5. & Cornelio Celso lib. 5.

Ad Epist. CCVI.

Hildeberto Dei gratia Cenoman. Episc.) hæc lectio tot veterum librorum consensu firmatur vt meritò debeat præferri, & reiici altera, *Lamberto*. Sunt autem variæ litteræ Iuonis ad hunc Hildebertum, cuius memoriam renouare placet collectis hinc inde testimoniis. Vetus scheda. *Venerabilis Hildebertus ex Lauardensi castro mediocribus, sed tamen honestis ortus parentibus à domino Hoelo Cenomanensi Episcopo factus magister scholarum, deinde Archidiaconus, & post decessum domini Hoeli in eius loco est substitutus. hic itaque moribus placidus & modestus, primo initio sui episcopatus satagebat restaurare ea quæ antecessorum suorũ negligentia vel destructa vel amissa fuerant. infatigabili studio.* Anonymus cœnobita S. Mariani Autissiodorensis in Chronologia ad annum Dom. 1007. *Florebat hoc tempore Hildebertus priùs Cenomanensis Episcopus, deinde Turonis Archiepiscopus, vir scientia perspicuus, & tam in versificando quàm in dictando gratiam peculiarem adeptus. Indicant hoc diuersa eius opuscula quæ metricè edidit, & epistolas quas ad diuersos direxit. quæ omnia miro modo commendat & elegantia sensuum, & lepos, breuitasque verborum. Vnde quidam de eo sic ait. Inclytus & prosa, versuque per omnia primus Hildebertus olet prorsus vbique rosam.* Hæc ille. Vvillelmus Gemeticensis lib. v. de Ducibus Normanniæ, cap. 9. de Anselmo loquens, *confutauerat enim Græcos in Barrensi Concilio, negantes Spiritum sanctum à filio procedere. Vnde sumpta materia rogatu Hildeberti Cenomannorum Episcopi hunc librum composuit.* Sic enim ibi restitui debet nomen illius, quia in vulgata editione mendosè cuditur, *Ideberti.* Vvillelmus Malmesburiensis de gestis Reg. Anglorum, lib. 3. eundem nuncupat prædicabilem Episcopum, cuius doctrinam dicit posteris esse exemplo, qua instituit quomodo viui debeat. Goffridus Vindocinensis Abbas appellat virum religiosum, & post metropolitanum, in prouincia primum, ad quem etiam multas scripsit epistolas à sancto Bernardo Abbate Claræuallensi vocatur vir totius reuerentiæ, epist. 123. & sacerdos magnus & excelsus in verbo gloriæ in titulo epist. 124. & in contextu eiusdem epist. columna magna ecclesiæ. Est autem historicus qui nouissimè scripsit hunc Hildebertum, quia liberrimè reprehenderat tyrannidem summi Pontificis, & deprauatissimos mores Romanæ Curiæ, fuisse Romæ detentum carcere, & malè tractatum, citatque in eam rem Ranulfi Polychronicon. Mihi verò nondum contigit legisse Ranulfum. Sed quod idem historicus adiicit, verosimile esse duos Episcopos contemporaneos eiusdem nominis (quos æquiuocos veteres dixerunt) quorum vnus Cenomanensis Episcopus, alter Turonensis Archiepiscopus, non est vt admitti oporteat. Quandoquidem refellitur testimonio Chronologiæ Autissiodorensis paullo anteà relato, & Platinæ, qui scribit Honorium Papam secundum mirificè extulisse ingenium Hildeberti, quem deinceps Turonensem Archiepiscopum creauit, quòd plurimùm heroico elegiacove carmine valeret. Stabilitur etiam verbis illius veteris schedæ quæ subiicientur maioris fidei causa. *Guillebertus Turonensis Archiepiscopus moritur, & in sede & in loco illius Hildebertus Cenomanensis Episcopus apicem est sortitus, concedente Ludouico grosso Frãcorum Rege, anno Dom. 1129. Tandem 15. Cal. Ianuarij, id est 18. Decemb. anno Dom. 1136. in senectute bona obdormiuit in Domino, & sepultus est Turonis in ecclesia sancti Mauricij: rexitque ecclesiam Turonensem annis septem, & mensibus sex, & ecclesiam Cenomanensem annis viginti duobus, & fuit vita eius quasi octoginta annorum.* hoc de Episcopo etiam agetur infrà ad epist. 277.

Sola se manu purgare.) Tale est quod dicitur *manu sua iurare* in feudis lib. 2. tit. 27. §. si rusticus. *Et manu propria singula cum sacramento idoneum se facere*, in Capitularibus Caroli Magni lib. 1. cap. vlt. Arnulfus in synodo habita Durocortori Rhemorum cap. 30. *postquam perorauero mea dextera ita esse sacramẽto firmabo* sanctus Bernardus epist. 235. *nisi decanus quod obiectum ei fuerat, propriæ manus iuramento repelleret.* Huius moris mentio fit in decretis Pontificum: ex quibus etiam colligi potest locum habuisse in causis leuioribus, non autem criminalibus. vetus cõpilator sub tit. de purgatione subditorũ aduersus Prælatos sequentia tria testimonia profert. Syluester Papa. *Sola manus sua contra testimonium appellatus se iureiurando, si crimen non est, purgabit.* Felix Papa. *Si quis Episcopus vel Archidiaconus quempiam sacerdotum ex aliqua accusauerit occasione, oportebit sacerdotem sola manu, præsente accusatore se purgare. Si quidem ex criminali causa eum accusauerit, manu septima aduersus magistrum suum, præsente semper accusatore, se oportuerit defendere.* Augustinus. *Si quis sibi subdito quicquam maculæ obiecerit, oportet illum excusare absque vlla alia assertione, sola manu sua, nisi sit criminalis causa quam oportet quamquam subditum tertia manu excusare.*

Cum tribus, aut quinque, aut septem collegis.) Vetustissimus hic mos fuit reos iurare cum multis aliis, quos ideò coniuratores appellari notatur ad epist. 57. Priscus auctor in vita S. Eligij episcopi Nouiomensis lib. 2. cap. 51. *Vir quidam agrum Ecclesiæ sancti Episcopi apud Caluomontem situm, sibi rapaci cupiditate vendicare voluit, sed obsistebat ei Sparnus, eius Ecclesiæ Abbas. Res ad palatium Regis relata est, pronunciatumque à Rege, vt si Abbas in sacro loco iurare vellet agrum esse Ecclesiæ, eum ipse retineret. Sed Abbas maluit virum illum pertinacem iurare suum esse agrum, & non Ecclesiæ. Lata igitur sententia est, vt vir ille cum multis aliis iuraret. Sic enim apud Francos in more positum est. Verùm Abbas aliis omnibus remisit iuramentum, ne alterius flagitio implicarentur. Solus ille agri vsurpator, procerum sententia iurare iussus est.* Abutebantur autem nonnulli illo more iurandi, cum iuratores sibi inuicem tanquã ex compacto colluderent, quemadmodum liquet ex epistola

Hincmari Remorum Episcopi ad coepiscopum Ioannem. *Qualiter de infamato presbytero ex authoritate maiorum tenemus, tuæ dilectioni mandamus, & sicut sanctus Gregorius decreuit: si mala fama ex similitudine per parochiam de presbytero exierit, & accusatores ac testes legales defuerint, ne contra Apostolum, infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores presbyteri existentes licentiùs in peccatum labantur, secundum decreta maiorum cum denominatis sibi vicinis presbyteris septem, quos scimus nolle periurare, sacramento famam suam purget. Si autem denominatos à nobis sibi presbyteros ad famam suam purgandam habere nequit, & alios secum ad iurandum conduxerit: quoniam experti sumus quosdam ad inuicem conspirasse, vt reputati mutuò in sua purgatione iurent, sicut & presbyteri pleni iniqua cogitatione aduersus Susannam conspirauerunt: presbyteri qui in purgatione infamati sacerdotis se vnà cum eo ad iusiurandum offerunt, examinationem iudicij per aduocatum infamati presbyteri recipiant, vt in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc iam reuocatos comperimus. Inuocatio autem super eum qui ad iudicium exit, talis habetur: quod ipse presbyter talem accessum & frequentationem ac cohabitationem & actionem contra sacros canones non habuerit, vnde mala suspicio & inconueniens sacerdoti fama meritò posset exire.* Sic ille, vti verba sunt concepta in vet. cod. Thuani. nam eius capitis particula tantùm relata est ab Iuone decreti parte 6. cap. 420. & à Gratiano in ca. si mala. cau. 2. q. 4. Sed & Smaragdus in lib. de pressuris ecclesiasticis, parte prima improbat eam coniurandi consuetudinem, dicitque adinuentam vt in sacerdotes Dei liberiùs maleuoli sæuiant, quando cogunt accusatum vti defensione quam implere minimè valeat, vel quæ illum iure officij omninò impediat. *Satisfactionem igitur accusati sacerdotis sub iureiurando minimè dicunt valere, nisi plures etiam sacerdotes secum compellat iurare. in quibus hoc assumunt in testimonium, quod factum se legisse iactitant in actibus Romanorum pontificum. Nam quod de Damaso, & Sixto, & Symacho venerabilibus Pontificibus inuenitur, eò quod dum à quibusdam peruersis de criminibus accusarentur, collectis Episcoporum Conciliis, synodicè purgati sint: hac se his verbis penitùs intelligere fatentur, quòd omnes præfati Episcopi cum ipsis pontificibus pro illatis iurassent criminibus: quasi non eos propria tantummodò absolueret satisfactio, nisi hac etiam prædictorum confratrum firmaret iuratio. Nobis tamen quod sic intelligendū sit, reuera non patet. Planè enim à prædictis episcopis præfatos pontifices purgatos accepimus, sed ipsorum suggestione propria tantūmodò satisfactione, ipsis etiam fauentibus eos alienos à criminibus fuisse firmatum est. Sed si pro alicuius iusti innocentia alicui placuit sacramentum præbere caritatis causa; vt eum vel sic à persequentibus liberaret, omnimodis placet. Veruntamen licet peruersorum infestatione quasi in primitiua Ecclesia hoc fieri potuisset, nullum tamen exemplum in posterum relinqui debuit. Quo etenim in sancto Concilio, vel cuius Catholici & Apostolici viri decreto sancitum sit, sacerdotes Dei à criminibus absolui non posse, nisi confratrum satisfactione, ignoramus. Cum enim sacramenta omnibus interdicta sint Christianis, valdè perniciosum est sacerdotes ad hac etiam alios cogere, vnde tam se custodire, quàm & illos debuerunt arguere.* Hæc ille apud Iuonem decretor. parte 12.

Ad Epist. CCVIII.

Hominium facere Abbati) sic veteres membranæ, in vno tantum cod. *hominatum*, quomodò habuit primitiua editio: qua etiam dictione vsus Gregorius Papa. *Clericus à laico nunquam iustificetur, nec pro terra, nec pro aliis rebus quas ab illo teneat: nec sibi hominatum faciat, &c.* quæ verba habentur in prisco libro calamo exarato; sed non exprimit quis Gregorius sit. Dixerunt etiam *hominiscum*, vt in veteri instrumento recognitionis factæ per Rostagnum de Montepesato, domino P. Archiepiscopo de castro de S. Nazario, anno 1226. regnante Ludouico Rege mense Iunij. *Manibus iuro vobis fidelitatem & hominiscum facio.* Ipsemet auctor epist. 241. ad Humbaldum, dixit per hominium cogere. qua voce plures illius sæculi vsi. Sed & *homagium* plerique dixerunt.

Ad Epist. CCIX.

Huius coniugij paranymphus estis,) eâ lectio multorum codicum. Sic epist. 200. Paranymphorum in coniugiis olim adhibitorum frequens mentio, vt à S. Ambrosio lib. 9. epist. 70. & S. Augustino de Ciuit. Dei lib. 14. Item Euaristo Papa in ca. aliter. cau. 30. q. 5. & in Concilio Cartaginensi 4. relato in ca. sponsus. dicta cau. 30. q. 5. item in legibus Longobardorum tit. de vi publ. & à S. Bernardo lib. 3. de consider. cap. vlt.

Ad Epist. CCXI.

Excommunicatus est Rex à Domino Papa Vrbano in Claromontensi Concilio) Bertoldus in chronico ad annum Dom. M. XCIV. refert in Concilio celebrato ab Hugone Lugdunensi in ciuitate Galliarum Ostione excommunicatum fuisse hunc Philippum; cuius verba prolata sunt suprà ad epist. 16. Idem ad annum proximè sequentem dicit Vrbanum Papam celebrasse synodum Placentiæ; ad quam Philippus Rex Galliarum legationem suam direxit, seque ad illam iter incœpisse, sed legitimis soniis (sic enim obiter corrigo quod vulgò cuditur, *sociis*) impeditum fuisse mandauit; vnde inducias sibi vsque in Pentecostem apud dominum Papam synodo intercedente impetrauit. Subiicit idem Bertoldus ad annum M. XCV. *In Galliis ad Clarummontem generalis synodus à domino Papa in octaua sancti Martini congregata est, in qua XIII. Archiepiscopi cum eorum suffraganeis fuerunt, & CCV. pastorales virga numerata sunt. In hac synodo dominus Papa eadem statuta quæ & in preterita synodo Placentina confirmauit. insuper & Philippum Regem Galliarum excommunicauit eo quòd propria vxore dimissa, militis sui vxorem sibi in coniugium sociauit. Ibi etiam aliam synodum in tertiam subsequentis quadragesimæ hebdomadam Turonis celebrandam denuntiauit.* Willelmus Malmesburiensis de gest. Reg. Angl. lib. 4. ad annum 1095. agens de eodem Papa. *Tunc legitimis vxoribus exclusis, multi contrahebant diuortium, alienum expugnantes matrimonium; quare in his & in illis erat confusa criminum sylua, ad pœnam quorundam potentiorum designata sunt nomina. Qua de re actum in Concilio Claromontano, in quo etiam Philippus Rex Gallorum cum sua pellice Bertrada excommunicatus.* Illemet Bertoldus ad ann. M. XCVI. *Philippus* (inquit) *Rex Galliarum*

iamdudum pro adulterio excommunicatus, tandem domino Papa dum adhuc in Galliis moraretur, satis humiliter ad satisfactionem venit, & abiurata adultera, in gratiam receptus est, seque in seruitium domino Papa satis promptum exhibuit. Dominus Papa benè dispositis rebus in Gallia, post reconciliationem Regis Galliarum, & post multa Concilia, tandem in Longobardiam cum magno triumpho & gloria repedauit.

Ad Epist. CCXII.

Et in legibus Theodosianis, si aliquis vnam rem.) nulla exemplaria vetera hîc variant. obseruandum tamen est hæc verba quæ citat, esse Aniani prisci interpretis codicis Theodosiani ad Paulum sententiar. lib. 5. tit. 11. eo modo Gratianus relictis verbis eiusdem Pauli citat verba istius Aniani in ca. propter cau. 2. q. 6. quamuis nomine suppresso: cuius rei ratio est, quia prisci librarij solebant vt sæpius, solas interpretationes exscribere. vt indicio sunt aliquot membranæ codicis Theodosiani, in quibus prætermisso legum ampliore contextu, sola supersunt Aniani scholia; quibus etiam scholiis subscriptiones adiectæ sunt habentes consulum nomina: ita fucum faciebant lectori minùs cauto. Cuius generis codicem habuisse Iuonem, cum hæc scriberet, vero simile est.

Ad Epist. CCXIV.

In tanta scissura, in tanta procella.) Cuius causam præbuit Gregorius septimus, & magno scandalo erat toti mundo, vt ait Sigebertus in chronico ad annum Dom. M. CXI. Quam verò iusta & vrgente ratione Iuone defleat tale dissidium, melius clarescet verbis prisci auctoris lib. 2. de vnitate Ecclesiæ conseruanda. *Hildebrandus Papa*, inquit, *sic diuisit etiam sacerdotia quemadmodum Ecclesiam Dei; atque rempublicam imperij: quoniam partes inde segregauit sibi. inter ipsum namque & inter regem Henricum graues ortæ sunt atque inexorabiles discordiæ, Papa plurimùm annitente vt rex deponeretur à regia potestate pariter & dignitate: rege verò contra nitente; vt defenderet se ab hostium suorum circonuentione, qui pro parte eiusdem Papæ certantes quærebant eum opprimere. Exinde diuisa est Ecclesia, & diuisa sunt Ecclesiæ sacerdotia, atque omnia scandalorum orta sunt genera: exinde creuit graue & diuturnum bellum, & non solùm ciuile bellum, sed plusquam ciuile bellum, & facta sunt absque diuino pariter & humano respectu vastationes Ecclesiarum & cædes hominum: exinde etiam corruptæ sunt diuinæ pariter & humanæ leges, sine quibus non subsistit vel Dei Ecclesia, vel imperij respublica: & exinde violata est fides & publica & catholica: exinde etiam illa creuit iniustitia, vt pro veritate falsa testimonia, & pro fide catholica abundent periuria, vt postquam bello leges siluere coacta, &c.* Idem paulo post. *Sed iam facta diuisione imperij simul & sacerdotij surrexit rex aduersus regem, gens aduersus gentem, Episcopus contra Episcopum, populus contra populum. Exinde verò quantæ cædes factæ sint hominum, quanta destructiones Ecclesiarum, quanta etiam rerum confusio exinde facta sit in omni Ecclesia; indigere videtur tragœdia magis quàm historia.* Henricus quartus Imp. in epistola ad Coloniensem Archiepiscopum. *Vide ne oppressæ Ecclesiæ te subtrahas, sed regno & sacerdotio condoleas: quo vtroque sicut hucusque Ecclesia est exaltata, ita nunc heu humiliatur viduata. Nam vnus dum vtrunque sibi vendicauit, vtrumque dissipauit; nec in vno profuit, qui in neutro prodesse voluit, nec potuit.* Et paulo post. *Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica insania confuderit, tu ipse nosti, si scire voluisti. Nullum eius iudicio licet esse sacerdotem, nisi qui hoc à fastu suo emendicauerit.* Willelmus Malmesburiensis lib. 5. de gest. Reg. Angl. testatur isto scismate statum Ecclesiæ conturbatum fuisse plusquàm quinquaginta annis.

Sed & dispensationis modus, qui nulli sapienti displicuit.) Huc pertinet fragmentum vetusti cuiusdam Romani pontificis sed incerti. *Per multos iam annos regni Teutonici latitudo ab apostolicæ sedis vnitate diuisa est. In quo nimirùm scismate tantum periculi factum est, vt quod cum dolore dicimus, vix pauci sacerdotes, aut clerici catholici in tanta terrarum latitudine reperiantur. Tot igitur filiis in hac strage iacentibus, Christianæ pacis necessitas exigit, vt super hos materna Ecclesiæ viscera aperiantur. Patrum itaque nostrorum exemplis & scriptis instructi, qui diuersis temporibus Nouatianos, Donatistas, & alios hæreticos in suis ordinibus susceperunt, præfati regni Episcopos in scismate ordinatos, nisi aut inuasores aut simoniaci, aut criminosi comprobentur, in officio Episcopali suscepimus. Idipsum de clericis cuiusque ordinis constituimus, quos vita scientiaque commendat.* Eodem spectant verba Paschalis Papæ secundi ad interrogata Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi. *Anselmus. sæpe necesse est aliquid de apostolicis & canonicis statutis pro compensationibus relaxare, & maximè in regno in quo ferè omnia sic corrupta & peruersa sunt, vt vix ibi aliquid omnino secundum statuta Ecclesiastica fieri possit. Peto vt per licentiam vestram possim quadam prout mihi discretionem Deus dabit, temperare quod petij à domno Papa Vrbano, & ipse posuit in mea deliberatione. Paschalis. Dispensationis modus, sicut beatus Cyrillus in epistola Ephesinæ synodi loquitur, nulli vnquam sapientum displicuit. Nouimus enim sanctos patres nostros & ipsos apostolos pro temporum articulis, & qualitatibus personarum dispensationibus vsos. quamobrem nos de religione & sapientia tua diu longèque spectata nihil penitus ambigentes, tuæ deliberationi committimus, vt iuxta datum tibi diuinitùs intellectum, cum Ecclesiæ cuius præpositus es tanta necessitas expetit, sanctorum canonum decretorumque difficultatem opportuna & rationabili valeas prouidentia temperare.* Quibus etiam coniungenda sunt verba Goffridi Vindocinensis Abbatis ad Calixtum Papam. *Dispensationes aliquando in Ecclesia facienda sunt, non quidem amore pecuniæ, vel quolibet humano fauore, sed pia & misericordi intentione. Tunc enim à pastore Ecclesiæ dispensatio piè & misericorditer fieri creditur, cum aliquid minùs perfectè ad tempus fit ab illo, vel fieri permittitur, non voluntate sua; sed aliorum necessitate, ne in ipsis videlicet fides Christiana periclitetur. Sic igitur facienda est dispensatio ab Ecclesia, vt semper fidei nostræ veritas instruatur, & si quid aliter ad horam factum fuerit vel promissum, opportuno tempore corrigatur.* Et aliquanto post. *Possunt etiam & debent fieri dispensationes quibus Ecclesiarum & monasteriorum consuetudines immutentur, sed vbi postponitur minus bonum, vt quod est melius instituatur, &c.* quæ habentur in manuscripto exemplari. Videnda sunt quæ bellissimè disputat S. Augustinus epist. 5. ad Marcellinum, vbi dicit mutata temporis causa, quod rectè antea factum fuerat, posteà rectè non fieri nisi mutetur.

Ad Epist. CCXV.

Thomæ Eboracensi Archiepiscopo) Inscriptio variat in priscis exemplaribus, in quibus partim legitur, *Tustanno*, partim *Thomæ*, quod postremum habet prima editio. & fortasse hinc nata est diuersitas, quia in aliquot vetustis membra-

nis prima tantùm littera signatur. T. quam alij postea variè interpretati sunt. Sed & infrà epist. 276. memoratur ab Iuone Tustannus siue Tustinus electus Eboracensis Archiepiscopus. Auctoris verò ætate duo Thomæ fuerunt præfecti Ecclesiæ Eboracensi, scilicet Thomas ille à quo Henricus primus Anglorum rex coronatus est: cui paulo post mortuo successit Gerardus, & Gerardo mox defuncto subrogatus Thomas dicti Henrici Cancellarius, anno Dom. M. CVIII. vt refert Matthæus Paris in vita illius Henrici. Qui etiam notat hunc Thomam Eboracensem Archiepiscopum obiisse anno Christi M. CXIII. eique Turstanum successisse. ad hunc extat epistola Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi quæ subjicienda videtur ex manuscripto codice. *Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ Thomæ electo Archiepiscopo Eboracensi Ecclesiæ salutem. Canonica auctoritas præcipit, vt Ecclesia Episcopatus vltra tres menses non maneat sine pastore. Quoniam autem regi placuit consilio Baronum suorum & nostra concessione, vt vestra persona eligeretur ad Archiepiscopatum Eboracæ: non debet per vos terminus salubriter constitutus diutiùs differri. Vnde miror quia post electionem vestram non requisistis vt consecraremini ad quod electus estis. Mando itaque vobis vt octauo Idus Septembris sitis apud matrem vestram Ecclesiam Cantuariensem, ad faciendum quod facere debetis, & ad suscipiendam consecrationem vestram. Quod si non feceritis, ad me pertinet vt ego curam habeam, & faciam quod pertinet ad Episcopale officium in Eboracensi Archiepiscopatu. Præterea audini quod vos priusquàm consecremini, facere vultis vt electus Episcopus sancti Andreæ de Scotia apud Eboracam consecretur. Quod nec vos facere debetis, nec ego concedo, sed omnino interdico ne fiat, aut de illo, aut de aliqua persona quæ in regimen animarum debet prouehi ab Archiepiscopo Eboracensis quia non pertinet ad vos dare vel concedere alicui curam animarum quam nondum accepistis.* Sed & habetur in vetusto codice alia Anselmi epistola ac eundem Thomam, quæ apertè confirmat quod paulo antè dictum est, duos eodem ferè tempore fuisse Eboracenses Episcopos qui Thomæ dicti sunt. *Anselmus minister Ecclesiæ Cantuariensis Thomæ electo Archiepiscopo Eboracensi. Tibi Thoma in conspectu omnipotentis Dei ego Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis & totius Britanniæ primas loquor, loquens ex parte ipsius Dei. sacerdotale officium quod meo iussu in parochia mea per suffraganeum meum suscepisti, tibi interdico, atque præcipio ne te de aliqua cura pastorali vllo modo præsumas intromittere, donec à rebellione quam contra Ecclesiam Cantuariensem incepisti discedas, & ei subiectionem quam antecessores tui, Thomas videlicet & Girardus Archiepiscopi, ex antiqua antecessorum consuetudine professi sunt, profitearis. Quod si in his quæ cepisti magis perseuerare quàm ab eis deficere delegeris, omnibus Episcopis totius Britanniæ sub perpetuo anathemate interdico, ne tibi vllus eorum manus ad promotionem pontificatus imponat: vel si ab externis promotus fueris, pro Episcopo, vel in aliqua Christiana communione te suscipiat. Tibi quoque Thoma sub eodem anathemate ex parte Dei interdico, vt nunquam benedictionem Episcopatus Eboracensis suscipias, nisi priùs professionem quàm antecessores tui Thomas & Girardus Ecclesiæ Cantuariensi fecerunt facias. Si autem Episcopatum Eboracensem ex toto dimiseris, concedo vt officio sacerdotali, quia iam suscepisti, vtaris.*

In tenebris barbaræ nationis) Paschalis Papa secundus eandem gentem Anglicam appellat barbaram in epist. ad Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem. *Deo autem gratias* (ait) *quia in te semper Episcopalis auctoritas perseuerat, & inter barbaros positus, non tyrannorum violentia, non potentium gratia, non incensione ignis, non effusione manus, à veritatis annunciatione desistis.* idem in alia epist. ad ipsum Anselmum *quod ergo tibi super his in barbaris regionibus disponendum, ex ipsius præcepti poteris collatione distinguere.*

Ad Epist. CCXVIII.

Matrimoniales tabulas sibi composuit) quod hîc de canonico Parisiensi, idem de quodam prælato Ecclesiæ Senonensis scribit epist. 200. qui præter duo scorta, pellici matrimoniales tabulas fecerat. vnde colligi potest tunc temporis in Ecclesia Gallicana difficile fuisse continentiam clericis persuadere, & multos extitisse vxoribus alligatos. Nam & auctor epist. 186. respondet Presbyteros vxoratos non esse à communione suspendendos, nisi publicè conuictos vel confessos. Nicolaus monachus lib. 2. cap. 8. de vita S. Godefridi Episcopi Ambianensis (ad quam extant epistolæ Iuonis) *sanctitatis & pudicitiæ custos adeò præclarus & studiosus vbique extitit, vt infames clericos vel impuro matrimonio copulatos non solùm à suo consortio, sed etiam à chori ingressu constanter arceret. Eam ob rem multis conuitiis ab illis proscindebatur, multis appetebatur insidiis.* Et lib. 3. cap. XV. *Aderat cum aliis etiam quidam è clero, ex eorum grege, quos suprà diximus, impuro coniugio pollutos, quibuscum multum beato Episcopo negocij fuit, vt corrigerentur.* Chronologia Autissiodorensis ad annum Domini 1119. *Guido Viennensis Archiepiscopus Stephani Burgundionum Comitis germanus, in papatum eligitur, & ab eo Concilium à prædecessore indictum Remis celebratur, vbi excommunicati sunt simoniaci vniuersi, & qui exigunt pretium pro sepultura, vel chrismate, vel baptismo; vxorum quoque & concubinarum contubernia Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus ibi sunt penitùs interdicta.*

Et salutaribus Episcoporum præceptis obedire contemnunt) huius rei exemplum in epistolis Anselmi Cantuariensis ad Ernulphum nondum vulgatis, vbi licet Rex Angliæ præcepisset, vt Presbyteri Ecclesias & fœminas haberent sicut tempore patris sui & Lanfraci Archiepiscopi, Anselmus contrà per totam Angliam iussit omnes sacerdotes qui fœminas tenerent, priuari Ecclesiis & omni Ecclesiastico beneficio. Idem alia epistola ad dictum Ernulphum & Archidiaconum Cantuariensem, excommunicauit eosdem Presbyteros qui superbè contempserant iussionem prohibitarum fœminarum. Qua de re Matthæus Paris in hist. Angl.

Quam pro lege habendam censet auctoritas, pertinaciter & superbè) hæ nouem dictiones nunc primùm adiectæ sunt authoritate veterum membranarum, quæ hactenus deerant.

Ad Epist. CCXIX.

Vt Cypriani verbis vtar) in exemplari Reg. huius epistolæ exordium tale est. *Si quid de me aduersum me perlatum est ad sedem apostolicam, oportet vt pro me subsequatur cum legato catra non fallax, quæ obiectis respondeant, & innocentiam meam defendat. Nuper enim litteras accepi, &c.*

Qui nec auditus fuerat, nec vocatus) hac parte fœda labes in membranis, qua etiam prima editio deturpata. habent enim pluscula verba frustrà ex precedentibus repetita & inculcata prisci librarij oscitantia: quæ ideò tolli debuerunt.

Qui audiebat missam catechumenorum) multi v.c. catichuminorum. huius missæ vsus vetustissimus, cuius mentio in Concilio Carthaginensi quarto cap. 84. relato in ca. Episcopus. de consecrat. distinct. 1. & in Concilio Hilerdensi relato in ca. de his qui. cau. 35. q. 2. & 3. S. Augustinus serm. 38. de tempor. *ecce post sermonem fit missa catechumenis. manebunt fideles, venietur ad locum orationis.* Hincmarus Remorum Episcopus in lib. manuscripto aduersus Hincmarum Laudunensem Episcopum, cap. 24. *Vtile tibi foret illa quærere quæ ad tuam & commissorum tibi saluationem debueras baiulare: scilicet quomodo in regulis sacris debeas intelligere, quia quidam iubentur vsque ad missam caticuminorum manere in Ecclesia, quidem autem sola intra Ecclesiam fidelium oratione iungi sacræ mysteriorum celebritati, à dominicæ autem mensæ conuiuio segregari.*

Vt causam quæ semel decisa est, propter cupidorum & malinorum delationem non iteretis) hæc verba nunc primùm addita sunt ex aliquot priscis libris.

Appellant non confidentia iustitiæ, sed pro dilatione sententiæ.) sic rectiùs ex v.c. quàm vt anteà, *sed prolatione sententiæ.* tale est quod ait epist. 172. Abbatem Vindocinensem sedem apostolicam appellasse non confidentia iustitiæ, sed causa afferendæ moræ. Idem epist. 180. conqueritur de nimia appellationum licentia ad sedem apostolicam, ob vexationem, rerum expensam, & incertum negociorum exitum. Ea etiam de re agit S. Bernardus lib. 3. de consider. ad Eugenium Papam, cap. 2. quo loco docet quis modus sit adhibendus in appellationibus ad sedem Romanam. vetus & frequens fuit hæc querela Episcoporum Gallicanæ Ecclesiæ, cuius generis habetur epistola Hildeberti Turonensis Archiepiscopi ad Honorium Papam: quaquidem inter cætera dicit, moratoriis & superfluis eiusmodi appellationibus plantari in horto domini toxicum mortis, quo subuentus afflictorum moritur, pontificalis vigor elanguet, iustitiæ parsimonia in nihilum reuertitur, incrementum autem suscipit vbertas delictorum.

Ad Epist. CCXX.

Sine conniuentia cleri alienet) variat hîc lectio in exemplaribus. Sunt enim quæ habent, *sine conuenientia*, vt apud Gratianum in ca. sine. cau. 12. q. 2. vulgati libri referunt, *absque omnium conniuentia & subscriptione clericorum*: vbi Contius Iurisc. notat in suo cod. legi *conuenientia*, quod postremum probat, & priùs illud rejicit. In Iuonis autem Pannormia tit. de alien. rer. Eccles. (vbi canon ille refertur) legitur *sine collaudatione*, vt apud Burcardum Derceti lib. 3. ca. 170. Sed conniuentiæ vox pro consensu tot locis reperitur, vt temerè mutari non liceat. In can. obeuntibus, dist. 64. *quod absque consensu eorum & conniuentia factum fuerit, in ritum habeatur.* Hincmarus Remensis lib. aduersus Hincmarum Laudun. *cum conniuentia clericorum subscribere.* S. Bernardus epist. 163. *viri illi in quorum conniuenti res posita est.* Arnulfus Lexou. epist. 21. *donec posset quod mente concepit, assensus vestri conniuentia confirmasse.* Willielmus Tyrius de bel. sac. lib. x. cap. 7. *quem eadem Ecclesia de communi omnium conniuentia sibi præfecerat.* eodem significatu apud ipsum Iuonem epist. 138. 163. 195. 220. 250.

Ad Epist. CCXXIII.

In quodam falso cæmeterio corpora excommunicatorum sepulturæ tradunt.) Quia nimium frequentes erant Episcopales censuræ, & sæpè ob leuiores causas, non mirum est si tunc temporis excommunicationes contemnerentur, & sepulturæ interdictio insuper haberetur. Quam in rem extant variæ conquestiones Goffridi Vindocinensis Abbatis in manuscripto exemplari vnde verba transferam. In epistola igitur ad hunc Iuonem qui interdixerat diuinum officium in castello, & banno leugæ Comitis Vindocinensis. *Pauperum corpora sepeliri concessistis. quod nos abnuere nec possumus nec audemus. Sed salua vestra pace & reuerentia dicimus, si insepulta remanerent pro Ecclesiæ iustitia, non ideo animæ minus haberent de gloria. Et quia à sanctitate vestra pauperibus sepultura conceditur, sub nomine pauperum à sepultura iam nullus excluditur.* Sequitur alia eiusdem epist. ad eundem Iuonem. *Nouerit Karißime pater vestra dilectio, in castro Vindocinensi dictos illos regulares beati Georgij canonicos, in Ecclesia beati Petri apertis ianuis contra interdictum vestrum solemniter festiuitatem celebrasse: aliosque eiusdem castelli clericos quendam Burgensem defunctum & cum defuncto iustitiam quasi defunctam sepelientes, publicis processionibus sepulturæ tradidisse. De qua Ecclesiastica iustitia sepultura, quæ contumaciæ studio acta dinoscitur, & de huiusmodi sepulturæ vindicta vestræ sublimitati nostra humilitas aliquid scripsisset, si monachus vnus sufficeret de inobedientia clericorum accusare multitudinem, nec præsumptuosum videretur tanta discretionis docere pontificem. Illud tamen perpendat vestra dilectio, quod si tanta iustitiæ iniuria patienter portatur, verendum est, ne sancta Ecclesia hac occasione de statu suo plurimùm perdat, & sua honestatis & ordinis intolerabilem iacturam patiatur.* Et paulo post. *Nam quis ex diuitibus contra interdictum vestrum sepeliri, & non sepelitur? Pauperibus autem qui culpam non habent, sepultura negatur. Potentibus aperiuntur Ecclesiæ, impotentes per quos quod malè actum est corrigi non potest, ab Ecclesiis excluduntur, &c.* Idem in epistola ad Rannulfum Sanctonensem Episcopum. *Illud etiam quod in Haimerico de Rancone à vobis actum est, non tacentes. Haimericus siquidem propter multa mala quæ nobis fecerat, à domino Papa & à vobis fuerat excommunicatus, & in ipsa excommunicatione iusto Dei iudicio peremptus est, & ideò extitit à cimiterio alienus. Postea verò precibus vxoris illius, & precio, vt quidam dicunt, corruptus, excommunicato excommunicatum illum sine satisfactione absoluendo communicastis, & præsentibus fratribus nostris, per quos iniuria nostræ in auribus vestris resonabant, quæ adhuc resonare non cessant, corpus eius sepulturæ ipsemet tradidistis. Auctoritate tamen sanctorum canonum firmiter tenemus, & nullatenus dubitamus, quia quibus viuis non communicamus, nec mortuis communicare debemus: & qui aliter fecerit, si laicus est, debet & ipse excommunicari: si clericus, cuiuscunque dignitatis vel ordinis sit, debet penitùs degradari. Valete, & quæ dicta sunt, sapienter aduertite.* Hæc latiùs adscripta, quià pertinent etiam ad epist. 62. quaquidem Sanctio Episcopus Aurelianensis consilium petit quid agere debeat in causa clericorum, vel monachorum qui contrà interdictum missas celebrarànt, & mortuos sepelierant. Quod excommunicatis intelligit.

Ad Epist. CCXXIX.

Xisti & Leonis exemplo) Purgationis Xisti tertij Papæ meminit Nicolaus Papa in ca. nunc autem. dist. 21. & Anastasius bibliothecarius in vitis Pont. Verba ipsius Xisti relata sunt à Gra-

tiano in ca. mandastis. cau. 2. q. 4. Purgationis Leonis Papæ testimonium extat apud eundem Grat. in ca. omnibus. cau. 2. q. 5. vbi dicitur habuisse duodecim Episcopos in suâ purgatione. Monachus Sangalensis in vita Caroli Magni: *Leo* (inquit) *assumens euangelium Domini nostri Iesu Christi posuit super caput suum, & in conspectu Caroli eiusque militum, assistentibus etiam persecutoribus suis in hac verba iurauit. Sic in die magni iudicij sim particeps euangelij sicut immunis sum criminis falsò mihi ab ipsis obiecti.* Alter monachus sancti Eparchi Engolismensis in descriptione vitæ eiusdem Caroli, itemque alius incertus scriptor Annalium Pipini, Caroli Magni & Ludouici ad annum M. CCC. tradit id factum Romæ coram omni populo in basilica beati Petri, cum euangelium portans Leo ambonem conscendisset. Iuramentum dicti Leonis refertur à Burcardo Decret. lib. 1. cap. 198. His iunge not. ad epist.

Ad Epist. CCXXXI.

Qui se propter epilepsiam curandam eunuchizauit) Varia erat huius loci scriptura in codicibus manuscriptis, habentibus *epileusiam, epilesiam, epylensiam* siue *epilemsiam.* Meliores *epilepsiam.* huc autem pertinet quod in cap. ex parte tit. de corp. vitiat. ordin. dicitur ab Innocentio tertio, Presbyterum qui ne in lepram incideret, de consilio medici, virilia sibi fecit abscindi, liberam habere facultatem exequendi sui ministerij. Nam & Aëtius scribit lib. 13. cap. 125. castratos hoc lepræ morbo non laborare. Theodorus autem Balsamo ad Apostolor. can. 23. refert plurimos homines paulo consideratiores, qui suos castraturi erant, ad Ecclesiam accedere solitos, & morbum & testiculorum abscisionem aperire. Idem ad ca. 1. Nicenæ synodi testatur se nullum vidisse suo tempore sacris initiatum, cui propter morbum permissum erat vt castraretur, licet multi hoc synodicè expetierint.

Ad Epist. CCXXXII.

Circa maritalia loca) hæc tria verba deerant primæ editioni, quæ adiecta sunt authoritate & consensu plurium membranarum.

Hugoni Gratianopolitano Episcopo) antea cusum *Gratiopolitano.* In aliquot editionibus Gratiani, vbi hoc rescriptum Vrbani extat, habetur inscriptio huiusmodi. *Vrbanus secundus Gratiano Neapolitano Episcopo.* sed perperam, quod etiam rectè castigatum in nouissima editione. monachus Autissiodorensis in chronico ad annum 1078. *hoc anno S. Hugo Gratianopolis Episcopus fit, vbi per annos 52. virtutum exemplis incomparabiliter floruit, &c.* Sigebertus Gemblac. meminit illius Hugonis, & Gratianopolitanum pariter Episcopum appellat. agens enim de Brunone Cartusiæ fundatore circa annum Domini 1084. *huius* (ait) *sancti propositi cooperator & æmulator beatæ memoriæ Hugo Gratianopolitanus Episcopus, ab eodem Brunone habitum monachicum sumpsit, cunctisque ibi habitantibus insigne exemplum præbuit.* Robertus de monte in chronico ad annum Dom. 1132. *obiit vir sanctus Hugo Gratianopolitanus Episcopus, cuius religiosam vitam conscripsit Guigo Prior Cartusiæ, quæ non longè à Gratianopoli.*

Ad Epist. CCXXXIII.

Patrum Gregorij & Vrbani) vox, *patrum*, addita ex aliquot v. c. intelligit autem Gregorium septimum qui & Hildebrandus dictus est, cuius est hic canon in synodo Romana. *quoniam inuestituras Ecclesiarum contra statuta sanctorum patrum à laïcis personis in multis partibus cognouimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Ecclesia oriri, ex quibus religio Christiana conculcatur; decernimus vt nullus inuestituras Episcopatus, vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris vel Regis, vel alicuius laïcæ personæ, viri vel fœminæ suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat inuestituram illam apostolica authoritate irritam esse, & vsque ad dignam satisfactionem excommunicationi subiacere.* Vrbanum autem idem statuisse indicant verba Willielmi Malmesburiensis de gestis Pontif. Angl. lib. 2. de Vrbani Concilio loquens. *In hoc Concilio Papa cum omnibus sententiam excommunicationis vibrauit in laïcos inuestitores Ecclesiarum, & inuestitos à laïcis, & in taliter inuestitos consecrantes, & in illos qui pro Ecclesiasticis honoribus laïcorum homines fiunt.* Quod quidem Concilium Romæ habitum fuit circa annum 1098. vt præter cæteros notat Thomas de Walsingham in ypodigmate Neustriæ. Citantur etiam hi canones ex Concilio Claromontensi cui interfuit ipsemet Vrbanus. *Vt nullus Ecclesiasticus aliquem honorem à manu laïcorum accipiat.* Item. *Interdictum est ne Reges vel alij Principes aliquam inuestituram de Ecclesiasticis honoribus faciant.* Iuo supra epist. 60. dicit se audiuisse Reges ab Vrbano exclusos fuisse à corporali tantùm inuestitura. hîc autem videtur non esse prætermittendum quod liberrimè testatus est. Onuphrius ille Italorum doctissimus in libro quem scripsit de vita eiusdem Gregorij septimi. *superiore illo suo decreto non tantùm Imperatorem Henricum quartum, sed & omnes Reges Latinos & Occidentales petitos fuisse, deinde Episcopos & vniuersum clerum Galliarum, Germaniæ & Italiæ: maiestatem quoque & dignitatem Imperij Romani euersam: quodque longè peius erat, ea fundamenta iacta quibus illius potestas omninò labefactabatur.*

Scismaticam iudico) Idem in fine epist. 236. ait hæreticum esse laïcum qui putat in datione & acceptione virgæ se posse tribuere sacramentum. Ioannes Lugdunensis Archiepiscopus dicit inuestituras exteriores per laïcos factas, non satis propriè hæresis nomine censeri; defendere tamen fieri debere, hæresim esse, infrà epist. 237. Extat in codicibus manuscriptis Iac. Sirmundi, tractatu Goffridi Abbatis Vindocinensis ad Petrum Leonem Cardinalem, de ordinatione Episcoporum, & de inuestitura laïcorum, vbi disputat eam esse hæreticam, cuius verba subjicere non grauabor. *Licet alia hæresis de inuestitura dicatur, contra sanctam Ecclesiam fortiùs iaculatur. Symoniaca etenim prauitas multotiens fit latenter, hæresis verò de inuestitura semper publicè agitur. Ibi etiam in primis omnis Ecclesiasticus ordo confunditur, quando hoc quod vnicuique à solo suo consecratore in Ecclesia cum orationibus quæ ibi conueniunt, dari debet; à seculari potestate priùs accipitur. Quod sancti Apostoli non solùm interdixerunt; verùmetiam omnes illos qui per sæcularem potestatem Ecclesiam obtinent, à Christo sibi tradita potestate damnauerunt. Et meritò Apostoli iudicio spiritus sancti hanc hæresim in ipso Ecclesiæ principio damnare decreuerunt, quam longo tempore ex patre diabolo nascituram esse præuiderunt. Cum igitur laïco & inuestitura & omnis etiam disponendarum Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum rerum facultas à Spiritu sancto qui in Apostolis loquebatur, negata sit penitùs & interdicta: qui inuestituram à laïco suscipit, non iam contra Apostolos tantùm, immo contra dominum Apostolorum, quod sanctum est, canibus exponit.*

Inuestitura enim de qua loquimur, sacramentum est, id est sacrum signum, quo princeps Ecclesiæ, Episcopus scilicet à cæteris hominibus secernitur pariter atque dinoscitur, & quo super Christianum gregem cura pastoralis ei tribuitur. Hanc inuestituram ab illo solo suscipere debet à quo & consecrationem habet. Illum siquidem priùs oportet consecrari, deinde verò tanquam regem factis insignibus decorari. Si quis autem cuilibet seculari potestati ista licere putat, errat. Quod si defendere nititur, Apostolorum doctrinam & sancti Spiritus sensum annullare desiderat, vnde hæreticus esse nullatenus dubitatur. Inuestitura itaque laïcorum quæ fit per virgam & annulum, meritò hæresis appellatur. Nam sicut à Simone simoniaca hæresis dicitur: ita ab eo qui inuestit, & ab illo qui inuestitur, quoniam vterque in illa sua actione & agitare claues Ecclesiæ, & eius vnicum ac singulare ostium violare conatur, recto nomine hæresis de inuestitura vocatur. Hæc præterea hæresis deinuestitura si rectè perspiciatur, etiam hæresis symoniaca esse vita & vera ratione probatur. Nam quæ secularis potestas sibi vendicare nititur inuestituram, nisi vt per hoc aut pecuniam extorqueat, aut quod est grauius, sibi inordinatè subiectam efficiat pontificis personam? nullus est vtique laïcorum, etiam si ei liceret, qui tanta intentione annulum vel virgam dare desideret, nisi per hæc quæ sunt sacramenta Ecclesiæ, temporalibus lucris inhiaret. Laïcus quidem sacramenta ab Ecclesia suscipere licet, non Ecclesiæ qualibet sacramenta dare. Semper laïcus de inuestitura, vt diximus, aut pecuniam sibi vendicat, aut quòd est ampliùs, Episcopi vel Abbatis personam. Hac non tam humana quàm diabolica malignitate, Ecclesia catholica fidem libertatem & castitatem amittit, sine quibus nulla ratione subsistit. Hanc igitur quam supra diximus inuestituram, quicumque sub specie pastoris suscipere præsumit, fit paraliticus & hæretica lepra pollutus. Illum non pastorem fiducialiter dico, nec vllius pastoris qui animam suam posuit pro ouibus suis, quodlibet membrum, sed fur & raptor & lupus est. Nam ad hoc venit vt furetur & rapiat & mactet. Hanc autem detestabilem impietatem, non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt ei, damnati sunt. Ille verò consentit qui eam tacet, qui eam non corrigit, & qui ei palam non contradicit, & nemo est qui contradicere palam non debeat & possit. Nam si prælati non habet auctoritatem, habet tamen Christiani vocem. Et paulo post addit. *Laïcus autem cum inuestituram Ecclesiarum tribuit per virgam & annulum, quæ sunt Ecclesiæ sacramenta sicut sal & aqua, oleum & crisma, & quædam alia sine quibus hominum & Ecclesiarum consecrationes fieri non possunt, sibi ius Christi vsurpat & potestatem, & quodammodo se Dei filio prædicat altiorem. Nam dum illa Ecclesiæ sacramenta ibi dantur vbi dari debent, & quibus & quando & quomodo debent, per consecrationis ministrum à Dei filio dantur, à quo vniuersa fiunt sacramenta, & à quo tribuuntur.* Et post pauca dicit. *Laïcus autem quando contra Dei filium sic præsumit, si non ampliùs, nòn minùs tamen quàm Symon Magus intumuit, & ipse intumescit: quia in collatione sacramentorum se Dei filio anteponit. Et quia Domino Dei filio non solùm sui patris æqualitatem demere nititur, sed se ipsum Dei filio superiorem sua impia actione significare videtur, recto nomine & ipse hæreticus, & eius inuestitura hæresis appellatur. Non sit Imperatoribus & Regibus molestum quod dicimus, nec consuetudine sibi vendicare nitantur quod eis veritate negatur. Cum laïcis etiam religiosis disponendarum Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum rerum omnis facultas ab Apostolis prohibeatur, manifestum est quòd eis inuestitura negatur ab ipsa veritate, à Christo videlicet qui in Apostolis loquebatur. Cum ergo Christus veritas sit, sicut ipse dixit, ego sum veritas, nec vnquam; ego sum consuetudo dixerit: qui Christianus est Christum, & qui Rex est Regem Regum, ipsam scilicet veritatem sequatur, non consuetudinem.* & aliquantò post, sequitur. *Inuestituram per virgam & annulum accipere nisi à suo consecratore, manifestum est esse damnosum: quia nulli laïco licet illa Ecclesiæ sacramenta dare, sicut ei non licet Episcopum consecrare. Res etiam quæ semel Ecclesiæ datæ sunt, Reges eas iterum dare, vel de ipsis inuestire non debent, nec conuenienter possunt. Nam alicui illud dare quod habet, & de hoc inuestire aliquem quod ille iam tenet, superfluum est & vanum, non tamen videtur criminosum.*

Quibusdam litteris mihi scripsit se coactum) infrà epist. 236. dicit Paschalem idem scripsisse aliis Episcopis. Quò spectāt verba Anselmi Cantuar. Archiepiscopi in epist. ad Paschalem. *Misi sanctitati vestræ in hoc anno post Pentecosten litteras per Bernardum seruientem domini Petri Camerarij vestri, quòd Rex Angliæ conqueritur quòd sustinetis Regem Teutonicum dare inuestituras Ecclesiarum sine excommunicatione, & ideò minatur se sine dubio resumpturum suas inuestituras, quoniam ille suas tenet in pace. Videat igitur prudentia vestra sine dilatione quid indè agere debeatis, ne quod tam benè ædificastis, irrecuperabiliter destruatur. Rex enim noster diligenter inquirit quid de illo Rege faciatis.* Anselmo respondit Papa his verbis. *Porrò quia in eis litteris significasti, scandalizari quosdam, quòd Regem Teutonicum dare inuestituras Ecclesiarum toleramus: nec tolerasse aliquando, nec toleraturos scias. Expectauimus quidem vt ferocia gentis illius edomaretur. Rex verò si in paternæ nequitiæ tramite perseuerauerit, beati Petri gladium, quem iam educere cœpimus, proculdubio experietur.* Hæc autem ex manuscripto exemplari desumpta sunt, quia hactenus inedita.

Ad Epist. CCXXXV.

Radulfo Dei gratia Turonum Archiepiscopo) Gregorius septimus meminit Rodulphi Turonensis Archiepiscopi lib. 2. epist. 19. & 20. item lib. 4. epist. v. Goffridus quoque Vindocinensis Abbas, Radulfi Turonensis Archiep. qui suo sæculo vixerit, mentionem facit in epistolis, cuius etiam locus prolatus est suprà ad epist 67. Duo autem huiusce nominis extitisse Iuonis ætate, quorum vnus alterius proximus successor fuerit, testatur disertis verbis priscus auctor monachus maioris monasterij, cuius narratio habetur in obseruationibus ad epist. 108. In cuius etiam membranis aliquoties scribitur, Radulfus & Rodulfus, vt pro eodem sumi debeat. Sic enim qui Rodulphus Viridis Remorum Archiepiscopus à nonnullis dictus est, ab aliis Radulphus appellatur, vt notatum est suprà ad epist. 190.

Ad Epist. CCXXXVI.

Titulus huius epistolæ alius & simplicior fuit in priore editione: *Ioanni primæ Lugdunensis sedis Archiepiscopo, Iuo Ecclesiæ Carnotensis minister salutem.* Talem enim reppereram in priscis membranis quibus tunc temporis vsus fueram. Iam verò restituitur ea forma qua conceptus in codice S. Vict. & altero Regio, in quibus Episcoporum nomina sic disertè expressa. Est autem probabile compositam ad Iuone quod stilus satis arguit. Sic iam suprà epist. 79. suo & quatuor aliorum Episcoporum nomine scripsit epistolam ad Philippũ Trecassinum; quemadmodùm etiam apologiam pro coronatione Regis Ludo-

nici, ſuo & cæterorum Epiſcoporum nomine, epiſt. 189.

Apud Anſam celebrandum) ſolus cod. S. Ger. *Auſam*. ſed malè. nam & Ioannes Archiepiſcopus Lugdunenſis infrà epiſt. 237. Anſam appellat.

Si ea quæ ad cathedram pertinent, recta præcipiant, ea verò minimè faciant) prior editio habet, *ea verò quæ contra cathedram faciunt, minimè faciant.* In v.c. Ser. aliter. *Ea verò quæ ad ius cathedræ pertinent minimè faciant*; vbi verborum ſuperflua repetitio.

Saluo vinculo pacis corrigere volumus) anteà cuſum, *ſaluo vinculo corrigere vol.* quod imperfectam habebat ſententiam. itaque Bar. qui tomo 12. Annal. hanc epiſt. tranſcripſit, addit, *vinculo caritatis.* Paulo antè Iuo vinculum pacis appellat duobus locis.

De remiſſis Germanico Regi inueſtituris feciſſe videtur) In vno exemplari tantùm legebatur, *de remiſſis Regi inueſtituris.* Sed in aliis codicibus vox *Germanico* extat, ſine qua ſenſus ſuboſcurior. Hac eadem epiſtola paulo ante Teutonicum appellat. *Quod ſi* (ait) *Papa adhuc in Teutonicum Regem debitam ſeueritatem non exercet.* De eodem intelligit, cum epiſt. 233. dicit Papam quibuſdam nefandis ſcripta nefanda permiſiſſe; quo loco pariter agit de inueſtituris à laïcis factis. Hæc autem eſt cõtrouerſia quæ illo ſæculo luctuoſiſſimas & atrociſſimas tragedias excitauit in orbe Chriſtiano, cuius originem & ſeriem ſi quis forte deſiderat, non inutile fuerit è puris fontibus haurire, prolatis & compoſitis inuicem hiſtoricorum coætaneorum teſtimoniis, vt apertiùs intelligantur quæ ab Iuone ſcribuntur tota hac inſigni epiſtola. Willelmus Malmeſburienſis de geſt. Reg. Angl. lib. 3. in Willielmo primo. *Imperator Alemannorum* Henricus filius Henrici* (*de quo ſuprà memorauimus*) *iratus contra Papam quòd excommunicationem in eum propter inueſtituras Eccleſiarum promulgauerat, cum exercitu veniens Romam obſedit, Hildebrandum expulit, * Guibertum Rauennatem introduxit.* Et paulo poſt exprimit quis fuerit primus author ac incentor huius contentionis. *Alexandro ergo defuncto* (inquit) *ſucceſſit Hildebrandus, Gregorius ſeptimus dictus. hic quod alij inuſitauerant* (ſic habent editiones, quod quidam mutat in *muſſitauerant*) *palàm extulit, excommunicans electos qui inueſtituras Eccleſiarum de manu laïci par annulum & baculum acciperent. Vnde Henricus Imperator Alemannorum fremens quòd ſine ſua conſcientia talia præſumeret, illum, vt prædixi, poſt vndecim annos Roma deturbauit Guiberto inducto. nec multo poſt lætali morbo Papa ictus.* Sigebertus in chro. ad ann. Dom. M. C. XI. *Henricus Rex Romam vadit propter ſedandam diſcordiam quæ erat inter regnum & ſacerdotium, quæ cœpta à Papa Gregorio ſeptimo, qui & Hildebrandus nominatus eſt, & exagitata à ſucceſſoribus eius, Victore & Vrbano, & præ cæteris à Paſchali, magno ſcandalo erat toti mundo.* Willielmus Tyrius de bello ſacro lib. 1. cap. 13. agens de eodem Gregorio: *Inoleuerat conſuetudo, præſertim in imperio, quòd defungentibus Eccleſiarum prælatis, annullus & virga paſtoralis ad dominum Imperatorem dirigebatur. Vnde poſtmodum vnumquemlibet de familiaribus & capellanis ſuis* inueſtiens, ad Eccleſiam vacantem dirigebat, vt ibi paſtoris fungeretur officio, non expectata cleri electione. Quod dominus Papa contra omnem fieri honeſtatem conſiderans, & iura in eo facto conculcari Eccleſiaſtica perpendens, ſemel, ſecundò ac tertiò eundem Imperatorem commonitum cum reuocare non poſſet, vinculo anathematis innodauit. Quod factum nimis indignè ferens imperator, cœpit Eccleſiam Romanam perſequi, & domino Papæ Guibertum Rauennatem Archiepiſcopum virum litteratum & locupletem nimis, ſuſcitauit aduerſarium, &c.* Gregorio ſeptimo ſucceſſit Victor paucorum dierum, qui & ipſe prohibuit inueſtituras Eccleſiarum fieri à laïcis, vt refert vetus ſcriptor chronici Caſinenſis. Poſt Victoris obitum ſucceſſor Vrbanus ſecundus, habito Romæ Concilio circa annum Domini 1098. eaſdem pariter vetuit, vt notatum ſuprà ad epiſt. 233. at defuncto Vrbano, contentio longè atrocior exarſit. Matthæus Paris de geſtis reg. Anglor. in Henrico primo. *Anno Domini M. C XII. facta eſt contentio Romæ inter Papam Paſchalem & Henricum Imperatorem hac de cauſa Imperator vti voluit priuilegio anteceſſorum habito annis trecentis ſub Romanis pontificibus ſexaginta, qui licitè dederant Epiſcopatus & Abbatias per annulum & baculum paſtoralem. E contra cenſebant Romani pontifices, nec poſſe nec debere, &c.* Quæ verba etiam extant in Sigeberti chronico ad annum Dom. M. C XI. Willielmus Malmeſb. lib. 5. de geſt. Reg. Anglor. *Cum Vrbano Papæ Paſchalis ſucceſſiſſet, rurſus quæſtio de inueſtituris Eccleſiarum, rurſus bella, rurſus lites agitari, neutris partibus loco cedentibus. Imperator omnes Epiſcopos & Abbates regni ſui quod citra montes eſt, fautores habebat; quia Carolus Magnus pro contundenda gentium illarum ferocia, omnes penè terras Eccleſiis contulerat: conſilioſiſſimè perpendens, nolle ſacri ordinis homines tam facilè quàm laïcos fidelitatem domini rejicere. Præterea ſi laici rebellarent, illos poſſe excommunicationis autoritate & potentiæ ſeueritate compeſcere. Papa vltra montaneas Eccleſias ſuæ rationi ſubiecerat, parúmque ſuſcipiebant vrbes Italiæ Henrici dominium, ſeruitio putantes ſe exutas poſt Conradi fratris eius interitum: qui à patre relictus Longobardiæ in Regem apud Aretium obierat diem. At verò Henricus antiquis Cæſaribus in nullo virtute deiectior, poſt pacatum regnum Teutonicum, præſumebat animo Italicum, rebellionem vrbium ſubiugaturus, quæſtionemque de inueſtitura ſuo libitu deciſurus.* Hæc ille.

* huius nominis 4.

* appellat Wigbertum Abbas Vrſp. in chro. vt etiam Dodechinus in appendice ad Mar. Scot.

* qui erant filij principum, vt not. ad epiſt.

N. B.

Sugeriùs autem teſtatur Paſchalem Papam veniſſe ad partes Occidentales, *vt Regem Francorum, & filium regem deſignatum, & Eccleſiam Gallicanam conſuleret ſuper quibuſdam moleſtiis, & nouis inueſtituræ Eccleſiaſticæ querelis, quibus eum & infeſtabat, & magis infeſtare minabatur Henricus Imperator.* Et paulo poſt. *Equidem deliberatum eſt Romæ, propter Romanorum conductitiam perfidiam, de præfatis, immo de omnibus quæſtionibus tutiùs regis & regis filij & Eccleſiæ Gallicanæ in Frãcia, quàm in vrbe, diſceptare naufragio.* Sic enim obiter illa verba caſtiganda fide vett. codd. quia miſerè deprauata ſunt in editione vulgata. vnde etiam oblata occaſione cætera verba quæ ad hanc contentionem faciunt, proferam multis modis emendata, vt interim locus vulgatæ editionis ſuo nitori reſtituatur, donec Sugerij hiſtoria recudatur integrior. De aduentu igitur Papæ in monaſterium B. Dionyſij loquens: *occurrunt* (inquit) *ei ibidem Rex Philippus & dominus Ludouicus filius eius, gratanter, & votiuè amore Dei maieſtatem regiam pedibus eius incuruantes, quemadmodum conſueuerunt ad ſepulchrum piſcatoris Petri reges ſubmiſſo diademate inclinari: quos dominus Papa manu erigens, tanquam deuotiſſimos Apoſtolorum filios ante ſe reſidere fecit: cum quibus de ſtatu Eccleſiæ vt ſapiens ſapienter agens familiariter contulit; eoſque blandè demulcens, beato Petro, ſibique eius vicario ſupplicat opem ferre, Eccleſiam manu tenere, & ſicut anteceſſorum Regum Francorum Caroli Magni & aliorum*

mosinoleuit, tyrannis & ecclesiæ hostibus, & potissimum Henrico Imperatori audacter resistere. Qui amicitia auxilij & consilij dextras dederunt, regnum exposuerunt, & qui cum eo Catalaunum Imperatoris legates occurrere festinent, Archiepiscopos, & Episcopos, & Abbatem S. Dionysij Adam cum quo & nos fuimus, coniunxerunt. vbi cum dominus Papa aliquantisper demoraretur, ex condicto ipsi Imperatoris Henrici legati non humiles, sed rigidi & contumaces, cum apud S. Memmium hospitia suscepissent, relicto inibi Cancellario Alberto, cuius oris & cordis vnanimitate ipse Imperator agebat, cæteri ad Curiam multo agmine, multo fastu, summè phalerati † deuenerunt. hi siquidem erant Archiepisc. Treuerensis, Episc. Aluertatensis, Episc. Monasteriensis, Comites quamplures, & cui gladius vbique præferebatur Dux Welfo, vir corpulentus, & tota superficie longi & lati admirabilis, & clamosus: qui tumultuātes magis ad terrendum quàm ad ratiocinandum missi viderentur. Singulariter & solus Treuerēsis Archiepisc. vir elegans & † iucundus eloquētiæ & sapientia copiosus, Gallicano coturno exercitatus facetè perorauit, domino Papæ & curiæ salutē & seruitium ex parte domini Imperatoris deferens, saluo iure regni. Et persequens de mandatis: tales est, inquit, domini nostri imperatoris pro qua mittimur causa. Temporibus antecessorum vestrorum sanctorum & Apostolicorum virorũ, magni Gregorij & aliorum, hoc ad ius imperij pertinere dinoscitur, vt in omni electione hic ordo seruetur antequam electio in palam proferatur, ad aures domini Imperatoris perferre, &, si personā deceat, assensum ab eo ante factam electionem assumere: deinde in conuentu secundùm canones petitione populi, electione cleri, assensu honoratoris proferre: consecratũ liberè nec symoniacè ad dominũ Imperatorē pro regalibus, vt annulo & virga inuestiatur; redire, fidelitatem & hominiũ facere. Nec mirũ, etenim ciuitates & castella, Marchias, † telonea, & quæque Imperat. dignit. nullo modo aliter debere occupare. Si hæc dominus Papa sustineat, prosperè & bona pace regnum & ecclesiam ad honorem Dei inhærere.

† al. falerati.

† al. iocundus.

† al. thelonea.

Super his ergo dominus Papa consultè oratoris Episcopi Placentini voce respondit: ecclesiam pretioso Iesu Christi sanguine redemptam & liberam constitutam, nullomodo iteratò ancillari oportere: si ecclesia eo inconsulto prælatum eligere nō possit, cassata Christi morte ei seruiliter subiacere; si virga & annulo inuestiatur, cũ ad altaria eiusmodi pertineant, contra Deum ipsum vsurpare: si sacratas Dominico corpori & sanguini manus laici manibus gladio sanguinolentis obligādo supponant, ordini suo & sacræ vnctioni derogare. Cumq; hæc & his similia ceruicosi audissent Legati, teutonico impetu frendentes tumultuabāt, & si tutò auderēt, conuicia eructuarent, iniurias inferrent. Non hic, inquiũt sed Romę gladiis terminabitur querela. Verùm Papa quàm plures viros approbatos & peritos ad Cancellarium misit, qui eum super his composiùè & placidè conuenirent, & audirent, & ad pacem regni eum operam dare, obnixè exorarent. Quibus recedentibus dominus Papa Trecas venit, diu submonitum vniuersale concilium honorificè celebrauit, & cum amore Francorũ quia multũ seruierant, & timore, & odio Teutonicorum ad S. Petri sedem prosperè remeauit. Imperator verò secundo fere recessionis eius anno, collecto mirabili triginta millia militum hoste nullas nisi sanguine fuso gaudet habere vias, Romā tendit, mire callens pacem simulat, querelam inuestiturarum deponit, multa & hæc & alia bona pollicetur, & vt vrbem ingrediatur, quia aliter non poterat, blanditur: nec fallere summum pontificem & totam ecclesiam, immò ipsum Regem Regum veretur. Vnde quia audiebant tantam, & tam perniciosam ecclesiæ Dei sopitā quæstionem, æquo aut plus æquo Romani Quirites tripudiāt, clerus supreme exultat, & quomodo eum honorificentiùs, & elegantissime recipiant exhilarati decertant. Cumque dominus Papa Episcoporum & Cardinalium togata cum opertis albis operturis equis constipatus turma, subsequente populo Romano occurrere acceleraret: præmissis qui tactis sacrosanctis euangeliis ab eodem Imperatore iuramentum pacis, inuestiturarũ depositionem susciperent, in eo qui dicitur mons gaudij † loco, vbi primũ aduentantibus limina, Apostolorũ beatorũ visa occurrunt, idipsum iteratur. In porticu verò mirabili & vniuersali Romanorum spectaculo, manu propria Imperatoris & optimatum triplicatur iuramentũ. Exinde infinite nobiliùs quàm si Affricana victoria potito arcus triumphalis arrideret, cum hymnis & laudũ multiplici triumpho, domini Papæ manu sacratissima diademate coronatur more augustorũ, ad sacratissimum Apostolorum altare præcinentium clericorum odis, & Alemannorũ cantantium terribili clamore cælos penetrante cæleberrima & solemni deuotione deducitur. Cum ergo dominus Papa missas gratiarũ agens corpus & sanguinē Iesu Christi confecisset: partitam † Eucaristiam in amoris impartibilis confœderatione & pacti conseruatione obsidem mirabilem ecclesia deuouens suscipiendo Imperator cōmunicauit. Nec dum dominus Papa post missam episcopalia deposuerat indumenta, cum inopinata nequitia, ficta litis occasione furor Teutonicus frendens debachatur, exertis gladijs velut pleni insania discurrentes, Romanos tali in loco iure inermes aggrediuntur, clamant iureiurando vt clerus Romanus, omnes tam Episc. quàm Cardinales capiātur, aut trucidentur, & quod vltra nulla potest attingere insania, in dominum Papam manus impias injicere non verentur. Luctu inexplicabili & dolore præcordiali tam nobilitas Romana quàm ipse populus luget, † faucionē licèt serò animaduertũt. alij ad arma currunt, alij sicut stupidi fugiunt, nec inopinato hostium bello nisi cum trabes de porticu deponentes, eorum ruinam suā fecerunt defensionē, euadere potuerunt. Præfatus autem Imperator pessimæ conscientiæ & facinerosi facti perterritus cruciatu vrbem quantociùs exiuit, prædam à Christiano Christianis inauditam dominũ videlicet Papam & cunctos quos potuit Cardinales & Episc. aducēs, ciuitate Castellana loco natura & arte munitissimo se recepit: Cardinales ipsos turpiter exuens inhonestè tractauit, & quod dictu nefas est, ipsum etiam dominũ Papam tam pluuiali quàm mitra cum quæcunque deferret insignia Apostolatus, non veritus in Christũ Domini mittere manũ, superbè spoliauit, multasq; inferens iniurias, nec eum, nec suos multo dedecore affligens dimisit, donec ad præfati pacti solutionem, & exinde facti priuilegij redditionem coēgit. Aliud etiam de manu domini Papæ vt deinceps inuestiret subrepticium priuilegiũ extorsit: quod idem dominus Papa in magno Concilio trecentorũ & eo ampliùs Episc. iudicio Ecclesiæ nobis audientibus conquassauit, † & perenni anathemate in irritum reduxit. Verùm si quærit quis quare Dominus ita tepidè fecerit; nouerit quia Ecclesia percusso pastore & collateralibus languebat, & penè eam tyrannus ancillans, quia non erat qui resisteret, tanquam propriam occupabat. Cui certum facto dedit experimentũ, quod cum fratres Ecclesiæ columnas ad tuitionem & Ecclesiæ reparationem quomodocumque soluisset, pacemque Ecclesiæ qualemcumque reformasset, ad heremũ solitudinis confugit: moramq; ibidem perpetuam fecisset, si vniuersalis Ecclesiæ & Romanorum violentia coactũ non reduxisset. Verùm Dominus Iesus Christus redemptor & defensor Ecclesiæ suæ nec eam diutiùs conculcari, nec Imperatorē impunè ferre sustinuit. Qui etenim nec tenti, nec fide obligati fuerant, causam ecclesiæ fluctuantis suscipientes, Domini designati Ludouici suffragio & consilio in Gallicana celebri Concilio collecta ecclesia Imperatorem tyrannum anathemate innodantes, mucrone beati Petri perfoderunt, &c. Hæc Sugerius.

† vide Petr. diaco. lib. 4. chro. Casinensis. cap. 39.

† al. Euchari.

† Sic habet vnus v. c. alter fauctionē. In editione Sugerij, sanctionem. omnes mendosè, fortasse leg. factionem. vel fictionem, quia paulo ante dixit. ficta litis occasione.

† meliùs concassauit.

Sed quæ trium septimanarum violenta Paschalis captione conuentio extorta fuerat, postea eneruata fuit Concilio celebrato anno MCXII. Pontificatus Papę XII. vt scribit Willelmus Malmesb. de gest. Pontif. Angl. lib. v. Damnatum enim fuis

inuestituræ priuilegium, quòd à prauitate prauilegium potiùs vocarunt. Sic enim ea vox cudi debet apud dictũ Wilielmum, quam lectionem confirmat locus Ottonis Frinsing chron. lib. 7. c. 14 hocque concilio Romæ habito renouata sunt & confirmata decreta Gregorij VII. & Vrbani II. aduersus inuestituras laicorum. Vnde commotus Imperator Henricus, an. XVII. Pontificatus Paschalis, iterum Romam contendit, acriùs in illum vlturus. At cum interea Paschalis obiisset, & Gelasio illius successore mox expulso ac mortuo, Guido electus Papa (qui Calixtus dictus est) statim ipse concilium Remis celebrauit, quo rursus prohibitæ inuestituræ laicorum, simulque (nisi resipisceret) Imperator anathemate inuolutus.

Tandem euenit vt imperio multis modis attrito, Imperator videns à se regnum paulatim deficere, exemplum patris sui mente reuoluens, metu anathematis vrgeretur, vt ait Gotfridus Viterb. chro. parte 17. & Otto Frinsing. chro. lib. 7. c. 16. Quare mollita animositate receptus in cõmunionem sedis Romanæ, ecclesiasticas inuestituras per annulum & baculũ remisit Calixto. Cui vicissim Calixtus concessit, vt electionibus Episcoporum & Abbatũ Teutonici regni assensum præberet, & ab illo electus regalia per sceptrum reciperet, quemadmodum scribunt idem Wilelmus Malmesb. lib. 5. & Abbas Vrspergensis ad annum Dom. M.CXXV. Quæ verba faciunt ad interpretationem loci Otthonis Frinsing. de gest. Friderici Imp. I. lib. 2. c. 6. Qui etiã chronici lib. 7. c. 16. refert cauillum Romanorum, qui dicebant priuilegium datum Imperatori, vt electi non priùs ordinarentur quàm regalia de manu eius per sceptrum susciperent, soli Henrico datum pro bono pacis, non tamen successoribus. Sic igitur tandem sedatus est veternus morbus qui Ecclesiæ statum conturbauerat plusquàm quinquaginta annis.

Sunt autem alij veteres scriptores qui meminerunt huiusce contentionis inter Paschalem & Henricum, vt Abbas Dodechinus in appendice ad chron Mariani Scotti, & Martinus Polonus in vita Paschalis. Eius quoque rei testimonia reperta in vetustis membranis pridem euulgaui, quorũ auctoritate alij vsi sunt: quæ quia pertinent ad interpretationẽ & illustrationẽ huiusce Iuonianæ epist. 236. iterum subjicere placuit.

† hic Episcopus, fidelium animos ad opem ecclesiæ ferendã nunquam excitare literis destitit, vt ait Petr. Diacon. in chron. Casin. lib. 4. cap. 41.

† al. Sutriam vel Sutrium.

† EPISTOLA IOANNIS TVSCVLANI Episcopi de captione Paschalis Papæ, Richardo Albano Episcopo missa.

IOannes Dei gratia Tusculanus Episcopus agens vices domni Paschalis Papæ vincti Iesu Christi, venerabili fratri Richardo Albano Episcopo in Domino salutem. Quoniam, sicut ait Apostulus, vnum corpus sumus in Christo, & si patitur vnum membrum, cætera membra compatiuntur, quæ de capite nostro & de tota ferè Ecclesia gesta sunt, fraternitati tuæ significamus. Cum igitur Henricus Theutonicorum Rex Suturum † peruenisset, legatos quosdam Romam direxit, qui iureiurando firmauerunt domni Papæ Paschalis legatos securè ducere ac reducere, & Regem ipsum sacramento firmare omnem ecclesiarum inuestituram penitus abdicare, obsides etiam dare, ne ad hoc flagitium iterum rediret, & res ecclesiasticas & regalia ac beati Petri patrimonia libera & quieta omnino dimittere, obsides etiam dare pro securitate cum ad coronandum eum ad beati Petri basilicam exiret. Postea ex parte ecclesiæ à laicis viris firmatum est, si ista quæ promissa sunt iã dictus Rex obseruaret, quod domnus noster eum benignè susciperet, & ei diadema regni imponeret, & coronatus si vellet vrbem intraret. Pro transitu etiam pontis obsides accepit, pro quibus sacramẽtum exhibuit, quod in ipso die dominico si pontem transiret, eos in liberum nostrorum restitueret potestatem. De his igitur omnibus sacramentis ex vtraq; parte peractis & obsidibus datis, cùm ad coronandum eum ad ecclesiam beati Petri Papa exiret, post positis sacramentis & dimissis obsidibus eum in ipsa ecclesia cum Episcopis & Cardinalibus & multis Romanis violenter cœpit, & in captione arctissima detinet. Romani verò post alterum diem collecti in hostes ecclesiæ impetum facientes de porticu fugere compulerũt, interfectis multis de suis, & perditis equis, tentoriis, pecuniis, & infinita supellectili. Post hæc omnes vnanimes contra eum iurauerunt vno animo, vna voluntate pugnare. Tu igitur prudenter vigila, & quanto ampliùs necessariũ conspicis, tanto magis elabora, & matrem ecclesiarum omnium adiuuare ne desinas. Orationes pro liberatione domni nostri, immò pro ipsa ecclesia vbicunque potueris fieri facias. Vale. Hoc autem factum est anno Domini M. CXI. *indictione quarta pridie idus Febr. in basilica S. Petri Apostolorum principis, die dominica ante caput ieiunij.*

HOC MODO RECONCILIATIO inter Paschalem Papam & Henricum Imperatorem facta est. Iuramentum Imperatoris.

EGo Henricus liberos dimittã quarta vel quinta feria proxima domnũ Papam Paschalem, & Episcopos & Cardinales, & omnes captiuos, & obsides qui pro eo & cum eo capti sunt, & liberos perduci faciam inter portam Transtiberinæ ciuitatis, nec vlteriùs capiam, aut capi faciam eos qui in fidelitate domni Papæ Paschalis permanent: & populo Romano & Transtiberinæ insulæ ciuitati pacẽ & securitatem seruabo tam per me quàm per meos; & in personis & in rebus qui pacem mihi seruauerint. Patrimonia & possessiones S. Rom. Eccl. quæ abstuli restituam, & cuncta quæ habere debet, more antecessorum meorũ recuperare & tenere adiuuabo bona fide, & domno Papæ Paschali obediam, saluo tamen honore regni & imperij, sicut catholici Imperatores catholicis Pontificibus Romanis. Hæc omnia obseruabo bona fide, sine fraude & malo ingenio. Isti sunt iuratores ex parte Imp. Henrici, Fredericus Coloniensis Archiepisc. Gebehardus Tridẽsis Episc. Bruno Spirensis Episc. Bruchardus Monasteriẽsis Episc. Albertus Cancellarius, Comes Hermãnus, Comes Berẽgarius, Fredericus Comes Palatinus. Item Fredericus Comes, Bonifacius Marchio, Albertus Comes de Blandriaco, Godefridus Comes, Warnerius Marchio.

CONCESSIO PAPÆ DE INVESTITURIS Episcopatuum.

DOmnus Papa Paschalis cõcedit domno Imperatori Henrico & regno eius, priuilegio suo sub anathemate & confirmabit & corroborabit, Episcopo vel Abbate liberè electo sine symonia assensu Imperatoris, quòd dominus Imperator eum annulo & virga inuestiat. Episcopus autem vel Abbas ab Imperatore inuestitus liberè accipiat consecrationem ab Episcopo ad quem pertinuerit. Si quis verò à clero & à populo eligatur, nisi ab Imperatore inuestiatur, & à nemine consecretur, & Archiepiscopi & Episcopi libertatem habeant consecrandi ab Imperatore inuestitos. Super his etiam domnus Papa Paschalis non inquietabit Regem Henricum, nec eius regnum & imperium.

SACRAMENTVM EX PARTE PAPÆ.

Domnus Papa Paschalis non inquietabit dominum Imperatorem Henricum, nec eius regnum de inuestitura Episcopatuum & Abbatiarum, neque de iniuria sibi illata & suis in personis & bonis, neque aliquod malum reddet sibi vel alicui personæ pro hac causa, & penitus in personam Imperatoris Henrici nunquam anathema ponet, nec remanebit in domno Papa quin coronet eum sicut in ordine continetur, & regnum & imperium officij sui auxilio adiuuabit pro posse suo. Et hæc adimplebit domnus Papa sine fraude & malo ingenio. Hæc sunt nomina illorum Episcoporum, & Cardinalium qui præcepto domni Papæ Paschalis priuilegium & amicitiam sacramento confirmauerunt domno Imperatori Henrico. Petrus Portuensis Episcopus. Centinus Sabiniensis Episcopus. Robertus Cardinalis sancti Eusebij. Bonifacius Cardinalis sancti Martini. Anastasius Cardinalis sancti Clementis. Gregorius Cardinalis Apostolorum Petri & Pauli. Gregorius Cardinalis sancti Chrysogoni. Ioannes Cardinalis sanctæ Potentianæ. Risus Cardinalis sancti Laurentij. Ramerus Cardinalis sanctorum Marcellini & Petri. Vitalis Cardinalis sanctæ Balbinæ. Dinzo Cardinalis sancti Martini. Theobaldus Cardinalis Ioannis & Pauli. Ioannes Diaconus sanctæ Mariæ in schola Græca. Leo Diaconus sancti Vitalis Martyris. Abbo Diaconus sanctorum Sergij & Bachi.

PRIVILEGIVM PASCHALIS PAPÆ quod fecit Imperatori Henrico de inuestituris Episcopatuum & Abbatiarum.

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei carissimo filio Henrico Teutonicorum Regi, & per Dei omnipotentis gratiam Romanorum Imperatori & Augusto salutem & apostolicam benedictionem. Regnum vestrum sanctæ Ecclesiæ singulariter adhærere dispositio diuina constituit, & prædecessores vestri probitatis & prouidentiæ amplioris gratia Romanæ vrbis coronam & imperium cōsecuti sunt. Ad cuius videlicet coronæ & imperij dignitatem, tuam quoque personam, fili carissime Henrice, per nostri sacerdotij ministerium maiestas diuina prouexit. Illam igitur dignitatis prærogatiuam, quam prædecessores nostri vestris prædecessoribus catholicis Imperatoribus concesserunt, nos quoque dilectioni tuæ concedimus, & præsentis priuilegij pagina confirmamus, vt regni tui Episcopis & Abbatibus liberè præter violentiam & symoniam electis inuestituram virgæ & annuli conferas. Post inuestitutionem * *verò canonicè consecrationem accipiant ab Episcopo ad quem pertinuerit. Si quis autem à clero & à populo præter tuum assensum electus fuerit, nisi à te inuestiatur, à nemine consecretur. Sanè Episcopi & Archiepiscopi libertatem habeant à te* * *inuestitutos Episcopos & Abbates canonicè consecrandi. Prædecessores enim vestri Ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliarunt, vt regnum ipsum Episcoporum maximè & Abbatum præsidiis oporteat communiri, & populares dissensiones quæ in electionibus contingunt, regali oporteat maiestate cōpesci. Quamobrem prudentiæ & potestati tuæ cura debet sollicitiùs imminere, vt & Romanæ Ecclesiæ magnitudo & cæterarum salus tuis præstante Domino beneficiis & seruitiis conseruetur. Si qua verò ecclesiastica vel secularis potentia aut persona hanc nostræ concessionis paginam sciens contra eam temerario ausu venire tentauerit, anathematis vinculo innodetur, honorisque ac dignitatis suæ periculum patiatur. Obseruantes igitur misericordia diuina custodiat, & personam ac maiestatem tuam ad honorem & gloriam suam fœliciter imperare concedat.* Hæc sunt verba quæ dixit domnus apostolicus domno Imperatori Henrico in communione corporis & sanguinis Christi, die coronationis suæ. *Domne Imperator Henrice corpus Domini natum ex Maria virgine, passum in cruce pro nobis sicut sancta catholica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmatione veræ pacis & concordiæ inter me & te. Amen.* Anno verbi Incarnati M. C XI. hoc confirmatum est in basilica sancti Petri XVI. Cal. Martij, regnāte in cœlis Domino nostro Iesu Christo cū Patre æterno & Spiritu sancto. Amen.

* al. inuestionem.

* al. inuestitos.

EPISTOLA PASCHALIS PAPÆ, damnans priuilegium quod Henricus per vim ab eo extorserat, Guidoni Archiepiscopo Viennensi missa.

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Viennensi Archiepiscopo Guidoni & apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem. Si constantiam tuam sanæ illa barbaries minis, blandimentis, aut aliis modis tentat inflecti, prudentia tua immobilis perseueret. Si enim in viridi ligno sic factum est, quid fiet in aliis? Si in capite sic perpetratum est, quid fiet in membris? Igitur frater carissime in tuo bono incœpto constanter & viriliter Deo præstante permaneas. Minæ vel blandimenta, vel alij suasionis aut dissuasionis modi prouidentiam tuam non moueant, sed ita Domino auxiliante perdura, vt aliis tua constantia salutaris perseuerantiæ sit exemplum. Quæ cognoscere postulasti, hæc sunt. Scripta quæ in tentoriis, in quibus cum multitudine clericorum & ciuium vrbis & totius prouinciæ custodiebamur, pro libertate Ecclesiæ & pro absolutione captiuorum omnium, & pro excidio quod Ecclesiæ, vrbi, & vniuersæ prouinciæ superincumbente vndique gladio imminere videbatur, de electione seu de inuestituris personarum facta sunt, videlicet vt electione libera facta sine vi & symonia, consensu Regis, facultatem habeat Rex inuestiendi per virgam & annulum, & electus à clero & populo non consecretur, nisi à Rege inuestiatur: ego canonica censura cassa omnino & irrita iudico, & sub damnatione perpetua permanere decerno, vt nullius vnquam auctoritatis sint, & nullius bonæ memoriæ. Ea verò quæ sacri apostolorum canones, & Antiochenum ac vniuersa concilia, & prædecessores nostri, & præcipuè fœlicis memoriæ domnus Gregorius, & Vrbanus de his prohibuerunt, damnauerunt, statuerunt, & firmauerunt, ego prohibeo, damno, constituo, & confirmo, & me illorum sanctiones profiteor seruaturum.

EXCOMMVNICATIO CONCILII Viennæ celebrati à Guidone Archiepiscopo de Henrico Imperatore facta.

Inuestituram Episcopatuum & Abbatiarum & omnium Ecclesiasticarum de manu laica, sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem sequentes, hæresim esse indicamus. Scriptum illud seu priuilegium quod à domno Paschali Papa violenter Henricus Rex de inuestituris, de anathemate in persona sua non sponte extorsit, in virtute S. Spiritus damnamus, atque irritum esse, & nullius beatæ memoriæ indicamus fieri. Henricum Theutonicum

Regem, qui simulata pace Romam veniens, post data sacramenta domno Papæ Paschali, vitæ, membrorum, malæ captionis, refutationis inuestiturarum, eundem domnum Papam in sede apostolica ante corpus beati Petri, post osculationem pedis, oris & faciei, proditione, periurio & sacrilegio, velut alter Iudas, cum Cardinalibus, Episcopis, Archiepiscopis, & multis Romanorum nobilibus tradidit, & cepit, & raptum in castra insignibus apostolicis exuit, & indignè atque inhonestè irrisum tractauit, & ab eo supradictum nefandissimum & detestabile scriptum violenter extorsit, excommunicamus, anathematizamus, & à gremio sanctæ matris Ecclesiæ sequestramus, donec his omnibus abrenuntiatis plenam satisfactionem eidem Ecclesiæ exhibeat.

RESCRIPTVM GVIDONIS Archiepiscopi ad domnum Papam Paschalem de confirmando Concilio quod Viennæ celebratum est.

Domno sancto & dulcissimo patri Paschali, Guido Viennensis Archiepiscopus, & apostolicæ sedis legatus & cæteri omnes Episcopi & Abbates qui Viennensi affuimus Concilio debitam subiectionem & obedientiam. Sanctæ pietatis vestræ mandata sequentes apud Viennam conuenimus, ibique cooperante gratia Spiritus sancti, de inuestituris, de captione vestra & vestrorum, de periuriis Regis, de pessimo illo pacto, & priuilegio quod à vestra maiestate violenter extorsit, tractare diligenter curauimus. Affuerunt Legati Regis, litteras bullatas quasi de parte vestra ad eum missas audacter prætendentes, in quibus erga eum vester bonus affectus pacis & concordiæ & perfectæ amicitiæ significabantur. Quas nimirum post Concilium quod in præterita vltima quadragesima Romæ celebrastis, se recepisse & sibi missas idem Rex testabatur. Cùmque super his multa nobis incuteretur admiratio, memores tamen litterarum illarum quas humilitati nostræ, illarum etiam quas domno G. *Ingolismensi Episcopo, & vestræ sedis legato, de bona iustitiæ perseuerantia miseratis: totius sanctæ Ecclesiæ & nostræ fidei ruinam certissimam euitare cupientes, ad Dei honorem & vestrum animati, canonicam viam aggressi sumus. Igitur dictante sancto Spiritu inuestituram omnem rei Ecclesiasticæ de manu laica hæresim esse iudicauimus. Scriptum illud quod Rex à vestra simplicitate extorsit, damnauimus. In ipsum etiam Regem nominatum, & solemniter & vnanimiter sententiam anathematis iniecimus. Et nunc, domne pater, vestram sicut dignum est maiestatem suppliciter exoramus, vt quod pro sanctæ catholicæ fidei robore, pro Dei & vestro honore fecimus, auctoritate apostolica solemniter confirmetis. Cuius confirmationis argumentum per apertas nobis litteras significare dignemini, quas etiam, vt gaudium nostrum sit plenum, alter alteri destinare possimus. Et quoniam principum terræ pars maxima, & vniuersi ferè populi multitudo in hac re nobis consentit: in remissionem peccatorum suorum omnibus iniungatis, vt si necesse fuerit auxilium nobis & patriæ vnanimiter ferant. Illud autem cum debita reuerentia vestræ suggerimus pietati, quòd si nobiscum in his steteritis, si hoc sicut rogamus confirmaueritis, si deinceps ab ipsius crudelissimi tyranni & nunciorum eius, litteris, locutione, muneribus abstinueritis, vnanimiter nos sicut decet habebitis filios & fideles. Si verò, quod minimè credimus, aliam viam aggredi cœperitis, & nostræ paternitatis assertiones prædictas roborare nolueritis, propitius sit à nobis Deus, quia vos à vestra subiectione & obedientia repelletis. Valete.* Anno ab Incarnatione Domini M. C. indictione quinta, & XVII. Cal. Octobris, Concilium hoc Viennæ celebratum est. Item anno Domini M. CXIV. VIII. id. Decembris, Cono Prænestinus Episcopus, & apostolicæ sedis legatus, prædictum Regem Henricum apud Beluacum anathematizauit in Concilio suo. Et in quadragesima proxima Lætare Ierusalem, V. Calend. Aprilis Remis celebrato Concilio eundem Henricum damnauit. Item Cono ERATI. proximum Paschæ, Regem Henricum damnauit Coloniæ in templo sancti Gereonis. Catalaunis Cono quarto habito Concilio prædictum Regem damnauit IV. Idus Concilij. *Hactenus vetus liber.*

* Girardo Engolismensi.

Filiali caritate excusamus: Non enim præuaricator est legis.) Paulo antè iam dixit, necessitate non voluntate propter vitandam populi stragem istud factum à Papa. ad illustrationem huius loci maximè faciunt verba Abbatis Vrspergensis in chronico ad annum Domini. M.C.XVI. vbi agit de Concilio celebrato Romæ sub Paschali vt retractarentur quæ de inuestituris paulo antea concesserat Henrico Imp. *Tunc Apostolicus causam Concilij & animi sui intentionem his verbis exposuit. Postquam dominus de seruo suo fecit quod voluit, & me populumque Romanum tradidit in manus Regis: videbam quotidie passim fieri rapinas & incendia, cædes & adulteria. Hæc & huiusmodi mala cupiebam auertere ab Ecclesia & populo Dei, & quod feci, pro liberatione populi Dei feci. Feci autem vt homo, quia puluis sum & cinis. Fateor me malè egisse. sed rogo vos omnes orate, pro me ad Deum, vt indulgeat mihi. Illud autem malum scriptum quod in tentoriis factum est, quod pro prauitate sui prauilegium dicitur, condemno sub perpetuo anathemate, vt nullus vnquam sit bonæ memoriæ: & rogo vos omnes vt idem faciatis. Tunc ab vniuersis conclamatum est, fiat, fiat. Bruno autem Signinus Episcopus altiùs exorsus est Gratias agamus omnipotenti Deo qui dominum Papam Paschalem qui præsenti Concilio præsidet, audiuimus proprio ore damnantem illud priuilegium quod prauitatem & hæresim continebat. Ad hæc quidem cauillatoriè subiunxit. Si priuilegium illud hæresim continebat: qui illud fecit, hæreticus fuit. Ioannes autem Caietanus ad hæc commotus, Signino respondit: Tunc hîc & in Concilio nobis audientibus Romanum pontificem appellas hæreticum? Scriptum quod fecit dominus Papa, malum quidem fuit, sed hæresis non fuit. Et alter quidam adiecit. Immò nec malum dici debet, quia si liberare populum Dei; bonum est, quod dominus Papa fecit, bonum fuit. Sed liberare populum Dei bonum est auctoritate euangelij, qua præcipimur animas quoque pro fratribus ponere. Ad hæc patientia domni Papæ horrendo hæresis nomine pulsata, expergefacta est, & manu silentium indicens, dissidentium clamores & murmura tali ratione compescuit. Fratres & domini mei audite: Ecclesia ista nunquam habuit hæresim, immò hîc omnes hæreses conquassatæ sunt, &c.* Vide notata ad epist. 233.

Iam igitur, lector, habes compendium totius historiæ de controuersia inuestiturarum inter Pontifices Romanos & Imperatores, quæ horrendo scismati originem dedit, vnde pendet interpretatio aliquot locorum Iuonis, qui epist. 214. ad Brunonem deflet discidium Ecclesiæ & regni quod suo sæculo contigerat, cuius etiam commeminit epist. 238. ad Paschalem Papam, qua illum admonet, caueat ne suscitet in regno Galliarum schisma quod erat in Germanico aduersus sedem Romanam.

Vbi ergo sine scismate auferri potest, auferatur: vbi

sine scismate auferri non potest,) ita suppletus est defectus ex vett. codd. Sanum autem hoc consilium Iuonis. Eodem spectant verba Goffridi Abbatis Vindocinensis in epistola ad Petrum Leonem Romanæ Ecclesiæ Cardinalem. Nam postquam multa disseruit aduersus inuestituras à laicis factas (quæ relata sunt, infra in notis ad epist 233.) tandem concludit, quasdam esse inuestituras laicis permittendas vt vitentur publica scismata. *Hoc etiam silendum non erit, quòd sicut quædam inuestitura laicorum est contra fidem, ita quædam inuestitura eorum salua fide fieri potest.* Et aliquanto post. *In Ecclesiasticis possessionibus, quamuis nec in legibus, nec in canonibus inueniatur: tamen propter scandalum & scisma vitandum talis Regibus inuestitura concedatur, vt nec ipsi propter hoc pereant, nec sancta Ecclesia detrimentum patiatur.* Et deinde. *Alia vtique est inuestitura quæ Episcopum perficit, alia verò quæ Episcopum pascit. Illa ex diuino iure habetur, ista ex iure humano. Subtrahe ius diuinum, spiritualiter Episcopus non creatur. Subtrahe ius humanum, possessiones amittit quibus ipse corporaliter sustentatur. Non enim possessiones haberet Ecclesia, nisi à Regibus donarentur, & ab ipsis, non quidem diuinis sacramentis, sed possessionibus terrenis inuestiretur. Ex iure diuino Regibus quidem & Imperatoribus dominamur. ipsis tamen ex eodem iure quia Christi domini sunt, honorem debemus & reuerentiam sicut dicit Apostolus: Regem reueremini. Ex iure autem humano tantùm illis debemus, quantum possessiones diligimus, quibus ab ipsis vel a parentibus suis Ecclesia ditata & inuestita dinoscitur.* Et aliquantò post addit. *Possunt itaque sine offensione Reges post electionem canonicam & liberam consecrationem, per inuestituram regalem in Ecclesiasticis possessionibus concessionem, auxilium & defensionem Episcopo dare: quod quolibet signo factum extiterit, Regi vel pontifici seu catholicæ fidei non nocebit. Voluit bonus dominus & magister noster Christus spiritualem gladium & materialem esse in defensione Ecclesiæ. Quod si alter ab altero retunditur hoc fit contra illius voluntatem. hac occasione de regno iustitia tollitur, & pax de Ecclesia, scandala suscitantur & scismata, & fit animarum perditio simul & corporum. Et dum regnum & sacerdotium, vnum ab altero impugnatur, periclitatur vtrumque. Nam Rex & Romanus Pontifex cum vnus contra alium, alter pro regni consuetudine alter pro Ecclesiæ libertate erigitur, regnum illam consuetudinem obtinere non potest nec poterit; & Ecclesia suæ libertatis amittit plurimum. Rex præterea sacrosancta communione pariter & regia dignitate priuatur. A Romano verò pontifice multis qui sibi deseruire debuerant, necessitate cogente seruitur. Et qui à pontifice ducendus erat, & ducendus à Rege, Rex & pontifex populum sequitur. Habeat autem Ecclesia pacem, & regnum iustitiam. Habeat Rex consuetudinem sed bonam, & non quàm malè reposcit, sed quam diximus suprà inuestituram.* Et paulo post. *Bonus & discretus Augustinus in epistola ad Parmenianum dicit; vix aut nunquam excommunicandum eum esse qui in malo opere obstinatam multitudinem habet secum. Nam tolerabilius videtur vni parcere, ne in Ecclesia scisma seminetur plurimorum. Et beatissimus doctor & martyr Cyprianus asserit dicens, scisma non esse faciendum, etiamsi in eadem fide; & in eadem traditione non permaneat qui recedit.* Et in fine epistolæ. *Si verò Imperatoris & Regis personæ; non tamen illius terræ, aliquando in summa iustitia parcendum est, ne summa crescat inde malitia: ministris Ecclesiæ penitus interdicatur; ne quod iustum est iniustè consequantur.*

Siue apud eos qui foris sunt, eadem ipsa sunt.) sic habet v. c. quæ non frustra dicuntur ab Iuone. tunc enim flagrante scismate Gregorij septimi, Vrbani, & Paschalis, & Henrici Imp. erant nonnulli addictissimi Papæ qui adserebant inefficacia planè esse sacramenta patris aduersæ. Id testatur Bertoldus in chronico ad annum Dom. M. X C I. qui Guibertistis & Henricianis contrarius, refert Bernardum Constantiensem magistrum scolarum, scripsisse pro iudicio dicti Gregorij, aduersus sacramenta extra Ecclesiam à scismaticis vsurpata. Sed nimiò zelo ductum alicubi modum excessisse. Negauit enim omnino, ab eis & ab eorum communicatoribus sacramenta posse confici. ita vt ab illis ordinatos si resipiscant, iterum ordinandos censeret. cum tamen ea opinio repugnet Niceno Concilio & Africano, item sententiis Augustini, Anastasij Papæ, & Gregorij primi. demum concludens Bertoldus. *idem venerabilis Bernardus* (inquit) *in ista, sicut & beatus Cyprianus in rebaptisationis sententia, non pertinaciter contra Ecclesiam egerunt, sed vtcunque, nimium contra scismaticos zelantes, aliquantulum regulam Ecclesiastica excesserunt.* Bernardi autem illius epistola ad Adalbertum scripta recenter in lucem prodiit.

Ad Epist. CCXXXVII.

Ioannes primæ Lugdunensis, &c.) sic restituta fuit inscriptio fide & consensu aliquot veterum codicum. superior editio habuit, *Ioannes primæ Lugdunensis sedis Archiepiscopus Iuoni Ecclesiæ Carnotensis Episcopo, S.* minùs rectè inscribebatur soli Iuoni. Hic enim Ioannes respondet epistolæ superiori 236. quæ quidem emissa fuerat nomine Daimberti Archiepiscopi Senonensis & aliorum coëpiscoporum. Porro in vno vetere codice bis scriptam inueni à prisco librario oscitante. Nam cum ille primò scripsisset. *Ioannes primæ Lugdun. &c.* post aliquot paginas immemor scripsit, *Hugo primæ Lugdun.* vtrumque autem stare non potest. & videtur iam mortuus fuisse Hugo Archiep. sed & in alio prisco libro primæ nominis littera tantùm designata habetur. I. primæ Lugdunensis, &c.

Siquidem cum prima Lugdunensis prouincia, Lugdunensis prouincia sit, nihilominus) hîc quoque locus restitutus est duorum codicum auxilio, quorum verborum repetitio clariorem lucem addit sententiæ, quæ alioquin in prima editione & aliis priscis codicibus obscurè concepta fuerat hunc in modum. *siquidem cum prima Lugdunensis prouincia sit, nihilominus secunda.* In vetere autem codice Thuani, *siquidem cum prima Lugdunensis prouintia Lugdunensis prouidentia sit.* Sed in ora manu prisca ibi correctum *prouintia* pro *prouidentia.* Triplex autem prouincia Lugdunensis memoratur in itinerario Antonini.

Nisi fortè & omnes Episcopos in eadem emunitate comprehendi volueris) sic omnes nostri vett. codd. Cuiacius adnotauerat in ora sui libri, *in eadem enormitate*, puto potiùs ex prisco libro quàm ex coniectura. Sed id verbi in nullo exemplari repperi, habent enim pari consensu, *in eadem emunitate*, in quorum tamen vno ad oram libri librarius iam olim notauerat emunitatis verbo significari violentiam: verum illa notatio planè inepta & insulsa. Scripsit igitur auctor *emunitate.* hic enim Archiepisc. respexit ad hæc

verba epist. 236. *nec nostro nec vllius hominum probantur subiacere iudicio. vnde constat nos esse immunes, si facta eorum oris gladio ferire formidamus.* Emunitatem igitur dixit pro immunitate. Qua voce plerique veteris sæculi scriptores vsi. Iuo epist. 133. *pro emunitate claustri.* S. Gregorius in can. cum deuotissimam. cau. 12. q. 2. *pro violata emunitate illud emendare noluerunt.* In legibus Ripuariæ titulo 67. *nisi emunitas Regis hoc contradixerit.* In Concilio Aurelianensi capite 10. apud Burchardum lib. 3. cap. 90. *quia hæc pro emunitate habentur.* In Concilio apud Theodonis villam cap. 11. apud eundem Burchardum lib. 3. cap. 94. *quia hæc in antiquis canonibus pro emunitate tenentur, nemo abstrahere audeat.* In Concilio Triburiensi cap. 20. (relato etiam à Gratiano in ca. si quis, cau. 17. q. 4.) *pro emunitate nongentos solidos componat.* & cap. 30. *quicquid pro emunitate violata emendandum est, altario soluatur.* Item in Concilio Mediomatr. cap. 2. *pro emunitate* M. C C C C. *solidos Episcopo componat.* Denique in capitularibus Caroli Magni lib. 5. cap. 124. *vt latrones de infracta emunitate à iudice ipsius immunitatis in Comitu placito præsententur.* frustrà igitur hæc dictio nonnullis suspecta est.

Ambrosij qui Theodosium Imperatorem ob suam culpam excommunicauit? Nunquid incusas Gregorium septimum qui Regem Henricum) Otto Frisingensis Episc. in chronico lib. 6. cap. 35. loquens de eodem Henrico quarto, affirmat nusquam inueniri quemquam Regum & Imperatorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum. *nisi fortè quis* (ait) *pro anathemate habendum ducat, quòd Philippus ad breue tempus à Romano Episcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à beato Ambrosio propter cruentam cædem à liminibus Ecclesiæ sequestratus fit.* Vetustus auctor lib. 1. de vnitate Ecclesiæ conseruanda, apertiùs reprehendit eundem Gregorium siue Hildebrandum, qui vt statueret & confirmaret partium suarum scismata, proferebat illam historiam. sed respondet Gregorium abuti exemplo, & longissimè discedere à facto sancti illius Pontificis. nam Theodosium leniter quidem fuisse coërcitum Ecclesiastica disciplina; non tamen Ecclesiam diuisam ab Ambrosio, vel soluto fidei sacramento separatos Principes & milites reipublicæ ab Imperatoris sui consortio simul & obsequio; quod nouo more fecerat Gregorius; qui soluerat statuta sub anathemate confirmata à multis Romanis Pontificibus de inuestiendis Episcopis per Reges & Imperatores. Neque enim tale quid tentauerat Ambrosius, quando etiam pro studio hæreticorum Valentiniani Imperatoris, matrisque eius Iustinæ minis atque verberibus pulsabatur. hæc & alia plura persequitur ille auctor: quem nonnulli putant fuisse Venericum Vercellensem; alij Sigebertum monachum Gemblacensem, alij alium.

Vtinam pro voluntate nostra contegi pateretur) hoc ideò dicit quia Paschalis Papa quodam scrupulo religionis tactus, verebatur suum factum retractare. nam, vt in priuilegio inuestituræ à se concesso legitur, testatus fuerat Henrico Imperatori cum illum coronaret, se dare corpus domini in confirmationem veræ pacis & concordiæ inter vtrosque. Immò etiam, veluti dicit Sugerius, partitam Eucharistiam in amoris impartibilis confœderatione, & pacti conseruatione obsidem dederat. Quinetiam imprecatione vsum fuisse refert Petrus Diaconus in chronico Casinensi lib. 4. cap. 42. *cumque ad hostiæ confractionem venisset: partem ipse sumens, reliquam Imperatori tradidit dicens: sicut pars ista viuifici corporis diuisa est, ita diuisus sit à regno Christi qui pactum istud rumpere ac violare tentauerit.* Sed & postquam captiuus in tentoriis priuilegium illud concessit, tædio affectus in heremi solitudinem secessit, moramque perpetuam ibi fecisset, si non Romani violentia coactum reduxissent, vt ait idem Sugerius. Wilelmus quoque Malmesburiensis lib. v. de gest. pontif. Angl. dicit multas à Romanæ Ecclesiæ ministris passum fuisse iniurias, quia objiciebant illum sublimasse imperiali benedictione Henricum tyrannum, & sacrilego priuilegio donasse. addit præcipuos instigatores fuisse Guidonem vel Vidonem Archiepiscopum Viennensem (qui posteà Papatum obtinuit) & Girardum Engolismensem, legatum in Aquitania; qui duo cæteros coëpiscopos irribant ad exinanienda quæ Paschalis concesserat. Itaque non tam præcipiente quàm conniuente Paschali, habitum est postea Romæ Concilium vt priuilegium retractaretur. non igitur absque ratione Iuo refragabatur voluntati huius Archiepiscopi Lugdunensis satagentis Concilio prouinciali Gallicano dissolui factum Paschalis. Timebat enim verenda Papæ deridenda exponere, vt inquit epist. 237.

Veruntamen synodum in Galliis habitam fuisse monet idem Sugerius, cum scribit domini Ludouici designati suffragio, in Gallicanæ Ecclesiæ celebri Concilio Imperatorem tyrannum anathemate innodatum, & mucrone beati Petri perfossum. deinde Gallos regno Theutonico applicantes, aduersus illum commouisse partem regni maximam. Wilelhmus quoque Malmesb. de gest. Reg. Angl. lib. v. ait omnem Galliam Ecclesiastici zeli vigorem intentasse in Henricum, nec dissimulasse execrari. Sed illi non exprimunt an priuilegia inuestituræ à Paschali concessa Henrico, condamnata fuerint, an verò tantummodo vis illata pontifici.

Intestabilis magister nauis) ea est lectio omnium nostrorum codicum. attamen in Annalibus Ecclesiasticis quibus hæc epistola inseritur, depulsa vetere & sincera scriptura, substitutum est, *detestabilis.* Nihil mutari debuerat. Sallustius in Iug. *improbus intestabilisque videtur.* Lepidus Consul apud eundem in lib. histor. *si peior atque intestabilior fuerit.* Tacitus lib. 15. annal. *incusat vltrò intestabilem & consceleratum.* nonnulli etiam ea parte deprauarunt versum Marij Victoris lib. 3. in Genesim. Nam vbi primitiua editio, *vt taceam magici scelus intestabile monstri*, quomodo etiam habetur in manuscripto: contrà subrogarunt, *magici scelus execrabile monstri.*

Sed & forsan formidas quòd iura tui præsulatus annullare velimus.) hæc decem verba nunc primùm reducta sunt authoritate priscorum codicum, quia fugitiua deerant in prima editione. Nicæno autem Concilio statutum erat sua priuilegia singulis Ecclesiis seruari debere, quam in rem multi canones relati à Gratiano sub cau. 25. q. 2. Iuo etiam constanter retineri voluit, vt indicio est epist. 60. qua profitetur se nec velle nec debere cedere de tantillo iure suæ Ecclesiæ. Et epist. 61. dicit metropolitanæ sedis & coëpiscoporū illius iura non esse vsurpanda. Idem epist. 83. metropolitanum absq; consensu singulorum

coëpiscoporum, non debere quidquam moliri quo fiat iniuria vel violentia dignitati Episcoporum. Goffridus Vindocinensis Abbas in epist. ad Ranulfum Sanctonensem Episcopum. *Iterum*, inquit, *contra Archiepiscopum qui in parrochia vestra vobis inconsulto multa iam agit, & adhuc agere conatur, ex pharetra beati Iulij Papæ sagita dirigitur hoc modo. Si quis metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parrochiam, sine consilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum aliquid agere in prouincia tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit, irritum habeatur & vacuum.* Chronologus quoque Autissiodorensis ad annum Dom. 1081. refert defuncto Meldensi Episcopo ab Hugone Diensi Episcopo & Apostolico sedis legato, apud eandem vrbem Concilium habitum fuisse, & Robertum ecclesiæ Resbacensis Abbatem ordinatum Episcopum. quod Richerius Senonensis Archiepiscopus sine suo assensu & præsentia fieri indignans, Robertum excommunicauit, & alium Episcopum ordinauit atque subrogauit. Sed & Glaber Rodulphus monachus Cluniacensis hist. lib. 2. cap. 4 vbi agit de monasterio Lucacensi extructo à Fulcone Comite Andegauensi, quod Hugo Turonũ Archipræsul in cuius diœcesi constitutum erat, sacrare distulit, nisi priùs Fulco restitueret prædia & mancipia quæ iniustè diripuerat matri ecclesiæ sedis sibi commissæ. Cumque Fulco Romam pergens multa auri copia obtinuisset à Ioanne Papa, vt misso Petro Cardinali postulata Fulconis intrepidè explerentur, addit verba sequentia: *Quod vtique audientes Galliarum quique præsules, præsumptionem sacrilegam cognouerunt ex cæca cupiditate processisse, dum videlicet vnus rapiens, alter raptum suscipiens, recens in Romana ecclesia scisma creauissent. Vniuersi etiam pariter detestantes, quoniam nimium indecens videbatur, vt is qui apostolicam regebat sedem apostolicum primitùs ac canonicum transgredi ebatur tenorem: cum insuper multiplici sit antiquitùs auctoritate roboratum, vt non quispiam Episcoporum in alterius diocesi istud præsumat exercere, nisi præsule, cuius fuerit, compellente seu permittente.* Et paullo post ita caput concludit: *Licet namque Pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem Apostolicæ sedis ceteris in orbe constitutis reuerentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Sicut enim vnusquisque orthodoxæ ecclesiæ pontifex, ac sponsus propriæ sedis, vniformiter speciem gerit saluatoris: ita generaliter nulli conuenit quippiam in alterius procaciter patrare Episcopij diocesi.*

Ex quo amicitiam & familiaritatem Lugdunensis ecclesiæ recuperasti) hic locus argumento esse potest, iure censeri ad Daimbertum Archiepiscopum Senonẽsem scriptam fuisse istam epistolam. Dissidium enim fuerat inter illum & Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem, quia Daimbertus antè consecrationem suam nolebat profiteri obedientiam Hugoni; ideò Hugo impediebat illius consecrationem, vt indicant verba Iuonis epist. 60. & 65. Sed & fuerat contentio altera de Primatu inter vtrosque Archiepiscopos, monente eodem Iuone epist. 50. Baronius autem postquam transcripsit & inseruit hãc Lugdunensis Archiepiscopi epistolam suis annalibus, addit verba sequentia. *Ipse Iuo nihil respondisse reperitur. immo (quod in aliis hactenus non fecisset) aduersarij epistolam perire nolens, cum suis consuit, vt cum eis perpetuo seruaretur, indicans illam dignam memoria sempiterna.* hæc ille. sed aliis videtur studiosum aliquem post mortem Iuonis has potiùs collegisse epistolas.

Ad Epist. CCXXXVIII.

Semper fuit obnoxium) quid obnoxium Latinis significet, notat Aulus Gellius lib. 7. cap. 17. & Iuo epist. 102. obnoxietatem accepit pro quadam specie seruæ conditionis. hîc verò obnoxiũ nil aliud significat quàm Gallorum spontaneum & propensum animum in amicitiam & fauorem Romani Pontificis. Cuius rei veritas ne altiùs repetatur, satis erit proferre aliquot exempla sæculi Iuoniani. Guibertus de Vrbano secundo loquens. *Commeatum destinauit facere in Franciam. Apostolicæ nempe sedis Pontificibus ab antiquo consuetudinarium fuit, si quam sint passi à finitima gente molestiam, auxilia semper expetere à Francis.* Sugerius Abbas tribus locis id confirmat in vita Ludouici Crassi. Refert enim hunc Paschalem secũdum propter conductitiam Romanorum perfidiam, venisse in Galliam, vt auxilium supplicaret à Philippo Rege, eiusque filio Ludouico aduersus Henricum quartum, cuius verba prolata in not. ad epist. 136. Idem de Papa Gelasio loquens. *Ad tutelam & protectionem serenissimi Regis Ludouici & Gallicanæ ecclesiæ compassionẽ, sicut antiquitùs consueuerunt, confugit.* Denique de Innocentio agens: *tutum & approbatum elegit personæ & ecclesiæ post dominũ defensionis azylum, regnum nobilissimum Francorum.* Sanè ipsemet Sugerius dicit Francos qui nec tenti nec fide obligati erant, causam ecclesiæ Romanæ & Paschalis Papæ suscepisse aduersus Henricum Imperatorem, cuius verba prolata sunt in notis ad epist. 236. Gregorius autem septimus lib. 8. epist. 20. ad Philippum Francorum Regem scribens. *In hoc te tuæ salutis amicum sollicitumque demonstras, si apostolicam beneuolentiam sicut Christianum Regem decet asse qui & obtinere desideras.* Et in fine epistolæ: *maximè enitere, vt beatum Petrum, in cuius potestate est tuum regnum & anima tua, qui te potest in cœlo & in terra ligare & absoluere, tibi facias debitorem.*

Clericos Tornacenses ad Apostolicam sedem venisse petituros.) Robertus de monte in appendice chronici Sigeberti ad annum Domini 1147. *Ecclesia Tornacensis quæ per annos circiter 600. à tempore beati Medardi sub Episcopo Nouiomensi sine proprio fuerat sacerdote, hoc anno proprium Episcopum cœpit habere.* Sic enim in vulgatis editionibus cusum est. sed alibi variatum est in numero annorum sexcentorum, vt scriptum à prisco & incerto autore qui tempore Iuonis vixit, fuitque Canonicus Lauduni clauati. *Idem Anselmus cum cœnobio sancti Vincentij ferè decem & septem annis præfuisset, & pro vtilitate cœnobij cum germano suo domno Galtero ipsius loci monacho Romam profectus fuisset, à clericis Tornacensibus qui iam quadringentis annis proprio Episcopo caruerant, mirabili euentu Deo ordinante ibi repertus, in Episcopum eligitur, & à domno Papa Eugenio inuitus & reluctans, obedientiæ vinculo constrictus pontifex consecratur: sicque per eum Tornacensi ecclesiæ antiqua dignitas restituitur, anno ab Incarnatione Domini* M. C. XLV. *dominica Lætare Ierusalem. rediens ergo à Roma, & cum magna processione Lauduni susceptus, nolens priores filios Vincentij monachos*

relinquere orphanos, vnum ex eis ſcilicet Balduinum ætate iuuenem, ſed moribus grauem loco ſuo Abbatem eis conſtituit, & à domno Bartholomæo Epiſcopo fecit ordinari, ſicque Tornacum ad regendum ouile ſibi commiſſum tetendit. Quod autem ſuprà citatus Robertus dicit, à tempore beati Medardi Tornacenſes caruiſſe proprio epiſcopo, id apertius fit verbis Fortunati presbyteri antiqui ſcriptoris in vita S. Medardi Epiſcopi Nouiomenſis, cap. 18. *Cum ergo eccleſiam, quam Nouiomi conſtruxerat, feliciſsime gubernaret, & ſuos quoſque prout diximus, ad æternam remunerationem confortaret: ſanctum Eleutherium, Tornacenſis Eccleſiæ Pontificem, quem ipſe in infantia ſua futurum eſſe prædixerat Epiſcopum, hominem contigit exuere. Poſt cuius lugubres exequias, cùm de pontificis electione inuicem differerent, peracto triduano ieiunio, & ſollennibus hoſtiarum victimis Deo deuotè oblatis, ſubita ſancti Spiritus inſpiratione inflammati, vnanimiter ſanctum hunc pontificem Medardum elegerunt. Pontificali demum, metropolitani ſcilicet & comprouincialium ſuorum euictus auctoritate, Regiſque ac procerum aſſenſu, plebiſque coactus inceſſabili acclamatione, vix conſenſit; & vnanimi, pontificali videlicet ac regali authoritate comprouincialium Epiſcoporum, tempore Hormiſdæ Papæ, ſub ſancto Remigio, tunc temporis Rhemorum Archiepiſcopo, aſſenſu Regis & curialium ac vtriuſque plebis acclamatione tandem ſuſcepit, & vt vtrique Eccleſiæ cathedralis ſemper honor maneret, benignè conceſſit.*

Ne hac occaſione ſciſma quod eſt in Germanico regno) anteà cuſum, *ſchiſma.* Sed plerique veteres libri nota aſpirationis carent, quod etiam toto hoc opere variis locis obſeruari poteſt.

Quia poſſit ſedes apoſtolica parrochiarum amplitudinem minorare, aut breuitatem dilatare) in duobus v. c. *parochiarum multitudinem minorare.* Huc autem pertinet quod S. Innocentius in ſua decretali epiſtola ad Alexandrum Antiochenum Epiſcop. dicit, diuiſis imperiali iudicio prouinciis vt duæ metropoles fiant, & duo metropolitani Epiſcopi debeant nominari: non tamen ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum, Dei eccleſiam commutari, honoreſque aut diuiſiones perpeti quas pro ſuis cauſis faciendis duxerit Imperator. qui locus habetur in ca. lege. diſtinct. x. Sed & in Concilio Carthag. 2. (relato in ca. felix. cau. 16. q. 1. (*placuit vt diœceſes quæ nunquam Epiſcopos habuerunt, non habeant, & quæ aliquando habuit, habeat propriam.* Gratianus in argumento ca. & temporis. cau. 16. q. 1. adnotat poſſe Papam duos Epiſcopatus in vnum redigere, & vnum in duos diuidere. quo ſpectat cap. quod tranſlationem. de officio legati. vetus & ineditus auctor in libello manuſcripto de tribulationibus & anguſtiis maioris monaſterij, compoſitus ætate Iuonis, agens de priuilegio quod illi monaſterio conceſſit Vrbanus ſecundus in Concilio Claromontano, anno 1903. vt eximeretur à cenſura Turonenſis Archiepiſcopi: *Dominus* (inquit) *Papa imperato ſilentio erectus in pedes, coram omni concilio ex auctoritate apoſtolica & decretis pontificalibus concionatus eſt, licere ſibi facere ex vno epiſcopatu duos, & ex duobus vnum ſimiliter; & abbatias cæteraſque congregationes dictante ratione æquitatis, quolibet modo ſibi melius videtur, aut coadunare poſſet aut diſiungere. & quiquid in dominium & patrimonium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſuſcipere vellet, nullus eius auctoritati obuiare poſſet. Quæ & à prædeceſſoribus ſuis facta oſtendit, & ipſe in præſenti concilio nullo contradicente fecit. Cum ergo tali ratiocinio verè ſapientiſſimus Papa omnium ora concluſiſſet, ex auctoritate Dei, & beati Petri apoſtoli omniumque apoſtolicorum & ſua, nodo indiſſolubili firmauit, & auctorizauit priuilegium noſtrum, ſatisfaciens omnibus, præter quos inuidiæ & iracundiæ furor exagitabat, quia talem qualem prælibauimus, faciendi quod vellet haberet poteſtatem.* Theodorus Balſamo ad finem ca. 16. Synodi Carthaginenſis, tradit in poteſtate Imperatoris fuiſſe epiſcopatus in metropoles erigere, & à ſuis metropolibus alienare, & de nouo epiſcopos & metropolitanos conſtituere: quia nec canonibus nec legibus ſubiicitur. quæ pariter repetit in interpretatione can. 38. ſynodi ſextæ in Trullo; quo dicitur ordo eccleſiaſticus conſequi ciuiles ac publicos typos. vbi per typos accipit iuſſa Imperatoris, quæ etiam ſcribit ad can. 12. Chalced. ſynodi. His coniungi debet Nouella Iuſtiniani de priuilegiis Archiepiſcopi Iuſtinianæ primæ, & quæ collegit Burcardus Decreti cap. 33. & 34. ex Concilio Toletano 13. cap. 4. & ipſe Iuo decreti parte quinta cap. 144. cuius quidem concilij authoritate definitum fuit irritum eſſe Wambæ Hiſpanorum, vel vt alij legunt, Gallorum Regis factum; qui contra canones in villulis nouam epiſcopo ſedem erexerat. Epiſcopi enim non debent conſtitui in caſtellis nec modicis ciuitatibus ac vicis, ne vileſcat nomen Epiſcopi. can. Epiſcopi. cum ſeqq. diſtinct. 80.

Ad Epiſt. CCXLI.

Comes per hominium ſuum vos cogit.) Anteà cudebatur, *per domnum ſuum.* variat ſcriptura in aliis codicibus. habent enim, *per hominem ſuum,* vt codex. S. Germ. Vtrumque mendoſum eſt. Reſtitui igitur *per hominium ſuum,* quomodo exhibent membranæ Regiæ bibliothecæ: & ſanè ſenſus arguit eo modo legi oportere. Iam autem ſuprà epiſt. 208. hominij nomine vſus eſt. de quo verbo Hotomanus in commentariis feudorum; vetuſtiores autem dicebant homagium, quod indicant verba Alberti Krantij Wandaliæ lib. 3. cap. 39. *apud Cæſarem immenſo auro in ſatisfactionem, & hominio, quod nunc vocant homagium, præſtito immunitatem coëmit.* Alio ſignificatu quàm ſolet in materia feudorum, videtur ſumi à Roberto monacho hiſtor. lib. 2. *requiſiuit à noſtris vt ſibi principes exercitus facerent hominium, id eſt ſecuritatem pacis, & ipſe conduceret eos per deſertas regiones quas ingreſſuri erant.* & paullo poſt: *fecerunt igitur ei cum ſacramento hominium tali conditione, vt tamdiu duraret quamdiu ipſe perſeueraſſet in ſacramento ſuo & promiſſione.*

Hoc & Iulius Papa) ſic ex v. c. anteà cuſum, *Iulianus.*

Vel cincti iudicis ſententiæ ſubijciatur) nunc primum hic locus ſuo nitori reſtituitur. nam anteà editum, *vel laici iudicis,* quod licet probari & retineri poſſit, maximè cum quidam alij priſci codices tali lectioni adſtipulentur: tamen indubium eſt id à gloſſographi manu hactenus irrepſiſſe. Voluit enim interpretari quid ſignificaret vox *cincti:* quæ quòd minus protrita & vulgaris erat, facilè potuit degenerare ac mutari. *Cincti* autem planè legitur in antiquis membris regiæ bibliothecæ, item Thuani, Seruini & Fabri, eamque lectionem confirmant argumenta epiſtolarum quæ præfiguntur initio veterum librorum; *quod apoſtolico iudicio deciſum eſt non eſſe retractandum, nec de cauſis eccleſiaſticis à cincto iudice*

iudicandum. Vbi in v. c. Seruini legitur *accinctò.* parili næuo deturpatus fuerat locus eiusdem Iuonis epist. 247. vbi restitui fide prisca, *faciant hæc cincti indices qui ad malorum vindictam gladium materialem portant.* pro *cincti*, superior editio ibi referebat *cuncti*. Sylueſter Papa in ſuis decretis. *Nemo clericus, vel diaconus, vel presbyter propter quamlibet cauſam intret in curiam, nec ante iudicem cinctū cauſam dicere præſumat, quoniam omnis curia à cruore dicitur & immolatione ſimulachrorum.* Sic enim citatur ille locus à priſco authore in libro de vnitate Eccleſiæ conſeruanda, & ab ipſomet Iuone decreti parte 6. cap. 334. Sed apud Gratianum in can. nullus clericus. cau. XI. q. 2. vbi pars eorum verborum relata eſt, vetus & elegantior ſcriptura paſſim mutata fuit: nam pro *cinctum*, ſubrogârunt malè *ciuilem*. Cinctorum autem appellatione intelligebantur laici poteſtatem conſecuti. itaque luſit in ea voce Sidonius Apollinaris lib. 5. epiſt. 7. ad Thaumaſtum. *Hi ſunt qui inuident reuerentiam clericis, originem nobilibus, conſeſſum prioribus, congreſſum æqualibus, cinctis iura, diſcinctis priuilegia.* quæ verba vt pluſcula alia conſequentia eiuſdem epiſtolæ perperam tributa ſunt à neotericis authoribus cathalogi teſtium veritatis, Hildeberto Cenomanenſi Epiſcopo, ſiue etiam Archiepiſcopo Turonenſi; quiquidem fragmentum illud euulgarunt tanquam nouum, necdum anteà in lucem editum: immò etiam ſuppoſito nomine Romanorum, initio dicti fragmenti præfixerunt: *Romani ſunt quos timent & timentur.* Quæ res fucum fecit nupero hiſtorico, alioquin valdè diligenti & erudito, qui cum id hauſiſſet ex turbidis riuulis, non animaduertit particulam eſſe epiſtolæ Sidonij, qui longè antiquior fuit Hildeberto. Neque verò ſtilus Hildeberti conuenit. adhoc in iiſdem catalogis parili errore cuditur, *cunctis iura*, pro, *cinctis*. Idemet Sidonius lib. 1. epiſt. 7. *priùs cinctus cuſtodia quàm poteſtate diſcinctus.* in conſtitutionibus Imperatorum crebra mentiò fit cinguli adminiſtratorum. Caſſiodorus in iſtud pſal. 29. præcinxiſti me lætitia. *perpende verbum*, inquit, *præcinxiſti. Cingulum ſignificat quod ad iudicis pertinet dignitatem. nam cuncta poteſtas in ipſo vocabulo noſcitur conſtituta. Sic enim cinctum dicimus iudicem, quando eius faſces honoreſque declaramus.* S. Auguſtinus lib. de verbis Domini, tract. 19. & refertur in ca. militare. cau. 23. q. 1. *non enim de his tantùm militibus ſcriptura loquitur, qui armata militia detinentur: ſed quiſquis militia ſua cingulo vtitur, dignitatis ſuæ miles adſcribitur. atque ideò hæc ſententia poteſt dici, verbi gratia, militibus, protectoribus, cunctiſque rectoribus.* Marcellus Papa in ca. nullus cau. XI. q. 1. *Magiſtratus qui hoc iubere auſus fuerit, amiſſione rerum & cinguli plectetur.* Eorum exemplo clerici ſibi vendicarunt cingulum honoris & militiæ cœleſtis, quod ad hanc emendationem nihil pertinet.

Ad Epiſt. CCXLII.

Quos potiùs contra) verba ſequentia addita ſunt ex v. c. quæ antea deſiderabantur.

Fœdus nuptiarum vitiauerit) in vno v. c. Pith. *initiauerit*. fortaſſe non malè. nam & dixit infrà epiſt. 245. *duxiſti vxorem quod lex naturæ initiauit.*

Ad Epiſt. CCXLIV.

Et in ſtatum rectitudinis iuſtitiæ lance reformari) ſic vulgata editio, quam firmant plerique vett. codd. autor epiſt. 24. *peruerſorum temeritas & audacia rectitudinis ſtatum labefactare conatur.* & epiſt. 26. *ne te à rectitudinis tuæ ſtatu deiiciat.* In vno autem vetuſto exemplari nempe Regio, legitur aliter; *& in ſtateram rectitudinis.* Ac fortaſſe reſpicere videtur ad hæc verba ſancti Gregorij moralium lib. 20. parte 4. cap. 6. quæ etiam referuntur in can. x. diſt. 45. *omnis qui rectè iudicat, ſtateram in manu geſtat. in vtroque penſo iuſtitiam & miſericordiam portat, vt iuſto libramine quadam per æquitatem corrigat, quadam verò per miſericordiam indulgeat.*

Ad Epiſt. CCXLVII.

Faciant hæc cincti indices qui ad malorum vindictam gladium materialem portant) latebat hîc vitium quod ſine ope priſcarum membranarum facilè deprehendi non poterat. Vulgata enim lectio habebat; *cuncti indices*; vt etiam nonnulli priſci codices. Sed cum in tribus manuſcriptis perſpicuè legatur, *cincti iudices*, nulla ampliùs dubitatio eſt quin multò rectius id ſit. huic ſcripturæ accedunt variæ lectiones. Vnus codex habet *accincti*. alter *ſuccincti*. Tertius *xcinti*, quod poſtremum exhibet vetus liber S. Victoris. emendationem verò palàm confirmat locus epiſt. 241. *Vel cincti iudicis ſententiæ ſubiiciatur.* vbi pro *cincti*, hactenus legebatur, *laici*.

Officij quod poſtpoſuimus) ita reſtitutum ope v. c. antea cuſum, *quod propoſuimus*. In vno v. c. *quod poſuimus.*

Capite deorſum poſito, & pedibus erectis thymelicorum inceſſum imitabimur) alias in v. c. *temelicorum*. ſed in exemplari Seruini aliter legitur. *temulentorum*, quod videri poteſt fluxiſſe à manu priſci gloſſographi, cui incognita vox *thymelicorum*, qui erant ſcenici artifices. Ex veſtigiis atramenti paullo recentioris non obſcurum eſt in dicto exemplari Seruini primitùs ſcriptum fuiſſe, *thymelicorum*, ſed poſteà interpolatam ſcripturam. ſimili autem ſenſu dixit S. Auguſtinus in ca. 5. cau. 32. q. 6. *Vbi melius viuit mulier quàm vir, capite deorſum pendet domus.*

Ad Epiſt. CCL.

In oculis apoſtolicæ maieſtatis) ſolus codex Seru. habet. *in oculis diuinæ maieſtatis.* ſed minùs aptè. Solet enim auctor dicere apoſtolicam maieſtatem, ſiue maieſtatem Papæ, vt epiſt. 8. 147. 157. 159. 201. 238. quemadmodum etiam alij coæui ſcriptores. Ioannes Salesberienſis Polic. lib. 7. cap. 21. *nec ego apoſtolicæ maieſtati & regiæ arbitror reluctandum.* S. Bernardus epiſt. 268. ad Papam Eugenium. *alij vereantur maieſtatem in vobis, & tremulis labiis ac digitis quod ad rem pertinet, vix ad id vnquam longis ambagibus anfractibuſque peruenient.* Sic Arnulfus Epiſcopus Lexouienſis ſcribens ad Papam Hadrianum tribuit illi maieſtatē epiſt. 8. vt & Alexandro Papæ epiſt. 26. 27. 45. 64. qui maieſtatis apoſtolicæ faſtigium vocat epiſt. 21. Idem Arnulfus appellat maieſtatem Archiepiſcopi epiſt. 15. & Cardinalis epiſt. 65.

Sed non ſunt) aliàs, *ſi non ſint.*

Pulſo ad thronum iuſtitiæ: cum ratio exigit, cum pia præſumptione pulſo ad) hæc omnia verba adiecta ſunt fide & conſenſu manuſcriptorum, quæ anteà deerant.

Poſt mortem bonæ memoriæ Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis, Eccleſia paſtore viduata) locus hic illuſtrandus eſt verbis Willielmi Malmeſburienſis lib. 1. de geſtis Pontificum Anglorum. *Poſtquam venerandæ memoriæ Anſelmus lutei*

corporis nodos euadens, huic vitæ valefecit, vacauit Archiepiscopatus pleno quinquennio. Hoc toto spatio cum Rex (intelligit Henricum primum) *admoneretur vt matris suæ ecclesiæ viduitati consuleret, multi responso differebat: optimos fuisse Archiepiscopos quos pater fraterque misissent: se nolle à parentum fœlicitate degenerare. Quocirca magno scrutinio debere agitari consilium, vt eum poneret Archiepiscoporum, qui vel æquis passibus virtutum antecessores suos consequeretur, vel æmularetur proximus.* Et paullopost agens de Radulfo Rofensi, cuius mentio fit hac Iuonis epistola, refert ab electoribus dictum fuisse: *Dicatur quod nullius vulneret conscientiam. Satis superque alienæ gentis homines fuisse Archiepiscopos: abundare patriæ linguæ viros, qui referant Lanfracum scientia, religione Anselmum exhibeant, paucis vtrumque. Esse Radulphum Roffensem Episcopum, qui fama æquet antiquos, humili affabilitate vincat & veteres & nouos. Si genus explores, spectabili Normannorum prosapia oriundum: si vitam inquiras, nulla etiam infamia perstrictum. Solum esse cuius religionem nec liuor carpere possit quòd discreta sit. Si scientiarum litterarum rimeris, totas exhausit Athenas: si eloquentiam exigas, melleo quodam lapsu ex eius ore fluit oratio: cui accedit genialis soli, id est Cænomanici, accuratus & quasi depexus sermo. hac meruerunt suffragia, vt continuò mutata sententia Rex in eorum voluntatem transiret. Actum quinto die post exactum quinquennium à morte Anselmi. Radulphus apud Sagium, quæ est Abbatia Normanniæ, primo adolescentiæ flore monachum se deuouerat, coalescentibusque virtutum incrementis primò subprior, mox Prior, postremò Abbas fuerat, &c.* Idem paullopost addit de eius obitu à paralysi. *Obiit* XIII. *Kalendas Nouembris, anno* IX. *Patriarchatus, Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo vicesimo secundo. hunc habuit finem Radulphus religione impar nulli, peritia litterarum magnificè pollens, affabilitate certè facilè omnium primus. Qui fortunarum amplitudine nihil plus adquisierit, nisi vt plus benefacere posset quibus vellet. Quanquam ad æstimationem vulgi tantum eius decedebat gloriæ, quantum accedebat fortunæ. Cæterum nullius delicti suspicione vel leui notabilis, nisi quòd ad risus & iocos inclinatior erat, quàm vel dignitatis vel gradus interesse videretur. Sed quæcunque faciebat, bono vtique animo vir ille faciebat: de quo quicquam sinistrum suspicari, contra religionem est niti.* Hæc ille.

Obnixè postulantes) ita meliores codices, vt epist. 141. *obnixè rogo.* & epist. 271. *obnixè precamur.* in quibusdam est, *obnoxie post.* quod non aptè quadrat. non enim pallium istud Episcopis concedi moris erat, nisi summis precibus à summo pontifice peteretur. Itaque quod hic auctor dixit *obnixè postulare*, alij dicunt *fortiter & instanter*, vt S. Gregorius primus lib 7 epist. 5. *prisca consuetudo retinuit, vt honor pallij nisi exigentibus meritis causarum, & fortiter postulanti dari non debeat.* Vetus auctor rituum ecclesiasticorum siue sacrarum cerimonialium SS. Romanæ Ecclesiæ, lib. 1. sectione x. cap. 5. testis est illum cui concedebatur pallium, his vsum verbis. *Ego N. electus ecclesiæ N. instanter, instantius & instantissimè peto mihi tradi & assignari pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officij.* Hæc ille, vbi multa de vsu pallij commemorat; atque inter cætera refert, in lege gratiæ antiquum esse illud Ephod (id est pallium) quod à Lino post Petrum secundo Romano Pontifice institutum, & in singularis potestatis priuilegium nostris præsulibus datum fuit. Rupertus Tuitiensis lib. 1. de diu. offic. c. 27. scribit Maternum à beato Apostolo Petro missum Treuerensi ecclesiæ, hæreditatem pallij suis successoribus dereliquisse. Videtur autem nonnullis hic mos potiùs acceptus à Cæsaribus, eamque in rem ducunt argumentum ex verbis Agnelli Episcopi Rauennatis, qui refert Imperatorem Valentinianum subiecisse Episcopo Rauennatensi quatuordecim ciuitatum Episcopos, atque eum adornasse pallio confecto ex lana candida quo soli Imperatores tunc temporis vtebantur.

Dignitatem et pallij concedatis) Gregorius Papa septimus regesti lib. 1. epist. 24. ad Brunonem Veronensem Episcopum, dicit antecessorum decreto nisi præsenti personæ non esse concedendum pallium. itaque monet illum Romam veniat, vt illud accipiat. Vrbanus Papa secundus apud Platinam, scribens Archiepiscopo Mediolanensi. *Litteris tuis exorati*, inquit, *cum apostolicæ sedis benedictione pallium fraternitati tuæ mittimus, quod quidem dignitatis genus nulli ante te, nisi præsenti, concessum est.* Sed iam longè antea etiam absenti, nec petenti datum fuisse indicant verba Gregorij Papæ primi lib. 7. epist. 5. ad Brunechildam Reginam. *Extra hoc autem quia ab eo qui vti desiderat, directa ad nos hoc sibi largiri speciali petitione non poposcerat, & ante causam nullomodo præbere sine eius postulatione debuimus: maximè quia & prisca consuetudo retinuit, vt honor pallij nisi exigentibus meritis causarum, & fortiter postulanti dari non debeat: nos tamen &c.* Glaber quoque Rodulphus hist. lib 5. cap. 4. vbi agit de dissensione Lugdunensis præsulatus, refert Pontificem Romanum misisse Odiloni Abbati Cluniacensi pallium & annulum, & imperasse vt fieret Lugdunensis Archiepiscopus: quod tamen vir religiosus suę humilitatis propositum attendens omnimodis renuit, pallium & annulum reseruans futuro Pontifici. Cæterum huic Radulpho Roffensi Archiepiscopo Cantuariensi Paschalis Papa secundus misit pallium per legatum Anselmum, nepotem ex sorore sancti Anselmi Archiepiscopi decessoris, vt refert Willielmus Malmesbur. lib. 1. de gest. Pontif. Anglor. Illud notandum, veteres tanti fecisse dignitatem huius rei, vt S. Bernardus Clar. in epist 246. ad Papam Eugenium scripserit, se tolerabiliùs habuisse sibi interdici missarum celebrationem; quàm Bituricensi Archiepiscopo vsum pallij.

Ad Epist. CCLIII.

Miserias suas & angustias quibus à violatoribus pacis vexatur.) Quod hic scribit Iuo, lucem & interpretationem mutuatur à verbis Nicolai monachi in vita huiusce Godefridi Ambianensis Episcopi lib. 2. cap. 30. 31. 34. & lib. 3. cap. 2. 3. 4. 5. Cuius verba diffusiora in compendium redigo Cum hic Episcopus peregrè profectus reuerteretur Ambianum, secum duxerat Adamum eius ciuitatis principem, ac tunc militum præsidio destitutum. Cumque Adamus moneret aliud iter esse capescendum, quia sibi metuebat ab hoste atrocissimo Guermundo Pinquinaci Vicedomino, responderat Episcopus comitem securum esse debere, quia Guermundus sanctè nuper iurauerat se pacem bona fide seruaturum, honoremque habiturum Episcopo suo temporali domino Fortè mox accidit vt Guermundus multo stipatus equitatu viantibus occurreret, & confestim viso Adamo districtis ensibus illum appeteret, equo deturbaret. id cernens, episcopus, ab equo desilit, toto

corpore super Adamum incumbit, porrigit iugulum, & exclamat, quibus furiis impulsus Guermundus se præsente tale facinus audeat; quinetiam ceruicem obiicit, precatus ne quid moliatur aduersus Adamum. Territis Episcopi comitibus & fugientibus, Adamus iniectis catenis Pinquiniacum abducitur, quem Episcopus flens & eiulans, comamque vellens, solus sequitur, se eius proditorem, tantæque calamitatis autorem clamitans. Vbi Pinquiniacum ventum est, cæteris intromissis Episcopus stare foris cogitur. Redit igitur ad ciuitatem, rem refert clero & populo, captiuitatem domini sui Adami, & iniuriam præsulis deploranti. itaque Episcopus plectit anathemate Guermundum, & Ecclesias regionis infidi domini Claudi iubet. inde crebræ vastationes agrorum, pagorum depopulationes, & templorum incẽdia; quibus mirè afflictus Episcopus, miserum se dicebat qui in ea tempora incidisset. Nec flecti poterat Guermundus vt Adamum captiuum dimitteret, quamuis intercedente Rege, regnique principibus. Tandem Episcopus putans noua humilitate se molliturum duritiem cordis insani subditi, rigente hyeme cilicio indutus, nudis pedibus iterum venit Pinquiniacum, & medio foro humi prostratus, pedes tyranni amplexus, lacrymans precabatur, vt Adamum suum redderet. Sed ille ignominiosè repellit Episcopum, iniuriis affectum, & irrisum. Hæc igitur ratio est, cur Iuo obnixè rogat Ludouicum Regem, vt lachrymabiles Godefridi conquestiones audiat, quo posteà distringat gladium in vindictam malorum, qui pacem impunè violauerant.

Faciat itaque gladius regalis officium suum ad vindictam malorum.) Sugerius in vita Ludouici Crassi agens de illius coronatione: *abiectoque sæcularis militiæ gladio, ecclesiastico ad vindictam malefactorum eum accingens, diademate regni gratanter coronauit.* Eleganter Hildebertus Cœnomanensis Episcopus in epist. ad H. Sagiensem Episcopum, de duplici gladio loquens. *aptè profectò inuentus est vterque apud discipulos Christi, quia adhuc vterque ostenditur in membris corporis Christi. Membrum enim Christi, Rex; membrum Christi sacerdos. Scienti loquor, nosti gladium Regis, nosti gladium sacerdotis. Gladius Regis, censura curiæ: gladius sacerdotis, ecclesiasticæ rigor disciplinæ. Hoc euangelistam figurasse legisti dicentem: domine ecce gladij duo hic. Si esset qui in gladio regni liberaret me; non peteretur educi gladius sacerdotij propter me. Cæterum vides quia iam potestas sine causa gladium portat: in vagina conditus est, pellibus mortuorum animalium tectus est. In Christum Malchus, in vasa templi Baltasar impunè manus extendit. Nemo est quem zelus domus Domini comedat: nemo est qui cum Moyse minetur & dicat, inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes, &c.*

Ad Epist. CCLIIII.

Qui nunc tandem impetrauit à principe suo Rege Anglorum, vt posset in propria persona.) Tunc temporis non licebat antistitibus Anglicis Romuleam vrbem proficisci, nisi priùs licentia petita à Rege. Cuius rei ratio redditur à nonnullis, quia verebantur Principes ne si liberè regni fines subditi emigrarent, sub alieno cœlo mutarent animos, & ab exteris deprauati multa innouarent contra receptas patriæ leges. Willielmus Malmesburiensis de gestis pontif. Anglor. lib. 1. de Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo agens. *Has* (ait) *communicaturus cum Papa, rogauit licentiam pergendi Romam, bis terque frustrà. Intelligo enim aiebat Rex, licentiam interdicendam, cum enim nullo graui peccato sciam onerari, cuius à Roma petat absolutionem, nec egere illius loci consilio, cum ei nullius scientiæ desit copia. Magis certè dixerim, Vrbanum Anselmi cedere sapientiæ, quàm Anselmum Vrbano indigere. Quòd si pertinaciùs cœptis institerit, omnem Archiepiscopatum in meum fiscum redigam. Transgreditur enim promissa sua, quibus fidem suam adstrinxit omnes consuetudines seruaturum regni mei. Insolitum est quippe mihi, vt quisquam procerum meorum eat Romam, nisi meo potissimum missu.* Inter articulos siue constitutionis capita quæ proponebantur ab Anglorum Rege Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi: istud numeratur ab Eduardo in illius vita cap. 6. *Quod non liceat Archiepiscopo & Episcopo exire de regno, & venire ad vocationem domini Papæ sine licentia Regis.* Sanè idem olim obseruari solitum in regno Francorum facilè colligitur ex epistola Hincmari Archiepiscopi Remensis ad Hadrianum Papam 2. *De eo quod pusillitati meæ vestra rescripsit sublimitas, vt eundem Hincmarum* (intelligit Laudunensem Episcopum nepotem) *& alios tres Episcopos omnium Episcoporum regni domini Caroli vicem ferentes, ad synodum Romam mitterem; vestra sciat auctoritas, quia nec prædictum Hincmarum nec etiam quemlibet Episcopum dioceseos Remorum, minimè autem aliarũ prouinciarum Episcopos, nisi dominus Rex præceperit, Romam vel in aliquam partem mea commendatione mittendi habeo potestatem, nec ipse ego vltra fines regni sui absque illius scientia progredi valeo, sicut missis vestræ sanctitatis coram Odone venerabili Episcopo, & Ansegiso religioso Presbytero & Abbate, quibus nostra causa sunt cognita, dixi.* Gregorius autem septimus reprehendit Regem Anglorum, qui vetabat antistites Ecclesiarũ sui regni Romã proficisci. Sic enim lib. 7. epist. 1. ad Hubertum Romanæ Ecclesiæ subdiaconum. *Multa sunt vnde sancta Romana Ecclesia aduersus eum queri potest: nemo enim omnium Regum etiam paganorum, contra apostolicam sedem hoc præsumit tentare quod is non erubuit facere, scilicet vt Episcopos Archiepiscopos ab Apostolorum liminibus vllus tam irreuerentis & impudentis animi prohiberet. Vnde volumus vt eum nostra vice prudentia tua studeat admonere, quatenus honorem quem sibi à subditis suis grauiter ferret non exhiberi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ non tantopere laboret imminuere, & debitas gratias agendo gratiam beati Petri procuret acquirere.*

In propria persona sedem apostolicam visitare.) Huiusce moris tenax fuit Gregorius septimus. Nam lib. 6. epist. 30. ad Lanfrancum Cantuariorum Archiepiscopum, dicit se stupere ac mirari, cur ex illo tempore quo Papa factus est, ad illum proficisci non multum curauerit. Non enim debuisse metu Regis Anglici, aut cuiusquam personę superstitioso amore à conspectu Papæ retrahi. *Quatenus*, inquit, *de his & aliis negociis præsentialiter conferre, atque vtilitas Ecclesiæ de nostro colloquio augmẽtum valeat, Deo fauente, percipere.* Et lib. 9. epist. 20. ad eundem Lanfrancum (sic enim suppleri potest lacuna editionis vulgatæ) arguit illum quòd licet sæpe apostolica legatione fuisset inuitatus Romam venire, etiam pro fidei & religionis Christianæ comprobatione, tamen aut superbè aut negligenter abusus patien-

tia Gregorij distulisset, nec etiam canonicam excusationem prætendisset. *Non enim* (ait) *labor aut difficultas itineris te sufficienter excusat, cum satis notum sit multos longè remotos, licet corpore inualidos & infirmos, & à lectulis vix valentes surgere, tamen beati Petri amore flagrantes ad eius limina vehiculis properare.* Demum minatur ab omni officio episcopali suspendendum fore, nisi postposita occasione vel inani formidine, infra quatuor menses inobedientiæ reatum emendare non vlteriùs negligat. Sed & lib. 9. epist. 1. irascitur * W.... Rotomagensi Archiepiscopo, quia apostolorum limina visere tanto tempore parvipendisset, cum ab ipsis mundi finibus gentes nouiter conuersæ ad fidem, annuè ad illa venirent. Immo quoque legatos Papæ qui propiùs erant, adire non multùm curaret: quòdque dignitatis præclarius insigne, pallium, ab apostolica sede pro more acquirere postponeret. Demum concludit, nisi culpam emendet, cariturum iure ordinationis & consecrationis.

* *fortasse leg. Willelmo.*

Ad Epist. CCLV.

Vnctionem verò quàm semel accepisti non æstimo repetendam) eiusdem sententiæ fuit Goffridus Abbas Vindocinensis, cuius est epistola in manuscripto exemplari. *Iuoni Carnotensi Præsuli frater Goffridus salutem à Domino, & à se debitæ seruitium. Sicut consuetudines monachorum beati Benedicti regulæ concordantes laudamus: sic eas quas sanctus Benedictus nec docet nec præcipit, & quæ à ratione penitùs discrepare videntur, laudare non possumus. Sunt enim quædam apud monachos institutiones quas ratio nullatenus admittit, nec sanctorum quilibet patrum inuenit, sed insipientium consuetudo hominum instituit, has in monasteriis quidam monachi sibi pro lege vindicant: & cum Christus dixerit, ego sum veritas, nec dixerit, ego sum consuetudo: pro sua tamen consuetudine legem veritatis immutant. Et vt cætera taceamus, in hoc vt nobis videtur, non mediocriter errant, quòd vnctionem infirmorum, cum à sancta catholica & apostolica sede sacramentum vocetur, & cum nullum sacramentum iterari debeat, iterandam putant. Vnctionis vtique sacramentum beatus Innocentius Papa adeò magnum dicit, quod penitentibus, quibus cætera sacramenta negantur, nulla ratione putatur posse concedi. Quid tamen super hoc magnitudo vestræ discretionis sentiat, & quid tenendum doceat, scire desideramus: quia quamuis ista & ratione & auctoritate esse vera non dubitemus, eo tamen vestræ auctoritatis decreto firmari volumus & rogamus.* In eodem exemplari subiicitur postrema pars huiusce epistolæ Iuonis. Alio loco illemet Goffridus de sacramenti iteratione sic scribit. *Ibi reiteratur sacramentum vbi idipsum iterum datur, quasi quod priùs datum est, postea posse dari credatur. Verbi gratia, si aliquis baptizatus, iterum in aquis baptismatis mergeretur ea intentione vt ab originali & aliis peccatis solueretur. Aliter enim non rebaptizatur, etiamsi multotiens aliquis aquis baptismatis submergatur. Vbi verò propter aliud & aliud datur, non iteratur Sacramentum, sed tribuitur ad virtutis argumentum. Quamuis enim priùs in vertice & postea in fronte homo crismate vngatur, non tamen iteratur crismatis sacramentum: quia, vt supradiximus, propter aliud & aliud fit. Sicut & baptismus minimè iteratur, etiamsi multotiens post baptismum aquis baptismatis aspergamur. Inunctio infirmorum, magnum sacramentum est, & ideò nulla est ratione iterandum. Sicut enim cætera sacramenta per apostolos Christiana religio suscepisse creditur, ita & istud suscepisse ab apostolica traditione minimè dubitatur, omne autem sacramentum à Spiritu sancto per doctores sanctos, in quibus ipse loquitur, iterari prohibetur, & idcirco videlicet ne medicina sancta vilesceret, & minùs vtilis esset: quæ tanto magis salubrius est quanto minùs contemptibilis inuenitur.*

Ad Epist. CCLVIII.

Trecis ab eodem legato concilium celebratum est.) Huius rei meminit auctor epist. 141. & Nicolaus Monachus Suessionensis in vita S. Godefridi Episcopi Ambianensis lib. 1. cap. 30. *Eo tempore Richardus Cardinalis, & Apostolicæ sedis Legatus, apud Trecenses celeberrimum habuit conuentum Episcoporum, Abbatum, & Galliæ Procerum.* Diuersum est Concilium apud easdem Trecas habitum à Paschali Papa, de quo supra epist. 176.

Ad Epist. CCLXVI.

Ca Cononi Dei gratia Prænestino Episcopo.) Ita habent meliores codices. ad eundem scribit tres alias epistolas. In eius nomine non semel erratum, vt in vulgato chronico Roberti de monte qui continuator est Sigeberti. *In ciuitate Beluacensi* (ait) *à Conone sedis Apostolicæ Legato Concilium celebratur.* Pro *Conone*, editum, *canonicè*. Confirmat locus Nic. monachi in vita S. Godefridi Episcopi Ambianensis lib. 3. cap. 9. *Interim Conon Cardinalis, Pontificis maximi Legatus, & Radulphus Remorum Archiepiscopus apud Bellouacum synodum celebrant.* Huius etiam meminit Sugerius lib. de vita Ludouici Crassi, cuius loci verba quia sunt corrupta in vulgata editione, hîc proponentur castigatiora. Agens autem de Thoma de Marna homine perditissimo, qui pagum Laudunensem, Remensem & Ambianensem diabolo ei prosperante (vt loquitur) dilapidauerat, subdit. *Cuius intolerabili fatigata molestia cum sederet Beluaci generali conuentu Gallicana Ecclesia, vt in hostes veri sponsi Iesu Christi, hîc etiam iudicij primordia, & damnatiuam incipiat promulgare sententiam, venerabilis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus Cono Prænestinus Episcopus, innumerarum pulsatus molestia querelarum, Ecclesiarum, pauperum, & orphanorum, deuexationum tyrannidem mucrone beati Petri, anathemate scilicet generali detruncans, cingulum militarem ei, licet absenti, decingit, ab omni honore, tanquam sceleratum, infamatum, Christiani nominis inimicum, omnium iudicio deponit.* Ibi cusum est, *Beliaci*, pro, *Beluaci*: & *Cenoprestinus*, pro *Cono Prænestinus*. In chronico Abbatis Vrspergensis ad annum Dom. M. CXVI. & M. CXIX. appellatur Cuno: vbi adiicitur illum excommunicationis suæ sententiam in Henricum Imperatorem dictasse Ierosolymis, & postea in Græcia, Vngaria, Saxonia, Lotharingia, Francia quinque Conciliis confirmasse. Vetus chronologus Autissiodorense.

Anno

Anno Domini 1115. *tria concilia celebrata sunt in Gallijs à Conone sedis apostolicæ Legato, primum Remis, secundum Beluaci, tertium Cathalauni.* Quæ verba pertinent etiam ad illustrationem loci epistolæ Guidonis Archiepisc. Viennensis prolatæ infra in notis epist. 2,6. Extant Goffridi Vindocinensis Abbatis epistolæ inscriptæ, Cononi vitæ laudabilis Episcopo, sanctæ apostolicæ sedis Legato. Wilhelmus autem Malmesburiensis lib. 1. de gest. pontif. Angl. scribit hunc Cononem cum legatione fungeretur in Galliis, non fuisse facilem cuius verba prolata ad epistolam 273.

Ad Epist. CCLXIII.

Si laicorum pedibus colla supponatis.) Goffridus Vindocin. Abbas in epist. ad Gaufridum Carnotens. Episcop. agens de lite Ecclesiæ suæ cum Comitissa Vindocinensi. *Omnino enim iustum est, & sacris canonibus, sicut ipse melius nostis, penitus obuiare videtur, vt Ecclesiastica causa seculari & peregrino iudicio terminetur, & quod vos & vestros facere decet, aliis etiam ecclesiasticis personis concedatur. hoc si fieri posset, Ecclesia vestra damnum pateretur, & sui iuris & honoris perderet plurimum. Ecclesiæ etenim vestræ gloriam alteri dare, nec sanctitatis genus, nec religionis membrum. Hoc etiam benè nostis, dilectissime, quod sæculares homines sua consuetudine sanctæ Ecclesiæ auctoritatem conantur adnullare: & cum eis in modico occasio cuiuslibet consuetudinis contra Ecclesiastica iura conceditur, hoc deinceps omni tempore sibi vendicare nituntur. Si quis hoc facit contra suam Ecclesiam, mundialem suscitat rixam: & cum aliquando aliter facere voluerit, sæcularis tempestas non patitur.* Idem ad Calixtum Papam. *Quando vero Ecclesia sæculari potestati subiicitur, quæ ante domina erat, ancilla efficitur, & quam Christus Dominus dictauit in cruce, & quasi propriis manibus de sanguine suo scripsit chartam libertatis amittit.*

Ad Epist. CCLXVI.

Et terræ patris sui iniustè diuinum officium interdictum esse.) Huius pœnæ exempla in epistolis Goffridi. Nam scribens Iuoni Carnotens. Episcop. *Gratias agimus quod Comitem Vindocinensem pro causa nostra ad rationem mitti fecistis, & quia quod iniquè gesserat corrigere neglexit, eius castello & castelli* * *banleuga diuinum officium abstulistis.* Et post pauca rationem huius pœnæ explicat. *Vnum tamen vtile nobis immo valdè necessarium esset: pro quo vobis tanquam patri filij humiliter supplicamus: quatenus genus pietatis quo pastor Ecclesiæ cum necessitas exigit, impius pro domino fieri debet (genus enim pietatis est vt beatus Hieronymus dicit, impium fieri pro domino) ita in Comitem & in omnem terram ipsius, zelus vestræ rectitudinis propagaret, totum videlicet eius comitatum à diuinis officiis segregans, & ipsum districtioris iustitiæ vinculis alligans, vt vniuersa plebs quæ nostram iniuriam, & eius malitiam non ignorat, & cui illius iniquitas multum displicet, nec maior iustitia displiceret, hinc occasione accepta proclamaret in eum: & sic, quoniam Dei amore ab iniusta actione spontaneus non vult desistere, clamore simul & timore hominum desisteret.* Illemet tamen Goffridus ipsum Iuonem redarguit quòd id ausus fuisset in monasterium Vindocinense, quod vocat allodium Romanæ Ecclesiæ, & ideò se non obtemperasse dicto palam profitetur. *Cum in maiorem Ecclesiam nostram manum mittere non potestis, nec audetis, in cæteris quæ in episcopatu vestro sunt nostris Ecclesiis diuinum officium, non quidem satis iustè, abstulistis. Et quia vestra auctoritate hoc iniustè actum dignoscitur, auctoritate Romana quæ omnium peruersæ auctoritati est contraria, in ipsis Ecclesiis à fratribus nostris priuatim & publicè cantabitur. Sancta & irretractabili Romanorum Pontificum licentia nobis conceditur, vt si interdictum in ecclesiis nostris à quolibet episcopo iniustè factum extiterit, nullatenus à nobis obseruetur.* His coniungenda sunt quæ notantur ad epist. 50.

* Hic habet optimus. v.c.

Asciuit quosdam monachos cementarios) al. cœmentarios. Goffridus Vindoc. in epistola ad Ildebertum Cenomannorum Episcop. *Iohannem cementarium esse monachum Ecclesiæ nostræ, & ab ipsa Ecclesia sæpius per inobedientiam recessisse firmissimè scitis.* Et alia ad eundem epistol. *Iohannem Cementarium monachum quidem, sed non habentem caritatis cementum, quoniam proprij loci deseruit obedientiam, & suæ professionis fidem irritam fecit.*

Ad Epist. CCLXVIII.

In Concilio Exolidunensi.) Quia hoc loco dicit Hugonem Diensem Episcopum & Apostolicum Legatum interfuisse Concilio, palam est debere intelligi concilium celebratum anno 1081. Sic enim scribit auctor chronologiæ Autissiodorensis. *Anno Domini* M. LXXX. *magnus terræ motus cum graui terræ mugitu factus est 6. Calendas Aprilis, prima hora noctis. Sequenti anno apud Exoldunum castrum quod est in Bituria situm, celebratum est concilium. Anno autem altero defuncto Meldensi Episcopo, venerabilis Hugo Diensis Episcopus & Apostolicæ sedis Legatus, apud eandem vrbem concilium habuit, & Robertum Ecclesiæ Resbacensis Abbatem Episcopum ordinauit.*

Ad Epist. CCLXXI.

Patri & Domino suo.) Hæc quatuor verba desunt in aliquot manuscriptis, sed confirmantur exemplis titulorum epist. 250. 244. 238. Ioannes Salesberiensis polycratici lib. 6. cap. 24. Hadrianum Papam alloquens: *Omnes applaudunt tibi, pater omnium vocaris & Dominus, & capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergo pater es, quare à filiis munera & retributiones expectas? Si Dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, & temeritate repressa eos ad fidem non reuocas?*

Quando personaliter accipiebantur.) Martyrologium Ecclesiæ Carnot. de ipsomet Iuone loquens. *Minoratas omnes huius Ecclesiæ &*

precarias in communes redegit vsus, & eas in posterum personis distribui, tam suo quàm apostolico priuilegio vetuit. De personis dictum ad epist. 12.

Ad Epist. CCLXXIII.

Excommunicationem in Episcopos Normanniæ intentatam ita in eo temperetis.) Fortasse hic locus interpretandus ex verbis Willielmi Malmesb. lib. 1. de gestis Pontif. Angl. *In principio regni Henrici* (ait) *venerat in Angliam ad exercendam legationem Guido Viennensis Archiepiscopus, qui postea apostolicus fuit: tunc Anselmus, nec multò post quidam Petrus, omnesque reuersi nullo effectu rei. grandi præda sui, Petrus maximè, quòd omnes eum incendere cauerent, qui esset filius Petri Leonis, summi Romanorum principis. Crebra ergo ad Angliam commeabat legatio Romanorum insidiantium imbecillitati Radulphi. Sed effugabantur omnes cautela Henrici. Nolebat enim ille in Angliam præter consuetudinem antiquam recipere legatum, nisi Cantuariensem Archiepiscopum: illique libenter refringebant impetum propter violentiam denariorum. At non ita facilis flecti Cono legatus in Gallia omnes Episcopos & Abbates Normanniæ suspensionis notâ implicuit, quòd tertiò vocati ad concilia sua non venerant. Super quo habito tractatu, missus Romam Radulphus Archiepiscopus & Herebertus Noruuicensis, vt suo labore tantam legatorum confusionem digererent.*

Ad Epist. CCLXXIV.

Responsales tamen meos.) Sic in v. c. vt etiam paullopost. Vicarios appellat epist. 267. quæ est eiusdem planè argumenti. Horum responsalium crebra mentio in scriptoribus antiquis, maximè Gregorio primo Papa, qui eorum munus satis subindicat, cum dicit diaconos transmissos ad Imperatorem pro responsis ecclesiasticis faciendis, epist. lib. 2. Indict. 11. cap. 91. & 92. item lib. 7. epist. 5. & 6.

In clericali ordine militauit.) eo modo castigata verba authoritate veterum codicum. Malè enim cusum antea fuerat, *indiciali ordine*.

Omnium piè pulsantium) ita melius ex v. c. quàm vt antea, *o. penè puls.*

Ab omnibus filiis) Verba hæc cum nouem proximè sequentibus addita sunt fide eorundem v. c. quæ imperfecta sententia deerant in edito.

Turstinum in Archiepiscopum.) Prima editio habet *Turstinum.* Sed postea in aliis exemplaribus offendi variè scribi nomen. Rogerus de Houeden annalium parte prima in Henrico primo appellat Turstinum. *Turstinus* (ait) *Regis capellanus ad Eboracensem Archiepiscopatum die assumptionis sanctæ Mariæ eligitur Vuintoniæ.* In cuius editione notatur, aliàs legi, *Torstanus.* A cæteris appellatur *Turstanus*, vel *Turstannus.* Matthæus Paris in vita Henrici primi Anglorum Regis. *Anno Domini* MCXIII. *Rex Henricus dedit archiepiscopatum Cantuariensem Rodulpho Londoniensi Episcopo, & illum per annulum & baculum pastoralem inuestiuit. Obiit eodem anno Thomas Eboracensis Archiepiscopus, & ei Thurstanus successit.* In vetustis membranis Ant. Oïselli Iurisconsulti, quibus continentur nonnullæ epistolæ Hildeberti Episcopi Cœnomanensis, appellatur *Rustinus*, sed vitio librarij, pro *Turstinus.* Integram verò epistolam subiicere non abs re fuerit, quia pertinet ad argumentum huiusce epistolæ. nam Hildebertus profitetur se Turstini amicum, & rogat ne falso rumori credat, quo dicebatur velle Romam proficisci nomine Cantuariensis Archiepiscopi aduersus ipsum Turstinum.

Turstino Dei gratia venerabili Eboracensi electo, suo Karissimo amico Ildebertus humilis Cenomannorum sacerdos, non facilè de amico diffidere. Sicut Seneca testatur, & omni & nulli credere vitium est. Vnde & nonnulla vos respicit culpa, si apposuistis animo vestro sinistrum aliquid de amico priùs credere quàm probare, priùs diffidere de eo quàm in eo diffidendi inuenire rationem. Mihi siquidem scripsistis in ore multorum esse quòd legationem Cantuariensis ad domnum Papam susceperim, vt quem flectere ipse non potuit, mea, quæ vel nulla vel modica est, auctoritate flecteretur. Quæ relatione vos vel leuiter esse motum, me non leuiter mouit. Sic enim significastis quòd vel nunquam fuerim quem credebatis amicum, vel turpiter esse destiterim. Cæterum nondum ego hanc assumpsi audaciam, nondum decreui iustitiæ sic aduersari, nondum ita persequi me ipsum vt humeros illi supponam oneri quod portare nec facile est, quia apostolica resistit auctoritas, nec honestum quia impedit ratio, nec vtile quia imminet periculi magnitudo. Quod si nihil horum obstaret, apostoli tamen memor sum sic dicentis: Si ea quæ destruxi reædifico, præuaricatorem me constituo. Nolite itaque credere, nolite opinari me esse mutatum, me ab eo qui fuerim, dissentire. Veritatem loquor, animum meum loquor. Viuit Deus & Dei filius, & vtriusque spiritus, quia nec domnus Cantuariensis, nec pro eo aliquis à me postulauit vt aduersus Eboracensem Ecclesiam, causam eius vel litteris commendarem, vel pro ea legationem susciperem. Sunt quæ ipse nobis indicauit, vnde nostrum quæsiuit consilium: sed quæ nihil omnino vestram vel spectant vel impediunt causam. De legatione quam habuit antecessor eius, sermo mihi & illi fuit, & de aliis quæ à vestro procul sunt negocio. Apostolorum limina nequaquam ad præsens visitare disposui. Vicem mihi rependitis, si in vestra perseueratis amicitia. Ego enim nunquam amici immemor, nunquam desertor esse sustinebo. Vale. Epistolas meas mihi mittere nolite differre.

Quæ exigit ab eo Cantuariensis Ecclesia) sic v. c. prima editio. *Canturiensis.* huius autem contentionis ratio est, quia Eboracensis nolebat subiici Cantuariensi, quæ querela sæpe renouata, vt indicant Anglici historici. Matthæus Paris in Vuillielmo conquæstore. *Anno Domini* M. LXXII. *apud Vuindlesoram ex præcepto Alexandri Papæ, Rege etiam Vuillielmo annuente, in præsentia Huberti Romanæ Ecclesiæ legati, ventilata est causa de primatu Ecclesiæ Cantuariensis, super Ecclesiam Eboracensem. Vbi tandem antiquarum aucto-*

ritatibus ſcripturarum probatum eſt, & oſtenſum, quod Eboracenſis Eccleſia debeat ſubiacere Cantuarienſi, & ipſius Archiepiſcopo, vt Primatis totius Britanniæ diſpoſitionibus, in omnibus quos ad Christianam pertinent religionem, fideliter obedire. Ita quod ſi Archiepiſcopus Cantuarienſis Concilium tenere voluerit, vbicunque ſibi vtile viſum fuerit, Eboracenſis Archiepiſcopus cum omnibus ſuis ſuffraganeis & ſubiectis clericis, ſui præſentiam exhibeat, eiuſque canonicis diſpoſitionibus obediens exiſtat, benedictionem etiam Epiſcopalem ab ipſo debet accipere, & ei canonicam profeſſionem addito iuramento præſtare. Huic igitur conſtitutioni conſenſerunt Rex præfatus & Lanfracus Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Thomas Archiepiſcopus Eboracenſis, cum prædicto Cardinali & omnibus Epiſcopis & Abbatibus regni. Idem ſub dicto anno M. C. XIII. *orta eſt autem inter Rodulfum Cantuarienſem & Thurſtannum Eboracenſem Archiepiſcopos magna diſſenſio, eo quod Eboracenſis ſubiici noluit Archiepiſcopo Cantuarienſi de more, ſicut eius anteceſſores facere ſolebant. cauſa autem ſæpe coram Rege & domino Papa ventilata eſt, ſed nondum fine debito terminata.* Et paullopoſt ſubiicit. *Anno Domini M. C. XV. conſecratus eſt Rodulfus Cantuarienſis Archiepiſcopus Cantuariæ, ab Anſelmo Domini Papæ Legato, quinto Kalendas Iulij, & pallium ab eo ſuſcepit. Et eodem die idem Archiepiſcopus Theophilum Wigornienſem & Bernardum Meneuenſem antiſtites conſecrauit. Deinde poſt dies paucos: cum Turſtannus Eboracenſis delectus, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi moneretur, vt more ſolito benedictionem ab eo ſuſciperet, & ſibi obedientiam faceret, & Eccleſiæ Cantuarienſi: reſpondit, ſe benedictionem ab ipſo ſuſcepturum libenter: ſed profeſſionem quam exigebat, ſe nullomodo facturum. Quod audiens Rex Henricus, proteſtatus eſt manifeſtè, quod niſi Eccleſiæ Cantuarienſi, iuxta morem anteceſſorum ſuorum faceret quod debebat, ipſum Eboracenſi Epiſcopatu cum benedictione funditus cariturum. Sicque ab Archiepiſcopo Cantuarienſi interpoſita appellatione, ne ab alio quam à ſe conſecrationem acciperet, ab inuicem receſſerunt.* Idem paucis interiectis ad annum Dom. M. C. XIX. de Callixto Papa loquens. *Hic Remis Concilium tenuit, ad quod Rex Henricus quoſdam Angliæ & Normanniæ Epiſcopos deſtinauit. Turſtannus quoque Eboracenſis electus, illuc veniendi à Rege licentiam impetrauit, interpoſita fide, quod benedictionem ab eo non reciperet. Qui ad concilium veniens, Romanos (ſicut mos eſt) in ſuum fauorem largitatis beneficio tranſtulit, & per eos, vt à Papa conſecraretur, impetrauit. Quod vt Regi Anglorum innotuit, omnem ei locum ſuæ dominationis interdixit.* Idem poſt pauca, ſub anno Domini M. C. XXV. *Quo vtique anno diſceptarunt. Willielmus Cantuarienſis, & Turſtannus Eboracenſis archipræſules de primatu, quis eorum eſſe dignior videretur.* mox addit. *Anno Domini M. C. XXVII. Rex Henricus ad natale tenuit curiam ſuam apud Windelesheram: vbi cùm Turſtannus Eboracenſis Archiepiſcopus, in præiudicium Willielmi Cantuarienſis Archiepiſcopi Regem vellet coronare, iudicio omnium repulſus eſt, & lator crucis eius quam in capellam Regis ante ſe deferri fecerat, extra capellam cum cruce eiectus eſt.* Hunc autem Turſtannum obiiſſe dicit anno Dom. M. C. XXXIX.

Verùm quæ de hac controuerſia ſcripſit Willielmus Malmesburienſis, digna ſunt planè quæ referantur, vt hiſtoria rei clariùs innoteſcat. Sic autem lib. 3. de geſtis Pontificum Anglorum. *Succeſſit Thurſtanus prædicandæ conſtantiæ clericus, qui cum poſt aliquot annos accepta electionis profeſſionem Radulfo Archiepiſcopo Cantuariæ facere nollet, volente Rege vltro archiepiſcopatu ceſſit. Sed clericorum ſuorum monitu poſteà Romam profectus hanc epiſtolam meruerat.*

Paſchalis Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Henrico illuſtri Regi Anglorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Audiuimus electum Eboracenſem virum ſapientem & ſtrenuum ſine iudicio ab Eboracenſi Eccleſia ſequeſtratum, quod nimirum diuinæ iuſtitiæ & ſanctorum Patrum inſtitutionibus aduerſatur. Nos quidem neque Cantuarienſem Eccleſiam minui, neque Eboracenſem volumus præiudicium pati, ſed eam conſtitutionem quæ à beato Gregorio Anglicæ gentis apoſtolo inter eaſdem eccleſias conſtituta eſt, firmam cenſemus, illibatamque ſeruari. Idem ergo electus vt iuſtitia exigit, ad ſuam eccleſiam omnimodis reuocetur. Si quid autem quæſtionis inter eaſdem eccleſias naſcetur, præſentibus vtriſque partibus in noſtra præſentia pertractetur. Hac epiſtola fretus Turſtanus ſedem ſuam repetiit libens. augebatur in dies diſſidium inter eum & Radulphum Archiepiſcopum, quia Radulphus nullis delinimentis, nullis minis adduci potuerat vt ei manus imponeret, niſi profeſſionem faceret, nec Turſtanus id ſe facturum pro capitis periculo pollicebatur. Succeſſore ergo Paſchalis Papæ Gelaſio citra montes venienti, ambo ſtatuerunt occurrere cauſarum patrocinio adfuturi. Sed mors apoſtolici non diu prolongata tardauit eorum impetum, donec Callixtus qui ei ſucceſſerat Remis ad celebrandum venit concilium. Eo Turſtanus impiger contendit pollicitus Regi nihil ſe contra decus Eccleſiæ Cantuarienſis moliturum. Quod mox vt oportunum vidit, oblitus effregit, ab apoſtolico contra omnes conſuetudines maiorum, benedictionem epiſcopalem ſuſcepit. Præceſſerat ſanè Turſtanum ad Papam Legatus Regis, idemque frater Radulfi Sefredus poſtea Ciceſtrenſis Epiſcopus, denunciaturus Papæ ne vllo modo Turſtanum aut ipſe ſacraret, aut ab aliquo, niſi à Pontifice Cantuariorum ſecundum antiquum morem ſacrari permitteret. Et ſi contra hoc ipſe apoſtolatus ſui iure niti vellet, certus exiſteret, quia nec pro amiſſione coronæ ſuæ propoſitum ſuum in hac cauſa mutaret. His reſpondit apoſtolicus, ne putet Rex me, de quo agit negocio, aliter acturum quàm ipſe velit. Neque enim voluntas mea vnquam me tulit, vt Cantuarienſis Eccleſiæ dignitatem, cui tot præclari patres vt penè toti mundo notiſſimum eſt, præſederunt, quoquomodo humiliem. His blanditiis perſuaſus legatus reditum maturauit. Poſt cuius diſceſſum apoſtolicus Romanorum iuſſis obnoxius, qui in amicitiam Turſtani tranſierant, eum ſacrauit, palam illud interdicente Ioanne Archidiacono Cantuarienſi. reſponditque ei apoſtolicus, nullam in-

iustitiam Ecclesiæ Cantuariensi volumus facere. sed salua iustitia & dignitate illius, quod proposuimus exequimur. Friuolum id audientes indicauerunt, cum dissideret factum à dicto. Hoc audito Rex Turstano interdixit omnem dominationis suæ terram, quam seueritatem nec tunc voluit diminuere cum eum apud Gisortium præsens appellasset apostolicus, asserens se de fide, qua se Rex obligatum esse dicebat, eum authoritate beati Petri soluturum. Quod cum frustrà fuisset, tunc quidem Rex impacatus remansit. Sed sequenti anno cum iam præfatus Papa in sede apostolatus corroboratus, liberiùs quæ vellet disponere; misit epistolam qua iubebatur vt aut Turstanus episcopatu suo potiretur, aut Rex anathemate, & Pontifex Cantuariensis suspensione sacerdotalis officij plecteretur. hic metus coëgit Regem cœptis desistere; receptus est Turstanus in sede. Ita ille quamuis Radulfus & successor eius Willielmus multa conarentur, multa effunderent, omnes eorum allegationes instantiæ suæ dissoluit, & irritas fecit. Hæc Vuillielmus Malmesburiensis, qui etiam alio loco apertè indicat Romanos callidis artibus anteà fouisse istiusmodi contentiones. Nam lib. 1. de gestis Pontificum Anglorum, cap. de Archiepiscopis Dorobernensibus, sub finem, profert verba epistolæ ipsius Paschalis Papæ scriptæ ad Angliæ Episcopos, & Henricum Regem super hac causa Radulphi, vbi inter cætera concludit. *Dignitatem quam per beatum Augustinum suscepit Ecclesia, & quam sanctæ memoriæ frater noster Anselmus iure ac possessione legitima tenuisse cognoscitur, nos profectò nullatenus minuimus, sed in eodem statu esse Cantuariensem Ecclesiam volumus, vt authentica eius priuilegia iuxta canonum sanctiones nullis perturbationibus violentur.* Subiicit autem historicus. *Hic si Papa expressè dixisset, has & has dignitates habuit Ecclesia Cantuariensis, & easdem illi confirmo, absoluisset litigium, controuersiis imposuisset modum. Sed dicens, quæcunque authentica habet, nos nullatenus imminuimus, indeterminatam rem vt erat, reliquit in medio. Sic callidus lepos Romanorum nouit se conuertere ad oratorum versutias, & quæ vult cassa suspendit ambage, non parcens alienis laboribus, dummodo suis consulat profectibus.* Quibus postremis verbis conuenit quod dixit S. Bernardus epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepisc. Romanos sui sæculi non valdè curasse quo fine res terminarentur, quia valdè diligebant munera & sequebantur retributiones. Cæterum, qui plura desiderat super controuersia illarum Ecclesiarum, legat quæ scripsit idem Vuillelmus Malmesb. lib. 3. de gest. Reg. Angl. in Vuillielmo primo.

Prout dignus est) hæc addita ex v. c.

Ad Epist. CCLXXV.

Et Regis, & Comitis Niuernensis exaggerat iniuriam) hæc septem verba quæ deerant in prima editione, nunc adiecta sunt fide membranarum. Huc autem referendum est quod scribit Ioannes monachus maioris monasterij, in prisca historia Gaufridi Ducis Normannorum & Comitis Andegauorum. *Comes Theobaudus vir illustris, quo suo in tempore in regno Francorum dicior opibus, fide præstantior, æquior censura nullus extitit. Sub huius itaque dominio Comes Niuernensis & Hugo cognomento Cenomannicus sese infestabant. Quos vt suos homines Comes Theobaudus ad ius in curia sua sæpiùs inuitabat. Porro Niuernensis ille, vt superior, hostem potius viribus obtinere quàm ad ius descendere volens, Comitis Theobaudi curiam subterfugiebat. Dum igitur lentis & iugibus inimicitiis vtrimque certatur, Comes ille Niuernis volens ad vnguem hostem conterere, Regem Francorum & Eduensem Episcopum, vtrumque cum copioso exercitu super eum adducit. Nec minùs ille cum quanta militum peditumque manu valet, in hostem procedit. Tribus igitur exercitibus congregatis, Rex, Præsul, Comes, Hugonem obsident in castro Cona* dicto. Spes nulla penitus euadendi cum vallato vndique castro ab hostibus nullus posset ingredi, egredi nullus. In arcto itaque constitutus Cenomannicus ad Comitem Theobaudum legatos transmittit discrimen suggerens, flagitans auxilium. Nec mora, vir proprius quia mora periculum esset, suos homines iussu, affines precibus conducit pariter & amicos. Quos inter & præ cunctis Andegauorum Comitem Gofredum obnixiùs erat, postulat confidentiùs, de cuius nimirum auxilio fiducialiùs præsumit. Nec cunctatus ille vt semper promptissimus in subueniendo amicis, pollicetur opem, fidem coartatur. * Selectos itaque Comites & probatos militia cxl. sibi concopulat, satellites* c. c. c. *cum his tantùm properans. Iuncti ergo pariter Comes Theobaudus & Andegauus noster obsesso Cenomannico festinant succurrere. Quorum aduentum fama præuolante Rex Francorum audiens, sano sanè concilio sedem soluit, linquit obsidionem, at Comitem Niuernensem odium inimici ad fugam paululum efficit tardiorem. In quem persequendum Gaufredus Comes inuehitur; Comite Theobaudo occupato in reliquis. Tum verò videns virum illustrem sicut dignitate socios, sic præcedere probitate pictos leones præferens in clypeo, veris leonibus nulla erat inferior feritudo. Consequutus igitur fugientes modus ei fuit absque modo in hostem deseuire. Ad primum velut quoddam militiæ fulmen primus eos penetrat, socij subsequuntur. hos detruncat gladio, illos impetu sternit: nemo illæsus effugit subsequentem. Quid plura? necatis quàm pluribus cæterisque fugatis ipsum Niuernensem Comitem Consul capit, captumque reddidit Comiti Theobaudo. Talibus insignis virtutibus tantisque probitatis clarus Consul noster Gaufredus, sicut humanus erat, & dulcis misericorditer, sic probis & fortis & animosus viriliter; vnde consequens est quòd verè suum erat, parcere subiectis & debellare superbos.*

* In territorio Antissiodorensi oppidum dictum Cona, ait Goffridus de vita S. Bernardi lib. 4. cap. 4.

Ad Epist. CCLXXVII.

Aldeberto Cenomanensis Ecclesiæ electo) anteà casum *Hildeberto*; nescio an culpa typographi, an quod ita scriptum inuenerit in sua vetere membrana quisquis hanc epistolam primæ. ditioni adiici curauerat. desiderabatur enim in illis veteribus libris quibus tunc temporis vsus

fueram. Nouissimè cum incidissem in priscum codicem S. Vict. eandem reperi in calce epistolarum Iuonis, sed tamen diuerso electi nomine. habet enim non *Hildeberto*, sed *Aldeberto*, quam scripturam confirmat aliud exemplar calamo exaratum; idque in varietate & dissimilitudine scripturæ visum est iam potiùs sequendum, vt suus honor reddatur memoriæ Hildeberti Cenomanensis Episcopi. Nam conditor annalium Ecclesiasticorum tomo XII. ex verbis huius epistolæ reprehendit mores Hildeberti; tum quòd etiam scripserat epitaphium poëticum in laudem Berengarij magistri sui hæretica labe notati: quodquidem elegans & integrum extat apud Willielmum Malmesb. lib. 3. de gestis Reg. Angl. nimirum secutus lectionem vulgatæ hactenus editionis, potuit Hildebertum impudicitiæ coarguere. adeò magni momenti res est incidere in libros certæ fidei. At duplex ratio retractandę sententiæ. Prima quòd in illis veteribus archetypis, vt dixi, Aldebertus disertè nominatur, non Hildebertus. altera quòd extant præcedentes epistolæ ad Hildebertum iam Cenomanensem Episcopum. quæ suo ordini restitutæ fide aliquot priscorum codicum, subindicant hanc posteriorem vix posse eidem rectè inscribi. Hildebertus verò inter optimos & laudabiles sui sæculi Episcopos numeratur. de quo latiùs in notis ad epist. 206. Quis autem fuerit iste Aldebertus mihi hactenus ignotum.

Licet aliquantulùm caustica & mordacia) Idem et annalium scriptor dicto loco hanc totam epistolam transcribit, & lacunam cum asterisco proponit hoc modo, *licet aliquantulum* * . . . . *& mordacia* & ad oram ibi additur fortè legendum, *aliquantulùm sint ipsa mordacia*, sed lectio nostrorum codicum planè sincera est, nec quicquam vitij alit, similis enim loquutio epistola 133. ad Richardum.

Ad Epist. CCLXXVIII.

Roberto Lincholiensis Ecclesiæ Episcopo) huius mentio fit ab Henrico Huntindoniensi histor. lib. 7. *Iunior Willielmus sexto anno regni sui dedit Roberto cognomento Bloet Cancellario suo Episcopatum Lincolniæ: quo non erat alter forma venustior, mente serenior, affatu dulcior. Promisit quoque rex se prauas leges emendaturum, & in domo Domini pacem positurum. Sed ex quo sanus fuit, pœnituit eum, & solito peior factus est, condolens igitur quòd Episcopatum Lincolniæ non vendiderat: cum Archiepiscopo Eboracensi calumniatus est Robertum Episcopum, quòd vrbs Lincolniæ, & prouincia Lindessa Archiepiscopo eidem subiacere debuissent. Nec potuit causa terminari, donec Robertus quingentas libras Regi pro libertate Ecclesiæ suæ pepigerit. Quod Regi quidem symoniæ, præsuli verò iustitiæ deputatum est.* Quæ habet etiam Mattheus Paris in Willielmo secundo, sub anno Domini M. XCII. nisi quòd paullo aliter in extremis verbis. *Sed hoc* (ait) *primò Regi pro symonia, post verò pro iustitia reputatum est.* Rogerus Houedunus Annalium parte prima, notat, hunc præsulem obiisse morbo subitaneo, cum esset in comitatu Regis Henrici primi Anglici, decima die Ianuarij anno 1112. Willielmus Malmesburiensis lib. 4. de gestis pontif. Anglor. cap. de Episcopis Lincolniensib. refert id accidisse cum regio lateri adequitaret, additque vixisse in episcopatu paullominus annis triginta, hominemque fuisse hilarem & parùm grauem, negociorum sæcularium scientia nulli secundum, ecclesiasticorum non ita.

Ad Epist. CCLXXX.

Petrofungensis) aliàs, *Petræfungensis*, *Petræfingensis*, *Petræfuntensis*.

Ad Epist. CCLXXXV.

Per manum laici) quod contra canones fieri dicit epist. 131. & 219.

Et per librum ipsam Ecclesiam) confer locum epist. 182. vbi dicit se inuestituram subdecaniæ facere voluisse porrecto libro. S. Bernardus in sermo. de baptismo. *Inuestitur canonicus per librum.* In vetusto exemplari sub tit. de re vestimento præbendæ extat formula Gelasij Papæ his verbis. *Frater in nomine Domini ego te reuestio per hunc librum & per istum panem de hac præbenda iussu nostri prælatoris & iussu canonicorum istius Ecclesiæ, &c.*

Ad Epist. CCLXXXVII.

Hæc epistola cum ab auctore scripta fuerit antequam fieret Episcopus Carnoti, videri poterat ob rationem temporis non autem pontificiæ dignitatis collocanda in fronte operis. Nam in vulgatis exemplaribus inscriptio præfert scriptam fuisse ab Iuone Presbytero beati Quintini Beluacensis. Tamen in nullis vetustis codicibus præfigitur initio harum epistolarum. Inimò planè deest in plerisque. Variat autem titulus. Nam in antiquo exemplari collegij Nauarrici habetur. *Iuonis Carnotensis Episcopi ad Haimaricum Abbatem Aquacinensem, de corpore & sanguine Domini.* In veteri quoque scheda Ant. Loiselli duplex epigraphe. Prima. *Epistola Iuonis sancti Quintini Beluacensis Præpositi ad Aimericum monachum tunc Atrebatensem, postea Abbatem Aquicinti de corpore & sanguine Domini.* Secunda. *Iuo minimus Ecclesiæ Beluacensis beati Quintini Presbyter, Haimerico bonæ spei fratri, &c.* Alibi scribitur *Aquiscincti*, vt in epist. 65. S. Bernardi ad Aluisum Abbatem. Aquicinensis Ecclesiæ mentio fit à Sigeberto in chronico ad annum dom. 1100. Robertus monachus hist. Hierosol. lib. 7. Aquiscingensem appellat, si modo recta est ibi scriptura. *Aquiscingensis cœnobij* (ait) *indefessus adiutor in omnibus fuit.*

Sapa sit an carenum) hæc lectio vetus firmatur verbis Bernardi Bonæuallensis Abbatis lib. 2. de vita S. Bernardi cap. 1. *panis ibi opicus pro simila, pro careno sapa, pro rhombis blera, pro quibuslibet deliciis legumina ponebantur.*

FINIS.



IOAN. BAPT. SOVCHETI
D. THEOLOGI, ET CARNOTENSIS ECCLESIÆ CANONICI
IN IVONIS EPISTOLAS, NOVÆ OBSERVATIONES.



VM multa Iuretus, vir antiqui moris studiosissimus, in obseruationibus suis ad Iuonis Carnotensis Episcopi epistolas, vel consultò prætermiserit, vel neglexerit, aut certè homo alieni soli, & cui patriæ historiæ notitia deerat, quædam non nouerit, quæ fortè lectori non iniucunda erunt, addere cogitaui, vt si fieri posset, pauca ad plenam ipsarum lucem desiderarentur. Prætermisit enim sponte vir doctissimus & neglexit, vt fatetur ipse, epistolarum omnium synopses, quas cùm expeterent plurimi, ipsorum satisfecissem votis, ni MS. codicum, atque Petri Pithoëi viri de re literaria optimè meriti, qui Iuonis epistolis suas præfixerant, aspernata, seu non satis probata, remorata esset auctoritas. Quid enim inter canoros olores perstreperet raucidus anser? sed & facilis Iuonis dictio, textus adeo planus & nitidus Oedipo non eget, neque face quæ mentem auctoris illustret. Quare quibus conscriptæ fuerint epistolæ illæ, aut personis, aut annis, quoad eius fieri potuit, enodare tantùm studui, eoque ordine quo delineatæ sunt aut missæ digessissem, ni membranis aduersantibus & alium exigentibus, detulissem. Eum siquidem inuertere nec volui, nec debui, vt staret suus antiquitatis honos, & illibata maiorum dispositio. Veneranda enim vbique decessorum memoria, à qua recedere nefas arbitror. Neque de Iureti gloria aliquid demere eius addendo lucubrationibus, intentionis vnquam meæ fuit; sed tantùm vt notulæ quas mente suas legendo conceperam, appendices ipsis forent, & Iuonis elucidandis tabellis lumen aliquod adferrent. Ea de re, ne in labores eius ingressus inuidiam mihi parerem, à Patrum, aliorumque auctorum citationibus, quas ipse Iuretus, vel in textus margine, vel in obseruationum suarum corpore delibasset, aut annotasset, abstinui; ommissa tantùm addidi. Id vero laboris haud proprio impellente iudicio (quod mihi semper suspectum fuit) sed amicorum hortatu, seu imperio, quibus opellam meam, aut studium denegare vix potui, aggressus sum. Quæcunque illæ sint ἀνάγραφαι, rudes prodeunt. Prælo enim currente, morbo conflictante, & occupationibus cotidianis distrahentibus, limam addere & polire non valui. Boni igitur æquique consulat lector, & si quid quod animum delectet in ipsis inuenerit, gratiam habeat; si quid nimis depressum & humile, benignus ignoscat. Ea enim est hominum conditio, seu potius infirmitas, vt plura nesciant, quàm addiscere possint, & omnibus placere, paucis vel nullis datum est.

Ad Epistolam III.

IN præcedenti editione epistolam hanc ad calcem reiecerat Iuretus, vtpote sibi tardiùs transmissam, & maxima epistolarum parte iam excusa, vt ipse ad marginem annotauerat: sed quia verè est huius loci, ideo eam hîc inseruimus loco tertiæ epistolæ, quæ sanè non est epistola sed oratio aut Commonitorium Papæ ad Episcopum quem consecrauit, vt notat Baronius tomo vndecimo Annal. & vt videre est in ordine Romano qui hunc habet titulum: *Qualiter Episcopus debeat ordinari*: sed fusiùs quàm sit apud Iuonem. Præclaræ autem sunt ibi admonitiones ad Episcopum qualiter se gerere debeat & lectu dignissimæ, sed quia fusissimæ sunt nec huius loci, ideò ad ordinem Romanum lectorem remittimus. Quia verò hæc oratio in omnibus tam MSS. quàm excusis codicibus sub nomine orationis vel commonitorij vel dictionis Vrbani Papæ ad Iuonem &c. habetur, eam consultò reliquimus mutato solùm epistolæ nomine in Orationem: sicque nec Iuonis epistolarum numerum ac seriem, nec Iureti notarum ordinem vllo modo interturbauimus.

Ad Epist. IV.

Abbati Maioris monasterij Bernardo.) Electum fuisse illius cœnobij Abbatem post Bartholomæum constat anno 1083. computando à Paschate more Gallico, ex textu, *de dedicatione Ecclesiæ Maioris-monasterij* (sic enim habet editus Codex) in cuius initio hæc leguntur. *Anno ab Incarnatione Domini* M. XCV. *sexto Idus Martij Luna* XI. *Epacta* XXIII. *concurrentibus* II. *qui est annus Philippi Francorum Regis*

XXXVII. *& Bernardi huius Maioris nostri monasterij Abbatis ab ordinatione sua annus* XIII. *Vrbanus secundus Papa gloriosus, &c. anno Apostolicatus sui* VIII. *id est, in octauis festi hyemalis B. Martini, tandem pacis & concordiæ gratia inter nos & Turonenses beati Mauricij canonicos, iam tunc decennio nos persequi non cessantes, faciendæ, monasterio nostro ab eodem visitato, ipsoque ab exiguitate nostra pro tempore, competenter satis, vt decuit, excepto, & apud nos diebus septem non sine multis expensis repausato, sine refrigerato, octaua demum aduentus sui die, qui est terminus in prima fronte paginæ annotatus, dedicauit Deo in honorem S. Crucis, & beatissimæ Dei genitricis, perpetuaque Virginis Mariæ, ac SS. Apostolorum Petri & Pauli: necnon & B. Martini, maiorem basilicam nostri huius Maioris-monasterij.* Quod confirmatur instrumento in Cartulario illius asceterij folio centesimo octuagesimo descripto, quod est *Notitia de rebus quas dederunt & vendiderunt Michael & Almarus Pater eius apud Castrum fractæuallis.* Ibi enim habetur. *Notum sit omnibus quod anno dedicationis Basilicæ maioris monasterij ab Vrbano Papa factæ, &c. Venerunt ipsimet ambo fratres Rotbertus Michael & Almarus ad maius-monasterium, & in Capitulo nostro acceperunt societatis nostræ beneficium tempore Domni Abbatis Bernardi Anno ordinationis eius decimo tertio, &c.* Cum autem illa Epistola sit prima in ordine, primam aut secundam earum quas ad diuersos scripsit Iuo fuisse arbitror circa 1090.

Domnum Ganterium quondam monasterij Bonæuallis Abbatem) Bernerij prædecessorē; quem rectè ad suum monasterium reuocandum censet, cùm absq; sui Episcopi licentia illud deserere nō licuerit. Conciliis namque Agathensis can. 52. Parisiensi 6. can. 34. Meldensi can. 50. & Venetico in Armorica celebrato c. 5. diræ intentantur in clericos & monachos absque litteris commendatitiis seu formatis Episcopi sui euagantes *Clericis aut monachis*, habet canon, *sine commendatitiis epistolis episcopi sui, licentia non pateat ambulandi, aut euagandi, & in omni loco ad quem sine epistolis Episcopi sui (vt dictum est) venerint, à communione habeantur alieni.* Ita etiam Conc. Aurelianense 1. c. 19. *Abbates*, inquit, *pro humilitate religionis, in Episcoporum potestate consistant. Et si quid extrà regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur.* Quod totidem verbis Ansegisus lib. 6. Capitular. c. 137. refert. Simile quid legitur in Aurel. 2. c. 21. vbi dicitur quòd *Abbates qui Episcoporum præcepta despiciunt, ad communionem nec penitus admittantur, nisi contumaciam humilitate suscepta, deponant.* Formatarum autem seu commendatitiarum litterarum hæc erat formula, vt in membranis antiquis reperio: *Reuerentissimo, atque amantissimo N. Præsuli, N. Ecclesiæ, N. Præsul, multimodas in domino salutes. Vestræ, religiosissime Pater, noscat sanctitatis industria, præsentem N. nomine* (hic qualitas inscribenda est, nempe diaconi, subdiaconi, &c.) *apud diœcesim nostram detentum ibique sacris litteris imbutum, ac bona fama conuersatum. Nunc autem postulauit nos, vti eidem commendatitias litteras fieri iuberemus; cuius votis, & desideriis annuentes, secundùm canonicæ institutionis promulgatam auctoritatem, hos nostræ humilitatis apices ei concessimus. Humiliter igitur vestram obsecramus magnificentiam, vti præfatum N. in illa Ecclesia pro æternæ retributionis augmento ad sacri N. ordinem misericorditer promouere condignemini. Et vt nemo eum auctoritate canonica à vobis possit repetere, & ne huic epistolæ, quam mos Latinus Formatam appellat, aliqua fraus falsitatis interesse videatur, secundùm Nicenum Concilium annotauimus in supputatione prima Græca elementa Patris & Filij & Spiritus sancti, hoc est.* π, υ, α, *quæ elementa octogenarium quadringentesimum & primum significant numerum. Petri quoque Apostoli primam litteram* Π. *quæ octoginta significat, nostri quin etiam nominis primam; Vestri quoque secundam, accipientis tertiam; ciuitatis etiam vestræ quartam, indictionis insuper præsentis numerum. Addidimus etiam & nonagenarium & nonum numerum, quod secundùm suæ idioma linguæ significat* ἀμὴν. Zosimus autem Papa Epistola 5. quæ est 1. ad Episcopos Galliæ decreuit, vt si quis ex qualibet Galliarum parte sub quolibet ecclesiastico gradu Romam ire contenderet, vel alio terrarum ire disponeret, à Metropolitano Arelatensi formatas acciperet; quibus sacerdotium suum, vel locum ecclesiasticum quem haberet, scriptorum eius attestatione perdoceret, alioquin se sciret ab Ecclesiæ communione esse discretum. Quod Epist. 5. ac 9. vel etiam 6. alias 11. ad Patroclum Arelatensem Episcopum confirmat: sicut & Vigilius Papa ad Auxanium Arelatensem Episc. Epist. 2. Plures illarum formatarum formulæ videri possunt apud Sirmundum tom. 2. Conc. pag. 663. & deinceps. Translationes verò monachorum ab vno in aliud monasterium. 2. Vernense Conc. c. 10. solis Episcopis tribuit, *Vt monachi qui veraciter regulariter viuunt*, fert Concilij textus, *ad Romanam sedem, vel alibi vagari non permittantur, nisi obedientiam Abbatis sui exerceant. Et si talis causa euenerit, quod absit, quod ille Abbas sic remissus, vel negligens inueniatur, vt in manus laicorum ipsum Monasterium veniat, & hoc Episcopus emendare non potuerit, & aliqui tales monachi ibidem fuerint, qui propter Deum de ipso monasterio in alterum migrare velint, propter eorum animas saluandas, hi per consensum Episcopi licentiam habeant, qualiter eorum animæ possint saluari.*

Ad Epist. V.

Adelæ nobili Comitissæ.) Henrici-Stephani Carnotensis Comitis vxori.

Regius in excellentia vestra sanguis) quod originem ipsa Adela duceret à Guillielmo primo Anglorum Rege, & Matilde Balduini Flandrensium Comitis filia illius vxore; quæ neptis erat ex sorore Henrici primi Gallorum Regis. Quod ita Ordericus Vitalis lib. 3. Eccles. hist. exponit. *His temporibus* (inquit) *Willielmus Normanniæ Dux, probitate & potestate valdè crescebat, cunctisque vicinis suis liberalitate, & magnificentia supereminebat. Hic generosam Mathildem Balduini Ducis Flandrensium filiam, neptem scilicet, ex sorore Henrici Regis Francorum coniugem accepit.* Et libro 4. de eadem Mathilde loquens, scribit: *Hæc consanguinea Philippi Francorum Regis erat, & ex Regibus Galliæ, ac Imperatoribus Germaniæ originem ducebat, eximiâque tam generis, quam morum nobilitate cluëbat. Egregio marito edidit vtriusque sexus optatam sobolem Robertum, & Ricardum, Willelmum Rufum, & Henricum: Agatham, & Constantiam, Adelizam, ADELAM, & Ceci-*

filiam, &c. Quod autem Adela nupserit Henrico Stephano Carnutum Comiti, idem auctor testatur lib. 5. *Stephanus*, inquit, *Blesensis Palatinus Comes cum Guillelmo rege firmare volens amicitiam, requisiuit ab eo in coniugium Adelam eius filiam, quæ consultu prudentum à patre illi concessa est*, &c. Idem habet Guill. Gemeticensis monachus lib. 8. hist. Norman. cap. 34. Quo verò anno hæc scripta fuit epistola non satis apparet hanc tamen anno 1090. in lucem editam puto.

Ad Epist. VI.

Girardo dilecto sibi.) Quis fuerit Girardus ille, scitu admodùm difficile est, cùm nudum nomen tantùm habeamus. Si tamen coniectari licet, illum fuisse canonicum regularem SanQuintinianum Iuonis familiarem, & qui posteà S. Lupi Trecensis Abbas extitit, existimarem, ad quem hâc epist. scripsit ipso Pontificatus initio.

Instrumentum etiam niuei candoris ad ordinandos capillos, &c.) Pectinem eburneum intelligit, discriminando capillo aptum, non tantùm ad domesticum & communem vsum, sed etiam ad sacrum. Vt enim obseruat Durandus lib. 4. Rationalis diu. offic. c. 3. mos fuit antiquitus Episcopis, vt caligis & sandaliis impositis, caput pectinarent. *Tertiò*, inquit, *pectinatur caput. Nam per capillos, superflua cogitationes & cura terrena sollicitudinis: per caput, mens & intentio, qua cunctis animæ actibus, sicut caput cæteris membris supereminet, significantur. Congruè igitur pectine capilli complanantur & ordinantur, & euulsi separantur, ad notandum quod tunc specialiter mores componere & superfluas cogitationes à se repellere debet, iuxta illud propheticum.* Auferte malum cogitationum vestrarum, *atque mens ipsius praua discretione separari, quietari, & purgari à terrenis sollicitudinibus, & virtutibus ordinari debet. Pecten enim propter ordinatam in incisionibus diuisionem, discretionem significat, qua intentio animæ adornatur, sicut capilli capitis pectine.* Eadem est mens Iuonis hac Epistola cum scribit, *Credo prudentiam tuam munusculo hoc quasi quodam monitorio vigilantiam meam excitare, vt studeam inordinatos populorum mores diuersis exhortationũ modis componere, atque habito discretionis moderamine ad debitũ ordinem reuocare.* Artemidorus tamen lib. *de somniorum explicatione* c. 6. Pectini comparat tempus dura omnia dissoluens atque corrigens, quasi hoc munere Girardus Iuonis animum ad omnia mala, quæ ei vel ex aduersario Gaufrido Episcopatu exuto, vel ab eius auunculo Parisiẽsi antistite & regni Cancellario, ipso Rege, & Metropolitano Senonensi, qui depositi præsulis partes tuebantur, æquè ferenda, inflectere vellet.

In Normannia Præposituram quandam) hanc Præposituram Ricardus Normanniæ dux circa annum 1017. Ecclesiæ Carnotensi contulerat; vt ex donationis instrumento planum est, cuius pars quæ ad institutum spectat ea est: *Regnante Domino Iesu Christo in perpetuum. Anno Incarnationis eius post mille decimo septimo, Indictione* XV. *& Roberti Regis Francorum anno* XXVI. *Ego Ricardus Marchio Normanniæ, &c. Notum esse volo omnibus, qualiter Ecclesiam S. Dei genitricis Mariæ Carnotensis esse non tulerim mea largitatis expertem, tum epitulandi gratia, quã apud Deum præ omnibus habet: tùm iniuria causa non modicæ, quam in viciniâ eius grauiter exercueram, &c. Dono itaque pari voto, & communi fauore filiorum, necnon affinium meorum, & de iure meo, in propriam ditionem, Dei cuius omnia sunt, & S. Mariæ Carnotensis perpetualiter habenda transfundimus donatione directa; videlicet in Ebroacensi comitatu Ebrardiuillam totam cum ecclesia, & decimam venationis de sylua, quæ dicitur Bortis; & in eodem pago ecclesiam solam de Hauuilla: & in Lisiuno, ecclesiam solam de Bonauilla, & in eodem territorio Anglicamuillam totam cum ecclesia; & ecclesiam de S. Iuliano cum duobus membris. Hæc itaque dona, &c. tradidimus omni consuetudine nostra, vel inquietatione penitus dimissa, &c.*

Auxilio insulsi Comitis terra illius sibi vsurpat & deuastat.) Expulsò ab ecclesia Carnotensi Gauffrido põtifice huius nominis primo in Normanniam secessit, vbi Guillelmi Eoroicensis comitis patrocinio fretus, quæ Præpositura erant facultates dilapidabat. De isto Guillelmo videndus Ordericus Vital. hist. Norm. lib. 11. ad 1108. Ex quibus statim post initum Iuonis pontificatum scriptam Epistolam censeo, cùm Goffridus exepiscopus Carnotensis, quem caprum emissarium vocat Iuo in Normaniam exauctoratus cesserit; vt ex epist. hac constat.

Ad Epist. X.

Virginibus in Dunensi monasterio S. Auiti Deo dicatis) Hoc monasterium haud procul à Castroduno sanctimonialibus erectum est ante annum 1045. cum eodem Wanelo S. Martini Turonensis Thesaurarius quasdam suæ possessionis res de beneficio Carnotensis Episcopi, ecclesiæ S. Auiti in sanctimonialium ibidem Deo famulantium vsus, cedat, vt ipse in tabulis cessionis ab illo factæ agnoscit. Cuius autem ordinis ab initio fuerint, non liquet, cùm id temporis quam sibi volebant Abbates & Abbatissæ præfigebant regulam, vel saltem quæ ab Episcopo obseruabant dabatur. Alij enim S. Cæsarij Arelatensis Archiepiscopi, & S. Cæsariæ sororis eius, S. Columbani, S. Benedicti & aliorum quæ magis arridebat, amplectebantur. Nunc verò Benedictinam profitentur, deposito schemate antiquo, & nouo induto. Circa 1092. hanc missam puto.

Ad Epist. XII.

Reuerendissimo Patri Patrum Vrbano) huius nominis secundo. Hic natione Gallus, vt habet Onufrius, oppido Castellionis, quod est in diœcesi Remensi, Domnus Otho appellatus, ex canonico regulari Lateranensi monachus Cluniacensis factus, tum Episcopus Ostiensis à Gregorio Papa VII. creatus, tandem Victore 3. Romano Pontifice fato functo, Terracinæ in Campania IV. Idus Martij, anni Domini millesimi octuagesimi octaui, à Gregorianæ factionis Cardinalibus contra Clementem III. in schismate electus est & consecratus. Sedit annis XI. mensibus 4. diebus 18. Obiit autem Romæ in ædibus Petri Leonis 4. Kal. Aug. 1099. & ad S. Petrum situs est. Hanc verò misisse Epistolam Vrbano Iuonem contendit Baronius anno 1093. num. 8. quod non probo. Scripta enim videtur, statim atque Roma rediit Iuo, quem in suum cœtum nolentes admittere Richerius Senonensis Metropolita Suffraganeique ipsius, Concilio Stampis coacto dignitate exuere conati sunt, sed ad Pontificem prouocatione eorum impetus fregit, vt ex Cartulario monasterij Vindocinensis carta 170. quæ Iuonem testem producit anno 1091. Indict. 14. feria 6. hebdomadæ Paschalis, ipsum

Roma rediisse saltem hoc anno probatur, quo synodus illa Stampensis congregata est, statimque post hac Epistola scripta.

Altaria à me redimere volunt) vel decimas addit Iuretus in Notis, quas vulgò altaria nuncupabant, quod expungo. Non enim decimæ, sed ecclesiæ quibus decimæ dabantur, altaria vocabantur. Cùm autem Iuonis sæculo ecclesias vel à se conditas, vel sui iuris, plerique Congregationibus & monasteriis offerrent, vel etiam venderent liberè possidendas, venditionem illam redemptionis nomine palliabant. Ita enim Chronicon Mauriniacense, *Mordebat autem* (inquit) *Abbatis & aliorum quorumdam fratrum conscientiam quod Antecessores nostri ecclesias, ac decimas quasdam, non solùm donis, verumetiam pecuniis acquisierant. Neque enim tunc, in initio scilicet constitutionis huius ecclesiæ quæstio de simonia sic ventilata erat, sicut posterorum diligentia factum est. Sed si quid ecclesiasticum à secularibus hominibus emeretur, non emptio, sed redemptio vocabatur &c.* Huic malo ne longius serperet, manum admouere cupientes Episcopi ad quos iure communi omnium suæ diœcesis ecclesiarum ordinatio & potestas spectat, ex synodo Aurelianens. 1. ca. 19. Cabilonensi c. 10. & aliis passim, nonnumquam ipsas Ecclesias monachis ea lege concedebant, vt quoties illarum Vicarij, (quos personas vocabant) mutarentur, certam pecuniæ summam à Synodatico & Cathedratico quæ prælatis debentur aliã & diuersam penderent, quæ redemptio altaris etiam dicebatur. Hanc vexationem quæ symoniam sapiebat, sustulit Aruernense Concil. vt habetur 16. q. 7. can. 2. *Congregato.* Verùm cùm post synodum prælati pro redemptione illa, annui census pensitationem exigerent, quæ Tallia dicitur, Paschalis II. Vrbani successor abusum illum omnino præscribere volens grauiter Iuonem Carnotensem & Ranulfum Santonẽsem Episcopos increpat quod ab exactione hac non abstinerent, vt ex eius Epistola ad ipsos directa quæ in Vindocinensis monasterij cartulario asseruatur, planum esse potest, quæ cùm ad institutum plurimùm faciat, referre non abs re erit, sic autem se habet.

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabilibus Episcopis Iuoni Carnotensi, & Ranulfo Sanctonensi, salutem & Apostolicam benedictionem. Iuxtà sanctorum canonum sanctiones, non ignotum vobis esse credimus, quid vltionis maneat Ecclesiastici ordinis viros Apostolicæ sedis decreta spernentes. Ipsi enim Aruernensi Concilio affuistis, in quo præsidente prædecessore nostro bonæ memoriæ Papa Vrbano, considentibus Gallorum Episcopis, decretum est vt altaria quæ ab annis triginta, & sub Vicariorum redemptione Monasteria possedisse noscuntur, quietè deinceps & sine molestia qualibet monasteriis ipsis firma permaneant. Vos autem huic simplicitati incongruas duplicitates innectitis & personarum redemptionem mutatis nominibus extorquere conamini. Verum oportet nos huiusmodi versutiis sinceritate veritatis Apostolicæ obuiare. Præcipimus ergo, vt decretum illud omnino teneatur integrè, nec super illud quidquam vlterius pro eisdem altaribus exigatis. Sanè quod vobis dicimus, cæteris quoque Galliarum Episcopis erga suarum diœcesum monasteria præcipimus obseruandum. Datum Romæ II. Idus Martij.

Illud eo magis miror in Iuone, quòd hac in epistola cùm consuetudinem hanc tanquam prauam in antecessoribus reprehendat, & super illius exactione summum Pontificem consulat, *Videat meliora probetque, Deteriora tamen sequatur,* vt est apud Senecam in Medea. Renouatum est præterea Decretum in Concilio Pictauensi, à Ioanne & Benedicto S. R. E. Cardinalibus, Paschalis legatis, can. 6. vt videre est tom. 7. Concil. part. 1. pag. 533. & altero ibidem Concilio sub iisdem can. 9. pag. 540. Eiusdem argumenti est epistola 12. lib. 3. Goffridi Vindocinensis Abbatis ad Vlgerium Andegauensem Episcopum cui inter alia hæc scribit *Annuntiastis, vt dicitur, Presbyteris vestris & personis Ecclesiæ vestræ quod domnus Papa Vrbanus in Aruernensi Concilio præceperat, vt Episcopi annuum censum habeant à monachis pro redemptione altarium. Bene nouit prudentia vestra non esse bonum, quod apostolica sinceritate disponitur per contrarium prædicare. Bone Domine, vos illi non adfuistis Concilio, & ego interfui, qui huius rei cognosco veritatem. Redemptionem ecclesiarum quæ vulgari vocabulo Altaria nuncupantur, beatus vir ille simoniacam prauitatem vocauit, & Apostolica auctoritate damnauit. Illa tamen magica & simoniaca pecunia, aliquando in triginta, aliquando verò in quadraginta, aliquando etiam in sexaginta annis soluebatur Episcopis. Qui autem redemptionem altarium, quæ in pluribus annis non nisi semel per Vicarios fieri solebat; hæresim vocauit & condemnauit, sub nomine annui census pro redemptione vicariorum, siue altarium annuam pecuniam extorquere docuit, non præcepit: immo omnia quæcunque Abbates & monachi in Ecclesiis sub redemptione Vicariorum tenuerant, vt quietè deinceps & sine cuiuslibet exactione pecuniæ poßiderent, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate firmauit. Nam si in pluribus annis non nisi semel, vt dictum est, per Vicarios pecunia pro altaribus dabatur Episcopis, & pecuniam ipsam Apostolica auctoritate probatum sit simoniam esse: singulis annis Episcopis pro Vicariis altarium pecuniam dare, quid est aliud, quàm pro plurimorum annorum simonia, per annos singulos sub nomine annui census, annuam simoniam exercere? Non est hoc doctrina Christianæ fidei, sed exactio pessima, quæ simoniam multiplicat, & sanctæ Ecclesiæ violat castitatem. Pecunia itaque pro ecclesiis sub palliata cupiditate extorta, quæ redemptio altarium dicitur, ab Apostolica sede damnata, siue per Vicarios rariùs, siue pro Vicariis frequentiùs, sub qualicunque nomine, vel occasione extorqueatur, Simoniaca prauitas esse nulla ratione dubitatur; illa tamen grauior, quæ sæpius agitur. Quapropter illam specialiter Christianus Catholicus vitare & Episcopus maximè detestari debet, ne fiat nouißimus error peior priore.* Non propterea omninò cessatum est ab hac exactione. Cum enim tenues essent ecclesiarum facultates & redditus sicut ex Concilio Nicæno ca. 41. Episcopi singulis annis Patriarcham aliquo subsidio quod caritatiuum donum vocabant, iuuare tenebantur, quo pro dignitate sustentaretur: ita & presbyteri Episcopum. Quare Iustinianus Cod. *De Episc. & Cleric.* lib. 16. meminit cuiusdam capitationis à quibusdam clericis persoluendæ ecclesiis quæ erant in potestate Episcopi. Vnde cùm in hanc rem non semel, seu ab Episcopis, seu ab iis qui illibenter suum iuuarent Episcopum, peccatum esset, concordiæ, ac beneuolentiæ mutuæ gratia factum est, vt in quibusdam diœcesibus Episcopi vacantium parochialium ecclesiarum vnius, seu primi anni fructus & oblationes quos deportus dicunt, sibi vendicarint, parte aliqua Archidiaconis

concessa, cùm ad eorum curam sollicitudo parochiarum & ordinatio pertineant. vt habet Isidorus epistola ad Ludifredum Cordubensem Episcopum; atque ita ecclesiæ totius diœceseos prisca illa redemptione altarium solutæ. Nam, vt est apud Chopinum lib. 3. *de Sacra politia* tit. 3 num. 3. sicut militaria ac profana beneficia quæ militibus ob fidem & obsequium data sunt, in causam caducariam incidunt vltimi clientis obitu, patronique eo casu primi anni fructus suos pro clientelaris fundi renouatione, ac instauratione faciunt: ita sacri beneficij caducarium annum cedere commodo benefici collatoris debere dicunt, adeo vt titulario morte absumpto, Episcopus aut Archidiaconus caducarios eius anni prouentus percipiat. Totâ Neustriâ id exactè seruatur, alibi non ita, sed pro variarum ecclesiarum consuetudine. fortè scripta hæc epist. 1092.

Ad Epist. XIII.

Rainaldo reuerendo Remorum Archiepiscopo) Rainaldum Contractum intelligit sancti Martini Turonensis olim Thesaurarium, qui Manassi successit, & ab Hugone Diensi Episcopo, Gregorij septimi Legato in Lugdunensi synodo anno 1080. consecratus est. Hanc autem Epistolam ab Iuone Rainaldo scriptam censet Baronius anno 1093. num. 13. Ego sequente, cum eo tantùm anno Bertradam, de qua in textu agitur, Philippus Francorum Rex vxorem duxerit, coronamque regiam imponi fecerit, vt rectè obseruauit Iuretus ad epist. 16. sub finem. Neque diu superstes fuit Rainaldus cùm anno 1095. Attrebati 9. Kal. Februarij obierit; vt scribit Robertus in Archiepiscopis Remensibus, num. 45.

Ad Epist. XVI.

Walterio seu Gualterio Meldensium Episcopo.) Hic est Galterius huius nominis secundus, qui à Richerio Senonensi Archipræsule, contrà Robertum ab Hugone olim Diensi, tunc Lugdunensi Primate, & Apostolicæ sedis Legato ordinatum, promotus est, vt habet Odorannus S. Petri Viui Senonensis monachus.

Rogerius Romanæ Ecclesiæ Legatus.) Nullum eo tempore huius nominis Apostolicæ sedis inuenio legatum; Hugo siquidem Lugdunensis, de quo supra, Iuone postulante epistola 12. in Galliis legatione functus est, postquem Richardus Albanensis Cardinalis, deinde Cono. Quando igitur hic Rogerius? Cardinalem tantùm eum vocat Iuo epist. 18.

Hoc vero vobis consulo.) Ex his hanc epistolam post initum Philippi Regis cum Bertrada coniugium, seu potius contubernium, scriptam esse, asseri potest, atque adeo anno 1094. aut 1095.

Ad Epistolam XVII.

Quod monui iterum moneo, vt aliquem substitutatis loco meo.) Quamuis Iuo Episcopatum Carnotensem esset adeptus, non propterea curam cœnobij sancti Quintini Beluacensis deposuit, renitentibus huius ecclesiæ canonicis, ad quos hanc scribit epistolam vt alium sibi præficiant. Quod tandem obtinuit, vt ex epist. 31. & 32. planum est, scripta est autem hæc circa 1092. cum anno 1093. præfecturam eiurarit omninò, Odone sibi substituto.

Ad Epist. XVIII.

Quod Simonem de Melfa.) Perperam de Melfa, quod ex punctis malè dispunctis accidit, legendum est enim de *Nielfa*, oppido haud procul à Monteforti ab Almarico, dicto, cuius Simon ille, de quo hic agitur, erat dominus, vt est apud Ordericum Vitalem lib. 12. histor. Ecclesiast. *Illic*, inquit, *Simon de Parona, & Simon de Nealpha, Guido cognomento Malusvicinus & Petrus de Maulia nepos eius; Guillelmus quoque aculeus* (qui omnes erant nobiles Diœcesis Carnotensis) *aliique ferè ducenti pugiles de Francia, Galeranno Comiti militabant, &c.* Chronicon quoque Mauriniacensis asceterij lib. 1. eiùs meminit, dum scribit *Ecclesias de Stampis veteribus. i. Sancti Martini, Sancti Albani, Sancti Medardi dedit nobis Rex Philippus, & literis Regalibus dationem hanc confirmauit; & Ludouico regi designato filio suo, vt idipsum concederet, præcepit. qui Ludouicus assumptis secum Emmaurico Montisfortis domino, & Simone Nealpha in Capitulum nostrum venit participium beneficiorum nostrorum humiliter petiit & accepit.* Scripta autem fuit hac epistola circa 1093.

Ad Epist. XIX.

Quem absolui à me postulatis.) Non hîc de absolutione sacramentali loquitur Iuo; sed de facultate, aut licentia abeundi à monasterio, aut loco: vt videre est epistola 78. sequente. Sic quando superior alicuius ordinis inferiorem suum dignitate exuit, verbo absoluo, vtitur, quasi diceret: soluo te vinculo quo alligatus eras præfecturæ tuæ, & restituo te pristinæ libertati. Quo anno scripta fuit epistola, incertum; sed si quid coniectura valet, eam 1094. vel 1095. ex his quæ in ipsa leguntur, in lucem editam puto.

Ad Epist. XX.

Aduersus Vicecomitem) Hugonem videlicet Puteacensem dominum & Vicecomitem Carnotensem qui Philippo Francorum regi gratificaturus, quòd Iuo ipsius adulterium cum Bertrada Fulconis Andegauensis Comitis coniuge verbis & scriptis improbaret, illum carceri mancipatum diu tenuit, vbi multa incommoda perpessus est vsque ad penuriam panis; vt loquitur Hildebertus Cenomanensis Episcopus. epistola 100. Hanc epistolam assignat Baronius anno 1095. num. 21. cui facile assentior, cùm ipso anno Philippo regi propter adulterium suum cum præfata Bertrada in synodo Aruernensi Vrbanus II. aqua & igni interdixit.

Ad Epist. XXI.

Hoëlo Cenomanensium Episcopo) Hildeberti decessori, de cuius mira ad Cenomanensem Episcopatum promotione, ita scribit Ordericus Vitalis lib 4. histor. Eccles. *Defuncto Ernaldo Cenomanorum Episcopo, Guillelmus rex* (Anglorum) *dixit Sansoni Baiocensi capellano suo, Cenomanensis Episcopatus sedes sua viduata*

est Antistite, in qua volente Deo, te nunc volo subrogare. Cenomanis à canina rabie dicta, vrbs est antiqua, & plebs eius finitimis procax & sanguinolenta; dominisque suis semper contumax & rebellionis auida. Pontificales igitur habenas tibi tradere decerno, quem à pueritia nutriui, & amaui sedulo: & nunc inter maximos regni mei proceres sublimare desidero. Sanson respondit: secundum Apostolicam traditionem oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Ego autem in omni vita mea sum valde reprehensibilis; omnibusque mentis & corporis ante conspectum deitatis sum pollutus flagitiis, nec tantum decus contingere possum pro sceleribus meis miser & despicabilis. Rex dixit: Callidus es, & perspicaciter vides, quod tu ritè peccatorem te confiteri debes; fixam tamen in te statui sententiam, nec à te statutum conuellam, quin Episcopatum suscipias, aut alium qui pro te præsul fiat, porrigas. His auditis gauisus Sanson ait. Nunc, Domine, mi rex, optimè loquutus es, & ad hoc agendum adminiculante Deo me promptum inuenies. Ecce in capella tua est quidam pauper clericus; sed nobilis & bene morigeratus. huic Præsulatum commenda in Dei timore, quia dignus est (vt æstimo) tali honore. Regi autem percunctanti quis esset, Sanson respondit. Hoëlus dicitur, & est genere Brito; sed humilis est & reuera bonus homo. Mox iubente Rege Hoëlus accersitur ignarus adhuc ad quid vocaretur. Cumque Rex iuuenem in humili habitu macilentum vidisset, despexit; & conuersus ad Sansonem dixit. Istene est quem tantopere præfers? Sanson respondit, Etiam Domine. Hunc sine dubio fideliter effero, hunc mihi, meique similibus iure prepono. Mitis est & benignus, vnde magis Præsulatu dignus. Pro macie corporis non sit contemptibilis. Habitus humilis gratiorem eum assignat sapientibus. Ad exteriora tantùm non respicit Deus; sed intuetur ea quæ latent intrinsecus. Rex igitur prudens sapientis verba intentè percepit, & sagaciter examinare cœpit. Diffusas autem cogitationes suas in se reuersus rationis ligamine paulatim restrinxit, nominatumque clericum statim ad se accersiit, eique curam & seculare ius Cenomanensis Episcopatus commisit. Decretum regis clero insinuatum est, & præfati Clerici bonæ vitæ testimonium ab his qui nouerunt, ventilatum est. Pro tam pura & simplici electione deuota laus à fidelibus Deo reddita est, & electus Pastor ad caulas ouium suarum ab Episcopis & reliquis fidelibus, quibus hoc à Rege iussum fuerat, honorificè perductus est. At ille non minus obstupuit in tam subita promotione ad præsulatum, quam Dauid reprobatis à Samuele primogenitis fratribus in prouectione ad regnum. Sic Hoëlus Cenomanensium Præsul factus est, & Pontificali schemate per XV. annos sanctè perfunctus est. Episcopalem Basilicam in qua corpus S. Iuliani Confessoris primi Cenomanorum præsulis requiescit, & alia bona opera Ecclesiæ Dei necessaria condere cœpit, & pro temporis opportunitate, quæ cœpta erant perficere studuit.

Hanc Epistolam scriptam fuisse Hoëlo contendit Baronius anno 1095. num. 23. quo Hoëlus ipse sacrarum S. Iuliani exuuiarum elationem celebrauit, & labente anno, aut vertente sequente obiit, vt ex Orderico vbi supra colligi potest.

Ad Epist. XXIII.

Widonni domini Regis dapifero) Guillelmum vocat Baronius ad annum 1095. num. 13. quod & agnoscit Iuretus dum antea Willelmo cusum fuisse scribit, qui error ex membranis contigisse potest, quæ non expresso nomine, primam tantum ipsius litteram præferũt W. quam alij Widonem: Willelmum alij interpretati sunt. sic quisque suo sensu in litteras lusit. Huic opinioni calculum adderem, cùm Willelmus de Garlenda post Anselmum fratrem huic officio præfectus fuerit. Ita enim Chronicon Mauriniacensis monasterij lib. 2. *Rex etiam Francorum Ludouicus & Adelais vxor eius & willermus dapifer qui Senescallus appellatur.* (Hunc Ordericus lib. 2. histor. Ecclesiast. Principem militiæ Francorum vocat) ni Pontificatus Iuonis reluctaretur tempus. Ab anno siquidem 1090. quo incœpit, ad 1115. quo desiit Iuo, nullum Guillelmum dapibus regiis præfectum lego. Willelmus enim ille de Garlanda, de quo supra, Anselli fratris dignitatem excepit tantùm anno 1118. ab Iuonis funere tertio. & post eum Stephanus ipsorum quoque germanus, vt ad Epist. 87. dicemus. Rectius igitur Vvidoni legendum censeo, cùm Vvido rubeus dictus, Rupisfortis in Aquilina dominus, ea dignitate functus sit Philippo I. & Ludouico Crasso Frãcorum regibus, vsque ad annum 1110. quo in Cartulario S. Martini Campensis, fol. 76. Ansellum de Garlanda in carta eiusdem Ludouici Regis de seruis B. Martini, dapiferum primùm video. Vvidonem verò dapiferum tunc temporis fuisse nemo inficias ibit, qui Crassi gesta à Sugerio Sandionysiano Abbate descripta vel minimùm legerit. *Huc accessit*, inquit ille, *quod Guido de Rupeforti vir peritus, & miles emeritus, præfati Guidonis Trusselli patruus, cum ab itinere Hierosolymitanò famosè, copiosèque rediisset, Regi Philippo gratanter adhæsit: & quia antiquâ familiaritate iam & alia vice eius dapifer extiterat, tàm ipse quàm filius eius dominus Ludouicus agendis reipublicæ dapiferum præfecerunt.* Et paulò infrà: *Erat siquidem in eadem turri vxor præfati Guidonis, & filia domino Ludouico desponsata, quod cùm auribus dapiferi Guidonis insonuisset &c.* Dapiferum ergo Guidonem seu Widonem cùm videamus (& Baronius ibid. num. 17. consentiat) & tempus congruat ipsi Vvidoni Iuonem scripsisse planum est, sed quo anno magis incertum, nisi cum Baronio id anno 1095. sub anni finem post Claromontense Concilium scriptam sentiamus, antequam Vvido Hierosolymitanum iter aggrederetur.

Ad Epist. XXIV.

Nihil habeo quod dicere velim illustrandæ huic Epistolæ, nisi quod me Baronius monuit, scriptam fuisse anno 1094. Tu vide num. v.

Ad Epist. XXV.

Hanc scriptam fuisse contendit Baronius anno 1094. num. 23. & 24. Ego 1095 Nam si, vt ipsemet tradit, Epistola 20 scripta est eodem anno, num. 21. cum in hac Iuo se proposuisse dicat ad releuandas cotidianas cruces adire Vrbanum II. summum Pontificem, & se cotidie ad bestias pugnare, quibus verbis, quas passus fuit iniurias ab Hugone Puteacensi cùm in se, tùm in rebus Ecclesiæ quas deprędarus est, satis denotat, ipsam nisi post acceptas illas vexationes scriptam fuisse, quis non videt?

Ad Epist. XXVI.

Gualterio Abbati Fossatensis monasterij) Rectiùs Welferio, vt habent quidam codices Fossatense monasterium, & in Abbatum Fossatensium serie Guelferius legitur. Est autem Fossatense monasterium in castro Bagaudarum ad Matronam fluuium olim à S Bauboleno Diui Columbani discipulo, curante Bledegisilo Parisiensis Ecclesiæ Diacono, & impensas Clodoueo II. rege subministrante, conditum circa annum Dom. 650. Nunc autem seculari toga donatum, Parisiensi Episcopatui vnitum est. Quo anno scripta fuit hæc epistola, non liquet.

Ad Epist. XXVII.

Eudoni Normanniæ dapifero.) Erat ex Orderico Vitali lib. 3. Turstini cognomento Halduc filius, & in pago Constantino diuitiis & potestate inter Normanniæ proceres; vt eiusdem verbis vtar, eminebat.

Neophytorum hæresim.) Eadem est quæ Nicolaïtarum, quæ maximè vigebat illo seculo, vt ex Iuonis Epistola 149. planum est. Nicolaïtarum autem dogma hoc fuit, vt clericos cuiuslibet ordinis nuptialibus fœderantes esse coniugiis assererent, quemadmodum ex beati Petri Damiani S.R.E Cardinalis & Episcopi Ostiensis Epistola 6. libri primi ad Nicolaum II. Pontificem constat. Verum melius eam exprimit idem auctor apud Baronium tomo XI. ad annum 1059. num. 46. cum scribit, *Nicolaïtæ autem dicuntur clerici, qui contra castitatis Ecclesiasticæ regulam fœminis admiscentur. Qui planè tunc fornicatores fiunt, cum fœdi commercij copulas ineunt; tunc Nicolaïtæ iure vocantur, cum hanc lethiferam pestem velut ex auctoritate defendunt. Vitium quippe in hæresim vertitur, cum peruersi dogmatis assertione firmatur.* Quod autem iidem sint Nicolaïtæ cum Neophytis, ex Orderico Vitali probo, qui lib. 5. suæ histor. Ecclesiast. de his ita loquitur. *Tunc quippe in Neustria post aduentum Normannorum in tantum dissoluta erat castitas clericorum, vt non solum presbyteri; sed etiam Præsules liberè vterentur toris concubinarum, & palam superbirent multiplici propagine filiorum, ac filiarum. Huiusmodi mos inoleuit tempore neophytorum qui cum Rollone baptizati sunt, & desolatam regionem non litteris, sed armis instructi, violenter inuaserunt. Deinde presbyteri de stirpe Dacorum literis tenuiter edocti parochias tenebant, & arma ferentes, laïcalem feudum militari famulatu defendebant. Tandem Bruno Lotharingus Tullensis Episcopus Romam ascitus est, Deoque dispensante Leo Papa factus est, &c. In Gallias anno Dominicæ Incarnationis* M. XLIX. *venit, Ecclesiam S. Remigij Remorum Archiepiscopi Kal. Octobris dedicauit &c. Tunc ibidem generale Concilium tenuit, & inter reliqua ecclesiæ commoda quæ instituit, presbyteris arma ferre, & coniuges habere prohibuit. Exinde consuetudo lethalis paulatim exinaniri cœpit. Arma quidem ferre presbyteri iam gratanter desiere, sed à pellicibus adhuc nolunt abstinere.* Scribebat autem hæc Vitalis Iuonis æuo. Nicolaïtæ vero dicebantur; sed impropriè, à Nicolao ex septem diaconis vno, cuius Apocalypseos liber meminit, cap. & Neophyti, quòd ipsorum hæresis incœpisset à Neophytis, & in fide adhuc rudibus epistolam autem hanc anno 1094. vel non longè post scriptam fuisse coniicio ex his quæ sub finem ipsius continet, nempe quod mense Nouembri cum Vrbano summo Pontifice, quem sanè sub his verbis (*De ipso verò Papa de quo quæsisti*) intelligit. & mense Ianuario ibidem eundem dimiserit, vbi adhuc morabatur & aduersariis Romanæ ecclesiæ quantum Deo donante præualebat, obluctabatur, quæ hoc anno contigisse ex his quæ ex Bertholdo rerum in pectore Baronius refert num. I. colligere licet.

Ad Epist. XXVIII.

Vt apud Pontesium vel Caluum-montem cum manu militum vobis die quam statueritis, occurrerem.) Tota huius collectionis militum causa legitur apud Order. Vital histor. Eccles. lib. 8. ad annum 1094. *Tunc nimia* (inquit) *guerra inter Guillelmum Bretoliensem & Ascelinum Goëllum orta est: cuius occasio talis est Guillelmus frater Goëlli iuuenis miles cuidam apud Paceyum iniuriam mulieri fecit. Vnde conquerenti, Guillelmus Bretoliensis; vt iustum principem decuit, de contumaci adolescente legitimam rectitudinem tenuit. Ascelinus igitur iratus est contra Dominum suum, quòd publicè placitare cogeret fratrem suum. Non multò pòst arcem de Ibreio ingeniosa fraude illi surripuit, & Roberto Duci Normannorum tradidit, à quo ille ingenti pondere argenti dato, redemit. Postmodùm inter illos pro huiusmodi furto immanis simultas furuit, & vterque alteri nocere concupiuit. Mense Februario, Ascelinus Ricardum de Monteforti, & familiam Philippi Regis sibi asciuit, & Guillelmum dominum suum contra se ad pugnam venientem audacter excepit, vicit & comprehendit, & exercitum eius, captis quibusdam militibus, fugauit, &c. Sequenti anno Guillelmus, inquietudine stimulante, guerram iterauit, & munitionem in cœnobio monachorum, quos Rogerius de Ibreio in honore S. Mariæ construxerat, militibus suis constituit. Porro Goëllus qui arcem tenebat, copiam militum conduxit ad cœnobium, quod tunc spelunca latronum, proh dolor! effectum fuerat, appropinquauit, & æstiuis ardoribus circa Pentecosten torrentibus acriter impugnauit, ignem iniecit, & edacibus flammis Basilicam & ædes monachorum eum supellectili sua consumpsit, &c. Guillelmus autem Bretoliensis fugiendo vix euasit, vltionemque de tantis iniuriis summo nisu concupiuit. Diues herus intrinsecùs nimio dolore punctus irascebatur, quòd homo suus contra se tanta vi grassabatur: & vires eius per tres annos redemptionibus captiuorum, spoliisque pagensium nimis augebantur. Tandem Philippo Regi Francorum* DCC. *libras pepigit, & Roberto Duci Normannorum, aliisque pluribus ingentem pecuniam promisit si fideliter sibi adminicularentur, & hostiles copiæ subigerentur Igitur Quadragesimali tempore Rex Franciæ & Dux Normanniæ Breheruallum obsederunt, ibique ferè duobus mensibus laborauerunt. Illuc presbyteri cum parochianis suis vexilla tulerunt, & Abbates cum hominibus suis coacti conuenerunt, &c.* Huc vocatus Iuo non adfuit propter quas allegat rationes. Tunc enim, & longè posteà, Episcopi & Abbates Regem ad bellum cum armata militum manu sequi tenebantur, vt ex allatis authoritatibus à Iureto in Notis ad hanc epistolam: & iis quæ habet Sirmundus tom. Concil. Gall. pag. patet. Ex his autem Epistolam hanc Philippo ab

ab Iuone missam vertente anno 1096. puto.

Ad Epist. XXX.

Fulconi Beluacensi Episcopo.) Hic fuit Lancelini Beluacensis filius qui ex Beccensi monacho ad Episcopales infulas euectus est; repugnante licet Anselmo eius Abbate qui 9. suarum Epistolarum ei scribit 1094. cum esset ipse ad Cantuariensem, Maioris Britanniæ Primatiam postulatus, & consecrationi proximus quæ eodem anno Dominica qua in Ecclesia cantatur *Populus Sion.* I. Aduentus 2. contigit ex eius Epist. ad Gauffridum Parisiensem Episcopum. Quo etiam tempore Iuo Fulconi suam misit. Cum enim variis criminibus apud S. P. Vrbanum Fulcô insimularetur; vt patet ex Epistola ab eodem Vrbano illi directa quæ apud Louuetam lib. 4. Beluacensis historiæ c. 21. legi potest, de eiurando beneficio cogitauit, & adnitente Pontifice Anselmi precibus dimisit Rogero ipsi succedente.

Ad Epist. XXXIII.

Lamberto Atrebatensi Episcopo.) Diu vnitæ fuerant Cameracensis & Atrebatensis Ecclesiæ; hoc Episcopo disiunctæ fuerunt anno 1094. vt est apud Georgium Coluenerium in serie Episcoporum Cameracensium Chronico Cameracensi & Atrebatensi præfixa vel 1095. vt scribit Iacobus à Meyero Annal. Flandr. lib. 4. statim initio, vbi sic Præfatur: M. XCV. *Vrbanus secundus infensus Cameracensibus, quòd Cæsari Henrico ecclesiæ rebelli, cœtuque piorum moto, fauissent, Atrebates ab eorum ciuitate subtraxit, ac peculiarem illis Præfecit Episcopum Lanbertum Morinorum Archidiaconum*, Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ad eundem annum 1094. Hanc Ecclesiarum disciffionem amplius explicat dicens: *Anno 1094. Cameracenasibus de Episcopo post Gerardi 2. obitum assumendo variè disceptantibus Vrbanus secundus Pont. Max. iisdem infensus, quòd Henrico IV. Imperatori Ecclesiæ Romanæ proscripto hosti, fauerent, Atrebatibus peculiarem annuit Episcopum, misso isto diplomate.*

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, Clero & populo Ecclesiæ Atrebatensis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Atrebatensis ecclesia vna ex nobilioribus Ecclesiis comprouincialibus Remensis Metropolis, solemnibus canonum monumentis freta, olim principalis sedes episcopatus fuit, proprium pontificem habuit, suam Diœcesim, & cætera Pontificalia iura, firmis antiquitate rationum instrumentis obtinuit. Volumus itaque, & Apostolicâ auctoritate præcipimus vt iugo Cameracensis subiectionis ab Ecclesia vestra excusso, & recepta dignitate primis temporibus rationabili firmitate possessa Cardinalem Episcopum, vobis & ecclesiæ vestræ incardinare studeatis. Ei vero qui canonico consensu cleri & populi electus fuerit, Apostolica auctoritate interdicimus, ne impositam ipsi electionem dissimulatione aliqua huius nouæ ordinationis subterfugiat. Solet enim fieri, vt Ecclesiæ persecutionis tempore, suis Ordinibus, suis Populis, subsidiis etiam temporalibus destitutæ, aliis temporaliter committantur Ecclesiis. Postquam vero his quibus immirutæ fuerant, Domino donante abundare cœperunt, pristinam recipiunt dignitatem, Datum Romæ, &c. Molanus in Natalib. S S. 5. Febr. Sigebertus, Iperius, tabulæ Ecclesiæ Atrebatens. &c. Quibus statim addit, *Anno 1095. Lambertus Patria. Gisnensis, Isla in D. Petri Cantor, & Teruanensis Archidiaconus, vir spectatæ eruditionis & virtutis, primus Atrebatensis Ecclesiæ ab illa cum Cameracensi diuortio, Episcopus; inuitus licet, assumitur, Romámque à Summo Pontifice aduocatus, solemni admodum pompa consecratur, fitque totius Remensis Prouinciæ Legatus. Inde acceptis ab eodem Pontifice variis priuilegiis, ad ouilis sibi commissi regimen concedit, atque diuisis Vrbis suæ parœciis, omnium cumulatissimè satisfacit votis, &c.* quæ stylo prolixiore prosequitur, visu, aut scitu non indigna. Ex superioribus tamen elicitur epistolam hanc post annum illum 1095. scriptam fuisse.

Ad Epist. XXXV.

Nihil ad hanc epistolam obseruo, nisi quod Baronnius ad ann. 1095. num. XIV. scriptam esse scribit, quod non abnuo, cum hoc anno apud eundem Locrium Dominica qua canitur *Oculi mei*, quæ est 4. Quadragesimæ, Concilium Remis, cuius meminit Iuo in Epistolæ Syngraphe, celebratum fuisse inueniam, Raynaldo Metropolitano cum suffraganeis præsidente.

Ad Epist. XXXVI.

Petro Pictauensi Episcopo.) Is est Petrus huius nominis 2. electus 1086. quo Pictauis sedente, multæ extiterunt querelæ aduersus Cluniacenses ascetas, qui cunctis fermè beneficiis inhiabant, & opima quæque Sacerdotia sibi vendicare satagebant. Monachi S. Petri Carnotensis in ipsos quæstionem de Sancti Dionysij Nongentensi à Rotrodo Wellorum seu Perticensium Comite recens fundato in Concilio Augustodunensi, (quod anno 1094. celebratum esse ab Hugone Lugdunensi Vrbani legato tradit Bertholdus) mouerunt, nec obtinuerunt, vt est in Cartulario illius cœnobij. Gosfridus etiam Grossis in vita Beati Bernardi primi Tyronensis Abbatis huius Petri Pictauensis synchroni sect. 24. & 28. Præfatum Bernardum scribit à Cluniacensibus in ius vocatum, pro Sancti Cypriani Pictauensis Ecclesia, cui eiusdem Petri nutu præsidebat; quam suæ ditioni debere esse subditam asserebant, & quia hic auctor nondum in lucem integer prodiit, quid de ipso conflictu retulerit, subjiciam. *Bernardus igitur* (inquit) *ex integro resumens laborem, ne grauioris fortunæ ictibus succumberet, metuens peccare, si propter desidiam, aut negligentiam suam Sancti Cypriani monasterium suam amitteret libertatem, iterum Romam veniens supra dictum Papam* (Paschalem 2.) *rogauit, vt vtriusque partis causas attentè discuteret, & iustum iudicium faceret; Quod ille facere subterfugiens, imperauit vt aut Ecclesiam Cluniacensibus subderet, aut nunquam in illa Abbatis officium exerceret. Porro vir Dei postquam pro certo cognouit, quod in Romana curia nil proficeret,*

nec Apostolicum à sua voluntatis decreto flecteret, sublimioris curia audientiam appellare compulsus est. Quæ quamuis apud mortalium prætoria inueniri nequeat, vnde tamen hanc expeti oporteret Bernardo non latebat. Zelo igitur iustitiæ accensus, illud Salomonis secutus. Iustus vt Leo confidens absque terrore erit, *Domnum Papam, & omnes illius in hac re complices non præsumptuosa audacitate, sed libera magnanimitate in extremi iudicij examine ante iudicem iudicum nullis ignorantiæ tenebris falli, aliquibus se muneribus corrumpi nescium; constanter intimauit. Papa autem tanta vocis audita libertate, præ indignatione virum Dei à se discedere iussit: dehinc consiliarios suos quid super hac re sibi foret agendum requisiuit. Illi autem vnanimiter responderunt quatinus cum tanta hominis sanctitate ante iudicem omnium de causæ huius controuersia disceptare non esset securum, nec alicuius disceptationis contra ipsum se participes vllo modo fore concedunt: Immò communi consideratione decreti, iustum esse astruunt, vt sua illi dignitas restituatur, & de illato labore & iniuria ab illo venia postuletur. Ioannes vero atque Benedictus duo Cardinales, qui præsentes aderant, virtutum illius magnifica præconia, quæ in Aquitania nouerant, audiente Apostolico propalabant, talemque nunc illum Romanis prædicabant, qualem in Pictauensi Concilio, vbi pro iustitia paratus fuerat pati martyrium, ipsimet viderant. Apostolicus autem tanti viri perfectione cognita, animum ab indignatione compescuit, & vt in Concilium remearet, mandauit. Quo ingresso, vt pro se loqueretur concessit, & vt licentiùs ab omnibus audiretur, silentium indixit. Vir autem domini sic cœpit. Vestræ sublimitatis excellentiam, Reuerendissime Papa, deprecor, vt me pauca, nec à veritate discrepantia dicturum paulisper sustineat. Iam ab annis præcedentibus hoc vestra paternitas, & quamplures qui huic sacro conuentui intersunt, vita & sapientia sua merito multo honorabiles viri, hoc etiam non nesciunt, quatinus S. Cypriani ecclesia, quæ nostræ paruitatis regimini commissa est, multorum annorum curriculis sua vtens libertate, in magna religione floruit, antequam Cluniacense monasterium esse cœperit. Nunc vero Cluniacensis Abbas, iuxtà Isaiæ vaticinium ad vxorem meam hinnire non desinit, & mihi qualicunque Abbati, tamen velut Archi-Abbas superba tyrannide dominare appetit: & quod nostra ecclesia, vt ancilla sibi famuletur, sua regnet & imperet efficere satagit. Quod genus ambitionis nouum & inauditum (nam ab illo exordium accipit) nisi in sua stirpis radice amputetur, multam virulentæ prolis propaginem emiserit, corruptionisque immensæ seminarium, si oriri permittatur, pullulauerit, &c. His luculenter peroratis, vir sanctus tacuit. Apostolicus autem causæ Cluniacensium monachorũ assertoribus, vt dicerent, imperauit. Sed hi, quia veritatis non habentis angulos argumenta, quibus S. Cypriani ecclesiam suis legibus debere esse subditam, inuenire nequeunt, per ambages palliatas ambitiosis circuitionibus plenas, commenta quædam fingere incipiunt, quæ dum iustitiæ regulis penitus dissentire conuentus qui aderat, intellexit, S. Cypriani monasterium liberum ab illis esse astruit. Hocque iudicium Apostolicus confirmans, Sancto viro Abbatis officium, quod interdixerat, reddidit, atque multis precibus hoc ab illo obtinere voluit, vt Cardinalis sacerdotij dignitatem susciperet, & Romæ secura ecclesiasticarum causarum negotia tractaturus, remaneret.* Hæc ille cui adstipulatur Ord. Vit. lib. 8. suæ hist. Eccl. his verbis: *Circa hæc tempora Bernardus Quinciaci* (.i. S. Cypriani) *Abbas, Pictauense solum reliquit, quia præfatum monasterium, quod hactenus liberum extiterat, Cluniaco subiugare noluit. Et quia sicut scriptum est,* Iustus vt Leo confidit, *in Romana synodo contra Paschalem Papam pro libertate litigauit, ipsumque quia plenarium sibi rectum non fecerat, ad diuinum examen prouocauit, cuius formidandam animositatem Papa reueritus est, ipsumque vt secum ad Romanæ tutelam ecclesiæ commoraretur precatus est.* Quod vero ad Petrum attinet, apud præfatum Gofridum eiusmodi elogium ipsius reperio. *Quæ dum agerentur, Pictauensis vrbis Episcopatum regebat venerabilis Petrus Episcopus, qui postea exilium pro iustitia vsque ad mortem sustinuit; cuius vita Sanctitas mirabilis extitit, vt post ipsius obitum miraculorum attestatione patuit.* Scriptam epistolam anno 1094. quo in viuis degebat Petrus, censeo.

Ad Epist. XXXVIII.

Guacelino) Obiit ex Rogerio de Houeden dominica 3. Non. Ianuar. anno 1098. Quare hanc epistolam ante hunc annum scriptam fuisse, asseri potest.

Ad Epist. XXXIX.

Anselmo) Cantuariensi Archiepiscopo & Angliæ Primati, cui statim post eius inaugurationem Iuo hanc epistolam scripsit.

Monachis Beccensibus contra Molismenses.) Quale fuerit illud dissidium prorsus ignoro, nisi fortasse pro quibusdam parceriis in Archidiaconatu Pisciacensi sitis, quæ ad Beccense monasterium spectant, & de quibus inter illos poterat esse controuersia emerserit. Non enim ex hac, sicut nec ex superiori epistola facile colligere licet. Tunc autem Beccense & Molismense monasteria celebritate famæ florebant, hoc à Roberto Cellæ in insula Germanica Trecensis diœcesis monacho in Campania, & Lingonensis diœcesis: illud Rothomagensis diœcesis ab Herluino, qui nomen imposuit 1034. conditum, quod dicitur propterea Beccum Herluini: de quibus videndi Guillelmus Gemeticensis lib. 6. hist. Norm. c. 9. & Order. Vit. lib. 3. 5. & 8. pag. 460. 549. & 711.

Ad Epist. XL.

Fratri Manegaldo.) Si Iureti coniectura vera est. Epistola hæc scribi potuit anno 1096. Manegaldo de Lutenbach Marbacensis congregationis Præposito. De quo sic Munsterus Germaniæ suæ lib. 3. *Distantia medij milliarij à Murbacho, situm est Lutenbacense collegium, quod aliquando fuit Benedictinense monasterium fundatum à quodam Comite Lentzburgensi, qui & monasterium Ergoiense fundauit circa annum Christi 998. Deinde anno 1090. fundatum est monasterium Marbacense à D. Burckhardo de Gebisunyler, & magistro Mangoldo de Lutenbach.* Est autem asceterium illud Marbacense in Abbatia inferiore situm.

Ad Epist. XLI.

Gaufrido Vindocinensis monasterij Abbati.) Hunc suis notis ad eius epistolas notum fecit Sirmundus, plures Iuoni misit Epistolas, quæ lib 2. leguntur, quarum nullam quæ ad institutum faciat reperi. Est autem Vindocinense monasterium diœcesis Carnotens. Goffridi Martelli Andium Comitis Agnetisque eius coniugis opus, anno 1040. editum, cuius Abbates purpura, & S. Priscæ titulo insignes habentur. De quo nos alibi. Quo autem anno hæc epistola scribi potuit, vix sciri potest.

Ad Epist. XLII.

Hugoni D. G. Episcopo.) Ex ecclesiæ Suessionens. tabulis sedere cœpit Hugo 1090. & 1103. desiit, quo Aquilæ Hierosolyma rediens è viuis excessit. Ex quo tempus quo scripta fuit epistola conijcere nequeo; quamuis ante 1100. in lucem editam fuisse asserere possim.

Ad Epist. XLIII.

Guillelmum.) Sibi aduersantur Baronius & C. Robertus in Archiflaminum Parisiensium serie: ille dum scriptam epistolam, anno 1093. num. 7. asserit: Hic anno tantùm 1097. quem sequor. Si enim Guillelmus ille posteriori hoc anno electus est, quî potuit epistola anno 1093. scribi? Fuit autem Guillelmus Carnotens. canonicus, Almarici Montisfortis Comitis filius & Bertradæ Philippi I. Francorũ Regis pellicis frater, vt ex epist. 54. sequente planum est. Robertus verò eum Humberti Maurienнæ Comitis prolem, Aleidisque Ludouici Crassi vxoris germanum contendit, quod sanè cum his quæ habet Iuo epistola illa cohærere non possunt, cum ibi Parisienses canonici se Guillelmum non elegisse expresè dicant *gratia contubernij quod habebat soror eius cum rege, &c.* Hoc enim de Adelaide Crassi vxore intelligi nequit, cum contubernium non de legitimo matrimonio; sed concubinatu tantùm dicatur. Addo Guillelmum electũ tantùm fuisse anno 1096 vt ex Cartularia S. Martini Campensis colligitur, fol. 37. carta 79. & fol. 87. carta *de altaribus montis Martyrum.* Ibi enim in data annus 1098. Pontificatus Guillelmi, legitur esse tertius. Denique Ludouicus Adelaïdi nupsit anno tantùm 1114. vt ex eodem Cartulario probatur, folio quippe 78. annus 1116. Reginæ Adelaïdis secundus dicitur, quo anno Guillelmus in viuis non erat: Fulconi enim Parisiens. Decano moriens 1102. aut circa, dignitatem reliquerat.

Ad Epist. XLIV.

Non Epistola hæc, sed potiùs edictum Pontificale, quo diœcesanos ad pacem hortatur Iuo, dici potest in Concilio nempe Aruernensi, cui subscripsit Præsul noster, statutum fuerat, can. 1. *Vt omni die & monachi & clerici & fœminæ, & quæ cum eis essent, in pace permanerent: tribus autem diebus, scilicet secunda, tertia & quarta, iniuria ab aliquo alicui illata, non reputaretur pacis fractio: quatuor autẽ reliquis diebus, si quis alicui iniuriam intulisset, fractionis sanctæ pacis reus haberetur, & prout indicatũ esset, puniretur.* Quod decretum factum fuit in gratiam eorum qui vel ad terram sanctam de infidelium iugo soluendam, proficiscerentur, vel saltem ad id facultatum suarum aliquid conferrent. De pace illa sic scribit Tyrius lib 1 hist. c. 15. de Vrbano II. Pontifice loquens, *His dictis finem dicendi fecit, præcipiens iis qui aderant ecclesiarum Prælatis, vt ad propria reuersi, cum omni instantia, & debita sollicitudine plebes suas ad idem hortetur, & inuitent diligentiùs.* Et paulò infrà. *Ante omnia iuxtà statuta synodi, fideliter laborantes; vt pax quæ verbo vulgari Trenga dicitur, ab omnibus obseruaretur, illibata, ne ire volentibus, & ad necessaria discurrere vllum obiiceretur impedimẽtum.* Cui Alexandri III. Papæ consonat decretum, quod habetur *ext. de trenga & pace, c. Treugas & Innouamus, & can. si quis Romipetas & illi qui peregrinos,* 24. q. 3. qui Iuonis dictis conueniunt. Hoc autem statutum, aut pactum, ex Glabro Rodulfo lib. 5. hist. primitus in partibus Aquitanicis anno Dom. 1041. editum est, & posteà per vniuersum Galliæ territorium firmatum: vt infra ad epist. 168. dicemus; Ex quo decretum anno 1095. vel 1096. post Aruernense Concilium publicatum arbitror.

Ad Epist. XLV.

Mellentino Comiti.) Roberto scilicet Rogerij Bellimontis Domini, & Adelinæ Walleranni Mellentini Comitis filiæ, genito, qui post Hugonem auunculum Mellenti Comitatum obtinuit. Hoc ex gestorum Guillelmi Normanniæ Ducis libro, & Gemeticẽsi lib. 7. hist. Normann. c. 4. addisco, quorum alter his verbis eius meminit. *Tyro quidam,* inquit, *Normannus Rodbertus Rogerij de Bellomonte filius, Hugonis de Mellento Comitis nepos & hæres, &c.* Alter vero de Rogerio scribens: *Adelinam,* inquit, *Waleranni Comitis Mellenti filiam vxorem duxit, ex qua duos filios Rodbertum & Henricum magnæ potentiæ postea Comites procreauit. Robertus quippe post Hugonem auunculum suum Comes Mellentis plusquam* XXVII. *annis viguit.* Idem habet Ordericus Vital. lib. 8. hist. eccles. pag. 709. *Robertus Comitatum de Mellento in pago Wilcasino hæreditario iure post Hugonem Adelinæ matris suæ fratrem possedit, & in Anglia comitatum Legecestriæ cum aliis pluribus, & gazis Henrici Regis dono fœliciter obtinuit.* Hic autem Robertus Elizabetham Hugonis Magni Henrici primi Francorum regis tertio geniti, & Adelisiæ Veromanduorũ Comitissæ filiam thori consortem, reclamante licet Iuone asciuit. Ita enim de ipsorum matrimonio loquitur Ordericus qui supra lib. 9. & 11. hist. suæ, quorum postremo pag. 805. *Pulchram quoque,* ait, *Ysabel regis Franciæ neptem vxorem habuit, quæ geminam ei prolem Walerannum & Robertum peperit, ac Hugonem cognomento pauperem, & filias quinque.* Cui adstipulatur Gemeticensis lib. 8. c. 40. his verbis, *Eodem anno* (nempe 1096. quo scripta est hæc epistola) *Hugo Crispeij Comes Radulpho & Henrico filiis suis terram suam commisit, & Ysabel filiam suam Rodberto de Mellento Comiti dedit & peregrè proficiscens* (Hierosolymam scilicet) *secum nobile agmen Francorum adduxit.*

Horum autem consanguinitas.) Gradum in huiusce genealogiæ enumeratione obmisit Iuo, qui sponsos illos parentes à quarto ad quintum profert, cum ambo æquali à communi stirpe gradu, nempe quinto, distarent. Sic enim distribuenda est illorum parentela.

Galterius, Albus dictus, ex Adelitia Crispiacensi domina genuit.

Radulphum Crispiaci comitem: qui ex Gilduini Bretoliensis Comitis filia alterũ suscepit

Radulphum Crispiacensem comitem, ex quo & Alienorde prima ipsius vxore orta est

Alisia Herberti Viromanduorum Comitis vxor, quæ genuit alteram

Alisiam, quæ Hugoni Magno nupsit, & ex eo inter alios suscepit

Elizabeth Roberto Mellentino desponsatam

N. Roberti Comitis Mellentini coniugem, quæ marito peperit Edelinam seu Helenam.

Edelina seu Helena Hugonis Montisfortis in Neustria Domini vxor, quæ ex eo suscepit

Robertum qui absq; prole decessit:	Hugonem absque liberis defunctum:	Walerannum qui ex Oda vxore genuit

Ita vocatur in Cartul. Celob.

Adelinam Rogerij Bellimontis coniugem, & Hugonem quæ Adelinæ peperit

Robertum, & Henricum, quorum ille Elizabetham duxit.

Et hæc est vera illorum Genealogia; vt apud Nicolaum d'Auanneum in vita S. Nicatij c. 54. & 55. & Adrianum Morlerium in tabulis Genealogicis post Ambianens. antiquitates positis, aliosque qui de Viromandius Comitibus scripserunt, videre est.

Septimum gradum excessisse.) Loquitur Iuo secundùm antiquos canones 35. q. 2. *De affinitate, Nullum, Progeniem, Nulli & q. 4. Consanguinitas, & q. 5. Ad sedem Apostolicam*, & sequentes.

Ad Epist. XLVI.

Ex Baronio scripta est Epistola 1095. num. 9. Ego vero ipsam anno sequente missam reor, cum non nisi post interdictam à summo Pontifice cum Bertrada consuetudinem in Aruernensi concilio, (quod mensis Nouembris huius anni decima octaua die celebratum fuisse Baronius ipse agnoscit,) scriptam ex iis quæ allegat Iuo satis superque constet, nisi statim à celebrata synodo in lucem prodierit.

Ad Epist. XLVII.

Ebrardum nepotem tuum.) Ebrardum Hugonis Puteacensis filium intelligit, Guidonis de Rupeforti, ad quem scribit Iuo, ex sorore nepotem. Ita enim Aimoini continuator de gestis Francorum lib. 5. c. 46. de ipsis loquitur: *Theobaldus cognomine filans stupa forestarius* (regis Roberti) *firmauit Montem Lethericum. Ipse habuit vnum filium nominatum Guidonem, qui accepit in vxorem dominam de Firmitate & de Gommet. Idem Guido genuit ex ea Milonem de Brayo & Guidonem Rubeum: Comitissam quoque Reiteste, & Bonamuicinam de Pontibus: Helizabeth etiam vxorem Ioscelini de Cortinaco, insuper dominam de Puisato, &c.* Cartularium verò S. Martini Campensis fol. 109. verso, Ebrardum Hugonis de Puteolo & Agnetis eius vxoris filium asserit. Ex quo ipsum Guidonis quoque nepotem fuisse colligitur. Inter eos autem qui anno 1096. Hierosolymam profecti sunt, Ebrardus de Puteolo apud Tyrium lib. 1. hist. belli sacri c. 17. numeratur, & in chronico Mauriniacensis cœnobij lib. 2. post initium hæc leguntur. *Emit* (nempe Philippus I. Franc. Rex) *eam ab Ebrardo de cuius feodo pendebat, qui dominus Poteoli habebatur; & Hierusalem proficiscebatur.* Scripta autem est epistola eodem anno quo superior.

Ad Epist. XLVIII.

Remensem Metropolim quondam matrem vestram.) Fuerat enim Vrbanus II. antequam ad summum Ecclesiæ eueheretur apicem canonicus Remensis, ex vita S. Brunonis in breuiario Remensi.

Manasses.) Huius nominis 2. quem Robertus in Remensium serie præsulum Vrbani gentilem asserit, vtpote Castilloneorum familia prognatum. Electus vero fuit ex eodem Roberto anno 1096. quo & hæc epistola scribi potuit, cum ipsa electionis illius confirmationem postulet Iuo.

Ad Epist. XLIX.

Stephano Palatino Comiti.) Qui Carnotensi quoque & Blesensi Comitatu potiebatur. Comes autẽ Palatinus, seu palatij dicebatur, quod in regis palatio, super regis commensales dignitate fungeretur, aut inter ipsos emineret. Hac autem epistola de claustri Carnotensis Ecclesiæ immunitate agit Iuo, ratione cuius inter Episcopum & ædis primariæ sodales sacros, & Carnotenses Comites lites & iurgia plura emerserunt. Scripta autem hæc epistola, antequam prius Hierosolymitanum iter arriperet Comes, quod anno 1096. contigit mense Septembri, vt est apud Fulcherium Carnotensem Balduini Goffridi Lotharingi fratris capellanum, qui in comitatu præsens aderat; libro quem *de gestis Peregrinorum Francorum, &c.* edidit & alios huius temporis scriptores.

De securitate pro qua me inuitastis) Securitatem vocat sacramentum seu iuramentum, quod Antistites Carnotenses in primo suo in vrbem aduentu, aut ingressu, eiusdem vrbis Comitibus ad altare S. Candidi, turris seu palatij Comitum, præstare solent; quo se nihil acturos vt Comitatum amittant, noui præsules profitentur.

Ad Epist. L.

Picueris) Rectiùs Pitiueris, quod est Wastmensis agri, seu veriùs Belsiæ superioris oppidum, vulgo, *Pluuiers, Piuiers & Pitiuiers* appellatum.

Guillelmum episcopum ibi elegisse.) De eo suprà in epist. 43. commentario dictum est, ex qua Carnotensis ecclesiæ aliquando sodalem fuisse constat. Fuit autem hæc epistola circa 1097. aut 1098. scripta.

Ad Epist. LI.

Sanctioni.) Ex Decano Aurelianens. factus est Episcopus circà 1099. & Senonensis Metropolitani permissu apud Nantonis castrum ab Iuone Carnotensi, Willelmo Parisiensi, & Walterò Meldensi Episcopis inauguratus, reclamante licet eorum factione, qui Ioanni Archidiacono Episcopatum Aurelianensem ambienti, fauebant. Verùm vix anno absoluto sedem occupauit, cum Ioannis illius arte, ab Hugone Lugdunensi Archiepiscopo sedis Apostolicæ Legato, ab ea deturbatus, & eiectus fuerit; vt scribunt Senertius in Episc. Aurelianens. serie,

Sausseius Annal. Aurel. lib. 9. num. 9. & seq. & Symphor. Guido in hist. chronol. Episc. Aurel. num. 63. v. sequẽs ep. 54. quæ tota de Sanctionis ad Episcopatum promotione est. Quo autẽ anno scripta fuerit hęc epistola, nemini dubiũ esse potest quin fuerit 1099. cùm eodem cœperit & desierit.

Ad Epist. LV.

Beluacensis electi.) Anselmi videlicet, qui ex Loueto hist. Beluac. lib. 4. c. 2. & Roberto in Beluacens. Antistitum serie, num. 49. hoc anno 1099. electus est, quo etiam hanc epistolã scriptam contestatur Baron. cui non reluctor.

Ad Epist. LVI.

Duo Concilia,) nempe Claromontanum, seu Aruernense & Turonense, quæ eodem anno in Galliis celebrata sunt (de Pisano enim nihil ad rem) ex eodem Baronio ad an. 1095. num. 53. cui hanc epist. tribuit.

Ad Epist. LVII.

De fratre illo qui ter à vobis fugiens secundùm constitutionem monasticæ regulæ ter susceptus fuerat.) Non tãtùm in regula S. Benedicti c. 29. sed etiam in aliis SS. Patrum; vt Pachomij art. 9. Fructuosi Braccarensis Episcopi c. 20. Magistri c. 64. & similium, monachos fugientes & redeuntes suscipiendos esse dicitur. Discordant tamen in numero. S. enim Benedictus vsque tertiò tantùm recipiendos censet, cum Magistro. Quibus adstipulatur S. Bernardus Claræuallis Abbas, eâ quam ad Petrum Cluniacensem Abbatẽ epistolã scribit. *Frater*, inquit, *si exierit frequens de monasterio, vsque in tertium reuersus, resuscipiatur; amplius iam non suscipiatur; quia talis apud Deum eius cognoscitur diuini seruitij fides, qualis apud homines pedum stabilitas.* Petrus verò Venerabilis lib. 1. epist. 18. Iuoni nostro subscribit, dùm fugitiuum monachum toties in monasterium admittendum putat, quoties pœnitens regreditur, iuxtà Christi domini sententiam, quâ parcendum inimicis septuagies septies iubet; hoc est quoties veniam deprecatur. Idẽ Petrus noster Blesensis astruit, epist. 88. quam Ricardi Cantuariensis Primatis nomine, Theoderiensi Abbati scripsit, *Quod deuotè*, ait, *& humiliter misericordiam petit, quod omni satisfactioni secundum regulam sancti Benedicti se offert; quod indicium à misericordia non excludit. Misericordiam quam monastici ordinis institutor ad ternarium numerum coarctauit, Euangelica mansuetudo gratiæ septuagies septies ampliauit.* Societatis Iesu sodales nullum abeuntem, aut dimissum ex eorum congregatione; & posteà reductum: vel spontè redeuntem, nisi iterùm admittunt; vt ex regulis Prouincialis c. 5. num. 46. & vltimo exploratum est, quod illi homines rarò ad instituti eorum disciplinam idonei inueniantur.

Sed quia sacrilegium quod commiserat.) Fortè quasdã res monasterij sibi retinuerat propriasq; fecerat, quod maximè monacho prohibetur propter peculiaritatis vitium ascetis omnibus interdictum. Ita enim S. Benedictus in regula c. 33. *Præcipuè*, inquit, *hoc vitium radicitùs amputandum est de monasterio: ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis; neque aliquid habere propriũ nullam omnino rem, &c. Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, ammonitus semel & iterum si non emendauerit, correptioni subiaceat.* In regula quoque S. Fructuosi cap. 8. peculiaritas abominatio dicitur. *Peculiaritas*, ait, *aut in vtensilibus, aut in vestimentis, aut quibuslibet rebus vilissimis saltem, & abiectis omni modo vitetur, quia abominatio monachis est, & infamium quicquã possidere superfluum, aut reseruare proprium, vel occultum, quod non longè ab Anania & Saphiræ exemplo segregatur.* Quæ est sententia S. Augustini serm. 27. *de verbis Apost.* vbi de Anania loquens. *Dum ex eo*, inquit, *quod promiserat partem subtraxit, sacrilegij damnatur & fraudis. Sacrilegij, quòd Deum in pollicitatione fefellerit: fraudis, quòd integris muneribus portionem quandam putauerit subtrahendam.* Hunc sequitur Chrysostomus in Acta Apost. hom. 12. *Quare*, inquit, *hoc fecisti?* (Ananiam alloquitur) *Voluisti habere? Oportebat initio habere, & non promittere: nunc autem postquam consecrasti, maius sacrilegium commisisti.* Oecumenius in eandem currit sententiam dum Ananiæ peccatum sacrilegium vocat. Quod faciunt Arator lib. 1. in Acta, Beda, Hugo, Lyranus in cap. v. Actorũ: Immo & Theodorus Beza cum in hoc caput scribit, num. 2. *Ananias & Saphira cum hoc prædium domino consecrassent, postea per sacrilegiũ partem pretij seposuerunt, ne in ecclesiæ conspectũ veniret; quod tamen dissimulabant; itaut ad sacrilegium etiã accederet diffidentia & hypocrisis.* Quare verè sacrilegi sunt monachi, qui proprietatis vitio laborant, cùm ex eo quod monasterij facultates, quæ ad Deum spectant, qui vsum tãtùm facti non Iuris: aut dominium vtile, non absolutum, ipsorũ Præpositis reliquit: tum quòd cum paupertatem monachi vouerint, peculiaritate voti desertores fiant. Quæ autem pœna maneat monachos, seu cœnobitas proprietati studentes hæc est, cùm ex Iuone hac epistola: tùm ex cap. *Cum ad monasterium, ex de statu monach.* vt à cæteris in morte separentur, communeque sepulchrum non habeant cum aliis fratribus. Quod ita cauit Concilium Anglicanũ sub Lanfranco Dorobernensis, seu Cantuariensis ecclesiæ Archiepiscopo Londini anno 1075. celebratum his verbis, *Ex regula B. Benedicti, dialogo Gregorij & antiqua regularium locorũ consuetudine, vt monachi ordinem debitum teneant, &c. Si quis vero aliquid proprij sine præfata licentia habere in morte fuerit deprehensus, nec ante mortẽ id reddiderit, cum pœnitẽtia & dolore peccatũ suum confessus, nec signa pro eo pulsentur, nec salutaris pro eius absolutione hostia immoletur, nec in cœmeterio sepeliatur:* immo si sepultura iam donatus fuerit, effodiendũ canones iubent & in sterquilinium proiiciendũ asserunt. Ita cap. *Cum ad monasterium* supra citatũ. §. 2. *Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signũ perditionis extra monasterium in sterquilinium subterretur; secũdùm quod B. Gregorius narrat in dialogo se fecisse*, lib. nimirùm 4. c. 56. idq; dummodo sine scandalo fieri possit, vt habetur *ex eod. tit. cap. super quodam.* Quare tantæ nequitiæ malum velut gehennæ pręcipitium, & quasi iter conducens ad infernum euitet monachus secundùm B. Leandri lib. *de institutione Virginum*, c. 18. consilium. Videndus Ioannes de turre cremata in Regul. S. Bened. c. 97. Quo anno hæc epist. scripta fuerit non constat.

Ad Epist. LVIII.

Congregationi Senonensi B. Stephani.) i. canonicorum Matricis Ecclesiæ collegio, seu vt vulgus loquitur, Capitulo ædis primariæ, quæ sub S. Stephani nomine dicata est. De vrbis vero Senonensis dignitate legẽdus est Claudius Robertus in Catalogo Archiepiscoporum ipsius,

Electum vestrum.) Daimbertum intelligit, qui Richerio vita functo 6. Kal. Ianuarij 1096. à Clero Senonensis Ecclesiæ in Archipræsulē electus est ex Archiclaui & Vicedomino. De eo consecrando consulit Hugonem Archiepiscopū Lugdunensem Iuo epistola 59. sequente, & epistola 60. eius prohibitioni defert: itaut manus ab eius consecratione cōtinuerit; vt loquitur ipse. Cum autem Daimbertum 1096. electum fuisse dixerimus, quo anno hæc scripta sit epistola nemini dubium esse potest.

Ad Epist. LIX.

A versutia Turonensis Archiepiscopi.) Radulphi huius nominis secundi, qui Præpositura in ecclesia Aurelianensi fungens, Ioannem quendā eiusdem ædis Archidiaconum vulgi rumoribus omninò diffamatum intrudere conabatur, nullumque nō mouebat lapidem quo Sanctionem Episcopum iam consecratum de dignitatis adeptæ fastigio pessundaret; vt epistola 66. & 67. constat. Cum autem fraude dicti Radulphi Sanctio anno 1099. depositus fuerit, hanc epistolā eodem scriptam suspicor.

Ad Epist. LX.

A Puteacensibus) Hugone scilicet patre, Ebrardo, & altero Hugone, Guidone, & Waleranno eiusdem Hugonis prioris filiis qui ipsi Iuoni, necnon ecclesiæ Carnotensi cui plura subsunt in Beloia oppida & possessiones, damna intulerant multa, ædes campestres diruerant, fruges ipsarum igne & ferro consumpserant, iura Episcopatus diuerterē; & sibi vendicare moliti fuerant, propter quas sibi, & ecclesiæ suæ illatas iniurias, tàm ipse Iuo, quàm alij Episcopi, eos sacris interdixerant. Hugoni autem legato succenset Iuo, quod se inconsulto communioni ecclesiæ restituisset nulla damnorum, quæ perpessus fuerat, facta satisfactione. In Concilio quidem Vernense I. can. 9. legitur, *Quod si aliquis se reclamauerit quod iniustè sit excommunicatus, licentiam habeat, ad Metropolitanum Episcopum venire, & ibidem secundum canonicam institutionem diiudicetur, interim suam excommunicationē custodiat. Quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare minimè potuerit, Regis iudicio exilio condemnetur.* Ibi ne verbum quidem, quod à Metropolitano, vel Primate possit absolui, immò potius quod excommunicationem suam custodiat; quare Iuo iustam conquerendi de Hugone legato ansam nactus erat. Hanc verò epistolam anno 1099. scriptam contendit Baronius num. IV. Ego 1096. cum eodem Hugo & Ebrardus Puteacenses Hierosolymitanum iter aggressi sint, & inter proceres legantur apud Tyrium lib. 1. c. 7. lib. 2. c. 1. & lib. 6. c. 17. Order. Vital. lib. 9. & Sugerium in Ludouico Crasso, qui de Hugone alterius Hugonis filio loquens: *Pater eius*, ait, *mira superbia in primordio Hierosolymitanæ viæ arma assumpserat.* De Ebrardo vidimus suprà ad epist. 47. etiam epist. 75. & 76. sequentem.

Ad Epist. LXI.

Secundum consuetudinem ecclesiæ nostræ, synodum VII. *Kal. Nouemb. celebrare debemus.*) Bis in anno synodos celebrare Nicæno I. c. 8. Antiocheno I. ca. 18. Regiensi can. 4. Arausicano I. can. 29. aliisque pluribus decretum fuit, vt est apud Grat. 18. dist. *Habeatur & Propter.* Kalendis nempe Martij & Octob. Et quamuis illud in 8. Synodo abrogatum fuerit. ead. 18. dist. *Quoniam quidem*, in ecclesia tamen Carnotensi seruatus est mos bis in anno Synodos celebrandi, Martis, Mercurij, & Iouis intrà Octauas Pentecostes ab Archidiaconis & Capitulo Carnotensi, & Mercurij post festum S. Lucæ Euangelistæ. Vnde hanc epistolam 1099. scriptam colligo, quod eodem anno septimus Kal. Octob. in diem Mercurij inciderit, cum litera Dominicalis illius annis fuerit B.

Niuernensis electi.) Guidonis scilicet, non Heruei, vel etiam, vt scribit Sausseius Hugonis, quorum vltimus cum esset ex Autissiodorensi canonico Niuernensis electus, 1103. velletque eum Hugo Lugdunensis Primas apud hæduos suæ prouinciæ consecrare, obstitit Iuo, quod nullus Episcopus extrà prouinciam consecrari debeat, dist. 64. & 65. Prior autem ex Seuertio in Niuernensium Episcoporum serie electus fuit anno 1097. De Guidonis igitur electione explicanda est tabella; cùm anno 1099. electus fuerit Guido, cui hanc epistolam Baron. num. 22. ascribit, quod non inficior.

Ad Epistolam LXII.

Adelitia Puteacensis castri domina.) Hugonis Puteacens. vxor, Hugonisque alterius Ebrardi Guidonis & Humbergæ mater, vt ex S. Petri in Valle Carnotens. agauonē, fol. 103. & 109. colligo.

Parochiam.) Hìc parochia pro integra diœcesi vsurpatur., vt apud auctores sæpè.

De clericis autem vel monachis Puteacensibus.) Intelligit Iuo monachos maioris monasterij, ad quos Puteacensis cella seu prioratus pertinet; qui cùm ab Episcoporum correctione sint immunes suo vtebantur priuilegio, & interdictū ab Aurelianensi Episcopo Sanctione, in cuius diœcesi Puteacum situm est, indictum, obseruarē recusabant.

De Geruasio.) Is Castrinoui Thimeriarum dominus fuit in diœcesi Carnotensi, vt ex epistola 261. sequente patet. Hanc autem Iuonem scripsisse anno 1099. planum est, cum Sanctio, cui eam mittit, eodem anno Episcopatum Aurelianensem adeptus sit, & eodem priuatus.

Ad Epist. LXIII.

Nihil ad hanc epistolam dicere possum, nisi quod scitu certè digna est, & quæ à sacerdotibus & nouatoribus legatur, vt illi suum officium agnoscant: hi in alterius præiudicium, quod ad eos non spectat ministerium haud vsurpare, addiscant.

Ad Epist. LXIV.

Ioanni Aurelianensi electo.) Is Radulfi Turonum Archiepiscopi, æmulorumque Sanctionis arte, in Aurelianensem decessore expulso cathedram, intrusus est vertente anno 1099. quo & scripta epistola fama licet discurrente sinistrà quod ipse postica Venere abuteretur Ioannes alter Radulfi germanus illud satis ex dictis compertum habetur, & ex Iuone epist. 66. 67. & 68. amplius patebit.

Ad Epist. LXV.

Latiniacensem Abbatem.) Lagny, diœcesis Parisiensis in Archidiaconatu Briæ, ordinis sancti Benedicti, inter Lutetiam Parisiorum & Iatinum Meldarum, ad Matronam fluuium. Sanctum Furseum Scotum habuit auctorem:

Heribertum verò Campaniæ, seu Treçarum Comitem, qui ibidem mortuorum resurrectionem expectat, restitutorem circa annum 993.

Ad Epist. LXVI.

Abbas Burguliensis) Baldricus scilicet Aurelianis Oriundus, qui cùm Burgoliensibus nomen dedisset, eiusdem monasterij Abbas electus est anno 1083. Natalia Bercosoli cùm prælationem ambiret, nec obtinuisset; Dolensi tandem potitus est anno 1108. vt ipsemet in historiæ suæ Hierosolymitanæ præfatione agnoscit; licet Argentreus histor. suæ Armor. lib. 3. c. 44. post Rodlandi Dolensis Episcopi obitum anno 1111. id accidisse narret. Cùm tamen certum sit illum post Wlgrinum Carnotensis Ecclesiæ Cancellarium qui electionem de se factam acceptare recusauit statim electum. Confer cum dictis ad epist. 176. sequentem. Huius Order. Vital. lib. 9. hist. suæ Eccles. sub finem his verbis meminit. *Hucusque venerabilis Baldrici prosecutus sum vestigia, &c. Præfatum seniorem, quem benè cognoui, veneranter honorare decreui. Hic ciuis fuit Aurelianensis, Monachus & Abbas Burguliensis liberalibus imbutus studiis, & religiosæ meritis vitæ venerabilis. Inde pro religione & sapientia ad gradum Dolensis Archiepiscopatus delectione prouectus est Ecclesiastica. In episcopatu monachatum seruauit, & cùm monachus prout sors dabat, plerumquè habitauit. Indomitis enim Britonibus præerat, quorum peruersitatem tolerare non poterat; vnde proteruos & exleges frequenter deserebat; & in Normanniam fugiebat, vbi Dolensis Ecclesia super Riselæ fluuium à temporibus sancti Sansonis, regnante Hildeberto rege Francorum, fundos habebat, & quietè, pacificeque possidebat. Ibi scriptis & dogmatibus suis auditores suos ad Dei cultum incitabat, & vicina cœnobia; Fiscanum scilicet, ac Fontanellam, atque Gemmaticum, aliaque plura visitabat, & in timore Dei sacris sermonibus confortabat. Tamdem in senectute bona defunctus est & Pratellis in basilica S. Petri Apostoli ante crucifixum sepultus est.* Die nimirum 7. Ianuarij 1129. vel etiam 1131. apud Seuert. in Dolens. Episcop. serie. De eodem Petrus Maleacensis Abbas epistola ad eumdem missa sic loquitur: *Fœlix reuera, & Deo amabilis terra Britannia tanti sideris illustrata coruscationibus. Exultat Oriens Apostolicorum patrum doctrinis, ceu gloriosissima palma decorata; lætetur nihilominus & occidens, primatis tanti titulis insignita. Deponat gens effera genuinam quodammodo feritatem, cursitans ad sui speculatoris mellifluam affabilitatem. Non imputetur ei vlteriùs fatitaus quædam naturalis, tàm sapientissimi Antistitis documentis informata.* Quædam scripta posteritati reliquit; historiam videlicet Hierosolymitanam, Roberti de Arbressello, de quo pluries in his obseruationibus, vitam & gesta, S. quoque Sansonis eius decessoris acta, & alia quædam quæ vel temporum iniuria: vel sequentium incuria exciderunt, aut in situ & puluere pascendis blattis adhuc delitescunt. Quoad verò epistolam, ipsam lucem vidisse labente anno 1099. vel saltem vertente 1100. ex ipsa facilè intelligere licet. Est autem Burgolium monasterium Benedictinum diœcesis Andegauensis tribus leucis Gallicis à Salmuro distans, ab Emma Theobaldi primi senioris dicti Carnotensis Comitis filia Guillelmi Pictonum Comitis coniuge conditum & opimis reditibus fundatum circa annum Domini 992. vt in ipso fundationis instrumento legi.

Ad Epist. LXVII.

Ecce iam transacto hoc septennio.) Hanc epistolam anno 1098. & non 1099. vt est apud Baronium ad hunc annum num. xv scriptam fuisse ex eo colligo, quod Iuo desinente 1090. inauguratus sit Carnotensis Episcopus: vt alibi probo, & non 1092. vt Baronius & alij contendunt.

Ad Epist. LXIX.

Stirpensis Ecclesiæ Præposito) Stirpense, siuè S. Petri de Stirpo, vulgò l'Estreppe, cœnobium est canonicorum regularium in diœcesi Lemouicensi.

Lemouicensis Episcopus) fortè Guillelmus, Humbaldi ab Vrbano dignitate semoti successor, qui tertio sui Pontificatus anno, Geneuo extinctus est circa 1099. quo fortè hæc epistola scripta.

Ad Epist. LXX.

Monasterio S. Faræ.) Pharæmonasterium vulgò dicitur, Farmoustier, quod est ordinis Benedictini diœcesis Meldensis, à S. Fara Diui Faronis Meldensis Episcopi sorore conditum circa 660. Hanc vero epistolam anno quo supra dum belli sacri causa Adelæ maritus abesset, scriptam puto.

Ad Epist. LXXI.

Guillelmo glorioso Rege Anglorum) Ruffo dicto, huius nominis tertio Normannorum Duci, Anglorum regi secunda post Guillelmum patrem, qui cum anno 1088. inauguratus sit, saltem ante illum hanc epistolam scriptam fuisse negari potest sicut & post 1100. & adeo anno 1099. missam arbitror. Hanc ad ipsum missam à Carnotensi capitulo Epistolam in M S. codice qui penes me est, inuenio, quæ ne excidat hic apponam. *G. Dei gratia Anglorum Regi A. Decanus & Ecclesiæ Carnotens. Canonici, ei placere per quem reges regnant. Non modicà tibi incumbit probitatis necessitas, si patris tui gloriosi atque magnifici regis virtutem, & matris tuæ sanctissimæ, atque excellentissimæ reminisceris prudentiam, quorum mors sicut humano generi incredibiliter damnosa extitit: ità omnibus in commune incredibilem mœrorem attulit. Bene tamen est, Dei gratia, quod te superstitem habemus in quo paternæ fortitudinis imago ita repræsentatur, vt parum distet, quin patris identitas magis quàm similitudo exprimatur. Hæc ad te scripsimus non mendicando; sed in notitiam tuam venire desiderando; obsecrantes vt nobis dilectionis vicem reddas, non enim erit amor tuus infructuosus, si eum Ecclesia matris Dei impendas, quià sicut apud auctorem suum & filium obtinere meruit specialem dilectionem: ita etiam habet pro quibuscunque voluerit præcipuam interueniendi potestatem. Vale.* Potuit verò hæc epist. mitti 1088. statim post ipsius inaugurationem.

Ninardum de Septolio) de hoc Ordericus Vitalis lib. 10. Eccles. hist. pag. 767. ad annum

1099. his verbis agit *Guillelmus Rex cum Guillelmo Duce Pictauiensium ductu Almarici iuuenis* (de Monteforti) *& Niuardi de Septolio, &c.* Est autem Septolium oppidum diœcesis Carnotensis & Archidiaconatus Pisciacensis *Septueil* vulgo dictum, quare Niuardum illum Iuo suum parœcianum appellat, quòd in sua diœcesi moraretur.

Ad Epist. LXXII.

G. Abbati S. Guandregesili.) Girardus is fuit, qui Lanfranco suffectus est 1091. & huius monasterij curam vsque ad annum 1125. gessit ex Cl. Roberto in Abbatiis Galliæ sub Fontanellæ nomenclatura. Ex quo annus missionis epistolæ huius, vix iudicari potest. Quæ de altarium reconsecratione hîc scribit Iuo, iam exoleuerunt, neque ampliùs seruantur, siue ex consuetudine, siue ex ignorantia.

Ad Epist. LXXIII.

Bernardo Maioris-monasterij Abbati.) Inter Maioris-monasterij Abbates in lib. de gestis Episcoporum Turonensium & Abbatum Maioris-monasterij, citiùs reponitur. Ibi enim dicitur. *Hic rexit ecclesiam istam vsque ad annum* 1036. *tredecim videlicet annis & obiit* 8. *Idus Maij.* Quod cum vero stare non potest, Bernardus enim ille fuit tantum electus Abbas post Bartholomæum, qui 6. Kal. Martij anni 1083. vel circa desiit. vt P. ad epistol. 4. annotauimus. Quod ex carta 180. cartularij ipsius monasterij *de beneficijs quæ in Vindocinensi Prouincia, seu Archidiaconatu sita sunt*, patet, cùm ibi dicatur annum quo Vrbanus Papa 2. ecclesiam Maioris-monasterij consecrauit (qui fuit anno 1096. decimum-tertium eius administrationis fuisse. Hanc autem Epistolam circà hunc annum, aut paulò post scriptam fuisse reor, quod de eius benedictione in ipsa mentionem faciat tamquam de re recenti.

Promotionem Abbatis faciat episcopalis benedictio.) V. Glossam in Clement. *Attendentes, de statu regular.* Ioann. Andr. & Henricum Ostien. ad cap. *Tuam* 10. *de ætate & qualit. ordinand.*

Ad Epist. LXXIV.

Hildeberto Cenomanensi Episcopo.) De hoc ita Order. Vital. lib. 10. hist. Ecclesiast. pag. 770. & 771. scribit ad annum Christi nati 1098. *His temporibus venerabilis vita Hoellus, genere Brito, Cenomannorum Episcopus defunctus est. Helias autem Comes Goiffredum Britonem Decanum eiusdem Ecclesiæ ad Episcopatum elegit; sed praueniens clerus Hildebertum de Lauarceio Archidiaconum in cathedra Pontificali residere compulit,* & paulò infrà: *Hildebertus autem post mortem Gisleberti Turonensis Archiepiscopi, à clero & populo electus est, nutuque Dei de Cenomannico culmine Metropolitanam sedem adeptus est. Hic mansuetus fuit, ac religiosus; & tàm diuinarum, quàm secularium eruditionis litterarum studiosus, temporibus nostris incomparabilis versificator floruit, & multa carmina priscis poëmatibus æqualia, vel eminentia condidit, &c. Eleganter enim & sapienter loquitur de Christo & Ecclesia, de corpore & anima, de gestis sanctorum & virtutibus eorum, de laude virtutum & vituperatione vitiorum, &c. Hic sacer heros fere* XXXV. *annis Præsulatus officium exercuit, studiisque bonis in docendo & faciendo specialiter institit. Ecclesiam S. Geruasij, vbi corpus eximij confessoris Christi Iuliani requiescit, multis modis laudabiliter decorauit, &c.* De ipso quoque Hildeberto Baronius ad 1107. num. 14. honorificè satis loquitur, quem consule: hanc autem Epistolam anni 1100. initio scriptam esse necesse est, cum eodem die 5. Nonas Augusti Guillelmus Russus de quo hîc suppresso nomine agit Iuo & qui proditionis insimulabat Hildebertrum in Noua foresta, quæ apud Anglos est, ictu sagittæ interiit; vt Order. Vital. lib. 10. p. 783. refert.

Ad Epist. LXXV. & LXXVI.

Ioanni Aurelianensium Episcopo.) Huius nominis primo non secundo. Id enim quod suprà ad Epistolam 60. dixi, vt aliter sentiam non patitur, siquidem Puteacenses pater, mater & filij ab Iuone diris deuoti, anno 1095. ecclesiasticæ communioni restituti sunt ab Hugone Lugdunensi anno 1096. antequam bello sacro nomen darent: immò Iuo ipse Sanctioni Aurelianensium Episcopo Epistola 6. scribit; se pacem fecisse cum Adelicia Puteacensis castri domina, & suam ei iniuriam remisisse. At Sanctio Ioanni illi primo suffectus est anno tantum 1099. quo aduersus Hugonem Puteacensem Adeliciæ maritum, qui tunc in Syria agebat, cùm eo anno Hierusalem à Gofrido Bullonio & Francis capta fuerit, de iniuriis sibi ab ipsis illatis conqueri non poterat, vigente maximè treuga Domini, qua cruce signatis & transmarina expeditione accinctis induciæ impertiebantur, vt habetur Epistola 168. sequente, nisi dicatur, illis Puteacensibus dominis; Hugone scilicet & Ebrardo ad sua anno 1099. reuersis ad vomitum rediisse, & nouas iniurias Iuoni intulisse, quod sanè non inficior, cum eodem anno Daimbertus Senonensem sedem, Ioannes 2. Aurelianensem occuparent, & Guido Niuernensis dicebatur electus, quod nondum esset confirmatus.

In Aruernensi Concilio) desunt sanè plures huius Concilij canones, cùm inter eos qui à Baronio vulgati sunt cum ex Lamberto Atrebatensi Episcopo, tùm ex Franc. Belforesteo, qui eos ex Sandionysiana Bibliotheca descripsit, & aliis, nihil eorum de quibus agit Iuo hîc, inueniatur. Canone siquidem 32. editionis Lambertinæ tantum dicitur, *si quis Episcopum ceperit, & incarcerauerit, perpetuæ infamiæ subiaceat, vlteriùs arma non exerceat,* & can. 9. posterioris editionis habetur: *Qui manus iniecerit in Episcopum, vel eum in vincula, aut carcerem duxerit, impius declaretur, & vt legis, cognitionisque Dei expers anathemate feriatur, atque ab ecclesiæ communione reiiciatur.* Ne verbum quidem de excommunicatione aliorum Episcoporum. Fieri tamen potest vt ampliores fuerint concilij huius Canones, cum alij citentur à scriptoribus, qui tamen inter vulgatos non reperiuntur: immò non concordant qui in lucem prodierunt, & Iuonem, qui Concilio aderat, imponere velle veritati, æstimandum non sit.

Ad Epist. LXXVII.

Hugoni Beluacensis Ecclesia Decano.) Cogno-

minabatur de Gerbray ex Cl. Roberto in Beluacensium Episcoporum serie num. 49. & Loueto hist. Beluac. lib. 4. c. 23.

Aduersus Episcopum.) Anselmum Beluacensem Antistitem, qui sedem iniit 1099. & porrexit ad 12. Kal. Decembris, quo desiit.

Ad Epist. LXXVIII.

Monachis Dolensis Monasterij) Dolense illud Monasteriũ in Bituricensi Prouincia ab Ebbone Toparcha Caroli simplicis Francorum regis tempore, conditum est, circa 913. ad Augerim vel Indrum fluuiolum vulgo l'*Indre*, despicabilem visu, sed crebra in multiplices discursus aluei sectione, ac paludum aliquantis in locis ad transmeandum difficilem, ait Aimoinus Floriacensis, qui in Biturigum finibus suprà Castram inter Rodulphi castellum & idem Dolense Asecterium oritur. Dolensis vero Ecclesia ab Vrbano 2. S. P. dum in Galliis ageret 1095. dedicata est, quæ cùm à segregib. Hugonotis euersa fuisset, monachi illius celebris Abbatiæ & S. Gildasij vicinæ seculari toga donati sunt anno 1623. à Gregorio XV. P. M. procurante Henrico Borbonio Condæo Principe, qui eo die quo hæc scribebam ab humanis excessit, & annuente Ludouico XIII. Francorum Rege, qui canonicorum in S. Martini Castri Rodulfi Ecclesia sodalitium instituí permisit, quorum Inspaternatus, seu nominationem eidem principi permisit V. CC. Robert. in Abbatiis Galliarum L. D. V. Dolense.

Bernerij quondam Bonæuallensis monachi.) Bonæuallensis Abbatis futuri, qui tunc Dolensis electus fuerat, de quo 1. ad epist. 147.

De Monasterio Crucis.) Quod aliàs dicitur Crux Heltonis vel Madriacense cœnobium, seu etiam Crux S. Leufredi Diœcesis Ebroicensis ordinis Sancti Benedicti, quòd ibi gloriosus confessor Christi Leudfredus tempore Hildeberti & Hilperici iuniorum regum Domino feliciter 48. annis militasse legatur, vt habet Ordericus Vitalis lib. 4. histor. Ecclesiast. pag. 524. & seqq.

Guimondo,) de hoc idem Ordericus vbi suprà, sic scribit *Guitmondus venerabilis monachus cœnobij quod crux Heltonis dicitur, vbi gloriosus confessor Christi Leudfredus, vt S. regio iussu accersitus Pontum transfretauit, & oblatum sibi à Rege & Proceribus Regni onus Ecclesiastici regiminis, omninò repudiauit. Erat enim æuo maturus, & religiosus, ac scientia litterarum eruditissimus, cuius ingenij præclarum specimen euidenter patet in libro de corpore & sanguine Domini contra Berengarium, & in aliis opusculis ipsius. Hic itaque cùm à Rege rogaretur vt in Anglia secum moraretur, & congruum tempus eum promouendi præstolaretur, secum subtiliter deliberauit, suique votum propositi aliud esse demonstrans, regi respondit. Multæ causæ me repellunt ab Ecclesiastico regimine, &c. Admiratus Rex cum Proceribus suis insignis monachi constantiam supplex, ac deuotus impendit ei decentem reuerentiam & competenter honoratum, iussit eum remeate in Neustriam, ibique quo vellet suam præstolari præsentiam, &c. Non multò pòst defuncto Ioanne Rothomagensium Archiepiscopo, Rex & alij plures Guitmundum ad Archiepiscopatum elegerunt; sed æmuli eius, quos idem vituperauerat, ne Archipræsul fieret, quantum potuerunt, impedierunt. In tanto viro nihil obiiciendum inuenerant, nisi quòd filius esset presbyteri. Ille autem ab omni auaritia purgari volens; & inter exteros paupertate premi, quàm inter suos dissensiones fouere malens, Odilonem Monasterij sui Abbatem, reuerenter adiit, & humiliter ab illo licentiam peregrinandi petiit & accepit. Porro illiteratus Abbas metiri nesciebat, quantus sapientiæ thesaurus in præfato Doctore latebat, ideo desiderabilem Philosophum de monasterio suo facilè dimisit, quem Gregorius VII. Papa venientem ad se gaudens suscepit, Cardinalem S. R. E. præfecit, & Vrbanus Papa iam probatum in multis Metropolitanum aduersis vrbis solemniter ordinauit. Hæc vrbs tempore Leonis IX. Papæ à Normannis qui primò Apuliam incoluerunt constructa est: & à Romanis, quia ab aduersis sibi catibus ædificabatur, Aduersis dicta est*, Haud diu stetit, cùm à Rogerio siculo principe solo æquata fuerit 1135. ex chronico Beneuentano. De Roberto quædam habeo in membranis, sed non ad manum: de vno sufficit, vt cui de alio dicitur, fides adhibeatur.

Ad Epist. LXXIX.

Philippo Trecassino Episcopo) sedit ab anno 1080. vel 1082. ex Camusato in Prompt. antiquit. Trecen. ad 1114. & infra. Synodus autem de qua hic loquitur Iuo, habita est circa 1099. quo anno ad finem vergente. Guido Niuernensis electus, consecratus est, & hæc Epistola scripta.

Sed quia ad Concilium vocatus non venisti, &c.) De pœna Episcopis ad synodum non venientibus infligenda, habetur 18. dist. cum peruenit & aliis, apud Iuonem lib. 4. tit. 2. c. 3. & 6. Panorm. & parte 5. decr. c. 114. sed & apud Ant. Augustinum lib. 4. Iuris vet. Pontif. Epit. tit. 65.

Ad Epist. LXXX.

Willelmo Fiscanensis Monasterij Abbati) de eo sic Order. Vitalis lib. 3. p. 495. *Willelmus autem de Ros Baiocensis clericus (qui in eadem Ecclesia triplici erat honore præditus, erat enim Cantor, & Decanus, & Archidiaconus, &c. non multò pòst seculi pompas spontè relinquens, Cadomensis monachus factus est, & inde priusquam vnum annum in monachatu proficeret, ad Fiscanensis cœnobij regimen assumptus est*, & lib. XI. pag. 832. de illo loquens, *Hic venerabilis vir*, inquit, *bonis moribus pollens laudabiliter vixit, & multarum nectare virtutum imbutus à pueritia viguit, & in clericatu, ac monachatu speculum bonorum operum mundo resplenduit. Præfatum vero cœnobium adhuc in monachico schemate Neophytus suscepit, fere 20. annis gubernauit, & in multis intùs & extrà emendauit.* Dicebatur quoque pro decore Puella, vt ipse Ordericus scribit, qui illum Lexouiis 661. Henricus I. Anglorum Rex conuentum, seu comitia Normanniæ procerum indicarat, redeuntem, hominem exuisse asserit mense Martio 1107. atque ante aram gloriosæ Virginis Mariæ Ecclesiæ Fiscanensis recèns ab ipso extructæ sepultum. Huic Hildebertus Cenomanensis Episcopus Epicedium cecinit, quod tumulo affixum adhuc legitur.

Pauperibus locuples, & sacri nominis Abbas
Willelmus, solo corpore cultor humi.
Liber ab Ægypto rediens, deserta reliquit,
Iamque Ierosolymam victor, ouansque tenet.
Cum vitiis odium, cum moribus ille perennem

Pactus amicitiam, firmus vtroque fuit.
Luce graui nimium, quæ sexta præibat Aprilem,
Redditus est patriæ spiritus, ossa solo.

De motione altaris: vel parietum Ecclesiæ vtrum iteranda sit consecratio.) Ad primam partem quæstionis respondet Innocentius 3. Papa in Epist. ad Nidrosiensem Episcopum. Altare, inquit, *in quo tabula cui consecrationis benedictio Pontificali ministerio adhibetur, si mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immerito consecrari,* quod sentiunt Syluester in summa verbo altare, num. 6. & 7. & verbo consecratio II. num. seu §. 7. & 8. & DD. in c. proposuisti de consecrat. ad secundam respondet Durand. lib I. ration. diu. Officij Rubrica de Dedic. Eccles. circa medium. quem lector videre poterit. Hanc vero scriptam existimo, antequam noua, quam extruxerat Willelmus qui supra, apud Fiscanum Basilica, à Willelmo Rothomagensi Archiepiscopo, aliisque quatuor Præsulibus 17. Kal. Iulij consecraretur, & dedicaretur, vt est apud Ordericum loco vltimo cit. quo anno incertum, nisi is fuerit annus 1100. vel 101. quo ex iis quæ habent Orderic. lib. 5. pag. 568. & Dadreus in historiali Archiepisc. Rothomag. chronolog. Willelmus Rothomagensis obiit, quamuis chronicon S. Stephani Cadomensis eum deuixisse tantùm anno 1110. scribat. Si enim vt habet Dadreus incœpit Willelmus anno 1079. & rexit secundum Ordericum 22. annis, vitâ cessisse anno 1101. verum est, atque ita hanc epistolam vno, vel altero ipsorum anno scriptam fuisse coniici potest.

Ad Epist. LXXXI.

Paschali Summo Pontifici) Vrbani 2. successori, qui, eo sublato 4. Cal. Aug. 1099. vt habent Onufrius & Baronius ad annum 1100. Num. I. à Gregorianæ factionis Cardinalibus 18. Calend. Septembris eiusdem anni Pontifex Maximus Romæ renunciatus est, & sequenti die coronatus. Is erat natione Tuscus, oppido Blera in Comitatu Galliatæ, Domnus Reginerius vocatus, professione canonicus regularis Lateranensis, mox Cluniacensis monachus, Abbas SS. Stephani & Laurentij extrà muros vrbis, & presbyter Cardinalis S. Clementis à Greg. 7. Papa creatus. Sedit in schismate contra Clementem 3. Antipapam an. 18. mens. 5. dieb. 8. scriptam hanc Epistolam fuisse contendit Baronius an. MC. num. 14. cui facilè annuo. Gratulatoria est enim Paschali pro recenti ipsius ad summum Ecclesiæ apicem euectione.

Ad Epist. LXXXII.

Daniel) fortè qui posteà Abbas Ebronensis (vulgò *Euron*) anno 1123. fuit. Est autem Ebronium monasterium ordinis Benedicti in Cenomanis inferioribus Beatæ Mariæ Virgini dicatum ab Hadoindo Cenomanorum Episcopo 12. circa 650. regnante Clodoueo 2. Francorum Rege. Vide Gauffridum Vindocinensem lib. I. epist. 3. & Sirmundum ibi, & ad epist. 20. lib. 5.

Ad Epist. LXXXIII.

A Metropolitano vestro.) Manassæ d'*Affray*, seu Castilloneo Vrbani 2 nuper è Papæ gentili Remensi Archiepiscopo, de quo suprà ad epist. 48.

Suesstonensi Episcopo) Vocabatur Hugo Niuelonis de Petrafonte frater, qui Hierosolymitanum iter aggressus, Aquilæ obiit 1103. de hoc ad epistolam 42. diximus.

Ad Epist. LXXXIV.

Quod autem Pictauis, aut intra Prouinciam Aquitanicam concilium celebrare disponis.) Huic loco illustrando multùm affert, quod Goffridus Grossus in vita Bernardi Tyronensis Abbatis I. scribit, qui liber quia nondum in lucem prodiit, hîc subiicere ipsius testimonium non grauabor. *Per id tempus*, inquit Goffridus, *duo Cardinales Ioannes, atque Benedictus Apostolicæ sedis legatione fungentes ad vrbem Pictauim Concilium conuocarunt, in quo centum quadraginta patres affuerunt, qui Philippum Regem Francorum propter Fulconis Consulis Andegauensium vxorem, quam in adulterio tenebat, anathematis vindicta percusserunt. Qua excommunicatione comperta, Guillelmus Dux Aquitanorum, qui aderat, totius pudicitiæ, ac sanctitatis inimicus, timens ne similem vindictam pro consimilibus culpis pateretur, nimio furore incensus, iussit omnes illos deprædari, flagellari, occidi. Quod ministris suis facere incipientibus Pontifices & Abbates hùc, illùcque diffugiunt, & vt temporalem vitam retinerent, tuta latibula quærere contendunt. At vero Bernardus atque Robertus Abrefelensis, qui concilio intererant, fortissimi iustitiæ propugnatores, ac totius iniquitatis & iniustitiæ expugnatores, ita immobiles, constantesque perstiterunt, vt nec ab incœpto excommunicationis desisterent, sed pro Christo mortem, vel contumeliam pati, gloriosissimum ducerent: & quamuis eis persecutores mortem non intulerint, isti, quantum in ipsis est, martyrium pertulerunt.* Huius Ioannis ad quem scribit Iuo, socij, seu collegæ eius nedicti & Concilij Pictau. meminit fragmentum veteris exemplaris Floriacensis, Vincentius Beluac. lib. 26. spec. hist. c. 68. Gaguin. lib. 6. statim post initium, Suger. in Crasso, & alij. Celebratum autem fuit hoc Concilium anno 1100. ex Boucheto parte 3. annal. Aquit. c. 2. & chronico Turonensi ad hunc annum. Quare Baronius meritò hanc epist. anno eodem scriptam fuisse asserit num. 20.

Ad Epist. LXXXVI.

Stephano Palatino Comiti.) Hanc epistolam suspicor scriptam fuisse ab Iuone Stephano Carnotensi Comiti anno 1110. postquam à Palestina rediit. Bis quippe ad iter Hierosolymitanum se accinxit anno 1096. & 1101. De primo videndi sunt Fulcherius Carnot. de gest. peregr. Francorum c. I. & Robertus S. Remigij Remensis monachus *historiæ Hierosolymitanæ lib. 6* De secundo Albertus Aquensis lib. quoque *hist. Hierosol.* 8. c. 6. & lib. 9. c. 5. & 6. nec-non Guill. Tyrius lib. 10. c. 12. & 19. & Matth. Paris in Henrico I. p. 40. Ord. Vit. lib. 10. p. 789. quibus locis Stephanum pœnitentia ductum quod Christianis apud Antiochiam obsessis suppetias non tulisset: imo & in maximum famæ suæ dedecus aufugisset, Hierosolymam rediisse 1101. & in Ramæ obsidione ab Azoparto Babyloniorum Satrapa captum, Ioppe capite luisse scribunt.

Ad Epist. LXXXVII.

Stephanus de Garlanda.) Anselli militiæ Francorum Principis frater & ipse Regis Cancellarius & dapifer post Ansellum & Guillelmum germanos. Ex chronico monasterij Mauriniacensis hoc addisco, quod ita habet lib. 2. de Stampensi canonicorum sodalitio scribens. *Fouebat*, inquit, *eorum partes Algrinus quidam Palatinus, & regalis clericus, & Stephanus Cancellarius Anselli dapiferi frater, & priuatissimus Regis Consiliarius, cuius tunc temporis arbitrio, regnum Francorum disponebatur, qui ambo canonici Stampenses erant*; & paulo post; *Willelmus dapifer*, ait, *qui Senescallus appellatur, Stephanus quoque Cancellarius frater eius, cuius consilio tota Francia regebatur.* Quibus post tres, vel circiter paginas, *addit interea defuncto Vuillelmo Anselli dapiferi germano, Stephanus Cancellarius, de quo superiuiuente fecimus mentionem, frater amborum Maior regiæ domus effectus est. Hoc retroactis generationibus fuerat inauditum, vt homo qui Diaconatus fungebatur officio, militiæ simul post regem duceret principatum. Hic vir industrius, & seculari praditus sapientia, cum multis ecclesiasticorum bonorum reditibus, tum familiaritate regis quam sic habebat, vt ei potiùs à quibusdam diceretur imperare, quàm seruire, temporali. Temporalitati fælicitate suprà omnes mortales nostris temporibus efflorebat, &c.* Electus autem fuerat Beluacensis Episcopus post Anselmi obitum Stephanus ille Garlandensis; à qua tamen electione, Iuone aduersante excidit Vualone eiusdem Iuonis suasu cum à melioris famæ, & sanioris consilij clericis electus fuisset, suffecto à summo Pontifice, Paschali 2. verùm repugnante Philippo Francorum Rege, & Crasso eius filio, dignitatem Vualo non obtinuit; sed ad Parisiensem Ecclesiam breui translatus est, quare hanc epistolam eodem anno quo hæc fiebant: nempe 1103. scriptam fuisse censeo. quamuis reluctetur Baron. ad an. 1101. num. 8. V. epistolas sequentes 89. 92. 95. 97. & 98.

Ad Epist. LXXXVIII.

Domnum Hilgotum quondam Suessionensem Episcopum.) Ne nomen quidem inter Suessionenses præsules lego, fortè quod electus tantùm episcopatum respuerit & monachismum amplexatus est, Iuone nondum ad cathedram Carnotensem euecto, vt ipse hic significare videtur.

Ad Epist. XCI.

Adelæ nobili Comitissæ) Carnotensi, de qua iam suprà diximus, quam ex mœrore amissi consortis in transmarinis, vt ex dictis ad 86. epistolam patet, interempti, lecto decumbentem solatur Iuo, & ei protectionem cœnobij S. Ioannis in valle propter Carnutum à se recens conditi deprecatur. Prima enim ipsius iecerat fundamenta anno 1099. & canonicis regularibus addixerat iuxta illud vulgatum.

Centum, mille minus vno, currentibus annis.
Floruit hic primùm locus ordine canonicali.

Ea autem in Ecclesia habet munus orationum, vt ipse Iuo loquitur hac epistola, id est Anniuersarium 8. Idus Martij, vt ex Necrologio S. Ioannis in Valle patet his verbis, obiit Adela Comitissa Blesensis.

Domna Helisendis Vicedomina.) De ea ita Necrologium Ecclesiæ S. Ioannis in Valle Carnotensi, *sexto Id. Iuly. Obiit Helisendis Vicedomina, cuius consilio & auxilio, habet Ecclesia nostra Vicariæ partem quæ ad Vicedominum pertinebat: Villam etiam quæ vocatur Moncelli, atque Ermantaruillam.* Et in Cartulario eiusdem Abbatiæ legitur 1. p. c. 26. donum Ermanteruillæ assentientibus Gauffrido Episcopo Carnotensi, & Elizabeth filia ipsius Vicedominæ sorore Hugonis Vicedomini. Erat autem Helisendis vxor Guerrici Vicedomini & mater Stephani etiam Vicedomini, qui secularibus curis renuntians, Abbas S. Ioannis in Valle factus est, & postmodum Patriarcha Hierosolymitanus: de quo Tyrius lib. 13. c. 25. Ipsius etiam Helisendis fit mentio in fundatione Abbatiæ Iosaphatensis anno 1120. & in Cartulario S. Petri in Valle Carnotensis. Fuit autem altera Helisendis Vicedomina Carnotensis Gauffridi de Mellego Vicedomini vxor; sed seculo integro posterior, vt est in eodem Iosaphatensi Cartulario, quod moneo, ne quis in nomine decipiatur. Hanc vero epistolam scriptam puto 1101. vel 1102. postquam Henrici Stephani Carnotensis Comitis mors innotuit. De qua Matth. Paris in Henrico 1. p. 41.

Ad Epist. XCIII.

Daimberto Dei gratia Hierosolymitano Patriarchæ.) Arnulfo deposito suffectus est, ex Guiberti Abbatis hist. Hierosolym. lib. 7. c. 13. cum esset Archiepiscopus Pisanus & illuc legatus à S. P. missus, quod etiam astruit Vuillel. Tyrius lib. 9. hist. Hierosol. c. 14. & 15. hanc epist. assignat Baronius an. 1100. num. 34. Ego 1101. cum eo anno Hierusalem Stephanus Carnotensis & Blesensis Comes cum pluribus diœcesis Carnotensis militibus (quos parochianos suos appellat Iuo) vsque ad sexaginta equitum millia, peditum vero ampliorem numerum, redierit.

Ad Epist. XCIV.

Carnotensis Comes prauas consuetudines quas habebant antecessores sui & ipse in domibus & rebus Carnotensis Episcopi.) Episcopis fato functis Carnotenses Comites, seu eorum officiales, quæcunque in Episcopis, aliisque domibus remanebant, sui iuris asserebant. Vt autem hanc vexationem redimeret Iuo ab Henrico Stephano in Syriam redeunte, ius illud obtinuit, suisque successoribus transmisit. Diplomate sequente firmatur concessio, & quæ essent prauæ illæ consuetudines demonstratur, fert enim. *Ego Henricus Comes cognomine Stephanus: nec-non & Adela vxor mea, cum filiis nostris: Notum fieri volumus omnibus S. Dei Ecclesiæ fidelibus, tam laicis, quàm clericis, præsentibus & futuris, quia Iuo humilis Dei seruus, venerabilis Ecclesiæ Carnotensis Episcopus, præsentiam nostram adiit, & à nobis obnixè postulauit, quatenus domum Pontificalem; domum scilicet, quam ex lignea lapideam, ex vili reddidit speciosam, ab illa praua consuetudine, quam prædecessores nostri, & nos habuimus in ea huc vsque, liberam esse concederemus: ne scilicet Episcopis ab hac vita demigrantibus: vel aliqua occasione decedentibus, præfata domus dissiparetur: ne quid ferri, vel plumbi, vel vitri, vel ligni, vel lapidis asportaretur, vel obrueretur, ne à qualibet sua suppellectili spoliaretur: Annona quo-*

que, vinum, fœnum, oues & boues, & cætera animalia, & omnia mobilia, quæ sunt in vrbe, siue extrà vrbem congregata, vel collecta fuerint ante obitum, vel discessum Episcoporum à nobis, & à nostris intacta dimitterentur, illis profutura, quibus Episcopus reseruare, vel donare, seu per se, seu per euchonomum suum decreuerit, vel maiores Ecclesiæ personæ, si id Episcopo aliqua occasione præuento, facere non licuerit. Addidit etiam petitioni suæ, vt exactio quam vulgò talliam vocant, quæ defunctis episcopis, vel decedentibus fieri solet in seruientes Episcopi, vel rusticos, simili consideratione condonaretur: Nos igitur tanti viri petitionem dignam frustrari indignam esse iudicantes, & ecclesiasticas res augmentari potiùs, quàm deteri* debere cogitantes, ob remedium animæ patris mei, & meæ, & vxoris meæ, filiorumque meorum, rem prætaxatam à praua consuetudine liberam reddimus; domum scilicet, & domus eiusdem ferrum, plumbum, vitrum, lignum, lapides, cæteramque suppellectilem; scilicet tabulas, scamna, scabella, vasa vinaria, lectos, nec-non coquinas & horrea, granaria, cellaria, torcularia, furnos, furnorumque domos, siue in vrbe, siue extrà vrbem; siluas, vt non vendantur, nec succidantur, nec dentur. Annonam quoque, vinum, fœnum, oues & boues, & cætera animalia, omniaque reliqua mobilia, quæ congregata, vel collecta fuerint siue in vrbe, siue extrà vrbem ante obitum; vel discessum Episcopi cuiuslibet, intacta à nobis & à nostris dimittimus, & nos, & filij nostri Vuill. profutura, quibus Episcopus reseruare, vel donare, seu per se, seu per* euchonomum suum decreuerit, vel Maiores Ecclesiæ personæ, si id Episcopo aliqua occasione præuento facere non licuerit. Concedimus etiam, vt prætaxata exactio, quæ defunctis episcopis, vel discedentibus fieri solet in seruientes episcopi, vel rusticorum, de cætero numquàm fiat. Et quia tàm benignè ista concessimus; concesserunt mihi & Adelæ vxori meæ Episcopus & congregatio tota canonicorum B. Mariæ, vt per singulos annos anniuersaria nostra celebrarentur temporibus suis in Ecclesia B. Mariæ. Si quis ergo prætaxatam pactionem annullare, vel debilitare conabitur, concedimus quantum in nobis est, vt tàm in vrbe, quàm in suburbanis, diuinum officium interdicatur, & tanti sacrilegij patratores admoniti, si non resipuerint, vsque ad satisfactionem, anathematis gladio seuerissimè puniantur. Si quis autem futurorum Episcoporum in domo supradicta turrim, vel propugnacula ædificauerint, turris & propugnacula tantùm destruentur, domus autem cum appenditiis suis inconcussa manebit. Vt autem pactum hoc firmum & inconcussum per succedentia tempora permaneat, placuit scripto mandari; & optimatum tàm clericorum, quàm laicorum adstipulatione roborari, & sigillorum nostrorum testimonio communiri. † S. Stephani Comitis. † S. Adelæ Comitissæ. † S. Guillelmi. † S. Stephani. † S.* Odonis. † S. Theobaldi. Testes ex parte Comitis & Comitissæ, Stephanus Meldensis Vicecomes, Galcherius de Montemirabili, Radulfus de Balgensiaco, Guicherius de Castro Ragmaldo, Guermundus de Cassellione, Garnerius Mangoth, Rotrocus Comes de Persico, Stephanus Vicedominus, Herbertus de Castellione, Paganus de Verziaco, Herueus Belo, Hugo Berbellus, Ansoldus Berbellus, Robertus Belini, Bernardus Foristerius, Ragmaldus Capellanus, Alexander Capellanus.* De bonis autem Episcopi defuncti, non surripiendis, V. Ant. Augustinens. lib. 4. tit. 83. & lib. 15. tit. 34. per totos titulos.

* œconomum
* deteriorari
* œconomum
* al. Hugonis.

Ad Epist. XCV.

Catalaunensis Episcopus.) Hugo, qui Philippo Theobaldi Carnotensis Comitis & Aleidis filio successit. Hâc enim epistolâ Philippum fatis concessisse liquet. Fuit autem celebratum Pictauis, ex chronico Turonensi, Concilium anno 1100. Henrici Imperatoris 44. & Philippi regis 40.

Quod autem prædictus clericus in duarum ciuitatum titulari non posit ecclesiis.) Hoc statuto fuisse in Claromontano, seu Aruernensi concilio clericis prohibitum refert Mattheus Paris hist. Angl. in Vuillielmo 2. pag. 15. col. 2. sed & longè ante Vitalianus Papa ad Paulum Cretensem Episc. epist. 3. id cauerat. Renouatum est quoque decretum in Conc. Pictauensi anno 1100. vt ex eodem patet to. 7. Conc. parte 1. can. 2. pag. 533.

Ad Epist. XCVII.

Lamberto Atrebatensi & Ioanni Taruanensi.) De Lamberto P. ad Epist. 33. dictum est. De Ioanne Taruanensi, siue Morinorum Episcopo, nihil habeo, nisi quod in sanctorum album relatus est, & sedem suam occupauit ab anno 1099. ad 1127. de quo Meyerus lib. 4. Annal. Flandriæ ad an. 1101. Fuit autem Teroana seu Taruana Caroli V. Imperatoris iussu anno 1552. funditus deleta vigentibus inter illum & Henricum II. Gallorum regem bellis, cuius Episcopalis sedes trifariam diuisa, partim Bononiam, (vbi veteribus Gessoriacus portus:) partim Audomaropolim & Ipras translata est. Quoad Epistolam, scriptam 1101. vel circa puto.

Ad Epist. XCIX.

Gualoni) S. Quintini Beluacensis Abbati, Iuonis; vt Epist. 104. & 105. sequente habetur, discipulo & apud eum nutrito & erudito. De hoc autem quod de matrimonio inquirit, Videndi sunt auctores qui de publicæ honestatis impedimento scribunt. Confer epist. 144. & 145. Missæ sunt vero hæ tabulæ Gualoni 1102. quo electus fuit, Beluacensis Episcopus ex Baron. ad hunc an. num. 8. vel saltem sequente.

Ad Epist. C.

Ioanni Aurelianensis Ecclesiæ Episcopo.) Is est huius nominis secundus qui anno 1099. Sanctioni expulso suffectus est. De quo Saussеyus Annal. Aurel. lib. 9. & ad quem scripta fuit epistola circa 1101. aut 1102.

Altare de Basilicis.) Rectiùs fortè de Bazochiis, quæ in Aurelianensi diœcesi sitæ sunt, & ad Episcopi Carnotensis ius patronatus spectant, ob temporale dominium earumdem, & loci de Balneolis. Quare minus rectè Saussеyus in Pullerio Aurelianensi nominationem Ecclesiæ de Bazochiis altris Archidiacono Belsiæ in Ecclesia Aurelianensi tribuit, cùm in Episcoporum Carnotens. cartis, ad eorum nominationem pertinere dicatur.

Ad Epist. CII.

Hanc Baronius anno 1101. num. 12. scriptam fuisse contendit, cui non reluctor.

Ad Epist. CIII.

Syluanectensis Episcopus.) Hugo, vel Letoldus, qui

qui Iuonis tempore vixerunt.

Ad Epist. CIV. & CV.

Baronius ad annum 1101. num. 8. scriptam censet. Ego verò anno 1103. cùm eo tantùm Gualo; de quo proximè, electus fuerit Beluacensis.

Gualonem) nempe S. Quintini Beluacensis Abbatem, quem refutato Stephano Garlandensi maior & sanior cleri pars elegerat; sed altera, minore licet, præualente, à Philippo Rege, eiusque filio Ludouico Crasso, non admissum, quòd Iuonis Carnotensis Episcopi, (cui tunc maximè ob incestas cum Bertrada nuptias quibus obnitebatur Iuo, infensus erat princeps) discipulus & ab eo enutritus & eruditus, vt hac in epistola legitur, fuisset, & quod æmulorum fraude iureiurando se obstrinxisset rex non passurum quandiu in viris ageret Gualonem fore Beluacensem Episcopum. Quare summo Pontifici scribit Iuo, ne tantam iniuriam electo fieri patiatur, ni velit omnes futurorum Episcoporum electiones irritas, aut simoniaca labe infectas fere, si in regis arbitrio relinquerentur; & ab eo penderent.

Ad Epist. CVI.

Henrico excellenti Anglorum Regi.) Henrico scilicet primo, Guillelmi Conquestoris filio, qui Willelmo Ruffo fratre Anglorum Rege exstincto, aduersus Robertum primogenitum Germanum regno potitus est; vt docet Gemeticensis libr. 8. histor. Norman. c. 10. de quo etiam infrà Epistolam 118. Hanc autem Epistolam Baronius anno 1100. assignat numer. 29. quod verum esse potest, cùm ex eodem Gemetic. illo anno Henricus regale diadema susceperit.

Ad Epist. CVII.

Anglorum Reginæ Matildi) cognomento Bonæ, Malcolmi seu Milcolumbi Scotorum Regis & Margaretæ Edgari Anglorum principis sororis filiæ natu maiori; vt est apud Bucananum hist. Scoticæ lib. 7. & in genealogia Ducum Norm. pag. 213. histor. Norman. De illa autem, & de coniuge Henrico, ita scribit Gemeticensis loco vltimo citato. *Vt autem idem Rex legaliter viueret, duxit eodem anno Venerabilem Matildem filiam Malcomi Regis Scotiæ & Margaretæ, &c. Nec illud prætereundum, quod à S. recordationis Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, eadem Matildis in festiuitate Sancti Martini apud Westmonasterium Henrico Regi nobilissimo desponsata, & eodem die regali diademate insignita est.* De his Vidend. Matth. Paris in Henrico I. Angl. Rege ad an. 1101. pag. 40. col. 1. Huic autem eodem anno quo Regi coniugi scriptam fuisse epistolam, asseri potest. Confer Epist. 142.

Ad Epist. CIX.

Scriptam fuisse Epistolam censet Baronius an. 1100. num. 15. Cuius coniecturam firmat Hugonis Lugdunensis Archiepiscopi in legatum assumptio, quæ anno 1094. tantùm contigit.

Ad Epist. CX.

Anno 1103. tribuit Baronius hanc epistolam numer. 12. ego 1104. cum eo ad Parisiensem Episcopatum à summo Pontifice translatus est Gualo. In Cartulario siquidem Sancti Martini Campensis Paris. fol. 37. annus 1107. dicitur sedis Walonis tertius & fol. 70. an. 1108. dicitur quartus.

Ad Epist. CXI.

HæcEpistola aduersus Hugonem Puteaci Dominum scripta est Daimberto Senonensi Archiepiscopo, vt eum à communione fidelium procul semoueret, terramque quam in sua possidebat diœcesi, interdicto submitteret, & Ioannem Episcopum Aurelianensem, vt idem faceret, hortaretur, quod ad vomitum reuersus, reditus cùm Episcopatus, tùm Ecclesiæ Carnotensis sibi arrogaret quæ plurimorum quoque erat querimonia aduersùs præfatum Hugonem, vt in Cartulariis Ecclesiæ Carnotensis folio 1. Bonæuallensis folio quoque 1. & Sancti Petri in Valle pluribus in locis legi potest.

Merariuilla) Meruillam esse suspicor diœcesis Senonensis, haud procul à Stampis, quæ tunc Puteacensibus Dominis parebat. In confirmatione tamen Ludouici Crassi Franciæ Regis monachis Bonæuallensibus eorum quæ decessores Galliæ Reges ipsis concesserant Guidonem de Mereuilla testem an. 1110. lego, qui illius vici poterat esse Dominus.

Ad Epist. CXII.

Sed est Carnotensis & aliarum Ecclesiarum.) De aliis Ecclesiis non est quod dicam, sufficit de Ecclesia Carnotensi loqui, quæ summorum Pontificum concessione habet, vt iniuriatores suos sacrorum amotione puniat & Ecclesiastica censura eorum peruicaciam coërceat. Quod vt cunctis exploratum sit, Bullam S. P. hic adscribam.

Ad Epist. CXIII.

Manasses.) Is electus fuit Meldensis Episcopus ex Archidiacono an. 1103. quo forte hæc Epistola scripta.

Ad Epist. CXVI.

Discordia seu controuersia quæ inter Iuonem, suosque canonicos, & Adelam Carnotensem Comitissam mouebatur, hæc erat, quòd Iuo & Capitulum Carnotense immunitatem sui claustri violari quererentur, quódque de non admittendis in eorum sacrum cœtum, libertis, collibertis, & aliis vilibus personis, maximè vero decoctoribus, spuriis & vulgò natis statutum ediderant; quod tantùm inualuit, vt sublatis seruitutis aut libertatis legibus, vltimum adhuc perseueret. Nulli enim ad canonicatum & præbendam Carnotensem aditus patet, qui se ex legitimo matrimonio ortum sacramento non iuret, vt infra ad Epist. 147. dicetur. Potuit vero scribi hæc Epistola anno 1103.

Ad Epist. CXX.

Roberto Comiti Pontiuensi) Robertum Talua-

V

tium Bellismæ Dominum intelligit, cui Pontiuensis Comitatus cum Agnete vxore, Guidonis Pontiui Comitis filiæ, dotalitij nominis obtigerat. De quo Guill. Gemetic. lib. 8. c. 35. & Ordericus Vitalis lib. 8. p. 675. & 708.

Ad Epist. CXXVII.

Ludouico Dei gratia Francorum Regi designato.) Vergebat ad extremum Philippus, effœtumque corpus lasciuiæ dedita prior ætas reddiderat senectuti. Quare cum nec sibi, nec Reipublicæ proficeret aliquot annis antequam hominem exueret, omnem regni sui curam in filium Ludouicum deposuit, ita enim Sancti Martini Campensis Cartularium fol. 82. in carta Godefridi Ambianensis Episcopi de Ecclesia de Liniaco in fine. *Actum in Ecclesia Ambianensi anno* 1104. *Dominicæ Incarnationis Indict.* 12. *Rege Francorum Philippo, Duce exercitus filio suo Ludouico &c.* sed apertioribus verbis id habet fol. 66. verso in Carta Huberti Syluanectensis Episcopi, qua ex consensu Domini sui Ludouici iam in regem designati confirmat donum Ecclesiæ Sancti Nicolai de Acy, factum à Roberto Vicedomino ex consensu Letardi Episcopi de cuius feodo erat Ecclesia Sancti Martini de Campis vrbis Parisiensis anno 1106. sed & idem expressè scribit Sugerius in Grasso, vbi eum regem designatum (cum Boamundus Ludou. eiusdem Crassi sororem vxorem duxit) vocat, clarius præterea Chronicon Mauriniacense libr. 2. cum ait. *Dedit nob. Rex Philippus & literis regalibus donationem hanc confirmauit, & Ludouico Regi designato filio suo vt idipsum concederet, præcepit, &c.* Ex quibus & Gillio rerum Francicarum scriptore, anno 1105. vel circa scriptam Epistolam puto.

Respectus.) Hoc est quod idiomate vulgari dicimus *respit.* Ita etiam Goffridus Vindocin. Ep. 24. lib. 2. *Respectum vsque ad festiuitatem S. Beati accepistis*, & apud Sugerium Sandionys. Ab. pluries.

Ad Epist. CXXVIII.

Odoni Confratri & Compresbytero.) Canonico scilicet Fani Quintiniani Beluac. cuius, ni fallor, est Epistola frequens ad Iuonem, quam ex membranis ueteribus profero. *Excellentissimo suo Patri & Domino Iuoni Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ Episcopo, frater Odo in Dei seruorum indignus computari numero salutem & orationes debitas, & in corpore summi Pontificis, pontificaliter conglutinari. Carissime mi Pater, & Domine, vestræ tam reuerendæ personæ tàm etiam diuinæ quàm philosophicæ instructæ disciplina, meam quantulamcumque Mineruam, & si Socratis Philosophia disertior, aut Aristotelis peritia subtilior, aut Ciceronis facundia eloquentior superemineret, vel audere, vel posse scribendo sufficere, haud vmquàm arbitror. Sed ne ex indignatione forsitan, aut magna philosophici, vel magis diuini eloquij inopia, labia consuere videar; non equidem præsumptuosè; sed de necessariis animæ meæ conquerendo, scribere conabor; Verumtamen non vt vestræ modus eloquentiæ, aut vestræ tantæ gradus doctrinæ, aut vestræ summæ honestas religionis exigeret: verum prout mea scientiæ modicitas, aut ingenij perspicuitas: aut vobis scribendi necessitas admonuerit. Placeat igitur paternitati vestræ pupillorum vestrorum continentiæ formam cognoscere. Habemus enim bonum locum, idoneam Ecclesiam, optimum Episcopum, libros multos, victum & vestitum: omnia denique quantum præsens postulat negotium (Deo gratias) admodum necessaria, inde Deum nobis benignissimum sentimus. Prælibatâ igitur exteriore prosperitate, sciatis, Pater, interiorem languorem quàm vehementem. Ecce quippe multis vulneribus casus meorum criminum labe contritus, satis superque habeo dolere, & vtinam dolerem; sed non doleo vulneratus. Immò gaudeo mei oblitus. Nolite igitur quæso, nolite sinere me absque vestris perire medicamentis, immò deprecamini summum medicum, quatenus me vestris intercedentibus meritis, oleo misericordiæ infuso, leniat, euacuet, sanumque faciat. Si vero animæ meæ diuini spiritus robur augmentaretur, vt decet, sarcinæ nostri laboris indesinenter participaretur. Quod enim sumus, & quicquid fuerimus, vobis totum debemus. Vos enim non parum diligere debemus pro vniuersis bonis, quæ dum apud vos fuimus, piæ caritati vestræ nobis impendere placuit, pro quibus nimirum beneficiis summo Deo vestræque benignæ paternitati, laudes & gratias deferimus immensas. Vtinam socios benignos & vtiles, pius & benignus Dominus mihi transmitteret.* Postea vero inter Iuonem & hunc Odonem quidam odij seu dissidij igniculus exarsit, vt ex Epist. 151. colligere est, Odone quippe sancti Quintini Beluacensis Abbate facto, quoad eius potuit electioni reluctatus est Iuo.

Ad Epist. CXXIX. & CXXX.

Gaufrido Vindocinensi Comiti) Grisagonella dicto qui Matildem Roberti relictum nonobstantibus ab Iuone propositis impedimentis vxorem duxit circa annum 1105. Cartâ enim 277. Cartularij Vindocinensis sequentia lego: *Omnibus notum esse volumus, quod Gaufridus filius Gaufredi Comitis, qui Grisagonella vocabatur, calumniam nobis fecit de terra quadam in qua olim boscus fuerat prope villam Dei, quam pater ipsius Gofridus Comes nobis dederat, rogatu Mahildis Comitissæ matris illius Gofridi, qui calumniam fecit, &c.* Vnde Matildem illam Grisagonellam duxisse indubium est. Quod autem de consanguinitate affert Iuo inter Grisamgonellam & Matildis priorem coniugem, non ita certum. Ex eodem quippe Vindocinensis monasterij Cartulario ipsorum genealogiam aliter se habere cognosco. fol. siquidem 13. 2. partis inuenio Burcardum veterem Vindocinensem & Corbolienzem Comitem genuisse Reginaldum Parisinum Episcopum, & N. Fulconis Neoræ Andium Comitis vxorem. E qua Adelitiam suscepit quæ ab auunculo suo Reginaldo, Burcardo cuidam potenti longius manenti in coniugio tradita est. Huic quatuor filios peperit, quorum primogenitus Burcardus auunculo defuncto Vindocinensi honore & Vastinensi potitus est, verùm cum adhuc illos administrare præ ætate non posset, Fulco matris pater tutelam ipsius, honoremque suscepit, quem adulto puero remisit. Ex secunda vxore Fulco Gofridum qui Martellus dictus est, genuerat. Huic ex Henrici I. Francorum Regis assensu Burchardus ipsiusque mater Wastinensem & Vindocinensem Comitatus seruandos commiserunt, vsufructu tantùm sibi

retento, Burchardo absque prole è viuis sublato, duplex ille honor Fulconi Anseri vel Anserulo (& Eufroniæ, quam Nifranam vocat Iuo) fratri delatus est, qui ex Petronilla vxore Lancelini Balgenciacensis filia, Burchardum iuniorem dictum catta 222. p. 1. genuit; quæ Goffrido Iordano Pruliacensi dicto nupsit. Burcardo defuncto, Vindocinensis Comitatus ad Eufroniam & maritum eius Goffridum Pruliacensem deuenit, ex quorum amplexu natus est Gofridus Grisagonella, qui Matildem Hugonis Castridunensis Vicecomitis filiam post obitum Roberti seu Radulphi Belgiacensis accepit vxorem, vt supra diximus & ex dicendis ad Epist. apparebit. Hic vero Radulphus Landrici de Balgentiaco dicitur filius, qui ab altero Lancelino, alias Landrico dicto, Landrici etiam alterius filio, originem ducebat. Qui in his perspicaciores sunt, videant quæ ex ipsis eligant. Hæc autem Epistola scripta fuit circa 1103. quo anno vel præcedente, Grisagonella comitatum Vindocinens. Hierosolymis defuncto Goffrido Pruliacensi patre 1104. iniit.

Ad Epist. CXXXII.

Simoniacam hæresim me permittente in Ecclesia Carnotens. publicè dominari.) Simoniæ crimen id temporis in Ecclesiasticis maximè notabatur, (& vix aliquem qui ea peste non inficeretur reperire erat) à sua Ecclesia eliminare, quoad eius potuit Iuo, annisus est; sed irrito conatu: successor tamen Gofridus de Leugis eam Roberti Arbrescellensis hortatu omninò abegit. Quod ex Andræa Roberti vitæ scriptore, eiusque socio addisco. Ita enim rem refert. *Quia simoniaca heresis, quæ Carnotensem canonicorum basilicam diutissimè fœdauerat, concedente Gaufrido Episcopo, cuius vita nostra quoque ætate suauissimè redolet, atque concedentibus de maiore ad minimum eiusdem cœnobij canonicis, in perpetua damnatione per Robertum nostrum extincta est. Et vt hæc pestis execrabilis in eadem ecclesia in sempiternum omninò damnaretur, votum quod fecerunt, iuramento firmarunt.* Iuramentum autem illud tale est, quod ab eo qui præbendæ inuestituram expectat, adhuc fit his verbis, *Ego N. canonizandus in ecclesia Carnotensi, iuro super istas sanctas reliquias, quod pro ista præbenda, cuius inuestituram expecto, non dedi, nec promisi; nec alius pro me dedit, aut promisit, me sciente, aurum, vel argentum, vel pecuniam aliquam, vel aliud quod per pecuniam aliquam debeat, aut valeat comparari: & si promissum fuerit, per me non soluetur, &c.*

Si qua autem adhuc sunt quæ pro consuetudine antiqua publicè exigant Decanus & Cantor, & alij ministri ab his qui canonici fiunt.) Intantùm præualuit vsus (ne veriùs abusus dicam) vt ab Ecclesia Carnot. numquam eliminari potuerit illa exactio, quam iuris, siue laudabilis appellatione consuetudinis palliant, quamque ab iis qui sacro Cathedralis templi sodalitio inscribuntur, expetunt ratione examinis quatuor ipsius Ecclesiæ priores dignitates, abusus enim tempore non firmatur, cùm vt regula iuris habet: *Quod ab initio non valuit, successu temporis conualescere non possit.* De reg. iur. in 6. nemini quippe pro beneficio aliquid, vel minimùm, recipere licet; maximè cum sequente bulla caueatur, quæ ita loquitur. *Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Gaufrido Carnotens. Episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Quæ religionis honestate perspecta in Dei Ecclesia statuuntur, inconcussa debent stabilitate seruari. Siquidem, frater in Christo carissime, de commissa tibi ecclesia omnem simoniacam expellere desiderantes prauitatem, assensu Decani, Præcentoris, Subdecani, Succentoris, & cæterorum prælatorum ecclesiæ statuisti, congregatione fratrum idipsum approbante, atque vnanimiter postulante, vt nec Decanus, nec Præcentor, nec Subdecanus, nec Succentor, nec vlla alia ecclesiastica persona, vel canonicorum quisquam de honoribus ecclesiæ, vel præbendis quidquam exigat, vel accipiat, vel per se, vel per suppositam manum. Nullus eorum, qui canonici fiunt pro præbenda quidquam det, vel promittat, aut per se similiter, aut per suppositam manum, neque post decessum prælatorum, qui nunc in ecclesia vestra viuunt, vllus vel Decanus, vel Præcentor, vel Subdecanus, vel Succentor in locum ipsum statuatur, quousque in communi Capitulo, liquidò iuret pro officio suo se nihil dedisse, vel promisisse, quousque etiam iuret se pro præbendu nihil exacturum, vel accepturum, aut per se, aut per suppositam manum. Similiter post decessum simplicium canonicorum, qui modo in Carnot. ecclesia viuunt, nullus in locum eorum canonicus sufficiatur, nisi ante in communi Capitulo iuret, vel tutor suus pro eo, si ipse infra annos fuerit, se pro præbenda nihil dedisse, aut promisisse, nec per se, nec per suppositam manum. Hanc igitur constitutionem ad honorem Dei, & animarum salutem, à fraternitate tua prouisam, nos præstante Deo, auctoritate sedis Apostolicæ confirmamus, & ratam in posterum permanere sancimus, &c. Datum Remis per manum Crysogoni S. R. E. Cardinalis ac bibliothecarij IV. Non. Nouemb. Ind. 13. Incarn. Dom. an. 1119. Pontificatus Domini Calixti 2. anno 1. &c.* Videant itaque quorum interest, qui post hanc bullam aliquid à canonizandis (vt loquuntur) exigere possunt.

Statutum Ecclesiæ Carnotensis de non admittendis ad clerum libertis, &c.) Sacramento hoc statutum confirmabant canonici Carnotenses, & antequam è Gallia nostra, volente Ludouico XI. Francorum Rege, seruitus exularet, nullus ad sodalitium maius Cathedralis assumebatur, nisi se liberæ esse conditionis, non libertate donatum aut manumissum, non collibertum, idest, ex libero corpore aut ventre, & seruo, aut è contra natum assereret. Cantor enim vel quiuis alius ipsius vice, cum canonicorum, cæterorumque Ecclesiæ clericorum, solo Decano excepto, ad eum installatio spectet, inquirebat ab eo qui collegio nomen daturus erat, in hæc verba. *Vos iuratis super istas sacras reliquias, quod vos estis de legitimo matrimonio procreatus. Item quod estis liberæ conditionis, nec estis collibertus, neque filius colliberti, &c.* cui canonizandus se de, & in legitimo matrimonio natum & liberum hominem esse respondebat; quod rursùm sedente Capitulo iterabat, sequente sacramento addito. *Iuro etiam bona fide me obseruaturum cum auxilio Capituli consuetudinem huius Ecclesiæ quæ est de non recipiendis in canonicos seu clericos de toro manumissis, seu manumissorum filiis, (exceptis quos Ecclesia Carnotensis scienter recipere consueuit) & de non recipiendis in canonicos, seu clericos de choro, filiis concubinarum.* Et quia dissidia & contentiones pro libertatibus & priuilegiis Ecclesiæ tuendis inter Adelam Comitissam & Capitulum Carnotens. tunc vige-

bant, huic addebant sacramento. *Item iuro quod ego defendam bona fide, etiam contribuendo inexpensis, si opus sit, cum consilio capituli libertates Ecclesiæ, statuta, consuetudines legitimas, approbatas, ac maximè priuilegiatas, & priuilegia quibus non est derogatum, & quibus ecclesia in suis negotiis vtitur & causis. Item iuro quod in negotiis quæ habemus & habebimus contra Comitem Carnotens. & Blesens. & suos bailliuos, ministros & seruientes, & contra alias quascunque personas, præstabo fidele consilium & auxilium bona fide secundùm conscientiam meam pro ecclesia Carnotensi, & numquam scienter contra Ecclesiam, consuetudines, statuta, priuilegia, & libertates ipsius: & hoc si præsens fuero in capitulo, vel absens, cum fuero requisitus. Item iuro quod si aliquis canonicus, vel persona Carnotensis damnum, aut iniuriam, sine euidenti culpa ipsius, per Comitem, aut suos, occasione litis motæ in eum, suos, & nos, consilium & auxilium præstabo, & in prædictis contribuam si necesse fuerit.* Ita vetus codex sacramentorum Ecclesiæ Carnotensis quæ ad hanc illustrandam epistolam, quam 1104. scriptam vult Baronius num. 9. referre non piguit.

Ad Epist. XXXIV. & XXXVI.

Guillelmus Comitissæ filius.) Primogenitus videlicet de quo sic Order. Vital. hist. suæ lib. 5. pag. 574. de Stephano Carnotensium Comite & Adela eius vxore loquens: *filios quatuor* (Stephanus) *Guillelmum & Theobaldum, Stephanumque & Henricum ex præfata coniuge genuit. Quorum tres priores sunt potentes Consules, & inter maximos Francorum computantur & Anglorum proceres. Primogenitus Guillelmus gener Gilonis de Soleio & hæres, vir bonus est & pacificus, & sobole pollens atque facultatibus, & lib. 11. pag. 110. de Adela verba faciens laudabilis hera*, inquit, *post peregrinationem mariti, Consulatum illius honorificè gubernauit, tenerosque pueros ad tutamen Ecclesiæ sanctæ solerter educauit. Guillelmus enim qui maior natu erat, filiam Gilonis de Soleio vxorem duxit, & soceri sui hæreditatem possidens, diu pacificè vixit, laudabilemque sobolem, Odonem & Ranerium genuit, &c.* Ipsius meminimus suprà in notis ad Epist. 94. Præsens autem circà 1105. scribi potuit.

Ad Epist. CXXXVIII. & CXXXIX.

Fulco Decanus vester eligeretur.) Quo anno fuerit electus Fulco in Parisiensem præsulem, exploratum omninò non est; tametsi Guillelmo suffectum fuisse non lateat. Si quid tamen coniectura valet, eum circà annum 1100. electum fuisse cum Seuertio puto, cum anno 1099. in Cartulario S. Martini Camporum fol. 26. carta 58. Guillelmum Parisiensem sedem occupasse legam. At hanc epistolam ante 1104. missam dico, propter subsequentem Walonem seu Gallonem, qui eodem anno finiente Parisiensem Episcopatum adeptus est, de quo videndus idem Seuertius in Parisiensium Episcoporum serie num. 65.

Ad Epist. CXLI.

Ricardo Albanensium Episcopo) qui tunc in Gallia legatione fungebatur, vt Paschalis summi Pontificis vice, Philippum Francorum Regem primum excommunicatione solueret, quam (ob turpem quam cum Bertrada adultera consuetudinem habuerat) contraxerat, & seu verè, seu fictè pœnitentem sacris restitueret. Conuenerant quidem Remensis & Senonensis prouinciæ cum suo Metropolitano antistites legati mandato apud Balgenciacum; sed ipsis inter se diffidentibus, rege quoque secum malè agi conquerente, negotium omne Parisios remissum est, vbi absolutio regis solemniter facta; vt ex Iuone ipso, & hist. Franciæ à Roberto ad mortem Philippi Regis fragmento patet.

Trecas venire valeam) duo Concilia Trecis Paschale summo Pontifice habita. Alterum sub Ricardo ipsius legato 1104. alterum Paschale præsidente 1107. Hanc autem epistolam prioris tempore scriptam ex dictis arbitror.

Ad Epist. CXLIII.

Ricardus Pratellensis Abbas.) De eo Ordericus Vitalis lib. 8. hist. suæ Eccles. pag. 709. ita loquitur. *Ricardus autem de Furnellis moderno tempore idem monasterium rexit, quem Robertus Tumbalienensis,* (Is fuit Robertus de Monte Sigiberti continuator) *ad monachatum Baiocis in Ecclesia Sancti Vigoris suscepit. Verùm Odone Baiocensi Præsule, qui noui cœnobij (Sancti Vigoris) fundator erat, in carcere Guillelmi regis gemente, & Roberto Sophista montem Sancti Michaëlis de periculo maris; vnde cœnobita erat, repetente, seu potiùs in latius partes; vt suprà retuli; migrante, noua constructio & imperfecta celeriter dissipata est, & concio fidelium quæ illuc confluxerat de diuersis locis, rectore carens, citò dispersa est. Ricardus itaque vnus ex illis, diuinis litteris eruditissimus fuit, & in tanta deuastatione teneri gregis religiosos sophistas quæsiuit, in quorum contubernio dogmatibus almis inhærens, reuerenter habitauit. Ea namque tempestate in Normannia florebant Anselmus Beccensis, Gerbertus Fontanellensis, Guntardus Gemmeticensis, aliique plures, in templo Dei lucentes lucernæ, à quibus insigniter illustratus, salubris hauriebat vbertatem doctrinæ. Defuncto autem Goisfredo Abbate, Ricardus ad regimen Pratellensis Abbatiæ electus est: quod Roberti Ducis & Henrici Regis tempore ferè viginti quatuor annis tenuit, ibique defunctus est. Hic in diuinis codicibus apprimè studuit, in via Dei per antiquorum vestigia Patrum psallens ab adolescentia cucurrit, famelicisque pueris ænigmaticum panem in domo Domini benigniter fregit, manumque tendentibus alacriter & vbertim distribuit: torpentibus quoque & recusantibus, vt mandarent vim intulit: Commentarium super Genesim Mauritio Sancti Launomari Blesensium eruditissimo Abbati edidit, & aliud Domno Adelelmo eruditissimo Presbytero conscripsit, Flauiacensi quidem monacho, qui cum Fiscanensibus sanctæ Trinitati reuerenter militans, consenuit. Egregio Cluniacensium Abbati Pontio eximiam explanationem super Parabolas Salomonis contexuit: aliisque venerabilibus personis Ecclesiasten, & Cantica Canticorum, ac Deuteronomium luculenter exposuit, multosque tractatus super obscura Prophetarum problemata allegoricè, seu tropologicè disseruit.* Est autem Pratellense monasterium; vt ipse Ordericus loco vltimo allato scribit, in Neustria optimo loco situm propè portum Maris & Pontem Adimari,

vbi rapidè pontum Ridela petit, & in illum mergitur, à Mellentinis Comitibus Roberto & Henrico fratribus constructum. Quare nil mirum, si Roberto Mellentino Comiti illud commendat Iuo, qui hanc epistolam circa 1104. scribere potuit.

Ad Epist. CXLIV.

Balgentiacum.) Quod lambit Liger oppidum decimo ab Aurelia milliario distans, ponte egregio quem nostri Reges olim fieri curarunt, instructum: quo Antistites Galli absoluendo rege Philippo & Bertrada pellice superinducta conuenerant; vt ad epist. 141. supra notauimus. Ibi etiam Ludouici iunioris Francorum regis & Leonoræ, seu alienordis ipsius coniugis matrimonium diu contractum, & prole firmatum, mutuo consensu dissolutum est, quod bellorum, quæ diuturna aduersus Anglos, funesta & exitiosa fuere, initium fuit. Crebris præterea, qui in eo acti sunt, conuentibus Episcoporum & principum aliis temporibus nobile extitit.

Ad Epist. CXLVI.

Clerus & populus Parisiensis Ecclesiæ, voto & voce Domnum Galonem Belnacensis Ecclesiæ consecratum in Episcopum elegerant.) Renitentibus Philippo Francorum Rege, Ludouicoque Crasso filio, Beluacensem episcopatum adipisci non potuit. Quare Romam ad Paschalem 2. summum Pontificem profectus, dum illi stomachum deponerent, rancoremque quem aduersus ipsum conceperant decoquerent, Galonem in Poloniam misit, vnde circa anni finem 1104. rediens, Iuone procurante, Pontificeque maximo probante, in Parisiensem electus est. Confer præcedentes epistolas 144. & 145. ducentesimamque sexagesimam sequentem cum ista, quæ anno 1104. scriptam fuisse nemini ob supradicta dubium esse potest.

Ad Epist. CXLVII.

Conditionarios.) Præter illa quæ suprà ad epist. CXXXII. de seruis in clerum non admittendis diximus, quędam hîc ad maiorem dictorum lucem, subnectere possumus, seruili conditioni obnoxios, etiam seruis annumerandos Pontificia rescripta volunt dist. 54. per totam. Vt enim ibi dicitur can. si quis propter obligationem seruilem, eos reprobabat clerus nec ordinari sinebat nisi prius libertate à suis dominis consecuta. Hoc expressè dicitur can. *Nulli ead. dist.* *Nulli* (habet canon) *de seruili conditione ad sacros ordines promoueantur. nisi prius à propriis dominis legitimam libertatem consequantur; cuius libertatis carta ante ordinationem in ambone publicè legatur: & si nullus contradixerit, ritè consecrabuntur. Porrò seruus non canonicè consecratus, postquam de gradu ceciderit, eius conditionis sit, cuius fuerat ante gradum.* Illi autem conditionarij dicebantur, quòd alicui tributo seruili, vel aliqua conditione, vel patrocinio cuiuslibet domus obligabantur, vt eodem can. *si quis habetur.* Sub hac appellatione cōprehendebantur quoque ascriptitij qui nimirum per triginta annos fuerant in solo. *Cod. de agri. & censi. lib. 11. c. cum satis*, colonus, inquilinus & similes eod. tit. diffinimus. l. originarij vel seruus l. si coloni, qui quemadmodum seruus fugiens, non præscribunt sibi libertatem longo tempore; vt C. de ser. fugit. lib. L. omnes originarij quoque qui ab ascriptitiis originem ducebant & nati erant in ipso solo, procuratores, actores & executores seu curatores pupillorum, qui omnes ab ordinibus suscipiendis arcebantur can. Magnus, ead. dist. cum non sui, sed alterius iuris essent. Quare cum seruos suos & manumissos Carnotensis Comitissa in Ecclesiam Carnotensem intrudere vellet, restiterunt canonici, in suum collegium admittere neminem, nisi liberæ & nō seruilis conditionis foret, allegantes. Quamuis enim manumissi dicerentur; non ideo liberi erant, quod retento ipsius obsequio, seruituti adhuc tenebantur obnoxij, & ab ea quando vellet in pristinam seruitutem reduci poterant, quod in cleri vergebat opprobrium. Si ex clericis fierent serui. 1. in pristinum statum redigerentur. Probrosum quippè clero erat sui ordinis vires in seruitutem relabi & vilibus officiis impediri. Quapropter, ne tanta iniuria fieret ordini clericali, maioris templi seu Matricis Ecclesiæ sodales statutum conceperunt de non admittendis in clerum libertis, vel collibertis; vt suprà ad epistolam 32. & 116. retulimus, vt conditionarios illos omninò ab ordinibus, ecclesiasticisque beneficiis semouerent. Durè tulit decretum Comitissæ, & quoad eius potuit, vt reuocaretur, nullum non lapidem mouit. Obstabat summi Pontificis, illius confirmatio diplomate, seu bulla, quæ adhuc inter Ecclesiæ priuilegia legitur; instabant familiæ Comitissæ conditionarij, qui de legitimo matrimonio nati fuerant & regij Fiscalini, id est ex familia Dominica, vt est apud Marculphum in formulis vel serui fisco addicti, de quibus idem Marculphus de vnaquaque villa fiscali, tres homines ex seruientibus vtroque sexu à seruitio relaxentur. De ipsis etiam V. capitul. lib. 3. c. 16. Fiscalini, inquam, illi instabant fisco addicti, vt de priuilegio Ecclesiæ Carnotensi concesso, de non admittendis conditionariis exciperentur, & in eumdem statum in quo erant ante priuilegium, redire à summo Pontifice iuberentur. Intercedebat Iuo apud Paschalem; nec statuti, aut sacramenti per eos nuncupati, quidam Carnotenses canonici solutionem auersabantur, quamuis repugna[n]t alij, cum illud se sub hac conditione fecisse fateréntur, *vt possent instituto suo & pro futura adjicere, & nocitura excipere*, vt loquitur hîc Iuo. Addebat minas Comitissa, & noua quotidie repulsione exacerbata, damna, scandala, iras, rixas, perturbationes moliebatur. Vicit tandem Adelitiæ improbitas, & suorum peruicacia, qui à summo Pontifice Paschale 2. hoc diploma potiùs extorserunt, quàm obtinuerunt. *Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei Carnotensis Ecclesiæ clericis, salutem & apostolicam benedictionem. Indubia veracium fratrum relatione comperimus, magnos inter vos odiorum fomites emersisse, quia pro sacramentis illis, quæ ad repellendos conditionarios apud vos facta sunt, alteri alteris conuitia, contumelias, & iniurias intulistis. Insuper obligationes quasdam & pacta ad lædendam fraternitatem contra pactum Domini concinnastis. Qua de re dilectionem vestram rogamus, & Domino per nos iubente, præcipimus, vt dimittatis quidquid aduersum vos in hoc negotio habetis. Et nos*

enim facti sumus sobrij, & nos pro vobis imbecillitatem apostolicam toleramus, vt vos Deo & Ecclesiæ in pace Ecclesiæ conlucremur. Si ergo Deum diligitis, si Apostolicam sedem veremini, donate mihi, ne dicam vobis, hanc iniuriam. Si quis autem adhuc contentiosus est, nostri corporis non est, quia nos huiusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Sanè hominia quæ apud vos clerici sibi inuicem faciunt, vt ne fiant vlterius prohibemus, & quæ facta sunt, irrita ducimus, quoniam contra honestatem videntur ecclesiasticam fieri. Illa enim quæ sursum est Hierusalem libera, atque omnium fidelium mater est, qua libertate Christus liberauit. Datum Laterani IX. Kal. Decemb. sed nec illud diploma & Pontificij arbitrij decretum, motus qui inde exsurrexerant, compescuit, cum ex supremo diœcesis collegio quidam de statuto ab eis in conditionarios & vulgò natos condito, ne latum quidem vnguem discedere voluerint. Quod ex suprà allatis sacramentis ad epist. 132. certum est, de solemni iuramento quod contra Comitem Carnotensem & Blesensem eiusque officiarios, canonici Carnotenses etiam postea faciebant. Perseuerat adhuc iuramentum de nuptiarum legitima prole in Ecclesia Carnotensi admittenda. De libertis autem & collibertis iam nulla mentio, cum seruitutis iugum ab ipsorum capitibus ecclesiastica decreta, regumque & principum sanctiones soluerint & excusserint.

Bernerium monasterij Bonæuallensis Abbatem.) De quo supra ad epist. 78. Ex Dolensi autem in Biturigibus Abbate, ad Bonæuallensis prælaturam euocatus est. Huius monasterij, quod in Dunensi existit, ordinis Benedictini à Carolo Caluo Imperatore, anno Domini 840. constructum est, monachus fuerat, & tandem Abbas, cuius rogatu, & Theobaldi Comitis Carnotensis & Blesensis; nec-non Hugonis Dunensis Vicecomitis hortatu, Ludouicus Crassus Francorum Rex, omnia quæ à decessoribus concessa fuerant monasterio confirmauit Stampis XVIII. Kal. Octobris 1110. vt ex litteris constat. Quædam simultates inter Iuonem & ipsum interuenerunt, quibus componendis multùm insudauere Robertus Arbrescellensis & Bernardus Tyronensis anno 1115. Ad ipsum Bernerium extant Gaufridi Vindocinensis Abbatis Epist. 14. 15. 16. 17. 18. & 19. libri 4. Quo autem anno scripta est Epistola non satis apparet. Verum eam missam 1105. putarem.

Ad Epist. CXLIX.

Guillelmo Rothomagensi Archiepiscopo.) De eo sic Guill. Gemetic. lib. 7. hist. Norm. c. 26. *Post ipsum*, inquit, Lanfrancum scilicet Cadomensem Abbatem: posteà verò Cantuariensem Archipræsulem, *Willelmus Monachus Radbodi Sagiensis Episcopi filius Cadomensis Ecclesiæ regimen tenuit, qui & ipse post Ioannem Metropolitam Rothomagensem Archiepiscopatum suscepit.* Fuit autem Cadomensis monasterij recens à Guillelmo I. Normannorum Duce & Anglorum Rege fundati primus professus & Abbas secundus, ac tandem Rothomagensis Metropolita quæ ex Order. Vital. lib. 5. hist. suæ pag. 551. expresse scribit his verbis. *In Cadomensi Ecclesia Guillelmus Radbodi Sagiensis Episcopi filius Lanfranco successit, quem post nouem, vt reor, annos inde Rex Guillelmus ad regendam Rothomagensem Metropolim prouexit. Hic consobrinus Guillelmi Præsulis Ebroicensium filij Girardi Fleitelli fuit, cuius potentia tempore Ricardorum in Neustria maximè viguit: Canonicus & Archidiaconus Rothomagensis Maurilio Pontifici paruit, magisque amore Dei feruens, cum Theoderico Vticensi Abbate peregrè perrexit, & gloriosum saluatoris sepulchrum in Hierusalem reuerenter adiit. Inde reuersus pristinos praecauens labores amittere, mundi lenociniis penitus subtraxit se, & in Beccensi cœnobio diuinæ gratanter inhæsit militiæ: Dein cum Lanfranco ad instructionem Neophytorum qui in Cadomense Castrum ad seruitutem Christi confluebant, protractus est, quorum ipse paulo post Pater & magister laudabilis factus est.* Et lib. 5. pag. 568. postquam de Ioanne locutus est, addit.

Post hunc Guillelmus, vir nobilis atque benignus,
Catholicè plebem tractauit Rothomagensem.

Quibus hæc subnectit. *Hic secundus Cadomensis Abbas fuit, & inde tractus, in Archiepiscopatu xxij. annis tempore Gregorij, Victoris, Vrbani & Paschalis Paparum floruit. Ipse Guillelmum Regem & Mathildem Reginam Cadomi sepeliuit.* Obiit vero 1110. ex Cadomensi chronico mense Ianuario, vel Februario; ex eius epitaphio. Quo anno hæc epistola scripta fuerit, ex eo quod infra de Flammardis refert, anno 1107. scriptam fuisse compertum est.

Flammigeros pueros.) Ad ipsorum alludit cognomen. Erant enim Radulfi Flammardi, qui Anglis dicitur *Flamme*, Dunelmensis Episcopi filij, qui noua & inaudita præsumptione eos in Lexouiensem Ecclesiam pastore vacuam intruserat, duodennes licet, ipsosque, vt si prior deficeret, alter substitueretur, quasi hæreditario iure sufficere nitebatur. Rem pluribus prosequitur Order. Vital. lib. 8. & 10. ex quibus hæc tantùm quæ ad illustrandam hanc epistolam faciunt, & cur Guillelmus ille, quem Lexouiensem electum scribit Iuo, præsulatum non fuerit adeptus, aperiunt, decerpsi. *Non multò post*, inquit, *Gislebertus senex cognomento Maminotus Lexouiensis Episcopus mense Augusto mortuus est: atque Fulcherius frater Flammardi eiusdem sedis Præsul à Guillelmo Archiepiscopo mense Iunio consecratus est. Hic penè illiteratus ad Episcopatum procuratione fratris sui de Curia raptus est. Quo dapsilitate laudabilis VII. mensibus potitus, mense Ianuario defunctus est. Deinde Ranulphus Flambardus, qui in Normannia exulabat, & Dunelmensi præsulatu carebat pro inimicitia regis, cui restiterat, Luxouiensem pontificatum filio suo Thomæ puero suscepit, & per triennium, non vt præsul, sed vt Præses gubernauit. Interea Guillelmus de Paceyo ingenti pretio Comiti dato Præsulatus præoccupare sategit; sed pro simoniaca lue priùs Rothomagi, postea Romæ condemnatus, temeritatem suam miserè luit. Sic fere quinque annis Luxouium rectore caruit, & Dominicus Grex Pastore dicto carens, lupinis dentibus patuit, donec illi gratia Dei Ioannem ad plebis suæ consolationem Episcopum designauit.*

Ad Epist. CL.

Concilium à sanctitate vestra celebrandum.) Laterani, vel Trecis, quod postremum circa Ascensionis Domini festum celebratum est anno 1107. ex Abbate Vrspergensi in chron. quo anno præsentem epistolam scriptam concludo.

Ad Epist. CLI.

Gaufrido Beluacensium Episcopo.) Walonis seu Galonis ad Parisiensem cathedram translati, successori, anno 1105. electo quo vel sequente hæc epistola ad eum mitti potuit.

Ad Epist. CLII.

Leodegario Venerabili Bituricensi Archiepiscopo.) Sedem auspicatus est anno 1097. quam ad Martij 31. anni 1120. impleuit. Huius fit mentio in Roberti Arbrescellensis ordinis & monasterij Fontis-Ebraldensis institutoris vita, cuius exequiis cùm Vrsani in sua diœcesi, vbi hominem exuit Robertus, tum Fonti-Ebraldi, vbi sepulchrum nactus est, interfuit, de illo quippe frater Andræas Roberti actorum scriptor hæc prodidit. *Eadem verò tempestate Leodegarius vir vita floridus & ætate Bituricensis diæcesis Archiepiscopatum tenebat, quem, nisi fallor, inseparabilis dilectio Magistro Roberto conglutinabat. Tanto namque, vt reor, amore inuicem coniungebantur, vt quod vnus vellet: alius vix denegaret.* Cui ex Cartulario Font-Ebraldensi fol. 49. addere possumus quæ cartâ 159. continentur. *Antiquorum*, inquit, *Patrum sanciuit auctoritas, vt quidquid Ecclesiis tribueretur, litterarum memoriæ traderetur, ne obliuionis caligine deleretur. Notum sit omnibus tàm futuris quàm præsentibus, quod eodem die quo Magistri Roberti de Arbrescello corpus Dei gratia de longinquo allatum, in loco Fontis-Ebraldi quem Deo auxiliante fundauit, humatum fuerat, non minima religiosarum personarum ad tanti viri funeris obsequium illic congregata fuerat turba, quarum vna fuit Leodegarius Bituricensis Ecclesiæ Archiepiscopus.* Tanta autem inter ipsos Leodegarium & Robertum intercessit dilectio, vt secundùm cor dilecti sibi Roberti condi supremis tabulis voluerit Leodegarius Vrsani, quod est diœcesis Bituricensis Parthenonum Virginum eiusdem ordinis Fontis-Ebraldensis, vt quibus viuentibus vnum cor fuerat, post mortem concordes dormirent, & quomodo in vita sua dilexerant se, in morte quoque non separarentur. Fuit vero præsens Epistola ab Iuone missa circa annum 1105.

Ad Epist. CLIII.

Gilberto Ebroïcensi Episcopo.) De eo ita Ordericus Vitalis lib. 4. histor. Ecclesi. pag. 520. *Defuncto*, inquit, *Guillelmo Ebroicensi Episcopo, Balduinus Ducis Capellanus successit, & præsulatum fere* VII. *annis regulariter rexit. Quo defuncto Gislebertus Osberni filius Canonicus, & Archidiaconus Lexouiensis successit, & Episcopatum plusquam* XXX. *annis vtiliter tenuit, & res Ecclesiæ multis modis auxit, solertiaque suâ emendauit*, & libr. 12. pag. 840. *Anno ab Incarnatione Domini* M. C. XII. inquit, *Gislebertus senex Ebroicensis Episcopus, postquam in Episcopatu* XXXIV. *annis vixit, in senectute bona.* IV. *Kalendas Septembris obiit, & in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ sepultus est, quam ipse perfecit, dedicari fecit, possessionibus, & ornamentis ditauit, Clerum ampliauit, & ecclesiastico cultui nocte dieque mancipauit, &c.* Hugonis Lugdunensis Archiepiscopi ad Iuonem pro hoc Gisleberto scriptam Epistolam in membranis habeo, cuius, quia nondum euulgata, tenorem hîc promam. *H. Lugdunensis Episcopus Apostolicæ sedis Legatus Reuerendo Fratri I. Karnotensi Episcopo salutem. Nouerit fraternitas vestra clamorem fratris nostri Gis. Ebroïcensis Episcopi nuper ad aures nostras peruenisse de Vrsone dapifero Regis, qui in sanctæ Quadragesimæ diebus cæpit quemdam parochianum eius nomine Rotgerum, causa orationis tendentem ad Sanctam Mariam Magdalenam de Vizeliaco, & ad sanctum Ægidium. Scias autem non solum Quadragesimali, verum etiam omni tempore, oratores, & pro Deo peregrinantes, ab omnium hostium incursu securos esse debere: & perturbatores eorum; vt potè Dei timorem præ oculis non habentes, debere puniri seueritate Ecclesiasticæ disciplinæ. Interdiximus itaque omne diuinum officium tàm ipsi Vrsoni, quàm toti familiæ domus eius, omnibusque in tanto sacrilegio ipsius coadiutoribus, vobis (cuius parochianus esse dicitur, quique vices defuncti Archiepiscopi Senonensis geritis) Apostolica auctoritate præcipientes, vt idem interdictum faciatis, & ex parte nostra, atquè vestra clericis Aurelianensibus scribendo iniungatis, quatenus ipsi Vitoni & familiæ domus eius, atque coadiutoribus ipsius diuinum similiter officium interdicant, donec prædictum Rotgerum absque redemptione aliqua de captione sua liberum abire permittat, & ablata ei restituat. Interdicimus etiam eadem auctoritate Apostolica diuinum officium fieri vbicunque captus tenebitur, dum ibi fuerit.* Quis autem fuerit ille Vrsio, satis non noui, nisi forte Niuelonis de Fractaualle filius, de quibus sæpè conquestus Gofridus Vindocinensis Abbas, à Paschale secundo sacris abstinere iussi sunt. Videndæ illius Epistolæ 8. 9. 13. 24. 30. libr. 2. Hanc autem Epistolam Iuoni scriptam anno 1096. fuisse patet, quod eodem Senonensis Ecclesia Richerij obitu vacaret.

Ad Epist. CLIV.

Ranulfus Dunelmensis.) Quamuis de ipso quædam suprà ad Epistolam 149. notauerimus, quoniam eius, ferè omnes illius sæculi scriptores meminerunt, hæc addere placuit, quibus omnibus magis notus fiat & suis coloribus depingatur. Ex Orderico igitur Vitale lib. 8. & 10. Turstini cuiusdam plebeij Baiocensis Presbyteri filius fuit. Mater eius sortilegiis dedita cum dæmone crebrò loquebatur, & ex cuius nefaria consuetudine oculum amiserat. A puerilibus annis inter pedissequos curiales, cum vilibus parasitis educatus creuit, callidisque tergiuersationibus, & argutis verborum machinationibus plusquam arti litteratoriæ studuit. Vnde à Roberto dispensatore regio flambardus cognominatus est, quod vocabulum ei secundùm mores eius, & actus, quasi prophetìcè collatum est. Grandior factus, iuuenis Guillelmi regis Angliæ gratiam promeruit, eumque vt totius Angliæ continentem describeret, illius partitionem denuo faceret, & incolis, siue indigenis, siue aduenis quidquid præter præscriptum possiderent, auferret, incitauit. Hinc mali labes. Nam iuuenis

Rex morientibus ecclesiarum prælatis, ipsarum reditus inibat, & cuilibet suorum satellitum parcè licet, partem concedebat; reliquum sibi retinens: ita vt vno & altero, verùm & lustro, aut amplius Ecclesiæ pastoribus orbatæ remanerent. Anselmus Beccensis Abbas ad Dorobernensium seu Cantuariensium Metropolim euectus, tanto malo mederi studuit, Regem, proceresque sæpè, vt ab ecclesiarum facultatibus abstinerent commonuit, nec obtinuit; immò exilium & diras perpessus est, & regno diù abstinere iussus est. Interim Flambardus Dunelmensi Episcopatu potitus, cum regiis satellitibus omnia vastabat in Anglia, & Ecclesiis suis prælatis viduatis inhians, thesauros defunctorum corradebat & fisco attribuebat. Quare summus regiarum procurator opum, & Iusticiarius factus, proceres quosque Henricum ipsum Anglici regni hæredem futurum aspernabatur, & contractis vndique opibus, & ampliatis honoribus, cunctis ad stuporem eminebat. Hic nimirum de plebis fece ad supremas regni dignitates euectus, stomachum multis mouebat, & omnibus exosus, qui de tanto rerum fastigio pessumdarent, superciliumque cohiberent plures cogitabant. Commodùm accidit Ruffi interitus, quo defensore carens, de sublimi potestatis culmine deiectus, in arce Londinensi ab Henrico, Guillelmo de Magnauilla custodiendus traditur. Verum incluso lagena fune à suis immisso turre euasit, & cursorio equo tum celere in Normaniam vectus, Robertum Henrici aduersarium conuenit, à quo benignè exceptus & Neustriæ præfectus est. Ea in dignitate diù haud stetit; cum cadente Roberti fortuna, cecidit & sua. Vt erat tamen ingenio acer & callidus arte seu dolo Henricum sibi aduersantem demeruit, & pace sibi à principe redditâ relicto Episcopatu Lexouiensi cui incubabat, & filiis suis seruare satagebat ad Dunelmensem reuersus est. Nicolaus Harpenfeldius quædam addit quæ scitu non sunt prorsus indigna, ideoque huc referenda. Sæculo nempe vndecimo cap. 28. scribit quod *cum multis apud regem accusationibus impeteretur, nec illis aurem ille daret; Giraldus quidam cum aliis in necem eius conspirauit. Callido itaque consilio vsus, venit ad eum, simulans se missum à Mauritio Londinensi Episcopo periculosè ægrotante, quodque vehementer illius colloquium expeteret. & ne qua sit in veniendo mora, misisse Mauritium in ripa Tamesis commorantem cimbam suam, in quam Ranulfum ingressum, Giraldus in altum mare duxit, & in nauim armatis hominibus oppletam imposuit: iamque de illius nece consultabatur. Quod negotium datum est duobus ex nautis, recepturis in sceleris mercedem preciosas vestes, quibus induebatur. Sed cùm illi forte de partitione illarum non conuenirent, cædes in proximum diem dilata est. Exorta interim immani tempestate, omnes de vita periclitabantur: & sedata tempestate, cuiusdam ope, qui post Giraldum præcipuus erat, Ranulfus tandem in terram expositus ad terram rediit. Giraldus in voluntarium exilium abiit. Rex vero Ranulfum in delitiis magis qam anteà habuit, & ingenium eius suis vsibus tam accommodum, licet ad summam Reipublicæ perniciem, & summam Ranulfi inuidiam, atque odium laudabat, & Dunelmensi eum tandem Episcopatu amplificabat. Mortuo Ruffo & Henrico succedente, in turrim Londinensem ab eo coniectus est. Vnde posteà noctu aufugit, & per litteras Robertum fratrem Henricum concitauit, à quo Lexouiensi Episcopatu donatus est, qui postea cum exercitu Angliam inuasit. Sed pacificatione deinde inita inter Regem & Robertum, permansit in Episcopatu, ad annum Christi* 1128. *vtque Regis gratiam firmiùs conciliaret, eorumque qui apud regem intimi erant, multa effudit, & graui ecclesiam suam exactione premebat: quam tamen nunquam potuit solidè recuperare, &c. Triennio post reditum, castellum illud apud ripam Tuedi fluminis inchoauit. Construxit & insignem pontem ad Vuiri fluminis ripas, &c.* De illo etiam Mattheus Paris in Henrico I. Polydorus Virgil. hist. Anglicanæ lib. & alij. Scripta epistola 1107.

Ad Epist. CLVII.

Hanc scriptam esse Paschali ab Iuone 1107. contendit Baronius ad hunc annum num. x. De eo autem quod in terra Normannorum prostitutam esse ecclesiam scribit, confer hanc Epistolam cum Notis nostris ad epist. 27. & ad præcedentes 149. & 156.

Ad Epist. CLVIII.

Comitem Trecasinum) Hugonem scilicet, vt rectè monet Iuretus ad hanc Epistolam. Ille autem Hugo Theobaldi Carnotensis Comitis, & Adelitiæ Crespiensis filius, Henrici Stephani Comitis quoque Carnotẽsis & Meldensis frater fuit. Comitatibus Trecensi & Barrensi super Albam ex parentum successione potitus est, vnde Campaniæ Comitis aliquando sibi titulum vsurpauit. Desponsauit sibi primùm anno 1097. Constantiam Philippi I. Francorum regis filiam ex qua Odonem & Philippũ suscepit, vt ex Cartulario monasterij Aruernarensis patet. Verùm propter consanguinitatem diuortio facto 1104. Boamundo Antiocheno principi Carnuti 1106. nupsit; vt est apud Suger. in Crasso, Order. Vital. lib. 11. p. 817. & alios. Hugo vero Lombardam quandam super duxit, quam vterum gestantem reliquit & Comitatu Theobaldo magno dicto Carnotensium Comiti ex fratre nepoti vendito, in Syriam perrexit, vbi, coniuge viuente, militiam fratrum templi professus est, vt est apud Bernardum epist. 31. & Iuonem epist. 245. sequente. Diu vixit & vsque ad extremam senectutem.

Genealogia.) Quo affinitatis gradu sese attingebant Hugo & Constantia à communi stipite ex parte parentum, non est facile dicere. Variant si quidem auctores in ea exponenda, ne idem faciam, peritioribus relinquo discutiendum. Scripta autem est epistola 1104. post Trecense Concilium.

Ad Epist. CLIX.

Hanc anno 1096. scriptam fuisse contendit Baronius numer. 10. sed quî id dicere possit non video, cum Paschalis tantùm 4. Kal Aug. an. 1099. ex Onufrio fuerit electus, & ex iis quæ dicuntur hac in epistola, clarum est non eo anno, sed posteriore missam. Quod autem ad Fossatenses monachos attinet. *Beatus*

Pater Benedictus (scribit Orderic. Vital. lib. 8. historiæ suæ, pag. 712.) *vt nobis omnibus euidenter patescit, beatum Maurum monasterij sui priorem, quem à pueritia nutrierat, in Galliam misit, & librum regulæ, quem ipse vir Dei propria manu conscripsit, & libram panis, heminamque vini per eum Francis destinauit. Hic à Theodeberto rege susceptus, vsque ad obitum suum in Gallia permansit, atque Floro regis consiliario adiuuante, cœnobium construxit, ibique* CXL. *monachos, in loco qui Glannofolium dicitur, regulariter instruxit, &c. Post vero beati Mauri obitum*, vt ait Glaber Rodulphus historiæ suæ lib. 3. cap. 5. *succedente tempore hostium infestationibus expulsi monachi à monasterio cognomento Glannofolio, quod ipse construxerat, sicut in eius gestis habetur, in Andegauensi territorio*, haud procul à Salmuro ad Ligeris marginem beati viri corpus, seu sacras lipsanas ad Fossatense monasterium detulerunt ibidem asseruandas. Quod anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo sexagesimo octauo, Carolo Caluo Francorum rege, & Arura Parisiorum Pontifice, accidisse testatur Odo cœnobij S. Mauri Abbas præfatione in lib. vitæ eiusdem sancti. Anno siquidem 845. cùm Rorigo Comes Glanofolium à barbaris euersum restituisset, Ingelberto Fossatensi Abbati submisit, qui assumptis suæ congregationis fratribus, eos illûc direxit & Gauslino monasterio præfecto, Vrsmari Turonensis Archiepiscopi, Ebroïni Pictauensis, Dodonis Andegauensis Episcoporum seculo, ibi substiterunt, donec Normannis Gallias vastantibus, beati Mauri glebam circa 861. ne ab impiis hominibus pollueretur, è monasterio auerterunt, & per sexennium huc illucque errabundi deferentes, tandem Idibus Nouembris 868. ad Fossatense asceterium piam sarcinam deposuerunt, quod à Diui nomine sancti Mauri Fossatensis Abbatia dicta est & adhuc nuncupatur. Hanc vero Glannofolij vnionem cum Fossatensi monasterio disiunxit Vrbanus Papa II. in Concilio Turonensi 1096. & Cassinensi attribuit vt Petrus Cassinensis chronici lib. 4. cap. 18. scribit, cuius verba non adduximus, quòd apud Iuretum referantur. Quod grauiter & iniquo animo ferentes Fossatenses monachi, vt sibi restitueretur Glannofolium, Iuonem ergà summum Pontificem Paschalem II. deprecatorem adhibent, vt ex hac epistola patet, quæ Paschali anno 1106. aut 1107. in Galliis agenti scribi valuit.

Ad Epist. CLX.

O. Gemeticensis monasterij Abbati.) Orsus siue Vrsus nuncupabatur. Ita eum vocat Ordericus Vitalis historiæ suæ ecclesiæ lib. 10. p. 765. *Guntardus*, inquit, *Gemeticensium strenuus Abbas apud Clarummontem, dum famosa synodus ibi celebraretur 6. Kal. Decembris obiit. In cuius locum Rex Tancardum fiscanensem Prapositum subrogauit, qui post aliquot annos orto inter ipsum & monachos probroso tumultu, cum infamia recessit, eique Rothomagensis Vrsus ab infantia eiusdem ecclesiæ monachus per annos* XX. *successit.* Sic quoque lib. 12. pag. 846. appellat, & in Abbatum Gemeticensium serie hoc nomine designatur apud Robertum. Quod vero ad epistolam spectat, eam circa annum 1107. scriptam fuisse suspicor. Est autem Gemeticum monasteriũ ordinis Benedictini diœcesis Rothomagensis. De quo sic Vuillelmus Gemeticensis monachus lib. 2. cap. 6. *Qui locus iure Gemeticus vocatur, quia pro suis offensis illic gemunt, qui in flammis vltricibus gemituri non erunt. Quidam vero à gemma illum vocatum arbitrantur, quia, vt gemma in annulo, rutilat situ, & vbertate fructuum. Hic nempe Clodouei Francorum Regis tempore à beato Philiberto, opitulante Regina Balthilde constructus, in tanto incremento adoleuit, vt in Nongentorum monachorum numero eius quantitas suppleretur. In quo quamplurima multitudo Episcoporum, seu clericorum, vel nobilium laïcorum spretis secularibus pompis, collecta, Christo regi militatura, propria colla saluberrimo iugo subegit, &c.* Verum monasterio à Normannis in prima irruptione ferro & flamma solo adæquato, Guillelmus II. Normannorum Dux restituit, monachisque ad conuiuendum opima prædia contulit. De quibus idem auctor lib. 1. cap. 6. lib. 2. c. 9. & lib. 3. c. 7. & 8.

Ad Epist. CLXI.

Obedientiam.) Obedientiam dicebant veteres monachi, administrationem certi loci, in quem à monasterio quidam deputabantur, vt ipsius fruges, aliosque reditus colligerent, & ad monasterium referrent: has Prioratus, seu Capellas nunc vocant, quos etiam priùs cellas appellabant. Sic Goffridus Vindocinens. lib. 1. epist. 9. *Obedientiam quam me posteà viginti quinque millia solidorum redimere oportuit*, & lib. 2. epist. 32. *Obedientiam nostram adeò deprædati sunt & deuastauerunt, quod necesse est monachos qui eam habitant, & cultores eius, discedere, eamque in solitudinem redigi.* Libro quoque 5. epist. 18. *Rogastis itaque*, inquit, *vt Rainaldum Quartaldum in Obedientiam, de qua eum amouimus, remitteremus &c.* Eodem in eodem sensu verbo vtitur Fulbertus noster epist. 1. & epistolæ Pontificum passim. Vnde & Obedientiarij illi dicuntur monachi, qui ad cellas, seu prioratus foraneos mittuntur. Cella autem paruum est monasterium quod alteri subest, & vulgo dicitur Prioratus, seu Præpositura. De qua sic Lupus Ferrariensis epist. 11. *Cellam sancti Iodoci, quam magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam, peregrinis, commiserat, &c.* Et in additione 1. ad Capitular. Ludou. Imp. tit. 44. scribitur, *vt Abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut monachi sint, aut canonici, & Abbas prouideat ne minus de monachis ibi habitare permittat, quam sex.* Deductum est autem nomen ἀπὸ τοῦ κελλίου, id est domo. Quare Moschopulus in schedis κέλλιον κοινῶς, παρὰ Ἀττικοῖς δωμάτιον. i. Cella communiter apud Atticos domuncula.

Ad Epist. CLXIV.

Mauritius.) Abbas S. Lauuomari Blesensis qui suffectus est Gaufrido dignitatem eiuranti, vt videre est apud Gaufridum Vindocinensem Epist. 14. lib. 2. quam refert Iuretus. Huius meminimus suprà ex Order. Vitale ad Epist. 143. Obiit autem 6. Idus Iulij ex Necrologio S. Petri in Valle Carnotensi. Quo anno mihi incertum. Viuebat tamen anno 1106. & 1107. quorum altero hæc scribi potuit Epistola

Ad Epist. CCLXV.

Sansoni Vigorniensi Episcopo.) Ex Baiocensi Canonico ad Vigornienses infulas prouectus est. Sic enim de eo scribit Nicolaus Harfeldius histor. Eccles. Anglic. Vndecimo sæculo. *Vlstanno autem defuncto, successor per Ruffum regem datus est Sanson Canonicus Baiocensis, qui nec doctrinæ, nec eloquentiæ, nec aliarum rerum laude caruit. Vitio ei tamen datum quibusdam, quod vbi Vlstanus monachos apud Vvesteberiam posuit, illam monachis abstulerit.* De eo quoque ita loquitur Ordericus Vitalis lib. 8. histor. suæ Eccles. pag. 665. *De discipulis, quos ita nutriebat* (Hugo Baiocensis Episcopus) *fuerunt Thomas Archiepiscopus Eboracensis, atque Samson frater eius Episcopus Vvigorniensis.*

Ad Epist. CLXVI.

Hanc Epistolam scriptam retur Baronius 1104. num. XVII. Ego vero 1105. cum Bruno Signinus Antistes hoc anno 1104. tantùm à summo Pontifice in Gallias fuerit missus legatus. Quod ex ipso Iuone planum est, dum æstate præcedente Hugonem Album se coram legato stitisse scribit: nisi Gallicano more annos supputet. Immò notat Sirmundus ad Epist. 14. lib. 2. Epistolar. Gaufridi Vindocinensis, hanc Brunonis Signini in Campagnia Italica Episcopi legationem incidisse tantùm in annum Christi 1106. quod ex eo probare nititur, quod hoc anno in Gallias venisse Bramundum principem Antiochenum, Petrus Diaconus, & Sugerius Sandionysianus Abbas scribant: Rectiùs tamen ex aliis in Gallias Bramundum anno 1105. venisse dicunt quo & Carnuti Constantiam Philippi regis filiam & Crassi sororem duxit vxorem supra ad Epist. 158. notauimus: sed & Ord. Vit. lib. 11. pag. 817. idem astruit cum ait eo anno mense Martio Bramundum ad Beati Leonardi tumulum qui in Lemouicensi agro celebris habetur, perrexisse & soluto voto post Pascha Constantiæ prædictæ nupsisse. *Hugonis* autem Albi meminit Sugerius in Crasso his verbis. *Quod videntes nobilissimi viri Engerannus de Boua, Ebalus de Russiaco Comes, Andraas de Rameru, Hugo Albus de firmitate.*

Vvaleranno Camerario Regis.) Titulo 18. Magno Cambell. huius fit mentio in Acto, seu instrumento concessionis factæ monasterio SS. Bartholomæi & Maglorij Parisiensis de ecclesiis SS. Petri Apostolorum principis & Laurentij Archidiaconi & Martyris, oppidi Montisfortis à Symone eiusdem loci Domino anno 1072. Iudith. 10. Ibi enim inter testes legitur Walerannus Camerarius, sicut & in Cartulario S. Martini Campensis fol. 75. in carta Philippi Regis de Molendino in Magno-ponte, Data Aurelianis 1075. in qua Walerannus quoque Camerarius vt testis nominatur. Tillio dicitur Guido Valerandus de Regibus Franc. eorum choro & domo.

Ad Epist. CLXVIII.

Baronius hanc Epistolam 1104. scriptam fuisse scribit; ego 1106. cum ipso, aut sequente Hierosolymam profectus sit Hugo Puteacensis, de quo hic agitur. Cum Bramundo enim iter Hierosolymitanum est aggressus anno 1106. vt facile ex fragm. histor. Francor. à Roberto ad mortem Philippi regis colligere licet. Ibi quippe legitur, *quod Bramundus, &c. transito mari in Gallias venit, innumerabilem tàm equitum, quàm militum multitudinem ab eis eduxit, & non solum de Galliis; verùm & de toto Occidente, Græcorum imperium perturbare conatus, ea videlicet occasione, quoniam Imperator semper aduersabatur omnibus Hierosolymam tendentibus, &c. Bramundus ergo filiam regis Philippi in coniugem duxit & commeatu tanto exercitui necessario apparato in Barri portu angustum pelagus vernò tempore permeans, in aduersum littus illæsam nauium traduxit classem. Hinc Græcorum peruadens imperium, vrbes, municipia, villas & agros deuastans, venit Dirrachium, quam obsidione cingens, oppugnabat tempore multo, &c. Dux ergo audiens imperiales aduersum se venire legiones, dirigit & ipse ex suis manum validam obuiam illis itinere dierum sex. Sabbato igitur sancto peruenere ad radicem montis in quo situm est castrum Corbianum, &c. manè verò facto, quoniam sanctum Pascha erat, communicarunt omnes. Aduersarij denique prælio dispoſito operiebantur illos. Itaque Franci cum alacritate sese exhortantes, adoriuntur eos. Principabant verò eis Hugo de Puteolo, Rainerius Brunus, Philippus de Monte aureo, Robertus de Veteri ponte cum aliis.* Ex quibus colligo, quod si Bramundus post Pascha anni 1105. aut 1106. desponsauit sibi Carnoti Constantiam, anno tantùm sequente, qui erat 1106. aut 1107. obsedisse Dyrrachium, & pugnam cum Imperatoris Græci copiis ipso die Paschæ anno reuoluto commisisse, ex quo iterùm eodem anno Hugonem Puteacensem in exercitu fuisse assero, Et ea quæ de Hugone illo & Iuone Curuæuillæ domino hîc habentur, intra eundem annum quo venit in Franciam Bramundus, & ex ea abiit, accidisse necesse est, cum Hugo & alij superiùs relati, cum ipso in Orientem perrexerint. Ergo anno 1106. vel 1107. non 1104. scriptam fuisse hanc epistolam, cum iam essent in procinctu Hugo & alij, clarum est. Controuersiam autem quæ erat inter Iuonem de Curuauilla, Vicecomitem Hugonem, & Rotrocum Perticensem Comitem diremit ipse Iuo. Cum enim se ab aduersario potente premi videret, potentiorem ei obiicere cogitauit; Theobaldum videlicet Carnotensem Comitem cui quæ controuersa erant vendidit, vt sequenti instrumento apparet ex Tyronensis monasterij Cartulario descripto, cuius tenor sic est: *Iuo de Curuauilla abrenuntians seculo, dimisit Comiti Theobaldo Curuamuillam cum omnibus quæ tenebat de feodo ipsius Comitis, vel Vicecomitis. Pro his dedit ei Comes Theobaldus ducentas marchas argenti, & iurauit ei se tenere eleemosynas se sciente. Iurauit etiam terram tenere cum consuetudinibus illis, cum quibus Iuo eam tenebat, & quod in terris sanctorum nullas mittet, vel se sciente mitti permittet consuetudines à seruientibus suis per castrum Curuauillæ, & quod Roberto de Veteri ponte terram reddet cum ipse Robertus prædictam pecuniam ei reddiderit. Et prædicta sacramenta iurauit, nec aliis eam reddet à prima Domini Natiuitate post hanc conuentionem vsque ad annum. Et si Robertus non ve-*

nerit vsque ad illum terminum, reddet eam filio Guillermi de Tortaquercu quem habuit de sorore Roberti, secundum iam prædictas de Roberto conuentiones. Et si filius defuerit, maritabit vnam de filiabus Guillermi, quam habuit de sorore Roberti, vni de hominibus suis cum tota terra illa, cùm iam prædictis conuentionibus de Roberto. Harum conuentionum obsides per fidem dedit Comes Gofridum Vicecomitem Castri-Duni, Guillelmum Gohietum iuuenem, Guidonem de Galardone, Andream de Baldimento, Gohierium de Alneto. Girardum Boëllum, Gauslinum de Lengis, Hugonem de Castro-Theoderici, homines quoque Euerardiuillæ per fidem obsides dedit Comes, vt si de supradictis conuentionibus ipse exierit, cum recto hærede se tenebunt.

Vt Iustitia ei fieret quæ debebatur Ierosolymitanis & paci.) Glaber Rodulphus lib. 4. histor. suæ c. 5. de pace illa, sic scribit anno à Passione Domini millesimo, &c. Tunc primitùs cœpere in Aquitaniæ partibus ab Episcopis, & Abbatibus, cæterisque viris sacræ religionis deuotis, ex vniuersa plebe coadunari conciliorum conuentus, &c. per vniuersos Episcopatus indictum est, qualiter certis in locis à præsulibus, *Magnatibusque totius Patriæ de reformanda pace, & sacræ fidei institutione celebrarentur concilia. Quod etiam tota multitudo vniuersæ plebis audiens, latanter adiere maximi, mediocres, ac minimi, parati cuncti obedire quidquid præceptum fuisset à Pastoribus Ecclesiæ, non minus videlicet, quam si vox emissa de cœlo hominibus in terra loqueretur. Terrebat enim vniuersos clades præteriti temporis, instabatque metus ne adipiscerentur opulentiam futuræ vbertatis; erat quippe descriptio capitatim digesta, quæ continebantur tàm illa quæ fieri prohibebantur, quàm ea quæ deuota sponsione omnipotenti Domino offerre decreuerant. In quibus potissimùm erat de inuiolabili pace conseruanda; vt scilicet viri vtriusque conditionis, cuiuscunque anteà fuissent rei obnoxij, absque formidine procederent armis vacui. Prædo namque, aut inuasor alterius facultatis, legum districtione arctatus, vel donis facultatum, seu pœnis corporis acerrimè multaretur. Locis nihilminus sacris omnium ecclesiarum honor, & reuerentia talis exhiberetur, vt si quis ad ea cujuscunque culpæ obnoxius confugium faceret, illæsus euaderet, nisi solummodo ille qui pactum prædictæ pacis violasset; hic tamen captus ad altare præstitutam vindictam lueret. Clericis similiter omnibus, monachis, & sanctimonialibus, vt si quis cum eis per regionem pergeret, nullam vim ab illo pateretur.* Et infrà. *Quod vtique in cæteris quæ dubitare poterant, fidem præstabat, quibus vniuersi tanto ardore accensi, vt per manus Episcoporum baculum ad cœlum eleuarent, ipsique palmis extensis ad Deum Pax, Pax, Pax, vnanimiter clamarent, vt esset videlicet signum perpetui pacti de hoc quod spoponderant inter se & Deum.* Hæc de pace illa. Quidquid autem de ea dicant Sigebertus ad annum 1032. Baldericus Nouiomensis Episcopus in chron. Cameracensi & Atrebatensi lib. 3. cap. 52. totidem ferme verbis & cap. 53. & 54. & Baronius ad an. 1034. num. 2. 3. & 4. tandem à Pontifice Vrbano secundo probalam fuisse in Claromontana synodo, vt ipsius canone 1. videre est & ex ipso Baronio ad an. 1095. num. 50. quæ hunc canonem quem (tanquam corollarium prædictorum hûc refero, recenset.) *Item placuit omnia bona eorum, qui Hierosolymas pergunt, semper & vbique esse salua in pace, & treuga, quovsque redierint.* Immò & in concione illa, quam ex Tyrio lib. 1. c. 15. recitat quamque in Claromontensi Concilio habuit Vrbanus, illa leguntur. *Nos autem misericordia Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, fidelibus, & Christianis qui contra eos arma susceperint, & onus sibi huius peregrinationis assumpserint, immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem in vera pœnitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam & fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros. Interim vero eos, qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem istum assumpserint, sub Ecclesiæ defensione & Beatorum Petri & Pauli protectione tanquam veræ obedientiæ filios recipimus, & ab vniuersis inquietationibus tàm in rebus alienis, quàm in propriis statuimus manere securos. Si vero quispiam molestare eos ausu temerario præsumpserit: per Episcopum loci excommunicatione feriatur, & tamdiu sententia ab omnibus obseruetur, donec & ablata reddantur, & de illatis damnis congruè satisfiat. Episcopi verò, & presbyteri, qui talibus forsitan non restiterint, officij suspensione multentur, donec misericordiam sedis Apostolicæ obtineant.* Et paulò pòst subiicit: *Ante omnia iuxtà statuta synodi fideliter laborantes, vt pax, quæ verbo vulgari Tregua dicitur, ab omnibus obseruetur illibata, ne ire volentibus, & ad necessaria discurrere, vllum obiiceretur impedimentum.* Quare merito Iuo hanc pacem Iustitiam vocat, cùm in ius transierit, & iure conqueruntur Hugo & Curuæuillanus Iuo, quod ad sacrum bellum ituris Rotrodus Perticensis, non Cenomanensis Comes, vt scribit Baronius, pacem turbaret, & facultates quæ in protectione Ecclesiæ erant, sibi vendicaret. Confer epistolam 90. vbi de treuuis illa.

Comes Rotrocus.) Henrici primi Anglorum gener Mathildem quippe eius naturalem filiam vxorem duxerat, quæ anno 1120. cum fratre Guillelmo Adelino naufragio periit. ex Guill. Gemetic. lib. 8. cap. 29. Orderic. Vital. lib. 11. pag. 810. & lib. 12. p. 870. Iter Hierosolymitanum cum aliis multis, anno 1096. arripuerat; Vnde anno 1100. rediit, vt scriptum reliquit Ordericus lib. 13. pag 890. *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini* M. C. *peractis rebus, pro quibus Hierusalem ierant Optimates, redierunt, & sua vt iustum erat repetierunt. Tunc Rodbertus Normannorum Dux, & Rodbertus Flandrensis, atque Rotro Moritoniensis, aliique plures prosperè reuersi sunt, & affinibus meritò congratulantibus sua quique possederunt.* In Cartulario quoque monasterij sancti Dionysij Nongentensis à Gauffrido eius parente fundati in *Carta Thebalde Molis castri* in fine hæc reperiuntur. *Testes Rotrocus Comes Mauritaniensis, qui de Hierusalem venit, Hugo Vicecomes Castriduni, &c.*

Hæc causa sine monomachia terminari non posset, & iudicium sanguinis nobis agitare non licebat.) Iuonis sæculo, qui litigabant, si li-

tis argumenta, seu, quòd dicunt, controuersiæ capita probare non poterant, monomachiâ, seu duello; aut vt dicebant, bello, ferri candentis: vel etiam frigidæ seu feruentis aquæ probatione, dirimebant. Quæ quidem omnia in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. 18. prohibita sunt, *& extra ne clerici vel monachi c. sententiam.* Decretum habetur ex quo subsequentia cum ad rem nostram faciant, referemus. *Nullus quoque clericus rotariis, aut balistariis, aut huiusmodi viris sanguinum, præponatur, nec illam chirurgiæ partem subdiaconus, diaconus, vel sacerdos exerceant, quæ adustionem vel incisionem inducit. Nec præcipuè quisquam purgationi aquæ feruentis, vel frigidæ, seu ferri candentis ritum cuiuslibet benedictionis aut consecrationis impendat, saluis nihilominus prohibitionibus de monomachia, siue duellis antea promulgatis.* De quibus 2. q. 4. *Monomachia.* & de iudicio sanguinis Iuo par. 5. cap. 315. & par. 6. ca. 222. decretum. At vero cum pluribus Iuratus in notationibus suis ad Iuonem de his agat, nihil nos amplius.

Iuo dominus Curuæuillæ.) Plures fuerunt huius nominis Curuæuillæ, (quod est municipium agri Carnotensis, à quo quatuor leucis Gallicis distat) domini. Ille autem de quo hic loquitur Iuo noster fuit secundus Georgij & Philippæ filius; vt ex tabulis sancti Petri in Valle Carnotensis ad annum 1094. apparet. Virum pium, & liberalem fuisse ex eo coniici potest, quòd Ecclesiam sancti Nicolai Curuæuillæ Canonicis regularibus S. Ioannis in Valle Carnoti concesserit, terram de Orgeuilla haud procul à Prurueto Gilonis Tyronensibus monachis tribuerit; aliaque plura religiosis locis legauerit. De quibus videnda Cartularia illarum Abbatiarum. & Nota ad epistolam 267. & alias sequentes.

Ad Epist. CLXIX.

Galoni Parisiensi Episcopo.) Episcopatum Parisiensem auspicatus est 1104. sub anni finem; vt in Cartulario sancti Martini Campensis apud Lutetiam, fol. 37. recto, & 70. verso videtur. In carta enim donationis Anneti factæ à Waleranno *de Villeperat*, aliàs de *Villepreux* assensu Guidonis de Puteaco fratris sui, & Hugonis filij Euerardi Puteacensis, scribitur ipsam datam fuisse publicè in Capitulo beatæ Mariæ Parisiensis anno ab Incarnatione Domini 1108. Indict. 15. Epacta 17. concurrente 3. Ludouico Rege regnante anno primo, Episcopatus Gualonis anno 4. Et in Cartulario Columbensis monasterij, alia habetur carta eiusdem Galonis data Parisiis in Capitulo beatæ Mariæ anno ab Incarnationis Domini 1106. Indict. 14. Epacta 14. concurrente 7. Philippo rege regnante anno 48. Episcopatus dicti Gualonis 2. coram Bernerio Decano, Adamo præcentore, &c.

Guido fraternarum rerum custos.) Hic Guido frater erat Hugonis Puteacensis & Vicecomitis Carnotensis, atque Euerardi *de Villaperat* domini; vt suprà ad hanc epistolam diximus. Quod ex chronico Mauriniacensis monasterij lib. 2. addisco, in quo hæc leguntur: *Guido etiam Vicecomes Stampensium, &c. illius magni Hugonis domini Puteoli; in cuius feodo ecclesia ista fundata est, filius fuit.* Et ex Cartulario sancti Martini Campensis, fol. 28. carta 60. confirmatur. Ibi enim scribitur: *Huius autem concessionis testes fuerunt Hugo de Puteaco, & Wido frater eius.* & fol. 14. verso carta 31. hæc habentur: *Sciant omnes quod Walerannus de Villaperat dedit ecclesiæ sancti Martini de Campis, pro anima sua requie, & parentum suorum defunctorum salute, terram quæ Alnetum dicitur apud sanctum Clodoaldum existentem, &c. Hoc donum concessit Wido qui tunc tenebat castrum Puteoli, qui frater Waleranni erat, &c. His ita gestis aliquanto tempore elapso, Hugo filius Ebrardi, ad quem paterno iure prædictum castrum Puteoli pertinebat, quadam die ad S. Martinum venit; & rogatus à Domno Theobaldo Priore, & domno Gilduino fratre prædicti Waleranni, concessit donum quod patruus suus fecerat, & accedens ad altare posuit super illud coram positis his testibus Walterio scutario, &c. Et vt hoc donum firmiùs stare possit, & Ecclesia sancti Martini prædictam terram in pace, & sine calumnia per succedentia tempora possidere possit, Robertus Comes Mellentinus donum quod Walerannus fecerat concessit, & sua illud auctoritate confirmauit. De feudo enim illius terra illa erat, & quando illis concessit, hi testes audierunt aduocati, Willelmus de Burgo nouo, Odo de Morenuillari, Walerannus. Factum est hoc anno Incarnati Verbi 1108. Indict. 1. regnante Ludouico rege Francorum anno primo regni eius, Walone Parisiacæ vrbis Episcopo existente.* Ex quibus Hugonem, VValerannum, VVidonem, & Gilduinum fratres fuisse; Hugonisque Puteacensis filios quiuis intelligere potest.

Ad Epistolam CLXXII.

Vlcha) vulgò *Oucques* Archidiaconatus Dunensis, & Decanatus Belsiæ-pagi, diœcesis Carnotensis.

In municipio quod appellatur Montfanni.) Illustrandæ huic Epistolæ multùm facit instrumentum, quod in Vindocinensis cœnobij Cartophylacio asseruatur cuius tenor hic est. *Quicunque mente prouida sæculi huius defectuum intuetur varietatem, debet summoperè ad semper mansuram anhelare fœlicitatem, ad quam summa deuotione totoque mentis nostræ conamine requirendam, cum multas posuerit multiformis gratia Dei vias, vnusquisque secundùm fidei suæ mensuram, proprio eas frequentat modo, & alius quidem bona docendo, alius recta faciendo, alius alio quolibet virtutis genere, regni cœlestis iter ingreditur. Inter quos ego Radulphus de Balgiacensi, licet piger viator; pro data tamen à Deo in benè faciendi facultate, eleemosynarum deportatus vehiculo, semitam vitæ carpere disposui, de rebus itaque & possessionibus pro mea, meorumque salute prædecessorum, dono & concedo Beato Launomaro & monachis eius, terram ad construendum ecclesiam & burgum ædificandum infra oppidum meum quod Monsfaunum dicitur; vbi hactenus parochialis ecclesia non fuit. Capella vero quæ ibi habetur, matri adiacet ecclesiæ, quæ in nomine Vlcæ in honore sancti Ioannis fundata est, vbi ex dicto burgo, & toto oppido, omnia parochialia, & omnes*

omnes oblationes solemnes iuxta morem Ecclesiasticum deferuntur. Ex iure igitur huius ecclesiæ, quam Beati Launomari & monachorum eius esse constat, cùm eadem capella in oppido meo sita, & ea quæ prædicti monachi possident per manum bonæ memoriæ patris mei Lancelini, spoliatis inde Blesensibus monachis. Vindocinenses monachi prædictam non sine inuasione subintrauerunt capellam; Et exinde orta est controuersia inter dictos monachos in Carnotensis ecclesiæ curia, IVONE episcopo præsidente, habita iudicij discussione, expulsis Vindocinensibus monachis, Blesensibus est eadem capella ab ipso episcopo cùm assensu clericorum, canonico iudicio restituta. Vnde ego iudicium rectum intelligens, & S. Launomari ius recognoscens, præcepto eiusdem episcopi, quidquid in supradicta capella possideo, sine aliqua retentione prædicto sancto, & monachis eius in perpetuum concedo. Quia vero in seruitio esse non possumus, & cætera maiora sanctæ Ecclesiæ sacramenta, vel officia, pro lege capellæ ibidem celebrari nequeunt, & parochialis S. Ioannis procul inde remota est ecclesia, impetrata à iam dictis Blesensibus monachis, accordato præfati Pontificis ad ædificandum intra terminos eiusdem parochiæ propè iam dictum oppidum, aliam opportuniorem ecclesiam, terram eis ad hanc, & burgum suum, sicut prædictum est, construendum secundùm terminos metarum, tribuo. Omnes autem quoscunque poterunt ibidem hospites retinere, præter oppidi mei habitatores, retineant, sintque illi ab omni penitùs consuetudine liberi & immunes, excepto quod me in Campale, si necesse fuit, prælium præcedente, sequentur. Quod si glandibus & pascuis porcorum, boscus quæ (silua longa dicitur) abundauerit, omnes porci monachorum, & hominum suorum, & ibi habitantium, & aliorum vbicunque habitent, liberum habeant per eandem siluam sine vlla pastinatici exactione. Hæc omnia sicut hic descripta sunt, tali tenore concedo, quatenus insuper dicta noua ecclesia omnia sacramenta & officia, quæ ad parochiam pertinent, de cætero celebrentur. Testium autem qui his interfuerunt ista sunt nomina. Ex parte mea Arraldus mala terra, Gauldus, Garnerus Bisol, Baillinus, Præpositus, Thomas Capellanus, Gaufridus Cancellarius. Ex parte monachorum Bartholomæus, Girardus de Doraco, Petrus Cubicularius, Ioannes de Luco, Leodericus Maior. Signum Radulphi, Signum Macheldis vxoris suæ.

Ad Epist. CLXXIII.

Eiusdem argumenti est cum epist. 168. & 169. præcedentibus.

Ad Epist. CLXXIV.

Pro anima fratris vestri religiosi regis.) Edgari videlicet Scotorum principis, qui absque liberis decessit 1107. vt ex historia Scotica Buchanani lib. 7. clarum est. Ex quo hoc, vel sequente anno hanc epistolam scriptam arbitror.

Ad Epist. CLXXV.

Concilij à vestra paternitate indicti.) Trecense intelligit ex epist. sequente, quam anno 1107. Paschali qui Concilio præfuit, Iuonem scripsisse Baronius asserit num. 3.

Ad Epist. CLXXVI.

Wlgrinus Ecclesiæ nostræ Cancellarius.) Nempe Carnotensis ecclesiæ, qui cùm à Dolensi Capitulo in præsulem electus esset 1107. non acquieuit, sed electionem abnuens, procurante Iuone in prima statione mansit, suscipiente Baldrico Burgoliense Abbate, quam respuerat dignitatem. de quo tomo 7. Conc. parte 1. pag. 540. impressionis Parisiensis Morelli 1636.

Ad Epist. CLXXVII. & CLXXVIII.

Gaufrido Beluacensium episcopo.) Hunc minus rectè præfert Waloni Claud. Robertus in Beluacensium Episcoporum serie, cum ex ipsomet Gaufridus hic cœperit tantum anno 1105. quo Walo iam ex Beluacensi ad Parisiensem Episcopatum transierat. Baronius ad an. 1107. num. 4. epist. 178. eodem anno scriptam censet, quo & superiorem puto.

Ad Epist. CLXXIX.

Truces Turci.) Turcus & Turca apud id seculi auctores indifferenter vsurpantur. Ita enim apud Albertum Aquensem hist. Hierosol. lib. 1. c. 22. *Folkerus*, inquit, *Carnutensis vir nominatissimus in terra sua, apud Niceam in Turcorum congressu occubuit.* & lib. 5. cap. quoque 22. *Constituitur à Balduino in ciuitate Sororgiæ cum centum probis & bello assuetis militibus contra Turcos.* lib. 4. de Gestis Francorum, & aliorum Hierosolym. c. 10. *Solimanus*, Solimani veteris filius Dux Turcorum dicitur. In historia præterea Roberti S. Remigij Remensis monachi lib. 6. *Innumerabilia Turcorum agmina prospexit.* Guillelmus etiam Tyrius lib. 6. hist. suæ Hierosf. c. 22. *Turcæ cognito Christianorum aduentu prostrauerant*, & ita communiter.

Ad Epist. CLXXX.

Radulfus de Balgenciaco.) Lancelini eiusdem loci domini filius de quo nos superius ad epist. 172. & infrà. De Lancelino autem hæc in Cartulario Cœnobij S. Trinitatis Vindocinensis, carta 227. reperio. *Lancelinus castri Balgentiaci dominus homo quantùm quidem ad natalitium spectat, generositate, parentum nobilitate clarissimus: quantùm vero ad propriæ virtutis laudem, tàm militaris strenuitatis potentia, quam rei familiaris honesta sollicitudine procurandis, industria famosissimus, Ecclesiam in suburbio castri sui, à quibusdam fidelibus inchoatam, perfecit, & à Rainerio Aurelianensi Pontifice dedicare fecit, in memoriam S. Sepulchri, eamque* * *S. T. donauit.* **Sancti Trinitati.* *Hanc calumniati sunt canonici S. Lifardi de Balgenciaco, quòd sita esset infra illorum cœmeterium. Calumniam sedauit Lancelinus apud Magdunum præsente eodem Episcopo; & inde perrexit Romam; cumque rediisset, obtinuit ab iisdem canonicis, vt particulam illam cœmeterij S. T. concederent. S. Radulfi filij Lancelini de Balgentiaco Ancelinus de Bellomonte* (qui erat Lancelini de Balgentiaco frater ex cart. 288.) *Actum apud Balgentiacum anno 1081. Indict. 4. firmatum vero à canonicis 4. Idus Iunij prope ecclesiam S. Firmini in platea publicè.* Et circà finem dicti Cartularij legitur, *Concessio Radulphi de Balgentiaco apud Pictauium vrbem 1098. Symonis domini Balgentiaci, Adenordis vxoris eius, Lancelini fratris Symonis, de nundinis S. Beati, & Lancelini apud Balgentiacum, in præsentia domni*

Roberti Abbatis, eo in palefrido suo sedente anno 1150. Numeratur verò Radulphus inter proceres qui ad bellum sacrum profecti sunt anno 1096. apud Guill. Tyrium lib. 1. suæ historiæ cap. 17. & inter eos qui partes Theobaldi Campaniæ, & Carnoti Comitis aduersus Ludouicum Crassum sequebantur; vt est apud Suger. Sandionysianum Abbatem, qui inter alia hæc scribit. *Hac eadem causa Radulfum de Balgentiaco cum coniugem germanam cognatam regis, Hugonis magni filiam haberet*, illexit. & paucis interiectis: *Carnotenses, Dunenses, & Brienses, suffragio Rodulfi Balgentiacensis nullo opposito arcebantur.* E quibus viri præstantia & nobilitas assequi potest. scriptam tabellam 1108. puto, vel circa.

Ad Epist. CLXXXI.

Vigeliacensis) alias Vezeliacensis. Est autem Vizeliacum, seu Videliacum locus diœcesis Arduensis, in quo Ecclesia B. Mariæ Magdalenæ sacra, ipsius sanctæ peccatricis cineribus celebris, quæ à Ioan. VIII. Papa dum ad Trecense Concilium pergeret dedicata fuit. Ibidem aliquando sanctimonialium cœnobium condiderat Girardus Russilionis dominus, quod Benedictini instituti ascetis posteà cessit, & tandem canonicis; illis seculari toga donatis.

Beluacensis monasterij S. Luciani.) Ordinis quoque Benedictini, quod à fundamentis erexit Childebertus Francorum rex, sed cui vltimam manum imposuit Chilpericus successor ipsius.

Buglensis ecclesia.) Rectiùs Bullensis, seu de Bullis diœcesis Beluacensis, & Decanatus Brithuliensis, cuius prioratus à Vizeliacensi ecclesia, seu collegio mouet. Huius epistolæ elucidationi plurimùm confert tabula restitutionis ecclesiarum & castri de Bullis Abbatiæ S. Luciani, apud Louuetum historiæ Beluacensis, lib. 2. cap. 17. cuius tenor hic est: *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis: Ego Wido Beluacensis vrbis Dei gratia præsul. Ad omnium incitamentum bonorũ nostris acta temporibus, fidelium notitiæ manifestare curaui. Vnde eum domnus Hugo Comes de Domno-Martino, pro Ecclesiis de Bubulis (quas iniustè tenuisse fatebatur) nostram adiisset præsentiam, quam salubriùs eius animæ consulere potuimus, nos consuluisse credimus. Sanctus namque martyr Lucianus easdem ecclesias, cum omni ipsius castri integritate, & dono Childeberti regis, & Constantini Beluacensis Episcopi sibi concessi, dudum possederat; sed postmodùm barbarorum incursione, & impiorum; id est Hastengorum, peruasione, cuncta perdiderat. Quod ego pertractans, vt iniustè ablata, & peruersè retenta S. Martyri redderet, illicò consului, persuasi, qui nostri consilij iussis obtemperans, Domnum Theobaldum monasterij S. Luciani Abbatem adiit, suam, suorumque iniustitiam antecessorum, recognouit; & ipsas ecclesias laudantibus canonicis, quos ibi posuerat, iussu nostro, & concessu clericorum nostrorum, cùm omnibus appendentiis suis sancto Martyri reddidit. Idem autem Abbas cum ex nostræ admonitionis iussu cùm quibusdam monachorum suorum denominatum castrum adiisset, & praecepto nostro, & ipsius Comitis redditione; vt dictum est, ecclesias recepisset, quo modo eas S. Lucianus possederat, volens habere, super hoc sibi fieri scriptum, & nostræ authoritatis sigillo confirmari poposcit: cuius postulationi gratanter acquiescentes, hanc ei cartulam sigilli nostri impressione firmauimus. Ego Wido Beluacensis Episcopus hanc cartulam fieri iussi, & manu propria subscripsi. Ego Theobaldus Abbas subscripsi. Ego Hugo Comes subscripsi. Actum in ciuitate Beluacens. an. Incarnationis Dominicæ* M. LXXV. *regnante rege Philippo, Indict.* 13. *Epacta* 1. Scripsit autem hanc epistolam Iuo; anno 1108. vel circiter.

Concilio Exoldunensi) *Issouldun* Gallicè. Quo vero anno habitum sit illud Concilium, apud auctores non inueni, nisi forte fuerit de quo in Cartulario S. Dionysij Nongenti Rotroldi agitur. In notitia de Concilio Augustodunensi (ità inscribitur) & *Seldulnense* dicitur pro *Exoldunense*. Sic enim fert instrumentum: *ad aliud Concilium quod fuit Seldulni* (non *Seldulium*; vt legit Brius hist. Comit. Alenc. & Pertic. lib. 3. cap. 4) *Perrexit*. Cartularium quippe eiusdem cœnobij, quod penes me est, ita scribit. At cùm Concilium illud inter Senonense & Meldense, quæ anno 1080. habita sunt, indictum sit, eo anno celebratum fuisse necesse est. Id ex tabulis ipsis apparet quæ anno decimo quinto pòst, Augustodunense Concilium coactum fuisse astruunt, quod ex Bertoldo & aliis an. 1094. congregatum fuisse constat. Quod vero ad Epistolam spectat, eam circa 1105. aut 1106. scriptam, reor, cum iis annis Richardus Albanensis Episcopus (ad quem ipsam Iuo dirigit) Legatam in Galliis agebat.

Ad Epist. CLXXXII.

Porrecto libro inuestituram subdecaniæ facere vellem.) Libello vt plurimum beneficiorum minorum id temporis, vt pedo aut baculo maiorum inuestitura fiebat, atque ipsorum eiuratio. Sicut enim in accipiendis beneficiis libellum sumebant: in ipsis dimittendis, deponebant, seu libellum reddebant. Vide infra ad hanc notam & huc refer. Illius ceremoniæ meminit, Iuo in instrumento concessionis Prioratus S. Nicasij de Mellento, quod inter epistolas annumerauit Iuretus num. 285. & Goffridus Vindocinensis lib. 1. epist. 6. Ibi enim de Pagano ex Abbate S. Albini Andegauensis scribens: *Me præsente*, inquit, *in capitulo suo inter manus Andegauensis Episcopi cum regula S. Benedicti Abbatiam penitus antè dimiserat.* Cui lucem præfert Sirmundus in Notis eo, quo ex Cartulario eiusdem monasterij S. Albini profert testimonio quod ita habet. *De hac igitur eleemosyna, ego ipse Samson cum regula S. Benedicti, cum qua Ecclesiæ beneficium ab Abbate, & fratribus memorans acceperam, memoratos inuestiui Abbatem & Conuentum, & eandem regulam super altare B. Albini detuli ob memoriam perpetuæ firmitatis.* Aliquando etiam sola corporis inflexione, seu inclinatione beneficium patronis remittebant. Moris quoque temporis illius fuit, vt etiam cum profanam aliquam possessionem Ecclesiis conferrent, glebam illius terræ, cultellum, baculum, aut aliquid aliud in inuestituræ signum super illius ecclesiæ altare deponerent, quòd *Scotalio*, apud auctores dicebatur. Innocentius IV. sum. Pont. docet

Epist ad Archiep. & capitul. Lugdunens. & guberna, extra *c. exultatis. de consuetudine.* Huiusce ceremoniæ exempla varia habentur in ecclesiarum tabulis, & in Cartophylacio Ecclesiæ Carnotensis plures adhuc videntur cultelli quibus donationum instrumenta alligata sunt. Et in Cartulario quod est in Camera Compotorum ecclesiæ supradictæ carta 186. legitur. *Ego Robertus de Carnoto miles. Notum facio quòd ego deuotus Carnotensis ecclesiæ filius concessi, & dedi in eleemosynam canonicis eiusdem ecclesiæ redditus 20. solidorum apud Rouas & X. solid. apud Domnam Mariam, &c. Vnde ad maiorem huius rei notitiam imposterùm faciendam, ego in supradicta ecclesia ad altare B. Virginis Mariæ humiliter accedens, donationem prædictam priùs in Capitulo factam recognoui, & cultello super idem altare manu propria posito, & oblato, multis hæc videntibus, & audientibus confirmaui, &c.* Quod in pluribus quoque cartis Cartularij Vindocinensis monasterij habetur, vt fol. 195. 209. 222. & 282. & aliis. Sed & ligno inuestituram super altare posito fieri ex eodem Cartulario patet, in Auctoramento Rainaldi Burgundi de Credonensi ecclesia, & in concessione feriæ Sancti Beati facta Roberto Vindocinensi Abbati à Simone de Balgentiaco, in Cartulario quoque S. Petri in Valle Carnotensis legitur fol. 59. *De vanno Bermaeruillæ*, Odo Comes Palatinus & Carnotensis vannum illud eidem monasterio *Sauinæ ramusculo super altare S. Petri Apostoli posito*, concessit. Est apud S. Martinum de Campis instrumentum quo Henricus Ludouici Crassi regis filius Abbas beatæ Mariæ Stampensis præbendam monachis dicti loci in eadem Stampensi ecclesia assignat, eo ordine quo Dominus Albertus Cantor in illa obtinebat. *Quam*, inquit, *in manibus meis per panem & librum reddidit, & ego consequenter similiter per panem & librum in manibus, Ven. Theobaldi Prioris de Campis eam seposui.* Ceremonia autem illa de inuestiendis canonicis Carnotensibus per libelli traditionem, adhuc eâdem in Ecclesia perseuerat.

Hugo nepos Decani.) Ad hunc Richardus Albanensis in Galliis Legatus sequentem scripsit, & ad Ernaldum eius auunculũ epistolam, quæ in membranis apud me existentibus inuenitur. *R. peccator Albanensis Ecclesiæ qualiscunque minister Apostolicæ sedis licet indignus seruus & legatus Amicis suis carissimis E. Decano Carnotensis ecclesiæ, & Hu. nepoti eius, salutem. Quia multùm de vobis confidimus, & in causis vestris si necesse fuerit libenter vobis adesse volumus, familiariter & fiducialiter preces vobis dirigimus, & de vestro, sicut de amicorum nostrorum, consilio & auxilio certi sumus. Ea itaque certitudine freti, rogamus fraternitatem vestram vt amico nostro carissimo Domino Roberto ita de præbenda sua subueniatis, vt ex hoc cognoscat quantus sit inter nos, & vos feruor caritatis: Ad simile enim opus seruitij vestri, paratos nos inuenietis, si quando vobis necesse fuerit.*

Ad Epist. CLXXXVI.

Monasterium Caritatis.) Cluniacensis ordinis & diœcesis Antissiodorensis, cui vt ecclesiam, seu cellam in Carnotensi diœcesi obtineret eo in loco qui paruus Bellua locus dicitur, primo, vel altero ab vrbe lapide, Iuo Episcopus concessit. de quo monasterio videndus Coquilleus in historia Niuernensium Comitum.

Ad Epist. CLXXXVIII.

Radulpho Venerabili Remensium Archiepiscopo.) Si ita est, hanc epistolam anno 1108. scriptam fuisse, vel pòst, certum est, cùm eodem tantùm Remensem sedem Radulphus adeptus sit.

Ad Epist. CLXXXIX.

In consecratione Ludouici Regis Francorum.) Baronius hanc Epistolam scriptam fuisse anno 1106. num. 44. contendit. Ego 1108. post Crassi inaugurationem. Quî enim posset Iuo de consecratione regis ipsius loqui antequam inungeretur. At ex auctoribus melioris notæ auspicatus est regnum Ludouicus Crassus anno 1108. ex quo hanc Epistolam hoc anno, non superiore scriptam præsumi potest.

Ad Epist. CXC.

Domnus Theobaldus Beati Martini Parisiensis Prior.) Ad eum Paschalis II. S. P. 2. Kal. Maij, Indict. 15. Incarnationis Dominicæ anno 1108. scribit Bulla data apud sanctum Dionysium in Francia habeturque in collectione Chartularum Prioratus sancti Martini Campensis.

Expulso inuasore Geruasio, pacem restitueret & domnum Radulphum eiusdem Ecclesiæ Metropolitanum in gratiam suam receptum, eidem Ecclesiæ præesse concederet.) Radulphus qui Viridis dicebatur, Remensis Archiepiscopus, Crassi regis grauissimas & periculosas, quod absque eius assensu 1108. electus Remensis & inthronizatus fuisset incurrerat inimicitias, pro quibus conciliandis eiusdem ecclesiæ clerici legatos miserunt qui inaugurationi regi Aurelianis designatæ sese vice illius ecclesiæ opponerent. *Primæque regis coronæ primitias ad ius Ecclesiæ pertinere Remensis* dicerent, vt est apud Sugerium in Crasso, & Aymoini continuatorem lib. 5. cap. 45. *& à primo Francorum rege quem baptizauit, Clodouæus hanc prærogatiuam illibatam, & inconuulsam obtinere*, quam qui ausu temerario violari tentaret, anathemati perpetuo subjicerent. Exulabat tunc Radulphus ille, Geruasio Hugonis Comitis Rethelij, & Melisendis de Monteleherico filio sedem ipsius interim occupante. Pro Radulpho Summo Pontifici Paschali scribunt Iuo, & Theobaldus sancti Martini Campensis Prior, qui tandem eiusdem in propriam cathedram restitutionem obtinuerunt, id docente Roberto de Monte supplemento ad Sigibertum anno 1114. *In Remensi quoque Metropoli*, inquit, *post Manassem illustrem virum, exturbato inuasore Geruasio, Radulphus successit, qui Viridis cognomen habuit.* De quo videndus etiam Order. Vital. lib. 8. historiæ suæ Ecclesf. pag. 699. qui eum non Manassi, sed Raynaldo successisse dicit. Certior tamen est Roberti sententia cum ad eundem Manassem qui immediatè Raynaldo suffectus est, Iuonis Epistola 185. extet. Hanc autem non nisi ex iis quæ in ipsa leguntur, scriptam esse 1114. præsumo.

Ad Epist. CXCII.

Monachis Columbensibus.) Columbæ, siue Columba, monasterium est ordinis Benedictini in agro Carnotensi primo à Nogento Eramberti, seu Regis lapide situm, quod à Rogerio Odonis secundi Carnotensis Comitis ex coniuge prima, seu secunda filio, Franciæ Cancellario, & Beluacorum Antistite inchoatum, & ab Olderico Aurelianensi Episcopo eius ex sorore nepote, perfectum est anno 1028. Roberto Francorum rege secundo regni habenas moderante; vt ex tabulis fundationis huius asceterij; quas alibi retulimus; certum est. Quo anno scripta fuerit epistola, satis non liquet.

Ad Epist. CXCIII.

Ecclesia S. Quintini, Beluacensis scilicet.

Guido Beluacensis Episcopus.) De hoc videndus Louuetus in hist. Beluac. lib. 4. c. 14.

Ad Epistolam CXCIV.

Raginaldus Canardus.) Lupæuillæ dominus, à quo denominationem accepit pagus ille, qui vulgari idiomate *Louuille la Chenard*, nuncupatur, qui cum sit diœcesis Carnotensis, Raginaldus ille ab Iuone Carnotensi, parœcianus ipsius vocatur.

Ad Epist. CXCV.

Carnotensis ecclesia professionem refutasse.) Professionem, seu Iuramentum de obedientia Episcopis Carnotensibus, & ecclesiæ exhibenda, edebant quotquot in Carnotensi diœcesi degebant Abbates; vt in antiquis Episcopatus Carnotensis codicibus & ecclesiæ monimentis legere est. Solus Vindocinensis ex speciali Romanæ ecclesiæ priuilegio hac lege eximebatur, & adhuc exemptus est. Angebat Iuonem priuilegium, illudque egerrimè ferebat, quod ex Cartulario monasterij Vindocinensis, vt cuique innotescat, promo. *Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Gauffrido Andegauorum Comiti, & Agneti Comitissa coniugi eius, Sal. & Apostolicam benedictionem. Quotiens filij sanctæ ecclesiæ omnipotenti Deo aliqua offerunt, non debent esse dati quasi de munere; sed gaudere ex fideli redditione. Reddunt quidem creatori suo partem rerum quas ab eo acceperunt, vt de suis eum rebus sibi faciant largissimum debitorem. Ab ipso namque omnes habemus esse, viuere, cunctaque habita possidere: & quod magis est . . . . . Quod vos, dilectissimi filij, non ignoranter, sed fideliter agnoscentes, studuistis proprijs vestris rebus monasterium pro redemptione animarum vestrarum, vestrorumque parentum, apud Castrum Vindocinum ad honorem Trinitatis deificæ construere, ipsumque monasterium cum omnibus suis rebus B. Apostolorum principi Petro, S. Spiritu inspirante offerre; ea videlicet consideratione, quatenus sanctæ Romanæ Ecclesiæ sic specialiter semper adhæreat, ne inter Romanum Pontificem, & hunc venerabilem locum, persona qualibet media existat. Quod nos diuina fulti fiducia, ita confirmamus, vt inter prima & Apostolicæ sedis Pontificem, & Venerabilis loci Vindocinens. Abbatem, omnem cuiuslibet dignitatis, vel ordinis personam mediam esse, Apostolorum Petri & Pauli auctoritate prohibemus, censum vero ad memoriam, cognitionemque sempiternam* XI. *solid. de moneta nostra patriæ B. Petro reddi per vnumquemque annum volumus, &c. Statuimus etiam, vt defuncto Abbate ipsius loci, successor ei eligatur de eadem congregatione, si tamen dignus prælatione inueniatur. Quod si apud eos inueniri non poterit, quod absit, à Cluniaco, vel à maiori monasterio: vel vndecunque meliùs poterunt monachi ibi congregati, sibi eligant Abbatem secundùm Dei timorem, & B. Benedicti regulam; tamen propter reuerentiam loci, in eligendo sibi Pastorem, trium Abbatum consilio vtantur, quos religiosiores de vicinis locis habere poterunt. Consecrationem vero ne statim Romam venire fatigetur electus, à quocunque Præsule; sine tamen omni subiectione suscipiat, si Præsul idem sine pretio, & secundum canones Episcopatum susceperit. Quod si Episcopus pretio, vel contra canones electus, inuestitus, vel consecratus, siue erga prædictum B. Petri locum suspiciosus extiterit, qui electus fuerit, ad nos, vel ad nostros successores recurrat, & à sede B. Petri Apostoli . . . . . cuius est iuris, & baculum, & consecrationem suscipiat. Ad Concilium autem nullatenus veniat, quod ab ipso Romano Pontifice non fuerit celebratum, &c. Hoc etiam addimus, vt tàm in Vindocinensi loco, quàm in prædicta iuxtà Andegauia muros S. Saluatoris ecclesia, nulli personæ, nisi soli Romano Pontifici, liceat potestatem aliquam, aut dominationem exercere, aut excommunicare, seu interdicere; etiamsi Carnotensis, aut Andegauensis pro culpis quibuslibet excommunicetur, excommunicati tamen à monachis non suscipiantur, &c. Datum Kal. Iulij per manum Petri Diaconi, Bibliothecarij & Cancellarij S. Apostolica sedis anno Domni Clementis II. Papæ 1. Indict.* XV. quod in annum Dom. 1047. incidit. Hâc autem Epistola videtur respondere Iuo ei, quam ad eum scripserat Goffridus Vindocinensis, quæ secunda est lib. 2. Epistolarum ipsius vt ex ipsius lectione patet.

Ad Epist. CXCVII.

Guillelmo maioris Monasterij Abbati.) Inter illius asceterij Archimandritas non recensetur Guillelmus; sed eius loco reponitur Gaufridus *de Conan*, de quo plura in libello *De gestis Archiepiscoporum Turonensium & Abbatum Maioris Monasterij*, pag. 113. & sequentibus.

Ad Epist. CXCVIII. CXCIX. & CCII.

De Præpositura Sedobrij.) quæ ad Collegium sancti Martini Turonensis spectat in agro Blesensi, & dicitur *Preuosté de Syeure*.

Ad Epist. CCIII.

Basilicarum.) Basilicæ dicebantur Ecclesiæ Maiores, quæ à regibus, vel principibus ædificabantur; seu etiam quòd regi regum & omnium Deo ibi sacrificia offeruntur. De qua re pluribus Stephan. Durant. de Ritibus Ecclesiæ, lib. 1. c. 1. num. 9. & seq.

Lisiardo Suessionensi.) de Crespeio (*de Crespy*) dicto, qui anno 1108. ad Suessionensis ecclesiæ præsulatum ex Præposito ipsius electus est. Quod ex Cartulario sancti Martini Campensis, fol. 82. constat in quo de-

scribitur carta eiusdem Episcopi de ecclesia de *Lerniaco* ab eo monachis Campensibus data, consentiente Crispei Comitissa, & Radulpho eius filio, anno 1123. Indict. 1. regnante rege Francorum Ludouico, anno regni illius 16. Episcopatus vero dicti Liziardi 15. Si enim anno 1123. erat quintus decimus Liziardi, annus 1108. primus illius necessariò fuit, quo, vel sequente, hæc Epistola scripta fuit.

Ad Epistolam CCIV.

In duos ecclesiæ nostræ Prælatos.) Ernaldum scilicet Decanum, & Fulconem subdecanum, cui postremo fauebat Rex Ludouicus; vt ex sequente tabula ad Iuonem scripta liquet, quam in membranis meis reperi, & sic habet *L. Dei gratia Francorum Rex. I. Carnotensium Episcopo, totique sanctæ Carnotensis ecclesiæ Capitulo, sal. Audito quia Arnaudus Decanus, atque F. subdecanus clericus noster, ac familiaris amicus inuicem aduersantur, proculdubio credat dilectio vestra, quia valde nobis displicet, & vltrà quam credatis, molestè ferimus. Cognito namque per ordinem quomodo, vel quemadmodum res agatur, videtur nobis, & vniuersis etiam sapientissimis personis, quibus nosipsi subgessimus, patet, quoniam F. damnosè tractatur, & iniuriosè. Quocirca rogamus dilectionem vestram: immò summopere precamur, quatinus querelam quæ inter illos habetur ad honorem, & proficuum domni Fulconis gratia nostri studiosè diffiniatis, quemadmodum de amore nostro curatis, & honore. Quod si feceritis, ad quodcunque vobis placuerit, nos iuxtà voluntatem vestram paratos inuenietis. Si vero nos in hoc tantillo audire neglexeritis, certum teneat discretio vestra, quia nos ad iracundiam prouocantes, vltionis nostræ sententiam quoquomodo sustinebitis. Ad hoc siquidem vos esse sollicitos volumus, ne super hoc vlteriùs si placet vobis, querimoniam audiamus. Quod si fieret, damnum ipsius in quadruplum redimere curaremus. Vale. alioquin præfatum Fulconem clericum nostrum in curia vestra vobis rectitudinem secuturum offerimus.* Iuo iudicij inuidiam à se repellere potens, summum Pontificem consulit hac epistolâ, vt quid agere debeat, rescribat, dilationem sententiæ non patitur Fulco, & ideò aduersus Iuonem Regi sequentem mittit. *L. Francorum regi inuictissimo domino suo carissimo Fulc. Præpositus* (non moretur lectorem quod Præpositum vocet; plures si quidem eadem in ecclesia tunc obtinebant dignitates) *sal. Sciatis domine mi carissime, quia quidquid Episcopo nostro mandastis pro nobis, non pro nobis; sed contrà nos est, & propter mandatum vestrum peior nobis factus est, quàm anteà fuerat. Qui cum posuisset nobis diem iuris agendi, infrà diem positum literis suis à Cardinali quæsiuit, & impetrauit, vt eum Cardinalis commoneret, & commonendo præciperet, ne nobiscum causam ageret. Accusauit enim nos ei dicens, quod regem adiissemus, regem in rebus ecclesiæ nostræ manum mittere fecissemus, itaque vos orasse, & ad vestrum auxilium, & consilium confugisse, nunc nobis nocere. Nunc enim nobis ius & negauit, & negat, & Romam inuites nos trahit, & inuitat: Hoc autem sciatis, quia multa sunt in ecclesia nostra priuilegia, quæ assensu, & auctoritate regis Francorum, & reginæ facta, & confirmata sunt. In hoc autem nouissimo priuilegio, nec vlla mentio vestri facta est. In quo regni vestri, & coronæ detrimentum, & dedecus intelligi potest. Val. Quidquid autem vobis mandet, sciatis in rei veritate, quia nil nisi malum quærit, & omnia peiora mauult quam emendari, & sedari.* Hæc ex membranis, quibus abundè subdecanum illum seciùs de Iuone plurimum ab aliis laudato, sentire & ei malè affectum fuisse patet. Hanc vero epistolam circa 1109. vel 1110. scriptam puto.

Ad Epist. CCX.

Odo Cameracensis Episcopus.) Aliis dicitur Odoardus Aureliæ natus, qui ex Abbate Tornacensi, ad hanc sedem euectus est. De quo Molanus in Natal. SS. Belgij 9. Octobris.

Ad Epist. CCXI.

Generatio autem sic est.) Eam aliter refert Iacobus Meyerus lib 4. Annal. Flandr. ad an. 1110. *Balduinus*, inquit, *filius Roberti Comitis Flandriæ accepit vxorem filiam Alani Comitis Britanniæ. Conon Episcopus Prænestinus in præsentia Paschalis Papæ hoc modo recitauit consanguinitatem inter Balduinum Comitem & vxorem eius filiam Alani Nannetensis, seu Britanniæ Comitis. Constantia Gallorum regina vxor Roberti Regis & Ermengardis Comitissa Auernensis sorores fuerunt. Ex Constantia Adela Comitissa Flandriæ. Ex Ermengarde, altera Ermengardis Comitissa. Ex Adela Robertus Frisio Comes Flandriæ. Ex Ermengarde Berta Comitissa. Ex Roberto Frisio alter Robertus Frisius. Ex Berta Hauuisis Nannetensis Comitissa. Ex Roberto II. Balduinus. Ex Hauuise Comes Alanus. Ex Alano ista virgo vxor Balduini.* Idem quoque habet Pet. d'Oudegherst Annal. Flandr. cap. 59. & Iacobus Marchantius quoad lineam Flandrensem. Ego vero alia ratione eos consanguineos in sexto gradu fuisse reperio, Fulco quippe bonus Audium Comes ex vxore sua Eheberga Gauffridum Grisam tunicam, seu vt dicunt grisam gonellam, quod est vestimenti genus, cuius nomen adhuc Occitani retinent, & Blancam Guillelmi Arelatensis & Phocensium principis coniugem suscepit. Gaufridus ex Adela vxore Fulconem Nerram Audium quoque Comitem & Ermengardim Conani Armoricorum Ducis vxorem. Blanca Constantiam Roberti regis vxorem peperit. Fulco Nerra ex Adela priore coniuge, Adelam vxorem Goffridi Castrilandonis domini, seu Wastinensis Comitis; vt vult Bourdigueus Annal. Andegau. parte 2. cap. 38. vel vt Odo Monachus in vita Burchardi Corbeliensis Comitis scribit, Burchardi illi genuit. Ex Roberto rege & Constantia, Adela Reginaldi Niuernensium Comitis primùm: deinde Balduini Flandrensis vxor orta est. Ex Adela Wastinensi seu Corbeliensi & Vindocinensi domina. Fulco Rochinus alias dictus Auser, seu Auserulus pro-

diit, ſicut ex Adela & Balduino Flandrenſi Robertus Friſius; Fulco Rochinus non ex Petronilla vxore quæ Lancelini Balgenciaci Toparchæ filia fuit, vt voluit Bourdigueus Annal. Andegau. parte 2. cap. 39. & Argentreus hiſt. Armor. lib. 3. cap. 43. ſed ex Ermengarde Borboniorum domini filia alteram Ermengardem Comitiſſam Redonenſem Alani Fergentij ſecundam tori conſortem genuit. Robertus Friſius ex Gertrude Saxonica alium Robertum Friſium iuniorem dictum ſuſcepit. Fergentia Britanniæ Armoricæ Comiti Ermengardia Redonẽſis Comitiſſa Agnetem peperit. Robertus Friſius ex Clementis Calixti II. ſummi Pontificis ſorore: vel nepte, Balduinum ſecuriferum ſeu ſecuriculum Flandriæ regulum ſuſcepit, qui Agnetem illam matrimonio ſibi iunxit, quamuis ſe in ſexto cognationis gradu à primario ſtemmate per ſtirpem attingerent, vt ex his quæ ſupra deduximus nemo dubitare poteſt. Qua vero tempeſtate in viuis agebat Iuo, nuptiæ inter agnatos & à communi capite deſcendentes vſque ad ſeptimum gradum vetabantur. Hanc autem Epiſtolam poſt annum 1110. ſcriptam ex Meyero colligo. Nullos vero Balduinus ex Agnete liberos reliquit, cùm ab ipſa Paſchalis Papæ iuſſu diuertiſſet, ob vinculum cognationis. Confer cum hac epiſt. 128.

Ad Epiſt. CCXIV.

Brunoni primæ ſedis Belgicorum Epiſcopo.) Hic fuit Bruno Engilberti ſucceſſor, qui Treuirenſem cathedram ab anno 1101. ad 1123. occupauit. Ipſum autem vocat Iuo primæ ſedis Belgicorum Epiſcopum, quod Auguſta Treuirorum, quæ Moſellæ imminet, ſit Belgicæ prima Metropolis: Immo & Galliarum S. Athanaſio ad ſolitarios, aut vt Theofridus Epteonacenſis Abbas præfatione in florem Sanctorum ſcribit: *Tripartitæ Galliæ prima Metropolis.* Dicitur quoque Ammiano lib. 15. *domicilium principum clarum.* In notitia Imperij *vrbs Galliarum potentiſſima.* Apud Saluianum lib. 6. de Prouid. *Excellentiſſima, & opulentiſſima Galliarum vrbs, aliis vetuſtiſſima,* quòd à Trebeta Babylonio, Abrahami tempore, duobus ferme annorum ante Chriſti natiuitatem millibus, conſtructa fuerit. Ipſe vero metropolitanus S. Romani Imperij Elector eſt, & in regno Arelatenſi per Gallias Archicancellarius. Bruno autem iſte à Sugerio Sandionyſiano Abbate in vita Craſſi Francorum Regis dicitur *vir elegans & iucundus, eloquentiæ & ſapientiæ copioſus, Gallicano cothurno exercitatus.* Coram Paſchale II. S. P. orauit pro Henrico III. Imperat. an. 1106. vt eſt apud Baron. ad hunc an. num. 10. quo etiam ab Vſpergenſi Abbate nominatur.

Ad Epiſt. CCXV.

Thomæ Eboracenſi.) Eboracum Maioris Britanniæ oppidum Anglis *York*, cuius eccleſiæ Thomas ille, de quo hîc agitur, à Willelmo Ruffo Anglorum Rege præfectus eſt 1070. Vt eſt apud Ordericum Vitalem lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. pag. 516. & lib. 5. pag. 548. De eo Nicolaus Harſpfeldius ſeculo 11. pag. 271. *Poſt Ælredum, Thomas homo Normannus, & Baiocenſis canonicus, à rege Guillelmo Eboracenſis Epiſcopus deſignatus eſt, &c.* quæ ibi vide. Obiit autem Thomas eodem quo Henricus I. inauguratns eſt anno: vt habetur ibidem. Ex quo epiſt. hanc ſuſpicor non ipſi ſed ſequenti ſcriptam fuiſſe. Fuit namque alter Thomas eiuſdem ſedis antiſtes, apud eundem Harſpfeldium pag. 394. & de quo Iuretus ad hanc epiſtolam, qui obiit anno 1114. ſuffecto Turſtino Bajocenſi clerico qui erat Regi à ſacris; vt ſcribit Order. Vital. lib. 12. pag. 858. cui Iuonem ſcripſiſſe, vero ſimilius eſt.

Ad Epiſt. CCXVI. & CCXVII.

Abbatem Bleſenſem & Bonæuallenſem.) Quorum prior Mauritius, poſterior Bernerius vocabantur. De quibus ſuprà ad epiſtolas 78. & 174. In titulo autem, ſeu argumento epiſtolæ dicitur controuerſiam quæ erat inter illos Abbates, fuiſſe pro Eccleſia Verdenſi, cuius nulla mentio in corpore epiſtolæ, adde quod Eccleſia illa ad Archidiaconum Dunenſem, non ad dictos Abbates pertineat.

Ad Epiſt. CCXIX. & CCXX.

De appellationis ordine.) Stilus antiquus erat, vt appellans infrà quinque, vel ſaltem decem dies Apoſtolos peteret. Qui ſint autem illi Apoſtoli, paucis dicam. Sunt vero literæ, ſeu libellus dimiſſorius quos prouocantibus concedit iudex à quo prouocatur, vt ad ſuperiorem pro grauamine recepto recurrat qui cauſa cecidit, Præcipuè verò in interlocutoriis quas vocant ſententiis exiguntur, quarum iudex voluit reparare grauamen, & ſententiam reformare poteſt, *cap. Cum ceſſante, de appellat. extra,* ideoque litteræ illæ, ſeu Apoſtoli repoſitorium, ſeu mauis reparatorium dicuntur, quod iudex ſe prouocantem grauaſſe, agnoſcens, & in ſchedula prouocatoria deductis, grauamen reparat, & prouocantem eundem in ſtatum, quo antè litem erat, reſtituit, & ſuper prouocatione pronunciabat, *habita in forma,* quibus verbis, ſententiam ſibi reformandam tradi ſignificabat cum in forma probante foret redacta. In ſententiis definitiuis non ita progreditur, quibus non niſi prouocatione damnum reſarcitur *l. quod iuſſit. ff. de re iudicat;* atque ideo fruſtrà Apoſtoli depoſcuntur poſt finale iudicium ſicut edicto regio anni 1539. art. 117. cautum eſt. Hæc tamen praxis in Curiis Eccleſiaſticorum obſeruabatur, vt in omnibus prouocatoriis cauſis Apoſtolus ſeu dimiſſorius libellus à iudice à quo, exigerentur, quibus Iudex an prouocationi deferret, an non, declarabat, primum diem prorogabat ad ſuperiorem appellationis ſecundùm locorum diſtantiam; *vt cap. 1. & 6. de appellat. in 6.* ſi ſecundùm, ſe vlteriùs progreſſurum nonobſtante appellatione & abſque ipſius præiudicio pronunciabat.

Ad Epist. CCXXIII.

Audoëno Ebroïcensis Ecclesiæ designato Episcopo.) De illo sic Order. Vital. lib. hist. suæ 11. p. 840. *Anno ab Incarnatione Domini* 1112. *Gislebertus senex Ebroïcens. Episcopus, postquam in Episcopatu* XXXIV. *annis vixit, in senectute bona* IV. *Kal. Septembr. obiit, & in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ sepultus est, &c. sequenti autem anno Auduinus Baiocensis Capellanus regis successit, qui eruditione literarum imbutus, sibi commissis viam Dei regulariter monstrauit, & lib.* 13. *pag.* 919. *Audinus Ebroïcensis Episcopus Paschali septimana in Angliam profectus est, ibique sexto Nonas Iulij (anno* 1139.*) Melitone in canonicali cœnobio defunctus & sepultus est. Hic in Baiocensi pago ortus, studia literarum inquisiuit, peritiaque liberalium artium imbutus inter doctissimos coaluit, & Regi Henrico familiaris effectus, inter præcipuos scribas complacuit. Denique de Capella Regis prouectus* XXIV. *annis Ebroïcensem diœcesim tenuit, clerum, subiectamque plebem ad seruandam Dei legem erudiuit, ecclesiæque cultum solerter exercuit, & basilicam B. Dei genitricis Mariæ, quæ tempore illo combusta fuerat, à fundamentis reparauit. Rotrocus autem filius Henrici Comitis de Warewico Rothomagensis Archidiaconus, ad Episcopatum Ebroïcensem assumptus est. Eodem, vt reor, anno Turstinus Eboracensis Archiepiscopus præfati Audini frater defunctus est.* Ex quibus hanc Epistolam scriptam fuisse non nisi post annum 1113. vel eo saltem facile colligitur.

Guillelmum Carnotensis Monasterij S. Petri Abbatem.) Eustachij successorem, & Vernis, siue Widonis decessorem, quem Iuonis pontificatu vixisse, eiusdem cœnobij actus plures confirmant.

Musiuus Vicus.) Haud procul à Drocis ad Auræ marginem in diœcesi Ebroïcensi situs est & vulgari nuncupatione *Musy*, dicitur. Aura autem est riuulus, Galliam à Normannia separans. Vnde Versus ille, *Aura licet parua, Gallorum diuidit arua.* Cuius citerior ripa ad Carnotensem Episcopatum spectat: vlterior ad Sagiensem & Ebroïcensem.

Ad Epist. CCXXIV.

Guidoni Molismensis monasterij Abbati.) Tertio scilicet, Robertus enim illius Asceterij fundator primus Abbas extitit, post quem Annas, cui Guido iste circa 1114. successit, quo fortè scripta tabella. De Molismo autem monasterio, & eius fundatore Roberto, Legendus Order. Vit. lib. 8. hist. pag. 711. & seq.

Ad Epist. CCXXVII.

A Ciuibus Babiloniæ.) Videtur hæc Epistola scripta cum è vinculis Romanorum Paschalis 2. Pont. Max. liber abire permissus est anno 1112. Eo quippe Matth. Paris Paschalem 2. in custodiam coniectum ab Henrico Imperatore 4. scribit. Quod Epistola à Ioanne Tusculano Ricardo Albanensi in Gallias Legato eodem anno scripta Indict. 4. Pridie idus Februarij confirmatur. Romæ enim cum Henricus 4. regni coronam de Pontificis manu suscepisset, ipsum Pontificem nil sibi ab eo metuentem mali cum Cardinalibus qui eam comitabantur in vincula coniecit, atque de inuestiendis Episcopis & Abbatibus priuilegium extorsit; sed libertate recuperata statim priuilegium velut Otto Frisingensis lib. 7. c. 14. loquitur priuilegium reuocauit Pontifex & Imperatorem diris deuouit. Hæc autem Paschalis incarceratio accidit Romæ in Ecclesia S. Petri, die Dominica ante caput ieiunij. De quibus videndæ Pithœi notæ ad Epist. Iuonis 238. sed nostra supputatione 136. & Baron. ad an. 1111. num. 6. Roma autem à beato Petro 1. Epist. c. 5. vocatur Babylon propter confusionem, alio prorsus sensu quam Nouatores interpretantur. V. Cornel. à lapide in hunc locum, & in Apocalyp. c. 13. & 17.

Ad Epist. CCXXVIII.

In cinere & cilicio positos, ab introitu Ecclesiæ statuto tempore excludit.) Hæc ceremonia adhuc obseruatur in Ecclesia Carnotensi, vt feria 4. cinerum, pœnitentes ab Ecclesia eiiciantur; & feria 5. in cœna Domini in ipsam reuocentur. Quæ consuetudo à ritu veteri publicè pœnitentium, quibus ipso die, & ieiunij introitu satisfactiones pro admissis culpis imponebantur fluxisse indubium est. Canon siquidem in capite, qui est 62. dist. 50. (quem vir doctus perperam Concilij Agathensis anno 566. celebrati nouum esse scribit; cùm tamen eo in Concilio nusquàm inueniatur) ceremoniam illam omnino explicat: *In capite*, inquit, *Quadragesimæ, omnes pœnitentes qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo ciuitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu, & vultu protestantes. Ibi adesse debent Decani, id est Archipresbyteri, Presbyteri Parochiarum, & Presbyteri pœnitentium, qui eorum pœnitentiam, & conuersationem diligenter inspicere debent, & secundùm modum culpæ, pœnitentiam, per præfatos gradus iniungere; post hæc eos in Ecclesiam introducant, & cum omni clero septem pœnitentiales psalmos in terra prostratus Episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, iuxtà quod canones iubent, manus eis imponat, benedictam aquam super eos spargat, cinerem prius mittat. Deinde cilicio capita eorum operiet, & cum gemitu crebris suspiriis denunciet eis, quoniam sicut Adam proiectus est de paradiso: ita ipsi pro peccatis ab Ecclesia abiiciuntur. Posteà iubeat ministris, vt eos extrà ianuas Ecclesiæ expellant. Clerus vero prosequatur eos cum Responsorio scilicet. In sudore vultus tui vesceris pane tuo; vt videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam, atque commotam, non paruipendant pœnitentiam. In sacra autem Domini cœna rursùs ab eorum Decanis, & eorum Presbyteris Ecclesiæ liminibus repræsententur.* Pœnitentis enim status, cinere, & sacco, seu cilicio repræsentatur, vt videre est Esther. c. 4. Thren. c. 3. & 4. Isaiæ 58. Ionæ c. 3. & psal. 35. Concilij 4. Tolet. c. 10. Agathensis c. 15. sed & ad hæc non iniucundum fore arbitror referre, quod post Æneam Syluium, qui Pius 2. Summus Pontifex fuit, Europæ c. 31. & Raphaëlem Volaterranum lib. 7. scribit Ioannes Bohemus lib.

3. de Europa, nempe Alberstadij, quod Saxonum est oppidum, id quotannis agi. *Inducitur*, inquit, *vnus aliquis è populo cineritio die, hominum opinione nequissimus. Hunc velato capite, pulla veste sacris admouent, quibus ritè peractis, templo eiicitur: eiectus toto ieiuniorum tempore nudis calcibus vrbem pererrat, Diuorum templa visitabundus. Sacerdotes illi victum suggerunt, mox in Dominica cœna iterum templo inductus, post olei consecrationem ab vniuerso clero expiatus dimittitur, eleemosyna prius accepta, quam piè offert templo. Hunc Adam vulgò vocant, quia vt protoplastus ille omni vacet crimine, per eumque ciuitas creditur expiata.* Quod autem pœnitentes toto illo tempore Ecclesiam non ingrediebantur, sed pro foribus prostrati humi iacerent, testis est Socrates hist. Eccles. lib. 3. c. 11. de Ecebolo Constantin. sophista loquens, qui ad Imperatorum ingenia suum accommodans, sub Constantio se feruentissimum finxit Christianum sub Iuliano factus est paganus. Post quem rursus simulauit se Christianum. Nam inquit ille, *ante portam Ecclesiæ se pronum abiiciens, sic vociferatus est conculcate me pedibus quasi salem insipidum.* Plura V. apud Sozomenum hist. Eccl. lib. 7. c. 16.

Ad Epist. CCXXXI.

Pontio Venerabili Cluniacensium Abbati.) Erat Merguliensis Phocensis prouinciæ Comitis filius, qui anno 1109. monachorum illorum pater electus est, & à Guidone Viennensi Archiepiscopo, posteà Calixto 2. Pontifice supremo, VII. idus Maij eiusdem anni benedictus, à quo in purpuratorum societatem etiam allectum 1119. creatione prima, fuisse tradit Robertus in Cluniacensium Abbatum serie. Quo fundamento suffultus, nescio, cum apud Onufrium desit, & longè aliter de eo sentiant Order. Vital. lib. 12. p. 871. Bar. ad an. 1109. 1114. & 1126. Petrus Cluniacensis & Petrus Pictauiensis. Obiit vero 1123. IV. Kal. Ianuarij Cluniaci sepultus in potiore basilica secundùm S. Martini altare. Ex quibus epistolam scriptam post ipsum 1109. annum colligo.

De conuenientia Sacramentorum.) Librum hunc non agnosco, ni sit qui sermonum titulo hoc volumine annectitur. Sunt enim de Sacramentis.

Ad Epist. CCXXXIII.

Henrico Abbati Angeriacensis monasterij.) Rectiùs Augeriacensis. Dicitur enim Augeriacum in vita S. Ioannis Baptistæ, cui asceterij ædes primaria sacra est, à qua monasterium denominationem sumpsit & vulgò dicitur *Sainct Iean d'Angeli*. Est autem monasterium Benedictini instituti in Sanctonibus situm, à Pipino Francorum Rege olim anno 761. videlicet fundatum, quod funditus segreges euerterunt. Illi Epistolam hanc scripsisse Iuonem tradit Baron. anno 1111. num. 34. ad eumdem quoque scribit Goffridus Vindocin. Abbas lib. 4. Epist. 3. 4. & 5. quarum prima cum vitæ venerabilis virum appellat.

Ad Epist. CCXXXVI. & CCXXXVII.

Concilium apud Ansam celebrandum.) Locus hic duorum celebratione conciliorum illustris extat, primi quidem anno 1025. secundi 1111. de quo hîc Iuo. & Baron. ad hunc an. num. 36. Est autem Ansa oppidum in Lugdunensium ac Belliiocensium limite situm, quatuor leucis à Metropoli distans, quod à Fluuiolo illud irrigante nomen accepit, de quo Papir. Massonius in descript. Franciæ per flumina pag. 13. Illud vero Concilium, de quo hîc agitur, sicut & præcedens, prouinciale tantùm fuit, cuius & prioris acta perierunt; aut saltem alicubi delitescunt, cùm nondum lucem quod sciam, viderint. De his V. Seuertium in Archiepiscopis Lugdunensibus Burchardo & Ioanne, pag. 200. & 231. & in Matisconensibus Episcopis, pag. 87. 89. & 91. cætera apud Iuretam habentur.

Illum iudicamus prorsus hæreticum.) Quia in Concilio Viennensi an. D. 1112. celebrato can. 1. Inuestituram omnem rei Ecclesiasticæ de manu laica, hæresim esse iudicatum fuerat. Ex his autem quæ hac in Epist. leguntur, & quæ S. diximus scriptam fuisse an. 1112. censeo.

Ad Epist. CCXXXVIII.

Tornacenses, qui aliàs Neruij dicuntur ad Scaldim positi sub Nouiomensi Episcopo, à S. Medardi tempore permanserunt vsque ad annum 1146. quo Eugenius 3. Pont. Max. S. Bernardi Claræuallensis Abbatis suasione, proprium restituit vt habet Meyerus ad hunc annum.

Causa Milonis & filiæ Comitis Stephani.) Aliam diuortij causam assignat Suger. in Crasso, quam ibi lege. Quo autem anno hæc tabella scripta sit vix scitur, ni fuerit anno 1111.

Ad Epist. CCXXXIX.

Neptem Flandrensis Comitissæ.) Clementiam scilicet Roberti Frisonis iunioris Flandrensis Comitis relictam Calixti 2. Papæ & Stephani Burgundiæ Comitis sororem. Fuit autem illa neptis, Adela Ludouici Crassi Francorum Regis coniux Humberti 2. Mauriennæ Comitis & Calixti atque Clementiæ, sororis filia: vel vt habet Papir. Massonus in Ducibus Sabaudiæ Laurentiæ, seu Argidiæ, aut Gillæ Venusini Comitis filiæ eiusdem Humberti vxoris. Videndi Suger. in Crasso, & Paul. Aruil. pag. 98. Hanc verò exaratam Epistolam paulo ante Iuonis obitum puto. Cum in Chartulario S. Martini Campens. fol. 77. annus 1117. Adelaïdis Reginæ dicatur tertius, & folio eodem verso, annus 1116. eiusdem primus scribatur. Nupsisse enim ex his Ludouicum Adelæ 1115. planum est cuius nuptias hanc Epistolam præcessisse necesse est.

Ad Epist. CCXLIII.

Domnus Stephanus Cancellarius.) Stephanus videlicet de Garlanda; vt semel explicat Iuo Epist. 260. & ex pluribus cartis illius temporis & ad Epist. 87. dictis patet.

Ad Epist. CCXLV.

Hugoni magnifico & spectabili Trecasinorum

Comiti.) De eo iam suprà ad Epist. 158. diximus, cui hæc addemus bis profectum Hierusalem Hugonem; vt ex instrumento à Camuzato in Promptuario Antiq. Diœc. Trecen. pag. 286. relato clarum est. Primò quidem 1114. vt in Cartulario Monasterij Cellensis lego carta incipiente, *In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis. Quoniam Patrum nostrorum.* Ibi enim dicitur. *Ideo ego Comes Trecensis mores patrum sequens, beneficia, & libertates, quæ Ecclesiæ B. Petri Insulæ Germanicæ, pro redemptione animæ meæ, & prædecessorum meorum contuli, harum literarum notulis, signare curaui. Omnibus igitur scire volentibus, notum facio, quòd quando Hierusalem proficisci vellem, &c. Acta sunt hæc publicè Trecis anno Incarnati Verbi* 1114. *Ludouico Rege strenue Regni Francorum gubernacula moderante.* Quo etiam anno hanc Epistolam scriptam liquet. Secundo iter Hierosolymitanum aggressus est circa annum 1122. vt ex dicto instrumento planum est, quod ita habet, *In nomine &c. Notum fieri volumus quod D. Hugo excellentissimus Comes Tricassinus, dum secunda vice Hierusalem pergeret apud Eduam ciuitatem, &c. Actum est hoc publicè apud Trecassinam vrbem in claustro S. Ioannis Baptistæ* (nunc S. Blasius dicitur) *de castello* VII. *Idus Octobr. &c. anno ab Incarnatione Dom.* 1122. *&c.* Primum autem iter arripuit secunda viuente coniuge; vt ex hac epistola liquet, imo & ipsa prægnante, & partui proxima; vt est apud Pitnoeum; sed fortè votum probante. Redierat vero 1119. cùm eodem anno ab Order. Vital. lib. 12. hist. suæ Ecclesiast. pag. 857. dicatur interfuisse Concilio Remensi & à Calixto II. cum turmis militum Moguntinensi Archiepiscopo obuiam missus fuisse.

Ad Epist. CCLXVI.

Waleranni Britulienfis.) Hic è Vicecomitum Carnutensium, seu Puteacensium Dominorum originem ducebat, viuebatque Guillelmi II. Anglorum Regis tempore apud Order. Vit. lib. 3. pag. 485. filius erat Hilduini, siue Gelduini Carnutensis Vicecomitis, qui fundator Britoliensis monasterij extitit Diœcesis Beluacensis circa annum 1040. ex Loueto histor. Beluacensis lib. 4. c. 3.

Ad Epist. CCXLVII. *&* CCXLVIII.

Radulphi) de Balgentiaco, vt ex Epistola sequente constat.

Ad Epist. CCL.

Hanc Epistolam scriptis mandatam fuisse contendit Baronius anno 1114. num. 9. cui non reluctor ex infra namque dicendis cum ipso conueniam.

Radulphum Roffensem Episcopum.) Præter ea quæ habet Iuretus ex Harspfeldio hæc addam, qui duodecimo sæculo c. 15. pag. 325. de ipso sequentia scribit. *Henricus* (nempe I. Angl. Rex) *cum iam magna infamia flagrare inciperet, & vereretur ne sempiternas fœdissimæ cupiditatis suæ notas subiret, nequeiam posset egregio illo, de quo diximus, simulationis artificio ampliùs vti, vt eas fugeret, seriò de Pontifice Cantuariensi in Anselmi locum surrogando cogitarè cœpit. Et licet ipsius voluntas in Farisium Abingdonensem Abbatem maximè ferretur; totam tamen deliberationem in Episcopos reiecit, contestatus eos, electionis suæ Deo accuratam rationem reddituros. Cumque quidam in ea essent sententia, vt aliquem de clero, quique vitæ monasticæ non fuisset initiatus, selegendum cuperent, restitere cæteri & insolens exemplum, exclamare, quòd solo Stigando niteretur, qui improbam illius dignitatis ingressionem fœdiore, & turpiori egressu contaminarit. Nec tamen Farisius arridebat, vel quia nimiam eius asperitatem timebant, vel quia externus esset. Ex quo genere, etsi in duos selectissimos incidissent non tamen tam sterilem esse patriam dicebant, vt non domi haberent, qui propter summas, summoquè Pontifice dignas dotes, illi dignitati sustinendæ pares essent. Et inter eos Rodulphum Roffensem Episcopum, cuius religiosa & sancta vita, omnis etiam minimæ infamiæ notam semper effugerat. Qui posset propter doctrinæ magnitudinem, de rebus omnibus solidè, verèque iudicare, & propter eloquentiam elegãter de eisdem, & ornatè dicere. Promptissimis igitur omnium suffragiis Radulphus renunciatus est Cantuariensis Episcopus, post quinquennium à morte Anselmi. Genere Normannus fuit, & Sagiensis in Normannia monachus, & deinde loci illius Abbas, quem ille locum valdè sua industria tenuem priùs & exilem locupletauit, & amplificauit. In magna aliquando cum Roberto Belesmensi; illius prouinciæ principe, gratia positus; à qua posteà prorsus excidit, & è Normannia eiectus est, quod fidem & sacramentum clientelæ contrà Papæ decretum præstare recusasset. Profugit itaque in Angliam, vbi aliquandiu apud alios commoratus, ad Anselmum, cuius ab adolescentia, consuetudine familiariter vsus fuerat, concessit. Qui Gundulpho Roffensi Episcopo de mortuo, eum posteà substituit. Cum iam in Episcopum consecrandus esset, aiunt Anselmum Deum accuratè rogasse vt prognosticon huiusmodi Rodulpho subiiceret, quo appareret diuinum quoque iudicium suo respondisse. Replicato itaque Euangelio, is primum se locus obtulit. Erunt similes Angelis Dei. Pallium Rodulpho, per Romani Pontificis legatum, (nepos fuerat ex sorore Anselmi Cantuariensis,) delatum est. Aduenerat priùs in Anglam legationis nomine Guido, & post Anselmum Petrus. At Henricus nullum alium legatum, nisi Cantuariensem Archiepiscopum agnoscere voluit. Hac de causa Radulphus cum Hereberto Noruicensi Episcopo Romam delegatus est. Qui literas à Paschali ad Episcopos, & Regem detulere de Cantuariensis sedis prærogatiua, quam fartam tectam & immunem prorsus esse voluit. Paschali defuncto, quem nonnisi per nuntios, propter bellum quod Imperator aduersus eum gessit, conuenire potuit, ac deinde Gelasio etiam, quos præsens de dignitatis suæ, contra intercessorem Thurstinum Eboracensem, defensione interpellare cogitarat; reuersus in Angliam ad Calixtum, qui Remis in Galliæ concilium cogebat, nuncios eadem de causa ablegauit, &c. Cui cùm alii quibusdam Angliæ Episcopis interfuit. Thurstinus Eboracensis. Et licet legati Rodolphi benignè audirentur, & de optimo suæ causæ exitu benè sperarent, spe tamen sua frustrati sunt. Calixtus enim contrà omnia antiquitatis exempla Thurstinum consecrauit, &c. Paralysis Rodolphum reuersum grauiter infestabat. Qui licet vir esset prudens, grauis, & magni consilij; nimia tamen morbi illius vi magis incitatus, iracundia, si quid præsertim in dignitatis, & Ec-*

clesiæ suæ iniuriam tentaretur, efferuescere solebat, adeò sanè, vt cùm Windisoriæ Henricus defunctâ Mathilde, Adelidi Ducis Lotharingiæ filiæ matrimonio copulandus esset, & Rogerus Sarisburiensis Episcopus sacra mysteria (quibus celebrandis propter linguæ titubationem, & offensionem ineptus Rodulphus videbatur) celebrare, quasi ea sibi prærogatiua, in sua præsertim diœcesi præ aliis deberetur, tentasset. Rogerum vestibus sacris iam ornatum, illis spoliarit, & Guillelmo Vintoniensi id munus delegarit. Postridiè etiam Rege ad sacra audienda astante diademate redimito, illud capiti regio (quod illud, se inscio, impositum esset) detrahere conatus est: & detraxisset, nisi partim magno hominum murmure, & strepitu: partim precibus intercedentibus superatus, ab ea se cogitatione abstinuisset. Obiit deinde ad annum Christi CXXII. *suprà millesimum Pontificatus sui anno nono.* Ex quo colligo; Rodulphum anno 1114. Cantuariensem sedem occupasse, atque ideo hanc Epistolam ei missam eodem anno quo Roffæ adhuc præerat. De ipso V. Order. Vital. lib. XI. hist. suæ pag. 812. & Matth. Parid. in hist. Anglic. in Henrico I. quorum postremus illum 6. Kal. Maij anni 1114. in Cantuariensem seu Dorobernensem, qui idem est, electum Archiepiscopum scribit, Cantuariensium vero Archipræsulum tabulæ id temporis scriptæ ipsum anno 1123. ab humanis excessisse tradunt. Dicunt enim *Anno ab Incarn. D.* M. C. XXIII. *Radulphus Archiepiscopus* XIII. *Kal. Nouemb. obiit: cui Guillelmus Curbulensis canonicus regularis post aliquot annos successit.*

Ad Epist. CCLI.

Iotrensis Monasterij.) Iotrum, Monasterium est Virginum Benedictini ordinis in diœcesi Meldensi ad Matronam, quod condidit Ado S. Audoëni Rothomagensis præsulis frater, ex Aimoino lib. 4. c. 41. & Vincentio Beluacensi lib. 23. c. 91.

Ad Epist. CCLIV.

Domno Gaufrido Rothomagensi Archiepiscopo.) Electus, seu nominatus fuit ab Henrico I. Normannorum Duce, & Anglorum Rege anno 1111. ex Orderic. Vit. lib. XI. pag. 840. *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini* M. C. XI. *Indict.* IV. *Goiffredus Brito Cenomannorum Decanus à Rege Henrico in Angliam ascitus est, & Rothomagensibus Pontifex constitutus est. Hic eloquentia, & eruditione pollens, clerum, & populum catholicè docuit, Ecclesiæque Dei 17. annis vtiliter præfuit.* Obiit autem ex eodem Vitale lib. 12. pag. 888. Indictione VII. VII. Kal. Decembris. Quo vero anno scripta fuerit hæc epistola non liquet, sed post 1111. missam asserere licet, & fortè anno 1113. aut 1114.

Ad Epist. CCLV.

S. Fusciani.) S. Fusciani Abbatis est ordinis S. Benedicti diœcesis Ambianensis à Fredegonde Francorum Regina condita, & fundata, & ab Ingelranno Ambianorum Comite restituta circa 1080.

Ad Epist. CCLVII.

Odonem Sancti Georgij Priorem.) Hæc Ecclesia S. Georgij de Gameyo diœcesis Trecensis S. Quintini Beluacensis cœnobio addicta est à Philippo Trecarum Episcopo Iuonis tempore; cuius donationis tabulas referunt, Louuet. in hist. Beluac. lib. 4. c. 15. & Camuzatus in Prompt. antiq. Trecen. fol. 117. sicut & concessionis præbendæ in Trecensi Ecclesia folio 118. Potuit autem hæc Epistola mitti anno 1114.

Ad Epist. CCLVIII.

Baronius ad annum 1107. num. 6. Hanc scriptam esse contendit: non contradico, cum eodem anno Paschalis, cui pro Huberto Syluanectensi Episcopo scribit Iuo, Trecis synodum habuerit.

Ad Epist. CCLIX.

Radulpho Abbati S. Quintini Beluacensis.) Ab Iuone scilicet quarto, qui grauem excepit litem aduersus Gerlonem seu Serlonem Sancti Luciani Abbatem pro molitura Pistrini Sancti Quintini Beluacensis. Viuebat autem Rodulphus ille & canonicorum regularium S. Quintini cœtui præsidebat ab anno 1105. ad 1136. ex Louueto hist. Belu. lib. 4. c. 15. cuius fortassis anno 9. hæc tabella Radulpho Viridi Remensium Antistiti ab Iuone missa est.

Ad Epist. CCLX.

Gallone seu Wallone Parisiorum Episcopo vt quidam scribunt Cardinalitia dignitate aucto Stephanus de Garlanda regis Cancellarius qui Ecclesiæ Parisiensis cathedræ inhiabat, de eo ad Beluacensem transferendo cogitauit; vt ipse quem Gallo eiuraret præsulatum obtineret. Ea de re Stephanus PP. Paschali apud quem malè audiebat, mentem aperuit, quo ad votum non respondente, quid sibi agendum foret consulit Iuonem, commisso Galtero Ecclesiæ Carnotensis Archidiacono toto negotio. Obtinuisse vero tandem Galonem ad Beluacensem sedem transferri seque ad Parisiensem euehi asserunt. Quod sanè pace eorum non ita esse dixerim. Galonem enim numquam inter supremi Ecclesiæ senatus Patres allectum fuisse audacter assero, cùm Iuo qui ad eum plures scripsit Epistolas & Aimoinus seu ipsius continuator qui eius lib. 5. c. 50. meminit, nusquam ipsum nisi Parisiensem Episcopum nuncuparunt, deinde Iuo qui Galoni superuixit, (è viuis enim abiit Galo 1114. 7. Calend. Martij: Iuo 10. Kal. Ian. 1115.) dignitatem non reticuisset, quæ ad eius splendorem multùm conferebat. At Galonis Cardinalis in Gallia legati quem Lutetianum Antistitem volunt constitutiones tomo 6. Bibliothecæ SS. Patrum Margarinus *de la Vigne* & Seuerinus Binius 1. parte tom. 7. Concil. general. referunt pag. 539. sed nec ipsius sunt statuta: immo alterius Cardinalis eiusdem nominis. Quod ex eo probari potest quod Vghellus & quidam alij Galonem Parisiensem Episcopum, Presbyterum Cardinalem à Paschale II. creatum contendant. Verùm Galo cuius constitutiones hominum manibus teruntur, non Cardinalis Presbyter, sed tantum Dia-

conus Sanctæ Mariæ in Porticu enunciatur. Vt prima fronte legentibus occurrit, & quod amplius est non Gallo ab Onuphrio, sed Iacobus Gualla appellatur. Vt vt sit Gallorum legatum in Gallias lego; sed anno 1216. quo ad Philippum Augustum Francorum, & Ioannem Anglorum Reges vt eos compesceret, pacemque cum ipsis componeret Innocentius III. misit; vt apud Mattheum Parisiensem. Videre est pag. 194. sed hic non est Galo Parisiensis. Dices legatum fuisse à latere quæ dignitas Cardinalibus solis competit, legatum fuisse Galonem Parisinum nego: quodque legatio à latere solis Patribus purpuratis hoc tempore conueniret, inficior. Longinus quippe apud Baronium eum tantum apud Pelones Nuncium cum potestate legati de latere ad Boleslaum missum scribit; apud Gallos nemo, Qui enim legatus fuisset in Gallia cum è Polonia redeunti Lutetianus ei Pontificatus obtigit, quo contentus inter suos vixit, nec vmquam in actis publicis, (quæ plura legi) legatum se scripsit, aut Cardinalem, quod certè non obmisisset, cum ad personæ decorem plurimùm faceret. Rursus à latere legati dicuntur quicunque viuæ vocis Papæ oraculo delegantur, siue sint Episcopi, siue capellani (quod aiunt) aut officiales; vt speculator qui est Guillelmus Durandus olim Decanus Carnotensis tit. de legato. Quot sint genera legatorum. §. Lateran. & Hostiens. in summa post princip. tradunt, propter reuerentiam summi Pontificis, cuius fimbriam vestimenti tetigerunt. Nec omnes legati etiam à latere ante Gallonis tempus erant Cardinales, 2. q. 6. c. decretor. & si quis Episcopus & Glossa in caput *Excommunicatis extra de officio legat.* & cap. *Ad eminentiam de sententia excommun.* Vt enim annotauit Platus lib. de Cardinalis dignit. & officio c. 32. Callisto secundo Pontifice, id est anno circiter 1120. ingens illa & fœda contentio inter Imperatores & Pontifices, quæ quinquaginta propemodum annis totam Ecclesiam continenter turbarat, tandem trium Cardinalium legatorum egregiâ operâ planè sublata est, & quidem cum magna Ecclesiæ dignitate restituto ei iure conferendi beneficia, quod Imperatores inuaserant. Hi autem Cardinales lectissimi fuere Saxo è Comitibus Presbyter, Lambertus Ostiensis Episcopus, & Gregorius Paparescus Diaconus, quorum quidem hi duo posteriores: Deinde etiam Pontifices fuere, Alter Honorius II. Alter Innocentius II. quoque eius nominis. Multo vero etiam magis eiusmodi legationes non multo post ab Alexandro tertio frequentari cœptæ. Sed nec Galonem, etiamsi legatione functus fuisset, Cardinalem ex eo asserere licet. De stilo & vsu quidem Curiæ Romanæ ab eo tempore Cardinales soli legati à latere dicuntur cum partem corporis Papæ efficiant, argum. *can. si quis cum militibus. 6.* q. 1. §. *Verum.* subtilior enim est, quam vetus glossator Vincentius, affert distinctio, quod legati qui non sunt Cardinales, dicuntur à latere: qui vero Cardinales, de latere, propter quamdam coniunctionem & proximitatem quam habent cum Papa. Verùm hæc distinctio destruitur per caput xx. *Ad Eminentiam de sentent. excommunic.* Vbi textus loquens de Cardinali, ipsum appellat absque addito, à latere, quasi Cardinalatus propria sit, à latere legatio, quod tamen ad rem nostram nihil efficit, cum id post Iuonis Gallonis ætatem contigerit. Non igitur Galo sicut nec legatus: ita nec Cardinalis & Episcopus Beluacensis, cùm Episcoporum Beluacens. non tantùm series in qua non reperitur, sed eius occasus qui anno 1114. accidit, repugnent. Potuit fortè Stephan. Galardensis, qui apud regem ex chronico Mauriniacensi omnia poterat, translationem Galonis ad Beluacensem sedem tentasse; sed ipsius mors superueniens omnes Gallandæ conatus elusit, nec Beluacensi, nec Parisiensi Episcopatibus donatus (hunc enim Gillebertus: illum Gaufridus obtinuerunt) inanis remansit, & non nisi Gilleberto vita anno 1123. functo, in Parisiensem ex Archidiacono assumptus est. Hanc autem Epistolam scriptam anno eodem 1114. existimo.

Ad Epist. CCLXI.

Hugoni videlicet filio Geruasij.) Geruasius hic erat castri noui in Thimeriaco Dominus Carnotensis diœcesis & Archidiaconatus Drocensis, quo iure eum suum Parasianum Iuo appellat.

Genealogia autem, vt dicitur, sic se habet.) Eadem ferme recitatur à Quercitano ad calcem hist. Normann. probatque locis citatis. Sed quia in aliquibus dissentit, eam, vt verè habenda est, hic apponam.

Gonnor primo fuit concubina, deinde vxor Ricardi I. Normann. Ducis. ex Gemeticen. lib. 8. c. 36. *Ex ea vero suscepit*	1	*Sainfria soror Gonnoris*; ex Gemetic. lib. 8. cap. 36. *fuit vxor cuiusdam forestarij è quibus prodiit*
Ricardum II. vt habet Quercetan. hist. Norman. pag. 2. & 213. qui Indithàm Comitis Britanniæ Goffredi filiam duxit vxorem, vt scribit Gemetic. lib. 5. c. 13. *quæ ei peperit*	2	*Joscelina vxor Hugonis de Montegommerici*, ex eodem Gemeticen. lib. 8. cap. 38. *quam matrem fecit*
Robertum Ducem Normanniæ post Richardum III. fratrem, ex eodem Gemetic. ibid. & c. 17. & lib. 6. c. 3. *Qui ex concubina Harleua, aliis Herletta genuit*	3	*Rogerij de Montegommerici, Roberti de Belismo patris: ex Mabilia vero Guillelmi Taluatij Belismensis domini filia, Rogerus ille filios & filias habuit, inter quas.* ex eod. Gemet. l. 7. c. 16.
Guillelmum Nothum, ex eodem Gemetic. lib. 6. c. 12. & lib. 7. c. 1. *Hic verò ex Mathilde Balduini Flandrensis Comitis filia vxore sustulit*, vt refert Order. Vit. lib. 4. pag. 512. & lib. 7. pag. 638.	4	*Mabilia Hugonis de Nouocastello vxor*, vt est apud Order. Vital. lib. 4. pag. 546. *à qua nata est*
Henricum I. post Robertum & Guillelmum Ruffum fratres Angliæ Regem & Normannor. Ducem, qui ex pellice forte Elizabetha Waleranni Comitis Meletensis sorore, natus est, vt scribunt Gemetic. lib. 8. c. 29. & lib. 7. pag. 638.	5	*Mabilia, quæ Geruasio nupsit, cui Castelli noui honorem detulit*, vt est in Cartulario Abbatiæ Columbensis pro terra Barleti duarum Ecclesiarum. Ipsis autem successit
N. quæ nupsit Hugoni de Castronouo, nescio an sit Maria quæ in famoso illo naufragio, quo omnis flos Gallicanæ nobilitatis perÿt, vndis absorpta est. vt refert Polid. Virg. lib. 11. hist. Angl. sub finem & alij, *cum alias Henrici filias denominatas alibi videam & matrimonio collocatas. Hanc autem nullibi nisi apud prædictum.* Polid. Virg. leg.	6	*Hugo eorum filius primogenitus de quo hic agitur.* Iuonis autem sæculo cognatio inter à communi stirpe descendentes computabatur vsque ad 7. gradum; vt supra ad epist. 45. notauimus.

Ad Epistolam CCLXII.

Hæc epistola quæ legatur digna est, & scripta videtur 1114.

Ernaldum modo monachum vestrum: olim clericum nostrum.) Decanum fuisse Carnotensem colligitur ex epist. 7. lib. 2. Gaufridi Vindocinensis, & ex his quæ ad eam annotauit Sirmundus.

Ad Epist. CCLXIII.

Ius Præpositorum.) Grauabant Capitulum Præpositi, & angariis ecclesiasticos inferiores ipsius vexabant. Primarij collegij sodales sacri apud Iuonem de illorum vexationibus conquesti sunt, & rei malè gestæ eos insimularunt. Pro ipsis scripsit summo Pontifici, qui sequentem Bullam ad eos misit Præpositorum Iurium infirmatiuam. *Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filÿs canonicis ecclesiæ Carnotensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex Venerabilis fratris nostri Iuonis, per Dei gratiam Episcopi, literis intelleximus, quòd pro quibusdam quærimoniis decretum instituerit. Ipsum quoque decretum oculis nostris inspeximus, in quo continebatur ecclesiæ vestræ canonicos apud eum clamorem, & quærimoniam fecisse de Præpositis suis, qui priuatis commodis inhiantes, omnem fratrum vtilitatem in quibuscunque poterant, minuebant, & quasdam res eis iure debitas, per iniuriam sibi retinebant, pauperes ecclesiæ sub eorum patrocinio constitutos, diuersis calamitatibus afficiebant, quas calamitates idem episcopus in eiusdem decreti scripto dinumerat, & enumeratis eis subsequitur.* Consilio optimatum nostrorum decreuimus canonicas iustam habere causam & præcepimus ne in rusticis ecclesiæ Præpositi deinceps has exactiones habeant, nec vlterius communem in supradictis vtilitatem minuerent. *Hoc nimirum decretum, hoc præceptum à supradicto confratre nostro vestræ ecclesiæ Episcopo constitutum, quia iustum, ac rationabile visum est, & quieti ecclesiæ commodum, nos Deo aspirante laudamus, & Apostolicæ sedis auctoritate firmamus. Item in subsequentibus idem scribit Episcopus se concessisse, vt beneficia ecclesiæ, quæ precariæ dicuntur, & factæ erant precariæ (quia quod omnium erat, quatuor vendebant) in communes redigerentur vsus, & eadem beneficia propriis vocabulis annotando, dinumerat. Hanc quoque concessionem nos ratam asserimus, & Apostolicæ sedis auctoritate firmamus. De domibus etiam canonicorum concessionem ab eodem Episcopo factam, sicut à prædecessore ipsius Froboldo Episcopo constituta est, decreti præsentis assertione corroboramus. Si quis igitur decreti huius tenore cognito, temerè, quod absit, contraire tentauerit, honoris, & officij sui periculum patiatur: aut excommunicationis vltione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, Amen, Amen, Amen. Datum Anagniæ per manum Ioan. S. R. E. Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarij,* v. *Kal. Nouemb. Indict.* VIII. *Incarnationis Dominicæ*

nicæ anno M. CXIV. *Pontificatus autem D. Paschalis II. Papæ* XVI. Quæ quidem Bulla, cùm ad Præpositorum notitiam deuenisset, aduersus Iuonem regem Ludouicum commouere nisi sunt, literasque seu epistolam ipsius ad eundem Iuonem obtinuerunt, cui hâc respondet. Erant autem tunc in ecclesia Carnotensi quatuor Præpositi, Belsiæ videlicet, Nongenti fisci, Amilliaci & Fontaneti, qui proprio arbitrio res canonicorum administrabant & dilapidabant, quod acerbiùs ferentes canonici, eos exauctorari, & reditus facultatesque collegij sui in commune reponi curarunt. At vero ne ecclesia in dignitatibus dispendium pateretur, quatuor precarias seu dominia eis suffecerunt, à quibus denominationem qui Præpositorum nomen retinuerunt prioribus exactis nacti sunt, hos siquidem mutata veteri appellatione Præpositos de Vuogradu seu Iugreyo, de Normannia de Masengeio, & de Auuersio nuncupant. Ex supradictis autem Bulla & Epistolâ hanc labente vere, & iam ad æstiuos calores anni 1115. vergente scriptam puto.

Ad Epist. CCLXVI. CCLXVII. CCLXVIII. & CCLXIX.

Coneni Prænestino Episcopo.) S. S. A. legato de quo Robertus de Monte Sigiberti continuator ita scribit. *In ciuitate Beluacensi à Conone sedis Apostolicæ legato Concilium celebratum est. Hic est Cono vnus ex illis religiosis qui eremiticam vitam apud Truncum Berenger primo duxerunt, & Arroasiani ordinis auctores extiterunt, qui ordo vsque hodiè floret & crescit.* Immò vero Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ad an. 1090. Aroasiense monasterium quod Gallicè dicitur *Erouaige*, in finibus Artesiæ ad Truncum Berengarij à Conone Teutonico Apostolicæ sedis Legato & Cardinale Prænestino (qui idem cum isto est) adhærentur Haldemaro Tornacensi Eremita presbytero exædificatum scribit anno 1090. iuxtà hos versus,

Anno milleno Domini, deciesque noueno
Norma Berengarij trunco noua cœpit haberi.

Plura de isto monasterio; quod caput viginti sex monasteriorum, seu potius cœnobiorum ordinis canonicorum regularium extitit, scire cupienti. Legendi sunt ipse Ferreolus Locrius vbi supra, Molanus 4. Maij, Gazæus in catal. Episcoporum Atrebatensium, Massæus lib. 16. Chronici, & Iacobus de Vitriaco historiæ suæ Occidentalis c. 23. & alii quos ibidem Locrius citat.

De ecclesia S. Nicolai Curuauillæ.) Cum ipsam ab Iuone illius municipij domino obtinuisset Iuo noster, eam canonicis regularibus S. Ioannis in Valle Carnotensis, quos fundauerat, concessit. Patet ex literis, seu instrumento donationis, quas ex Cartulario eiusdem Abbatiæ parte 2. cap. 39. in publicum edo, quæ eiusmodi tenoris sunt. *Ego Iuo Carnotensis ecclesiæ minister, &c. Notum facio quod Dominus Iuo de Curuauilla nostram adiit præsentiam permotus virtute Spiritus sancti, recognouit humiliter tàm se, quàm suos antecessores iniustè, & contra legem Dei tenuisse Ecclesiam S. Nicolai de Curuauilla. Post tam salubrem igitur recognitionem, quam Spiritus sancti gratia cordi ipsius infuderat, eodem Spiritu inflammatus prædictam ecclesiam in manu nostra dimisit; vt de cœtero nec ipse, nec aliquis heredum suorum quicquam inde reclamaret, & pro remissione peccatorum suorum, & animarum antecessorum suorum liberatione, arbitrio nostro ordinandam reliquit. Nos autem in Capitulo nostro, omnibus prælatis ecclesiæ nostræ præsentibus, necnon cœteris fratribus tàm maioribus, quàm minoribus, cum assensu omnium, assentientibus etiam canonicis prædictæ ecclesiæ S. Nicolai, & idem fratribus deuotè postulantibus, concessimus ipsam ecclesiam fratribus de S. Ioanne regulariter viuentibus in vsum eorum, & stipendia perpetualiter habendam, &c. Vt autem hæc concessio à posteris nostris firmissimè teneatur, verissimaque credatur, duplici sigillo B. Mariæ scilicet & nostro ipsum firmauimus, & subscriptione nostri nominis roborauimus in manibus optimorum virorum roborandam & signandam tradidimus. S. Iuonis Carnotensis Episcopi. S. Arnaudi Decani, S. Gerogij Cantoris, S. Hugonis Subdecani. S. Gaucherij Archidiac. S. Guarini Succentoris, S. Gasleni Archidiac. S. Odonis Archidiac. S. Landrici Archidiac. S. Aulgerij Archidiac. S. Wlgrini Cancellarij. S. Radulphi Camerarij. S. Hugonis Præpositi, S. Gaufridi Præpositi, S. Fecanni Præpositi. S. Henrici Præpositi. S. Ebrardi Capicerij, S. Garini Præpositi. S. Caraceni, S. Haymonis Sacerdotis, &c. S. Hugonis. S. Andreæ Decani, S. Huberti Diaconi, &c. Data per manum Wlgrini Cancellarii. Anno ab Incarnatione Domini MC. XV. Indict. VIII.* Maioris autem monasterij ascetæ donationis illius odio, aduersus S. Ioannis Valliacensis canonicos litem mouerunt, sibi priùs concessam ecclesiam causantes. Canonicorum quibus ecclesiam contulerat patrocinium suscepit Iuo, & pro eis contrà Turonenses monachos summo Pontifici hanc Epistolam scribit eodem videlicet anno, quo præcedentis donationis instrumentum factum est, cùm lis illa sit eo posterior, quæ tandem procurante Guillelmo Catalaunensi Episcopo, & Pertici Comite sopita est 3. Kal. Decembr. 1119. Indict. 12. vt ex eodem S. Ioan. Cartulario apparet.

Gerogius.) Curuæuillæ dominus. Id ex Cartulario S. Petri in Valle Carnotensis certum est, in quo hæc leguntur. *In nomine Domini, Amen. Ego Philippa Curuauillentis, & Iuo filius meus, &c. Memoriæ assignamus, quòd bannum, quod à prædecessoribus nostris; Iuone scilicet, & Gerogio, in villa quæ Pomeriaca dicitur, habebamus; &c. concedente domino, & patrono nostro Niuelone, Domno Eustachio Abbati Carnotensis cœnobii, ab omni inquietudine absolutum dedimus, &c. Hæc ergo acta sunt anno ab Incarnatione domini MXCIV. mense Martii Indict. II. Philippo rege regnante, Iuone Carnotensis Episcopo præsidente.* Sed eius quoque meminit Order. Vital. lib. hist. suæ 4. pag. 489. dum de Ernaldo de Escalfrio Willelmi Geroiani filio scribit, qui à Mabilia Taluacij filia, & Rogerij de Monte-Gommerici vxore, de qua supra ad Epist. 261. diximus, toxico appetitus, ni præsens antidotum adfuisset, cum morte commutasset vitam. *Deinde*, inquit, *pestiferas potiones hæc præparauit: ille autem Ernaldo domino suo, & Geroio de Cor-*

beuilla, atque Willelmo cognomento Goüet de Montemiralio (vnde Perticum Goueti) *propinauit. Sic vna tabe tres Proceres apud Corbevillam simul infecti sunt. Sed Geroius, atque Willelmus, qui ad proprias domus delati sunt, ibique sui curam ad libitum suum exercere potuerunt, Deo effectum remediis medicorum præstante, conualuerunt, &c.* Quo loco mentió fit apparitionis S. Nicolai Ernaldo superiùs nominato ex veneno decumbenti, factæ, ex qua fortè deuotio Geroïo innata est, vt posteà eidem sancto Ecclesiam, de qua hic quæstio, suo in oppido struxerit, fundarit, & dedicari procurarit.

Monachi maioris monasterij, qui in vicina quadam cella morabantur.) Apud Chuisuæ cellam videlicet Iuonis primi Curuæuillæ domini tempore fundatam, vt ex sequente instrumento patet. *Notum esse volumus S. Dei ecclesiæ filiis tàm præsentibus, quàm futuris, quia cum Grulermus Presbyter salutari animæ suæ solicitudine permotus, in pago Carnoterio in loco qui dicitur Chouina, ecclesiam in memoria SS. Martyrum Geruasii & Prothasii construxisset, & circa eam habitationes monachorum conuersationi habiles disposuisset, ipsam ecclesiam, & cellas quas ædificauerat, cùm omnibus quæ ecclesiæ illi condonauerat, domino, & S. Martino Maioris monasterii concessit, Domnoque Abbati Alberto, cœnobio quod Maiusmonasterium dicitur, prælato, in manus contulit, vt orationum, & beneficii eorum particeps factus, æternæ sibi remunerationis præmium adquireret, fecit. Cœpit autem idem Guilermus cognomento prædicator, cum prædicto Abbate & fratribus Maiorismonasterii huiusmodi compositionem, vt Abbas ipse vel successores eius, illam cellam pro voluntate sua ad domini seruitium delectos monachos illùc de suis iuxtà arbitrium suum, & loci facultatem mittant, qui inibi regulariter viuendo domino deseruiant: neque vnquàm cella illa, vel ecclesia proprios Abbates habeat; sed semper Abbati Maioris monasterii subiaceat, qui de suis illis monachis, quos, & quot, & quandiu voluerit, habitare faciat. Horum omnium testes multi sunt, quorum aliqui huic notitiæ ad testimonium, si necesse fuerit, subscripti sunt. Iuo de Curbauilla, Letherius Bursardus, &c.* Quod autem Chuisuæ prioratus fundatus fuerit Iuonis Curuæuillæ domini ætate, patet ex confirmatione donationis ipsius Monachis Maioris-monasterij per Gelduinum de Bretullio, & filium eius Harduinum Vicecomitem Carnotensem factæ, qui anno Domini 1049. viuebant; vt ex Loueti historia Beluacensi lib. 4. c. 8. constat, quâ & ipse Iuo, qui in tabulis concessionis, vt testis nuncupatur.

In viginti quinque annis, quibus in Episcopatu moratus sum.) Ergo viginti quinque annorum Iuonis sedes apud Carnutes fuit. Ergo cum è viuis exierit x. Kal. Ianuar. M. C. XV. anno 1090. sedem eius incepisse necesse est. Quod ex instrumento quodam quod penes me habeo pro ecclesia S. Nicolai, quæ in claustro ædis præcipuæ Carnotensis sita est, liquet, in cuius data hæc leguntur, *Facta est autem hæc cartula Anno ab Incarnatione Domini* MCXIV. *ordinationis vero Domini Paschalis Papæ* XVI. *atque ordinationis domini Iuonis Carnotensis Episcopi* XXV. *Regnante rege Galliæ Ludouico Regis Philippi filio.* Ex quo & ex his quæ retulimus suprà annotatione secunda, hanc Epistolam, ante Paschæ anni MCXV. festum more Romano, & nostro iam vulgari supputando, scriptam fuisse planum est, quamuis Baronius eam anno 1114. missam num. 11. scribat, qui tamen excusari posset, si supputatione Gallica, quâ annus à Resurrectione Domini incipiebat, suos annos numeraret.

Ad Epist. CCLXX.

Turgedo Abrincensi Episcopo.) Ex Order. Vit. lib. 4. hist. suæ pag. 507. Turgisus suffectus est in Episcopatu Abrincatensi Michaëli, Ioannis ad Rothomagensem cathedram euecti, successori, presulatumque ferme 30. annis tenuit. Et lib. 12. pag. 889. ad annum 1129. Indict. VII. *Eodem anno*, inquit, *Henricus Rex* (Anglorum I.) *Iofredo Andegauorum Comiti Mathildem filiam suam dedit, quos Turgisus senex Abrincarum Præsul Pontificali benedictione coniunxit.* Vnde epistolam hanc, non; vt scribit Baronius, anno 1094. num. 15. scriptam censeo, cùm ex his quæ retulimus, nondum esset Abrincensis Pontifex. Si enim Abrincensem occupauit sedem fermè 30. annis, & vixit anno 1129 certè hanc ei vt episc. Abrincatensi scribi non potuisse 1094. verum est; sed tantùm sequente, quo Iuo è viuis excessit.

Ad Epist. CCLXXI.

Conferenda hæc Epistola cum 265. & his quæ ad illam diximus, Potuit vero scribi eodem anno quo præcedens.

Ad Epist. CCLXXII.

Reginaldo D. G. Andegauensium episcopo.) Dictus fuit de Meduana, siue de Martiniaco, Brientij Castri ab eo denominati Domini, filius qui ad Remensem posteà transiit 1124. vel circa. Electus vero fuerat Andegauensis post Gaufridum de Meduana, qui eiurato episcopatu ad Cluniacenses se contulit anno 1102. Ita enim Chronicon S. Albini Andegauensis. *Anno* M. XCIII. *ordinatus est Gaufridus filius Hugonis de Meduana* VIII. *Kal. Decembr. vix* VII. *annis in Episcopatu mansit. Accusantibus namque & conquerentibus plurimis apud Papam, quod eo iubente Neophytus & pene illiteratus fuisset ordinatus, monitu eiusdem Vrbani Papæ sedem deserens monachus Cluniaco factus est. Post cuius abscessum ordinatus est Andegauis Episcopus Rainaldus prid. Id. Ianuarij anno* M. CII. In alio tamen vetere Chronico eiusdem monasterij S. Albini, cuius excerptum MS. habeo, hæc lego: *M. XCVI. Gaufridus de Meduana ordinatus est Episcopus.* Vnde mendum in priore data irrepsisse suspicor. Melius enim hoc postremum cum dictis conuenit. Quare perperam; meo iudicio, Robertus Andegauensium præsulum serie, Abbatiæ de Rota ecclesiam à dominis Credonensibus fundatã anno 1099. Reginaldum consecrasse, scribit. Quo autem anno scripta fuerit hæc epistola non satis constat.

Ad Epist. CCLXXIII.

Pro Baiocensi episcopo.) Ricardo Samsonis filio, qui Turoldo successit circa 1109. ex Order. Vital. lib. 10. pag. 765. & episcopatum 26. annis tenuit. Obiit vero ex eodem Order. lib. 13. pag. 897. anno 1133. ipsa hebdomada Paschæ.

Ad Epist. CCLXXV.

Niuernensem Comitem.) Guillelmum videlicet, qui à Theobaldo Carnotensi Comite detinebatur in vinculis, cuius his verbis meminit frater Andræas in vita Roberti Arbresellensis, Fontebraldensis monasterij & ordinis institutoris. *Carnotensibus itaque pacificatis, fidelis verbi Domini dispensator, Carnotensem vrbem nunquàm ad eam postea remeaturus reliquit, coniunctoque sibi Bernardo Tyronij Abbate Venerabili, cuius societas semper sibi gratissima fuerat ad castellum quod populariter Blesis dicitur, ambo insimul peruenerunt. In eodem verò castello Guillermus Niniuernis religiosus Comes incarceratus tenebatur, eò quod Ludouici Regis Franciæ partes pro pace tenenda aduersus Carnoti Comitem ipse tueretur. Hic etiam Guillermus exigentibus vitæ suæ meritis, vtrique carus haberetur* & Order Vital. lib. 12. hist. suæ pag. 859. de eodem Niuernensi Comite in hæc verba scribit, Ludouicumque Crassum in Concilio Remis coacto sic Calixtum II. Pontificem Maximum alloquentem facit. *Theobaldus Comes homo meus est, sed instinctu aunnculi sui Henrici scilicet I. Anglorum Regis, contra me nequiter erectus est. Eius enim diuitiis, & potentia inflatus, in me rebellauit, & infidus mihi atrocem guerram fecit, regnumque meum ad detrimenta multorum conturbauit. Legitimum, bonumque virum Guillelmum Comitem Niuernensem, quem bene nostis, remeantem de obsidione castelli cuiusdam excommunicati furis* (Thomæ de Marla) *vbi verè spelunca latronum, & fossa Diaboli erat; comprehendit, & vsque in hodiernum diem carceri mancipauit.* Et paulo infrà: *Inde præfatus heros cum mea licentia pacificè regrediens captus est, & à Theobaldo Comite vsque hodie retentus est: licet eum multitudo procerum ex parte mea sæpè pro liberatione Comitis suppliciter requisierit, & tota terra eius ab episcopis anathematizata sit.* Hanc verò epistolam paulò antequàm hominem exueret Iuo, scriptam esse censeo; cum tertio, vel quarto die ab eius exequiis, Robertus Arbrescellensis, & Bernardus Tyronensis illum Guillermum Niuernensem Comitem visitarint.

Ad Epist. CCXXVI.

Turstinum.) Eboracensem Archiepiscopum. De quo ad Iureti notas hæc quæ sequuntur licebit addere: Ordericus Vital. lib. 12. pag. 857. de Concilio Remis congregato anno 1119. mense Octobri scribens: *In ecclesia*, inquit, *metropolitana synodus celebrata est. Ibi Papa XIV. Kal. Nouembris die Dominico Missam cantauit, & Baiocensem Turstinum Eboracensibus Archiepiscopum consecrauit: priuilegioque ne Cantuariensis Metropolitæ veluti magistro; sed quasi coepiscopo subiiceretur, donauit.* Prolixiori vero stylo Nicolaus Harspsfeldius controuersiam quæ inter Cantuariensem, & Eboracensem Archiepiscopos mouebatur, aperit his verbis quæ lucem huic epistolæ aliquam conferre possunt. *Turstino Episcopatum adepto, recruduit vetus illa inter eum & Rodulphum Cantuariensem disceptatio. In qua adeo pertinax fuit, vt à dignitate se potiùs maluerit abdicare, vrgente rege, vt vel abdicaret se, vel Cantuariensi pareret, quàm Cantuariensi sedi subjici. Posteà tamen canonici Eboracenses, nuntiis clàm Romam missis, rerum veritate suppressa, grauiter apud Pontificem Pascalem, quasi Turstinus iniustè à sede eiectus fuisset, conquesti; tantùm effecere, vt scripserit ad Regem vt in sede, sine Cantuariensis ecclesiæ tamen præiudicio, cuius dignitatem imminuere nollet, reponeretur. Quod si controuersia aliqua inter Cantuariensem, & Eboracensem ecclesias superesset, de ea se cogniturum. Ita ille post biennium quàm cum rege Normanniam transmisit, in Angliam rediit. Indicitur deinde synodus Remis in Gallia. Per Normanniam properat ad synodum Turstinus, vt sua ibi negotia expediret. Cumque venisset ad regem Rothomagi, grauiter rex aduersus eum indignatus est, quod absque sua notitia, & voluntate, Angliam reliquisset. Mandat deinde ne priùs ad synodum iret, quàm certiùs aliquid de Pontifice Romano (duo enim eam ad se sedem nefario schismate rapiebant) cognosceretur. Tota Gallia, & Anglia Calixto (qui verus, & genuinus Pontifex erat) Imperator, & alij Gregorio cuidam adhærescebant. Confluebant iam ad Calixtum Remensem synodum frequentes Episcopi, ad quam quosdam è Normannia Henricus amandauit. Adfuere etiam ex Anglia Guillelmus Exoniensis, Ranulphus Dunelmensis, Bernardus Meneuensis, Vrbanus Londinensis. Literas Rex ad Calixtum misit; quibus rogauit ne Guilielmi Cantuariensis (quem secum è Normannia, propter ægritudinem retinuit) à synodo absentiam ægrè ferret: sed ante omnia ne Turstinum, vel ipse consecraret, vel ab alio consecrari pateretur, nisi priùs maiorum suorum in præstanda Cantuariensi ecclesiæ obedientia, vestigia sequeretur. Quam Turstinus conditionem si præcisè non seruaret, sciret Angliam, & Normanniam sibi deinceps ad reditum interclusam, A qua se sententia nulla deinceps ratione inflecti velle constanter affirmat; & si sibi de regno periclitandum foret, & totius septennij anathema incurrendum. Respondit Pontifex Sifredo monacho Cantuariensi, & regis nuntio (quem Pontifex iamdiu nouerat, & cum quo Sifredus familiariter olim versatus esset.) & regis voluntatem, & Cantuariensis ecclesiæ dignitatem magnæ sibi esse curæ. Post hæc rogat regem Turstinus, vt liceret sibi cum bona illius gratia, ad synodum pergere. Et tandem licet ægrè, nec priùs quam ex fide regi data promitteret, quòd nihil contra dignitatem Cantuariensis ecclesiæ, & in illius præiudicium admitteret. At ille fidem datam mox fefellit, & rescidit, tantùmque per eos, qui apud Pontificem gratiosi erant, perfecit, vt ab eo, licet Ioanne Cantuariensi Archidiacono palam renitente, & iniuriam Cantuariensi ecclesiæ fieri clamitante (cui Pontifex regerebat, se quod ageret, salua tamen illius ecclesiæ dignitate, & sine vlla eius iniuria acturum) initiaretur. Necdum Episcopi Angliæ ad synodum aduenerant, ciùissime enim iter Turstinus expedinit, nihilque sibi reliquum ad summam*

itineris, totiusque adeò negotij celeritatem reliquit. Alij itaque ex exteris episcopis, qui ad synodum conuenerant, summo Pontifici initianti Turstinum inseruiebant. At Hubaldus Lugdunensis Archiepiscopus, & si rogatus à Pontifice, propter singularem qua dictam ecclesiam prosequebatur reuerentiam, adesse detrectauit. Hæc cum ità vt gesta erant, certa rex auditione accepisset, omnibus suis ditionibus Turstino interdicit: neque à Calixto in colloquio illo, quod apud Gisortium cum eo habuit, licet multis eius postulationibus (& inter alias quod sine regis consensu, idque in rebus solùm tam arduis & difficilibus, vt commodè per episcopos expediri nequirent, legatum suum in Angliam deinceps non mitteret) Calixtus assenserit, emolliri potuit, vt eum in gratiam reciperet. Verum enimuero cum Calixtus Cantuariensi posteà Archiepiscopo sacerdotali officio interdiceret, & regi ipsi anathema (nisi ad sedem restitueretur) denunciaret; ne cum principibus, & episcopis priùs deliberata, eorum consilio, & suam cessit, & Turstinus Eboracum rediit, &c. Vitam ad Stephani regis tempora, & ad quintum quo regnauit annum prorogauit, &c. & ante obitum pastorali onere excusso, in quietem, & solitudinem, vt imperturbatus Deo vacaret, se contulit, & monachum se apud Pontis fracti cœnobium Cluniacensium, professus est. Ex quibus Turstino tantum electo, hanc missam Paschali P P. epist. 1115. colligo.

Ad Epist. CCLXXVIII.

Roberto Dei gratia Lincolniensi.) Ordericus Vital. lib. 10. p. 765. cum Robertum Bloiet vocat. *Robertus,* inquit, *cognomento Bloiet, qui senioris Guillelmi Capellanus fuerat, eoque defuncto de portu Tolochæ cum iuniore Guillelmo mare transfretauerat, & epistolam regis de coronanda prole Lanfranco Archiepiscopo detulerat, post mortem Remigij Lincolniensem episcopatum recepit, quem plusquàm viginti annis tenuit.* Harpsfoldius vndecimo sæculo pag. 258. in Lincolniensibus episcopis, ipsum regis Guillelmi Ruffi Cancellarium, & ad triginta annos episcopali dignitate functum, apoplexiaque correptum anno 1123. è viuis abiisse, scribit. Quo vero anno præsens epistola in lucem prodierit non video, & in MS. meo deest.

Ad Epist. CCLXXX.

Domini Niuelonis Petrofungensis.) Eius mentio fit in Cartulario S. Martini de Campis Parisiensis fol. 73. & 109. vbi dicitur Niuelo de Petrafonte Drogonis de Petrafonte pater.

Suessionensis Comes.) Quis fuerit ille, prorsus ignoro, ni fuerit Agathæ de Petrafonte coniux Cono Suessionensium Comes post Iuonem Nigellensem absque liberis defunctum, qui & ipse absque prole decessit.

Ad Epist. CCLXXXI.

Canonici S. Petri Beluacensis inferunt calumniam canonicis B. Quintini.) Conquesto Paschali Pontifici summo Iuone, de variis, quas aduersus S. Quintini Beluacensis canonicos ædis præcipuæ, quæ S. Petri appellatione nota est, sodales inferebant litibus, sequentem Epistolam Ansello Beluacensi episcopo Paschalis rescribit, quæ quia huius illustrationi plurimùm confert, ex Loueti Beluacensi historiarum lib. 4. cap. 15. hic refero. *Paschalis seruus seruorum Dei. Venerabili fratri Beluacensi episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Sacerdotalis officij est, viros religiosos diligere, fouere, & à prauorum infestationibus pro data sibi facultate defendere. Tu autem B. Quintini fratres Beluacidas† gentes non solùm non diligis; sed quorundam præsumptione illicita vexari, & inquietari gratanter, vt audiui, pateris. Quòd profectò ad animæ tuæ periculum spectare ne ambigas, nisi cœteros studeas emendatione corrigere, & eorum quieti attentius prouidere. Præcipimus igitur, vt Ecclesiæ Beluacensis clericos ab ipsorum fratrum infestatione tàm in corporalibus, quàm in spiritualibus omninò compescas: alioquin & in eorum audaciam, & in tuam desidiam B. Petri gladius educetur. Præcipimus etiam, vt eadem B. Quintini ecclesia, salua tua debita reuerentia, fratrum, & coepiscoporum nostrorum Iuonis Carnotensis, & G. Parisiensis consilio disponatur & ordinetur. Porrò, quæcunque ab eodem fratre G. per Beluacensem episcopatum, vbi canonicè per Dei gratiam præsides, ceu in cœteris ecclesiis gesta sunt, rata & inconuulsa manere sancimus. Sanè de illo qui iam dictæ S. Quintini ecclesiæ præesse dicitur, cùm prædictorum fratrum volumus consilio, & causam eius sine debito terminari.* Cùm autem hoc in summi Pontificis rescripto Galonis vel Gisleberti Parisiensis episcopi, qui per G. elementum singulare designantur, fiat mentio, quorum ille vt supra diximus 7. Kal. Martij 1114. vitam cum morte commutauit, hanc tabellam eodem anno, vel præcedente scriptam puto. Confer cum hac epistola 259.

† Credo Beluaci degentes.

Ad Epist. CCLXXXII.

Non est epistola; vt rectè animaduertit Iuretus, qui ideo inter epistolas haud recensere: immò potiùs expungere debebat; sed priuilegium datum Xenodochio Castri-Dunensi, quod ibidem secundùm ecclesiam B. Mariæ Magdalenes situm est.

Ad Epist. CCLXXXIII.

Minus rectè inrer epistolas Iuonis annumeratur, cum sit benedictionis cœmeterij Tyronensis instrumentum, quam anno 1111. vel circiter contigisse arbitror. Deest enim anni nota. Quod tamen non de prima habitatione Bernardi primi Tyronensis Abbatis, sed secunda intelligendum existimo. Sic namque Gauffridus Grossus Tyronensis asceta in vita eiusdem Bernardi. *Sub eodem tempore,* inquit, *ne militi Christi Bernardo pugna laboris, atque tribulationis deesset, monachi* (S. Dionysij de Nogento Rotroldi) *quorum iam mentionem fecimus, ipsius terræ quam præfatus consul* (Rotrocus) *ei dederat, decimas, & corpora mortuorum sui iuris esse dixerunt. Qua compulsus calumnia; quæ discipuli summo cum labore fecerant ædificia, deseruit, aliudque terræ solum in quo sibi habitare liceret, quærere intendit. Illius igitur celeberrimæ Carnotensis ecclesiæ, in honore semper Virginis Mariæ de-*

catâ, Venerabilem episcopum scilicet Iuonem, atque canonicos tunc adijt, & vt sibi aliquam portiunculam prædij illius, quod suæ possessiunculæ contiguum habebant, ad monasterium suum fundandum darent, petiit. Erat namque quædam villula prædictorum canonicorum terrulæ, quam Consul Dei viro dederat, coniuncta, nomine Gardeya. Illi autem Dei famulum debita veneratione suscipiunt, clementi benignitate exaudiunt, & secundùm magnificentiam largitatis, plus terræ, quàm postulauerat concedunt. Facta si quidem donatione, cartam faciunt, atque domnum Gaufridum eiusdem ecclesiæ canonicum, & ipsius territorij Præpositum cum quibusdam personis ad ostendendam terram dirigunt. Qui postquam ad prædictum prædium peruenerunt, & decreto Capituli, iuxtà riuulum qui Tyronus dicitur, ad faciendas officinas sui monasterij, terram quam petierat ita liberam, sicuti ipsi tenuerant, tribuunt. Porrò quædam matrona regali stirpe progenita: Adela videlicet Blesensium Comitissa, eo tempore S. Bernardo latiores terræ amplitudines ad monasterium suum construendum, & loco multo viliora offerebat; quæ tamen refutabat, mallens cœnobij sui sedem locare sub protectione B. Virginis Mariæ, quam sub aduocatione qualiscunque sæcularis personæ, &c.

Ad Epist. CCLXXXIV.

Instrumentum est concessionis Ecclesiæ S. Petri Castridunensis monasterio Bonæuallensi, non Epistola.

Confirmamus etiam eis capellam S. Innocentij.) Pessima lectio, melior & rectior est *S. Vincentij* cuius titulus Carnuti adhuc extat, & eius mentio habetur in Carta Bonæuallensis monasterij à Ludouico Crasso Francorum rege, data Parisiis anno 1122. regni sui 15. De Hugone enim Puteoli domino Carnotensi Vicecomite loquens. *Dictus Vicecomes,* inquit, *gratanter accipiens, & monachorum terram pro posse suo defensaturum in fide sua se promittens, vt mala quæ eis fecerat indulgerent affectu propter donum illud quod per manum venerabilis Iuonis Carnotensis Episcopi de capella S. Vincentij & domibus suis apud Carnutum Bonæuallensi cœnobio iamdudum deuotè contulerat, &c.*

Iuxta portam cinerosam.) In acto restaurationis S. Petri Carnotensis ab Agauone Episcopo Carnotensi hæc lego. *Reddimus eis itaque terram quandam à suis antecessoribus priscis temporibus possessam, postea malo ordine subtractam, quatenus illam pleniter possideant, veluti illorum prædecessores eam tenuisse multorum testimonio comprobatur. Ipsa vero terra conjacet infra & extra muros Carnoti ciuitatis, iuxta portam cinerosam. Terminatur vero vno latere, via quæ est exitus ciuitatis: altero vero latere terminatur terra S. Petri Pictauiensis & S. Amani, &c.* Cinerosa autem porta illa dicebatur quod in supplicatione publica, quæ feria quarta cinerum fieri consueuit, populus illac transiens, cinere signaretur.

Ad Epist. CCLXXXV.

Non est quoque hæc Epistola; sed potiùs carta donationis Cellæ seu Prioratus S. Nicasij de Mellento à Waleranno eiusdem loci Comite 1062. vel circà fundati, Beccensibus monachis factæ à Roberto Mellentino Comite, assentientibus Odone Pisciacensi Archidiacono, clericisque ibidem commorantibus; vt ex Iuone hîc apparet. Ex quo corrigendus Nicolaus d'Auanne in libello de Vita & Martyrio S. Nicasij cap. 56. & 57. cùm eiusdem diui extructo monasterio Gaufridum Carnotensem Episcopum ecclesiam, anno 1067. consecrasse, ibidemque fratrem Robertum de Beaufour Becci monachum primum priorem instituisse scribit. Nondum enim Gaufridus aliquis Carnotensis ecclesiæ infulas receperat, eo anno (vt alibi probo) nec Robertus Mellenti Comes Beccensibus ecclesiam illam contulerat. Quod si Gaufridus aliquis Carnotinus Præsul aliquem ibi præfecerit priorem, id Gofrido de Leugia Iuonis successori tribuendum est, non alteri, qui à Carnotensis ecclesiæ Cathedra anno 1090. deturbatus est, atque eliminatus.

Ad Epist. CCLXXXVI.

Inter Epistolas Iuonis non est hic actus censendus. Est enim carta, seu instrumentum fundationis Abbatiæ S. Ioannis de Valle in Carnutensi suburbio ab Iuone 1099. factæ, vt supra Epist. 91. diximus.

Minoratus.) Malè; sed *Iunioratus*, vt ad vitæ Iuonis calcem. Hi autem erant beneficia, seu præstimonia, quæ iunioribus clericis in officij solatium dabantur. Capitularium lib. 5. cap. 21. eorum fit mentio: *Quicunque*, ibidem dicitur, *iudex, aut secularis, aduersus presbyterum, aut diaconum, aut quemlibet de clero, aut de iunioribus absque audientia Episcopi, vel Archidiaconi, vel Archipresbyteri, iniuriam inferre præsumpserit, anathema ab omnium Christianorum consortio habeatur.* Quod quidem Capitulare ex Autissiodorensi prima synodo, can. 43. (immutatis tamen quibusdam verbis) desumptum est. Vnde inter clericos annumerari ipsos videri potest. Quod autem eorum esset officium ex sequentibus patet, nempe lectiones in ecclesia legere, & alia quæ ad diuinum cultum spectant, exequi. Quare in Concil. Turon. 2. can. 12. & 19. eorum cura Archipresbyteris committitur: immò & parœcis, seu Curionibus in Concilio Vasensi 2. c. 1. vbi hæc leguntur. *Hoc enim placuit vt omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundùm consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognouimus, iuniores lectores quantoscunque sine vxore habuerint, secum in domo, vbi ipsi habitare videntur, recipiant, & eos quomodo boni patres spiritualiter nutrientes, Psalmos parare, diuinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant: vt & sibi dignos successores prouideant, & à Domino præmia æterna recipiant. Cum vero ad ætatem perfectam peruenerint, si aliquis eorum pro carnis fragilitate vxorem habere voluerit, potestas ei ducendi coniugium non negetur.* Quibus conforme est Concilij Matisconensis primi decretum can. 8. quod habetur 11. q. 1. *Nullus clericus.* & caput 3. *Vt quisque extr. de vita & honest. cleric.* (quod ex eodem vel altero Matisconensi Concilio malè citatur, cum in vtroque desit.) In vltimo quippe illorum dicitur: *Vt quisque presbyter qui ple-*

bem regit, clericum habeat qui secum cantet, & epistolam, & lectionem legat, & qui possit tenere scholas, & admonere suos parochianos, vt filios suos ad fidem discendam mittant ad ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat. Quare ecclesiæ dos ad minus debebat esse pro duobus, ex Glossa in cap. *Cum sicut extr. de consecr. eccles. vel altar.* Atque ita in pluribus ecclesiis assignabatur reditus pro iunioribus clericis, videlicet in minoribus constitutis ordinibus, vt in ipsis commodiùs ministrare possent, & victum saltem & vestitum haberent; cum qui altari seruit, de altari viuere debeat. Quidam verò familiæ suæ illa affectabant præstimonia, seu beneficia, sicut qui in collegiis pro bursariis seu collegiatis quos vocant suæ familię, aut certi reditus addicunt loco, quibus exteri excluduntur. Ex multis quæ producere possem exemplis, hæc tantùm proferam. In Cartulario Maioris monasterij de beneficiis in Vindocin. agro sitis. Notitia 4. hæc leguntur. *Pateat successoribus nostris, &c. post concordiam quam de* Iunioratu *ecclesiæ de Naulio cũ Tedbaldo filio Leterij de Vindocino habuimus, Hamelinum de Langiacis eundem nobis* Iunioratum *calumniatum fuisse, dicendo; scilicet nos sine auctoramento suo hunc habere non posse, cùm ecclesia illa de casamento suo esset. Tedbaldus etiã siquid in ea reclamare poterat, id ab eo in suum habere. Nostra autem ad hæc referebant litteræ, ita vos quondam cum parentibus eius de ecclesia illa, & de rebus ad eam pertinentibus concordasse, vt de stirpe eorum nemo posteà in rebus his omnibus, aut in ecclesia quicquam deberet reclamare. At cum ei litterarum non sufficeret narratio, sacramento per vnum nostrum hominem probauimus, nihil ibi, aut de genere suo alicui contingere de rebus suprà dictis, iuxtà concordiam scilicet quam de his quondam habueramus cum parentibus suis. Ita tandem calumniam dimisit apud Vindocinum, &c.* Quod repetitur etiam ibidem Notitia 7. in Cartulario quoque S. Petri in Valle Carnotensis, fol. 85. Albertus Hugonis S. Ecclesiæ Carnotensis Vicedomini filius, dat S. Petro, ac monachis sibi famulantibus, cum consensu fratris sui Guerici tunc Vicedomini *Iunioratum* ecclesiæ S. Leobini de Braïco castro super flumen Osanna fundatæ, pro animabus parentum suorum, Arrardo Episcopo Carnoti sedente. At clariùs Gregorius Turonensis lib. 5. cap. 26. historiæ suæ id explicat, cum scribit. *Post hæc Chilpericus res de pauperibus &* iunioribus *ecclesiæ, vel basilicæ, bannos iussit exigi, pro eo quod in exercitu non ambulassent. Non enim erat consuetudo, vt hi vllam exsoluerent publicam functionem.* Quia nomen illud *iunioratus* antiquatum est, & in vsu esse desiit, ne rei penitus aboleretur memoria, prolixior in eo exponendo fui.

Ad Epist. CCLXXXVII.

Digna sanè quæ à curiosis legatur hæc epistola, & à rationes sacramentorum nostrorum sciscitantibus, quamuis sola fides Christiano sufficiat; & quare, vel quomodo in ore fidelis malè sonet, vt scribit Cyprianus.

Ad Epist. CCLXXXIX.

Quæ sequitur Carta, non Epistola est, sed instrumentum concessionis Ecclesiæ de Hanchiis & Capellæ, seu Capellaniæ de Gidulphi ponte in eadem parochia & diœcesi Carnotensis Abbati & Monasterio Maioris monasterij, seu eorum Prioratui S. Thomæ de Spa-uone.

FINIS.





D. IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI, DE ECCLESIASTICIS SACRAMENTIS ET OFFICIIS, AC PRÆCIPVIS PER ANNVM festis, Sermones.

SERMONVM ELENCHVS.

SERMO PRIMVS.

De Sacramentis Neophytorum, habitus in Synodo.



VONIAM populus ad fidem vocatus, visibilibus sacramentis instruendus est: vt per exhibitionem visibilium, pertingere possit ad intellectum inuisibilium: nosse oportet, Domini, sacerdotes, qui hæc sacramenta contrectant, modum & ordinem sacramentorum, & veritatem rerum significatarum: Alioqui dispensatores tantorum mysteriorum, sunt tanquam cæci duces cæcorum, tantum vtilitatis inde habituri, quantum capiunt iumenta, quæ portant panes ad vsus aliorum, licet diuina gratia non deserat sacramentum, quod per eos operatur salutem populorum. Attendant ergo Dominicorum sacramentorum dispensatores, quia Ecclesia Christi, quotidie ex gentibus, operantibus eisdem sacramentis, aggregatur: populus adquisitionis, cuius caput est Christus, per fidem generatur: per charitatem in virum perfectum nutritur, spe æternitatis in eadem fide & charitate solidatur: & omnium sacramentorum administrationem ad hunc finem referant, vt intelligant Ecclesiam Dei tanquam domum Dei in fide fundari. Dilectionem Dei & proximi, tanquam parietes bene sibi cohærentes, superædificari: eiusdem altitudinem, spe æternitatis gloriosissimæ cumulari. Hoc corpus Christi, licet natiuitatem capitis sui consueto nascendi ordine subsecutum est, tamen huius capitis natiuitatem in vnitate subsecuturi corporis, quædam mébra præcesserunt, Patriarchæ scilicet & Prophetæ, & multi iusti, qui prodigiis & præconiis multis, natiuitatem capitis consecuti corporis præmonstrauerunt. Quod bene ostensum est in Iacobo, interioris populi typum gerente, qui ad ortum festinans, manum præmisit, plantam fratris maioris natu manu tenens: hoc facto significans, quia reprobato priori populo, cuius typum gerebat Esau, nasciturus esset minor populus, Christianorum videlicet, qui benedictionem Dei Patris æterna hæreditate possideret. *Gen. 3.* Illius quippe patris sacramenta sunt nostra documenta, quibus ille populus tanquam paruulus est lactatus: & circa vnius veri Dei cultum, ne post deos vel falsos vel alienos oberraret, occupatus. Vnde ab initio sæculi in omni ætate sacraméta Christi & Ecclesiæ celebrata sunt, quibus & ille populus nutriretur, & nostræ redemptionis modus insinuaretur. Nam prima ætate Adam de terra matre, sine terreno patre, homo ad eandem imaginem à Deo sexto die plas- *Gen. 1.*

matus eſt,& in nouiſſima ætate ſæculi,per Chriſtum de terrena matre natum, ſine terreno patre homo ad eandem imaginem Dei reformatus eſt. Ad eius rei conſonantiam, eadem ætate de

Gen. 2.

latere Adæ qui erat forma Chriſti futuri, Eua formata eſt, & per ſanguinem de Chriſti latere manantem, cum aqua ſanctificationis Eccleſia fabricata eſt. Secunda verò ætate mundi, per octo animas à ſubmerſione diluuij per arcam liberatas, eadem Eccleſia figurata eſt, quæ in ſpe octauæ, id eſt, reſurrectionis, per aquas baptiſmi non ſine auxilio ligni ſalutaris, à ſubmerſione exuberantium tentationum liberata eſt. Tertia denique ætate populus Dei ab Ægyptiaca ſeruitute liberatus, tranſit mare rubrum: cedit mare, virga Moyſis percuſſum: præbet viam populo Dei, hoſtes à tergo ſequuntur, & ſubmerguntur: & hic repetita eſt baptiſmi, per lignum ſalutiferum † conſecuti, ſanctificatio: Nam rubet mare rubrum, rubet & baptiſmus, Chriſti ſanguine conſecratus. Hoſtes à tergo ſequentes, moriuntur, quia peccata præterita per baptiſmum delentur. Dehinc quarta ætate in illa terrena Hieruſalem claruit regnum Dauid, Chriſti & Eccleſiæ regnum præfigurans: de cuius ſemine idem Chriſtus natus eſt, in Eccleſia ſua ſpiritualiter regnans, & eam ſibi obtemperantem poſt tempora glorioſè coronans. Inde eſt quòd qui in ſabbato ſancto ſunt baptizandi, quarta hebdomada quadrageſimalis obſeruantiæ, quæ continentiæ nobis arma miniſtrat, & quarta eiuſdem hebdomadæ feria, catechizandi & exorcizandi, deferuntur ad Eccleſiam, ibi audituri & inſtruendi, qualiter contra ſpirituales nequitias ſint pugnaturi: ſed tamen vſque in ſabbatum Paſchale baptiſmus eorum differtur, hoc attendente Eccleſia, quia qui ad agonem in præſenti vita vocantur, in ſpe futuræ quietis baptizantur. Sic enim contra viſibiles hoſtes pugnaturi, non antè, quàm in vita, id eſt, iuuenili ætate, ad militiam eliguntur, vt ſicut in hac ætate pugnaturi, validiores ad viſibiles hoſtes repellendos, ſic ad Chriſtianam militiam ſub typo huius numeri electi, Chriſtianum agonem viriliter exerceant, & vt coronari mereantur, ab acie non recedant. Poſt tempora vero regum Iſraël, quinta ætate inchoante, propter peruerſitatem prætaxati populi captiuante Babyloniæ rege, tranſmigrauit ex parte idem populus in Babyloniam, & qui confuſioni ſeruierat voluntarius, regi Babylonis, quod interpretatur confuſio, ſeruiuit inuitus. Poſt ſeptuaginta annos faciente chriſto Cyro, reuerſus eſt idem populus in Hieruſalem, ſicut prædixerat Eſaias, deinde Ieremias. Quod bene ad ſtatum pertinet Eccleſiæ, quæ poſt huius ſæculi, † quod ſeptenario voluitur numero dierum, multas anguſtias, quas paſſa vel paſſura eſt ſub regibus huius ſpiritualis Babyloniæ, in cæleſtem Hieruſalem reuerſura eſt, vbi viſione pacis fruitura eſt, nulli vlteriùs confuſioni ſeruitura. Vnde

Rom. 8.

dicit Apoſtolus: Vanitati creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis huius, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Per hæc omnia tempora non defuerunt viri iuſti futuræ Eccleſiæ membra: non defuerunt cuique tempori congrua ſacramenta, tanquàm populi nutrimenta. De quibus multa poſſent recitari, niſi ſtuderemus breuitati. Ad vltimum ſexta ætate de virgine natus eſt Chriſtus, ſicut ſexta die de terra virgine plaſmatus eſt protoplaſtus. Hic Chriſtus eſt finis legis, & veritas, complens omnia, quæ præceſſerant in vmbra ſacramentorum. In plenitudine temporis, ſicut dictum eſt, natus Chriſtus, creuit, ad virilem ætatem peruenit, triceſimo † anno vitæ ſuæ, ſicut tradunt Euangeliſtæ, à Ioanne baptizatus: non quia indiguit, ſed quia eius vita Chriſtianis diſciplina morum fuit. Dehinc elegit Apoſtolos, prædicauit Euangelium, crucifixus eſt, dans nobis exemplum humilitatis & patientiæ; tertia die reſurrexit, in quo membra ſua reſurrectionis ſuæ ſpe confirmauit: proximè cælos aſcenſurus, diſcipulos, quid agere deberent, admonuit, dicens: Ite, docete omnes gentes, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Hîc paucis verbis docentur Domini ſacerdotes, Apoſtolorum ſucceſſores & vicarij, de quibus dicitur, Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, qualiter debeant rudes populos, terreni hominis imaginem adhuc portantes, catechizare: qualiter in nouitate vitę in Chriſti conformitatem lauacro aquæ in verbo transformare. Hoc ità factum eſt temporibus Apoſtolorum & Martyrum, qui in Iudæis & gentibus Euangelium Chriſti viris intelligentibus & quibuſcunque perſonis verbi Dei capacibus annunciauerunt. Poſtquàm vero Eccleſia dilatata eſt † & congregata in gentibus, nec inter fideles repertus eſt aliquis adultæ fidei non fidelis, ne paruuli eorum de hac vita ante rationabiles annos exeuntes, alieni remanerent à conſortio Chriſti, prouiſa eſt etiam in illis medicina ſalutis: vt in ſacramento fidei baptizarentur, & per alterius fidem reconciliarentur Deo, ſicut per alterius peccatum alienati erant à Deo. Inſtitutum eſt itaque ad hoc, nouum ſacramentorum genus ad catechizandos paruulos, exorcizandos, initiandos, & demum baptizandos, in quibus pro paruulo audit Eccleſia, & ad interrogata reſpondet, donec paruulus ad intelligibiles annos perueniat, & ſacramenta fidei, charitatis & ſpei, ſibi impoſita, per ſe intelligat. De quibus, quid ſignificent, ſacramentis, prout Dominus inſpirare voluerit, charitati veſtræ aliquid dicere propoſuimus, vt & ipſi virtutem ſacramentorum intelligatis, & auditores veſtros docere ſtudeatis.

† conſecrati

† tempora quæ ſeptenario voluuntur, poſt multas.

† ætatis ſuæ anno, ſicut.

Matth. 28. Marc. 16.

Pſal. 44.

† aggregata.

¶ Notandum ergo priùs eſt, quomodo baptizandus in vtero matris Eccleſiæ, puer concipiatur, quibus alimentis vſque ad natiuitatem noui hominis in eodem vtero nutriatur. Tria quippe ſunt, quibus vſque ad indumentum nouitatis, baptizandus concipitur, alitur, & vſque ad nouitatis integritatem prouehitur, catechiſmi ſcilicet, exorciſmi, & orationes. Catechizatur ob hoc qui ad fidem vocatur, vt ad quod vocatur, proprio moueatur voluntatis arbitrio. Exorcizatur, vt ab eo diaboli poteſtas iniqua depellatur. Additur pro eo oratio, vt gratia præueniat, & ſequatur, quæ vires præbeat libero arbitrio, & per quàm procul fiat vniuerſa maligni ſpiritus illuſio. Signatur itaque primo baptizandus crucis ſignaculo in fronte, in pectore, in oculis, in auribus, in naribus, in ore, cuius virtute victus eſt diabolus, & exaltatus eſt Chriſtus. Vnde Abacuc dixit: Cornua in manibus, ibi repoſita eſt fortitudo eius. Hoc ergo ſigno muniuntur totius corporis ſenſus, cuius virtute & omnia noſtra ſacramenta complentur, & omnia diaboli figmenta fruſtrantur. Sic cùm primogenita delerentur Ægypti, populus Hebræorum ſignatis poſtibus domorum ſuarum ſanguine Agni Paſchalis, typo

Abac. 3.

Exod. 12.

Dominicæ passionis, saluatus est: & populus Ægyptius, quia hoc signo caruit, in primogenitis suis grauiter percussus est. Sic apud Ezechie-*Ezech. 9.* lem Hierusalem ab imminente clade liberādam esse promittitur, si Thau, quæ figuram crucis exprimit, in frontibus gementium atque dolētium, id est, pœnitentium, signaretur. Posteà datur sal benedictum in os pueri, vt per typum sapientiæ sale conditus, fœtore careat iniquitatis: nec à vermibus vitiorum vltrà putrescat, sed incorruptus seruetur, ad percipiendam plenam Christi gratiam: neque vltra à condimēto sapiētiæ desipiat, neq; retro adspiciat, sicut vxor *Genes. 19.* Loth. Exsufflatur posteà malignus spiritus foras, quod mysteria sacra significant, quādo paruulus exsufflatur & exorcizatur: Nō enim creatura Dei in infantibus exorcizatur & exsufflatur: sed ille, sub quo sunt, qui sub peccato nascuntur. Nondum per sacrum baptisma renati sunt: sed iam per crucis signum in vtero matris Ecclesiæ concepti sunt. Omnia enim chrismata sacerdotalis ministerij, crucis figura perficiuntur. Omnia autem sacramenta quæ acta sunt, & aguntur exorcismis, orationibus, insufflationibus, quasi escæ sunt, quæ paruulos reficiunt in vtero, vt renatos aqua salutis, hilares mater Ecclesia Christo exhibeat. Posteà tanguntur ei aures & nares cum saliua. Saliua quippe à capite descendit in os, supernam significans sapientiā, cuius tactu & aures cordis aperiuntur, ad intelligendum verbum Dei, & nares ad repellēdum fœtorem noxiarum delectationum. Vnde ait B. Ambrosius in libro de Sacramentis: Quid egimus in sabbatho? nempe apertionem, quia sacramēta celebrata sunt apertionis, quia aures *Marc. 7.* tibi tetigit & nares. Quod significat in Euangelio Dominus Iesus Christus, cùm ei oblatus esset surdus & mutus, cuius os tetigit, quia mutus: & aures, quia surdus erat, & ait: Epheta, quod est, Adaperire. Deinde venit sacerdos ad fontem, consecratur fons in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. quibus verbis si aqua salutis consecretur, nec à bono, melius, nec à malo peius baptismus accipitur. Vnde August. in lib. 3. de Vnico baptismo: Non est aqua profana, nec adultera, super quam Dei nomē inuocatur, etsi à profanis & ab adulteris inuocetur: quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen est adulterum. Traditur etiam nouæ vitæ auditoribus symbolum fidei, quod per duodecim Apostolos ordinatum est, & totidem sententiis comprehensum. Postremo paruulus ad baptismum interrogatur à sacerdote: Abrenuncias satanæ & omnibus operibus eius & pompis eius? vt primùm respuat errorem, & sic adproximet ad veritatem, vt possit iuxta Apostolum, deponere *Ephes. 4.* veterem hominem cum actibus suis, secundùm pristinam conuersationem abnegans impietatē *Tit. 2.* & sæcularia desideria. Respondet paruulus per ora gestantium, Abrenuncio. Vnde Augustinus contra Iulianum lib. 4. Quisquis negat per ora gestantium paruulos abrenunciare & credere, negetur eos accipere baptismū, qui in manibus gestantium reluctantur. Idem in libro de Pœnitentia: Paruulis ad consecrationem remissionemque originalis peccati prodest eorū fides, à quibus offeruntur: vt quascunq; maculas delictorum per alios, à quibus nati sunt, contraxerunt, aliorum etiam interrogatione purgentur. Post abrenunciationem vngitur catechumenus oleo sacro in pectore, tanquam muniatur aduersus hostem inuisibilem, ne ei immunda & noxia persuadeat desideria. Vngitur & inter scapulas, vbi est vigor portandi oneris, vt fortitudinem accipiat ad portandum pondus diei & æstus, sicut bonus athleta. Exinde exquiritur ab eo, si credat in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum, vnum Deum in Trinitate & in vnitate, si confiteatur vnam esse sanctā Ecclesiam Catholicam, & si credat remissionem peccatorum, & vitam æternam. Hæc omnia si profiteatur se credere, iam incipit in eo mori vetus homo, & per fidē viuere nouus homo, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. In abre- *Ephes. 4.* nunciatione prioris possessoris, suadente charitate, iam vult in legitimi possessoris transire domum, in quem iam profitetur se credere, & ab eo æterna præmia exspectare. Iam expurgatū *1. Cor. 5.* est vetus fermentum: sed nondum est noua cōspersio, nisi sacri fontis sequatur ablutio. Sub responsione igitur trinæ interrogationis, trina mersione catechumenus à sordibus vetustatis abluitur, & nouum hominem indutus, triduanę Domini sepulturæ consepelitur. Vnde ait Apostolus: Quicunque in Christo Iesu baptizati su- *Rom. 6.* mus, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim ei sumus per baptismum in morte, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul resurrectionis erimus. Hinc etiam B. Ambrosius in lib. de Sacramentis: Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? dixisti, Credo, & mersus es, id est, sepultus es. Iterùm interrogatus es. Credis in Dominū nostrum Iesum Christum, natum & passum? dixisti, Credo, & mersus es, id est, Christo consepultus es. Qui autem Christo consepelitur, cum Christo resurget. Tertiò interrogatus es, Credis & in Spiritum sanctum? dixisti, Credo, & tertio mersus es, vt multiplicem lapsum cogitationis, locutionis, operationis, aboleret tertia confessio. Hanc sacri baptismatis emun- *Num. 19.* dationem in similitudinem mortis Christi celebratam, præfigurabat aqua adspersionis in veteri lege, qua emundabatur qui morticinum tetigerat, vt in castra reuerteretur, cui immixtus erat cinis vitulæ rufæ extra castra combustæ, hyssopus quoque, coccus, & cedrus. Vitula quippe illa, quia fœmineus est sexus, fragilitatē, id est, passibilitatem carnis Christi significat. Rufa propter effusionem sanguinis, quæ etiam extra castra eiecta est: quo figurabatur, quia & Dominus passurus, extra ciuitatem ductus est. Quòd verò sanguine eiusdem vitulæ septies adspergebatur tabernaculū & omnia vasa tabernaculi, plenam significat emundationem, quam intus & * extra contulit sanguis Christi. Anima ** foris.* enim constat triplici virtute, corpus verò quaterna elementorum complexione: quæ vtraque mundata sunt Christi sanguinis adspersione. Quòd vero carnes eiusdem vitulæ, & corium, & stercora comburebantur, hoc significatū est, quia tota humilitas & ignominia passionis, versa est in gloriam resurrectionis: quā benè ignis significat, qui semper ad superiora tendit, & quod assumit, in se conuertit. Quòd autem hyssopus huic adspersioni admiscetur: hoc significatur, quia in fide mortis Christi peccata mundantur. Vnde ait Apostolus: Fide mundans cor- *Act. 15.* da eorum. Hyssopus quippe ideò fidē significat: quia cùm sit herba humilis, firmiter hæret in

petra. Coccus ideò huic mundationi adhibetur, quia flammeo colore charitatem significat, sine qua mortuum est, quicquid fides operatur. Cedrus quoque huic mundationi opitulatur, quæ imputribilis arbor dicitur, & in excelsis montibus radicat, & ideò spem incorruptionis, & supernæ gloriæ significat. Horum omnium coniunctio aqua adspersionis cõsecratur, quia qui mortuum tetigerat, vt dictum est, emundatur, quia qui operibus mortuis, id est, peccatis originalibus liberatur, baptismate sacro in fide mortuis Christi & resurrectionis, cũ sponsione charitatis & spei baptizatur. Vnde Apostolus ad Hebræos: Si sanguis vitulæ adspersus inquinatos sanctificat ad emundationẽ carnis, quanto magis Christi sanguis, qui per Spiritum sanctum obtulit se Deo, emundabit conscientias nostras ad seruiendum Deo viuenti? Heb. 9.
Notandum est quod dicit, si fuerit mortuus ante purificationem, manere in immunditia, & perire animam illam ex Israël, id est, à consortio populi Dei. Quo quid aliud vult dicere, nisi manere pœnam animæ illi & post mortem, si dum viuit, non fuerit mundata isto sacramento, quo figuratur Christi baptismus? A viro autem mundo dicit hanc purificationem fieri: vbi significantur ministri portantes personam Domini sui, qui est vir mundus. Vnde in sequentibus de eo, qui conspergit aquam adspersionis, vt lauet vestimenta sua, id est, vt sit mundus mente & corpore. Completis iam baptismi sacramentis, cùm baptizatus de fonte ascenderit, sacro chrismate vngitur in vertice, vt cognoscat se promotum esse in regium genus & sacerdotale, id est, vt à Christi consortio vocetur Christianus, & æterni regni sit cohæres, hoc sacramento * post aquam perfectio sit, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur. Exinde traditur Christiano vestis candida, vt qui primæ natiuitatis decorem, vetustatis pannis obfuscauerat, habitu regenerationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur etiam post sacram vnctionem eius caput sacro velamine, vt intelligat se diademate regni, & sacerdotali, sicut dictum est, dignitate potiri. Ad vltimum datur cereus accensus in manus baptizati, quatenus implere doceantur illud Euangelij: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Quod si perseueranter fecerit, non cum fatuis virginibus, extincta lampade, à ianua sponsi repelletur, sed cũ prudentib⁹ glorificãdus colligetur. His omnib⁹ suprà memoratis sacramentis nouus homo in vtero Ecclesiæ inchoatur, prouehitur, consummatur, & vnitati Ecclesiæ aggregatur: vnde etiã, si eius est valetudinis, sacramẽtis vnitatis, id est, Christi corpore & sanguine confirmatur. Cùm verò ad intelligibiles annos peruenerit, monẽdus est à Presbyteris, & ab his, per quorum vocem abrenunciauit, & fidei symbolum accepit; quatenus quæ per aliorum ora promisit, iam studeat corde credere, & proprio ore confiteri, & opere imitari. Vnde Augustinus in sermone habito Dominica prima post Pascha: Vos ante omnia tam viros quàm fœminas moneo, qui filios in baptismo suscepistis, vt vos cognoscatis fideiussores extitisse apud Deum pro illis, quos de sacro fonte suscepistis. Ideò semper eos admonete, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant: hoc omnibus faciãt, quod sibi fieri volunt: auguria non seruent: ad arbores & * frondes vota non reddant: præcantatores aut caragios & sacrilegia aut phylacteria, veluti diaboli venena, fugiant: nec furtum faciant, nec falsum testimonium dicant. Ante omnia symbolum & orationem Dominicam & vos ipsi tenete, & illis quos excepistis, ostendite. Præterea docendus est vnusquisque Christianus, vt eum qui se de sacro fonte suscepit, ita diligat sicut patrem: nec filius cum filia, nec filia cum filio patris sui spiritualis coniugiũ ineat: quod non esset dicendum coniugium, sed potiùs incestum contubernium. Vnde Papa Nicolaus ad responsam Bulgarorum. Est inter fratres & filios spirituales gratuita & sancta communio: quæ non est dicenda consanguinitas, sed potiùs spiritualis germanitas. Vnde arbitramur, inter eos non posse fieri aliquod legale coniugium. Hæc & alia similia necessaria & honesta debent nosse Domini sacerdotes, & docere suos auditores, quatenus qui audiunt, eorum ductu rectè viuant, & ipsi de bona administratione mercedem accipiant, & non gementes, sed cum gaudio rationem reddant.

Marginalia: * post quam. — Matth. 5. — Matth. 25. — * fontes.

SERMO II.

De excellentia sacrorum ordinum, & de vita ordinandorum, in Synodo habitus.

QVIA Christianam militiam in baptismate professi estis, & arma spiritualia contra hostes inuisibiles per manus impositionem accepistis, in castris Domini tanquam gregarij milites aliquandiù militastis, si tamen ea quæ Christiano nomini sunt inimica respuistis, & ea quæ conueniunt, facere studuistis: De Christiana militia, quæ vobis cum cæteris fidelibus communis erat, clericatum elegistis, id est, mundo renunciare, & cum habitu humilitatis, affectum promittere humilitatis, vt illud Psalmistæ meritò dicere possetis: Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Non est vestrum primum locum quærere in mensa Domini vestri, nisi qui vos inuitauit, dicat alicui vestrum: Amice, ascende superius: vt sit ei honor coram simul discumbenribus. Nemo enim ad hoc debet fieri clericus, vt seruiat voluptati, studeat curiositati, inhiet ambitioni: nec aliud quærat, nisi vt Deum hęreditate possideat, quem elegit, & à quo electus est, quando in clericum assumptus est. Hoc enim in Græco nomen clerici sonat, quòd de sorte sit Domini, quia & Deus sortitus sit eum, & ipse sortitus sit Deum. Quòd clericus sortitus sit Deum, benè dicitur in Psalmo, in persona ipsius clerici, cùm stigmate clericatus insignitur. Dicitur enim Deo: Dominus pars hæreditatis meæ. Et in alio Psalmo: Hæc est generatio quærẽtium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Quòd verò Dominus sortitus sit ipsum clericum, in ipsius clerici tonsione dicitur ex superiori Psalmo in persona Domini: Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Vnde qui per clericatus officium aliud quærit quàm Deum, nec à Deo electus est, nec Deum elegit: qui in sorte sua creaturam creatori aut præposuit, aut æquiparauit. Hæc dicentes, non interdicimus vobis huius vitæ necessaria, sed de oblationibus, vel de opere manuum, vel de aliis innocentibus artibus conquisita, non de vsuris, non de turpibus lucris, non de negocia-

Marginalia: Psal. 83. — Luc. 14. — Psal. 15. — Psal. 23. — Psal. 15.

tionibus, vel aliis illicitis artibus compilata. Sic enim tribus Leui, quæ in figuram clericalis ordinis præcessit, partem non habuit inter reliquas tribus, sed viuebat de primitiis, decimis & oblationibus, quas offerebant aliæ tribus. Si ergo & vos de stipe templi viuere disponitis, si extra Deum nihil quæritis, qui, si eo contenti fueritis, erit vobis amplissimum & vberrimum prędium: & salubriter ad clericatum accessistis, quia & vita vestra concordat cum nomine, & professio apparet in opere. Alioquin, si paupertatem & humilitatem, quam præfert habitus corporis, & figura capitis, in corde non habetis: timeo ne cum hypocritis sit pars vestra, & spes vestra ab æterna mercede sit vacua: qui nō vt clerici, sed vt acephali in clericali militia sola quæritis lucra temporalia. Ad hoc enim capillos in modum coronæ in summitate capitis raditis, vt & regnum spirituale, quo cæteris præminetis, tali figura ostendatis, & curæ mortalis illecebras frequenter redeuntes, sic amputetis decorde, sicut crines frequenter resurgentes, abraditis de capite. Residuos autem capillos eo ordine præcidere debetis, vt aures, oculos, & alios sensus capitis liberos reddāt: & curam exteriorum non in superfluis desideriis carnis, sed necessariis tantum exercendam agnoscant. Si ergo ad ambulandum in via Dei, sicut prætaxatum est, affecti estis: & clerici vocari digni estis, & ad maiora militiæ clericalis officia promoueri. Hæc officia septem gradibus sunt distincta, quia sancta Ecclesia septiformis gratiæ est munere decorata. Hæc officia in propria persona Dominus noster ostendit, & Ecclesiæ suæ exhibenda reliquit: vt forma quæ præcesserat in capite, repræsentaretur in corpore.

In his septem officiis primus gradus est ostiariorum qui possunt discernere inter bonos & malos, dignos & indignos, & admittere in Ecclesiam quos sciunt esse dignos, & repellere quos sciunt esse indignos. Istis cura est & introitum Ecclesiæ seruare, & res Ecclesiæ peruigili cura custodire. Vnde & eis, cùm ordinantur, claues Ecclesiæ ab Episcopo traduntur, & dicitur eis: Sic agite, tanquam rationem Deo reddituri pro rebus quæ his clauibus recludūtur. Hoc officium Dominus noster nobis initiauit, quando flagello de funiculis facto, vendentes & ementes de templo eiecit, & cathedras nummulariorum euertit: hoc facto significans, quòd omnis negotiatio rerum Ecclesiasticarum, ab Ecclesia pellenda sit. Vnde & ipse ostiarius prætaxatus dicit: Ego sum ostium: per me si quis introierit, ingredietur & egredietur, id est, qui canonicè administrationem Ecclesiastici regni acceperit, ingredietur, id est, à me recipietur: & egredietur, quia peracta dispensatione sibi credita, à seruitute huius corruptionis liberabitur. *Ioan. 2.* *Ioan. 10.*

¶ Inde promouetur ad officium lectorum, vt iam ex traditione ecclesiæ legat in ecclesia propheticas & Apostolicas lectiones. Vnde & eis, vidente populo, traditur codex diuinarū scripturarum, & dicitur eis: Accipite, & estote verbi Dei relatores: habituri, si fideliter & vtiliter impleueritis officium, partem cum his, qui benè ministrauerunt. Hic quidem, qui ad hunc gradum prouehitur, literarum scientia debet esse instructus, vt & sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distinctè legat, ne cōfusione pronunciationis, intellectum auditoribus auferat. Attendat quid sit indicatiuè legendum, quid sub interrogatione: vbi sit in oratione subdistinctio, media distinctio: quia & hæc malè seruata, intellectum perturbant, & grammaticorum typum ad risum prouocant. Auribus enim & cordi consulere debet lector. Hoc officium Dominus noster in propria persona ostendit, quando in medio seniorum, librū Esaiæ Prophetæ aperiens, distinctè ad intelligendum legit: Spiritus Domini super me, ad euangelizādum pauperibus misit me, & cætera quæ in eodē sequuntur capitulo: vt hoc exemplo cognoscat lector, quia spirituali gratia debet clarere, & sic auditoribus verbum Dei prædicare. *Luc. 4.* *Esai. 61.*

¶ Tertio loco sequitur ordo exorcistarum, qui super catechumenos faciunt sacramēta apertionis, & habent spiritale imperium super spiritus immundos, ad eiiciēdos eos de corporibus obsessis. Debet autem habere spiritum mundum, qui spiritibus imperat immundis, vt concordet vita cum officio, & malignū, quem per acceptū officium expellit de corpore alieno, per munditiam vitæ expellat de corde suo: ne medicina quam alij facit, sibi non prosit, & ne dicatur ei: Medice, cura teipsum, si per immunditiam conscientiæ spiritum retinet immundū. Hi cùm ordinantur, accipiunt de manu Episcopi librum exorcismorū, & dicitur eis: Accipite & habetote potestatem ponendi manū super energumenum siue catechumenum. Hoc officio vsus est Dominus, quando saliua sua tetigit aures surdi & muti, & dixit, Epheta, quod est, adaperire, * quo exemplo docuit nos, tali sacramento aperire debere aures præcordiorum ad intelligendum, & os ad confitendum: * quod fit, cùm expulso dæmone, verus possessor recipit vas suū. *Luc. 4.* *Marc. 7.* ** hoc exemplo.* ** quid fit.*

¶ Quarto loco accedunt acolyti, qui Latinè dicuntur ceroferarij, quia cereos accēsos deferunt dum legitur Euāgelium, vel dum offertur sacrificium, non vt tenebras huius aëris illuminent, sed ob hoc, vt sicut visibile lumē manibus gestant, ita opera lucis proximis ostendant: & more lucis errantibus viam in tenebris palpantibus ducatum prębeant. Hoc officiū Dominus se habere testatur, in Euāgelio dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Hi cùm ordinantur, postquàm edocti fuerint ab Episcopo, qualiter in officio agere debeant, accipiunt ab Archidiacono candelabrum cum cereo: vt sciāt se ad accendenda luminaria mācipari. Accipiūt vrceolum vacuum ad infundendam aquam in calicem, quo consecrandus est sanguis Christi. Vbi fit commemoratio sanguinis de Christi latere profluentis, & aquæ inde procedētis. Quæ duo idcirco in calicem commiscentur, quia Christi sanguine sumus redempti, & aqua baptismi à peccatis abluti. *Ioan. 8.* *Ioan. 19.*

¶ Quinto loco ordinantur subdiaconi, qui iam ministerio altaris approximant: quia vasa corporis & sanguinis Christi portant. Vnde lex continentiæ eis imponitur, quatenus impleant illud Prophetæ: Mundamini, qui fertis vasa Domini: id est, vt & seipsos exhibeāt vasa in honorem, non in contumeliam: & vasa ista quibus ministratur * corpus Domini, deferant ad altare, & referant ab altari ad Dei gloriam, scilicet, vt fugiant omnem carnis immunditiā. Isti ministrant officiis Leuitarum: & in templo Domini oblationes suscipiunt à populis. Ad istorum prouisionem pertinet, tātum de obla- *Esai. 52.* ** corpori.*

tionibus ponere in altari, quantum possit populo sufficere. Ad horum pertinet officium, Corporales, pallas, & substratoria lauare, & aquam in baptisterium * ingerere. [* vrgere.] Hi cum ordinantur, accipiunt patenam vacuam, & calicem vacuum de manu Episcopi. De manu verò Archidiaconi, accipiunt vrceolum cum * aqua, mantile & manutergium, [* aquam amanili &] quibus mundare debent manus sacerdos & Leuita, tractaturi Dominica sacramenta. Hoc officio vsus est Dominus, quando facta cœna cum discipulis, linteo se præcinxit: & mittens aquam in peluim, pedes discipulorum lauit, & linteo extersit. [Ioan. 13.] Vna significatio est lintei & manutergij, quæ de lino fiunt: & multis castigationibus & ablutionibus ad candorem perueniunt. Linteo ergo pedes puluere fœdati, prius aqua lauantur, deinde linteo exterguntur, Sic cum Psalmista dicimus: Lauabo per singulas noctes, id est, per singulas offensiones, lectum meum, id est, conscientiam meam, [Psal. 6.] in qua sanus quiesco, æger laboro, & cum Apostolo, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. [1. Cor. 9.] Eodem modo ministri manus lauant & tergunt ter, cùm omnem terrenam concupiscentiam de operibus suis excutiunt.

¶ Diaconorum ordo est in sexto loco, non sine aliquo senarij mysterio, quo, propter sui perfectionem, significatur operum perfectio. Hic ordo in veteri testamento à tribu Leui habet exordium: præcipit enim Dominus Moysi, vt post ordinationem Aaron & filiorum eius, rursus tribus Leui ad diuini cultus ministeria ordinaretur, & consecraretur Domino, & seruiret pro Israël coram Aaron & filiis in tabernaculo Dei, [Num. 1. 3. & 4.] ipsique gestarent arcam, & tabernaculum, & omnia vasa eius, & in circuitu tabernaculi ipsi castra construerent, & transportando tabernaculum ipsi deponerent, rursus ipsi componerent. A viginti autem annis & supra, iussi sunt seruire in tabernaculo, quam regulam sancti Patres & in nouo testamento constituerunt: quoniam hæc ætas ad portanda onera robusta est, quod illi ordini à Moyse institutum est, quod etiam in nouo testamento repræsentatur, cùm diaconis super sinistrum humerum stola ponitur, & casula in diebus ieiunij super eundem humerum complicatur. Quia quicquid laboris & sustinentiæ in hac vita toleramus, tanquam in sinistra portamus, donec in dextra, id est, in æternitate requiem habeamus. Hic ordo in nouo testamēto ab Apostolis initium sumpsit, quando, sicut legitur in Actibus Apostolorū, [Act. 6.] septem viros boni testimonij plenos Spiritu sancto ad hoc officium elegerūt, & oratione præmissa, manus eis imposuerunt. Exinde Apostoli & eorum successores decreuerunt, vt in omni * matrice Ecclesia septem diaconos [* matre.] circa aram Christi sublimiori gradu tanquam columnæ altaris assisterent, non sine aliquo septenarij mysterio. In quo significatur, vt septiformis gratiæ spiritu præfulgētes, sancti sint corpore & spiritu. Hic enim numerus cùm constet quaternario & ternario, quaternarius refertur ad corpus, propter quatuor elementorum in corpore consonam complexionem: Ternarius verò ad animam, propter triplicem animæ virtutem, propter quam iubemur Deum tripliciter diligere, id est, toto corde, quod refertur ad intellectum: tota anima, quod refertur ad voluntatem: tota mente, quod refertur ad memoriam: hi sunt septem angeli, quos legimus in Apocalypsi tuba canentes: Angeli, quia nuncij: tuba canentes, id est, alta [Apoc. 8.] mysteria de interna adspiratione foris resonantes. Hi sunt septem candelabra aurea, id est, lucem Euangelij in manibus, id est, in operibus præferentia, & ad omnem ignis, id est, tribulationis examinationem probata, hi quoque sunt tonitrua septem, bestiales mentes terribili comminatione velut quodam terribili tonitru commouentia. Tale tonitru emittebat. Ioannes Baptista, quando dicebat: Genimina viperarum, quis dabit vobis fugere à ventura [Matth. 3.] ira? Et Dominus in Euangelio: Omnis arbor [Matth. 7.] quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et in hunc modum plurima. Isti in modum præconis, manifestè admonent cunctos ad orandum, & ad genu flectendum: Isti euangelizant, isti sacramēta dispensant. Sacerdotibus non licet calicē Domini in * Missa [* mensa.] tollere, nisi traditus eis fuerit à diacono. Leuitæ hostias super altare ponunt: ipsi mensam Domini componunt, ipsi * altare mysteriorū operiunt: [* alta mysteria.] ipsi albis vestibus induti, altari assistunt. Qua in re significatur, quam munditiam candoris, quam præferunt in corpore, debeant habere in mente. Tales enim Deum decet habere ministros, qui nullò carnis contaminentur cōtagio, sed plena mentis & corporis castitate præfulgeant. Quales enim diaconi ordinandi sunt, Apostolus plenissimè docet scribens ad Timotheum. Nam cùm de sacerdotibus præ- [1. Tim. 3.] misisset, subiunxit: Diaconos similiter oportet esse irreprehensibiles, id est, sine crimine, sicut Episcopos: pudicos, id est, à libidine continentes: non bilingues, scilicet ne conturbent pacem habentes: non multo vino deditos, quia vbi ebrietas, ibi libido & furor dominatur: nō turpe lucrum sectantes, ne de spirituali ministerio terrena lucra sectentur. Post hæc adiecit: Hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes. Hi itaque sicut Episcopi ante ordinationem examinari debent, & si digni inuenti fuerint, ad sacrum ministerium sunt applicandi. Hoc officio vsus est Dominus, quando post cœnam proprio ore & propriis [Ioan. 13.] manibus sacramenta confecta dispensauit, & quando Apostolos dormientes ad orationem * inuitauit, dicens: Vigilate & orate, ne in- [* incitauit. Matth. 26.] tretis in tentationem. Hi cùm ordinantur, solus Episcopus eis manus imponit, quia * ad [* ad sacrificium.] ministerium, non ad sacerdotium applicantur. Ponitur eis orarium ab Episcopo super sinistrum humerum: vt per hoc agnoscant se accepisse iugum Domini, quo omnia quæ ad sinistram, id est, præsentem vitam pertinent, & premant, & iugo Domini subiiciant. Accipiunt & textum Euangeliorum de manu Episcopi, per quod intelligant se debere esse præcones Euangelij.

¶ Presbyterorum ordo à filiis Aaron sumpsit exordium, qui cum Episcopis in pluribus commune habent officium: & qui nunc Presbyteri vocantur, tunc sacerdotes vocabantur: & qui nunc sunt Pontifices, tunc dicebantur sacerdotum principes. Distat autem hoc tantum inter pontifices, & huius temporis sacerdotes, quia scilicet solis pontificibus addita est clericorum ordinatio, basilicarum dedicatio, chrismatis consecratio, & manus impositio, & communis super populum benedictio: cùm in aliis sacramentis, catechizandi, Missam celebrandi, in Ecclesia verbum faciendi

ad

ad populum, communis vtriusque sit dispensatio. Sed summis sacerdotibus ea quæ prætaxauimus, idcircò reseruata sunt, ne eadem potestatis auctoritas, ab omnibus vindicata, insolentes redderet, & soluto obedientiæ vinculo, scandalum generaret. Qui autem Græcè dicuntur Presbyteri, Latinè dicuntur seniores, non tam ætate, quàm prudentia, & morum maturitate. *Sap. 4.* Vnde dicitur in libro Sapientiæ: Cani sunt sensus hominum, & senectus hominis, vita immaculata. Presbyteri quippe, successores & vicarij sunt septuaginta discipulorum: qui præcedebant Dominum Iesum in omnem ciuitatem *Luc. 10.* & locum, quo ipse erat venturus. Ità Presbyteri, quia adiutores sunt Episcoporum, rudes populos initiant, baptizando vnitati Ecclesiæ incorporant: & omnibus sacramentis vsque ad manus impositionem populo Dei ministrant. Episcopi verò successores sunt Apostolorum, qui ex necessitate adiutorium & supplementum sui officij, quo facilius plebes innumeras regere possint, ministerium sibi expetunt sacerdotum. *Num. 11.* Sicut Moyses in eremo L X X. viros prudentes elegit, quorum consilio & auxilio immensam multitudinem populi Israël facilè gubernaret: Siue autem sint minoris ordinis, siue summi ordinis sacerdotes, vicem Christi summi pontificis gerunt, dum populos delinquentes ad pœnitentiam vocant: & orationum suarum medicamento sanant. *2. Cor. 5.* Vnde Apostolus dicit: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Obsecro ergo pro Christo reconciliamini Deo. Funguntur itaque, vt dictum est, officio mediatoris, dum pro populo Deum interpellant, dum pœnitentes absoluendo reconciliant. Vnde oportet, vt sicut mediator Dei & hominum, per hoc quod fuit particeps nostræ mortalitatis, mundum reconciliauit: per hoc quod fuit particeps diuinitatis, absoluit: ità vtriusque ordinis sacerdotes tanquam boni mediatores, & peccatoribus compatiantur per conscientiam suæ infirmitatis, & † Dei pacem habeant per eminentiam sanctitatis. *† cum Deo.* *Gal. 3.* Mediator enim, vt ait Apostolus, vnius non est, quia vtriq; parti quam pacificare vult, amicus est. Quales debeant esse *Tit. 1.* Presbyteri, idem Apostolus scribens ad Titum, ita commemorat: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates Presbyteros, quemadmodum ego tibi disposui. Si quis sine crimine est, vnius vxoris virum, filios habentem fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse. Qua sententia ostendit etiam Presbyteros sub Episcoporum nomine taxari. Vnde & *1. Tim. 3.* ad Timotheum de ordinatione Episcopi & Diaconi, scribit, de Presbyteris verò tacuit, sub nomine Episcoporum eos intelligens. Vnde etiam tales in Ecclesia Presbyteros constituendos esse *Tit. 1.* sicut Episcopos, & Apostolus ad Titum loquitur, & canones ipsi testantur: Hi cùm ordinantur, Episcopo eos benedicente, & manum super capita eorum tenente, omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas iuxta manum Episcopi super capita eorum leuant, & Spiritum sanctum super eos qui ordinantur, inuocant: hi post inuocationem sancti Spiritus, stolam super vtrumque humerum accipiunt, quæ in modum sustentaculorum, dextrum latus munit & sinistrum: vt per hoc intelligant se per arma iustitiæ à dextris & à sinistris esse munitos, vt eos nec aduersa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt & calicem cum vino, & patinam cum hostia de manu Episcopi, quatenus his instrumentis potestatem accipiant placabiles hostias Deo offerendi. Hoc officio vsus est Dominus *Matth. 16.* *Marc 14.* Iesus Christus, quando post cœnam panem & vinum in corpus & sanguinem suum commutauit, & vt in memoriam suæ passionis idem facerent, discipulis suis ordinauit. Hóc etiam manifestius & excellentius officium impleuit, quando ipse idem sacerdos & hostia, seipsum in ara crucis propter peccata humani generis obtulit, & per proprium sanguinem sancta æterna introiens, cælestia & terrestria pacificauit. In quo apparet, quanta sit excellentia sacerdotalis officij, per quod quotidie in altari Christi passio celebratur, & reus quisque à peccatis conuersus, Deo reconciliatur. Quibus omnibus de sacerdotali ordine breuiter pertractatis, admonendi sunt Christi sacerdotes, quatenus sicut excellunt ordinis dignitate, sic excellant vitæ sanctitate: vt & plebs eis commissa, eorum disciplinis edocta, gratanter eis obediat, & eorum imitatione de die in diem proficiat.

SERMO III.

De significationibus indumentorum sacercerdotalium in Synodo habitis.

QVia sanctitas ministerij, sanctitatem expetit ministrorum, quales ad sacerdotium promoueri debeant personæ, in superiori sermone breuiter ex Apostolica institutione commemorauimus: sed in quo habitu ordinari vel ad altare accedere debeant, illi sermoni non inseruimus. De indumentis ergo sacerdotalibus, vel de pontificalibus diligenter considerandum est, quid in moribus sacerdotum significet illa varietas vestium, quid fulgor auri, quid nitor gemmarum: cùm nihil ibi debeat esse ratione carens, sed forma sanctitatis & omnium imago virtutum. Sicut enim bona domus in ipso vestibulo agnoscitur, sic Christi sacerdos cultu sacrarum vestium ostendit exterius, qualis apud se esse debeat interius. Iste autem sacrarum vestium ritus, per Moysen sumpsit exordium: quamuis Christiana religio plus intenta rebus, quàm figuris, sacerdotes suos non omnibus illis veteribus induit ornamentis. Inspiciamus ergo prius veterum ornamenta pontificum, vel quo ordine illis vtebantur, vel cùm ordinarentur, vel cum thymiama oblaturi, sancta sanctorum ingrederentur. Deinde nostra cum illorum indumentis conferentes, quid simile, quid dissimile inter se habebant, & quomodo etiam in rebus significatis conueniant attendamus. Duo enim Cherubim propi- *Exod. 25.* tiatorium aspiciunt, quia sacramenta vtriusque testamenti ad diuinæ propitiationis fidem intendunt, quæ in sacerdotio veteri sub multiplici est sacrificiorum velamine adumbrata: in nouo autem testamento per vnum verum perfectumque est sacrificium completa. In ornamentis itaque vtrorumque sacerdotum & sublimitas sacerdotij commendatur, & sacerdotum casta dignitas significatur, quatenus per exteriorem habitum discant, quales intra se debeant esse, qui vices illius veri summique pontificis gerunt, in quo fuit omnis plenitudo virtutum, quam profitentur exteriora ornamenta membrorum. Sed iam ad id, quod proposuimus, veniamus: & primum, qualiter Moyses,

Aaron & filios eius, Domino iubente, ornauerit, & posteà induerit, videamus. Sic enim legitur in Leuitico: Et fecit Moyses, sicut præcepit ei Dominus: & conuocauit synagogam ad ianuam tabernaculi testimonij, & applicuit Moyses Aaron fratrem suũ & filios eius, & lauit eos aqua, & vestiuit eum tunica, & præcinxit eum zona, & vestiuit eum tunica interiore, & imposuit ei superhumerale, & cinxit eum secundum facturam humeralis, & imposuit super eum logion, & super logion manifestationem & veritatem, & imposuit super caput eius mitram, & posuit super mitram ante faciem eius laminam auream, in qua scriptum erat nomen Domini. *Leuit. 8.*

Notandus est ordo verborum. Licet enim de constituendo Pontifice præcepisset Dominus, & elegisset, tamen vocatur Synagoga. Idcirco enim requiritur præsentia populi in eligendo sacerdote, vt sciant omnes, quià qui doctior est ex omni populo, qui omni virtute præstantior, hic eligi debet ad sacerdotium, & hoc cum consensu Ecclesiæ, ne qua postea retractatio, ne quis scrupulus remaneat, sed omnium testimonio commendetur, secundùm Apostolum: Oportet Episcopum bonum habere testimonium ab his qui foris sunt. Ita plebis testimonio approbatos primò lauat, posteà induit. Moyses quippe in hoc facto typũ legis gerit, qui ordinandos sacerdotes prius lauat, antequam induat. Nisi enim quis prius fuerit per legis obseruationem probatus, non est ad sacerdotium promouendus. Ita verò probatus, induitur tunica, quæ apud eos byssina est, apud nos linea. Byssus enim est genus lini candidissimi, & ad summum candorem multa vexatione & ablutione perductũ. Significat autem perfectam carnis munditiam, secundum illud quod in Apocalypsi legitur: Byssus sunt iustificationes Sanctorum. Hanc munditiam caro sacerdotis ex se non habet, sicut nec linum ex se est candidum: sed sicut dictum est, multis castigationibus & ablutionibus redditur candidum, vt aptum fiat indumentis Pontificum. Forma est sacerdotalis munditiæ, vt secundùm Apostolum, sacerdotes carnem suam castigent, & in seruitutem redigant: & præeunte gratia, habeant per industriam quod non potuerunt habere per naturam. Hæc vestis Græcè ποδήρης id est, talaris, appellatur, quia à collo vsque ad talos extenditur: & ita est arcta, & membris corporis contemperata, vt sua forma testificetur, sacerdotem nihil habere dissolutum, nihil remissum, sed ad omne opus bonum esse expeditum. Hæc eadem vestis circa renes zona fortius adstringitur; vt castitas sacerdotis, nullo incentiuo ũ æstu dissoluatur: Quod bene significatur in quatuor coloribus, quibus zona illa variata erat, bysso, purpura, hyacintho, & cocco: quibus coloribus quatuor elementa significantur: quorum complexione natura constat humana, quorum distemperantia fluxus carnis generat, nisi medicinali cohibeatur continentia. Talium enim coniectores naturam, per byssum, quia de terra oritur, terram: per purpuram, quia sanguine cochlearum marinarum tingitur, aquam: per hyacinthum, quia colorem sereni aëris imitatur, aërem: per coccum, qui colore flammeo rutilat, significari ignem voluerunt. Quorum, vt dictum est, exuberantia in renibus maximè superfluos humores, praui humores illicitos motus generant: qui nisi freno parsimoniæ reprimantur, castitatis dignitas in eis facili impulsu periclitatur. Vbi autem maior est pugna, maior est adhibenda custodia. Inde est, quòd inter indumenta pontificalia adhuc circa renes applicantur linea feminalia, non tam ad velandam carnis turpitudinem, quæ iam solitis operta est vestimentis, quàm propter signum castitatis conseruandæ. Vnde & Apostolus dicit: Honesta nostra nullius egent: Quæ autem inhonesta sunt: his abundantiorem honorem circundamus. Feminalibus non vtuntur noui sacerdotij pontifices, quibus est iniuncta seruandæ castitatis quotidiana necessitas, sicut est quotidie offerendi concessa potestas: cùm pontifices vmbræ seruientes, expleta vice sua, feminalia sua soluerent, tempore vicis suæ tamen ea induerent. Reliqua duo, poderis & zona, veteribus & nouis sacerdotibus fiunt indumenta communia: quamuis zona nostrorum sacerdotum non sit quatuor intexta coloribus, aut propter penuriam materiarum, aut propter absentiam artificum: vndecumque tamen sit, & hæc & illa vnum gerunt temperantiæ typum. Sequitur quartum indumentum, tunica interior, vel hyacinthina, qua & in veteri & in nouo testamento soli vtuntur pontifices. Duabus enim tunicis meritò induitur pontifex, quia debet de thesauro suo proferre noua & vetera; id est, legem intelligere secundùm litteram, quemadmodum ante aduentum Christi obseruabatur, & secundùm spiritum, quemadmodum post aduentum Christi intelligitur: vnde & secunda tunica interior appellatur vel hyacinthina, cuius color cæli serenitatem imitatur: vt per hoc intelligatur, quia pontifex plus debet de cælestibus cogitare, quàm de terrenis. Rectus quippe ordo est, vt primùm studeamus munditiæ carnis, per quam veniamus ad munditiam cordis, quæ nos prouehat ad intellectum diuinitatis: iuxta illud: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quinta vestis est superhumerale, quæ Hebraicè vocatur † ephot. Hæc vestis, sacerdotalis simul & pontificalis apud nos est: apud Hebræos verò, tantũm pontificalis, & apud eos eisdem est variata coloribus, quibus & zona pontificalis, de qua dicitur in ordinatione pontificis: Et circumcinxit eum (de Moyse loquens) secundum facturam humeralis. Humeri quippe fortes sunt ad agenda opera, & portanda onera, quæ ex circumductione humeralis, suis ligaturis constringuntur, quia pontificem & innocentia & operibus iustitiæ oportet esse constrictum, vt in eo nihil inueniatur dissolutum, nihil remissum. Quod verò significant varij colores in zona; idem significant in superhumerali: quia quicquid de terrenis operamur, siue in largitione, siue in restrictione temporalium, totum sumimus ex contemperantia quatuor elementorum. Vnde est, quòd quaternarius decies ductus, surgat in quadragenarium, quia elementorum quatuor abundantia legitimè dispensata, quod significat denarius, ad verum perducit iubilæum, qui exhibitione acquiritur bonorum operum. Quadragenarius enim numerus partibus suis denominatis quinquagenarium facit. Quo numero in lege supradictus iubilæus, id est, remissionis annus exprimitur, veram præfigurans libertatem, quam qui adeptus fuerit, nullam timebit vlterius seruitutem. Huic bonorum operum significationi concinit, quod in humerali duobus preciosis lapidibus

Marginal references: *1. Tim. 3.* (Oportet Episcopum…); *Apoc. 19.* (Byssus sunt iustificationes…); *1. Cor. 9.* (sacerdotes carnem suam castigent); *2. Cor. 12.* (Quæ autem inhonesta sunt…); *Matth. 13.* (post aduentum); *Matth. 5.* (Beati mundo corde…); *† ephod.*; *Leuit. 25.* (in lege supradictus iubilæus)

insculpta erant nomina duodecim Patriarcharum, sex in vno, & sex in altero: quorum alter superpositus erat dextro humero, alter sinistro. Nihil horum vacat à mysterio. Senarius enim propter sui perfectionem, opera iustitiæ significat: Nomina Patriarcharum, memoriam Sanctorum quam semper in exemplum bonorum operum habere debemus à dextris & à sinistris, id est, in prosperis & in aduersis, significant. Et ideò illa nomina in lapidibus scribuntur: quia quod in lapide sculpitur, vix aut nunquam in-de aboletur. Nec illud vacat à mysterio, quod pontifex cingitur secundùm facturam superhumeralis, quia secundum opera sua vnicuique retribuetur. Quod autem nostrorum Pontificum superhumerale non est tot coloribus intextum, nec est tam preciosis gemmis redimitum, nihil refert, cùm Christiana religio veritati seruiens, compendiosis figuris idem intelligi faciat, quod vetus obseruantia sumptuosis.

Matth.16.

Postquam pontificis verenda velata sunt suis indumentis, postquàm cælestia iam cæpit meditari, postquam iustitiæ operibus ornatus est, postquam vtroque cingulo, vt in omnibus fortiter & perseueranter staret, confirmatus est, imponitur rationale pectori pontificis, quod Græcè logion dicitur, per quod sapientia, quæ in ratione consistit, indicatur. Imponitur rationali manifestatio & veritas. Manifestatio ideò, quia non sufficit pontifici habere sapientiam, nisi etiam possit manifestare quæ nouit, & reddere rationem de ea, quæ in nobis est, fide & spe. Veritas verò, quia non debet pontifex de suo corde prophetare, sed ea tantum quæ veritas habet, manifestare. Sunt autem adinuicem concatenata rationale & humerale: quia cohærere sibi inuicem debent ratio & opera: vt quod mentis ratione concepimus, opere impleamus. Et notandus est ordo rerum: quia non prius rationale, quàm humerale: qui non prius sapientia quàm opera: sed prius opera, deinde sapientia. Vndè habetur in psalmo: A mandatis tuis intellexi: & de Domino Iesu dicitur, Quæ cœpit Iesu facere & docere. Deindè non prius manifestatio, quàm rationale: quia nemo docere debet quæ non nouit. Huic ordini concordat Propheta cum dicit: Seminate vobis ad iustitiam, & metite fructum vitæ, & illuminate vobis lumen scientiæ. In hoc pectoris ornamento duodecim lapides inserti erant, duodecim Patriarcharum nomina insculpta habentes: quia sanctorum Patrum exempla pontifex semper debet habere in memoria, & secundùm ea moderari facta sua. In duodenario autem numero lapidum, potest † significari Apostolica doctrina: quia & ipsi lapides per quatuor ordines sunt distributi, & terni in singulis angulis rationalis positi. Quod Apostolicæ doctrinæ bene congruit, quæ fidem Trinitatis per quatuor Euangelia in omni parte mundi prædicauit. Hic ornatus solius erat pontificis, sicut & nunc est apud eos, quibus eo vti concessum est, propter distantiam maiorum & minorum sacerdotum. Ita ornato pontifice, superponitur capiti eius mitra, quæ alio nomine cidaris vel tiara vocatur, qua regnum quinque sensuum, quo præminere pontifex debet, intelligitur. In capite enim vsus habetur omnium corporalium sensuum: quod cum bene regitur, caput viri, id est, Christus decenter ornatur. Et quia caput Christi Deus est, Lamina aurea superponitur cui insculptum est nomen Dei, quod Hebræi vocant ineffabile: vt per hoc intelligatur, Deum sicut omnium conditorem, ita esse rectorem: & ad honorem & gloriam eius esse referendum quicquid à Domini sacerdotibus bene fuerit dispensatum. Hæc indumenta, octo esse debere constituit Moyses in Exodo: sed in Leuitico de eisdem indumentis tractans, de octauo, id est, feminalibus, tacuit. Vnde Hieronymus in epistola ad Fabiolam, scribit: Vbi refertur quomodo Moyses Aaron fratrem suum vestimentis pontificalibus induerit, de solis feminalibus nihil dicitur, hac, arbitror, causa: quia ad genitalia nostra & verenda, lex non misit manum, quia ipsi secretiora monstra † confessione digna tegere debemus & velare, & conscientiam puritatis Deo iudici seruare. De cæteris vero virtutibus, fortitudine, iustitia, humilitate, mansuetudine, liberalitate possunt & alij iudicare: Pudicitiam sola nouit conscientia, & humani oculi certi huius rei esse iudices non possunt absque his, qui passim in morem brutorum animalium in libidinem feruntur. Vnde Apostolus: De virginibus autem præceptum Domini non habeo. Et in Euangelio cum Dominus de eunuchis voluntariis & non voluntariis ageret addidit in fine, Qui potest capere, capiat. Tanquam diceretur: Feminalibus ego vos non vestio, nec impono alicui necessitatem. Qui vult sacerdos esse, ipse se vestiat, ipse se castitate muniat. Igitur ipsi assumamus feminalia, ipsi nostra † verecunda operiamus: non quæramus alienos oculos: ita ita tegantur genitalia, vt cum intramus sancta sanctorum, nulla appareat turpitudo, ne moriamur.

Psal.118.
Act.1.
Osee10.
† figurari.
1.Cor.11.
† & confusione digna tegere & velare debemus.
1.Cor.7.
Matth.19.
† verenda.

Notandum vero est, quod minoribus sacerdotibus neque duplex tunica datur, neque humerale, neque rationale, neque lamina aurea, sed tantum poderis, & mitra, & zona, qua stringatur tunica byssina. Funguntur tamen sacerdotio, se non illa sublimitate, qua funguntur, qui omnibus octo indumentis decorantur. Noui quoque testamenti sacerdotes non omnibus illis vtuntur indumentis, quia nec duabus vtuntur tunicis, nec rationali, præter solos pontifices: nulli autem lamina aurea, quia sicut dicit B. Hieronymus in supra memorata epistola, quod olim in lamina monstrabatur, nunc in signo Crucis ostenditur. Auro enim legis, sanguis Euangelij preciosior est.

Vtuntur autem tunica linea, quæ poderis dicitur, vel talaris, quæ omnium figurat castigationem membrorum & zona quæ tunicam † stringit, quæ dissolutam & remissam prohibet esse castitatem. Vtuntur & superhumerali, per quod exiguntur opera iustitiæ à sacerdote, quia non sufficit temperantia, & à malo abstinentia, quæ superioribus duobus indumentis figurabatur, nisi opera iustitiæ & misericordiæ subsequantur. Vnde & in Psalmo dicitur: Declina à malo & fac bonũ. Vnde ipsum humerali poderi † adstringitur. Vtuntur & stola, quæ alio nomine orarium vocatur: quia vetus sacerdotium non vtebatur. Hoc tanquam iugum bobus arantibus vel triturantibus collo iuxta humeros superponitur, vt illud Euangelicum ab eis impleatur: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: Iugum enim meum suaue, & onus meum leue. Hæc à collo per anteriora descendens, dextrũ latus ornat & sinistrum, vt doceat sacerdotem per arma iustitię

† succingit.
Psal.33.
1.Petr.3.
† affligitur.
Matth.11.

à dextris & à sinistris, id est, in prosperis & ad-
uersis, debere esse munitum: quod ad fortitu-
dinem pertinet, sine qua cæteræ virtutes facile
expugnantur, & minimè coronantur. Vnde di-
cit Apostolus: Patientia vobis necessaria est, vt
Hebr.10. reportetis repromissiones. Et in Euangelio Do-
Matth.10.& 24. minus: Qui perseuerauerit vsque in finem,
hic saluus erit. Inde est quod stola cum zona
poderis quibusdam nexibus colligatur: quia vir-
tutes virtutibus adiuuantur, ne aliquo tentatio-
nis impulsu moueantur. His omnibus indu-
mentis superponitur casula, quæ alio nomine
planeta vocatur: quæ quia communis est ve-
stis, charitatem significat, quæ vniuersis virtu-
tibus superponitur: quia cæteræ virtutes nihil
1.Cor.12. sine ea vtile operantur. Vnde dicit Apostolus:
Et adhuc excellentiorem viam docebo vos:
Æmulamini charitatem. Et quam inutiles abs-
que ea sint cæteræ virtutes, subsequenter ap-
probatur, cum præcipuas virtutes, scientiam
scilicet linguarum, distributionem rerum pro-
priarum, ipsum quoque martyrium sine ea ni-
† valere. hil † esse confirmat. Et ideo prudentiæ po-
nitur loco, quia plenitudo legis est dilectio: &
quia mentibus bene compositis, & diuino cul-
tui mancipatis, frequenter subrepit acedia;
oportet vt ad eam frequenter detergendam, di-
ligens adhibeatur vigilantia, qua ab oculis cor-
dis emergens talis sæpe mundetur pituita. Vn-
de in sinistra manu ponitur quædam mappula,
quæ sæpe fluentem oculorum pituitam tergat,
& oculorum lippitudinem remoueat. Hæc quip-
pe ornamenta, vt dictum est, non sunt ipsæ vir-
tutes, sed virtutum insignia, quibus tanquam
scripturis admonentur vtentes, quid debeant
appetere, quid vitare, & ad quem finem sua fa-
cta dirigere. Adjiciendum est supradictis, quia
Leuitæ suo modo vtuntur supramemoratis indu-
mentis, idem significantibus, quod significant
in Presbyteris. Vtuntur Leuitæ Dalmatica, quæ
propter sui latitudinem curam proximorum si-
gnificat, quod significabat in Presbyteris casu-
la, quia vtrorumque istorum ministrorum, ad
implendam dilectionem, eadem debet esse cu-
stodia.

Vtuntur Episcopi & Cardinales Presbyteri
sandaliis, quæ calceamenta sunt prædicatorum.
† à terra. Habent autem † ad terram soleam integram, ne
pes tangat terram: supra vero constat ex corio,
quibusdam locis pertuso: quia Euangelium non
debet terrenis commodis inniti, nec omnia
† Ecclesiastica. † Euangelica sacramenta omnibus reuelari, nec
Matth.3. omnibus abscondi. Vnde & Dominus discipu-
lis ita dicebat: Vobis datum est nosse myste-
rium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt
videntes non videant, & audientes non intelli-
Esai.52. Rom.10. gant. Hanc sandaliorum significationem Pro-
pheta intelligebat, quando dicebat: Quam spe-
ciosi pedes annunciantium pacem, Euangeli-
zantium bona!

Antequam induantur sandaliis, vestiuntur
caligis byssinis vel lineis, vsque ad genua pro-
tensis, & ibi bene constrictis: per quas signi-
ficatur, quia debent rectos gressus facere pedi-
bus suis: & genua debilia, id est, negligentiis
resoluta, roborare, & sic ad prædicandum Euan-
gelium festinare. Vnguntur præterea manus
Presbyteris & Episcopis, vt cognoscant se in
virtute sancti Spiritus hoc sacramento gratiam
consecrandi accipere, & opera misericordiæ er-
ga omnes pro viribus exercere debere. Episco-
po vero specialiter caput vngitur, vt intelligat
se esse illius vicarium, de quo dicitur in Psalmo:
Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ con- Psal.44.
sortibus tuis. Accipiunt hac vnctione claues Matth.18.
regni cælorum vt quæcumque ligauerint super
terram, sint ligata & in cælis; & quæcumque
soluerint super terram, sint soluta & in cælo:
& quorum peccata detinuerint: sint detenta: &
quorum peccata dimiserint, sint dimissa. His Ioan.20.
ita de ornatu sacerdotali & pontificali breuiter
prælibatis, admonendi estis, vt sicut sacramenta
profunda audistis, sic ea studeatis & corde intel-
ligere & opere implere. Non enim auditores Rom.2.
legis iusti sunt apud Deum, sed factores. Potest
enim vnusquisque vestrum intra se regale ha-
bere sacerdotium & sacerdotales ornatus, si
quem abluerit & mundum fecerit legis obserua-
tio, & si gratia baptismi & vnctio chrismatis il-
libata permanserit, & si indutus duplicibus in-
dumentis, litteræ scilicet, & spiritus, fuerit: & si
in his fortiter accingatur, vt sit castus mente &
corpore, si etiam superhumerali operum iusti-
ficetur, si stola fortitudinis à dextris & à sini-
stris muniatur, si plenitudine scientiæ, quam
planeta significat, cumuletur: potest, inquam,
ita ornatus intra Dei templum, quod ipse est,
verum habere sacerdotium. Qui autem nec sa- Leuit.10.
cris vestibus induti, nec honestis moribus or-
nati, ad altare Dei accedere præsumpserint,
sicut filij Aaron, Nadab & Abihu, igne alieno, Matth.22.
quem offerebant ante Dominum, consumpti
sunt: ita isti non diuina ordinatione, sed sua præ-
sumptione sacerdotium sibi vsurpantes, cum
his, qui ad regales nuptias sine veste nuptiali
intrauerunt, æternis ignibus sunt cruciandi.
Vnde dicitur in Leuitico: & dixit Dominus ad Leuit.16.
Moysen: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne
intret omni hora in sancta interiora, vt non
moriatur. Vnde ostenditur, quod si inordinate
intraret, sancta sanctorum, non præparatus, non
indutus sacerdotalibus indumentis, non pro-
pitiato sibi prius Deo, morietur: & merito, tan-
quam qui non fecerit ea, quæ oportet fieri, an-
tequam accedatur ad altare Dei: ad omnes enim
nos pertinet nos omnes instruit lex Dei, vt scia-
mus quomodo debeamus accedere ad altare
Dei, & offerre; scilicet vt deponamus vesti-
menta sordida, id est, carnis immunditiam, pra-
uitatem morum, inquinamenta libidinum. Vn- Exod.28.
de & in eodem Leuitico, cum enumerasset Do-
minus vestes, quibus induendus erat Aaron &
filij eius, adiunxit: Vesties his omnibus fratrem
tuum, & filios eius cum eo & cunctorum con-
secrabis manus; sanctificabisque illos vt sacer-
dotio fungantur mihi. Sequitur: Et vtentur
eis Aaron & filij eius, quando ingredientur te-
stimonij tabernaculum, quando appropinqua-
bunt ad altare, vt ministrent in sanctuario, ne
iniquitatis rei moriantur. Ex his omnibus col-
ligitur, quanta sit dignitas sacerdotalis mini-
sterij, & quanta esse debeat sanctitas ministro-
rum: quam qui habuerit, sacerdotij merito non
carebit. Qui vero non habuerit, & sacerdo-
tij officium vsurpauerit, merito cum supra
memoratis præsumptoribus interibit. Multa
de sacerdotij dignitate, multa de indumento-
rum sacerdotalium mystica pulchritudine, vi-
tantes prolixitatem sermonis, præteriuimus:
hoc intendentes, quia ad ædificationem mo-
rum, & ad vtilitatem audientium ista suffi-
ciunt.

SERMO IV.

De Sacramentis dedicationis.

QVoniam ad dedicationem præsentis Basilicæ hodie deuote conuenistis, oportet, vt, quod in his sanctis manufactis fieri videtis, totum impletum esse in vobis cognoscatis. Primo enim manibus patrinorum ad Ecclesiam fuistis allati, & sacerdotibus vel exorcistis ac catechizandum oblati. Qui dum vos catechizarent, dum Christi legibus, initiarent, de massa antiqua præuaricatione corrupta, præcidebant: & ipsa fidei professio, & prauorum morum abrenunciatio, quæ à vobis exigebatur, interiorem parturiebat in vobis nouitatem, qua Christi imaginem de cælo portaretis, renati per gratiam, sicut antea portaueratis imaginem terreni parentis, ex eo geniti per naturam. His documentis instructi, accessistis ad aquam, & fonte salutis abluti estis, vbi secundum Apostolum per trinam mersionem Christo consepulti estis: vt quemadmodum ipse semel carne est mortuus & resurgens ex mortuis, iam non moritur: ita vos à peccatis abluti, & prima resurrectione regenerati, morti animæ, id est, peccato, non subjiciamini. Deinde oleo sancto vncti fuistis in capite, vt charitas, quæ per Spiritum sanctum datur, semper abundet in corde, secundum illud verbum Sapientiæ: Oleum de capite tuo nunquam deficiat: Vnde & Apostolus, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Datus est tamen & idem Spiritus, cum aquis salutaribus ablueremini: sed ibi ad præteritorum criminum remissionem, hic vero ad ædificandam in cordibus vestris Dei & proximi dilectionem. Hæc charitas in Christi corpore non præfert indigenam alienigenæ, non nobilem ignobili, non virum mulieri: sed omnes per adoptionem spiritus facit filios, quicumque per eundem Spiritum clamant, Pater noster, dimitte nobis debita nostra. In hoc ergo Christi corpore ille solus habetur sublimior, qui fuerit in Dei amore potentior. Accepistis etiam oleum sanctum in pectore, vt vigeret in corde vestro sapientia. Accepistis & in humero dextro, & in exercitiis bonorum operum indeficiens feruetur patientia: neque aliquando nouerit sinistra vestra, quid † faciat dextera vestra. Quia verò in humeris vigor constat portandi oneris, huius partis vnctione Christi athletæ dedicati estis, vt sciatis vos ad certamen esse vocatos: & per totum vitæ vestræ cursum, contra antiquum hostem publicis & priuatis congressionibus esse pugnaturos. Data est vobis ad vltimum vestis candida, caput & membra cooperiens, quæ candore suo figuram præferebat, acceptæ nouitatis, & spem futuræ immortalitatis, ad quam de spe ad speciem venietis, si cum veste candida, id est, vitæ innocentia, ad nuptias regis intraueritis. His ergo sacramentis initiati & confirmati, facti estis templum Dei viui fundati in fide, superædificati in charitate, cumulati spe de promissa æternitate.

Rom. 6. — Eccl. 9. — Rom. 5. — Matth. 6. — † fecerit.

¶ His igitur de spirituali templo Dei breuiter prælibatis, nunc ad ea quæ in his visibilibus templis aguntur, sacramenta veniamus, & ea latius exponentes, prout Dominus donauerit, cum superioribus conferamus. Primo enim lapides, qui ad hanc fabricam ædificandam comportati sunt, aut de montibus sunt præcisi, aut de locis subterraneis eruti, aut de agris collecti. Adhibita est de hinc cæmentariorum manus, quæ tundente frequenter ferro, superiecta regula, scrupulositatem & informitatem lapidum complanaret, & ad debitam quadraturam, qua maiores minoribus in paritate comparari possent, artis suæ disciplina perduceret. Videmus hæc in sancto Dei templo spiritaliter impleta, cum vos de omni genere hominum, sublimium, humilium, mediocrium, ad audiendum verbum vitæ conuenistis, & cælestis disciplinæ dolabro fortitudinem veteris vitæ deponere voluistis, vt in Dei ædificio tanquam perpoliti lapides ordinari possetis, vbi iam non aspernaretur nobilis ignobilem, diues pauperem, quem cognosceret secum in cælis eundem habere patrem. Addita est etiam complanatis lapidibus, cum in parietibus ad ordinem vnius lineæ collocarentur, sicut nostris, cæmenti glutinosa tenacitas, quæ lapides inuicem constringeret, & ab imposito sibi ordine separari non permitteret, quamuis alicubi maior minori suppositus videretur, alicubi vero minor maiore premeretur: & hoc in templo non manufacto fieri videmus, cum eos quos congregauit fidei vnitas: ligat indissolubilis charitas: ne indignetur maior de prælatione minoris: ne conqueratur minor de † correptione maioris, cum dicat Apostolus: Inuicem onera vestra portate & sic adimplebitis legem Christi. Ædificato itaque templo, & quasi in vnius lapidis formam cæmento constringente redacto, vt templum Dei nomen & honorem habere mereatur, ad commendandum baptismi sacramentum, per quod in eodem templo noui populi creandi sunt, ipsum templum primum suo modo & suo ordine baptizamus, & deinceps multiplici sacramentorum sanctitate dedicamus. Primo itaque aquam benedicimus, cui & sal admiscetur. Aqua etenim pœnitentiæ figuram gerit, quæ velut aqua, peccatorum maculas abluit: quam tunc benedicimus, cum virtutem pœnitentiæ populis ad fidem venientibus prædicamus. Vnde & Petrus quibusdam corde compunctis, in Actibus Apostolorum dicit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Cui admiscetur sal, id est, Euangelica doctrina, fluxa auditorum corda suaui † mordacitate constringens, & ad conseruandam vitæ nouitatem sapienter componens. Ista aqua ad quandam baptismi imaginem gyrando Ecclesiam tunc exterius adspergimus: quia vbi more baptizatorum non potest fieri trina mersio, necesse est, vt qua possumus sacramenti similitudine trina fiat adspersio. Vnam enim habet hanc significationem trina mersio, & trina adspersio, quia quicquid cogitatione, locutione & actione committitur, totum salutari fonte diluitur: Interim autem in circuitu dedicandæ Ecclesiæ duodecim sunt accensa luminaria: quibus significatur, quod commendanda sit lucens & ardens Apostolica doctrina. Sic cum templum à Salomone constructum, Domino iubente fuisset dedicatum, duodecim duces eadem munera detulerunt, sed ea singuli singulis diebus obtulerunt: hoc significante Spiritu sancto, quod in Ecclesiæ ædificatione doctrina Apostolica, vnanimis & concors esset prædicanda, & tamen quæque gens suum prædicatorem

† correctione. — Gal. 6. — Act. 2. — † moderatione.

sortitura. Ad singulos vero circuitus accedit Pontifex ad hostium basilicæ, clero & populo subsequente: & percutit super liminare virga *Psal. 23.* pastorali, cantando Antiphonam: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æter- *Matth. 10. Marc. 6.* nales. Virga enim pastoralis potestas intelligitur sacerdotalis, quam Dominus discipulis suis contulit, quando eos ad prędicationem mittens, nihil eos in via ferre nisi virgam tantum permisit. Qua virga, sancti sacerdotes & solantur humiles, & terrent superbos, & feriunt impœnitentes. Quam potestatem à patre filius accepit, cum per humilitatem assumptæ humanitatis, cælestium, terrestrium & infernorum dominatum accepit. Eamdem ergo potestatem Dominus suis largitus est pręsulibus, cum Petro & in eo Ecclesiæ principibus, potestatem dedit, *Matth. 16.* dicens: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Cui ergo portæ inferi non præualebunt, & cui ligandi atque soluendi in cælo & in terra priuilegium traditur, constat quia & cælo & terræ & inferno principetur. Cum ergo Pontifex super liminare futuræ Ecclesiæ virga pastorali, ter percutit, ostendit quia sibi cæli & terræ & inferi potestas cedit. Vnde & post trinam percussionem ostium aperitur, quia sacerdoti potestatem suam indigne conseruanti, pars aduersa resistere non potest. Nam ipsa Ecclesia, antequam pontifex eam ingrediatur, populi ignorantis, & perfidiæ tenebris inclusi figuram te- *Psal. 23.* net. Huius populi ignorantis typum gerit, qui intus admonitionem pontificis quasi admirans, *Ibid.* interrogat: Quis est iste Rex gloriæ? Imperat autem pontifex dæmonibus seu vitiis, dicendo: *Psal. 9.* Tollite portas principes vestras, vt tollant portas suas, quatenus portæ cælestes, id est, virtutes eleuantur, per quas introeat Rex gloriæ. E contrario portæ mortis, sunt peccata. Vnde & Propheta gloriatur in Domino: Qui exaltas me *Matt. 10.* de portis mortis. Sunt autem portæ, quæ eleuantur in Ecclesia maxime tres, id est, sacri ver- *† vnctio.* bi prędicatio, baptismi gratia, chrismatis † honor: per quas Rex gloriæ ad corda eorum qui ad fidem veniunt, intrat. Aperto vero ostio, intrat pontifex cum clero & populo, dicens: Pax huic domui: ter, quia Christus mundum ingrediens per assumptionem carnis nostræ parietem inimicitiarum peccatis nostris erectum, destruxit: & pacem inter Deum & hominem, inter terrestria & cælestia sui aduentus mediatione reformauit. Pontifex ergo Ecclesiam ingrediens, pax huic domui, clamat: quia sancti doctores hoc intendunt, vt populus qui à Deo discordauerat per peccata, ei reconciliaretur per bonorum operum exercitia. Quod vero, intrante pontifice Ecclesiam, clerus, sacerdos & leuitæ prostrati in terram, ad Dominum clamant, pro *Ioan. 17.* sanctificatione ipsius domus: Hoc est quod Dominus ante passionem fecit, pro discipulis & cæteris fidelibus orans: Pater sanctifica eos, quos mihi dedisti. Ita enim Paulus tanquam Ecclesiam ingressus, cohortatur omnes ad ora- *1. Tim. 2.* tionem, dicens: Obsecro primum omnium fieri orationes, postulationes, pro omnibus hominibus, & cætera. Pontifex ergo dum in nouam Ecclesiam, eam sanctificaturus, ingreditur, & statim ad orationem se confert, Apostoli vocem complet: qui primum omnium pro omnibus hominibus orationem fieri monet: & ita adhuc eorum typum tenet, qui rudem populum docere incipiunt. Inde est quod surgens ab oratione, nondum salutat populum, dicendo, Dominus vobiscum: sed tantum ad orationem cunctos hortatur, quia nouellus populus necdum sacerdotis salutatione dignus videatur. Orandum ergo est pro talibus, qui nondum initiati sunt: non tamen salutandi sunt, qui non est eis consentiendum, vel applaudendum. Vnde ipsis *Luc. 10.* prędicatoribus Dominus dicit, vt neminem salutent in via: id est, neminem transitoria appetentem vana spe demulceant. His completis, *Quid significat descriptio alphabeti in basilica.* incipit pontifex de sinistro angulo ab oriente scribere per pauimentum alphabetum, vsque in dextrum angulum occidentis: atque iterum à dextro angulo orientis, vsque in sinistrum angulum occidentalem basilicæ. Quid autem per alphabetum, nisi initia & rudimenta doctrinæ sacræ intelligi conuenit? Vnde Paulus ad He- *Hebr. 5.* bræos: Cum deberetis esse magistri propter tempus, rursum indigetis vt instruamini quæ sint elementa sermonum Dei. Scribit etiam pontifex quasi alphabeti ordinem, cum docet fidei simplicitatem. Nam sicut paruulorum conuenit eruditioni, primum litterarum elementa cognoscere, deinde ad syllabas, ac post verba paulatim ad sententiarum cognitionem peruenire: sic sunt quidam gradus intellectus in eruditione sanctæ Ecclesiæ. Quod vero ab angulo orientali sinistro in occidentalem dextrum prior versus definit, & rursus ab angulo orientali dextro versus, reuertitur in sinistrum occidentalem, duplici figuræ adgaudet. Quarum prima est, quia in tali schemate crux figuratur, vt doctrinæ Euangelicæ, qua simplices imbuendi sunt, mors Christi principaliter inseratur. Vnde Paulus Corinthiis adhuc rudibus ita dixit: Nesciui *1. Cor. 2.* me scire aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Sinister autem angulus Orientalis, à quo primus versus incipit: populus intelligitur Iudaicus, ex quo ortus est Dominus. Peruenit autem vsque in angulum Occidentalem: quia cum Dominus noster ex Iudæis sit ortus, fides incarnationis eius & mortis, à gentibus est suscepta. Sed cum idem versus ab angulo Orientali dextro, reuertitur ad angulum Occidentalem sinistrum, hoc significari videtur, cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israël saluus erit. Vtriusque ergo *Rom. 11.* populi collectionem illi duo versus significant in vnam crucis compaginem. Hinc est quod *Gen. 48.* Iacob filiis Ioseph benedicens, & cancellatis manibus effigiem crucis faciens, dextram manum supra Effraim iunioris, sinistram super caput Manassæ maioris posuit: significans quia populus quondam dexter, in sinistrum verteretur, sinisterque in dextrum. Quod vero eadem scriptura virga pastorali peragitur, significatur quod iste transitus de Iudæis ad gentes, & ea denuo conuersio quæ in finem mundi consummanda est, per officium sacerdotum perficietur. Dehinc Pontifex ad altiora conscendit: & stans ante altare, Deum sibi in adiutorium inuocat, veluti iam incipiens operari. Nam præterita quasi quædam prœmia fuerunt. Dicit ergo, Deus in adiutorium meum intende, & cætera † absque Alleluia. Hæc enim vox est in hac vi- *† vsque ad.* ta laborantium, & contra hostes visibiles & inuisibiles colluctantium: & ideo Deum in suum adiutorium inuocantium. Nedum tamen laudibus Dei Alleluia adiungunt, quia adhuc in laboribus & sudoribus se esse conspiciunt.

Alleluia enim non huius temporis laudes, sed æternæ vitæ gloriam significat: vnde mos inoleuit, vt in diebus Septuagesimæ ante Pascha Alleluia non cantetur, quia sunt dies luctus, & pœnitentiæ. Pontifex ergo qui cum subditorum imperitia & contradictione adhuc certat, adiutorium quidem Dei postulat: Alleluia nondum cum eis pleniter cantat, de quorum salute nondum pleniter sperat. Postea vero benedicitur aqua commixto sale & cinere. Et aqua quidem significari populū testatur Apocalypsis, dicēs: Aquæ multæ, populi multi. Sal autem doctrinam verbi diuini signat. Vnde in lege præcipitur: In omni sacrificio sal offerres: nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio eius. Quod est dicere: Non placent Deo illa opera, quæ non condiuntur diuina sapientia. Cinis autem reliquias, id est, memoriam signat Dominicæ passionis, quam significabat cinis vitulæ adspersus, ad expiationem populi. Aqua ergo benedicitur, vt sanctificetur. Sal cum cinere miscetur, cum populus vt sanctificari possit diuina† sapientia & fide Dominicæ passionis, instruitur. Fit autem crux ter super aquam & sale & cinere, cum fidei diuinitatis & passionis, fides additur Trinitatis. Huic ergo mixturæ & vinum additur cum aqua. Quæ duo geminam naturam significant in vna persona, diuinitatem scilicet & humanitatem. Et est ordo intuendus. Primum pontifex ostium† intrat: deinde pro populo orat: post hoc, alphabetum scribit: inde aquam cum sale & cinere benedicit, cui vinum admiscet: quia vnusquisque primum sibi per confessionem portam salutis aperit, deinde est sacerdotis pro eo orare: post hoc primordia fidei ei tradere, & quasi cathecumenum facere, deinde instrui, qualiter iungi possit corpori sui Saluatoris per sacram doctrinam: docere etiam, quia Christus Iesus Deus & homo: postremo, sacro fonte purificari. Hoc idem significatum est in exteriori parietum adspersione, sed non ideo hic fieri ad interiorem parietum aspersionem, superuacuum videri debet: quia quicquit in exteriori sanctificatione agitur, superstitiosum est, nisi interiori homine compleatur. Post hęc tingit sacerdos digitum in aqua, & facit crucem per quatuor cornua altaris. Altare enim Ecclesiæ figuram præfert: quod per quatuor cornua distenditur, quia per quatuor mundi cardines dilatatur. Pro cuius typo Abrahæ dictū est, Dilataberis vsque ad Orientem & Occidentem, Septemtrionem & Meridiem. Bene ergo crux de aqua fit per quatuor altaris cornua: vt ostendatur, omnem Ecclesiam esse mundandam à sordibus peccatorum per lauacrum aquæ & fidem passionis. Inde venit ante altare, & adspergit illud septem vicibus. Quo numero significatur plenitudo Spiritus sancti, id est, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini. Aspergitur autem eadem aqua cum hysopo, quæ herba est humilis, interiora pectoris purgans, & duritiam saxorum radicibus penetrans, cuius aspergine munditiæ fiebant in lege. Significabat autem humilitatem Christi, qui superbiæ nostræ tumores, sui sanguinis adspersione sanauit. Aqua ergo cum hysopo adspergitur, cum baptismus Christi sanguine consecratus Ecclesiæ tribuitur. Circuit autem altare, spargendo eandem aquam, vt ostendat

Apoc. 17. Leuit. 2. † scientia. † aperit. Gen. 28. Esai 11.

doctorem non debere ocio vacare, sed eorum quos initiauerit mundationi operam dare, & vt Dominus mittat Angelum in circuitu eorum, qui eos† erudiat, semper orare. Circuit dehinc totam Ecclesiam & adspergit parietes illius: vt demonstret, se omnem curam impendere omni ætati, omni sexui. Facit autem secundo & tertio, vt ostendat eos, qui baptizantur, non solum esse mundandos à peccato cogitationis, sed etiam locutionis & operis. Canitur autem interim Psalm. Exurgat Deus, cum antiphona, vt viribus destituantur qui sacramentis fidei aduersantur. Cantant etiam antiphonam, Qui habitat in adiutorio Altissimi, asserentes nullum à Deo protegi nisi eum, qui de viribus suis nihil præsumens, Dei adiutorium semper implorauerit. Ipse tamen pontifex non debet quiescere, sed quasi conspicuus per mediā Ecclesiā incedere, omnes suo exemplo informare, omnibus sacramenta crucis ac mortis Domini intimare, & cantare, Domus mea domus orationis vocabitur: videlicet, vt talem Ecclesiam præparet, quæ non sit spelunca latronum, sed domus orationis, id est, non fures & latrones, sed qui benedicant Dominum omni tempore: qualiter versum subsequentem possit libere cantare, Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Hæc tunc bene pontifex agit, cum omnia bona quæ inchoat, per Dei consilium consummari postulat. Vnde his peractis, Pontifex se ad orationem confert, vt omnes, qui eandem domum oraturi intrauerint, exauditos se esse gaudeant, vt ostendat pontifex se omnium subditorum curam cum Paulo gerere, & eorum memoriam se in orationibus suis frequentare. Completa expiatione, pontifex conuertitur ad altare, incipiens Antiphonam: Introibo ad altare Dei, cum Psalmo, & fundit quod remansit de aqua purificationis, ad basim altaris: quia quod ipse nequit, Domino humiliter committit, purgationem scilicet subditorum, cui ipse tanquam homo cooperari & collaborare potest: Interior autem & perfecta mundatio, solius est Dei. Hinc est, quod in sacrificiis veteris vestamenti, sanguis hostiarum vel in cornibus altaris ponebatur, vel ex aliquibus hostiis digito sacerdotis contra Dominum aspergebatur: & quod reliquum erat, ad basim altaris fundebatur. Quia sacerdotum est, quicquid possunt, ad vtilitatem gregis sibi commissi facere: Quod autem vires suas excedit, Domino deuotissime commendare. Quam formam primus pastor pastoribus reliquit, cum passioni appropinquans, patri dixit: Pater, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Sic & Paulus in articulo vitæ præsentis, quasi ad basim altaris aquam fundens, discipulos Domino commendabat, dicens: & nunc commendo vos Domino, & verbo gratiæ eius. Quod etiam innuit Antiphona: dicit enim se introiturum ad altare Dei, id est, ad illud altare, quod significatur per istud visibile ad quod non penetrat oculus carnis sed pura intentio mentis: & hoc est quod sequitur, Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Postea extergitur altare linteo: linum enim de terra ortum, magno labore ad candorem perducitur: ita caro Christi orta de terra, id est, B. Maria Virgine, per angustias passionis peruenit ad honorem resurrectionis. Doctor itaque quasi linteo altare detergit, cum imitationem Dominicæ

† eripiat. Psal. 67. Psal 90. Esai. 56. Matth. 21. Psal. 21. 2. Cor. 12. Psal. 42. Ioan. 17. Psal. 42.

1. Petr. 2. passionis auditorum mentibus imprimit, dicens cum Apostolo: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Dum ergo doctor talia facit, quasi altare madidum labore humanitatis, abstergit linteo Dominicæ imitationis. Deinde † fit incensum, quod significat orationes Sanctorum, secundum quod Ioannes dixit de Angelo, quod data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum super altare, quod est in conspectu Domini. Post effusionem ergo aquæ ad basim altaris, extergitur altare linteo, & offertur incensum: quia necesse est, vt sacerdos, qui salutem populi sibi commissi Domino commendat, & per afflictionem corporis & per intentionem illud agat piæ intercessionis. Vnde & Dominus, postquam discipulos patri commendauit, mox subiturus passionem pro ipsis orauit. Interea mittit pontifex oleum super altare in medio altaris crucem ex eo faciens, & super quatuor angulos altaris. Est quidem satis congrue ordo seruatus, vt post emundationem per aquam, & reliqua quæ dicta sunt, perfundatur oleo altare: quia & sancta Ecclesia prius aqua mundatur in fonte baptismatis, & sic vnctione insignitur per manus pontificis, vt Spiritus sancti in se mereatur aduentum. Nam oleum gratiam significat Spiritus sancti, quo charitas diffunditur in cordibus electorum ad diligendum Deum & proximum. Dehinc insignitur altare sacrosancti chrismatis vnctione, & interim cantatur antiphona: Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis: vt hac vnctione intelligamus plenitudinem gratiæ, quæ præcessit in capite, & postea refulsit in corpore, cum misso desuper spiritu, data est Apostolis manifesta chrismatum gratia, de qua dicit Apostolus: Omnes de plenitudine eius accepimus, gratiam † per gratiam, id est, per gratiam fidei diuersa chrismata. Hinc est, quod de consecrato altari chrismantur in parietibus illæ duodecim cruces, quæ typum gerunt Apostolicum, qui & primitias spiritus acceperunt, & crucis mysterium populis & gentibus manifestare studuerunt. Peracta denique consecratione, albis velaminibus cooperitur altare, quibus & sacramentum intelligitur nouitatis, & prænunciatur, sicut, cum de baptizatis loqueremur dictum est, gloria futuræ incorruptionis. Huius enim templi non manufacti, tunc vera & plena erit consecratio, cum passibile hoc induerit impassibilitatem, & mortale hoc acceperit immortalitatem: & completum fuerit in corpore, quod iam præcessit in capite. Vnde in Psalmo, qui iam intitulatur. In dedicatione domus, ex voce mediatoris tam pro se, quam pro membris suis, ita continetur: Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. Planctum, dicit mortalitatem nostram, quæ tamdiu deflenda est, quamdiu peregrinamur à Deo, & differtur à nobis visio pacis, qua perfruentur, quibus suaue est dolere in doloribus, & ærumnis huius vitæ, & ad æternæ vitæ gaudia suspirare. Hic planctus, hic dolor in gaudium vertitur, cum ad patriam, à qua nunc exulamus, peracta peregrinatione peruenitur. Vnde & sequitur: Conscidisti saccum meum. Saccus quippe ex lanis caprarum & hædorum contexitur. Hœdi vero quia petulca animalia sunt, pro peccatoribus in scriptura ponuntur. Saccus ergo noster conscinditur cum passibilitas & mortalitas humanæ naturæ de peccato veniens, in immortalitatem commutatur, & lætitia in commutabilis, de reparata immortalitate commutatur, & hoc est, quod sequitur, Vt cantet tibi gloria mea, cui suspirabat & flebat miseria mea: & non compungar, quia deleto in carne peccato, non punget conscientiam spina peccati: quæ tanto esset in recordatione tristitior, quanto fuisset perpetratione iocundior: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi, id est, æternas laudes de sempiterna gloria reddam tibi. Beati enim qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Huic tam iocundæ tamque festiuæ dedicationi gaudens festiuusque intererit, qui in hoc templo manufacto, accepta veste nuptiali templum Dei, quod ipse est sanctum inuiolatumque vsque ad hanc æternam inuiolabilemque dedicationem custodierit. His igitur breuiter declaratis fraternitatem vestram commonemus, vt quod aure audistis, corde credatis, & opere implere studeatis. Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[Left margin notes: † offert incensum. Apoc. 8. — Ioan. 17. — Rom. 5. — Psal. 44. — Act. 2. Ioan. 1. — † pro gratia. — Psal. 29. — Ibid. — Matth. 25. — Psal. 29. Right margin notes: Ibid. — Psal. 83.]

SERMO V.

Siue Opusculum de conuenientia veteris & noui sacrificij.

Beneficia, quæ pro saluandorum reconciliatione Saluator in terris exhibuit, longe ante Patriarcharum ænigmatibus præsignata, prophetarum visionibus & oraculis prænunciata, ex parte commemorare proposui: quæ licet Ecclesia Dei suis temporibus annua celebritate recordetur, in quotidianis tamen Missarum sacramentis, eadem pia deuotione commemorat, vt per fiduciam exhibitorum, † fideliter interpellet mediatorem, vel ad impetrandam indulgentiam commissorum, vel ad consequendam præmia meritorum. Hæc, inquam, ex parte commemorare proposui, quia cuncta colligere & vires meas excedit, & fastidiosis auditorum mentibus non expedit. Quæ autem dicturus sum, ad hoc intendunt, vt mediante † Ecclesiastica veritate pateat, qualiter conueniant vetera sacramenta cum nouis, cum Ecclesia eadem sacramenta qua potest imitatione, ex Euangelica traditione sacro ritu honorat, & testificatur esse præteritum, quod vetera sacramenta prænunciauere venturum. Colligamus ergo aliqua necessaria de veterum libris, quæ Christum & Ecclesiam præloquuntur, vt cum ea in Christi Natiuitate, Passione, Resurrectione, Ascensione, & Spiritus sancti missione completa viderimus, tunc facilius vtrorumque sacramentorum concordiam intelligere possimus, cum quod illa futurum fatentur, hæc prout Dominus instituit, imitentur, quæ ergo diximus, appositis testimoniis, ostendamus, vt primo vmbram cum veritate consonare videamus. Ac primo veniat Moyses in medium, in rubo succenso, & non combusto cum Deo loquens. Quo facto figuratur, quia de populo Iudaico peccatorum spinis obsito, ille erat exiturus, qui in igne Deitatis, carnis nostræ peccata, quasi rubi spinam acciperet, & inconsumptam nostræ humanitatis substantiam, etiam in ipsa diuinitatis flamma seruaret. Item apud eundem virga Aaron, quæ post ari-

[Right margin notes: † fidenter. — † euangelica. — Exod. 3. — Num. 17.]

Num. 17. ditatem floruit, & nuces protulit, Christus est,
qui nullo extrinsecus infuso humore, de carne
virginis genitus, amaritudinem passionis in car-
ne tanquam in cortice pertulit, & Sanctorum
mentes internæ dulcedinis suæ gustu, tanquam
Iudic. 7. nuclei dulcedine pascit. Dehinc in libro Iudi-
cum, quid in vellere Gedeonis compluto intel-
ligitur, nisi quod psalmus de Christi natiuitate
Psal. 71. prædixit, Descendet sicut pluuia in vellus:
Christum significans virgineis visceribus se cæ-
litus infudisse sine strepitu, sine carnis corru-
ptione: quippe qui matris viscera non vulnera-
uit, sed mundando sacrauit. Hæc de multiplicis
futuræ Christi Natiuitatis velut oraculis, pau-
ca huic opusculo inseruimus: nunc ad ipsa pro-
phetarum præconia veniamus, præteritis signis,
& Euangelicæ veritati consonantia: quibus præ-
nunciatum est, Christum de virgine nasciturum,
& nouum testamentum, & nouum sacerdotium
Deut. 18. Iudæis, & Gentibus allaturum. Primus enim
Moyses dicit: Prophetam suscitauit vobis Deus
ex fratribus vestris: ipsum audietis tanquam
me. Quod ipse Christus in principio verbum
sit, & Deus apud Deum, testatur Psalmus, di-
Psal. 44. cens: Eructauit cor meum verbum bonum, di-
co ego opera mea regi. Et alius Psalmus: Ver-
Psal. 32. bo Dei cæli firmati sunt, & spiritu oris eius om-
nis virtus eorum. Quod idem Christus Dei fi-
lius, Dei sit sapientia, & de Sacramento incar-
nationis eius, passionis, & calicis, & altaris &
Apostolorum, qui missi prædicauerunt, apud
Prou. 9. Salomonem legitur in Parabolis: Sapientia ædi-
ficauit sibi domum, & subdidit columnas se-
ptem: mactauit hostiam suam, & miscuit in cra-
tere vinum suum, & parauit mensam suam, &
misit seruos suos, conuocans cum excelsa prædi-
catione ad craterem dicens: Qui est insipiens,
declinet ad me: & egentibus sensu dicit: Veni-
te, edite de panibus meis, & bibite vinum, quod
miscui vobis. Derelinquite insipientiam, &
quærite prudentiam, & corrigere scientiæ in-
telligentiam. Quod Deus venturus esset illumi-
nator generis humani & Saluator, apud Esaiam:
Esai. 35. Consolamini pusillanimes, nolite timere: Deus
iudicium retribuet: ipse veniet, & saluabit nos.
Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures sur-
† patebunt. dorum † audient. Quodque cum esset à prin-
cipio Dei filius, generationem denuo habiturus
esset secundum carnem, ita habetur in Psalmo:
Psal. 2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego ho-
Esai. 7. die genui te. Item quod nasciturus esset de vir-
gine, apud Esaiam: Ecce virgo concipiet & pa-
riet filium,
& vocabi-
tur nomen
eius, Ema-
nuel. Item
quod Chri-
stus Deus
& homo,
ex vtroque
genere sit
concretus,
vt media-
tor esse

Non de naturarum confusione & commixtione, quod est nefandum Eutychis dogma, sed de personarum vnitate, hæc contra Nestorium accipiantur, vt Christum vnam in diuinitate & humanitate personam, ex vtroque genere concretum esse, hoc est, constare ex diuinitate & humanitate, hoc est, Deum & hominem esse, dicere voluerit, inconfusa Dei & hominis substantia permanente.

Hier. 17. posset inter & nos Patrem, apud Hieremiam:
Num. 24. Et homo est, & quis cognoscet eum? Item in
Numeris: Orietur stella ex Iacob, & consurget
homo de Israël. Item ibi, Procedet homo ex se-
mine eius, & dominabitur gentium multarum:
& exaltabitur & augebitur regnum eius. Item
Esai. 61. apud Esaiam: Spiritu Domini super me, eo

quod vnxerit me, euangelizare pauperibus mi-
sit me. Item apud Esaiam: Et exiet virga de Luc. 24.
radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & Esai. 11.
requiescet super eum spiritus Domini, spiritus
sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & for-
titudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & reple-
bit eum spiritus timoris Domini. Item in Psal-
mo 131. Iurauit Dominus Dauid veritatem, &
non frustrabitur eum: De fructu ventris tui po-
nam super sedem tuam. Quod esset in Bethle- Mich. 5.
hem nasciturus, apud Michæam: Et tu Bethle- Matth. 2.
hem Effrata, nunquid exigua es in millibus Iu-
da? Ex te mihi procedet qui sit princeps apud
Israël, & egressus eius à principio, à diebus sæ-
culi. In hunc modum multa de veteribus scri-
pturis colligi possunt, quæ temporalem Christi
natiuitatem præloquuntur, & confirmandæ ve-
ritati Euangelicæ contestantur. Quod vero in
aduentu Christi circumcisio carnalis euacuan-
da esset, & spiritalis successura, Moyses dicit: Deut. 30.
In nouissimis diebus circumcidet Deus cor tuũ:
& cor seminis tui, ad Dominum Deum tuum
amandum. Item apud Iesum Naue: Et dixit Iosu. 5.
Dominus ad Iesum: Fac tibi cultellos petrinos
nimis acutos, & circumcide secundo filios Is-
raël. Item apud Hieremiam: Hæc dicit Domi- Hier. 4.
nus: Viri Iuda, & qui inhabitant Hierusalem:
Renouate inter vos nouitatem, & ne seminaue-
ritis in Spinis: circumcidite vos Deo vestro, &
circumcidite præputia cordis vestri ne exeat sicut
ignis ira mea, & non sit qui extinguat. Quod
lex prior, quæ per Moysen data est, cessatura es-
set, apud Esaiam: Tunc manifesti erunt, qui si- Esai. 8.
gnant legem, ne discant, & dices, expecto Do-
minum, qui auertit faciem suam à domo Iacob,
† confidens ero in eum. Quod lex noua danda † fidens.
esset, apud Michæam: Lex de Sion proficisce- Mich. 4.
tur, & sermo Domini de Hierusalem, & iudica-
bit plurimos populos. Item apud Esaiam: De Esai. 2.
Sion procedet lex, & verbũ Domini de Hieru-
salem, & iudicabit inter gentes. Item apud Hie-
remiam: Ecce dies venient, dicit Dominus, & Hier. 31.
consummabo super domum Israël, & super do-
mum Iuda testamentum nouum, non secundum
testamentum quod disposui patribus eorum in
die, qua apprehendi manum eorum, vt educe-
rem eos de terra Ægypti. Quod sacrificium ve-
tus † expelleretur, & nouum celebraretur, apud † euacuaretur.
Esaiam dicitur. Quo mihi multitudinem sacri-
ficiorum vestrorum, dicit Dominus? Plenus Esai. 1.
sum holocaustomate arietum & pinguedine
agnorum, & sanguinem taurorum & hircorum
nolo. Item apud Malachiam: Non est mihi vo- Malach. 1.
luntas circa vos, dicit Dominus: & sacrificium
acceptum non habeo de manibus vestris: Quo-
niam à solis ortu vsque in occasum clarificatum
est nomen meum apud gentes, & in omni loco
odores incensi offeruntur nomini meo, & sacri-
ficium mundum, quoniam magnum est nomen
meum apud gentes. Item in psalmo centesimo
† vndecimo: Ante Luciferum genui te: Iura- † 109.
uit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sa-
cerdos in æternum secundum ordinem Melchi-
sedech. Item in libro Regum dicit Dominus
Deus ad Heli sacerdotem: Suscitabo mihi sa- 1. Reg. 2.
cerdotem fidelem, qui omnia quæ sunt in cor-
de meo, faciet, & ædificabo ei domum fide-
lem & transibit in conspectu Christorum meo-
rum diebus omnibus. Et erit qui remanserit in
domo, veniet adorare in obolo pecuniæ, & pane
& vino. His locutionibus propheticis de Chri-
sti natiuitate & prædicatione, & Apostolorum

missione, & sacerdotij mutatione præmissis, addamus aliqua de eisdem auctoribus prolata, Christi passionem & resurrectionem præloquentia. Inseramus etiam principalia veterum sacrificia, quæ in exteriori tabernaculo offerebantur, in idipsum consonantia, vt deinceps commodius aptare possimus sacerdotio veteri & Euangelicæ veritati nostra sacramenta. Primo
Gen. 4. itaque Genesi morte Abel, mors Christi figuratur: quia sicut ille à fratre maiore occiditur in campo, ita Christus caput minoris populi natu, à Iudaico populo maiore natu occiditur in caluariæ loco. Item in Genesi, quis per immolatio-
Gen. 22. nem filij significabatur in Abraham, nisi pater excelsus? Quis in Isaac, nisi Christus? Nam sicut Abraham vnicum filium suum & dilectum, victimam Deo obtulit: ita Deus pater proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit il-
Rom. 8. lum: & sicut Isaac ligna sibi portauit, in quibus erat imponendus, ita Christus portauit lignum crucis suæ in humeris, in qua erat crucifigendus. Asinus autem, qui in hæc portabat, insensata est stultitia Iudæorum, quæ portabat
Matth. 27. omnia nostra sacramenta, & nesciebat. Sed quid significat aries in vepribus hærens cornibus, nisi Christum, qui & ouis dicitur, cuius caro, intacta diuinitate, cruci affigitur? inter spinas enim Iudaïcorum peccatorum suspensus
Gen. 22. est. Quem Samson in libro Iudicum præfigurabat, qui in Gaza ciuitate Philistinorum clausus, & diligenti custodia circunseptus, media nocte portas tulit, & non solum liber exiit, sed etiam montis verticem ascendit? Hoc facto quem significat nisi Christum, qui ante lucem resurgens, non solum de inferno liber exiit, sed & ipsa inferni claustra destruxit, & cælorum alta penetrauit? Quod humilis in primo aduentu
Esai. 53. suo veniret, apud Esaiam: Domine, quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui reuelatum est? Annunciauimus coram ipso sicut pueri, sicut radix in terra sitienti: non est figura ei, neque claritas: & vidimus illum, & non habuit figuram neque speciem: sed figura eius sine honore, & deficiens præter cæteros homines: homo in plaga positus, & sciens ferre imbecillitatem, quia auersa est facies eius: inhonoratus est, & non est computatus. Hic peccata nostra portat: & pro nobis dolet: & nos putamus esse illum in dolore & in plaga, in vexatione: Ipse autem vulneratus est propter facinora nostra, & infirmatus est propter peccata nostra, doctrina pacis nostræ super illum: liuore eius sanati sumus, omnes sicut oues errauimus. Homo à via sua errauit, & Dominus tradidit illum pro peccatis nostris, & ipse propterea quod vexatus est, non aperuit os suum. Item apud eundem dicit: Non sum contumax, neque contradico: dorsum meum posui ad flagella, & maxillas ad palmas: Faciem autem meam non auerti à fœditate sputorum: & fuit Deus auxiliator meus.

Quod ipse sit iustus iudex, quem Iudæi occi-
Sap. 2. suri essent, in sapientia Salomonis dicitur: Circumueniamus iustum quoniam insuauis nobis, & contrarius est operibus nostris, & exprobrat nobis peccata legis: promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat: factus est no-
† contradictionem. bis in † traductionem cogitationum nostrarum: grauis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & mutatæ sunt viæ eius: Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo: continet se à viis nostris tanquam ab immunditiis: & præfert nouissima iustorum, & gloriatur se habere Patrem Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi: contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam illius, & probemus patientiam illius: morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt, & errauerunt. Excæcauit enim illos malitia ipsorum, & nescierunt sacramenta Dei.

Quod ipse dictus sit ouis & agnus qui occidi deberet: & de sacramento passionis, apud Esaiam: Sicut ouis † ad victimam ductus est, & † ad occisionem.
sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius Esai. 5.
sublatum est. Natiuitatem autem eius quis enarrabit? Quoniam auferetur à terra vita eius. A facinoribus populi mei adductus est ad mortem, & dabo malos pro sepultura eius, & ipsos diuites pro morte eius: quia facinus non fecit, neque insidias ore suo: Propterea ipse consequetur multos, & fortium diuidet spolia: propterea quod tradita est ad morte anima eius, & inter facinorosos deputatus est: & ipse peccata multorum † tulit, & propter facinora illorum † pertulit.
est. Item apud Ieremiam: Domine significa mi- Iere. 11.
hi, & cognoscam. Tunc vidi meditationes eorũ. Ego sicut agnus sine malitia, perductus sum vsque ad victimam: in me cogitauerunt cogitatum, dicentes: Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus à terra vitam eius, & nomen eius non erit in memoria amplius. Item in Exodo Dominus ad Moysen: Accipiant sibi Exod. 12.
singuli ouem per domus tribuum, ouem sine vitio: perfectum, masculum, anniculum ab agnis & ab hœdis accipietis: & occidet eum omne vulgus synagogæ filiorum Israël ad vesperam: & accipient de sanguine, & ponent super duo postes & super limen in domibus, in quibus comedent carnes ipsa nocte assatas igni: & azyma cum picridiis edent. Non edetis ex eis crudam, † † gridiis.
nec coctam in aqua, nisi assatam igni. Caput cum pedibus & intestinis vorabitis, nihil derelinquetis ex his in mane, & os non confringetis ex eo: quæ autem relicta fuerint de eo vsque in mane, igne crementur. Sic autem comedetis eum: Lumbi vestri præcincti, calceamentaque vestra in pedibus vestris, & baculi vestri in manibus vestris: & edetis eum festinanter. Pascha enim est Domini.

¶ Quod cruci illum fixuri essent Iudæi, apud Esaiam: Expandi manus meas tota die ad ple- Esai. 65.
bem contumacem, & contradicentem mihi, qui ambulant vias non bonas, sed post peccata sua. Item apud Hieremiam: Venite, mittamus lignũ Hier. 11.
in panem eius, & eradamus à terra vitam eius. Item in Deuteronomio: & erit pendens vita tua ante oculos tuos: & timebis die & nocte, & non credes vitæ tuæ. Item in Psal. xxi. Effoderunt manus meas, & pedes meos dinumerauerunt omnia ossa mea.

¶ Quod in passione crucis & signo virtus omnis sit & potestas, apud Abacum: Texit cælos Abac. 3.
virtus eius, & laudis eius plena est terra, & splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius erunt, & illic constabilita est virtus gloriæ eius: & constituet dilectionem validam: ante faciem suam ibit verbum, & præcedet in campos secundum gressus suos. Item apud Esaiam: Ecce na- Esai. 9.
tus est vobis puer, & datus est vobis filius, cuius imperium super humeros eius: & vocatum est nomen eius magnæ cogitationis nuncius. Hoc signo crucis & Amalech victus est ab Iesu per Moysen.

Exod. 17. ¶ Quod in hoc ſigno crucis ſalus ſit omnibus, qui in frontibus notantur, apud Ezechielem Ezech. 9. Dominus dicit: Tranſi mediam Hieruſalem, & notabis ſigno thau ſuper frontes virorum, qui ingemunt, & mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipſorum. Item illic, Vadite & cædite, & nolite parcere oculis veſtris, nolite Ibid. miſereri. Seniores, ac iuuenes, & virgines, & paruulos, & mulieres interficite, vt perdantur. Omnem autem ſuper quem ſignum ſcriptum Exod. 12. eſt, ne tetigeritis. Item in Exodo Deus ad Moyſen: Et erit ſanguis vobis in ſigno ſuper domos vbi eritis: & videbo ſanguinem, & protegam vos & non erit in vobis plaga diminutionis, cum percutiam terram Ægypti.

Amos 8. ¶ Quod medio die in paſſione eius tenebræ futuræ eſſent, apud Amos: Et erit in illa die, dicit Dominus, occidet ſol meridie, & obtenebrabitur dies lucis: & conuertam dies feſtos in luctum, & omnia cantica veſtra in lamentatio- Hier. 15. nem. Item apud Hieremiam: Exterrita eſt quæ parit, & tæduit anima eius: ſubiit ſol, & cum adhuc medius dies eſſet, confuſa eſt & maledicta. Reliquos eorum in gladio dabo in conſpe- Matth. 27. ctu inimicorum ſuorum. Item in Euangelio: A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt per totam terram, vſque in horam nonam.

¶ Quod à morte non vinceretur, nec apud inferos remanſurus eſſet, in Pſalmo XXIX. Domine, eduxiſti ab inferis animam meam. Item in Pſalmo iij. Ego dormiui, & ſomnum cepi, & ſur- Ioan. 10. rexi, quoniam auxiliatus es mihi. Item in Euangelio ſancti Ioannis: Nemo auferet animam meam à me, ſed ego à me pono eam: & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: Hoc enim mandatum accepi à patre meo.

Oſee 6. ¶ Quod ab inferis tertia die reſurgeret apud Oſeæ: Viuificabit nos poſt biduum: die tertia reſurgemus. Item in Exodo: Et dixit Dominus Exod. 19. ad Moyſen: Deſcende, & teſtificare populo & ſanctifica illos hodie & cras, lauent veſtem ſuam, & ſint parati in perendinum diem: Die enim tertia deſcendet Dominus in montem Si- Matth. 12. na. Item in Euangelio: Progenies nequam & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur Iona 2. ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Quomodo enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ. Hoc ipſum figuratum eſt in verbis Iacob, cum Gen. 49. benediceret Iudæ Patriarchæ, hoc modo: Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt leo: & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum: Typicè catulum leonis, Dominum ſaluatorem appellat tanquam leonina ortum proſapia, videlicet regia ſtirpe progenitum. Bene autem catulus leonis vocatur, cuius natura eſſe dicitur, vt naſcens, tribus diebus dormiat, deinde rugitu paterno excitatus aſſurgat. Quæ figura pulcherrimè arridet Dominicæ dormitioni, qui tribus diebus dormiens, ad pa- Pſal. 40. trem clamat: Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me. Sed reſuſcitatus ad prędã aſcendit, quia expolians infernum iuſto quoſque ad ſuperna tanquam prędam egregiam triumphando euexit. Qui vt leo, & quaſi leæna accubauit: quia qui dormire per carnem in ſepulchro voluit, quaſi leo victor de hoſtibus triumphauit. Gen. 49. Quod autem ſubiungit, Quis ſuſcitabit eum? ſubauditur, quis niſi pater?

¶ Quod cum reſurrexiſſet, acciperet à patre omnem poteſtatem, & poteſtas eius æterna ſit, apud Danielem: Videbam in viſu nocte, & ecce Dan. 7. in nubibus cæli tanquã filius hominis veniens, venit vſque ad veterem dierum, & ſtetit in conſpectu eius: & qui aſſiſtebant, obtulerunt eum: & data eſt ei regia, & omnes reges terræ, & † genus omnis claritatis ſeruiens ei: & pote † gens. ſtas eius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Item apud Eſaiam: Eſai. 33. Nunc exurgam, dicit Dominus, nunc clarificabor, nunc exaltabor: nunc videbitis, nunc intelligetis, nunc confundemini: vana erit fortitudo ſpiritus veſtri: ignis vos † conſumet. Item in † confundet. Pſalmo centeſimonono: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: quouſque ponam inimicos tuos ſuppedaneum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, & dominaberis in medio inimicorum tuorum.

¶ Quod ipſe ſit rex regum, in æternum regnaturus, apud Zachariam: Dicite filiæ Sion: Zach. 9. Ecce rex tuus venit tibi iuſtus, & ſaluans mites, & ſedens ſuper aſinum indomitum. Item apud Eſaiam: Quis nunciauit vobis, quia ignis ar- Eſai. 33. det? Quis nunciauit vobis locum æternum? Ambulans in iuſtitia, & manus abſtinens à muneribus, grauans aurem ne audiat iudicium ſanguinis, & comprimens oculos ſuos, ne videat iniuſtitiã: hic habitabit in alta ſpelunca petræ: fortis panis illi dabitur, & aqua eius fidelis: Regem cum claritate videbitis. Item apud Malachiam: Malac. 1. Rex magnus ſum ego, dicit Dominus: & nomen meum illuſtre apud gentes. Item in Pſalmo ſecundo, Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans imperium eius. Item in Pſalmo vigeſimoprimo: Commemorabuntur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius omnes patriæ gentium: quoniam Domini eſt regnum, & dominabitur omnium gentium. Ad hæc, quid illa Leuitica ſacrificia ſignificant niſi Chriſtum paſſum, reſurgentem, cælos aſcendentem, & adſperſione ſui ſanguinis in aqua baptiſmi populos noui teſtamenti ſanctificantem? Quod vt manifeſtius videatur, nunc ipſa principalia ſacrificia, quæ in altari exterioris tabernaculi cremabantur, cum ſuis expoſitionibus ad medium deducamus: ſuo poſtea loco ea, quæ fiebant in altari thymiamatis, quod erat in interiori tabernaculo, reſeruabimus: quia ſic propoſito operi conuenire intelligimus. Hoſtiarum enim diuerſitates, imaginem paſſionis Chriſti præfigurabant. Nam poſtquam ipſe oblatus eſt, omnes illæ hoſtiæ ceſſauerunt, quæ in typo vel vmbra eiuſdem præceſſerunt, præfigurantes illud ſacrificium, quod vnus & verus ſacerdos obtulit, mediator Dei & hominum. Cuius ſacrificij præmiſſas figuras in victimis animalium celebrari oportebat propter emundationem carnis & ſanguinis: Per quam vnam victimam fieret remiſſio peccatorum, de carne & ſanguine contractorum, quæ regnum Dei non poſſidebunt: quia eadem ſubſtantia corporalis, in cæleſtem commutabitur qualitatem.

Ipſe enim in vitulo propter virtutem crucis offerebatur: Ipſe in agno propter innocentiam: In ariete propter principatum: In hirco propter ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum: In turture & columba, propter Deum & hominem: quia mediator Dei & hominum, in duarum ſubſtantiarum coniunctione oſtendebatur. Porro in ſimilagine conſperſionis credentium per aquam baptiſmatis

collectam Ecclesiam, quæ est corpus Christi, perspicuè demonstrabat. Nos autem moraliter munus Deo vitulum offerimus, cum carnis superbiam vincimus: Agnum, cum irrationabiles motus & insipientes corrigimus: Hœdum, cum lasciuiam superamus: Columbam, dum simplicitatem mentis ostendimus: Turturem, dum carnis seruamus castitatem: Panes azymos, dum non in fermento malitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis ambulamus. Ignis in sacrificio id significabat, velut absorbens mortem victoria. In eo autem populo hæc rite celebrata sunt, cuius regnum ac sacerdotium, prophetia erant venturi regis & sacerdotis ad regendos & congregandos fideles in omnibus gentibus, & introducendos in regnum cælorum, ad sacrarium angelorum, ad vitam æternam. Huius itaque veri sacrificij vera sacramenta sicut Hebræi celebrauerũt, ita sacrilega imitantur pagani. Quæ immolant gentes, ait Apostolus dæmoniis immolant, & non Deo. Antiqua enim res est, & prænuntiatiua, immolatio sanguinis, futuram passionem mediatoris ab initio humani generis testificans. Hanc enim primus Abel obtulisse in sacris litteris inuenitur. In exordio autem Leuitici, quatuor genera principalium oblationum describuntur, quæ in odorem suauitatis Domino offerri iubentur. Id est, primum, vitulum de armentis sine macula: Secundum, agnum de ouibus: Tertium, turturem & columbam: Quartum, similaginem conspersam, azyma oleo vncta, clibano cocta. Reliqua vero sacrificia pro qualitatibus causarum in persona Domini offerebantur.

1. Cor. 10.

Gen. 4.

Leuit. 5.

¶ Primum itaque sacrificium vitulus ex armentis, Christum demonstrabat ex Patriarcharum progenie descendentem: hic aratro crucis suæ, nostræ carnis terram perdomuit: atque Spiritus sancti semen, virtutum fruge ditauit. Iste vitulus sine macula est, quia sine peccato ad passionẽ ducitur. Offertur autem non in tabernaculo sed ad ostium eius, quia extra castra passus est Christus, per filios autẽ Aaron sacerdotis offertur sanguis eius, quod de Anna & Caipha intelligi potest: qui consilium aduersus eum facientes effuderunt sanguinem Christi. Secunda hostia de ouibus agnus oblatus, id est, Christus propter innocentiam figuratur. Hic est agnus, qui apud Esaiam in sacrificium adducitur, & ab Ioanne omnibus demonstrabatur: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Bene ergo in sacrificio agnus offerebatur, vt innocentiæ & passionis Christi figura demonstraretur. Bene & hœdus, quia per eius mortem auctor peccati diabolus, agnoscitur iugulatus. Tertium sacrificium dicitur turtur & columba. Turturem, carnem Christi esse, manifestum est, Salomone dicente: Speciosæ genæ tuæ sicut turturis. Columbam, Spiritus sancti habere figuram, Ioannes Baptista declarat, dicens: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem sicut columbam, hic est filius meus: Ac per hoc turturem & columbam, id est, carnem Christi Spiritui sancto sociatam, per mysterium passionis, sacrificium Deo in odorem suauitatis. Ista tria sacrificia offert homo, id est, Christus Iesus. Quartum autem anima offert, id est, Ecclesia offert sacrificium de simila, Ecclesiæ Catholicæ figuram prænuncians, quæ ex conuenientibus membris, quasi simila ex multis granis credentium collecta est, & legis & Euangeliorum molam inter litteram & spiritum separat. Per aquam enim baptismatis adiuncta, chrismatis oleo peruncta, sancti Spiritus igne solidata, per humilitatis spiritum Deo hostia placens effecta. Hæ sunt quatuor oblationes, quadriformem Christi & Ecclesiæ habitum demonstrantes.

Hebr. 13.

Esai. 53.

Ioan. 1.

Cant. 1.

Ioan. 1.

De iuuenca rufa cuius cinerem ad aquam adspersionis, eorumque mundationem, qui mortuum tetigerint, proficere lex mandauit, aliqua dicere conabimur.

Euidentissimum enim signum in ea noui testamenti præfiguratur: nec satis dignè festinantes dicere de tanto sacramento valemus. Primum enim quod ita cœpit de hac re loqui scriptura, quem non moueat, & intentissimum faciat in altitudinem sacramenti: Et locutus est, inquit, Dominus ad Moysen & ad Aaron, dicens: Ista est distinctio legis quæcumque constituit Dominus. Proculdubio non est distinctio, nisi inter aliqua duo vel plura. Nam distinctionem singularitas non requirit, nec distinctionem cuiuslibet rei commemorauit, sed addidit, legis: nec cuiuscumque legis, assiduè quippe in scriptura dicitur de vnaquaque re, de qua legitimè præcipitur: Hæc est lex illius vel illius rei, non vniuersalis, quæ continet omnia, quæ legitimè præcipiuntur. Hic vero cum dixisset, Hæc est distinctio legis, secutus adiunxit, Quæcunque constituit Dominus, præcipiendo vtique, non creando. Nam etiam nonnulli interpretes, Quæcunque præcepit Dominus, transtulerunt: Si ergo hæc est distinctio legis, quæcunque præcepit Dominus, proculdubio magna est ista distinctio, & rectè intelligitur, duo testamenta dicere. Eadem quippe sunt in veteri & in nouo: ibi obumbrata, hic reuelata: ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solum sacramenta diuersa sunt, verum etiam promissa: ibi videntur temporalia proponi, quibus spirituale præmium occultè significetur: Hic autem manifestissimè spiritualia promittuntur & æterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, & spiritualium atque æternorum, quæ clarior certiorque distinctio est, quam passio Domini nostri Iesu Christi? In cuius morte satis constitit, non istam terrenam transitoriamque felicitatem à Domino Deo pro magno munere sperandam & optandam, quã quod in vnigenito suo filio, quem tanta illa perpeti voluit, ideo longe aliud à se peti expectariq; oportere, apertissima distinctione declarauit. Hanc igitur passionẽ Domini nostri Iesu Christi, velut distinctionem duorum testamentorum, hoc, quod de iuuencæ rufæ mactatione narratur, satis congruè præfigurat. Locutus est enim Dominus ad Moysen & Aaron, dicens, Ista distinctio legis quæcunque constituit Dominus, ac deinde mandare incipit, hoc adiungens & dicens: Loquere filiis Israël. Potest etiam ita distingui, & locutus est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Ista distinctio legis, quæcunque constituit Dominus dicens, non quæcunque constituit Dominus creans, sicut cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt: sed quæcunque constituit Dominus dicens, in duobus scilicet testamentis, vt deinde sequatur: Loquere filiis Israël, & accipiant à te iuuencam rufam sine vitio. Iuuenca rufa carnem Christi significat: sexus fœmineus est, propter infirmitatem carnis: Rufa est, propter ipsam cruentam passionem. Quod autem ait, Accipiant à te, in ipso Moyse figuram legis ostendit, quoniam secundum

Num. 19.

Num. 19.

secundum legem sibi visi sunt Christum occidere, quia soluebat secundum ipsos sabbatum, & sicut putabant, obseruationes legitimas profanabat. Quod ergo sine vitio dicitur hæc iuuenca, mirum non est. Hanc enim carnem etiam ceteræ bestiæ figurabant, vbi similiter sine vitio pecora immolari iubentur. Erat quippe illa caro in similitudine carnis peccati, sed non caro peccati. Veruntamen hic, vbi euidentius legis distinctionem Deus voluit commendare, parum fuit dicere, sine vitio, nisi diceretur quæ in se non habet vitium. Quod si repetendi causa dictum est, fortasse non frustratur: quia eam rem ipsa repetitio firmius commendauit: quamquam & illud non aberret à vero, vt idem additũ intelligatur, quæ non habet in se vitium, cum iam dictum esset, iuuencam sine vitio, quia in se non habuit vitium caro Christi, in aliis autem habuit, quæ membra sunt eius. Quæ enim caro in hac vita sine peccato, nisi illa sola, quæ non habuit in se vitium? Et non est superpositum super eam iugum: non enim subiugata est iniquitati, cui † subiugatos inueniens liberauit, & eorum vincula disrupit, vt ei dicatur: Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis? Super illius quippe carnem non est superpositum iugum, qui potestatem habuit ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. Et † applicabis eam quidem ad Eleazarum sacerdotem. Cur non ad Aaron, nisi ita forte præfiguratum est, non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros huius sacerdotij, passionem Domini peruenturam? Et ejicient eam extra castra sicut & eiectus est Dominus, passurus extra ciuitatem. Quod autem ait, in locum mundum: ita significatum est, quia non habuit causam malam. Et occident eam in conspectu eius, sicut occisa est caro Christi in conspectu eorum, qui iam futuri erant in nouo testamento Domini sacerdotes. Et accipiet Eleazar eius sanguinem, & adsperget contra faciem tabernaculi testimonij à sanguine eius septies. Hic testificatio est, Christum fudisse secundum scripturas sanguinem in remissionem peccatorum. Ideo contra faciem tabernaculi testimonij, quia non aliter declaratum est, quam fuerat diuino testimonio prænunciatum. Et ideo septies, quia ipse numerus ad emendationem pertinet spiritualem. Et cremabunt eam in conspectu eius. Puto, quia crematio ad signum pertinet resurrectionis. Natura quippe est ignis, vt in superna moueatur: & in eum conuertitur quod crematur. Nam ipsum cremare, de Græco in Latinum ductum verbum est à suspensione. Quod vero additum est, in conspectu eius, id est, in conspectu sacerdotis: hoc mihi insinuatum videtur, quia illis apparuit resurrectio Christi, qui futuri erant regale sacerdotium. Iam quod sequitur, Et pellis, & carnes, & sanguis eius cum stercore eius comburatur, idipsum expositum est, quomodo & cremabitur: & significatum est, quod non solum substantia mortalis corporis Christi, quæ commemoratione pellis & carnis & sanguinis intimata est, verum etiam contumelia & abiectio plebis, quam nomine stercore significatam puto, conuertetur in gloriam, quam combustionis flamma significat. Et accipiet sacerdos lignum cedrinum, & hyssopum, & coccinum, & immittet in medium combustionis iuuencæ. Lignum cedrinum spes est, quæ debet in supernis firmiter habitare: hyssopus fides, quæ cum sit herba humilis, radicibus hæret in petra. Coccinum, charitas: quod feruorem spiritus igneo colore testatur. Hæc tria debemus mittere in resurrectionem Christi, tanquam in medio combustionis illius, vt cum illo sit abscondita vita nostra, sicut dicit Apostolus: Et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Et lauabit vestimenta sua sacerdos, & lauabit corpus suum aqua, & postea introibit in castra, & immundus erit sacerdos vsque ad vesperum. Lauatio vestimentorum & corporis quid est, nisi mundatio exteriorum & interiorum? Hoc sacerdos. Deinde sequitur: Et qui comburet eam, lauabit vestimenta sua & corpus suum aqua, & immundus erit vsque in vesperum. In eo qui comburit, hos figuratos arbitror, qui Christi carnem sepelierunt, resurrectioni eam veluti conflagrationi mandantes. Et congregabit homo mundus cinerem iuuencæ, & ponet extra castra in locum mundum. Quid dicimus cinerem iuuencæ, reliquias videlicet interfectionis & combustionis, nisi famam quæ consecuta est passionem & resurrectionem Christi, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico? Nam cinis erat, quia velut mortuus ab infidelibus contemnebatur: & tamen mundabat, quia resurrexisse à fidelibus credebatur. Et quia hæc fama apud eos maxime claruit, qui in cæteris gentibus erant, & non erant de consortio Iudæorum, ideo dictum esse existimo, Et congregabit homo mundus cinerem iuuencæ. Mundus vtique ab interfectione Christi, quæ Iudæos fecerat reos. Et reponet in locum mundum, id est, honorabiliter tractet, tamen extra castra, quia citra celebrationem Iudaïcæ consuetudinis, honor Euangelicus claruit. Et erit synagogæ filiorum Israël in obseruationem. Aqua adspersionis, purificatio est. Postea declarat plenius, quemadmodum ex isto cinere fiebat aqua adspersionis vnde mundabantur à contactu mortuorum: quod vtique significat ab iniquitate eius moribundæ vel morticinæ vitæ. Sed mirum est, quod sequitur: Et qui congregat, inquit cinerem iuuencæ, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperam. Quomodo erit ex hoc immundus, qui mundus accesserat, nisi quia & hi qui sibi videntur mundi, in fide Christi se agnoscunt, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per sanguinem ipsius? Hunc tamen vestimenta sua lauare dixit, non etiam corpus suum. Credo, quod illius cineris congregatione, & repositione in hoc loco mundo, si hæc spiritaliter intelligantur, ita iam intrinsecus vult intelligi fuisse mundatum, sicut Cornelius audiens & credens quod prædicauerat Petrus, ita mundatus est, vt ante visibilem baptismum, cum suis qui aderant, acciperet dona Spiritus sancti. Verumtamen nec visibile sacramentum contemni potuit: vt ablutus etiam † intrinsecus lauaret quodammodo vestimenta sua. Et erit, inquit, filiis Israël & proselytis, qui apponuntur, legitimum æternum. Quid aliud ostendit, nisi baptismum Christi quem significabat aqua adspersionis, & Iudæis & gentibus profuturum, id est filiis Israël, & proselytis, tanquam naturalibus ramis, & inserto pinguedini radicis oleastro? Quem autem non faciat intentum, quod post ablutionem de singulis quibusque dicitur, & immundus erit vsque ad vesperam. Neque hic tantum, sed in omnibus aut pene in omnibus talibus mundationibus hoc dicitur. Vbi nescio vtrum aliquid aliud possit intelligi, nisi quod omnis homo post remissionem plenissimam

† quos subiugatos, inuenit, & Psal. 115.

† dabis eam.

Hebr. 13.

Coloss. 3.

Psal. 36.

Rom. 3.

Act. 10.

† extrinsecus.

peccatorum, permanendo in hac vita, contrahit aliquid vnde sit immundus vsque ad eiusdem vitæ finem, vbi ei dies iste quodammodo clauditur, quod significat vespera. Deinde incipit scriptura dicere, & exequitur, quemadmodum immundi facti homines, aqua illa adspersionis purificentur. Qui tetigerit, inquit, morticinum, omnis anima hominis immunda erit vij. diebus. Hic purificabitur die tertio, & die septimo, & immundus erit. Et hic nihil aliud intelligendum video, nisi contactum mortui, esse hominis iniquitatem. Septem vero dierum immunditiam, propter animam & corpus dictam puto: animam in ternario, corpus in quaternario. Quod quare ita sit, longum est disputare. Secundum hoc arbitror per prophetam dictum: In tribus & in quatuor impietatibus non auersabor. Adiungit autem & dicit: Si autem non purificatus fuerit die tertio, & in die septimo, non erit mundus: omnis qui tetigerit mortuum ab omni anima hominis, & mortuus fuerit, & non fuerit purificatus, id est, ante mortuus fuerit tacto mortuo, quam fuerit purificatus, tabernaculum Domini polluit: exterminetur anima illa ex Israël. Notandum est, quod difficillime reperitur in his libris aliquid euidentius de vita animæ post mortem, fuisse conscriptum. Hic ergo cum dicit, si fuerit mortuus ante purificationem manere in illo immunditiam, & exterminari animam illam ex Israël, id est, à consortio populi Dei, quid aliud vult intelligi, nisi manere animæ pœnam etiam post mortem, si, cum viuit, mundata non fuerit sacramento isto, quo Christi baptismus figuratur? Quoniam aqua adspersionis, inquit, non est circũ adspersa super eum qui immundus est: adhuc immunditia eius in ipso est, adhuc scilicet post mortem. Quod vero supra dixit, tabernaculum Domini polluit, quantum in ipso est, vtique dixit sicut Apostolus, Spiritum nolite extinguere, cum extingui ille non possit. Nam si ex hoc tabernaculum immundum factum vellet intelligi, mundari vtique iuberet. Postea vero immundos à mortuis operibus, quæ sunt iniquitates, omnes ista mundari iubet: Et accipiant illi immundum, inquit, à cinere eius exustæ purificationis, & effundent super eum eundem cinerem aquam viuam in vase: & accipiens hyssopum, & tingens in aqua vir mundus, circunsperget super domũ, & super vasa, & super animas, quotquot fuerint illic: & super eum, qui tetigerit os humanum, aut vulneratum, aut mortuum, aut monumentum. Et adsperget mundus super immundum die tertio & in die septimo, & purificabitur die vij. & lauabit vestimenta sua, & lauabitur aqua, quam puto spiritualem intelligendam, per significationem, non per proprietatem. Nam sine dubio visibilis erat, sicut omnes illæ vmbræ futurorum. Proinde qui sacramento baptismi recte abluitur, quod illa adspersionis aqua figurabat, mundatur spiritualiter, id est, inuisibiliter, & in carne, & in anima, vt sit mundus & corpore & spiritu. Quod vero hyssopum dixit aqua adspersionis adspergi, quam herbam supra diximus fidem significare, quid aliter occurrit, nisi quod scriptum est, fide mundans corda eorum? Non enim prodest baptismus, si desit fides. A viro autem mundo dixit hoc fieri, vbi significantur ministri portantes personam Domini sui, qui vere vir mundus est. Nam de his ministris in consequentibus dicit: Et qui circum adsperget aquam adspersionis, lauabit vestimenta sua, id est, obseruabit & corpora. Et qui tetigerit aquam adspersionis, immundus erit vsque ad vesperam: & omnis qui tetigerit illud immundum, immundus erit: & anima quæ tetigerit, immunda erit vsque ad vesperam. Iam dixi superius, quid mihi significare videatur, Vsque ad vesperam. Hæc quæ commemorauimus, & alia quæ pro diuersis occasionibus in lege offerri mandantur, Christi sacerdotium præfigurantia, & res gestas, quas illæ figuræ præloquuntur, Ecclesia compendiosa imitatione repræsentat, cum Missarum sacramenta per orbem terrarum quotidiana celebratione frequentat.

Amos 1. & 2. — *1. Thess. 5.* — *Act. 15.*

Et primo Introitus Missæ collectus de Psalmis, † & de aliis Propheticis scripturis cum sanctę Trinitatis glorificatione cantatur, & sequens litania deuotam eorum expectationem repræsentat, qui aduentum Christi toto corde desiderabant, & in hac fideli expectatione differri sibi suum desiderium suspirabant. Qualis fuit Simeon, qualis fuit Anna, & multi alij, quos Deus nouit, sed non omnes scriptura commemorat. Sub hoc sanctorum desiderio, secundum quod prædictum fuerat à Prophetis, Christus de virgine natus est. Secundum illud quod in persona eius dicit Psalmista, ad patrem loquens: Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio. Quod bene repræsentatur, cum sacerdos Christi personam imitans, choro concinente supra memoratum introitum, procedit ad dexteram partem altaris, in hoc significans mediatorem Dei & hominum, qui de seipso dicit, Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël: qui populus tanquam dexter, solus vnius Dei cultum tenuerat, nec post deos alienos, quos populus gentilis colebat, tanquam sinistra aberrauerat. Post introitum sequitur hymnus Angelicus, temporali Christi Natiuitati testimonium perhibens, cum & cælestes ciues pronunciarent se Deum inde glorificasse, & murum inimicitiarum, pace hominibus reddita, cecidisse. Sequitur deinde oratio, adhuc in eadem parte altaris sacerdote morante. Orandum autem esse, inter prædicationis suæ primordia Dominus præcepit, quando congregatis in monte Apostolis, tradita Dominica oratione, orandi formam instituit: Hæc oratio quibusdam generalibus vocibus alias orationis species breuiter comprehendit, quibus vel appetimus diligenda, vel vitamus fugienda, vel sanamus commissa. Sequitur de hinc lectio Prophetica, vel Apostolica, repræsentans discipulorum Christi prædicationem, quos Dominus binos & binos ante se misit in omnem ciuitatem, & locum, ad quem ipse erat venturus. Post lectionem concinendo respondet chorus, ostendens sacræ lectioni se † habuisse auditum & † affectum. Et quia hæc diuini muneris esse intelliguntur, sequitur Alleluia, quod interpretatur, Laudate Deum, vt impleatur illud Apostolicum præceptum, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quibus ita suo ordine peractis, transit Leuita aut sacerdos ad sinistram partem Ecclesiæ, lecturus Euangelium. Quo facto significatur illud, quod Iudæis credere nolentibus, Apostoli dixerunt: Primum oportebat vobis loqui verbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos vos exhibuistis, ecce conuertimur ad gentes. Aduersus gentilitatem ergo, in quo frigus infidelitatis diu regnauit, tanquã in plaga septentrionali, adhuc prædicatur Euangelium, donec introeat plenitudo gentium, & tandem sub Helia & Enoch ad fidem

† vel. — *Psal. 39.* — *Matth. 15.* — *Matth. 6.* — *Luc. 10.* — *† adhibuisse.* — *† effectum.* — *1. Cor 1.* — *2. Cor 10.* — *Act. 13.*

veniant reliquiæ Iudæorum. Et hoc significatur, cum sacerdos ob complenda Missæ sacramenta, ad dexteram partem reuertitur. Post Euangelium profitetur Ecclesia fidem suam cantando symbolum Apostolicum, vt ostendat, quantum profecerit per Euangelium. Salutato denique populo, dum sacerdos † hostiam accipit à ministris, & diuersi generis † oblationem à populis, offertorium cantatur à clericis. Quam consuetudinem accepit Ecclesia ex eo, quod in libro dierum dedicato templo à Salomone, legitur populus clangentibus Leuitis & tubis & tibis & cymbalis, voce & omni genere musicorum, multiplices hostias obtulisse. Ad huiusmodi hostias spiritualiter offerendas, admonemur per Psalmistam: Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum, id est, nos ipsos, quos genuerunt Apostoli duces gregis Dominici. Et alibi: Tollite hostias, & introite in atria eius. Offertur autem principaliter à ministris panis & vinum, in corpus Christi sacerdotali benedictione commutanda, quæ primus Melchisedech Abrahæ, à cæde v. regum reuertenti, legitur obtulisse, hoc significante Spiritu sancto, sacramenta Dominici corporis & sanguinis aliis non esse communicanda, nisi his, qui regnum v. sensuum superauerunt, id est, qui se vitiis & concupiscentiis crucifixerunt. Quod bene significatur illo numero vernaculorum, in quo Abraham supra dictos reges vicit, quem numerum thau T litera, formam crucis repræsentans, secundum literarum supputationem exprimit. In similitudinem talium oblationum voluit Dominus, vt à parentibus, sub lege factus, in templo offerretur & sacrificium columbarum & turturum pro eo offerretur, quamuis ipse talibus non indigeret, sed per hoc significaret, Ecclesiã suam aut per communes orationes, quas significant columbæ, vel per priuatas, quas significant turtures, esse mundandã. Simile quid prænotauerũt vota trium Magorum, qui Christo nuper nato tria munera obtulerunt: Aurum, quo moraliter spiritualis intelligentia declaratur. Thus, quo puritas deuotæ orationis intelligitur. Mirrham, qua carnalis corruptionis mortificatio † figuratur. Attendendum vero est, quod hæc omnia, quæ ab introitu Missæ commemorata sunt, illis sacrificiis congrue comparantur, quæ sacerdotes in exteriori tabernaculo immolabant, quia sicut ab illis contuendis populus non amouebatur, ita hæc omnia in audientia omnium celebrantur. Sed mirabitur aliquis, quæ sit ista comparatio sacramentorum, cum illa vetera fierent de corporibus, noua vero ista fiant in vocibus. Sed in significatis bene conueniunt, quia dispensationem incarnati verbi, sicut superius dictum est, quam præfigurabant ænigmata rerum, eandem esse completam commemorant enunciationes figuratarum vocum. Siue ergo oremus, siue psalmum cantemus, siue lectionem de propheticis, siue de Apostolicis, siue de Euangelicis verbis proferamus, quod fidei adstruat veritatem, vel morum commendet honestatem, quasi vitulum labiorum nostrorum ad altare offerimus, quia mysterium verbi Dei mentibus alta sapientibus, in quibus ignis diuini amoris ardet, & caro crematur, aperimus. Vnde & ab hoc vitulo quasi corium detrahitur, cum remoto velamine literæ, spiritualis intelligentia reuelatur. Huius etiam vituli carnes in frusta conciduntur, cum paruulis in Christo lac, infirmis olus, solidus cibus perfectis, secundum Apostolicam

† hostia.
† oblationes.
2 Pa 6.
Psal. 28.
Psal. 95.
Gen. 14.
Matth. 2.
† significatur.
1. Cor. 2.
Heb. 5.

traditionem ministratur. Et notandum, quod hic vitulus ad ostium tabernaculi testimonij offertur, cum ea, quæ lex & prophetæ prædixerunt, in Christi aduentu impleta esse & reuelata creduntur, qui de seipso ait: Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur. Ipse est enim clauis Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Super caput huius vituli ponunt filij Aaron manus suas, cum Christo, qui caput est Ecclesiæ, omnia bona opera sua Christi sacerdotes attribuunt, de quo dicitur: Misit verbum suum, & sanauit eos, & qui de se discipulis suis dicit, Sine me nihil potestis facere. Huius quoque vituli intestina lauantur, cum sanæ doctrinæ, quam illa sacramenta celabant, nihil contrarium admiscetur: & pedes, cum ipsius verbi prædicatio, carnalis concupiscentiæ puluere non fœdatur. Vnde ait Propheta: Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Stercora vero huius vituli extra castra cremantur, cum sputa, colaphi, & omnis contumelia verbo Dei illata, ipsa etiam crucis ignominia, in gloriam resurrectionis, remota omni carnali obseruatione, commutatur. Quod bene significatur per ignem, qui quod assumit, in se conuertit, & semper ad superiora contendit. Sicut ante designatum diximus verbum Domini per vitulum, tanquam aratro crucis corda nostra exarantem, ita ipsum possumus intelligere per arietem, cum Christum ducem nostrum prædicamus, vel cum eius innocentiam commendamus, iuxta illud Prophetæ: Tanquam ouis ad victimam ductus est, & non aperuit os suum. Per hœdum quoque idem verbum significamus, cum Christum in similitudinem carnis peccati venisse, & pro peccato generis humani oblatum fuisse commemoramus. Per turturem & columbam idem significamus, cum naturam humanam Spiritui sancto in Christo sociatam contestamur. Per turturem quippe merito Christi caro figuratur, quæ gemitum assumpsit nostræ passibilitatis & humanitatis & mortalitatis. Vnde & Psalmista: Turtur inuenit sibi nidum, id est, dispensationem suæ incarnationis, in qua pullos fecit, id est, fideles generauit. Per columbam vero Spiritus sanctus intelligitur, qui in specie columbæ super Dominum apparuit. Vnde dictum est ad Ioannem: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem, ipse est qui baptizat. In eodem Dei verbo similaginem offerimus, cum expurgato fermento malitiæ & nequitiæ, populos ad vnitatem Ecclesiasticam conuocamus. Qui dum catechizantur, quasi moluntur: cum baptizantur, in vnum corpus, vt vnus panis fiant, adunantur: cum ad agonem instruuntur, quasi clibani decoctione roborantur, secundum illud: Vasa figuli probat fornax, homines autem iustos tentatio tribulationis. Et illud: Fili accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Tum vero ijdem populi, quasi panis oblationis oleo liniuntur, cum per manus impositionem sacro chrismate ad eundem agonem fortiter tolerandum contra spirituales nequitias confirmantur. Nos quoque si Deo placere contendimus, moraliter hæc omnia Deo offerre iubemur. Vitulum namque offerimus, cum superbiam humilitate superamus: Ouem vel arietem immolamus, cum veram innocentiam conseruamus: Hœdum autem offerimus, cum fœtorem luxuriæ, carnis castigatione & contriti cordis compunctione lauamus: Turturem offerimus, cum huius exilij ærumnas

Ioan. 10.
Apoc. 3.
Psal. 106.
Ioan. 5.
Esai. 52.
Rom. 10.
Esai 53.
Psal. 83.
Ioan. 1.
Eccli. 7.
Eccli. 2.

in solitudine mentis deploramus, dicendo cum Psalmista: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Columbam offerimus, cum simplicitatem columbæ miramur, vt nulli machinemur dolos. *Psal.119.* Panes in clibano coctos offerimus, cum nullis tribulationibus ab vnitate Ecclesiæ non diuidimur. Panes azymos à sartagine Deo offerimus, cum zelum iustitiæ ex misericordiæ visceribus moderamur. Panem etiam in craticula coctum offerimus, cum ob zelum abstinentiæ, ieiuniis & laboribus carnem nostram maceramus. Hæc Christi & Ecclesiæ sacrificia, lectiones nostræ de quibuscunque libris historico vel allegorico stylo dictæ commendant: hæc melodiæ cantorum, ad pietatis affectum suauitate canora animos populorum excitantes, resonant: hæc hymni & psalmi concrepant, & quicquid in officiis Ecclesiasticis siue nocturnis siue diurnis, vel in silentio secretorum, vel in audientia populorum frequentatur, non ociosè fit, sed totum vel ad ædificationem fidei, vel ad compositionem morum, ab his, qui non seruiunt litteræ occidenti, sed spiritui viuificanti, reflectitur. Sunt & aliæ multiplices hostiæ, quæ pro diuersis occasionibus offeruntur, siue pro gratiarum actione, siue pro pontificis ordinatione, siue pro lepræ emundatione, siue pro nocturna illusione, quæ similiter hanc vnam hostiam, de qua dictum est, figurabant, & fidem ac mores ædificant, quæ ideò multæ erant, & sæpe iterabantur, *Heb.9.* quia secundum Apostolum, perfectum facere non poterant seruientem: hæc autem semel oblata, peccata originalia & actualia purgauit, & cælestia ac terrestria pacificauit.

Qualiter veteris ac noui sacerdotij sacramenta in aperto celebrata conueniant, in supradictis, prout potuimus, breuiter ostendimus: Nunc restat, vt ea præcipuè, quæ in mysticis orationibus vel operationibus sacerdotes nostri faciunt, qualiter cum his conueniant, quæ pontifices intra sancta sanctorum faciebant, prout Dominus dederit, ostendamus. Ac primo secretæ orationes, quas post offertorium facit sacerdos, in quibus panis & vinum, quæ in Christi corpus & sanguinem Dominicis verbis commutanda sunt, hostiæ vel oblationes, vel sacrificia nominantur, quid cum Euangelio simile habeant, videamus. In Euangelio quippe legimus quod Dominus facta cœna in hortum cum discipulis exiuit, & ibi antequam ad eum perueniret, qui comprehensuri eum erant, remotus à discipulis, eandem orationem in silentio ter orauit, commiserando miseris Iudæis, dicens: Pater, si fieri potest, *Matth.15.* transeat à me calix iste. Sed quia ab originali præuaricatione per obedientiam eius redimendus erat mundus, elegit magis Iudæam in sua *† delinquere.* cæcitate † derelinquere, quam Dei filios in æterna morte relinquere, secundum illud: Non *Ione.4.* saluaretur Niniue, nisi aruisset cucurbita. Hanc trinam orationem, in qua se paternæ voluntati deuouebat filius tanquam arietem in holocaustum, imitabantur pontifices in veteri testamento, in die propositionis sancta sanctorum intraturi, cum etiam vitulus offerebatur pro pontifice, aries in holocaustum, hircus, in quem sors Domini ceciderat, pro peccato populorum, cum sanguis eorum, id est, vituli & hirci, inferendus erat in sancta, crematis eorum corporibus extra castra. His omnibus sacrificij generibus Christus præfigurabatur, qui in illa trina oratione offerendum se esse patri præsentabat tanquam vitulum pro peccato pontificum, tanquam arietem in holocaustum, tanquam hircum pro omni præuaricatione populorum. Expletis dehinc orationibus secretis, admonet populum sacerdos primum salutando, postea, vt quæ sunt sursum sapiat, & redemptori suo ingratus non existat, exhortando, & vt hæc omnia mediatoris gratiæ ascribat, consulendo. Quod & Dominus Iesus fecisse intelligi commode potest, inter ipsa trinæ orationis interualla, quando ad discipulos ter veniens, dicebat: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Matth.26.* Quid est autem vigilare, nisi de suis meritis non præsumere, sed in omnibus ad mediatoris gratiam recurrere? Et ita dignũ esse, ab humana fragilitate fieri salubriter docemur, cum Angelos, Archangelos, & omnes cœlestes exercitus Deum inde laudare & adorare nouerimus, quod beatitudinem suam per mediatoris beneficium se obtinere fateatur. Inde erat quod duo Cherubim alis suis propitiatorium velabat, quia de collatis sibi virtutibus Angelicę potestates Deum honorant, & in propitiatorium adspiciunt, qui ex propitia Dei bonitate excellentiam, quam habent, se habere confidunt. Vnde orat *Phil.2.* sacerdos, vt in confessione sanctæ Trinitatis, laudes nostræ laudibus iungantur Angelorum, cum in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestriũ, & infernorum. Quia ergo mediatori nostro, sicut ipse dicit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, prosequitur sacerdos & rogat Deum Patrem, vt per eum benedicantur oblata mysteria, id est, in eam veritatem transferantur, quam gerebant in vmbra prędicta illa sacrificia, in die propitiationis oblata. Quia enim illa tria sunt, vitulus, aries, duo hirci, tribus nominibus eorum significata commemorantur, quia dona, munera, sacrificia nominantur, quamuis vnum repræsentent sacramentum Dominicæ passionis, † quia pacificata *† quasi.* sunt diuina & humana. Duo quippe hirci, duas significant in Christo naturas: humanam, in qua passus est pro reconciliatione nostra, quam significat mactatus hircus, pro peccato, alteram diuinam, quam significat hircus, qui per hominem paratum, id est, per seipsum mittitur viuens in desertum illud scilicet, in quo relictis nonaginta nouem ouibus, bonus pastor vnam venit quærere, quæ perierat. *Luc.15.* Cum sanguine horum animalium, vituli videlicet & hirci, intrabat pontifex in sancta sanctorum, & Dominus Iesus *Heb.9.* per proprium sanguinem, qui prædictorum animalium sanguine figurabatur, introiuit in sancta sanctorum, æterna redemptione inuenta, noster quoque sacerdos cum sanguine Christi, id est, cum memoria Dominicæ passionis, ingreditur ad sancta mysteria celebranda. *Leuit.16.* Orat Leuiticus sacerdos, ingrediens tabernaculum testimonij, pro se & pro familia sua. Orat Christus pro se, *Ioan.12.* cœlos ascensurus dicens: Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. *Ioan.17.* Orat & pro familia sua, dicens: Pater, serua illos, quos dedisti mihi, in nomine tuo. Orat & sacerdos noster incipiens tractare sacra mysteria pro summo pontifice, & sancta Dei Ecclesia, & pro his qui in sublimitate sunt, secundum Apostolum, *1.Tim.2.* quatenus quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & sanctitate. Defert sacerdos Leuiticus carbones de altari, *Luc.16.* in quibus cremantur animalium carnes, secum in sancta, implens inde thuribulum. Ascendit summus sacerdos noster in tabernaculũ non manu factum, portans secum corpus omni bono odore virtutum † refectum, quas tanquam *† refertum.*

carbones viuos accepit humanitas ab igne sancti Spiritus tanquam de altari, qui cremat carnes mali desiderij. Defert & noster sacerdos secum carbones de eodem altari acceptos, cum memoriam facit Apostolorum, & quorundam martyrum, qui per amorem spiritus de mortuis viuificati, & ipsi in se diuino ardent amore, & alios suo exemplo student de mortuis viuos facere. Hanc commemorationem sanctorum inter secreta faciendam à veteri testamento habemus, præcipiente Moyse, vt Aaron sanctuarium ingrediens, rationale haberet in pectore, in quo descripta essent nomina xij. patriarcharum, sculpta in xij. lapidibus, distributis per ternos ordines in capitibus iiij. angulorum. Qua in re significatur, quod cum fide Trinitatis, & doctrina Euangelica, in mente sacerdotis semper debet esse memoria præcedentium patrum, quorum exemplis ad bene viuendum informetur, & patrociniis muniatur. Impositis aromatibus, procedebat fumus de thuribulo, qui obumbraret oraculum, ne videretur summus pontifex, dum esset in sanctuario. Legitur & in Apocalypsi de nostro summo pontifice, qui fuit Angelus magni consilij, quod impleto thuribulo de igne altaris, id est, habitante in Christi corpore omnipotenti diuinitatis, tanta processit ex eo plenitudo, & ascensus virtutum, vt excederet omnem humanum intellectum dicente Ioanne: Non enim ad mensuram dat spiritum. Orante quoque sacerdote nostro dum sacramenta noui testamenti celebrat, tanta puritas orationis tanquam fumus incensorum aromatum dirigitur ad Deum, quæ & rationem humanam, & omnem superemineat intellectum. Orat enim sacerdos, vt oblationem altari superpositam dignetur Dominus facere benedictam, id est, transferat in illam singulariter benedictam, id est, ab omni peccato immunem: ascriptam, id est, non nouiter institutam, sed veteribus figuris, & scripturis assignatam: Ratam, id est, non transitoriam, quia vetus hostia irrita facta est, postquam Christus vera hostia in cruce oblatus est: Rationabilem, id est, non pecualem, quæ sanguine taurorum non poterat perfectum facere seruientem. Hæc vero hostia nostra rationalis est, quia ipsa eadem & sacrificans est, & sacrificium. Cum enim causam redderet Apostolus, quare seipsum Christus obtulisset, subiunxit: Si enim esset super terram, nec esset sacerdos, ac si diceret: Idcirco ipse factus est hostia, quia super terram non fuit æque digna, ita sufficiens ad exhaurienda mundi crimina. Idcirco ipse offerens, quia non esset sacerdos æque dignus, quia lex constituit sacerdotes peccatores, qui primo offerrent pro peccatis suis, deinde pro populi. Peccator ergo sacerdos, qui sibi sufficere non poterat, tam sanctam hostiam offerre non valuit: sed ipsa sancta & innocens seipsam obtulit, quia voluit. Vnde & in Euangelio dicit: Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam. Post illa verba communia spiritaliter exponit sacerdos, quid petat, scilicet vt illæ corporeæ materiæ fiant nobis corpus & sanguis Christi. Hæc oratio tanquam subtilissimorum fumo aromatum obumbrat propitiatorium, quæ terrestrem materiam & corruptibilem, cœlesti & incorruptibili corpori postulat incorporari. Sed huic diuini consilij altitudini sola fides adhibenda est, quæ procedit vsque ad interiora velaminis: quæ initium non haberet, si sacramenta, quæ continent, persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis probare contenderet. Adspergit sacerdos vmbræ deseruiens, ad Orientem versus propitiatorium, sanctuarium & tabernaculum sanguine vituli, & eodem ritu sanguine hirci immolati: quia idem Christus qui figurabatur per vitulum significabatur & per hircum pro peccato oblatum, Adspergit, & Christus ad Orientem, id est, ad patrem, à quo ortus est ascendens, ipsum scilicet patrem, quem adspersione sui sanguinis propitium nobis fecit. Adspergit & sanctuarium & tabernaculum, quia per proprium sanguinem introiens in sancta, pacificauit diuina & humana: quia, sicut dicit Apostolus, complacuit patri in ipso instaurare omnia, quæ sunt in cœlis, & quæ sunt in terra, id est, Ecclesiam, quæ in terris propter inobedientiam primi parentis erat perdita, in cœlis verò propter ruinam apostatæ Angeli imminuta. Imitatur sacerdos noster intra sacra mysteria, tanquàm intra velum, hanc Christi sanguinis adspersionem, quoties sacramenta ipsa ad Orientem versus, vnde nobis Saluator aduenit; typicis vel propriis nominibus nominans, eadem signo crucis consignat. Quid est enim, inter ipsa mysteria rebus sacratis vel sacrandis signum crucis superponere, nisi mortem Domini commemorare? Vnde & Dominus formam consecrandi corporis & sanguinis sui tradens, ait inter cætera: Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque hoc facitis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Commemorata denique adspersione sanguinis Christi verbis Dominicis, sequuntur verba sacramentorum, eandem sanguinis adspersionem commemorantia, ex voce sacerdotis orationem suam ad patrem intendentis: Vnde & memores Domine nos tui serui passionis filij tui, resurrectionis & ascensionis, offerimus maiestati tuæ, id est, oblatam commemoramus per hæc dona tua visibilia, tibi hostiam puram, id est, sine fermento malitiæ; sanctam, id est, tibi consecratam; immaculatam, id est, talem qualem significabant animalia, quæ immolanda sine macula quærebantur. Et hanc veri sacrificij commemorationem postulat sacerdos ità Deo Patri fieri acceptam sicut accepta fuerunt munera Abel, Abrahæ, Melchisedech, in quorum oblationibus initiata sunt noui sacerdotij sacramenta, nondum instituto Leuitici ordinis sacerdotio. Quid per Abel figuratur nisi Christus, qui innocens à nocentibus occisus est? Quid per Abraham, nisi obedientia; qua patri obediens fuit vsque ad mortem? Quid item per Melchisedech, nisi idem Christus, panem & vinum in corpus suum commutans, & hunc noui sacerdotij ritum discipulis suis commendans? Nec mirandum est, nec superfluitati ascribendum, si in sacramentis nostris hoc frequenter commemoratur, quod in veteribus vmbris non ociosè frequenter figurabatur. Post thymiamatis oblationem, post adspersum sanguinem vituli & hirci, sanctuarium & tabernaculum & altare, mittunt filij Aaron manus suas super caput arietis capri emissarij, & imprecantes ei, mittunt eum viuum in solitudinem portantem peccata filiorum Israël. Dehinc reuertitur summus sacerdos in castra, orans pro domo sua, & pro omni cœtu filiorum Israël. Mittunt quippe manus suas Iudęi, veteri vmbræ seruiẽtes in Christũ, id est, diuinitati eius, quæ caput humanitatis erat, secundùm Apostolum,

Marginalia: Exod. 28. — Apoc 8. — Coloss. 2. — Ioan. 10. — Hebr. 9. — Ioan. — Col. 1. — 1. Cor. 11. — Phil. 2.

1.Cor.11. dicentem, caput Chriſti Deus : reſiſtentes, imprecati ſunt ſibi, Chriſto imprecantes, Sanguis *Matth.27.* eius ſuper nos & ſuper filios noſtros : eum viuum miſerunt in ſolitudinem, qui diuinitati eius nocere non potuerunt, quia ad illam ſolitariam gloriam, quam habet cum patre, de morte carnis liberum aſcendere dimiſerunt, per hominem paratum, id eſt, per ſeipſum, portantem peccata filiorum Iſraël, id eſt, tollentem peccata mundi, non habentem. Hoc commemorat ſacerdos noſter, dicendo Deo Patri : Iube hæc perferri per manus Angeli tui in ſublime altare tuum. Quis eſt iſte Angelus, niſi Angelus magni conſilij, qui propriis manibus, id eſt, ſingulari dignitate præditis operibus cœlos meruit aſcendere, & in ſublime altare, id eſt, ad dexteram Patris pro nobis interpellans, ſeipſum *Rom.8.* ſubleuare ? Remittitur dehinc ſummus pontifex in caſtra, & Dominus dicit diſcipulis, inſtruens eos de aſſumptione ſua, Ego vobiſcum *† omnibus diebus.* ſum † vſque ad conſummationem ſæculi. Hoc *Matth.28.* vtrumque ſacerdos imitetur. Primum, ſuis precibus leuans Chriſti corpus ſuper omnem cœleſtium ſublimitatem. Inde quaſi rediens ad caſtra, dicit : Vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum corpus & ſanguinem dilectiſſimi filij tui ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti repleamur. Ecce ad memoriam veniunt verba beati Andreæ Apoſtoli, quibus aſſerit & in cœlis eſſe corpus Domini, & de altari poſſe ſumi corpus Domini. Cuius, inquit, carnes cùm ſint comeſtæ in terris à populo, & ſanguis eius bibitus, ipſe tamen vſque in tem- *† reſurrectionis.* pora † reſtitutionis omnium, in cœleſtibus ad dexteram patris integer perſeuerat & viuus. Si quæris, qualiter id fieri poſſit, breuiter reſpondebo : Quia ſacramentum fidei eſt : ſalubriter poteſt inueſtigari, niſi periculoſe, non poteſt. Inde eſt quòd quidam carnales diſcipuli receſ- *Ioan.6.* ſerunt ab eo, cùm dixiſſet : Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam. Putauerunt enim quod erogaturus eſſet eis corpus ſuum, vel eli- *Ibid.* xum in lebetibus, vel aſſum in verubus. Vnde & Dominus eos qui remanſerant, inſtruit, dicens : Si videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius. Ac ſi diceret : Tunc intelligitis, quia non eo modo quo putabitis, erogat corpus ſuum, & quia gratia Dei non conſumitur morſibus. Vnde Auguſtinus in expoſitione Pſalmi quinquageſimiquarti : Donec finiatur ſæculum, ſurſum eſt Dominus : ſed tamen hic etiam nobiſcum veritas eſt Dominus. Ecce habemus Chriſtum integrum in cœlo per oſtenſionem carnis, patrem interpellantem pro nobis : Habemus & corpus integrum in ſacramento alta- *Ioan.17.* ris. In ſupernis oratio filij eius eſt : Volo pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & meus miniſter : Hæc oratio eſt pro familia ſua, pro membris ſuis. Et hoc eſt, quod legitur ſummus ſacerdos in caſtra reuerſus, lauare veſtimenta ſua. Chriſtus enim in caſtris, id eſt, in Eccleſia, lauat veſtimenta ſua cùm mundat per baptiſmum, vel per confeſſionem peccata noſtra, qui veſtis eius ſu- *Iſai.45.* mus, ſicut dicitur per prophetam : His omnibus ſicut veſtimento veſtieris. Lauat & ſacerdos, poſt altitudinem ſecretorum ad curam inferiorum deſcendens, veſtimenta ſua, cùm ſibi adhærentium populorum luget peccata, & eos Deo reconciliare ſtudet per orationum ſuffragia, dicens cum propheta : Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt lugeam interfectos populi mei ? Hæc *Hier.9.* continent † ſequentes orationes, tam mortuo- *† frequentes.* rum quàm viuorum mentionem facientes. Sed notandum quòd inter iſtas orationes adhibentur Sanctorum ſuffragia, Apoſtolorum ſcilicet & Martyrum, quorum exemplis informari, & meritis muniri præſens poſcit Eccleſia. Concinit autem veteri ſacerdotio iſta præcedentium patrum commemoratio. In duobus enim veſtimentis portabat pontifex, ſancta ingrediens, patriarcharum nomina, in rationali & in ſuperhumerali, quæ colligata erant adinuicem, ſignificante Spiritu ſancto, vt ſacerdos Chriſti iuſtitiam & veritatem, quam habet in corde, ſtudeat habere in operatione : Pectus enim locus eſt cordis, humerus verò locus eſt portandi oneris. Ad hanc ſimilitudinem inter ſacramenta noſtra bis habetur ſanctorũ commemoratio : Vt ſacerdos noſter geſta ſanctorum & corde meditetur, & factis imitetur. Facta ſanctorum commemoratione, ſacerdos de meritis ſuis non præſumens, orat, vt ſanctorum meritis aſſequamur quod noſtris meritis non valemus : & hoc tantùm per mediatorem qui factus eſt nobis propitiatio, redemptio, & ſanctificatio. Per quem nobis hæc *1.Ioan.12.* ſacramenta inſtituta ſunt ad medicinam vulne- *1 Cor.1.* rum noſtrorum. Et hoc eſt, quod ſequitur : per quem hæc omnia creas, id eſt, in aliam eſſentiam & efficientiam mutas, quàm eorum prima conditio habeat, & viſus oſtendat. Sanctificas, viuificas, id eſt, ſanctitatis & vitæ ſacramenta efficis. Sequitur : Per ipſum eſt tibi omnis honor & gloria, id eſt, quia per ipſum cuncta operaris, merito per ipſum, qui etiam ex te eſt, ab omnibus ſuper omnia Deus honoraris, & omnium laude glorificaris. Et cum ipſo eſt tibi gloria, quia & ipſe filius in operibus quę per eum facis, ſicut coæqualis tecum honoratur, & conglorificatur : & in ipſo eſt tibi ſpiritalis gloria, ſicut ipſe per columbæ tuæ vocem dixiſti : Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. *Matth.3 & 17.* In his verbis Aſcenſionem Domini manifeſtè commemoramus, in quibus filium cum patre honorari pari gloria profitemur. Quibus laudibus tanquàm de interioribus ad exteriora procedens, aſſenſum quærit Eccleſiæ ſacerdos, dicens ſonora voce : Per omnia ſæcula ſæculorum. *1.Cor.14.* Supplet populus ſuper orationem eius locum idiotæ, & reſpondet, Amen. Hac vna participem voce ſe faciens omnium chariſmatum, quæ ſacerdos multiplici ſacramentorum diuerſitate ſtuduit impetrare. Iam ergo quaſi mutato habitu, quo vtebatur dum ſacra myſteria tractaret, mutat vocem : & deinceps tanquam in exteriori æde, quæ reſtant ſacramenta Miſſæ perficit, hortans ſecum populum ad faciendam Dominicam orationem, qua & ſacramentorum conſecratio perficiatur, & populus ad perficienda eadem ſacramenta orando pręparetur. Sequitur indè ſacramentorum communicatio, quam ex Domini noſtri traditione accepimus : qui corpus ſuum propriis manibus conſecratum, fregit, & diſcipulis ſuis diſtribuit. In qua fractione paſſionem ſuam deſignauit mox futuram : & ſigillum veterum ſcripturarum, ſub quo ſpiritualis intelligentia ſuperſubſtantialis animæ panis claudebatur, aperuit. Quòd verò idem corpus diſcipulis diſtribuit, incorporandam ſibi Eccleſiam cæleſti victuram pane figurauit. Hoc & in oblatione ſummi ſacerdotis præfiguratũ fuit, qui de fragmentis ſimilaginis oleo conſperſæ, manè, & poſt meridiem offerre iubetur, vt

interni panis suauitas, quæ manè, id est, primitus in littera latebat, post meridiem, id est, luce veritatis apparente, credentibus misericorditer gustanda præberetur. Nos quoque non ociose sacramentum corporis Christi in tres partes diuidimus, quia & Christi passionem per hoc commemoramus præteritam, quam ille significabat venturam: Et hoc numero tria intelligimus, quibus capitis (id est, Christi,) & Ecclesiæ vnitatem commendamus. Prima enim portione, substantiuum Christi corpus figuramus, quod sabbato quieuit in sepulchro, de quo ipse Dominus dicit
Psal. 15. in Psalmo: Caro mea requiescet in spe. Et sequentibus verbis suã promittit resurrectionem, & ad dexteram patris consessionem. Nec dabis sanctum tuúm videre corruptionem: Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem. Secunda portio, quam cum prima in patena ponimus, illam Christi corporis, id est, Ecclesiæ partem significat, quæ iam cum capite suo quasi in sabbatho quiescit, & vnam iam immortalitatis stolam possider, in qua illum latronẽ credimus esse, cui in cruce confitenti Dominus dixit: Hodie mecũ eris in paradiso, & de
Luc. 23. qua cantat Ecclesia, Gaudent in cœlis animæ sanctorum. Tertia portio, quam in sanguine ponimus, illam Ecclesiæ partem significat, quæ calicem Domini bibit, id est, Christi passionem imitatur, cùm Apostolis à Domino dictum est:
Ioan. 16. In me pacem habebitis, in mundo autem pressuram habebitis. Facta comminutione sacramenti & completa oratione, quæ subnectitur Dominicæ orationi, communicat sacerdos & mini-
† cunctis. stri, † certis diebus fideles populi. In qua re iterùm significatur vnitas capitis, id est, Christi & Ecclesiæ, id est, corporis Christi, sicut ipse dicit:
Ioan. 6. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Consideratione trium portionum suprà memoratarum, dum sacramenta sumuntur, ter agnus Dei à choro cantatur. Primò orat Ecclesia agnum non figurantem istum agnum, sed verum tollentem peccata mundi, vt inter eius membra numeretur, cuius corpori communicat & sanguini, id est, vt adhæreat ei tanquàm capiti. Orat secundò eundem agnum, quatenus societur illi parti corporis Christi, quæ iam cum capite quiescit in pace. Hoc superioribus orauit sacerdos, cùm memoratis Apostolis & martyribus addidit, Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor, admitte. Tertiò orat eundem agnum, vt mundi pressuris non superetur, & malitia, quod superius comprehendebat oratio Dominica, Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à ma-
Matth. 6. lo, Amen. Et hoc ipsum continet Dominicæ orationi connexa oratio. Nihil iam restat de carnibus agni, quod non assumat hæc oratio. Deuorat caput, cùm seipsam facit ei corpus: deuorat intestina, cùm computari vult & concorporari inter intima eius membra: deuorat pedes, dum illos sibi incorporare studet, qui cum capite laboraturi sunt in terra. Vnde in hac tertia oratione, pacem sibi dari poscit Ecclesia. Redit post hæc sacerdos ad dexteram partem altaris, & ibi officium Missæ consummat significans quia cùm plenitudo gentium intrauerit, tunc
Rom. 11. omnis Israël saluus erit. Notandum est, quòd post contrectata & sumpta sacramenta, sacerdos antè quàm se conuertat ad conuentum Ecclesiæ, qui tantæ sanctitatis participatione mundatus esse debuerat, tanquàm à contactu immundæ & moribundæ rei manus lauat, & in locum sacrum huic cultui deputatum, ipsa aqua vergitur, quæ omnia sine magnæ rei sacramento fieri non videntur. Vbi mihi occurrit, quod huic facto concinit, videlicet, quòd sacerdos in die propitiationis, postquàm crematæ fuerant carnes vituli, & hirci extra castra, non antè in castra reuertebatur, donec vestimenta eius & carnes eius, quæ exteriora & interiora significãt, abluerentur. Et tamen ita lotus secundùm legem, vsque ad vesperam immundus reputabatur. Qui enim carnes victimarum extra castra cremabant, Christi passionem extra ciuitatem factam præfigurabant. Nostri autem sacerdotes passionem, quam illi (vt dictum est) præfigurabant, in celebrationibus Missarum factam esse commemorant, & tamen se immundos vsque ad vesperam, id est, quandiu viuunt, & tantis mysteriis exequendis indignos se iudicant. Vn- 1. Ioan. 1.
de ait beatus Ioannes: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Inde & Dominus in Euan- Luc. 17.
gelio: Cùm feceritis quæ præcipio vobis, dicite, quia serui inutiles sumus: fecimus quæ facere debuimus. Idcircò manus lauant, & aquam ablutionis honeste tractant, per quod altitudinem sacramenti honorant, & indignitatem suam tali ablutione commemorant. Ita & sacerdos antequàm ad sacramenta tractanda accedat, manus lauat: sicut pontifex sancta sanctorum ingressus, introitu tabernaculi testimonij manus suas lauabat, & sic ad incendenda aromata ve-
niebat. Hæc munditia exhibetur exterius, sed Psal. 44.
interius perfici iubetur, quia omnis gloria filiæ regis ab intus. Non enim lutum manuum nostrarum sacrosancta sacramenta contaminat: sed nos, qui nisi correctis moribus & castigatis actibus ad ea tractanda & sumenda accedamus, non inde medicinam vitæ accipimus, sed iudicium mortis incurrimus. Testis est Apostolus, dicens:
Qui indignè manducat & bibit, iudicium sibi 1. Cor. 11.
manducat & bibit. Vnde satagendum est, vt sicut exteriora abluuntur inquinamenta manuum, sic interiora purgentur illecebrosa desideria mentium. Sequuntur dehinc orationes, in quibus fit perceptorum beneficiorum commemoratio, & gratiarum actio: quæ duo sunt tanquàm cineres vitulæ extra castra combustæ, quos reponit homo mundus ab interfectione Christi in loco mundo, id est, retinet in corde mundo. Extra castra, id est, extra obseruantiam Iudaicam, extra quam fides Christiana enituit. Quibus omnibus expletis, dicit sacerdos vel Leuita: Ite, Missa est, id est, meditatio & intercessio quam † ministrauerã, consummata est. Pos- † insumpseram.
sent quæ scripsimus, multis veterum figuris explicari, & multis expositionum diuersitatibus dilatari, multis schematum phaleris exornari: sed non fuit propositum nostrum in hoc opusculo ità exequi, & plantare nemus in domo Domini. Tantùm fuit propositum nostrum, conuenientiam quærere inter vetus & nouum sacerdotium: vt quod ibi multiplici sacrificiorum ritu præfigurabatur, in nouo sacerdotio paucissimis & factu facillimis & augustissimis, sacramentorum obseruationibus completum esse monstretur. Nec nos hæc sufficienter fecisse confidimus de eo, qui per quendam sapientem
dixit: Pertransibunt plurimi, & multiplex erit Dan. 12.
scientia: quia contemporanei nostri vel successores, nostra pia præsumptione prouocati, prout

Aa iiij

eis Deus donauerit, dicent maiores maiora, & meliores meliora: & si quid impolitum vel minus perfectum, quantum ad propositum meum, in hoc opusculo inuenerint, parcent charitati, quæ forsitan ad vnguem dicere non valuit quod voluit.

SERMO VI.

Quare Deus natus & passus sit.

CORruptum peccatis originalibus & actualibus mundum, mundi conditor secreto & mirabili consilio per mysterium verbi incarnati eiusdem mundi lapsum voluit reparare: qui eo verbo, quo potuit de nihilo cuncta creare, potuit, quæ perdita fuerant, reformare. Ipse namque dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt. Hanc eius potentiam non credimus minoratam, non credimus immutatam, apud quem non est transformatio, nec vicissitudinis obumbratio: quo minus esset potens, & sapiens in reformando, quam fuerat in plasmando. Omnipotentis quippe figuli manus, cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas, quæ lutum de terra leuatum, rationalis naturæ dignitate sublimauerat, sic voluit ruinam vasis fragilis reformare, vt nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia iustus est: nec insanabile, quia misericors est. Si iustus tantùm esset, cuius sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, potuit sua fortitudine aduersus seductorem humani generis contendere, & ouem perditam ad gregem reductam, suo Domino restituere: Sed hoc modo videretur eminentiam tantùm ostendisse virtutis suæ, non medicinalem misericordiam impendisse redemptis: nec appareret, quanta charitate conditor creaturam diligebat, à qua se diligendum esse multiplici beneficio expetebat: quatenus miser homo, præcedente gratia, obtineret etiam per meritum, quod ei malè meritò rependebatur indebitum. Quod ergo Dei sapientia potuit facere sapienter & fortiter, voluit facere suauiter, vniens sibi infirmitatem carnis nostræ, quam primo in se sanaret, & per hanc quasi medicinalem confectionem generi humano sanitatem restitueret: non quòd non potuit aliter fieri, quantùm ad peritiam & potentiam medici: sed quia non potuit commodius antidotum procurari, quantùm ad complexionem ægroti. Quod enim infirmum est Dei, fortius est hominibus: & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Hęc† conuersatio nobis specialis esse videtur, cur Dei filius hominem induere voluerit, & inter homines conuersari, vt mortalitatem quam à nobis acceperat, moriendo superaret: & naturam nostram supra primæ originis dignitatem reparatam secum ad immortalitatem reuocaret, vt eo sequeretur humilitas gregis, quo præcessit celsitudo pastoris. Sic radius solis humorem, quem ad se trahit, exsiccat: ipse tamen virtutem caloris sui & splendoris nec minorat, nec immutat, Sic ignis materiam quam assumit, in se conuertit: naturam verò suam ideò nec mutat, nec minuit. Multò fortiùs ille ignis, de quo dicitur, Deus noster ignis consumens est, mortalitatem nostram & passibilitatem in se assumpsit: & indè gratia † sanitatis totum corpus resumpsit. Mirabile & incomparabile genus medicinæ, propter quam medicus voluit ægrotare: & ægrotos, quibus salutis remedium procurabat, sua decreuit infirmitate sanare. In hoc apparet, quam incomparabili charitate nos dilexerit: quia in eo, quod desertores suos quæsiuit, semen Abrahæ apprehendit, errantes reduxit, saucios curauit, nihil sibi addidit: non est indè factus altior, non est factus indè beatior: Tota hæc dispensatio nostræ vtilitati consuluit: nostræ saluti militauit: diuinæ potentiæ nil contulit. Nam & cum essemus vasa contumeliæ, omnipotentis figuli manum effugere non potuimus: vtebatur vasis iræ, prout volebat, ad manifestationem suæ gloriæ. Sic enim dictum est Pharaoni: In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Nonne & dæmones, cùm eijcerentur à Domino de corporibus obsessis, Dominum glorificabant: quando dicebant? Quid nobis & tibi Iesu fili Dei viui? quid venisti ante tempus torquere nos? Constat ergo ex his & huiusmodi aliis, quia diuina virtus nostra reparatione non eguit: sed tamen ea bonitate, qua nos condidit, eadem reformare nos voluit: & ad hoc, medicamen non quàm forte potuit, sed quod lenius complexioni ægrotantis competere conspexit, apposuit. Solent quippe medici periti ægritudines, quas curandas suscipiunt, aliquando curare per contraria, aliquando per similia. Hoc fecit Dominus noster Iesus Christus, sua paupertate nos ditans, sua humilitate nos subleuans, sua infirmitate nos sanans, sua morte nos viuificans. Sic ratione medicinæ sicca humidis, humida siccis, calida frigidis apponuntur, & minùs fortia contraria, à fortioribus contrariis superuenientibus superantur. Simili ratione similia similibus apponuntur, cùm secundùm quantitatem vulnerum vel tumorum, mensurantur longitudo vel latitudo epithematum. Sic scorpionis carnes oleo coctæ, percussionibus medentur scorpionum. Sic theriaca de serpentis carne confectum morsibus serpentis occurrit & potiones veneno infectas, in potu sumptum expellit. Ad hanc similitudinem medicus noster mortem nostræ carni, de serpente venientem, carnis suæ morte sanauit, & ad immortalitatis suæ speciem in tempore restitutionis complendam, reformauit. Vbi diligentius attendendum est, quòd mors quæ per lignum venit, per lignum superata est. Et ipsa ligni forma longitudini & latitudini & altitudini humani configurata est corporis, quo sicut totum corpus motum est, vt manus ad vetitum extenderentur, ità corpus per omnia membra sua in cruce distenderetur, & totum quod reatu paterni delicti confractum fuerat, huius emplastri malaxatione consolidaretur. Sed huic medicamento persimilia composito admixtum est medicamentum factum per oppositum. Nam hic sanauit obedientia, quod ibi corruperat inobedientia: Et quòd ibi contaminauit gulæ oblectamentum, hic reformauit crucis tormentum. Continetur in hac crucis figura altius sacramentum: quod quanto est altius, tanto est attendendum diligentius. Intelligitur namque in latitudine crucis dilectio proximi: quæ non tantum vsque ad amicos, sed etiam extendenda est vsque ad diligendos inimicos. Intelligitur quoque in eiusdem longitudine longa & perseuerans laborum & persecutionum sustinentia, quam patienter ferre debet ad patriam spirans nostra peregrinatio, tam pro dilectione proximorum, quàm pro exhibitione omnium bonorum operum. Figuratur simili ratione in altitudine eius, eminentia spei penetrans vsque ad interiora velaminis, vbi

Marginalia: *Psal. 32. & 148.* — *Iac. 1.* — *Psal. 24.* — *Sap. 8.* — *1. Cor. 1.* — *† causa.* — *Hebr. 12.* — *† sanitatem.* — *Exod. 9.* — *Rom. 9.* — *Marc. 1.*

visione pacis perfruentur, qui hic à ciuibus Babyloniæ multipliciter exercentur: donec in libertatem gloriæ filiorum Dei, à seruitute corruptionis huius liberentur. Significauit hanc latitudinem charitatis Dominus Iesus in cruce, caput ad Orientem subrigens, pedes ad Occidentem summittens, manus ad Aquilonem & Austrum extendens: vt adimpleret quod de se ante passionem suam prædixerat: Cùm exaltatus fuero à terra, id est, cum crucifixus fuero, omnia traham ad meipsum, id est, conuocabo ad me totum mundum. Hoc sacramento crucis, sanctus Helisæus filium Sunamitidis, os ori, manus suas manibus eius applicans, suscitauit, & viuum matri restituit. Eiusdem virtute sacramenti, Moyses in deserto bis silicem virga percussit, & sitienti populo aquam de petra produxit. Bina quippe percussio duum lignorum, figurate intelligitur in cruce facta compactio. Bis ergo petra percutitur, cùm Christus, de quo dicit Apostolus (petra autem erat Christus) in duobus lignis crucis extensus, lancea perforatur. De hac petra aqua profluxit, cùm sanguis redemptionis & aqua baptismatis quibus in nouum hominem transformamur, de latere Christi manauit. Prætereà inter has crucis dimensiones, solerter attendenda est crucis profunditas, quia profundum est mysterium crucis: in quo multorum, qui sapientes videbantur esse, ingenia defecerunt, qui hoc ausi sunt reprehendere, quod non potuerunt humana ratione comprehendere: videlicet, cur verbum Deo patri coæternum, omnia continens, omnia implens, in assumpto homine totum se incluserit, & tamen totum mundum regere, complere, & continere non desierit, non satis considerantes, quod valet in minori, multo magis posse valere in maiori, cùm vox vna & tota de ore loquentis prodeat, & tota ad aures multorum perueniat. Qui de hac quæstione scrupulosiùs disputant, & tanquàm clauso ostio ad parietem palpant, audiant primùm dicentem Apostolum: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Deinde mitescant, & cum pietate pulsent, vt aperiatur eis, & intelligent iustum fuisse conditorem in condemnando, & misericordem in redimendo: Nec potuisse sanari sine misericordia, quòd iustè condemnauerat omnipotentis iustitia. Hinc consequenter aduertent, cùm vsque ad captiuati hominis paupertatem & crucis ignominiam se humiliauerit diuina omnipotentia, quæ in paradiso reum hominem iusta condemnauerit sententia. Cùm enim de perpetrata à Domino argueretur inobedientia, non se humiliter, vt culpa exigebat, accusauit, sed auctorem superbe accusauit dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de fructu, & comedi. Hæc dicendo, se putauit excusatum: & creatorem mulieris conditorem, quæ ad peccandum virum traxerat, esse inculpatum. Qui si humiliter se accusasset & in auctorem suum culpam non retorsisset, à paradiso non exulasset. Erat autem contra diuinam iustitiam, si reum impœnitentem in pristinum gradum restituisset, & non vsque ad dignum pœnitentiæ fructum qua vellet ratione compelleret. Diuina itaque sententia morti est adiudicatus, & cum tota posteritate, quæ de lumbis eius erat processura, eiectus est de paradiso, & ærumnoso condemnatus exilio: & qui sine pœnitentia in statum suum redire non poterat, mouendus & admonendus erat ad pœnitentiam, vt reformaret voluntarium† subdita humilitas, quem corruperat malè erecta iniquitas. Non enim conueniens erat, vt inuitus traheretur ad pœnitentiam, qui spontaneus corruerat in pœnā: ne itidem ingratus existeret suæ reformationi, sicut extiterat primæ conditioni. Prouisum est igitur tale medicamentum, quale conueniebat ægroto, quod duritiam tumoris sic emolliret, vt mollefactus, sponte mortiferum virus effunderet, dicente psalmista: Effundite coram illo corda vestra, id est, per confessionem ejicite de conscientiis vestris omnia immunda. Quod quandiu tardauit facere mundus, tamdiu remansit immundus. Vt ergo hoc fieret, misit medicus noster præcones & testes suos ante se legislatores & prophetas, qui corda auditorum ad pœnitentiam prępararent, & ei in tempore gratiæ testimonium perhiberent. Venit ipse medicus in tempore plenitudinis, publicè prædicauit causam aduentus sui, factus est doctor medicinæ, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Et item: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Hoc consilium medicinæ acceperunt multi. Contemptoribus placuit adhuc magis sibilus serpentis perimentis, quàm persuasio medici † redimentis. Filius verò adoptionis audiuit, & obaudiuit voci promittentis, qui in paradiso non obedierat præcepto mortem comminantis. Expleta dispensatione doctrinæ suæ, & cæcitate in Israël ex parte perdurante, tandem exhibuit se medicum, & fecit de seipso medicamentum: exhibuit se sacerdotem, & fecit seipsum sacrificium, vt compleret ad quod venerat, & probaret, quanta dilectione dilexerat eos, pro quibus corpus suum in ara crucis offerebat. Vnde & in Euangelio suo antè prædixerat: Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Hinc est quòd Apostolus dicit: Commendat charitatem suam Deus in nobis, quia cùm inimici essemus, reconciliauit nos sibi per mortem filij sui. Et quia naturale est, vt homines diligentes se diligant, hac humilitate & charitate humiliata est & liquefacta duritia mundi, vt agnosceret beneficium suæ reparationis, quæ non agnouerat excellentiam suæ conditionis. Vnde psalmista: Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Postquàm verò ad se reuersus est, & per dilectionem redimentis, & eruditionem admonentis cognouit de quanta corruisset gloria, & in quanta versaretur miseria: expertus est, quòd magna indigeret misericordia, & impletum est quod dicit psalmista: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, posteà accelerauerunt. Prædicata est exindè virtus crucis per vniuersum mundum, quæ partibus suis per quatuor mundi partes est extensa, & totum mundum sua malaxatione complexata compleuit. Nec iam potuit ex toto mundus esse ingratus, qui tanta fuerat charitate sanatus. Crucifixus noster à morte surrexit, cœlos ascendit, crucem nobis in memoriam suæ passionis reliquit. Crucem reliquit ad sanitatem, crucem reliquit ad sanctificationem. Hoc signo dæmones fugantur, hoc antidoto sanitates perficiuntur: hoc signum præsidium est amicis, obstaculum inimicis. Huius crucis mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur: eiusdem crucis signo per manus impositionem baptizati, dona gratiarum accipiunt: cum eiusdem crucis signi charactere basilicę dedicantur, altaria consecrantur,

Ioan.12.
4.Reg.4.
1.Cor.10.
Rom.9.
Philip.2.
Gen.3.
† voluntaria & subiecta humilitas.
Psal.61.
Matth.4.
Marc.16.
† redemptoris.
Ioan.15.
Rom.5.
Psal.48.
Psal.15.

† *impositione.* altaris sacramenta cum † interpositione Dominicorum verborum conficiuntur. Sacerdotes & Leuitæ per hoc idem ad sacros ordines promouentur, & vniuersaliter omnia sacramenta Ecclesiastica in eis perficiuntur. Qui hoc mare magnum & spatiosum, in quo sunt reptilia, quorum non est numerus, absque naufragio transire desiderat, crucem sequatur, crucem teneat, & eam non deserat, donec ad optatum salutis portum perueniat. Hoc cursum nostrum dirigit, hoc ad agonem nos instruit, hoc in luctamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc maleficia destruit: & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit. Et quod faciebat in terris corporalis Christi præsentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Christi, victoriosæ crucis insignita memoria. Longum est per singula virtutem crucis exponere. Qui verò in angaria, Christi crucem portat, poterit plura de eius virtute experimento cognoscere, quàm possit sermo retexere, vel humana cogitatio comprehendere.

SERMO VII.
De Aduentu Domini.

Quoniam præsentium obseruatione dierum, vtrumque Christi aduentum celebramus, distinguendum est fraternitati vestræ, quid hac obseruatione præteritum debeatis credere, quid futurum expectare, quatenus expectatio futurorum, per timorem solicitos vos compescat à malis: præteritorum autem fides, per charitatem non tepescentes, confirmet in bonis. Dominum enim iam in forma serui venisse, vt iudicaretur, nemo est vestrum qui dubitet: eum in eadem forma venturum vt iudicet, nemo est vestrum qui neget. Primus ergo aduentus eius occultus, secundus manifestus. De
Psal. 86. primo enim aduentu eius ita legitur: Et homo
Ioan. 1. est, & quis cognoscet eum? Et in Euangelio: Lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non cognouerunt, & multa in hunc modum. De se-
Psal. 49. cundo autem ità habetur in Psalmo: Deus noster manifeste veniet, & non silebit. Primo quidem aduentu siluit, non à præcepto, sed à iudi-
1. Pet. 2. cio. Cùm enim malediceretur, non maledice-
Esai. 53. bat: cum percuteretur, non comminabatur, & sicut agnus coram tondente se sic non aperuit os suum. Secundo non silebit, cùm vnicuique reddet secundùm operá sua. Ità enim dicturus
Matth. 6. est eis, qui à sinistris eius erunt: Ite maledicti in ignem æternum. Ita verò his qui à dextris eius
Matth. 25. erunt: Venite benedicti patris mei: percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Primus aduentus humilitate & mansuetudine, secundus cum terrore & maiestate. De primo enim per Prophetam dicitur Ecclesiæ:
Zach 9. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus & humilis.
Matth. 21. De terrore secundi ità dicitur in Psalmo: Ignis
Psal. 49. in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida, vt reprobos ad gloriam visionis eius tempestas procul pellat, quos deinceps
† *vrat.* ignis † exurat. De hac tempestate scriptum est:
Esai. 26. Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. De igne autem, cui tradendi sunt reprobi, ità dicit
Deut. 32. Dominus per Moysen: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Cum maiestate quoque se venturum ad iu-
Matth. 25. dicium, ipse sic dicit: Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, congregabuntur ante eum omnes gentes. Primo aduentu venit impios iustificare, secundo venturus est impios condemnare. Primo venit auersos reuocare, secundo conuersos glorificare. Primo aduentu Christus pro impiis indebitæ morti traditus est, secundo impios debitæ morti traditurus est. Primo aduentu venit nos intus reformare ad imaginem Dei. Secundo autem reformabit corpus *Phil. 3.*
humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Sicut enim per primum hominem ter- *Rom. 5.*
renum, peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, ita congruum erat, vt per secundum hominem cœlestem, homo primùm à peccato iustificaretur, postmodum per eundem immortalitati restitueretur. Eo enim ordine *1. Cor. 15.*
quo perierat, eo ordine reparandus erat. Prima quippe mors, præuaricatio: ex qua generata est secunda, per subtractionem animæ, carnis corruptio. Ità ergo prima resurrectio, iustificatio: secunda, in immortalitatem carnis corruptæ reformatio. Quia vero vterque aduentus nostræ restaurationi fuit necessarius, vtrumque sub vnius temporis obseruatione sancta venerari consueuit Ecclesia, vt inchoata prioris beneficia recolat cum gratiarum actione: consummata verò futuri aduentus bona, cum pia expectet trepidatione. Idcirco ea quæ de vtroque Domini aduentu in lege & Prophetis & Psalmis & Euangelio scripta sunt, his quatuor hebdomadibus specialius legendo & cantando recitantur in Ecclesia, vt his quatuor testimoniorum generibus, de perceptis beneficiis ad gratiarum actionem † muniamur, ad futuram verò, solli- † *moneamur.*
citudine non pigra præparemur. Conseruemus igitur primam innocentiæ stolam, quam in primo aduentu recipimus, vt cum ea ad nuptias patris familias occurrentes, alteram quoque stolam immortalitatis percipere mereamur. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus: vt quem redemptorem læti suscipimus, venientem quoque iudicem securi videamus. Dies Domini, sicut ait Apostolus, quale sit opus *1. Cor. 3.*
vniuscuiusque declarabit, quia in igne reuelabitur. In die quippe Domini iste aër terræ vicinus, quousque aquæ diluuij ascenderunt, igne replebitur: per quem transibit omnis resurgens, qui ante tribunal Christi præsentabitur. Sicut verò ignis aurum & argentum aut probat, aut purgat: sic ignis iste resurgentium opera perfecta probabit, imperfecta purgabit. Sic enim di- *Ibid.*
cit Apostolus: Si cuius opus manserit, igne probabitur: Si cuius opus arserit, ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Hæc scientes charissimi, præparemus nos † in aduentum iudicis: † *ad.*
vt non quod condemnet, sed quod coronet, in nobis inueniat. Præoccupemus aduentum eius *Psal 94.*
in confessione, plangamus mala, quæ fecimus: statuamus iudices conscientias nostras aduersum nos: quia sicut ait Apostolus, Si nos iudica- *1. Cor. 11.*
remus, non vtique iudicaremur. Summus enim Pontifex, qui seipsum pro nobis obtulit Deo Pa- *Heb. 9.*
tri, adhuc interpellat pro nobis ad dexteram *Rom. 8.*
Patris: adhuc reseruat peccantibus locum veniæ, qui auersis & non reuersis postmodum solum reseruat locum vindictæ. Dum igitur tempus habemus, vitemus vindictam prioris † vitæ per correctionem, quæramus misericor- † *vitæ correptione.*
diam per obseruantiam iustitiæ, ne postremo aduersum nos districtus iudex sedeat, qui nunc pius pontifex pro nobis interpellat Iesus Christus Dominus noster. *Rom. 8. Hebr. 7.*

SERMO VIII.

De Natiuitate Domini.

IN diuinæ miſerationis magnitudinem libet aciem mentis intendere, & quantum rationalis creatura ſuo debeat redemptori, ex beneficiorum commemoratione colligere. Primò quidem quia hominem cum non eſſet, mirabiliter de terra plaſmauit, dehinc cum aſtutia ſerpentis & fallacia mulieris perditus eſſet, mirabilius reformauit. In plaſmando mira poteſtas, in reformando mirabilior poteſtatis apparuit humilitas. Nec enim adeò humana miratur infirmitas, ſi potens aliquis innumeros ſeruos ſuæ ditioni ſeruituros potenter acquirat, quàm ſi eoſdem fugitiuos interim abſcondita poteſtate, minis remiſſis, indebitæ humilitatis blandimentis reuocatos apprehendat. In primo ſtatu conditionis homo deſipiens, quia timuit poteſtatem, non dilexit maieſtatem: appetiuit libertatem, incurrit ſeruitutem: & qui per obedientiam potuit deïficari, ex hoc ambiens vanitati meruit ſubiugari. Benignus ergo conditor nolens perire quod creauerat, in habitu ſerui conſeruis apparuit, vt familiari colloquio inſinuaret maieſtatem, excitaret ad charitatem. Facto itaque collyrio de terra & ſaliua, cæci nati oculos aperuit, quia Dei ſapientia, in vnitate perſonæ noſtræ naturæ coniuncta in humano genere cæcato à prima origine intellectu, quo Deum cognoſceret, & amorem quo agnitum diligeret, reformauit, vt iam multiplici beneficio obligatum eum non amare non poſſet, cuius tam multa beneficia in ſe præceſſiſſe cognoſceret. In beneficio enim primæ conditionis, ſapientia & virtus conditoris enituit: in beneficio autẽ reconciliationis, quo auerſos, & malè meritos ad ſe reuocauit, pœnas remiſit, præmia repromiſit: quantum, quod condidit amaret, euidenter oſtendit, & ſic in iis, quos prior dilexerat, ignem ſui amoris accendit. Agnouit enim ægrotus medicum ſuæ ſalutis affectuoſum & peritum, miratus & humilitatem, miratus & ſapientiam, dilexit ſanitatem. Agnouit quòd pretioſum eſſet antidotum, quod cùm fecerat medicus ſuus ad euadendum morbum tam acutum, tam inueteratum: etiam ingratus eſſe non potuit, qui tot beneficia ſui redemptoris accepit. Humilitatem quippe agnouit, quia ipſe medicus noſter infirmitate carnis noſtræ tanquam in lecto diſcubuit infirmantium, vt experiretur quid ſanandum infirmis ſuis eſſet neceſſarium. Sapientiam quoque huius medici nouit ęgrotus, quia iuxta rationem medicinæ, in quibuſdam ſanitatem contulit ægrotis per ſimilia, in quibuſdam morbos euacuauit per contraria. Per ſimilia quidem, quia natus eſt vt renaſceremur: infirmatus eſt, paſſibilia noſtræ mortalitatis perferendo, vt nos ab omni paſſibilitate ſeruaremur: Crucifixus eſt, ne nos cruciatibus æternis ſubjiceremur. Mortuus eſt temporaliter, ne nos in æternum moreremur: Suſcitatus eſt, vt ei conſuſcitaremur: Aſcendit, vt per ſuam ad dexteram Patris ſeſſionem ſecum traheret deuoti gregis humilitatem. Si verò quibus contrariis contrarios morbos euacuauerit, attendatur: videmus, quia per perſonam ſerui noſtram reparauit libertatem, per humilitatem ſuam deiecit antiqui hoſtis ſuperbiam, per ſuam obedientiam, noſtram ſanauit inobedientiam. Hæc omnia & verbo docuit, & exemplo probauit, vt quæ imitanda propoſuit, obedienter impleremus: quæ ſperanda promiſit, ſine hæſitatione ſperaremus. Quantum autem precium pro nobis redimendis ſoluerit iſte medicus, à montibus audiamus. De profundo enim clamat ille mons altus, cui à monte montium commiſſæ ſunt claues regni cælorum: Non enim corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione, ſed precioſo ſanguine agni immaculati. *Matth. 16.* *1. Pet. 1.* Huic conſonat alius mons, à ſole iuſtitiæ illuſtratus doctor Gentium: Empti eſtis precio magno, glorificate Deum & portate in corpore veſtro. *1. Cor. 6.* Agnus iſte immaculatus non ille eſt, qui in veteri ſacrificio requirebatur abſq; maculæ varietate de pecoribus natus: ſed verus & innocens, de immaculato virginis vtero generatus: Non ille, cuius ſanguine poſtes tingebantur, ſed in cuius fide fidelium frontes crucis impreſſione ſignantur: Non ille, cuius ſanguis ſacerdotum manibus fundebatur, ſed qui à ſeipſo ſacerdote vero pro ſalute noſtra offerendus præfigurabatur. Neque enim æquè digna hoſtia, æquè munda potuit inueniri, quæ pro nobis emundandis offerretur, neque ſacerdos æquè dignus, æquè mundus, à quo tam digna hoſtia dignè offerretur. Ipſe enim de ſeipſo ſic ait: Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam, & iterum ſumo eam. *Ioan. 10.* Iſte agnus ſine macula & ruga virginem ſibi ſponſam ſociauit, ſicut ibi matrem virginem antea ſanctificauit. Vnde natiuitas, qua temporaliter natus eſt Chriſtus, non diſſimilis eſt natiuitati, à qua ſpiritualiter naſcitur Chriſtianus. Sicut enim Chriſti mater virgo concepit, virgo peperit, virgo permanſit: ſic mater Eccleſia Chriſti ſponſa, lauacro aquæ in verbo Chriſtianos populos quotidiè generat, vt virgo permaneat. In illa carnis integritas, in hac commendatur fidei puritas. Audiamus Paulum amicum ſponſi caſto amore zelantem ſponſam non ſibi, ſed ſponſo Eccleſiæ Corinthiorum ſic dicentem: Æmulor enim vos Dei æmulatione. deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. *2. Cor. 11.* Hic quidem pignore ſpiritus ſubarrhata in integritate fidei in morum honeſtate, fidei virgo eſt de ſpe ad ſpem producenda, vt ibi plena iocunditate in pleno ſponſi amore gaudeat, cuius † arces, contempta omni ſerpentis ſeductione conſeruat. Quomodo autem matrem carnis ſuæ ſanctificauerit, deinceps audiamus, vt indè lætetur catholicus, immundus confutetur hæreticus. Omnem quippe næuum tam originalis, quàm actualis culpæ in ea deleuit: ſicque carnem eius ſumens, eandem in diuinam munditiam transformauit. Etenim ſic ait Scriptura: Deus noſter ignis conſumens eſt. *Deut. 4.* *Heb. 12.* Sicut ergo ignis materialis omnem materiam quam aſſumit, mundans, in ſe conuertit: ſic materiale, carnis noſtræ, quod diuinus ignis aſſumpſit, diuinitatis expers eſſe non potuit, quatenus, quod Deus eſt per naturam, hoc inciperet habere per gratiam. Prima etenim humani generis parens, quia ſerpentinæ perſuaſionis virtus excepit, duplici maledicto ſuccubuit, vt & cum viro mortem incurreret, & vt filios quos carnis delectatione conciperet, cum dolore parturiret. Huius maledictionis omnes filiæ Euæ hæredes ſucceſſerunt, & omnes filios ſuos ſub neceſſariæ mortis condemnatione genuerunt. Sola hæc mater, quæ non ſibilo ſerpentis, ſed Angeli nunciantis verbis credidit benedictionem, quæ vtrumque maledictum excluderet, audire promeruit: Benedicta tu in mulieribus, quia nec per conceu- *Luc. 1.*

piſcentiam carnis concipies, nec filium in dolore paries: & benedictus fructus ventris tui, ipſe videlicet filius qui nec ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri natus, non neceſſitate, ſed voluntate temporalem ſubiit, & ab æterna nos morte liberauit. In hac Chriſti Natiuitate Deus homo natus eſt, vt homines renaſcerentur dij. In hac inclinatur diuinitas, vt ſublimetur humanitas. Inclinans ſe Deus tanquàm humilis & fortis adiutor, quaſi humerum ſupponit ad ſubleuandum, & inter tantam diſſimilitudinem corruptibilis naturæ & incommutabilis ſubſtantiæ, perſonam ſuam vtriuſque naturæ participem, mediatricem oppoſuit, quæ per id, quod nobis habet æquale, ſubleuaret, & tanquàm de laterna carnis lippientibus oculis, & ſolem niſi ſub nube videre volentibus, temperati luminis iubar effudit, & ignorantiæ noſtræ tenebras illuſtrauit. Miſer etenim homo ad imaginem Dei conditus, cùm in honore eſſet, non intellexit: & ideò ſimilis factus eſt iumentis inſipientibus. *Pſal. 48.* Hæc iumenta fœnum, quo alerentur, non habebant: panem ſuum comedere fuerant oblita, ſicut deplorans ait Pſalmiſta: Aruit cor meũ, quia oblitus ſum comedere panem meum. *Pſal. 101.* Ideò panis Angelorum factus eſt fœnum animalium, id eſt, alimentum ſimplicium, vt indè lac ſugeret paruulus, vnde forti cibo paſcitur Angelus: ſicque in virile robur educatus per alimoniam lactis, quandoque pertingat ad internum & æternum guſtum diuinæ maieſtatis, id eſt, quòd Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Verbum Domini in principio apud Deum contempletur cum Angelis, interim per ſpeculum in ænigmate, poſtea verò manifeſta viſione: Hic ſicut in via, ibi ſicut in patria: Hic beneficia per medicum noſtræ ſalutis ſapienter, fortiter, mirabiliter & miſericorditer nobis eſſe collata gaudeamus. Horum recordatione peregrinationis noſtræ labores releuemus, quatenus ſic longanimiter militemus in via, vt donarium recipiamus in patria.

SERMO IX.

De Circumciſione Domini.

Matth. 5. DOminici Natalis hodie diem celebramus octauum, in quo puer Ieſus à parentibus carnis ſuæ, carnale ſuſcepit circumciſionis ſacramentum. Non enim, ſicut ipſe ait, legem venerat ſoluere, ſed adimplere. Legem quidem adimpleuit, quia de fæce carnalium obſeruationum ſpiritualem intellectum eliquauit, & quędam ardua præcepta moralia, quæ Iudæis propter imbecillitatem ſuam remiſſa fuerant, in Euangelio præceptis eorum ſupperaddidit, & ipſas obſeruantias carnales vſque ad tempus correctionis carnaliter obſeruauit. *Luc. 2.* Indè eſt, quòd puer à parentibus octaua die circumciſus, quadrageſimo die ab eiſdem cum legalibus hoſtiis in templo eſt præſentatus. Iuuenis etiam ad diem dedicationis, & ad cæteros dies feſtos Hieroſolymis, ſicut in Euangelio legimus, frequenter occurrit, *Ibid.* & in nullo ſacramenta illa legalia refutauit: Donec in ſancto die cœnæ immolato veteri Paſcha, vetus ſacerdotium in nouum commutauit, quando ſeipſum conuiuiam & conuiuium exhibuit diſcipulis. Tranſlato ergo ſacerdotio, ſicut ait Apoſtolus, neceſſe erat vt fieret etiam legis tranſlatio. *Heb. 7.* Et hoc erat tempus correctionis, quando renouandæ erant carnales vmbræ, ſub quibus natus & vſque ad virilem ætatem educatus eſt Chriſtus. Vnde dicit Apoſtolus: Poſtquàm venit plenitudo temporis, *Gal. 4.* miſit Deus filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Si enim aliquis obſeruatione extraneus, ſcientibus legem, ſacramenta legis exponeret, quis ei auditum præberet? Recto ergo ordine magiſterij, prius voluit auditor legis eſſe, quàm doctor: prius eam ſeruare, quàm eius ſacramenta reſeruare: vt per vitam & doctrinam ſuam, ipſe eſſe cognoſceretur, cui teſtimonium dabant lex & Prophetæ. Nunc ergo, quia quaſdam cauſas reddidimus, quare ſub lege natus ſit Dominus, de circumciſionis ſacramento, quam in manibus habemus, quæ Dominus dederit, pertractemus. Octaua & circumciſio vni concinunt ſacramento. Octaua in ſcripturis, pro æternitate poni conſueuit. Sicut enim ſeptenarij numeri circuitu rerum temporalium volubilitas, ita per octauam, quæ ſeptenario ſuccedit, congruè deſignatur æternitas. Vnde non inconuenienter colligitur, quia ſicut præcedenti ſeptem dierum ſpatio temporalem Chriſti Natiuitatem repræſentauimus, qua venit inter homines huius exilij mala perferre, & languenti mundo ſua bona conferre: ita præſenti octaua, Chriſti Natiuitatem in figura celebramus, qua in aſſumpto homine tranſiuit de hoc mundo ad patrem, qua transformata eſt eius caro de corruptione in incorruptionem, de mortalitate in immortalitatem. In carne illius iam abſorpta eſt mors in victoria, *1. Cor. 15.* quam ſicut in ea completam certa fide iam credimus, ita in noſtra carne futuram certa ſpe non dubitamus: Ita enim dicit Apoſtolus: Si complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, *Rom. 6.* ſimul & reſurrectionis erimus. Quæ autem ſit illa mortis ſimilitudo, audiamus ab ipſo: Conſepulti enim ſumus ei per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Hæc mortis ſimilitudo, perfecta eſt peccati abolitio, nouitas vitæ, obſeruatio iuſtitiæ. Hæc ipſa eſt prima reſurrectio in anima, de qua dicit Ioannes: Beati qui habent partem *Apoc. 20.* in prima reſurrectione: in his ſecunda mors, id eſt, æterna, non habebit poteſtatem. Hæc eadem eſt vera circumciſio, per quam non cutem carnis petrinis cultris expoliamus, ſed veterem hominem, id eſt, veteris hominis ſimilitudinem, Chriſto conformati, cum ſuis actibus deponimus. De qua alibi dicit Apoſtolus: Non enim *Rom. 2.* circumciſio, quæ fit in manifeſto, id eſt, in carne: ſed circumciſio cordis, non littera, ſed ſpiritu circumciſio vera. Illa ergo exterior, huius interioris figura eſt, ſicut de Abraham iam per fidem iuſtificato, dicit idem Apoſtolus, quia ſignum circumciſionis accepit ſignaculum iuſtitiæ fidei, Bene autem conuenit octauæ noſtræ, quod circumciſio carnis in ea parte fit corporis, per quam humana mortalitas propagatur. Vera enim circumciſio in noſtra octaua, id eſt, in generali reſurrectione complebitur, cum corruptibili hoc incorruptione, & mortale hoc immortalitate veſtietur. Sicut autem in hac parte carnis iuſſa eſt impleri carnaliter, vt ſignificaretur implenda ſpiritualiter, ſic in reliquis membris corporis implenda eſt ſpiritualiter, licet non exhibeatur corporaliter; quatenus, ſecundum Apoſtolum, non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma iuſtitiæ Deo. *Rom. 6.* Circumcidimus igitur aures ab illicito auditu, oculos ab illicito viſu, nares ab illicito olfactu,

os ab illicito gustu, cor ab illicita cogitatione, linguam ab illicita locutione, manus ab illicito tactu, pedes ab illicito incessu, ne, secundum Prophetam, Mors intret ad animas nostras per fenestras nostras. Vnde Primicerius martyrum Iudæis, sensus corporis ab illicitis non obseruantibus, dicit: Incircumcisi cordibus & auribus vos semper Spiritui sancto resistitis. Quoties ergo festiuitatem istam annuis recursibus frequentamus, & secundum fidem gestorum, quæ de Christo leguntur, honoremus, vt eadem ad morum iustificationem & ædificationem referentes, fidem firmam, charitatem non fictam, spem certam, tam diu teneamus, donec euacuato quod ex parte est, perfectionem nobis promissam comprehendere mereamur. His enim inconcusse manentibus, dissoluta huius habitationis domo, domum non manufactam, æternam in cœlis † habeamus.

Hier. 9.
Act. 7.
† habebimus.

SERMO X.

De Epiphania Domini.

HVnc Epiphaniorum diem maiores nostri tribus de causis sanxerunt haberi solennem. Quas causas fidelis quisque cognoscit, qui Euangelicam historiam legere vel audire consueuit. De quibus pauca dicenda sunt. Quomodo & diuino militent honori, & quod nostræ conferant ædificationi. Prima causa contigit, quam hodiernum declarat Euangelium, quando noua stella Oriente, ortum veri luminis indicante, Magi in Orientis partibus excitati, Hierosolymam venerunt, & inquisito loco natiuitatis Christi, præfata stella præeunte, & super domum, vbi puer erat, stante, puerum inuenerunt, & ei mystica munera obtulerunt, aurum, thus, & myrrham. Primo ad ædificationem fidei nostræ proficit, quod exorta noua stella ortum diuini luminis in terris apparuisse nunciauit, ne se rationalis creatura posset ab eius agnitione excusare, cui videret etiam elementa seruire. Qua in re Iudæa minus excusabilis fuit, cum eum non credens, cuius ortum ex scripturis dicit, magos tanquam primitias Gentium videt per præsentia signa commotos adorare, & mysticis muneribus honorare. Isti etenim Magi, non Negromantici, vt quidā putant, sed Gentium erant Philosophi, qui vsu didicerunt ex signis significata perpendere, & ex circumstantiis rerum, cognatos euentus agnoscere. Vnde congrua significatione per aurum, quod regibus in tributum dari solet, regiam nati infantis potentiam: Per thus quod in Dei sacrificio adoletur, diuinam eiusdem infantis essentiam: Per myrrham, qua mortuorum corpora condiuntur, mortalem figurare naturam. Hæc tria in Christi fuisse persona, catholica Mater & credit & prædicat, & in cœlis regnantem non mysticis muneribus, sed auro, thure, & myrrha de cordis sui apotheca prolatis honorat & adorat. Aurum etenim Deo offerimus: cum per patientiam probati, in tribulationibus non deficimus. Aurum quippe sicut cum malleis tunditur, producitur: ita pia anima, cum tribulatur, per patientiam ad meliora prouehitur: & est ei tribulatio, tunsio: perseuerantia, productio. Vnde dicit Apostolus: Tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio vero spem. Thus quoque ei in ara cordis

Matth. 2.
Rom. 5.
Iacob. 1.

incendimus, cùm interno eius amore flagrantes, per studium compunctæ & lachrymosæ orationis ei placere contendimus. Myrrham quoque de nostri cordis arca proferimus, cum pro eius amore vigilando, orando, ieiunando, & aliis honestis exercitiis intendendo, petulantiam carnis edomamus. Vnde in Cantico Canticorum dicit sponsa: Digiti mei distillauerunt myrrham primam. Est quidem myrrha prima, castigatio carnis, cum discretione assumpta, quæ non laudes venatur populorum, sed ad vegetationem transit animarum. Hanc distillabant manus Pauli cum diceret: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. Nunc ista de prima Christi Epiphania, siue ad fidei, siue ad morum ædificationem, pro breuitate sermonis dicta sufficiant.

Cant. 5.
1. Cor. 9.

Alia huius festiuitatis est ratio, quod Iesus impleto trigesimo ætatis suæ anno, in Iordanem venit ad Ioannem, vt ab eo baptizatus, apertis cœlis, per Spiritum sanctum in columbæ specie apparentem, & Paternam vocem, Dei filius est declaratus. Quibus rebus & de Christi natiuitate nostræ fidei veritas approbatur, & de appetendo baptismo, & de eiusdem baptismi vtilitate ad fidem venientium simplicitas informatur. Vita etenim Christi, vitam instituit Christiani. Cum ergo credis Christum non solum in se mundum, sed etiam scelerum mundi mundatorem, videlicet baptismi sacramentum à seruo suscepisse, qua ratione quilibet mundus, quilibet sanctus, ne idem sacramentum à conseruo suscipiat, se poterit excusare? His enim omnibus necessaria est regeneratio, quorum vitiosa præcessit generatio. Quod quia in eo non fuit, de quo legitur: Generationem eius quis enarrabit? solummodo propter formam implendæ iustitiæ posteris relinquendam hoc sacramentum accepit. Quod vero eo descendente in aquas, cœli aperti sunt super eum, & Spiritu sancto descendente in eum, filius Dei est appellatus, sublimitatem Christianæ gratiæ valde commendat, quia in aquis baptismi & flammeus gladius paradisum nobis intercludens, extinguitur, & paradisi aditus aperitur, & vnusquisque baptizatus pignus spiritus accipiens, per adoptionem Dei filius efficitur.

Luc. 3.
Esai. 53.
Matth. 3.

Tertia huius festiuitatis est causa, quam Dominus anniuersaria baptismi sui die, coram positis discipulis suis, bonum coniugale sua præsentia & signorum suorum initio comprobauit, & eo quod in nuptiis aquam in vinum mutauit, magnum nobis mysterium commendauit: Primo, per miraculi ostensionem, suam discipulis adhuc rudibus insinuauit dignitatem. Mystice vero aqua in vinum in nuptiis mutata, hoc insinuat, quod quando Deus humanæ naturæ sociatus est, & facti sunt duo in carne vna, Christus & Ecclesia, tunc lex quæ hactenus carnaliter fuerat obseruata, per dispensationem humanitatis Christi spiritualiter est intellecta. Nos quoque de futura & insipida veteris hominis vita per hanc Christi & Ecclesiæ societatem translati sumus in filiorum Dei adoptionem. Possent quidem de his plura & prolixiora dici, & scripturarum testimoniis comprobari: sed ne prolixitate sermonis onerentur

Ioan. 2.

auditores, nunc ista sufficiant. Modestus enim cibum tanto sumit vtilius, quanto auidius: & tanto magis est fastidiosus, quanto magis est copiosus. His ergo supradictis, dilectissimi, secundum recordationem gestorum, de Christi diuinitate & humanitate fidem nostram confirmemus, & his solemnitatibus, quas temporaliter celebramus, moribus & conuersatione congruamus, vt per temporalia festa quæ agimus, pertingere ad gaudia æterna mereamur.

SERMO XI.

In Purificatione S. Mariæ.

CONsuetudo Ecclesiastica multas ex rebus gestis retinet similitudines, quibus & rerum gestarum repręsentat veritatem, & simplicium corda excitat ad pietatem, vt per ea quæ foris venerantur, ad internorum amorem rapiantur. Hinc est, quod ad recordationem Dominicæ passionis in Ecclesia cruces erigimus, quòd tempore Ascensionis vexilla, triumphum Christi significantia, in eminentiori loco Ecclesiæ, tanquam in arcu triumphali sublimamus, quod Sanctorum miracula, vel martyria picturæ imaginatione recordamur. Ex huiusmodi consuetudine hoc inoleuit, vt hodierna festiuitate fideles populi cum cereis luminaribus ad Ecclesiam procedant, & eadem benedicta in Missarum solemnitatibus sacerdotibus offerant: Nouit enim vestra fraternitas, quod secundum Euangelicam historiam Dominus Iesus quadragesima die à Natiuitate sua, hoc est, hodie à parentibus in Templum est delatus, & ibi à sancto Simeone susceptus, & benedictus in templo est præsentatus. Hoc hodierna festiuitate sancta repræsentat Ecclesia. Sicut
Luc. 2. enim sanctus Simeon in manibus accepit infirmitatem, sed intus agnouit maiestatem, infidelitatis nostræ tenebras interiores illustrantem: sic quisque fidelis hoc sacramentum repræsentans, ceram in manibus portat, quasi carnem fragilem, sed superferri videt lucem, exteriores
Ioan. 4. huius aëris tenebras illuminantem. Sicut enim caro Christi de mundissimo & bono odore virtutum referta carne processit, & nec in concipiendo, nec ingrediendo matris integritatem violauit: sic cera quæ hodie gestatur fidelium manibus, de mundis & odoriferis floribus collecta, fructus est apis, virginis videlicet animantis, cuius, sicut legitur, sexum nec masculi violant, nec fœtus quassant. Cum ergo eam sub hac significatione portamus, Christũ portemus in ore, Christum portemus in corde, Christum portemus in manibus, vt dimissi in pace, cum Simeone sancto salutare Dei videre mereamur. Vultis scire quomodo Christum portetis in ore? Ipse de se dicit: Ego sum veritas. Sit ergo in ore vestro veritas, absit falsitas, absint vaniloquia, & turpiloquia, & erit in ore vestro Christus. Sit in corde vestro charitas, & erit ibi Christus. Sic enim dicit in Epistola sua Ioannes: Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Sit in operibus vestris innocentia, vt nemini quicquam suum auferatis: sic iustitia, vt cuique quod suum est, tribuatis, & habebitis in mani-
1. Cor. 1. bus Christum. Ipse enim nobis factus est à Deo, & iustificatio & iustitia. Hunc ergo vobiscum ad Ecclesiam apportate, hunc vobiscum reportate: & habebitis Christum vobiscum. Sic enim monet sanctus Apostolus Paulus: Empti estis *1. Cor. 6.* precio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Quid est Deum portare? Imaginem Dei repræsentare, Christum imitari. Hanc imaginem portat innocentia, portat iu- *1. Cor. 15.* stitia, hanc portat veritas, hanc portat castitas, hanc portat sobrietas, & omnis honestas. Sicut enim portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Deponentes ergo vete- *Matth. 5.* ris hominis lutulenta negocia, abjiciamus opera tenebrarum, & exerceamus nos in operibus lucis, vt videntes opera nostra bona, glorificent patrem nostrum, qui in cælis est. His virtutum ornamentis exornemus domum cordis nostri, vt Deum inhabitorem habere possimus. Sic enim hodie sub typo sponsæ sancta monetur Ecclesia: Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem regum Christum. Admonitio ista, ornamenta desiderat morum, non palliata vestimenta murorum, vt in sanctis moribus castæ mentis amator requiescat Dominus, sicut in ornato thalamo delectabiliter requiescit sponsus. Vnde etiam in Euangelio iubemur *Luc. 12.* lumbos præcingere, id est, carnis fluxa frenare, & lucernas in manibus tenere, id est, proximis lucis exempla monstrare, vt parati inueniamur conuiuio cœlestis sponsi interesse, & cum eo sine fine gaudere. Quod nobis misericorditer præstare dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui pro nobis dignatus est temporaliter nasci, vt per eum possimus in æternitate renasci.

SERMO XII.

De Septuagesima.

SCientes dilectissimi, quia quamdiu sumus in mundo, peregrinamur à Domino quotidianis lachrymis oportet nos huius exilij mala deflere, & ad æternam patriam toto desiderio anhelare. Sed quia Ecclesia multis honorata sacramentis, hoc publicis conuentibus quotidie frequentare non valet, sub typo vniuersi temporis commendati sunt nobis specialiter hi septuaginta dies, quibus recitatione lectionum & canticorum, casum generis humani recolimus, & mortalitatis nostræ dolores attendentes, quotidie doleamus. Vnde in Introitu hodiernæ Missæ sancta Ecclesia per lapsum primi parentis mortem sibi illatam esse deplorat, & in doloribus huius vitæ ad hæc inferiora detrusæ, dolere se clamat: Circumdederunt me *Psal. 17.* gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me. Ad hoc etiam significandum vocem vsitatissimam in Ecclesia, Alleluia scilicet, ab hodierna die vsque ad Pascha intermittimus, & pro hac Hebraïca voce, Latinam, id est, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ, frequentamus. Sicut enim terrena Hierusalem gerit imaginem patriæ cœlestis, sic vox ista, à supradicta ciuitate quondam in Dei laudibus frequentata, signat laudes ciuium supernæ Hierusalem matris nostræ, de quibus canitur in Psalmo: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Dum ergo Lati- *Psal. 83.* na voce, quia in Hierusalem peregrinatione Deum laudamus, exilij nostri peregrinationem significamus. Huic significationi septuaginta dierum concordat significatio septuaginta annorũ, quibus ciues terrenæ huius Hierusalẽ sub rege Assyriorũ ducti sunt captiui, & in Babylonia seruitute detenti: quo tempore Dei laudes

patrio more celebrare non poterant, sed exilij sui mala deflebant. Hoc Psalmista præuidens prophetico more futurum, quasi iam præteritum canebat, dicens: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur Sion: In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Assur quippe, elatus interpretatur: Babylon, confusio: Hierusalem, pacis visio. Ergo rex Assyriorum, rex superborum, idem rex Babyloniorum, id est, inordinatè viuentium rex diabolus est, qui filios pacis, populum ad supernam visionem suspirantem, duro premit iugo seruitutis, & quantum præualet, retardat à reditu & introitu supernæ ciuitatis, de qua seruitute dicit scriptura: Graue iugum super filios Adam, à die exitus à ventre matris eorum, vsque in diem reuersionis in matrem omnium. Nos ergo in hac seruitute detenti, quasi super flumina Babylonis sedemus, dum transitoriis huius mundi concupiscentiis mentem non immergimus, & tamen flemus, quia miseri sumus & frequenti desiderio visionis supernæ & æternæ suspiramus. Vnde Apostolus dicit: Omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Et nos ipsi primitias spiritus habentes, ingemiscimus, expectantes adoptionem filiorum, redemptionem corporis nostri. Hæc quidem creatura, est anima de corruptione peccati ad imaginem Dei recreata, quæ intra se de vanitate, cui subiecta est, gemens, & more parturientis nimio desiderio fit anxia, quod tam diu differtur à patria. Sic parturiebat Psalmista, cum diceret: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Et ipse Apostolus, qui inter prima Ecclesiæ membra Spiritum sanctum acceperat adoptionem filiorum desiderans habere in re quam iam habebat in spe: sic parturiebat, cum dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Malorum itaque Babyloniæ tædio fatigati, & supernæ ciuitatis desiderio afflati, quasi in salicibus organa nostra suspendimus, dum in mundi cupiditatibus radicatis oppressoribus sæculi nostri, immo contemptoribus diuinæ gratiæ, cœlestis regni gaudia prędicare dissimulamus, ne margaritas spargere ante porcos, & sanctum dare canibus videamur. Vnde captiuati suis captiuatoribus dicunt: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Terra aliena, reproborum est multitudo, ad supernam non pertinens ciuitatem, quæ more porcorum margaritas, lucidum videlicet Dei verbum negligendo conculcat, aut more canum contra sanctum Dei, Dei verbum male credendo disceptat. Nunc his de nostra captiuitate ex antiqua & moderna significatione prælibatis, cur septuagenarius numerus sub typo vniuersi temporis ponatur, breuiter audiamus. Septenario quippe dierum circulo, totum tempus vitæ præsentis euoluitur, quibus nobis decalogi mandata seruanda mandantur. Dum ergo decem legis pręcepta in hoc vitæ nostræ spatio custodimus, quasi denarium per septenarium numerum multiplicamus, & septuagenarij numeri summam implemus. His ergo diebus, quod omni tempore faciendum est, specialius & propensius gemitibus & fletibus operam demus, vt ad patriam nostram, à qua, mortifera delectatione corruimus, per amaritudinem cordis & lamenta redeamus. Ibi nunc intermissum Alleluia recuperabimus, & cum supernis ciuibus Deum sine fine laudabimus: Quod quinquaginta diebus Dominicæ resurrectionis significamus, dum in vnoquoque cantu alleluia frequentamus. Interim ergo lugeamus in via, vt postmodum gaudeamus in patria. Amarescat nobis quicquid dulce est in rebus sæculi præ dulcedine Dei, & decore domus Dei: quãto quisque præ omnibus diligit, tanto se amplius ad supernam patriam pertinere intelligat. Sic in retorto oculo stadium vitæ præsentis percurramus, vt brauium supernæ vocationis comprehendere valeamus. Quacumque hora in vinea Domini conducti sumus, indeficienter pondus diei & æstus portemus, vt in vespero, diurno denario non priuemur. Sic enim Dominus dicit: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Non simus stulti viatores, vt obliti patriæ nostræ, exilium diligamus pro patria, & remaneamus in via. Non simus insensibiles, vt dolere in doloribus passibilitatis & mortalitatis nostræ nesciamus, & in ipsis doloribus medicinæ remedium non quæramus. Solet enim de vita eorum desperari, qui ægrotantes se non sentiunt infirmari. Curramus igitur ad medicum salutis æternæ. Ostendamus ei per confessionem vulnera nostra, intimo clamore ad eum clamet vnusquisque: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Ita enim medicus noster propitiabitur iniquitatibus nostris, sanabit omnem languorem nostrum, & replebit in bonis desiderium nostrum.

Psal. 86. Eccl. 40. Rom. 8. Psal. 119. Philip. 1. Psal. 86. Matth. 10. & 24. Psal. 6. Psal. 102.

SERMO XIII.

De capite ieiunij.

Hodie mater Ecclesia filios suos, in quibus detrimentũ se sensisse cognoscit, paterna corripit seueritate, vt possit eos medicinali parsimonia reformatos, materna pietate colligere: inuitat saucios ad ostendenda vulnera sua, ne, non ostensa, incurata putrescant: indicit ostendentibus diuersa genera correptionum, vt secundum quantitatem vulnerum, adhibeatur congrua fomenta curationum. Audite ergo filij matrem vestram, iterum vos parturientem, & imaginem Dei iterum per peccatum delatam, iterum reformare cupientem. Audite eam voce angelica vobis clamantem: Pœnitentiam agite, prope est regnum cœlorum. Quomodo autem pœnitentiam agere debeatis, Dominus prophetica voce vos admonet, dicens: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Præcipitur † aduersis, vt cunctis iniquitatibus suis renuncient, & conuersionem suam Deo aliter placere non æstiment, quia non potest fieri, vt vna pars cordis vestri mundetur Deo, & altera immunda reseruetur diabolo. Quomodo autem conuerti debeatis, subinfertur cum dicitur: In ieiunio & fletu & planctu, vt exterius carnem castigetis per ieiunia, intus autem affligatis mentem per gemitus & lamenta. Subditur: Et scindite corda vestra vt intus nihil clausum remaneat, quod compunctio cordis non expellat, & oris confessio non aperiat. Hoc est quod canitur in Psalmo: Effundite coram illo corda vestra, id est, omnem immunditiam cordis vestri per confessionem euomite, nè tanquam fœtidum humorem continentia vasa, remoto operculo, fœtorem tantum emittatis, & intus immunditiam reti-

Matth. 13. & 24. Ioel 2. † for. auersis. Psal. 61.

neatis. Non enim coram Deo cor suum effundit qui aperit os suum in confessione, & concupiscentiam malam non aufert à corde. Vnde & Dominus conqueritur de huiusmodi: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Item, cor suum coram Deo non effundit, qui culpam suam in confessione defendit, qui se non humiliat, cum Psalmista dicens: Confitebor aduersum me in iustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Aduersum se quippe confitetur, qui seipsum accusat, & horis vel fato, vel stellis peccatum suum non imputat. Quæcumque à vobis vel occulta suggestione, vel aliena persuasione commissa sunt, sic in confessione aperiantur, vt etiam de corde pellantur, quia tali confessione cuncta lauantur. A manibus ergo procul sint homicidia, ita vt à cordibus procul sint odia, quia secundum Apostolicam doctrinam, qui odit fratrem suum, homicida est: & omnis homicida non habet partem in regno Christi & Dei. Qui fornicabatur, iam non fornicetur: Qui mœchabatur, iam non mœchetur: quia sicut ait Apostolus, Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Non quærat etiam aliquis nostrum opportunitatem videndi mulierem quam concupiscat: quia secundum scripturam: Qui viderit in mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Fornicatio autem generali nomine est omnis voluntaria carnis pollutio, quæ qualicumque modo contrahitur, excepto legitimo coniugio. Qui furabatur, iamjam non furetur: qui raptor erat, raptor esse desistat, ne illud maledictum incurrat, quod dicitur: Væ qui prædaris, quia prædaberis. Tollantur de ore vestro falsa testimonia, verba turpia & iocosa, quia secundum scripturam, falsus testis non erit impunitus. Et de omni verbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Absit à vobis inuidia quia inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Auaritia nec nominetur in vobis, quæ comparatur idolorum seruituti. Nam sicut in idolorum cultura, amatur pro creatore creatura, sic auarus Deum negligit vt possit retinere vel adipisci pecuniam quam diligit. Non veniat vobis pes superbiæ, quo à Deo recedatis, quia ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem? expulsi sunt, nec potuerunt stare. Non seminetis discordiam inter fratres, quia sicut concorditer viuentibus fratribus mandauit Dominus benedictionem, sic amatoribus discordiæ æternam intentat maledictionem. Tollite de consuetudine loquendi iuramenta non necessaria, ne frequenter iurando incurratis periuria, & ad condemnationem vestram, testem adducatis veritatem ad vestram falsitatem. Hæc, fratres charissimi, quæ dicta sunt, cum omni malitia deponite, & tempus vestrum in his hactenus consumptum, vigilando, orando, flendo, ieiunando, eleemosynas largiendo redimite, & regnum Dei, quod vobis vicinum esse promittitur, his impensis possitis acquirere. Adhoc enim indulta sunt vobis pœnitentiæ tempora, vt attendentes Dei patientiam, quæ ad pœnitentiam vos adducit, nequaquam thesaurizetis vobis iram in die reuelationis iusti iudici Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua. Attendat quisque quam miser sit, & quam beatus futurus sit, & non formidet in hoc tempore vilia quæque, & dura pro Dei amore sufferre, vt per hoc temporale purgatorium, æternum possit adipisci remedium Non enim condignæ sunt, vt ait Apostolus, passiones huius temporis, ad illam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vobis ergo, qui criminalibus culpis irretiti ad remedium pœnitentiæ confugistis, non indignum videatur, quod mater Ecclesiâ à gremio suo vos abjicit: quia sicut oportuit eam de sua in vobis diminutione tristari, sic oportet eam vestra satisfactione placari, vt post satisfactionem per eam, cui Deus in pastoribus vestris dedit licentiam ligandi & soluendi, vestro possitis capiti reconciliari, & per ipsum & cum ipso gloriari. Sicut enim patienter tolerat ægrotus, quando in eo putridas carnes vrit vel secat medicus, sic æquo animo sunt vobis hæc pœnitentiæ toleranda sacramenta, quod in cinere & cilicio extra Ecclesiã estis positi, quod quasi satanæ traditi esse videamini: Quia hic rubor sequestrationis fit vobis ad interitum carnis, vt Spiritus saluus fit in die vestræ resurrectionis.

Esai. 29. Matth. 15. Psal. 31. 1. Ioan. 3. Hebr. 13. Matth. 5. Ephes. 4. Esai. 33. Prou. 19. Matth. 12. Sap. 2. Psal. 35. Rom. 2. Matth. 16. Rom. 8. Matth. 16. 18. 1. Cor. 5.

SERMO XIV.

De Quadragesima.

AVdiuit fraternitas vestra ex prædicatione Apostolica, quoniam qui dicit se in Christo manere, debet sicut Christus ambulauit, & ipse ambulare. Discat ergo Christianus, quomodo ambulauerit Christus, vt ex vita Christi informetur vita Christiani. Discat neophytus, quid à baptismo recedens fecerit Christus. Audiat prouectus, quæ lucis exempla à principio suæ prædicationis discipulis suis ostenderit Christus. Attendat perfectus, quod per acerbitatem passionis consummatus est Christus: Inueniet enim in capite suo omnes gradus, vnde imbuatur, vnde prouehatur, vnde consummetur. Discat ergo neophytus, quia Iesus regressus ab Iordane, à Spiritu sancto ductus est in desertum, ibi quadraginta diebus ieiunauit, & post ieiunium esuriens, tentari se permisit. Abiit in desertum, vt neophytis monstraret exemplum, ne recenter à conuersione sua ad publicum prodeant, ne statim officium prædicationis arripiant, ne iterum tumultuosis huius mundi actionibus se immergant, sed quasi in solitudinem mentis fugientes, solummodo castigandæ vitæ suæ intendant, ibique expectent eum, qui saluos faciat eos pusillo animo & inquieto. Sic Dominus discipulos suos adhuc rudes, & nondum in tribulatione probatos, à prędicationis suspendit officio, dicens: Sedete in ciuitate quoadusq; induamini virtute ex alto. Et per Mosen dicitur: Non arabis in primogenito bouis, id est, non prædicabis in principio bonæ actionis. Ideo ieiunauit, vt appetitum gulæ nos refrænare doceret, & ab illecebris vitæ temporalis nos abstinere moneret. Sicut enim baptismo non indiguit, quo in se peccatum originale purgaret: sic & ei ieiunium non fuit necessarium, quo in se, quæ non habebat, carnis incentiua refrænaret. Tentari voluit, in seipso insinuans, quia omni piè viuere inchoanti tentatio non deerit. Sed sicut tentatorem suum in omnibus repulit, sic & nos post concupiscentias nostras non eamus, & à voluntate nostra cohibeamur: Fortitudinem mentis nostræ non resoluat carnis delectatio, non nos retardet curiositas à bono proposito, non nos in sinistram partem deflectat sæcularis ambitio. In quacumque enim

1. Ioan. 2. Luc. 4. Luc. 24. Deut. 15.

tentatione vicit Christus, vincere debet Christianus. Huic mystico ieiunio conuenit etiam mysticus numerus, quadragenarius videlicet, quaternarij decies ducti multiplicatione collectus, quo intelligatur, non tantum nos ab escis corporalibus ieiunare debere, sed etiam ab omnibus temporalibus delectationibus abstinere. Quaternarium namque quasi per denarium multiplicamus, dum fragilitatem nostram ex quatuor elementorum connexione, vel ex quatuor temporum varietate contractam ad laboriosam decalogi disciplinam violenter inflectimus. Ideoque sub vniuersi temporis typo, hæc nobis est quadragesimalis obseruantia commendata, quatenus quod ex multiplici occasione reliquo tempore minus expleuimus, nunc sine excusatione reddamus, non tantum in parcitate ciborum, sed etiam in extirpatione vitiorum, & exercitatione virtutum. Tantum enim valet ieiunium sine eleemosyna & aliis operibus pietatis, quantum valet veteri tunicæ insertus pannus rudis, Domino attestante: Nemo mittit commissuram rudis panni in veterem tunicam, ne maior scissura fiat. Sicut enim pannus nouus veterem tunicam totam non innouat, sed aut facta scissura, aut sola nouitate vetustatem eius deformat, sic sola abstinentia ciborum non reddit perfectum hominem, sed notabiliorem facit reliquam eius turpitudinem. Sentiant ergo ieiunium vestrum languores decumbentiũ, esuries mendicantium, lassitudo peregrinantium, vt quod corpori vestro subtrahitis, necessitate indigentium ministretis. Estote quasi studiosi messores, vt hoc tempore & præteriti anni damna reparetis, & in futurum vnde viuat anima vestra præparetis. Sic appetitum gulæ coërceatis, vt etiam verba detrahentia, scurrilia, ociosa & maledica nec ipsi dicatis, nec dicentes libenter audiatis. Hoc tempore ex consensu mulier viro debitum substrahat, & vir vasculo muliebri honorem deferat, vt secundùm principem Apostolorum non impediantur orationes vestræ. Nec enim debet quis eo tempore dare operam voluptati, quo per pœnitentiam desiderat à perpetratis voluptatibus emundari. Quamuis enim Christus mox à Iordane reuersus, sicut iam dictum est, hoc ieiuniũ suo exemplo dedicauerit, ideò tamen tempora Paschali festiuitati vicina huic obseruantiæ deputata sunt, vt & populus Christianus caput suum etiam in hoc ieiunio pro posse suo imitari studeret, & nos hoc ieiunio purificatos dies sanctificatus exciperet: & valdè congruum erat, vt post tempus afflictionis, succederet lætitia Dominicæ resurrectionis, quatenus post toleratas tribulationes, post superatas tentationes vitæ præsentis, speremus & ipsi nos accepturos gaudia nostræ resurrectionis, quando liberabimur à seruitute corruptionis huius, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Sicut enim genuflexionibus & afflictione huius temporis, nos peccatorum pondere pressos & dura seruitute incuruatos significamus, ita solutione ieiunij quinquaginta dierum post Resurrectionem, & eo, quod stantes oramus, libertatem nostræ incorruptionis, qua possumus imagine præfiguramus. Ergo, fratres, sic interim istam teneamus imaginem, vt illam nunc habeamus in spe, & tandem percipiamus in re: Quoniam hæc peregrinantibus congrua sunt in via, illa autem expleta militia iam emeritis retribueretur in patria.

Matth. 9. Marc. 2.

Rom. 8.

SERMO XV.

De Annuntiatione B. Mariæ.

Gaudeamus in Domino, dilectissimi, & licet non quantas debemus, quantas tamen possumus, eo donante, gratias nostro referamus auctori, ne superabundanti eius in nobis gratiæ reperiamur ingrati. Nouum etenim Virginis conceptum nobis festiuitas hodierna commendat, qua nostræ reparationis celebratur exordium, certumque proponitur diuinæ pietatis & potestatis iudicium. Si enim rerum Dominus, fugitiuos seruos requirens, iudicium exercere, & non pietatem exhibere veniret, nequaquam vasis lutei huius fragilitatem, qua nobis compati, & pro nobis pati posset, indueret: & quamuis hoc ipsum stultum & infirmũ, iuxta vocem Pauli, videatur gentibus, inanis philosophiæ ratione nitentibus, secundum leges creaturæ de creatore iudicantibus: quid tamen potentius, quàm contra iura naturæ Virgini conceptum dare, & per mortem carnis assumptæ, mortalem substantiam ad immortalitatis gloriã reuocare? Vnde est illud Apostoli: Quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Sapientes denique iudicamus medicos corporalium ęgritudinum, qui nouerunt pro qualitate morborum similia similibus apponere. Quanto prudentior hic medicus, qui venit genus humanum, seruata proportione medicinæ, non tantum in corpore, sed etiam in anima de omni corruptionis huius seruitute liberare? Venit enim in similitudine carnis peccati, vt per omnia tentaretur pro similitudine absque peccato, quatenus in quo tentaretur & vinceret, vincendi gratiam tentatis de cœlo ministraret. Opposuit etiam nouitatem suam vetustati nostræ, iustitiam suam iniustitiæ nostræ, obedientiam suam inobedientiæ nostræ, humilitatem suam superbiæ nostræ: quatenus qui superbiendo, inobediendo, à florigera sede beatorum decideramus, per eius humilitatem atque obedientiam reformati quandoque ad paradisi gaudia redeamus: & hoc est, quod ait Apostolus: Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Stultum enim est visum sapientibus huius sæculi, quod qui in forma Dei erat per formam serui voluit humiliari, Dominus à seruis reprobari, conspui, colaphizari & occidi: sed hæc stultitia facta est nobis à Deo magna & incomprehensibilis sapientia: quoniam vitæ perditæ reparatrix nobis extitit medicina. Potuisset vtique lapsibus humanis alio modo diuina subuenire potentia, sed tanquam bonus orator istis modis & auditorum circa se comparare, & suam apud auditores beneuolentiam voluit commendare, quæ minus appareret, si inuisibilis omnino permanens, recusasset ab omnibus videri, & inter homines conuersari. Interrogemus nosipsos, charissimi, si nobis æterna hæreditate priuatis, & in obscurissimo carcere positis, regia vel aliqua compotens persona, regio decore deposito, sic nobis condescenderet, vt tanquam vnus ex nobis nostræ captiuitatis ærumnas toleraret, quatenus opportunitate inuenta, nos ab ipsa captiuitate liberaret: qua ratione posset melius & suam nobis dilectionem intimare, & nostram erga se excitare? Vndè per se ipsam veritas dicit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

1. Cor. 1.

Ibid.

Ibid.

Ioan. 15.

Simili itaque ratione Dominus noster, medicus noster, liberator noster, descendit ad seruos suos, captiuos suos, humilis & sublimis: humilis compatiendo, sublimis de seruitute diaboli potenter liberando. Quicumque ergo in Christo vocati sumus, huius tam iocundæ tam necessariæ liberationis admiranda initia præsenti festiuitate nobis ad memoriam reuocata, toto mentis intuitu consideremus, toto mentis affectu diligamus, debitis obsequiis honoremus, quatenus de iocundis & admirabilibus principiis mirabiles & iocundos exitus expectare mereamur. Fit hodie porta cœli virginis vterus, per quam Deus descendit ad homines, vt eis ascensum præberet ad cœlum. Audit enim miraturque beatissima Virgo filium se esse pariturum, quæ virilis amplexus penitus se esse sciebat ignaram: sed confortatur ac informatur ab Angelo, qua virtute, quo merito posset in ea compleri, quod in aliis mulieribus non patitur natura fieri: Ne timeas [inquit Maria: inuenisti gratiam apud Dominum: *Luc. 1.* tanquam si diceret: Quod tibi pronuncio, non habet ius naturæ, sed donum est incomparabilis gratiæ. Vnde sequitur: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Non enim, sicut quidam fatui & erronei cogitant, Spiritus sanctus in ea vicem exhibuit seminis, sed quia tanta ei diuini concessa est vis amoris, quæ ita illam mente & corpore inuiolatam custodiret, vt nullus ei concupiscentiæ carnalis æstus præualere posset: sola meruit eligi, de cuius immaculato corpore corpus immaculatum sibi aptaret, qui ante tempora prædestinatus est filius Dei in virtute. Vnde & eidem beatissimæ Virgini dicitur: Quod enim *Ibid.* ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Oportebat vtique esse sanctum, quod pro sanctificandis peccatoribus erat offerendum. Decebat quoque vt vitio careret eius generatio, per quam purganda erat filiorum Euæ vitiosa generatio. Tria enim mala Eua sequacibus suis intulit, videlicet, vt viris subiectæ essent, & in delicto carnalis concupiscentiæ conciperent, & in dolore filios parerent. In hoc vero conceptu, nulla carnalis concupiscentiæ delectatio sese admiscuit, vbi maritante foris verbo per auditum Virgo Verbum concepit, & fœcundante Spiritu sancto, eiusdem cor virginis in thalamo virginali diuina se sublimitas in vnitate personæ, nostræ humilitati sociauit. Hoc splendore Dei filius concipitur, hac munditia generatur. Nulla potuit fieri tristitia concipienti, nulla difficultas parienti: Qui enim lætificare venerat triste sæculum, contristare non debuit ventris hospitium. Sicut ergo omni corruptione caruit iste conceptus, ita, quicquid hæretici garriunt, in concipiendo & pariendo virginis vterus permansit intemeratus. Quod indubitanter cognoscere potest, & rationabiliter aliis approbare mansuetudo Christiana, transsumptionem faciendo de minoribus ad maiora, de prioribus ad posteriora. Si enim solis radius crystallum penetrans, nec ingrediendo perforat, nec egrediendo dissipat: quanto magis ad ingressum vel egressum veri & æterni solis, vterus virginalis clausus & integer perseuerat? Sic ille rubus ardens, & non combustus, in typum Virginitatis intemeratæ Moysi sancto legitur esse demonstratus: sic idipsum præsignans virga Aaron summi sacerdotis, nec succo animata, nec semine fœcundata, quod natura non habuit, flores fructumque produxit. Quæ ergo ratio est, vt non credatur Deus hominem posse facere sine viro de *Gen. 1.* fœmina, qui primum hominem nec de viro fecit, nec de fœmina? Nimirum veram humanitatem testatur conceptus & partus humanus, & veram diuinitatem comprobat vterus intemeratus. Continetur in hoc conceptu, fratres charissimi, magnum & mirabile sacramentum, quo deleto præuaricationis chirographo, diuina confœderantur & humana, fiuntque duo in carne vna, Christus videlicet & Ecclesia. Cuius coniunctionis quasi thalamus, vterus virginalis extitit, de quo, discursis nouem mensibus, secundum legem parientium, cum vxore sua, id est, carne nostra, tanquam sponsus è thalamo prodiens, tabernaculum, id est, carne assumptam in sole posuit, quia carnem suam, per quam debellaturus erat hostem, visibilem cunctis exhibuit. Factus est itaque per condescen- *Psal. 18.* sionem nostræ humanitatis tanquam lac paruulorum, qui in sublimitate suæ diuinitatis panis est Angelorum. Per carnem enim suximus maiestatem. Sic nimirum piæ matres lactescentem in se solidum cibum per vbera ministrant indigentiæ paruulorum, fitque in iis per vbera, vt iam non egeant vberibus, quando confortati per alimoniam lactis, idonei fiant ad conterendam solidam escam panis. Ita quoque reparator ac nutritor noster longè à se remotos in regione dissimilitudinis alere voluit lacte suæ incarnationis, quo crescere nos faceret ad suauissimum & ineffabilem gustum suæ diuinitatis, qui tamen quamdiu per spem ambulamus, & non per speciem, nulli quamlibet mundo corde plenè conceditur, sed perfecta eius satietas, cum gloria Domini manifestabitur, in æterna iustorum retributione seruatur, quia nulla possibile est viatori possidere in peregrinatione, quod ei promittitur in peruentione. Hæc igitur, fratres charissimi, sedula meditatione pensemus, hanc inæstimabilem Dei suauitatem, tota mentis auiditate gustemus considerantes quæ & quanta sint, quæ promittuntur in cœlis, ne à brauio supernæ vocationis cursum nostrum reuocent ea, quæ cæcis & cupidis mentibus appetenda videntur in terris. Diligamus misericordiam, per quam redempti sumus cum perditi essemus. Conseruemus castitatem, cuius amatorem se esse monstrauit qui de castæ mulieris visceribus immaculatum sibi corpus aptauit. Conformemur ei, qui vitam suam in terris regulam nobis proposuit Christianæ conuersationis, qui primo aduentu suo voluit nos intus ad imaginem suam reformare: secundo vero, etiam reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

In Ramis Palmarum.

QVi vult hominem exhibere perfectum, in Christo reperiet omnia documenta virtutum. Inter quas humilitate & patientia se tanquam potentioribus armis accinxit, cum quibus mundum intrauit, cum quibus de mundo migrauit, per quas mundum subiugauit. His etenim diabolum strauit & nos de eius potestate liberauit. Cum his fortem armatum

alligauit, & ipse fortior vasa quæ in potestate & pace possidebat, eripuit & sibi mundata retinuit. Humilitas fuit, quod inter homines degens, cum publicanis & peccatoribus manducauit: quod fatigatus ex itinere, à muliere Samaritana potum postulauit: quod peccatricis mulieris tactum non recusauit: quod discipulorum pedes lauit: Humilitas & patientia simul, quod corpus suum percutientibus dedit, quod faciem suam à conspuentibus non auertit, quod maledicentes non maledixit, quod etiam vsque ad ignominiosam mortem; mortem videlicet crucis, quæ tantummodo sceleratis debebatur, se tandem inclinauit. Vnde per Prophetam dicitur: Et cum sceleratis deputatus est. Et in Psalmo: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Hæc arma serpens ille antiquus non cognouit. Hæc arma per superbiam dedignatus est, & incautus per hæc superatus est. Escam sensit & momordit, sed hamus eum diuinitatis aduncauit, maxillam eius perforauit, & à potestate solita religauit. Accubuit catulus leonis ad vocem patris, cum fortitudine surrecturus, pro humilitate sua nomen, quod est super omne nomen, accepturus. Hunc exaltationis modum, Scribarum & Pharisæorum superstitio superba non credidit: venientem ad se Dominum in humilitate contempsit: superbiam eorum redarguentem, dæmonia ejicientem, miracula facientem, tanquam in Beelzebub ista faceret, blasphemauit. Sola eum pauperum turba prosequitur, puerorum innocentia comitatur, quia complectitur innocentia innocentiã, humilitas humilitatem, ac per hoc illuminari meretur, vt intus agnoscat maiestatem. Sic enim dicit scriptura: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Tales Domino hodie ad locum passionis suæ venienti occurrunt: hominem humilem super asinam sedentem viderunt, & tamen triumphalem ei gloriam, ramos arborum portando, & per viam sternendo exhibuerunt, laudes ei imperiales cecinerunt, quia præsago spiritu eum triumphatorem diaboli & mortis, & vitæ largitorem cognouerunt. Huius turbæ, charissimi fratres, formam repræsentatis cum virentes ramos arborum post vexillum sanctę Crucis in manibus portatis. Et bene repræsentatis, si quod virore signatur in manibus, semper teneatur in moribus, si non hyeme decidat, si non æstate marcescat: vt dicere possitis cum Psalmista: Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Sed mementote quia non inuitantur ad has laudes, nisi pueri: Laudate pueri Dominum, dicit Psalmista. Qui vero sint isti pueri, Apostolus exponit, dicens: Malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti. Et Dominus ad discipulos: Nisi quis se humiliauerit sicut iste paruulus, non intrabit in regnum Dei. Paruulum seipsum vocat, ad cuius imitationem nos monet humiliari, vt introire mereamur regnum Dei. Non enim sunt membra, quæ non sequuntur caput. Quibus igitur armis diabolum vicit Christus, vincere debet & Christianus. Sicut per humilitatem exaltatus est Christus, exaltari debet & Christianus. Sic enim Dominus dicit: Qui se humiliat, exaltabitur, & Petrus: Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore tribulationis. Humiliauit se Christus pro nobis, humiliemus nos ipsos pro nobis. Inclinauit se sicut camelus, subiit onera peccatorum nostrorum, transiuit per foramen acus, quia pertransiit angustias passionis, vt nos in latitudinem gaudiorum educeret. Humiliemus & nos ad portanda onera proximorum, nemo nostrum sublime sapiat, nec speret in incerto diuitiarum, sed deposita quasi struma cupiditatis superbiæ, tanquam per foramen acus ingrediatur, id eo arctam & arduam viam aggrediatur. Quod enim his diebus passio Domini in Ecclesia recitatur, quod signa Dominicæ passionis in Ecclesia producuntur, hoc intenditur, vt Dominica passio per hoc ad memoriam reuocetur, & fidelium deuotio ad compatiendum excitetur, vt ille sanguis dignè suscipiatur ab ore fidelium, qui indignè effusus est manibus infidelium. Hoc sanguine agni immaculati, vtrique postes signentur, id est, mentes & frontes, vt corde credatur ad iustitiam, ore autem confessio fiat ad salutem: & memoria crucis suauiter inhæreat menti, cuius signum imprimatur & fronti. Ergo fratres in hac recordatione Dominicæ passionis Christo dignè compatiamur, vt Christo resurgenti consuscitari mereamur. Dimittamus debita sua debitoribus nostris, quia ipse Christus, qui ad imitandum nobis propositus est, cum pateretur, orauit pro persecutoribus suis. Sic enim ipse Dominus iubet: Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est. Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Iesu Christi.

Ioan. 4. Matth 9. Luc. 7. Ioan. 13. Esai 53. Marc. 15. Luc. 22. Psal. 16. Phil. 2. Iac. 4. 1. Pet. 5. Psal. 33. Psal. 119. 1. Cor. 14. Matth. 18. Luc. 18. Iac. 4. 1. Pet. 5. Rom. 10. Rom. 8.

SERMO XVII.

De Cœna Domini.

OPtatus nobis, dilectissimi, dies emissionis aduenit, quod mater Ecclesia membra sua tanquam putrida hactenus à se proiecta, intra societatem commembrorum suorum recipit, quo peccantes filios suos pœnitentiæ legibus emendatos, sequestrationis rubore castigatos, ad sacramentum reconciliationis admittit. Et merito hic dies huic sacramento est deputatus, quo Dominus noster Iesus Christus illud, quod pro nobis proximè erat traditurus discipulis ad manducandum sanguinem, quem pro nobis fusurus erat, tradidit ad bibendum: Eo ergo die nullus fidelis extorris debet esse à corpore Christi, quod est Ecclesiæ, quo die medicinam suæ reconciliationis, corpus scilicet & sanguinem Christi suscepit Ecclesia. Hodie veteris sacerdotij ritus, quo sanguis vitulorum & fundebatur, & cinis vitulæ extra castra crematæ adspergebatur ad emundationem tantummodo carnis, de medio sublatus est, & noui sacerdotij ritus, quo caro Christi extra portam passa, & sanguis Christi pro nobis fusus, emundatos carne & spiritu sanctificat, veteri sacerdotio subrogatus est. Dicit enim Apostolus: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Quo ergo die conuenientius debent ministri noui sacerdotij hoc reconciliationis celebrare sacramentum, quam eo die, quo ab auctore noui sacerdotij hoc primitus est institutum? Huic etiam reconciliationis sacramento congruit, quod hodie discipulorum pedes lauit, quod hoc discipulis seruandum esse mandauit, non quod indigerent lauari, sicut ipse ait, qui loti erant aqua salutari, sed quia affectus hominum, quibus tanquam pedi-

Num. 19. 2. Cor. 5. Ioan. 13.

bus ad Deum receditur, vel à Deo receditur, non possunt terreno puluere non fœdari, quos oportet inter mundi turbines in medio hominum polluta labia habentium & habitantium, & inter lutulenta mundi negocia conuersari. Hæc ergo ablutio pedum, mundatio est affectuum, vt si quas de terrena conuersatione fœdas imagines introrsum traximus, hoc sacramento diluamus. Et pulchrè huic sacramento reconciliationis consonat, quod caput, id est, Christus, corporis pedes lauat, id est, vltima membra sua per officium pastorum sibi reconciliat. Nos enim dicti pastores & veluti capiti viciniora membra, dum pro peccatis vestris oramus, cum pro excessibus vestris lachrymas fundimus, quid aliud facimus, nisi quod vobis pedes quibus ad Deum redeatis, abluimus? Cum etiam peccatorum † nostrorum memoria conterriti in oratione nostra de capite lachrymas fundimus, an ne conscientias nostras tanquam pedes immundos, à terreni contactus sordibus emundamus? Quia ergo vos hodierna die fratres ad tam desiderabile sacramentum reconciliationis admittimus, sub Dei miseratione, quantum in vobis est, laborate, vt quod vobis foris per officium nostrum ministratur, id vestris mentibus rei veritate compleatur. Non sitis domus illa scopis mundata, id est, pœnitentiæ sacramentis palliata, ad quam reuertitur immundus spiritus, qui inde per confessionem exierat, & inueniens eam vacantem, id est, nulli veræ virtuti operam dantem, ingreditur ibi cum septem aliis spiritibus senequioribus, id est, omnibus superstitionis generibus, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Nouissima enim eorum peiora prioribus fiunt, quia peccata, quibus in confessione renunciauerant, occultè committunt, & ea diuersis coloribus superstitionis operire contendũt. Huiusmodi hypocritas æquiparat Dominus sepulcris foris dealbatis, & vasis extra mundatis, quæ intus plena sunt fœtore & sordibus. Mundate ergo fratres conscientias vestras, vt vasa honesta & apta sitis ad accipiendum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, per quem redempti estis cum perditi essetis, per quem reconciliamini, cum iterum auersi fuissetis, per quem saluandi estis, si intra societatem membrorum Christi inuenti fueritis, cui reconciliati estis. Qui enim manducat indignè, reus est mortis Domini. Qui est qui manducat indignè? Qui capit ore, & non capit corde. Qui non est membrum capitis, nec pars Christi corporis. Hic accipiens corpus Domini, pœnas dabit mortis Domini, quia tali pœna plectetur, quia plectuntur qui indignè ad mortem tradiderunt corpus Domini. Manete ergo in Christo, vt Christus maneat in vobis, & dignè accedatis in participationem Dominici corporis & sanguinis.

† *vestrorum.* — *Matth. 12.* *Luc. 11.* — *Matth. 23.* — *1. Cor. 11.*

SERMO XVIII.

In die Paschatis.

CVm cæteræ festiuitates in recordatione gestarum rerum lætitia spirituali fidelium mentes afficiant, in Christi resurrectione, simili ratione corda simul lætantur & corpora, quia Christo resurgente, homo noster interior à morte peccati ei consicitatus est, & exterior spes suæ resurrectionis probatissimo argumento confirmata est. Meritò ergo vtrumque lætatur, quia vtrumque Christo consuscitatur in re, exterior autem in spe. Idcircò hæc solemnitas ad anniuersarium diem suum non recurrit, sicut reliquæ solemnitates, in quibus præteritorum tantum sit recordatio, sed huic obseruantiæ Dominica deputatur, & lunæ decursus post plenilunium vicinum vernali æquinoctio. Dominica enim dies quæ octaua est, & Dominicam congruè repræsentat resurrectionem, quæ eo die facta est, & nostram præfigurat, quæ post septenariam huius temporis volubilitatem futura est. Lunæ vero decursus certi mysterij causa huic obseruantiæ est deputatus, quia secundum Astrologorum inquisitionem, globus Lunæ semper dimidius lucet & dimidius non lucet. Luna enim crescente, illuminatur pars inferior: Luna decrescente, illuminatur pars superior. Luna quippe in scriptura sacra typum gerit Ecclesiæ quæ & defectum suæ mortalitatis ex originis necessitate tolerat, & tamen in medio nationis prauæ & peruersæ, pro modo intelligentiæ suæ, humanæ ignorantiæ noctem illuminat. Huic innouatæ & cum Christo suscitatæ, per Apostolũ dicitur: Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: Hoc nobis Paschali mysterio insinuatur, hoc Lunæ Paschali tempore inferius deficientis, & superius crescentis figura commendatur, vt à tempore innouationis nostræ semper in appetitu terrenorum noster amor minuatur, & supernorum desiderio quotidianis profectibus augeatur. Tunc ergo verum Pascha celebramus, si quod rerum & temporum mysteriis significamus, vita & moribus semper teneamus. Idcirco sanctum Pascha in albis vestibus septem diebus celebramus, vt munditiam corporis & lętitiam resurrectionis semper habere moneamur. Vnde per sapientiam dicitur: Omni tempore sint vestimenta tua alba, & oleum de capite tuo nunquam deficiat. Quod est dicere, Nunquam munditia à corpore, nunquam lætitia spiritualis absit à corde. Hoc idem significabatur, cum Iudaicus populus post esum agni, septem diebus azymis vescebatur. Quod Apostolus in re significata ita interpretatur: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Ac si dicat: Vt ad celebrandum verum Pascha & edendam carnẽ veri agni & immaculati sitis idonei, expurgate vetus fermentũ, id est, tollite vetus peccatum, vt sitis noua conspersio, id est, nouitatem vitæ nouæ recuperetis, quam in lauacro sancto accepistis. Cum enim populus ad fidem veniens catechizatur, quasi molitur: quia sicut diuersitas granorum per molam in vnitatem cogitur, sic diuersitas populorum per instructionem fidei in quandam vnanimitatem adunatur. Sed nondum est conspersio. Accedit aqua, & fit panis. Sic in alio loco dicit Apostolus: Vnus panis, vnum corpus sumus in Christo, quicumque de pane eius edimus, & de calice eius bibimus. Itaque epulemur, non in fermento vetere, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Ac si dicat: Quia verus est agnus, quem epulamur, sic ad carnem eius edendam accedamus, vt cor mundum à malitia, & linguam immunem conseruemus à fallacia. Ita enim tanquam panis suauis in Christi corpus transibimus, & Christum nobis incorporabimus, vt Christum in nobis manentem semper habeamus, &

Coloss. 3. — *Eccl. 9.* — *1. Cor. 5.* — *1. Cor. 10.* — *1. Cor. 5.*

& ita non tantum septem diebus, sed omni tempore verum Pascha celebremus, id est, vt de imis ad summa cælorum gaudia toto desiderio transeamus.

SERMO XIX.
In Ascensione Domini.

HOdie, fratres, victoria Christi completa est, hodiè triumphalia vexilla eius eriguntur: de spoliatione sua dolet cum principe suo tartarus: de restauratione damni sui gaudet cælestis exercitus. Hodie caro illa quæ de terris subleuata est ad dexteram Patris collocata est, quia omni creaturæ prælata est, & omnis principatus & potestas ante eam incuruata est. Hodie via noua, de qua dicit Apostolus, nobis initiata est, quia per carnem Christi, aditus cæli per quam nulla prius caro transierat, reseratus est: quam adhuc viuentem idem Apostolus dicit, quia membris Christi suo tempore per eandem intraturis præparata est. hodiè apertio libri perfecta est, quem nemo potuit aperire, nisi agnus ille, qui occisus est, quoniam sacramenta eius reuelata sunt, cum ea quæ in lege & Prophetis inueniuntur de Christo, consummata dispensatione humanitatis eius, hodiè completa sunt. Descendit primo Christus, vt nostræ particeps fieret naturæ: postremò ascendit, vt suæ nos participes faceret gloriæ, Descendens: temporali conuersatione & visibilibus miraculis quasi lactauit infantes: ascendens, dedit dona hominibus. Quibus eruditi, & quasi in virile robur educati, iam temporalem eius visionem non appeterent: sed quo eos præcesserat, toto eum desiderio sequi studerent. Quia igitur temporali eius præsentia viduati sumus, ad æternam eius visionem tota intentione festinemus: dicamus ei ex voce Psalmistæ: Tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, ne auertas faciem tuam à me. Tota enim dispensatio humanitatis Christi nihil aliud intendit, nihil aliud fecit, nisi vt intentionem nostram ad superna dirigeret, & expleto tempore nostræ mortalitatis, ad manifestam visionem sui perduceret, perductos æterna vultus sui gloria satiaret, quia testante Apostolo, videbimus eum sicuti est. Vnde Psalmista: Satiabor cum manifestabitur gloria tua. Hæc sunt bona Hierusalem quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Hæc bona quantum potuit in ænigmate contuebatur Psalmista, cum diceret: Quid enim mihi est in cœlo? & à te quid voluit super terram? Admirando dicebat, quid mihi est in cœlo? quia cœlestis gloriæ magnitudinem nec dicendo explicare, nec cogitãdo sufficiebat comprehendere. Hæc ergo esuriamus, hæc sitiamus, quoniam ad hoc Pontifex summus pro nobis præcursor in vera sancta sanctorum, ad dexteram scilicet patris, ascendit, vt spem membrorum suorum confirmaret, eo secuturam gregis humilitatem, quo suum credit præcessisse pastorem. Sic enim ipse Dominus promittit discipulis: Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ, Aquilas vocat sanctos, qui cupiunt dissolui & esse cum Christo. Fertur enim natura esse aquilarum, vltra mare odoratu suo cadauera sentire, & eo celeri volatu suo ad saturandum esuriem suam festinare. Hæc ergo esuries aquilarum, desiderium significat sanctarum animarum, quæ caput suum extra mundi turbines in summa quiete locatum, fidei naribus sentientes, spei volatu præsentiæ conditoris vellent assistere, & satietate vultus eius sine fine gaudere. Hæc quippe huius solemnitatis est ratio, vt Christum ad dexteram Patris iam regnare credamus, & interim eum quasi geminis virtutum alis, charitatis scilicet & spei, subsequamur, vt cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum eo sine fine regnemus. Igitur secundum quod hortatur Psalmista, quia Dominus regnauit, exultet terra, id est, Ecclesia exultet in fide, quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos? Exultet in spe, quoniam replebimur in bonis domus tuæ. Exclamemus ex medullis cordis cum Apostolo: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an gladius? Cum enim de spe produxerit nos ad speciem, erit Deus omnia in omnibus: ipse cibus & potus, ipse vestitus & omnia, quæ honestè cogitari & desiderari possunt ab omnibus. Hoc donatiuum Christi milites concupiscant, & militiam suam non deserant, donec hæreditatem immarcescibilem ab imperatore suo, completo agone, percipiant.

Marginal notes: Heb. 10. — Apoc. 5. — Psal. 26. — 1. Ioan. 3. Psal. 16. 1. Cor. 2. — 1. Cor. 2. — Psal. 72. — Luc. 17. Matth. 24. Phil. 1. — Psal. 96. — Rom. 8. — 1. Cor. 15.

SERMO XX.
In die sancto Pentecostes.

DIes Pentecostes sacratus est in lege, & in Euangelio. In lege, quia die quinquagesimo à die quo Ægyptus spoliata est, in tabulis lapideis digito Dei scripta, populo Dei in monte Sinai, data est: In Euangelio, quia die quinquagesimo à die quo infernus spoliatus est, lex charitatis in tabulis cordis carnalibus populo Nazareno spiritu Dei scripta est. Vnde dicit Apostolus: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sed illa quidem in seruitutem data est, hæc autem in libertatem. De illa dicit Apostolus: Vnum quidem testamentum, quod est in monte Sina, in seruitutem generans: De ista autem, Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Et alio loco: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Sub hac significatione antiquus Hebræorum populus anno quinquagesimo, qui iubileus appellabatur, ab omni opere seruili vacabat, & his qui annis retroactis sub seruitutis iugo seruierant, libertatẽ dare consueuerant. Septenarius enim septies ductus, quadragintanouem facit, & vt quinquagenarius fiat, vnitas superadditur in quadragintanouem quia à septenario non recedit temporum volubilitas, in vnitate quæ sequitur, tempore succedens significatur æternitas, in qua vera dabitur libertas. Congruè ergo quinquagesimo die Spiritum sanctum accepimus: quia sicut post huius temporis decursum, à seruitute corruptionis huius in libertatem gloriæ filiorum Dei liberandi sumus, sic isto die ipsum Spiritum sanctum æternæ hæreditatis & veræ libertatis pignus accepimus. Hinc est etiam, quod decimo die post Ascensionem Domini, missus est idem Spiritus sanctus, quia in mercedem denarius promittitur operariis, perseueranter in vinea Domini laborantibus. Igitur quia temerarium est, aliquid deffinire de ineffabili eius essentia, dicamus

Marginal notes: Exod. 19. — Act. 2. — Rom. 6. — Gal. 4. — 2. Cor. 3. Rom. 8. — Rom. 8.

aliqua, quæ ipse spiritus donauerit de mirabili & amabili eius efficientia. Hic Spiritus sanctus gratiarum distributor est, hic cogitationum & intentionum cordis discretor est, hic secretorum diuinorum reuelator est. Spiritus enim
1. Cor. 2. scrutatur omnia etiam profunda Dei. Et sicut nemo ea nouit, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui est in homine: ita nemo nouit quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei. Hic digna postulantibus pium supplicandi præbet affectum, & apud eum qui pia vota intuetur, velocem obtinere donat effectum. Hic peccatoribus inspirat pœnitentiam, hic impœnitentium peccata detinet, hic pœnitentium peccata delet.
Ioan. 20. Sic enim Dominus dicit ad discipulos: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Hic conuersos ad iter iustitiæ facit per timorem humiles, per pietatem mites, per scientiam lugentes, per amorem iustitiæ fortes, per consilium misericordes, per intellectum mundi cordis, per sapientiam contemplantes, per tolerantiam persecutionum patientes, quibus Dominus regnum cælorum repromittit, quoniam quos timor inchoat, septimo gradu perficit sapientia, in octaua tanquam in vero iubileo, liberat & coronat patientia.
Matth. 16. Ad huius perfectionis apicem, Apostolorum principem prouexit hodierna die Spiritus sanctus, vt qui in passione Domini vnius ancillæ voce exhorruerat, iam perfidam Iudæorum multitudinem Prophetico testimonio manife-
Act. 2. stè confutare non timeat. Talem reddidit Thomam, vt qui resuscitati saluatoris dubitando palpandas postulauerat cicatrices, post collatam gratiam Spiritus sancti, facta diuisione Apostolorum, confidenter Euangelium prædi
Ioan. 20. caturus mittatur ad gentes. Tales per eandem
Act. 2. gratiam effecti sunt Christi discipuli, vt qui, relicto Domino in tempore passionis, præ timore latuerant, de cętero gaudentes irent à conspectu Concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine Iesu contumeliam pati. Tam velox & efficax doctor demonstratus est hodiè Spiritus sanctus, vt idiotarum corda vno momento erudiret ad scientiam, & eorundem linguas formaret ad omnem linguarum facundiam. Vt etiam attendamus, quantus opifex sit iste Spiritus sanctus, audiamus Apostolum dicentem.
1. Cor. 12. Vnicuique datur manifesta gratia spiritus ad vtilitatem: Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij gratia linguarum, alij interpretatio
Ibid. sermonum. Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Iste Spiritus sanctus, qui Patris & Filij vnus est Spiritus, à Patre procedit, & à Filio & ad corda credentium pariter mittitur, & à Patre & à Fi-
Ioan. 15. lio. Vnde & Dominus dicit in Euangelio: Cum venerit Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille vos docebit omnem veritatem. Illi me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Hæc verba ita interpretatur Didymus, illustrium virorum titulo clarus: Inseparabilis est spiritus à mea & patris voluntate: & amplius: quia non ex se est, sed ex patre & me est. Hoc enim ipsum quod subsistit & loquitur, à patre & à me illi est. Quid est ergo, Spiritum sanctum à patre filioque subsistere, nisi eundem spiritum à patre filioque procedere? Vnde & in sequentibus dicit: Consensus significatio est Spiritus sanctus, qui est spiritus veritatis, spiritusque sapientiæ. Non potes audire filio loquente quæ nescit, cum ipsum sit quod profertur à filio, id est, procedens Deus de Deo, spiritus veritatis procedens à veritate, consolator manans de consolatore. Hæc aduersus hæresin quorundam Græcorum, Græci auctoris auctoritate protulimus, qui dicunt Spiritum sanctum à solo patre procedere, ne quis Latinorum omnes Græcos hoc errore infatuatos arbitretur, & eorum auctoritati innitens, sal infatuatum esse mereatur. Idem in symbolo Ephesini Concilij, quod Græcorum fuisse constat, manifestè his verbis adstruitur: Quamuis in sua Ioan. 14.
substantia sit spiritus filij, & intelligatur in persona proprietas, iuxta id quod spiritus est, & non filius, non est tamen alienus ab ipso. Nam spiritus appellatur veritatis, & veritas Christus est. Vnde & ab ipso similiter sicut à Deo patre procedit. Denique hic ipse spiritus etiam per sanctorum manus Apostolorum miracula gloriosa perficiens glorificauit Dominum Iesum Christum, postquam ascendit in cælum. Præterea sicut filius appellatus est manus Dei patris; non quod ei sit aliqua cum maiestate patris inæqualitas sed propter substantiæ identitatem, & propter manifestam operum exhibitionem: Ita Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei propter eam, quam habet cum patre & filio, substantiæ vnitatem, & manifestam charismatum distributionem: quia per manum, in vnitate corporis existentem, fieri solet operatio: & per digitum in vnitate manus manentem, suis tamen articulis distinctum, solet notari discretio. Cum vero per verba aliundè translata, aliqua nominatur in diuinitate persona, non vsquequaque earum natura rerum de quibus hæc translata sunt, diuinitate est arroganda, sed illæ tantum causæ attendendæ sunt, propter quas res corporeæ rebus incorporeis assimilari possunt: Quia omnis humana vox nihil potest aliud dicere, nisi corporalia: Et Trinitas, de qua nunc nobis sermo est, omnes materiales substantias superat: Idcirco nullum verbum potest ei propriè aptari, & eius propriè & dignè intimare substantiam. Et quia ipse spiritus charismatum distributor est, inuocemus ipsum paracletum, cuius hodiè solemnitatem colimus, cuius hodiè dona fidelibus collata miramur, vt augeat in nobis fidem, dilatet charitatem, confirmet spem, & cætera virtutum charismata, quæ nobis in hac peregrinatione sunt necessaria, cooperante patre & filio, cum quibus idem paracletus viuit & regnat per æterna sæcula, Amen.

SERMO XXI.

De Cathedra S. Petri.

NOn inconuenienter, fratres, iste Psalmi versiculus olim diuino præsagio decantatus, hodiernæ celebritatis tripudio interponitur, in qua beatus in Episcopali Cathedra collocatur. Videtur enim beato Petro debere Psal. 106.
coaptari, quem in sede iudiciaria protestantur hodierna Ecclesiarum obsequia sublimatum. Ait enim Dauid sanctus, spiritu quoque sancto præuentus: Exaltet eum in Ecclesia plebis, & in Cathedra seniorum laudent eum. Hodiè si quidem & in Ecclesia plebis Petrus exaltatur,

& in Cathedra seniorum laudatur, quoniam & in Ecclesia in qua populus acquisitionis conuenit, constituitur post Deum primicerius, & in Cathedra seniorum collaudatur Episcopus. Hæc etenim hodiernæ festiuitatis sacra institutio, quando Episcopalis sedis honoratus est magisterio. Hodiè fratres beatus Petrus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur, hodie plebi, quam ipsemet Deo acquisiuit, pastor præficitur, Hodiè etiam in beati Petri ordinatione sancta Ecclesia exaltata est, quoniam & ipse promouetur, cui specialiter à Domino ipsa talibus alloquiis commissa est: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Felix vocabuli denunciatio, vt à Petra de qua scriptum est, Petra autem erat Christus, Petrus denominetur, nominis Christi participatione decoretur, ipso Christo sibi nomen imponente, vt Petrus sit, & Petrus vocetur. Super hanc etiam Petram Dominus Ecclesiam suam ædificandam prouidit, quatenus cuius fidei confessio pro sui soliditate Petræ comparanda erat, nominis etiam sui applauderet appellationi. Non ergo ambitione humana, vt in talibus assolet, Petrus Episcopalem hodie sortitur Cathedram, non muneribus primos occupat recubitus, non ingerit se pomposis ceruicalibus. Ipso Deo Dei filio attestante, Petrus eruditur: carnis & sanguinis ab eo doctrina remouetur: patris, qui in cælis est, efficacissima reuelatio exhibetur, cuius instinctu veridico intonuit Petrus: Tu es, inquit, filius Dei viui. O iocunda regis & militis confabulatio, in qua miles regem suum, regis æterni filium confitetur: rex vero vicissitudine reciproca militem suum à carnalibus disciplinis sequestratum, patris sui tantummodò discipulum attestatur, dignis etiam stipendiis remunerandum arbitratur, quatenus sic adjiciens subinferat: Tibi dabo claues regni cælorum. O reuera beatus cæli ianitor, cui non tantum claues regni cælorum commissæ sunt, sed etiam arcanorum cælestium consilia concredita sunt. Ligandi atque soluendi licentia potestatiuo perfungitur priuilegio, atque ouilis Dominici cura ipsius mancipatur arbitrio. Ita enim speciali familiaritate ad eũ dicit Dominus: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis: Non ergo repentina fautorum acclamatione, sed prouida Dei dispensatione Ecclesiarum excubiis deputatus est Petrus generali sanctione, hodiè quoque Antiochiæ assumitur peculiari familiaritate. Quẽ ouibus suis Deus pastorem præfecerat generalem, plebs Antiochena hodie sibi collocat pontificem generalem. Nec tamen Dei nutibus populus Antiochenus obuiare contendit, sed opportuna importunitate Dei vicarium honorare satagit. A pontificum pontifice iamdudum Petrus ordinatus erat, oleum exultationis Christi manu infundente per Spiritus sancti † debriationem susceperat, negocij sui ministerium sibi iniunctum iam diu exercuerat, necdum tamen aliquo in loco propriè deputatus fuerat. Hodiè ergo de totius orbis amplitudine adsciscitur, quibus propriè præsit & prosit: hodiè populis prærogatur. Nec tamen curæ amplitudo propterea decurtatur, sed Apostolatus sui solicitudo dupliciter dilatatur. Adsunt enim præsentium ouium balatus, qui eum quotidianis profectibus solicitent, nec sibi desint fraternæ dilectionis præcordia, in fines etiam orbis terrarum pertingentia, quæ eum defatigent. Sed futurum est tibi, futurum est (inquam) ciuitas Antiochena, vt adhuc Petrus de sede ad sedem demutetur, vt necessitate & vtilitate populorum exigente, † alias transportetur. Nec poteris habere proprium, quem sancta Ecclesia in commune suscepit ministerium. Fratrum ergo dispersioni charitatiuè communica, & quem charis amplexibus tibi obligasti, aliquantulum relaxa. Dilige proximum tuum sicut teipsum, & æquanimiter Petrum tolerabis ad alium destinari præsulatum. Intereà vrbs beata, de Petri gloriare præsentia, piis eum demulce obsequiis, inuiscera eum tibi responsionibus obedientiæ deuotissimis, præcordialem Dei amicum, quibus potes delibutionibus tibimet Concilia: conuiuiis atque eius sermonibus participa futuræque tuæ ruditati circumspectius inuigila. Multos opima degrauauit securitas, & quoniam in hodierna confidunt opulentia, de crastina non satis solicitantur penuria. Non nouerunt sibi prospectare de crastino, qui totam spem defixerunt in tempore hodierno. Tu autem Antiochia de beati Petri præsenti affabilitate congaude, ipsius colloquio tanquam in omni diuitiarum affluentia perfruere, déque futura sui absentia tibi circumspice. Dum vacat, materna suge vbera: interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiorem tuum, & dicet tibi: Hodie Apostolorum principem tibi delegisti sacerdotem, hodie cæli ianitorem inthronizasti pontificem. O admirabilis in singulis Dei dispensatio, ô diuinæ dispensationis admiranda discretio! Quid dicam fratres? Vadam quo me ducit impetus spiritus? Eloquar, an sileam? Eloqui tamen melius censemus, quam silere, quoniam & silere quasi aliquid deesset, de beati Petri laudibus defraudare. Dicit de se in quodam loco Dominus: Ego sum ostium: Per me si quis introierit, saluabitur. Si ostium equidem Dominus confitetur, per se introeuntibus salutem pollicetur: & tamen ad Petrum ita exorditur: Tibi, inquit, dabo claues regni cælorum. Iam videre potestis, fratres charissimi, & videtis quid vester exprimere gestiat affectus, sed præ abundantia spiritus totum quod voluto, efferre non valeo. Ita enim per sæpè fit, vt præ abundantis lætitiæ vel tristitiæ cumulo, verborum sufficientia desit spiritui, cum ipse spiritus nondum discreuerit, cui potius debeat cedere parti. Fitque in abundantia spiritus error quam maximus, tanquam si cuilibet auaro multimodæ apponantur diuitiæ. Ipse siquidem præ alacritate nimia hæsitat, quid prius rapiat: & dum anhelat ad singula, manum porrigit ad omnia. Ita & nos: Impedit nos super tanto ac tali mysterio cogitationum multiplicitas, sed tamen Deo prosperante expediet nos orationum vestrarum officiositas. Nostis fratres charissimi, quoniam ostio sera & claues apponuntur, quibus † iubentibus eiusdem ostij valuæ reserantur & clauduntur. Ostiis etiam ostiarij addicuntur, ad quorum suggestionem penetralium Domini, de ostiorum, vti libet, commoditate præloquuntur. Ergo quandoquidem Christus sicut ait, Ostium est, Petrus vero clauicularius est. Quid aliud, quam ostij huius Petrus ostiarius est, vt quodammodo per Petri vicillationem, in ipsum, qui ostium est, habeamus introgressionem? De numero Apostolico, sacer-

Marginalia: Matth. 16. — 1. Cor. 10. — Matth. 16. — Ibid. — Ibid. — † derivationem. — † alios. — Matth. 5. — Deut. 32. — Ioan. 10. — Matth. 16. — † for. iuuantibus.

dotali coagulatur collegio, vt altius aliquid admireris in Petri sacerdotio, quam (si dici liceat) in Apostoli vocabulo. Dicitur de Christo. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Non dicitur quod sit Apostolus, etsi fuerit ab Angelis minoratus, sed quod fuerit sacerdos, authentica voce conclamatur. Factus est ergo Petrus Apostolus, quod non factus est Christus: sacerdos quoque adoptatus est, quod & erat Dominus! Factus est Christi consacerdos & cohæres, nec factus est coapostolus. Forsitan tamen & Christus vocari posset Apostolus, sed ipse patris, Petrus vero Apostolus Christi. Videtur quoque hodiernæ festiuitati consonare illud sapientis præconium: Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus. Iste siquidem præter Christum sacerdotum † opinatissimus, Deo in diebus suis sacerdos acceptatissimus, iustitiæ insignis titulo, totum vitæ suæ cursum Christi dedicauit obsequio. Voluntariè Deo sacrificauit, super ouile sibi creditum competēter inuigilauit, pedetentim quos potuit cœlorum ciuibus inuisceràuit, triticum Domini sui cautissime ad vsuram erogauit. In amore Dei feruentissimus, in fidei assertione robustissimus, in proximi dilectione accommodatissimus, in terris cælibem ducebat vitam. Denique in miraculis erat copiosissimus, quatenus in plateis ponerentur infirmi in lectulis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Spiritu sancti gratia in tantum ei linguæ suppeditarat facundiam, vt ante reges & præsides nec quid loqueretur excogitaret, nec quod disertissimè loqueretur aliquando deesset. Ab inescatione piscium ad capturam translatus hominum, fidei retia vagabundis huius procellosi mundi piscibus obtendebat. Hodie quoque summi Dei sacerdos effectus per odoriferi thuris & thymiamatis concremationem summo sacerdotum gratanter & iocundè est acceptus. Immolauit seipsum hostiam viuam in odorem suauitatis, & Altissimo accuratissime vota sua reddidit. Quocirca benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum suum confirmauit super caput ipsius. Ideò quoque stabilita sunt bona illius in Domino, & enarrabit eleemosynas omnis Ecclesia sanctorum. Beatus ergo quem elegisti & assumpsisti Domine, ecce enim tripudians habitabit in atriis tuis. Nulli ergo sanctorum beatum Petrum credo secundum, quem sanctus sanctorum in fundamento suarum collocauit Ecclesiarum, & exaltauit in specula suarum ouium altissimum. Nemo coapostolorum in amore sui Iesu feruidior, nemo in ipsa traditionis desperatione, fuit animosior. Promotus est à nauicula sua Petrus, hodie in Cathedra non pestilentiæ, non columbas vendentium, sed Episcopali collocatus, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Statuit ei Dominus testamentum pacis, vt fungeretur sacerdotio, & offerret illi incensum dignum in odorem suauissimum. Agite ergo pontifices, qui beati Petri residetis in loco, quos Episcopalis sublimauit præpositio, considerate quem imitamini: de cuius dignitate gloriamini, ne cura commissa abuti videamini. Non sit vobis ad iactantiæ supercilium, vocitari pontifices, sed velitis & desiderate esse pontifices. Qui enim Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Operamini ergo quod competat: quod gregem Domini vobis commissum fœcundando confoueat, ne forte cum aliis prædicaueritis, ipsi reprobi efficiamini. Vos quoque reliqui sacerdotes, inferiores domus Domini mansiunculæ, quorum labia custodiunt scientiam: Angeli enim Domini exercituum estis: lex siquidem requiritur ex ore vestro, qui peccata populi Domini comeditis, tandem expergiscimini, & quamuis non sitis, iuxta distinctionis momenta, pontifices, tamen recolite vos Petri consacerdotes. State ergo in gradu vestro, succincti lumbos viriliter, & sequimini Petrum sacerdotem magnum efficaciter. Quod enim hodiè infula decoratus sacerdotali collocatur in Cathedra, magisterij vestri humilitatem sustollit, iudiciariæ vestræ potestatis deliberatiuam corroborat discretionem, & totius vestri officij exornat dignitatem. Vos quoque pro capacitate vestra Dei cooperarij & coadiutores estis, instar Petri sacerdotium suscepistis. Mundamini igitur, qui fertis vasa Domini. Si manus vestræ tetigerunt aliquod morticinium, lauate manus, mundate conscientias, ne de sordium iniquarum inquinationibus vasa Domini sordescant, & pro negligentiis vestris cum suis portionibus ipsa vasa displiceant. Habetis beatū Petrum sanctitatis exemplar, munditiæ formam, totius strenuitatis normam, qui precum vestrarum eulogias & vota Deo nostro gratificet, oblationibusque suis nos omnes ei commendet, qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 109. | Hebr. 5. | Eccl. 50. | † optatissimus. | Act. 5. | Psal. 64. | Psal. 1. | 1. Reg. 2. | 1. Tim. 3. | 1. Cor. 9. | Malac. 2. | Esai. 52.

SERMO XXII.

De Oratione Dominica.

Hic sermo nūc primum prodit in lucem è Bibliot. MS Regia & Petauiana.

DVo sunt, charissimi, quæ principaliter attendere debet humana circumspectio, dignitatem suæ conditionis, & excellentiam suæ reformationis. Dignitatem suæ conditionis, vt peccare timeat: Excellentiā redemptionis vt gratiæ redimentis ingratus non existat. Sola quippe voluntate conditoris homo de terræ vilitate sublatus est, & ad Dei similitudinem priuilegio rationis sublimatus est. hanc miser homo perdidit, cùm diabolica persuasione seductus à conditoris sui instituto superbiendo recessit: quem lapsum Psalmista considerans quasi condolendo dicebat: Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. De summa erectione proprio arbitrio corruēs meritò vltima deiectione damnatus est: qui per se cadere potuit, sed per se resurgere non valuit. Hunc casum plangere habet quotidianis lamentis humana fragilitas, quatenus eò redeat per quotidiana lamenta, vnde corruit per vana oblectamenta: & quæ cecidit pede superbiæ, resurgere studeat pede obedientiæ. hoc attendens Psalmista dicebat. Non veniat mihi pes superbiæ: ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt nec potuerunt stare: expulsi sunt ab intima quiete: nec potuerunt stare, id est, per se redire: sicut per eundem Psalmistam de eisdem dicitur: quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens. Ad hanc ergo reuersionem siue resurrectionem necessaria fuit & medicinalis gratiæ redemptoris, quæ sanaret humilitate quod corruptum fuerat elatione superbiæ. Assumpsit igitur verbum Dei formam serui, in qua posset conseruos verbo instruere, &

Psal. 48. | Psal. 35. | Psal. 73.

& ad exemplum vitæ suæ, morum disciplina informare. Humilitatem quippe & obedientiam verbo & exemplo insinuabat, quando discipulos exhortando dicebat: tollite iugū meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue, iugum enim eius obedientiæ meritò est suaue, cui seruire est regnare, & onus præceptorum leue, quod non premendo grauat, sed ad implendum per gratiam adiuuat. Insinuauit etiam verbo sobrietatem, vbi dixit non grauentur corda vestra in crapula & ebrietate: Docuit exemplo, qui turbam se comitantem non reficit sumptuosis deliciis, sed panibus hordeaceis: Docuit intentionem nostram ad interna bona dirigens qualiter esset ieiunandū, quando dixit: Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritę tristes: illos notās qui luctuosis sordibus rigorē simulāt abstinentiæ: vt videantur hominibus ieiunātes voluit. Qualiter etiam facienda sit eleemosyna silentio præterire, vbi dixit: Cùm facis eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: hoc documento insinuans quia eleemosynam & omne opus misericordiæ quod facimus non venando laudes hominum, sed intentione vitæ æternæ, quæ per dexterā significatur, facere admonemur. Qualiter quoque esset orandum admonuit, vbi ait: Tu autē cùm oraueris, intra in cubiculū, id est, habeto cor quietum, & ab omni tumultu exercitiorum liberum: & clauso ostio, id est, exclusa phantasmatū turba, ora patrem tuum. Ecce dictum est qualiter sit orandū: addit etiam quod sit orandum ita subiungens: sic autem orabitis: Pater noster, &c. Hęc oratio compendiosis verbis, id est, septē petitionibus omnes species orationis comprehendit, quibus Deum interpellamus, aut pro appetendis bonis, aut pro vitandis malis, aut pro delendis commissis: harū septem petitionum tres priùs positæ pertinent ad æternitatem, quatuor sequentes ad vitæ præsentis necessitatem: nam nominis Dei sanctificatio & aduentus eius, quo in claritate venturus est & completio voluntatis eius sicut in cælo & in terra, siue iustos & peccatore, siue animam & corpus, siue Christū & Ecclesiam intelligamus, quamuis ab humili aduentu Christi exordiū sumant, tamen nonnis sæculi terminatione complebuntur & omnia tria in æternum manebunt. Reliquæ autem quatuor ad hanc vitā temporalem pertinere videntur: quia & panis quotidianus, id est, spiritualis licet sit sempiternus, ad hoc tamen tempus pertinet inquantum ministratur animæ quibusdā signis, id est, dictis vel scriptis, & ideo panis dicitur quia laborando & differendo discitur, & ita quasi mandendo glutitur. Nunc quoq; peccata dimittuntur nobis & nos dimittimus aliis, quæ est inter quatuor secunda *portio. Et nunc tentationes vitam nostrā infestant: & ipsa liberatio à malo ad hanc vitā pertinet, quia Dei iustitiā mortem incurrimus, vnde ipsius misericordia liberādi sumus: quæ cùm ita sint ipsarum petitionum verba diligentiùs pertractanda sunt, vt intellecta & maiorē generent cordis affectum, & quod petitur ad velociorem perducatur effectū. Dicamus ergo Pater noster, cui non timore sed amore famulamur: non hoc populo priori dictum est vt patrem oraret, sed Dominus insinuatus est eis cui nō filiali obediebant amore, sed seruili subiiciebantur timore: admonentur autē hoc verbo diuites & nobiles cùm Christiani facti fuerint quatenus se non extollant aduersus pauperes & ignobiles, quoniā simul dicunt Pater noster: quod verè ac piè dicere non possunt nisi se fratres esse cognoscāt: hoc ergo nomine & charitas excitatur, quia filiis nihil charius debet esse quàm pater, & supplex affectus, cùm homines dicunt Pater noster, & quędam impetrandi præsumptio quod petitur cùm etiam ante petitionem tam magnum donum acceperimus vt possimus dicere Pater noster: quid enim iam non det filiis petentibus pater, qui iam hoc ipsum dedit vt essent filij? postremò quanta cura animū eius tangit, qui dicit Pater noster, vt tanto patre nō sit indignus: vtatur ergo populus noui testamenti voce, populus nouus ad æternitatem vocatus. Pater noster. Oratio fraterna est, non dicit pater meus tamquam per se tantùm orans sed pater noster: omnes videlicet vna oratione complectens qui se in Christo fratres esse cognoscūt: qui habitas in cælis, id est, in his quorū conuersatio est in cælis: & accommodatissima est ista similitudo vt tantùm spiritualiter distare credatur inter iustū & peccatorem, quantū distat corporaliter inter cælum & terrā: peccatori enim dictū est terra es & in terram ibis: cuius rei significādæ gratia cùm ad orationem stamus ad Orientem vertimur vnde cælum surgit: nō ideo quod ibi sit Deus tanquam cæteris mundi partibus relictis sed vt admoneatur animus ad excellentiorem naturam consurgere, id est, ad Deum. Iā quod petendū sit attendamus. Sanctificetur nomen tuum: quod non sic petitur quasi non sit sanctū Dei nomen, sed vt sanctū habeatur ab hominibus & ita innotescat illis Deus, vt existimēt aliquid sanctius non esse quo magis timeāt eum offendere, quia nomen Dei sanctificare, est Deū timere, de quo dicitur: Initium sapientiæ timor Domini, & alibi: Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi. Sequitur, adueniat regnum tuū, id est, manifestetur mundo: sicut præsens lux absens est cæcis, ita Dei regnum quamuis vbique sit, deest tamen ignorantibus: vel ita vt tu in nobis & nos in te, te donante regnemus; hæc petitio ad pietatē pertinet quæ est secundo gradu inter beatitudines: si enim pietas est qua beati sunt mites petamus vt veniat regnum Dei in nos, id est, mitescamus & non resistamus. Sequitur, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, id est, sicut in Angelis ita & in hominibus, vel sicut in iustis ita & in peccatoribus: vel ita consentiat caro tuæ voluntati sicut consentit spiritus. Hæc petitio ad scientiā pertinet quæ tertio gradu est inter beatitudines: nam si scientia est qua beati sunt qui lugēt, oremus vt fiat voluntas Dei sicut in cælo & in terra, id est, vt consentiat caro spiritui: quia non aliunde tantum dolere habet humana miseria quantū in quod caro concupiscit aduersus spiritū & spiritus aduersus carnem, vt cum Apostolo exclamare cogamur: Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? sequitur quarta petitio panem nostrū quotidianum da nobis hodie; potest & simpliciter intelligi de cibo corporali & spiritualiter de pane diuini verbi: si de corporali agitur, non extendit petitionem suam in longum iste orator: præceptum sequitur Euangelicum, vbi dicitur. Nolite cogitare in crastinū, crastinus enim dies ipse sibi cogitabit: sic & beatus Apostolus monet, habentes victum & tegumentum his contenti simus: si verò spiritualiter accipiat panem istum, vel ipsum Christum intellige qui est supersubstantialis animæ panis, quia omnem superat substantiam qui de se ipso ait: Ego sum panis viuus

Matth. 11. Luc 21. Ioan. 6. Matth. 6. Ibid. Ibid. Ibid. * petitio habet Petanianus codex. Psal. 110. Matth. 18. Matth. 5. Rom. 7. Matth. 6. Ioan. 6.

qui de cælo descendi: vel ipsum intellectum verbi diuini qui nobis necessarius est ad reficiendas ruinas animæ donec cognominatur hodie. Hæc petitio ad fortitudinem pertinet quæ quarto loco ponitur ascendentibus ad summam beatitudinem: si enim fortitudo est qua beati fiunt qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, orandum nobis est vt detur nobis panis iste quotidianus quo confortati ad illam perfectã saturitatem venire possimus. Sequitur & dimitte nobis debita nostra. Fortè peccauit in te aliquis dimitte illi veniam à te petenti ne dum fratri negas misericordiam tibi claudas patris indulgentiam, dicente Iacobo Aposto: Iudicium Dei sine misericordia ei qui non fecit misericordiam. Petitio hæc refertur ad consiliũ quod quinto loco ponitur inter gradus beatitudinem: si enim consiliũ est quo beati sunt misericordes, dimittamus debitoribus nostris debita sua, & sic oremus vt dimittantur nobis debita, id est peccata nostra, propter quæ differimur ab impetranda venia nisi eam acceleret fratribus facta indulgentia. Sequitur & ne nos inducas in tentationem: id est, ne patiaris nos induci, id est, à tentatore seduci. Hoc est ergo quod oramus, vt non permittat nos Deus tentari supra id quod possimus, sed faciat cũ tentatione prouentum vt possimus sustinere. Petitio hæc pertinet ad intellectum qui sexto loco ponitur in numero beatitudinum: si enim intellectus est quo beati sunt mundicordes, id est, qui purgatum habent oculum mentis terreno puluere, oremus non induci in tentationem, id est, nõ habere duplex cor, sed vnum & simplex appetere bonum. Sequitur, sed libera nos à malo: nimirũ in quod induci possimus, sed ab illo in quo inducti sumus: quo pacto nihil restabit lugendum. Huic petitioni congruit sapientia quæ septimum inter beatitudines obtinet locum: nam si sapientia est qua beati sũt pacifici, id est, qui ordinatis motibus suis cogũt omnia seruire spiritui, orandum est nobis vt liberemur à malo: ipsa enim liberatio liberos nos facit, id est, filios Dei vt spiritu adoptionis clamemus abba Pater. Amen autem in his omnibus petitionibus significat indubitanter à Domino conferri quod petitur, si vltimæ conditionis pactum firmiter teneatur. Hæc tria remediorum genera specialiter commendauit nobis cælestis medicus, eleemosynam videlicet, ieiunium, & orationem: Quibus tamquam medicinalibus antidotis possemus inueterata mala curare, præsentanea pellere, conseruando salutem futura cauere. Et congruè tria sunt genera curationis, sicut præcedunt & tria genera corruptionis. Omne enim peccatum aut fit in anima per consensum prauę suggestionis ad violandum Dei templum: Aut fit malè vtendo corpore ad lædendum proximum, quod est facinorosum: Aut fit malè vtendo corpore ad corrumpendum seipsum, quod est flagitiosum. Facinora enim licet per corpus fiant, qualia sunt homicidia, rapinæ, furta, non tamen corpus facientis afficiunt vel corrumpunt, de quibus dicit Apostolus: Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est: flagitia verò & per corpus fiunt, & corpus afficiunt & inficiunt, de quibus dicit Apostolus: Qui autem fornicatur, in corpus suũ peccat: meritò ergo facinora quæ extra corpus fiunt, eleemosynâ tamquam exteriori purgantur medicinâ: quia sicut facinus nocuit proximo, sic eleemosyna quæ extra nos est, & per corpus tamẽ datur prodesse debet proximo. Flagitia verò congruè medicinali mundantur parsimonia: quia sicut caro læta traxit ad culpam; sic afflicta reducere debet ad veniam. Si qui verò sunt quibus hæc medicamenta non congruant, vt vel eleemosynã dare non possint propter nimiam paupertatem, aut ieiunare non possint propter stomachi imbecillitatẽ, habent tertium genus medicinæ, à quo se excusare non poterit nisi qui morbos animæ suæ sanare contempserit. Hoc ergo medicamentum, quod nulli sanæ menti deesse potest, studiosè & piè frequentemus, implentes illud præceptũ Apostolicum: Sine intermissione orate. Hoc enim antidotum ita omninus morbis occurrit, vt assiduatum morbos omnes depellat, & omnia corrupta integritati restituat, præstante Domino nostro Iesu Christo cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Iacobi 2.

1. Thess. 5.

SERMO XXIII.

De Symbolo Apostolorum.

Hic etiam sermo primum emittitur e MS. Biblioth. Regia, & Petauianæ, & ex Soucheti veteri membrana.

NOtum est dilectioni vestræ, quòd milites sæculi beneficia temporalia à temporalibus dominis accepturi, priùs sacramentis militaribus obligantur, & dominis suis fidem se seruaturos profitentur; quantò magis æterno regi militaturi, & æterna præmia pręcepturi, debent sacramentis cælestibus obligari, & fidẽ per quam ei placituri sunt, publicè profiteri: Dicit enim Apostolus: Sine fide, impossibile est placere Deo. Hanc in cordibus nostris agnoscit qui scrutatur renes & corda; sed propter conseruandam Ecclesiæ vnitatem, dispensationi huius temporis cũ fide cordis necessaria est oris confessio, quia corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem, non tantùm prædicatorum; sed etiam auditorum. Non enim aliter frater de fratre benè sentiret, nec pax Ecclesiæ seruaretur, nec alium docere, aut ab alio discere saluti necessaria posset, nisi quod in corde habet, signis vocum tamquàm suis vehiculis ad aliorum corda transmitteret. Est ergò fides & corde seruanda, & ore promenda: fides namq; bonorũ omnium est fundamentum, humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad numerum filiorum Dei poterit peruenire; quia sine ipsa in seculo, nec iustificationis consequitur gratiam: nec in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem. Hoc attendentes sancti Apostoli, certam fidei regulam tradiderunt, quam secundum numerum Apostolicum duodecim sententiis comprehensam, symbolum vocauerunt, per quam credentes Catholicam tenerent vnitatem, & per quam hæreticã conuincerent prauitatem. Solent quippe sodales cùm aliquis in sodalitium suũ admittunt, symbolum dare, & ita initum fidei pactum confirmare. Ad hanc similitudinem sancti Apostoli spirituale sodalitium inter se connectentes, hoc symbolum confecerunt, quo sodalitium eorum intrare cupientes, fidei commercio sibi colligarent, & sic cælestis mensæ participes secum efficerent. Dicat ergò quisque fidem Apostolicam professus per ora gestantium in baptismo, cùm ad annos intelligibiles venerit, Credo in Deum: & quod profitetur ore, mediteteur corde. Non dicit credo Deum, vel credo Deo, quamuis & hæc saluti necessaria sint. Aliud enim est credere Deum, quia Deus est: & aliud credere Deo, quia verax est, quod, testante Iacobo Apostolo, & dæmones credunt, & contremiscunt: Sed non credũt in Deum, quia credendo non mouentur, vt eant in eius voluntatem. Non ergo prodest

Hebr. 11.

Rom. 10.

Iacobi 2.

eis spiritus timoris, quia non est in eis spiritus amoris: Nos verò qui per adoptionem gratiæ filij Dei sumus, dicamus: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Hoc est, sic ei credamus, vt ei per dilectionem hæreamus. Patrem dicit qui ante tempora coæternũ sibi genuit filium, Omnipotentem Creatorem cœli & terræ, id est, qui per omnipotentiam suam, conditor est & cœlestium, & terrestrium; id est, visibilium & inuisibilium, vt nemo dubitet Deum ita posse, quem audit omnia posse. Dicta sunt autem hæc aduersus Gentiles, qui per infidelitaté credebant Deos esse simulachra quæ condiderant, relicto vero Deo à quo conditi erant. Et in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum. Sicut in patrem: sic & in filium, credendũ est. Et quia cum patre æqualis maiestate est, tantum ipsi, quantum & patri honoris debemus. Iesus autem Saluator interpretatur: Christus à chrismate dicitur; quia sicut antiqui Reges oleo sacro perfundebãtur: ita Dominus noster Iesus Christus Spiritus sancti infusione repletus est: ostendũt auté ista in eum iure esse credendũ, qui præter hoc quòd æqualis est patri, Saluator noster est redimens nos; & Christus, id est, Rex, regens nos, & vnicus Dominus noster, spoliato antiquo hoste, singulari dominió suo adsciscens nos. Qui conceptus est de Spiritu sancto, id est, cuius conceptionis solus auctor fuit Spiritus sanctus. Sicut enim vermis calefaciente sole de puro limo formatur; sic Spiritu sancto illustrante & sanctificante cor Virginis, caro Christi de sola carne Virginis nulla sementina cárnis origine operáte concepta est. Vnde se vermi comparans per Psalmistam dicit: Ego sum vermis & non homo; id est, non conceptus humano more. Natus ex Maria Virgine; id est, sicut non aperuit vterum matris conceptus: sic nec aperuit partus. Non, vt quidam sceleratissimè opinantur, Spiritum sanctum dicimus pro semine; sed potentia, ac virtute creatoris operatum. Hoc Verbum caro factum est; hoc est, homo factus est cooperante Patre & Spiritu sancto conceptus à Virgine, & natus ex Virgine, vt ineffabili generationis argumento, ipse esset in Virgine creator sui, qui se per Spiritum sanctum operabatur creandum. Passus sub Pontio Pilato. Pilati mentio ad temporis significationem, non ad personæ pertinet dignitatem. Crucifixus, mortuus, & sepultus. Infirma incarnati Verbi commemorantur, de quibus dicit Apostolus: Quod infirmum est Dei; fortius est hominibus. Ideò enim passus est, vt nos ad impassibilitatem reformaret. Ideò crucifixus est, vt nos à cruciatibus æternis liberaret. Ideò vera morte mortuus est: sicut vera natiuitate natus est, vt nos à morte sempiterna liberaret. Ideò sepultus est, vt nos sibi vitiis & concupiscentiis consepeliret. Vnde dicit Apostolus. Consepulti sumus Christo per baptismũ in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus; id est, omni vetustate deposita, conformemur Christi similitudini. Hæc ergo infirmitas Christi, superauit omnem fortitudinem mundi. Tertia die resurrexit à mortuis. Triduanæ sepulturæ mors euidenter ostendit, quod dùm corpus in sepulchro iacuit, anima illa de inferis triumphauit. Ascendit ad cœlos. Ideò conditionem naturæ nostræ quam de homine matre natus assumpsit, super cœlos ad dexteram patris collocauit. Sedet. Quod autem sedere dicitur, non significat membrorum positionem; sed iudiciariam potestatem. Ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Ad dexterã verò in summa beatitudine intelligendum est dictum esse; sicut ad sinistram constituentur hædi; id est, in vltima miseria. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Viuos autem & mortuos iudicabit; id est, quos ante mortem nostrã aduentus eius inueniet, & quos iam mortuos, resuscitabit: Siue iustos & peccatores, dicit viuos & mortuos. Attendant huius fidei professores in hoc symbolo; ad hoc Christi humanitatem, per quam reconciliati sunt, commemoratam, vt ingrati non existant beneficiis redemptoris sui, qui eos per suam humanitatem reconciliauit, per deïtatem absoluit, ne iure diuino priuentur paternis bonis, propter ingratitudinem sibi adiudicatis. Credo in Spiritum sanctum, æqualem, & consubstantialem Patri, & Filio, ab vtroque æqualiter procedentem: Vnde & ita in eum credendum est, sicut in Patrem & in Filium. Sanctam Ecclesiam Catholicam: id est, Ecclesiam orbis terrarum; non eam de qua dicitur: Ecce hîc, & ecce illîc; id est, quæ in cubiculis esse dicitur, vel in deserto; sed eam quæ diffusa est toto orbe terrarum, & in vnitate fidei solidata. Sanctorum communionem; id est, Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem, cui communicauerunt sancti, qui in vnitate fidei de hac vita migrauerunt. Remissionem peccatorum. Non tantùm eorum quæ per baptismum remissa sunt; sed etiam eorum quæ per humilem confessionem digna satisfactione mundata sunt. Carnis resurrectionem, quæ in aduentu Domini communis futura est; sed bonis malisque dissimilis, secundum quod Apostolus ait: Omnes resurgemus; sed non omnes immutabimur, subintelligendum est in melius. Vitam æternam, hoc est quod idem Apostolus dicit: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Hæc duodecim capitula ad regulam veræ fideri firmissimè pertinentia, fideliter credenda sunt, fortiter tenenda, veraciter, patienterque deffendenda, & si quem his contraria dogmatizare nouerimus, tamquàm pestem fugiamus, & tamquàm hæreticum objiciamus. Ita enim ista quæ posita sunt, & compendiosis vocibus comprehensa sunt, ita Catholicæ fidei congruunt, & hæreticæ prauitati occurrunt, vt huic regule firmiter adhærentes non sinantur errare, & à tramite rectæ fidei deuiare. Quisquis autem aliter sapere voluerit, oremus vt hoc ei Deus reuelare dignetur. Nos autem in eo quod accepimus ambulemus, & in eo quod certum nobis est, firmiter perseueremus. Hoc symbolum docete spirituales filios vestros, pro quibus in baptismo sponsionem fecistis, quos de sacro fonte suscepistis. Hoc docete filios vestros, quos de carne vestra suscepistis. Hoc docete eos quos in clientelam vestram admisistis; quatenus per disciplinam vestram omnem errorem caueant; ea quæ inimica sunt Christianæ fidei fugiant, & ea quæ apta sunt tota virtute perficiant. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & gloriatur cum Patre & Spiritu sancto per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Margin notes: Psal. 21. — 1. Cor. 1. — Rom. 6. — Matth. 24. — 1. Cor. 15. — Ibid.

SERMO XXIV.

De adulterino habitu virorum vel mulierum.

Hic sermo iam à Iureto editus in calce epistolaꝝ Iv. c. S. Victor. Paris. iterum emittitur recognitus ad exemplaria MSS. Bibl. Regiæ & Petauianæ.

AVdiuimus ex parabola euangelica quendam patremfamilias nuptias filio suo fecisse, & ad eas plurimos inuitasse. Inter quos

cùm ingressus esset quidam non habens habitum nuptialem, visus à patrefamilias, iussus est non tantùm à nuptiis excludi, sed in tenebras exteriores retrudi. Hæc parabola insensatos homines huius tẽporis euidenter redarguit, quamuis altiori discussione aliquid secretius & sacratius possit intelligi. Prius ergo quæramus quis sit iste paterfamilias, quis iste filius, quæ sint istæ nuptiæ. Quibus perspectis faciliùs intelligere poterimus cur ille ab his nuptiis exclusus sit qui ad eas cum adulterina veste accessit. Intelligimus itaque hunc patremfamilias Deum patrem omnipotentem, cui famulantur vniuersæ familiæ gentium; qui coæternum & coæqualem sibi genuit filium, in cœlis sine matre, in terris sine patre: cui nuptias fecit quando ei Ecclesiam ex omni genere hominum sociauit. Ad hanc Christi & Ecclesiæ societatem conuocati sunt nobiles, ignobiles, diuites, pauperes, omnis conditio, omnis sexus omnis ætas. Inter hos accessit vnus qui solus excludi meruit, quia habitum talium nuptiarum sanctitati congruentem non habuit. Attendite fratres. Iste vnus multi sunt, & tamen tota hæc multitudo vnitatis nomine comprehenditur. Multi enim sunt quantum ad numerum personalis discretionis: sed vnus sunt per consonantiam vnius prauitatis. Sicut enim vna Ecclesia est per fidem sub capite Christo: ita tota reproborum multitudo siue pateat siue lateat, vnum corpus est sub principe diabolo. Qui ergo per infidelitatem manifestè à Deo recedit, ad has nuptias non accedit. Qui verò infidelis est, accedit corpore, recedit mente nobiscum intrat Ecclesiam, communicat nobiscum Christi mensam. Boni & mali pisces adhuc latent intra retia donec diuidantur in littore. Adhuc toleratur
Matth. 22. palea donec ventiletur area. Tunc manifestè apparebit, quia multi vocati, pauci electi. Tunc iste adulterator habitus nuptialis iussu patrisfamilias manifestè excludetur, & in carcerem retrudetur. Interim tamen amici sponsi talem simulatorem non ignorant, quia impudicus habitus corporis nuntius est adulterati cordis. Impudicus autem habitus corporis est in viris superflua & inordinata capillatura, vestimentorumque muliebrium affectata similitudo, calciamentorumque metas necessitatis excedens simulata longitudo. In mulieribus facies fucata, virilium vestimentorum imitatio, capillorum nati-
Longitudo calceamenti. uї coloris adulteratio. Hic habitus in vtroque sexu adulterinus est, & sanctarum nuptiarum societate indignus, & à conspectu tanti sponsi & tantæ sponsæ prorsus amouendus.

Nec silentio præterire hoc debet amici sponsi diligentes decorem domus Dei. debent huiusmodi adulteriis publicè adlatrare; ne dicatur de eis, canes muti latrare non valentes. Qui enim quantitatem vel formam quam omnipotens & prudentissimus plasmator finxit, in aliam transfigurare contendit, nonne euidenter dicere videtur ei qui se finxit, cur me fecisti sic? Improba temeritas, conditoris plasma ita vilifacere, vt quantitatem suam & formam quantum in se est, in aliud transfiguret, quod si à natura haberet, incomparabiliter se habere doleret. Nec ista dicimus à nobis tanquam ex nobis. Habemus patres nostros doctores egregios, qui ante nos contra ista scripserunt, & irrefragabili auctoritate damnauerunt. Audiamus Paulum doctorem gentium, de superflua capillatura dicentem Corinthiis: Vir si comam nutriat, ignominia est illi. *1. Cor. 11.*
Cum enim vir ex Dei ordinatione primatum habeat super mulierem: qui contra honorem sui sexus superfluitate capillorum caput velat, primatum suum sibi adiudicat, vt meritò de eo dicatur: Homo cum in honore esset non intelle- *Psal. 49.*
xit. comparatus est, vt vera dicamus, non tantùm mulieribus, sed etiam iumentis insipientibus. Iudicio enim legum, iure ab obtenta dignitate dejicitur, qui priuilegio sibi commisso abutitur. Audiamus & beatum Cyprianum, egregium *B. Cypriani locus.*
martyrem & suauissimum doctorem de adulterino habitu disputantem. Dicit enim in epistola quam scribit de habitu virginum *Opus Dei & factura eius, & plasma eius nullomodo adulterari debet adhibito flauo colore* vel nigrore, vel quolibet denique* **vel nigro puluere vel rubore, aut q.*
lineamenta natiua corrumpente, medicamine. Dicit enim Deus, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Gen. 1.* *Et audet quisquam mutare & conuertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id quod ille formauit, reformare & transfigurare contendunt, *scientes quia opus Dei est omne quod nascitur, diaboli quodcumque mutatur.* **nescientes.* *Si quis pingendi artifex vultum alicuius & speciem & corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato iam consummatoque simulachro manus alius afferret*; & iam formata, iam picta quasi peritior reformaret: grauis prioris artificis iniuria, & iusta indignatio videretur.* **inferret.* Et in sequentibus. *Non metuis, ne cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat: ad sua præmia & promissa venientem remoueat & excludat? increpans vigore censoris & iudicis dicat: opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est,* cum te falso medicamine polluisti,* **cutem falso. reliqua paulo aliter apud Cyprianum.* *cum formam quam tibi dederam mendacio deformasti: facies corrupta est, membra aliena sunt. Deum videre non poteris quando oculi tibi non sunt quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit*. Audite me itaque vt parentem, audite quaso vos docentem, pariter ac monentem, audite vtilitatibus vestris & commodis fideliter consulentem.* **sequentia etiam desumpta sunt ex Cypriano.* *Estote tales quales vos dominus artifex fecit. Estote tales quales vos manus patris instituit. Maneat in vobis facies incorrupta, ceruix pura, forma sincera: *à calciamentis superfluis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deo digni.* **apud Cyprianum, sint à compedibus aureis pedes libere.* *Apostoli vox est, quem Dominus vas electionis appellauit. Dicit enim: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo* *1. Cor. 15.* *cœlestis. Sicut portauimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cœlestis. Hanc imaginem portat virginitas, portat integritas, portat sanctitas & veritas, portant disciplinæ Dei memores, iustitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam iniuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraternâ pace* vnanimes atque concordes*: **v. c. vnianimes.* quæ omnia obseruare, diligere & implere debemus, vt Apostoli præceptum adimpleamus: empti enim estis precio magno; glori- *1. Cor. 6.*
ficate & portate Deum in corpore vestro. Deum enim in corpore nostro portamus, cùm imaginem eius per immundas & profanas adinuentiones non deformamus, cùm per omnia seruitutis obsequia redemptoris imperio parere studemus. Ita enim imaginem suam in nobis recognoscet, & nuptiali veste ornatos à suo sanctorumque consortio non excludet. quod nobis misericorditer præstare dignetur qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.



LECTORI.



Fverat animus edere Chronicum satis amplum à Nino vsque ad Ludouicum Pium; cuius quidem media pars iam in corpore historiæ Francicæ edita fuerat sub nomine Iuonis Episcopi Carnotensis: quod etiam integrum manuscriptum ex monasterio Sancti Ebrulphi recuperatum habuimus sub eodem nomine Iuonis Episcopi Carnotensis. Sed collato eo cum Hugonis Floriacensis compluribus Chronicis MSS. quorum insignia duo sunt in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, inuenimus illud ipsis omni ex parte esse simile, ideoque Iuoni nostro falsò ascriptum: Sed in hoc deceptos esse complures, quòd Chronicum illud præferat in fronte Epistolam quandam Hugonis ad Iuonem nostrum, in qua eum rogat. Vt Chronicum illud suum quod ipsi legendum mittit, inspiciat, & emendet, si quid in illo emendandum repererit. Cæterum hic error doctè agnitus est ab Andræa Duchesne Historiographo Regio tomo 3. Scriptorum historiæ Francicæ pag. 347. vbi de diuersis Hugonis Floriacensis Chronicis loquitur. Adde quòd nemo eorum qui de Iuone scripserunt huius Chronici vnquam meminerit, sicut videre est in elogiis Iuonis quæ initio huius libri apposuimus. Propterea lectorem hoc loco monitum voluimus, ne quidquam ex operibus tanti viri sibi defraudatum putet.



D.

IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI

CHRONICON DE REGIBVS FRANCORVM.



Francos lingua Attica Valentinianus Imperator à feritate & duritia atque audacia vocari voluit: qui post paulùlum cùm tributa Romanis negarent, & Romanorum impetum ferre non possent, egressi à Sicambria peruenere in extremos fines Rheni fluminis in Germanorum oppida: ibique aliquot annis cum principibus suis Marcomiro & Sunone resederunt. Vbi primùm Regem Pharamundum sibi statuunt, legibusque se subdunt, quas primores eorum Wisogastus, Arbogastus, Salegastus inuenerunt.

Pharamundus Rex primus Francorum. Niceta Viennensis Episcopus Iustus Lugdunensis Episcopus relicto Episcopatu in Ægypto Anachoreta moritur, ossaque eius Lugdunum referuntur, ossaque Viatoris ministri eius. Martinus Turonorum Episcopus miraculorum gloria insignis effulsit.

Didio Pharamundi filius Rex Francorum secundus. Ab hinc Franci crinitos Reges habere cœperunt. Eodem tempore Romani

Gallias tenebant, citra Ligerim fluuium Gothi.

Clodio post Didionem Rex Francorum tertius. Hic de Thoringiorum finibus egressus Rhenum transiit, victóque Romano exercitu Carbonariam siluam tenuit, ibique sibi sedem statuit.

Merouéus post Clodionem Rex Francorum quartus. Metis à Francis succensa. Franci vsque Aurelianos peruenerunt.

Childericus post Merouéum quintus regnauit annis xxiiij.

Clodoueus post Childericum Rex Francorum sextus, regnauit annis xxx. Hic primus Regum Francorum à beato Remigio baptizatus est cum populo suo. Siagrius Ægidij patricij filius cum Clodoueo apud Suessionē pugnam committens deuictus & occisus est, sicque vires Romanorum in Galliis ceciderunt. Clodoueus Rex Burgundiam sibi subegit. Mamertus Viennensis Episcopus clarus habetur. Clodoueus milliario x. à Pictauis vrbe cum Alarico Rege pugnam iniit, eumque vicit & occidit, sibique subegit Tolosam, Santonas, omnemque Aquitaniam. Fulgentius Ruspensis Episcopus, & Auitus Viennensis clari habentur.

Mortuo Clodoueo Chlotildis vxor eius cum quatuor filiis suis regnum Francorum tenuit, Theoderico, Clodomiro, Childeberto, Clotario. Clodomirus & Childebertus atque Clotarius contra Sigismundum exercitum mouent, & contra Gothimarum: fugientibusque Burgundionibus Sigismundus ad monasterium Agaunensium martyrum fugiens apprehenditur à Clodomiro, ibique cum vxore & filiis interficitur, ideoque Clodomirus vltrà cum Burgundionibus decertans ab eis interfectus est. Quod Franci indignè ferentes, Gothimarum persecuti occidunt. Childebertus & Clotarius filios Clodomiri nepotes suos, ne regnarent loco patris, occiderunt: vnus tamen Clodoaldus effugit, qui clericus factus, & plenus virtutibus migrauit ad Christum. Beatus Medardus migrauit ad Christum, sepultus in ciuitate Suessionis à Rege Clotario: qui & non multo post defunctus in eadem Ecclesia sepelitur, regnauitque lij. annis.

Quatuor filij Clotarij regnum inter se diuidunt. Karibertus accepit regnum Clodomiri, sedemque constituit Parisiis. Guntranus regnum Childeberti, sedemque constituit Aurelianis. Chilpericus regnum patris sui Clotarij Suessioni, Sigebertus accepit regnum Theodorici Remis. Karibertu. Rex mortuus in Ecclesia S. Romani in Blauio castro sepelitur. Beatus Germanus Parisiorum Episcopus claruit. Chilpericus fratrem suum Sigebertum fraude Fredegundis Reginæ interfectum in Lambani via sepeliuit. Inde verò translatus est in basilicam S. Medardi. Guntranus verò Rex in Ecclesia S. Marcelli Cabilloni sepultus est. Regnauit verò annis xxxj.

Chilpericus dolo Landrici ac Fredegundis Reginæ ipsius vxoris occisus, Parisiis in Ecclesia S. Vincentij sepelitur.

Theodebertus & Theodericus filij Childeberti cum auia sua Brunechilde in regnum gloriosi Regis Guntrani Burgundiam directi sunt. Inde Theodericus cum Theodeberto fratre pugnam iniit, eumque occidit. Brunechildis tandem pro multis sceleribus in præsentia Clotarij Regis indomitis equis religata cruribus & brachiis membratim discinditur, eiusque ossa igne concremata sunt.

Clotarius filius Chilperici Rex Francorum octauus. Hic Saxonum terram adeo vastauit, vt non remaneret ibi homo longior spata sua, non longo post tempore obiit anno xliiij. regni sui.

Dagobertus filius Clotarij Rex Francorum nonus, vir strenuus fuit: habuit autem duos filios Sigebertum & Clodoueum. Anno vero regni sui xliiij. febre valida tactus & mortuus est, sepultusque in loco Bindionum.

Clodoueus filius Dagoberti Rex Francorum decimus, cuius vxor Batildis de genere Saxonum genuit ei tres, Clotarium, Childericum atque Theodericum. Clodoueus xvj. regni sui anno vita decessit.

Clotarius filius Clodouei Rex Francorum vndecimus. hic 4. annis regnans obiit.

Theodericus filius Clodouei, frater Clotarij, Rex Francorum duodecimus. Ebroïnus princeps domus Leodegarium Episcopum multis affectum pœnis gladio percussit, fratremque eius germanum. Theodericus anno regni sui xviij. obiit.

Clotarius filius Theoderici Rex Francorum decimus tertius regnauit annis tribus.

Childebertus filius Theoderici, frater Clotarij, Rex Francorum decimus quartus. Hic xiij. anno regni sui obiit.

Dagobertus filius Childeberti Rex Francorum decimus quintus, cùm adhuc puer esset, maior autem domus Theodebaldus Pipini Austrasiorum Ducis filius. Dagobertus v. annis regnans mortuus est.

Danielem post Dagobertum quendam clericum post abiectionem tonsuræ Franci super se statuentes, eum vocantes Chilpericum, exercitum contra Carolum vsque Mosam fluuium mouent. Ex alia parte Rabbodus Dux cum Frisonibus contra eundem Carolum insurgit: pugna valida commissa, Carolus magno damno afflictus est dilapsus. Chilpericus simul cum Ragaufrido Arduennam siluam ingressus, peruenerunt vsque Coloniam: sed subitò Carolo super eos irruente, prælioque confecto fugantur Chilpericus atque Ragaufridus. Chilpericus ad Eudonem Ducem fugiens, ab eodem Duce redditus est Carolo, & v. anno post in ciuitate Nouiomo mortuus est.

Theodericus Dagoberti iunioris filius Rex Francorum decimus septimus, Carolus maior domus & Austrasiorum princeps, vastans omnia, & Saxonum agros diripiens, cum eis bellum iniit. vbi grauissima cædes hominum altrinsecus morientium. Post aliquot annos in Bauariam iter arripuit, eamque cum labore maximo ad deditionem coëgit, sed postea reluctantes via secunda perdomuit. Iterum abiit in Saxoniam, deinde in Sueuos contra Lanfredum, quos ab infestatione & iniuria repressit. Inde contra Eudonem Aquitanorum Ducem iuit, eumque vsque in Vasconiam fugauit. Saracenos præterea cum longis nauibus venientes, vrbesque plurimas tam Septimaniæ quàm Viennenses deuastantes idem Carolus grauiter fugit, eosque in Hispaniam repulit. Post aliquot annos perrexit vsque Vasconiam, Aquitaniamque depopulatus est, Saracenos quoque Aquitaniam & alias prouincias deuastantes perdomuit.

Childericus post Theodericum Rex Francorum decimus octauus. Maiores domus Carolomanus & Pipinus frater eius. sed Carolomanus abiecto seculari habitu Romam abiit: inde ad S. Benedictum in montem Cassinum perrexit. Gripho autem faciem Pipini Ducis fugiens, fugit in Saxoniam atque Bauariam, ducatumque ipsius Pipini subiugauit. Gripho verò fugiens ad Gaifarum Aquitanorum Ducem coniunctim parant bellum contra Pipinum. interea Pipinus Francorum regnum defecisse videns, iussu Zachariæ Papæ eleuatur in Regem.

Pipinus Rex Francorum decimus nonus regnauit annis xviij. mox post vnctionem suam bellum in Saxoniam mouit, eamque deuicit. Zachariæ Papæ successit Stephanus. Pipinus Rex auxilium Zachariæ Papæ contra Aistulphum Longobardorum Regem, qui facultates Romanæ Ecclesiæ quæ in regno eius erant abstulerat, porrexit, eumque quod abstulerat, reddere coëgit. Rursus idem Pipinus Saxoniam intrauit, eamque Francis per singulos annos traiectos equos reddere fecit. Inde anno ab Incarnatione Domini D. cclxviij. obiit.

Carolus gloriosus Rex Francorum xx. filius Pipini & Bertrudæ Reginæ. Hic gentem Saxonum subegit: vbi cùm exercitus eius graui siti laboraret, medio die subito ex quodam torrente largissimè aqua emanauit, quæ sufficeret cuncto exercitui. Idem Carolus ab Adriano Papa contra Desiderium Longobardorum Regem Italiam intrauit, Papiam cepit, Desiderium occidit, omnemque Longobardiam sibi subegit. Saxones iterum rebellantes deuicit, & ex vtraque parte firmauit, custodibusque positis, obsidibusque receptis rediit. Rursus Saxones Heresburgum castrum inuadunt, machinas ad id capiendum præparantes, viderunt in modum scuti duos globos flammantes super Ecclesiam quæ in vno castro erat. Qua visione perterriti, & relinquentes præparationē suam ita fuga elapsi sunt, vt mutuis sese confoderent gladiis. Quod audiens Carolus Rex Saxoniam ingreditur, obtinuitque omnes illorum firmitates, omnesque Saxones cum vxoribus suis & infantibus baptizatos in fide sibi coniunxit. Carolus idem Pascha celebrat in Aquitania castro Cassinogilo. Hispaniam ingreditur. Destruit Pampilonam. Saracenos subiugat. Per Narbonam & Vasconiam reuertitur. Deinde orandi gratia Romam ingreditur. Beneuentum capit. Filios ipsius Ducis obsides cum maximis muneribus accepit. Idem Auaros gentem ferocem perdomuit, quorum Dux ad eum se contulit, credensque baptizatus est. Idem quoque Carolus Romam ingressus, primus ibi de gente Francorum Imperatoris & Augusti nomen sumpsit, eosque qui Leonem Papam dehonestauerant, deponendo in exilium misit. Quo tempore factus est terræ motus magnus. Eodem tempore Rex Persarum misit Carolo papilionem & tentoria, pallia serica multa & preciosa, sed & horologium de auricalco arte mechanica mirificè compositum, in quo xij. horarum cursus ad clepsydram vertebatur cum totidem æreis pillulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cymbalum tinnire faciebant: additis totidem equitibus, qui per xij. fenestras completis horis exibant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras quæ priùs erant apertæ claudebant: necnon & alia multa in ipso horologio erant mira. Anno Incarnationis Domini D. cccxiiij. Carolus Imperator Aquisgrani moritur, regni verò sui xlv.

Cassignolio diœcesis Agennensis.

Ludouicus Caroli Magni filius Rex Francorum xxj. & Imperator Romanorum, regnauit annis xxviij. amator pietatis & religionis. Hic in ingressu imperij secundam & placidam quietem habuit, sed finis eius multis calamitatibus fatigatus.

Carolus Caluus Ludouici filius Rex Francorum xxij. regnauit annis xxxvij. Imperator & ipse Romanorum. Initia regni & finem prosperè gessit, ædificator Ecclesiarum Dei, amator pauperum, impendens Ecclesiis Dei multa beneficia in crucibus & in aliis ornamentis.

Ludouicus Caroli filius Rex Francorum xxij. regnauit annis duobus.

Carolus Ludouici filius Rex Francorum xxiiij regnauit annis xxxviij. Hic Tutudi, quod Martellus dicitur, à suis dictus est. & quia in regno suo vix aut rarò pacem habuit, ideò res Ecclesiarum suis militibus in stipendium contulit maxima ex parte. Qui mortuus in Ecclesia beati Dionysij martyris sepultus à sinistra parte altaris maioris, visus est noctu in specie draconis effracto sepulchro per vitream Ecclesiæ cum magno terrore exisse.

Radulphus Rex Francorum xxv. Conradi Ducis Burgundiæ filius, regnauit annis xix. cultor iustitiæ, restaurator Ecclesiarum, resistentes sibi prosperè deuicit.

Ludouicus Radulphi filius Rex Francorum xxvj. regnauit annis xviij.

Lotharius Ludouici filius Rex Francorum xxvij. regnauit annis xxx. Eodem tempore fuit Willermus Dux Normannorum.

Ludouicus Lotharij filius clericus Rex Francorum xxviij. regnauit annis ij. Hic captus à Francis Lauduni interiit, sicque progenies Caroli Magni defecit.

Hugo filius Hugonis Capeti Rex Francorum xxix. regnauit annis x.

Robertus filius Hugonis Rex Francorum xxx. regnauit annis xxxv. cuius vxor Constantia. Hic iustè & religiosè regnum suum disponens sancto fine quieuit. Gilbertus Papa.*

Henricus filius Roberti Rex Francorum xxxj. regnauit annis xxxij. Willermus nobilissimus Dux Normannorum pugnauit apud Vallium dunas. Henricus Rex fortis in bello Vitriaco obiit.

Philippus filius Henrici Rex Francorum xxxij. regnauit annis xlix. Huius vij. anno regni Willermus gloriosus Dux Normannorum Anglos subegit, ibique Rex factus regnauit xxij. annis. Huic successit Willermus Longaspata filius eius, regnauitque annis xiiij. atque in noua foresta sagitta interiit. Huic successit Henricus frater eius vir nobilis, sapiens, iustitiæ cultor, amabilis, nulli moderni temporis in regendo regno comparabilis, qui & regnauit annis xxx.

FINIS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlements, Maistres des Requestes de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, leurs Lieutenans, & autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra: Salut. Nostre bien-amé LAVRENT COTTEREAV Marchand Libraire de nostre bonne ville de Paris nous a tres-humblemẽt fait remonstrer qu'il a fait recueillir par les plus curieux & sçauans Esprits du temps les Oeuures entieres d'IVES DE CHARTRES, tant celles qui ont esté cy-deuant imprimées, que celles qui ont esté tirées des meilleures Bibliotheques de l'Europe, pour les faire imprimer sous le tiltre d'*Iuonis Episcopi Carnotensis Decretum, & alia Opera quæ reperiri potuerant, &c.* ce qu'il ne peut faire sans auoir sur ce nos Lettres necessaires, humblement requerant icelles: A CES CAVSES desirant fauorablement traitter ledit Exposant, nous luy auons permis & permettons par ces presentes d'imprimer ou faire imprimer ledit Liure en tel volume, marge, charactere, & autant de fois que bon luy semblera pendant le temps & espace de dix ans, à compter du iour que ledit Liure sera acheué d'imprimer pour la premiere fois. Faisons tres-expresses inhibitions & deffenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'ils soient de l'imprimer durant ledit temps, sous quelque pretexte que ce soit, à peine de deux mil liures d'amande, & tous despens, dommages & interests, à condition qu'il sera mis deux Exemplaires dudit Liure en nostre Bibliotheque, & vne en celle de nostre tres-cher & feal le Sieur Seguier Cheualier Chancelier de France auant que les exposer en vente, à peine de nullité des presentes; du contenu desquelles nous voulons que vous fassiez joüir pleinement & paisiblement ledit COTTEREAV & ceux qui auront droict de luy, sans qu'il leur soit donné aucun empeschement. VOVLONS aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Liure vn Extraict desdites presentes elles soient tenuës pour deuëment signifiées, & que foy soit adjoustée, & aux copies d'icelles collationnées par vn de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires comme à l'original: MANDONS au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis faire pour l'execution d'icelle tous exploicts necessaires, sans demander autre permission: CAR tel est nostre plaisir. Nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, Edicts, Declarations, Arrests, Reglemens, Statuts, confirmations d'iceux, & autres Lettres à ce contraires, ausquelles nous auons derogé & derogeons par ces presentes. DONNÉ à Fontaine-bleau le douziesme iour d'Aoust, l'an de grace mil six cens quarante-six, & de nostre regne le quatriesme.

Par le Roy en son Conseil.

CEBERET.

Les Exemplaires ont esté fournis pour les Bibliotheques du Roy & de M. le Chancelier.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le dernier Aoust 1647.

INDEX

INDEX IN EPISTOLAS, SERMONES, ET CHRONICON IVONIS ORDINE Alphabetico digestus.

In quo littera A, priorem columnam, B. posteriorem designat.

A.

E.

N.

O.

P.

Parisius

Q.

R.

S.

F I N I S.



LECTORI,

Sequentem Notam Ivreti in Epistolam quandam, quæ habetur ad calcem Epistolarum Iuonis, fortè fortuna ibi prætermissam, ne periret & quia lectu digna est, hîc excudi maluimus, quàm penitus omitti.

AD EPISTOLAM HVGONIS PONT. & Bernardi Clar. ad Abbatem & Conuentum Maioris Monasterij.

V*El cupiditate cæcos.*) Iuo supra epist. 266. scribit monachos maioris monasterij multis multa & magna tunc temporis promisisse, vt litigantem secum Iuonem superarent. Ideo mouebat Cononem Legatum Apostolicum, qui futurus erat inter vtrosque iudex, vt consiliarios sibi adhiberet qui nec precio nec precibus vincerentur. Et paulopost ait noluisse habere alios vicinos monachos. Mox sub finem eiusdem epist. dicit dæmoniaca inuidia motos voluisse illum priuare suo iure Episcopali. Denique epist. 268. ait se non posse ferre impetum eiusmodi monachorum, & longè latéque clamaturum de illorum iniuriis. Goffridus Vindocinensis Abbas sæpè conqueritur de illorum rapinis. Cuius verba ex manuscripto codice subiicio, in epist. ad Goffridum Carnotensem Episcopum. *De monachis maioris vt dicitur monasterij, quos beati Martini humilitas superbos, & eius paupertas pecuniosos fecit, sæpiùs conquesti adhuc conquerimur, & de ipsis in præsentia vestra die festiuitatis beati Egidij iustitiam accipere desideramus.* Sed longè acerbiùs eosdem reprehendit alia epistola. *De monachis maioris monasterij sæpiùs conquesti, adhuc conquerimur: qui sagittas rapinæ & sæcularis violentiæ in nos assiduè iaculantur. Decimam quam fratres nostri à primo Abbate monasterij sui pacificè tenuerunt, & de qua eis vobis præsente obtulimus iustitiam, contra interdictum vestrum cum gladiis & fustibus quasi etiam Herodianis adductis secum nobis auferunt, & alteram etiam quam anteà non auferebant: & sic mala nobis quæ possunt faciunt: & quæ faciunt licere putant. Vos eis verbo & eorum Abbati scripto interdixistis ne vlteriùs caperent decimam illam, eosque admonuistis vt venirent in curiam vestram, inde habituri omnem iustitiam. Ipsi verò verbi & scripti vestri pariter contemptores, magis ac magis nos infestare conantur, & vestram auctoritatem persequi, & vobis derogare videntur. Vnde paternitati vestræ humiliter supplicamus, quatinus ex aduerso ascendatis, & murum pro domo Israël inobedientibus opponatis. quod nobis necessarium, & vobis honorificum esse minimè dubitatis. Mirari tamen nec possumus nec debemus, si in nos & in vos quasi in arido hoc faciunt, qui in viride lignum in pastorem scilicet proprium Turonensem Archiepiscopum sulphureo igne quondam exarserunt, nec malè accensum sulphuris ignem posteà extinxerunt. Quos vtinam superbi Saulis mors digna, & Mariæ sororis Aaron lepra, atque Iudæ peruersi discipuli pœna deterrerent: & sic mortua in ipsis superbia quæ mater est & nutrix totius iniquitatis, & maximè cupiditatis, à monasticæ fraternitatis infestatione desisterent: nec pontificalem vt Iudas Christum, persequerentur dignitatem: nec pontifici sicut Maria Moysi derogarent.* Quæ verba lucem capient ex historia quam retuli in obseruationibus ad epist. 108.

Qua audacia ô monachi præsumitis.) Iuo epist. 192. refert illo sæculo fuisse nonnullos scrupulosos monachos qui nolebant approbare vsum decimarum & oblationum quas quidam Abbates acquisierant suis monasteriis, cum illæ propriè deberentur clericorum militiæ & pertinerent ad Episcoporum dispensationem. Fuerunt etiam plures Episcopi qui monachos illas habere noluerint. Cuius generis conquestio Goffridi Vindocinensis Abbatis, de quodam Episcopo qui abstulerat decimas salinarum, quas monasterium Vindocinense possederat per annos sexaginta, & ad illum scribens addit. *Nobis dictum est quia dicitis quod Ecclesia non debet decimam dare. Hoc verum est vbi Ecclesia nihil habet in Parochia alterius Ecclesiæ. Vbi verò ecclesia in alterius ecclesiæ parochia possessionem aliquam habet, vel quidpiam quod decimari debeat, ibi ecclesia ecclesiæ decimam reddere debet, si illud iustè possidere desiderat. Hoc tenet Italia, hoc tenet Gallia. Ibi enim nouimus ecclesias ecclesiis decimas reddere, & maiores minoribus & minores maioribus, vbi altera earum possessionem obtinet in iure alterius. Hoc facimus nos ecclesiis, & hoc ecclesiæ faciunt nobis. Hoc etiam bonæ vitæ & bonæ memoriæ vestri prædecessores qui vos præcesserunt ad sydereas mansiones, fecerunt. Decimas scilicet quas sine iudicio & sine audientia nobis aufertis, reddiderunt. Sed illi beati viri forsitan idiotæ fuisse putantur: quoniam caritatem habuerunt, & vitauerunt rapacitatem, & neminem mole suæ magnitudinis premere voluerunt. Non conuenit matri ecclesiæ, aliarum ecclesiarum iura vel decimas sibi vsurpare. Parentum est enim Paulo testificante Apostolo, thesaurizare filiis, non quæ sunt filiorum auferre.* Tradunt autem historiæ, Episcopos nonnunquam vitæ periculum incurrisse, cum molirentur decimas subtrahere vsibus monachorum, qui maiorem populi fauorem adepti erant. Aimoinus monachus in lib. de vita S. Abbonis Floriacensis Abbatis, cap. 7. *In illis sanè diebus,* inquit, *in monasterio sancti Dionysij haud procul à Parisiis, Concilium aggregatum est quamplurimorum Episcoporum. Qui cum de fidei puritate, de corrigendis tam suis quàm subditorũ prauis moribus sermocinari debuissent, iuxta vulgare prouerbium, cunctum suum sermonem ad decimas verterant ecclesiarum: quas laicis ac Deo seruientibus monachis auferre moliti, resistente eis in hac re venerabili Dei cultore Abbone, promiscuam in se vulgi concitauêre manum: ortaque subitò seditione, tantus in Episcopos timor irruit, vt publica statione relicta, passim quisque diffugeret. Inter quos Seguinus Senonum Archiepiscopus, Primatum Galliæ in ea synodo sibi vsurpans, primatum quoque fuga arripuit, & inter fugiendum securi inter scapulas ictus, lutoque à popularibus oblitus, ægrè euasit, &c.* Id autem accidisse sub Rege Roberto, ex verbis quæ paulopost sequuntur, dicto cap. 7. colligitur.

Liceat & hoc ex dono Episcopi.) Huc spectat etiam conquestio eiusdem Goffridi Abbatis in

epiſt. ad Petrum Sanctonenſium Epiſcopum, & Goſcelinum Archidiaconum. *Peruenit ad nos quòd oblationes confeſſionum in eccleſia Surgeriarum nobis abſtuliſtis. Quod ſi ita nos abſentes de hoc quod per xxx. annos nullo Epiſcopo vel Archidiacono reclamante tenuimus, atque Romanorum Pontificum licentia nobis conceſſum eſt, ex inueſtitis, & Preſbytero noſtro, quod noſtrum erat, nobis nolentibus contuliſtis.* Et paulopoſt. *Si dicitis quia ille oblationem confeſſionis habere debet, cui pœnitens confitetur: ſimili modo dicere poteſtis vt oblationem altaris habeat à quo miſſa cantatur, & oblationem mortui à quo mortuus ſepelitur: & ſic miniſter noſter totum accipiet, vt nihil oblationum in eccleſiis quibus die ac nocte ſeruimus, nobis relinquat. Pro reuerentia veſtræ religionis hoc iniuſtum non dicimus, ſed iuſtum eſſe penitùs ignoramus. Nam lex Moyſi non præcepit, Prophetæ minimè prædixerunt, ſanctum Euangelium inde ſiluit, auctores canonum aut noluerunt dicere, aut obliuioni tradiderunt.*



Ex Bibliotheca francisci Villae 10 tt a paris

